PATROLOGIÆ

CURSUS COMPLETUS

SEU BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM,

SIVE LATINORUM, SIVE GRÆCORUM,

QUI AB ÆVO APOSTOLICO AD ÆTATEM INNOCENTII III (ANNO 1216) PRO LATINIS ET AD BESSARIONIS TEMPORA (ANNO 863) PRO GRÆCIS FLORUERUNT :

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER QUINDECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA ET AMPLIUS,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA; DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS, VARIISQUE LECTIONIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA; OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS AUCTA; INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA; CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA; OPERIBUS CUM DUBIIS, TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA; DUCENTIS ET AMPLIUS LOCUPLETATA INDICIBUS; AUCTORUM SICUT ET OPERUM, ALPHABETICIS, CHRONOLOGICIS, STATISTICIS, SYNTHETICIS, ANALYTICIS, ANALOGICIS, IN QUODQUE RELIGIONIS PUNCTUM, DOGMATICUM, MORALE, LITURGICUM, CANONICUM, DISCIPLINARE HISTORICUM, ET CUNCTA ALIA SINE ULLA EXCEPTIONE; SED PRÆSERTIM DUOBUS INDICIBUS IMMENSIS ET GENERALIBUS, ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID NON SOLUM TALIS TALISVE PATER, VERUM ETIAM UNUSQUISQUE PATRUM, NE UNO QUIDEM OMISSO, IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT, UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM S. SCRIPTURÆ VERSUS, A PRIMO GENESEOS USQUE AD NOVISSIMUM APOCALYPSIS, COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS, TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO PATROLOGIÆ DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS ET MSS. AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS COADUNATORUM.

SERIES LATINA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES, SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD INNOCENTIUM III.

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

Bibliothecæ Cleri universæ,

SIVE CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

PATROLOGIÆ LATINÆ TOMUS CLXII.

S. IVO CARNOT. EPISC. PETRUS CHRYSOLANUS MEDIOL, ARCHIEP. RICHARDUS CARD LAMBERTUS ATREBAT., GALO PARIS., GODEFRIDUS AMBIAN., EPISCOPI. ANSELMUS SCHOLAST. ET CAN. LAUDUN. B. ROBERTUS DE ARBRISSELLO. SEHERUS CALMOSIAC. ABB. JOANNES MON. S. AUDOENI JOANNES MON. BESUEN. FRANCISCUS CAMENUS. REIMBALDUS PRÆPOS. S. JOANN. LEOD.

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,

IN VIA DICTA: *AVENUE DU MAINE*, 189, OLIM *CHAUSSÉE DU MAINE*, 127.

1889

SÆCULUM XII

SANCTI IVONIS

CARNOTENSIS EPISCOPI

OPERA OMNIA

ACCEDUNT

PETRI CHRYSOLANI, MEDIOLANENSIS ARCHIEPISCOPI, RICHARDI CARDINALIS, LAMBERTI ATREBATENSIS, GALONIS PARISIENSIS, GODEFRIDI AMBIANENSIS, EPISCOPORUM; ANSELMI SCHOLASTICI ET CANONICI LAUDUNENSIS, B. ROBERTI DE ARBRISSELLO, SEHERI, CALMOSIACENSIS ABBATIS, JOANNIS MONACHI. S. AUDOENI, JOANNIS MONACHI BESUENSIS, FRANCISCI CAMENI, REIMBALDI PRÆPOSITI S. JOANNIS LEODIENSIS

OPUSCULA, DIPLOMATA, EPISTOLÆ

ACCURANTE J.-P. MIGNE

Bibliothecæ Cleri universæ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE

S. IVONIS TOMUS SECUNDUS, CÆTERORUM UNICUS

PARISIIS

APUD GARNIER FRATRES, EDITORES ET J.-P. MIGNE SUCCESSORES,

IN VIA DICTA : *AVENUE DU MAINE, 189*, OLIM *CHAUSSÉE DU MAINE, 127*

—

1889

ELENCHUS

AUCTORUM ET OPERUM QUI IN HOC TOMO CXLII CONTINENTUR

DIVI IVONIS

CARTONENSIS EPISCOPI

OPERUM PARS ALTERA

EPISTOLÆ

Cum notis doctissimorum virorum Jureti canonici Lingonensis, et Soucheti canonici Carnotensis

SERMONES

Quibus additi ex mss. Bibliothecæ Regiæ et Petavianæ :

ET

BREVE CHRONICON DE REGIBUS FRANCORUM

NOMINA EORUM

AD QUOS SCRIPTÆ EPISTOLÆ IVONIS.

Nomina aliorum QUORUM EPISTOLÆ insertæ et vel adjunctæ sunt Ivonianis.

D. IVONIS EPISTOLÆ

1 EPISTOLA PRIMA

URBANUS [II] *episcopus, servus servorum Dei, dilectis in Christo filiis, clero ac populo Carnotensi salutem et apostolicam benedictionem.*

Nos quidem tum pro beatæ Mariæ semper virginis devotione ac reverentia, etc. *Exstat inter epistolas Urbani II, Patrologiæ tom.* CLI.

D

EPISTOLA II.

Urbanus episcopus, servus servorum Dei, RICHERIO *Senonensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.*

Quantas pro Gaufrido quondam episcopo, etc. *Vide ubi supra.*

2 *Oratio Urbani papæ ad Ivonem consecratum episcopum.*

Quoniam, ut credimus, divino te nutu vocante, clerus et populus Carnotensis ecclesiæ (*a*) unanimiter elegerunt rectorem, et ad nos usque perducentes petierunt consecrari episcopum, et ideo Deo annuente per manus nostræ impositionem episcopus consecratus es, amodo, frater charissime, scias te maximum pondus suscepisse laboris, quod est sarcina regiminis animarum, et commodis deservire multorum, omniumque fieri minimum atque ministrum, et pro credito tibi talento in die divini examinis rationem redditurum. Nam si Salvator noster dixit : *Non veni ministrari, sed ministrare* (*Marc* x; *Matth.* xx), et animam suam posuit pro ovibus suis, quanto magis nos desidiosi servi summi Patrisfamilias debemus maximo sudore incumbere, oves Dominicas, nobis a summo pastore consignatas, ad ovile Dominicum suffragante divina gratia absque morbo vel macula [et mancha] perducere? Exhortamur itaque dilectionem tuam, ut fidem quam in exordio tuæ consecrationis breviter lucideque digessimus, illibatam et inviolabilem custodias; quia fides est fundamentum omnium virtutum. Scimus autem quod ab infantia sacris es litteris eruditus, et canonum institutis edoctus, attamen breviter ad te noster dirigendus est sermo. Nullus te favor extollat, nulla adversitas atterat, id est nec [*al.* ut nec; *al.* non in] in prosperis cor tuum elevetur, nec in adversis aliquo dejiciatur, sed omnia et in omnibus caute et cum discretione agere te volumus, ut absque reprehensione ab omnibus vivere comproberis. Sancta Trinitas fraternitatem tuam sua protectione incolumem custodiat, ut dum [cum] tali moderamine in Domino nostro onus quod suscepisti peregeris, in die æternæ retributionis eo dicente audire merearis : *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui* (*Luc.* xix; *Matth.* xxv.

EPISTOLA III (*b*).

URBANO *summo pontifici patri et domino suo* IVO *Carnotensis.*

Si animo meo morem gerere vellem, si denique sic esset tolerabile ut non etiam pœnale judicaretur successorem Petri in arce summi pontificatus positum lacessere, jam quidem in vos odiorum castra movere, maledictis persequi non cessarem. Credo enim, propter quod loquor, me opera vestra de tranquillitatis littore abstractum in altitudinem maris inopinato casu devenisse, et temporalium occupationum quasi procellosis fluctibus jactandum prospicio, ubi, dum multorum utilitatibus providere compellor, tam meæ quam ipsorum saluti posse sufficere despero. Elegeram abjectus esse in domo Dei, utpote cui non generis nobilitas, non scientiæ dignitas eloquentiæ animos dabat, et paucorum, A fratrum [Belvacensium *ad ep.* 17] pia societas charitate plena plus omnibus divitiis mihi applaudebat, cum sic mihi latenti, nec tale quid suspicanti Ecclesia Carnotensis pontificatus professionis pondus obtrusit (epist. 8); nec sane ejus voluntati aliqua ratione victus cederem, nisi id vos velle atque præcepisse (epist. 12), cui non obedire nefas est, protestaretur. Episcopum Belvacensem (*c*) sanctitati vestræ commendo, cujus simplicitas hoc habet laudabile, quod nec perversa agentibus placere, nec recte sapientibus displicere potest; novit enim prudentia vestra eum in quibusdam accusatum, non tam zelo justitiæ quam virtutis æmulatione. Sed mihi non videtur rationabiliter posse fieri, ut a minori persona debeat retractari quod sub vestri judicii examine finem sortiri meruit. B Sed ad me revertar, quem pastoralis curæ vincula premunt; qui etiam, quod nondum erratibus meis adhibui, cogor debere correctionem alienis erroribus; cujus vita, licet olim in conspectu summi Judicis calumniosa haberetur, nunc maxime tamen vicinior est accusationi suæ quam excusationi alienæ. Vale.

EPISTOLA IV.

IVO, *Dei gratia, humilis Carnotensium episcopus, dilectissimo abbati Majoris Monasterii* BERNARDO, *et qui secum* [al. *qui tecum*] *sunt fratribus, in Domino salutem.*

Quoniam summus Pastor pastoris nomen habere nos voluit, et officium pastorale exercere præcepit, errabundis et languidis ovibus congruam medicinam providere nos convenit, ut nec importuna instantia C aliquam præfocemus, nec blandiente nobis desidia nostra negligenter aliquam perire permittamus : ne otium nostrum negotiis sæcularibus præponamus, quominus parturienti Ecclesiæ debitum ministerium persolvamus. Licet enim in amplexus speciosæ Rachel intendat labor militiæ nostræ, spe tamen prolis numerosioris, amplexus Liæ nobis est tolerandus (*Gen.* xxx): quia, cum illa plus videat, ista plus fructificat : et cum illi visio sua sit jucundissima, hujus actio multis est necessaria : et, ut evidentius dicam, cum in illa pene sola sit dilectio Dei, in hac manifesta est etiam dilectio proximi. Cujus dilectionis sequacibus suis insinuandæ formam protulit Mediator Dei et hominum, qui non solum pro nobis de secreto suo ad publicum nostrum prodiit, sed etiam D carnem assumptam flagellis, colaphis, sputis, ac demum morti crucis addixit. Quid hoc facto summus Pastor nobis insinuat, nisi ut nos dicti pastores oves erroneas ad custodiam nostram pertinentes, per devia quæque et aspera fugientes, indeficienti charitate consectemur, ut ad gregem reportentur : licet in sequendo vepribus consciendamur (*inf.* ep. 272), crebris spinarum aculeis cruentemur? Quod quia prudentiam vestram latere non ignoro, nescio utrum patientiam vestram vel negligentiam, quan-

(*a*) Civitas illius.

(*b*) Hæc epistola a Jureto primum edita, reperta est in vetustis schedis Ant. Loeselli jur.

(*c*) Videtur intelligere de Fulcone, argumento eorum quæ notavi ad epist. 30 ex Anselmo Cantuariensi archiepiscopo.

tum fas est ex charitatis affectu, reprehendo, quod A contra instituta majorum quosdam fratres semel a nobis ad custodiam animarum dimissos apud vos detinetis, in quibus nostram et illorum famam lædi permittitis, et morbis ovium illis commissarum nullam medicinæ curam præparatis. Unde, ut interim de cæteris sileam, rogando moneo, monendo rogo fraternitatem vestram ut, omni occasione remota usque ad præsens caput jejunii, transmittatis mihi domnum Gauterium, quondam monasterii Bonævallis abbatem, quatenus audita ab eo suæ discessionis causa, solutio ejus si probanda est, a nobis approbetur; vel si approbanda non est, consilio et auxilio cooperatorum nostrorum in officio et loco suo plenissime reformetur. Vale.

EPISTOLA V.

Ivo, *Dei gratia Carnotensium humilis episcopus*, ADELÆ *nobili comitissæ : recta in Christo sapere.*

Regius in excellentia vestra sanguis ex utraque linea descendens, nobilitatem generis in oculis omnium [*al.* oculis hominum] manifeste commendat. Sed hanc apud religiosas mentes morum probitas et larga ad erogandum manus, quantum didici, vehementer exsuperat. Unde miror qua ratione consobrinam vestram, Adalaidem [*al.* Adalidem] sicut vos ipsam amare dicatis, cujus adulterinos cum Gulielmo [*al.* Vuilelmo] complexus vel defendere, vel protelare tanto studio laboratis, nec saluti vestræ vel illorum satis commode providetis, neque quantum periculum, vel quanta infamia mihi super hoc immineat aliquatenus præcavetis. Quomodo enim gladius spiritus in ore meo positus ferire audebit longe positos simili contagione pollutos, qui tangere non audebit vel dissimulabit juxta se positos; nonne dicturi sunt mihi illud evangelicum : *Ejice* [in v. c. *eice*] *primum trabem de oculo tuo, ut postea videas festucam in nostro* (*Matth.* VII). Hanc porro me habere tolerantiam terribiliter Apostolus vetat, de hujusmodi scelerum patratoribus, dicens : *Qouniam qui talia agunt, digni sunt morte, nec solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus* (*Rom.* I). Consentientes autem B. Ambrosius dissimulantes vocat, vel defendentes. Qua de re obnixe peto, ut non indignetur adversum me vestra sublimitas, quoniam testis mihi est Ille, cui nuda est abyssus humanæ conscientiæ, me hoc non arripuisse causa malevolentiæ meæ vel alienæ, sed solo rigore et amore justitiæ, in tantum ut, si aliter fieri non possit, malim hominum incurrere malevolentiam quam legem Dei mei derelinquere. Quadam tamen conditione condescendam petitioni vestræ, si uterque juraverit quod ante finitam causam a carnali conjunctione se immunes custodiant; alioquin satagendum est mihi, ut mortuum jam quatriduanum longe lateque fetentem (*Joan.* XI) crebra admonitione de inferno inferiori valeam evocare (*Psal.* LXXXV). Valete.

EPISTOLA VI.

Ivo, *Dei gratia, quamvis indignus Carnotensium episcopus*, GERARDO [al. GIRARDO; al. GERALDO] *dilecto sibi in Christo, salutem.*

Apices tuæ charitatis in me nuntios per præsentium latorem nuper accepi, quibus quæ mihi pax apud vicinos, quæ gratia apud principes diligenter inquisisti. Instrumentum etiam nivei candoris ad ordinandos capillos in idipsum charitatis signum transmisisti. Quod cum mihi placeat in suo genere quantum hujusmodi placere debent propter exteriorem pulchritudinem, vehementius tamen placet propter pulchri sacramenti interiorem celsitudinem. Nam cum in capillis inordinati mores, vel inordinati populi quadam comparatione possint intelligi, credo prudentiam tuam munusculo B hoc quasi quodam monitorio vigilantiam meam excitare, ut studeam inordinatos populorum mores diversis exhortationum modis componere, atque habito discretionis moderamine ad debitum ordinem revocare. Quid vero ipso instrumenti decore, quod longa lima et longa politura ad hunc candorem perductum est, significare videris, nisi ut castigem corpus meum et in servitutem redigam, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus fiam? (*I Cor.* IX,) Rogo itaque te per ipsa charitatis viscera, quæ visitare me dignata est quo modo voluit aut valuit fraternitas tua, ut, quemadmodum [*al.* ut quomodo] prædictis benevolentiæ signis cogis nos habere memoriam tui frequentem, sic in orationibus tuis habeas C frequentem memoriam nostri. Vestræ enim orationes quanto quietiores, tanto saniores. Nostræ vero et si non sauciæ, tamen propter instantes necessitudines (*a*), et sæcularium negotiorum tumultus, sæpe sunt perturbatæ. Perturbationis vero meæ causas et si non nosti per experientiam, nosti tamen per scientiam. Nam qui in modico flumine ad regendam modicam navem prius nulla ratione prævalebam, quomodo nunc quasi de portu tranquillitatis eductus et in altitudinem maris deductus, ad regendam tam ponderosam tamque naufragosam navem sufficiam? Quod si meruissem præsentiam tuam, sicut Lugduni te rogaveram, per prudentiam consilii tui, et per gratiam quam habes in oculis civium nostrorum, multa perfecisset divina Clementia, quæ attingere nondum D audet imbecillitas mea. Itaque pulsando insto, instando pulso, ut, quæsita opportunitate, nos tuæ visitationis consolatione lætifices, quod et saluti multorum proderit, et proposito tuæ sanctitatis non oberit. Prospera autem nostra et adversa de quibus quæsisti, sic modificat medicinalis Dei sapientia ut nec frangi permittat adversitate, neque extolli prosperitate, quatenus dicere possimus cum Apostolo : *Fidelis Deus, qui non permittit nos tentari supra id quod possumus sustinere* (*I Cor.* X). Pauci tamen calcaneum meum observant, sed, Deo miserante, plures sunt, qui matutini exitus

(*a*) *Al.* necessitates. Hac de re conqueritur, epist. 19.

et vesperæ lætificari desiderant (*Psal.* XLV). Pædagogus (*a*) ille ab officio pastoris et nomine procul pulsus, jam non habet unde lac et lanas ovium perditarum diripiat, præterquam quod in Northmannia præposituram quamdam Ecclesiæ nostræ, auxilio insulsi comitis terræ illius sibi usurpat et devastat. Vale.

EPISTOLA VII.

Ivo, *Dei gratia Carnotensium humilis episcopus*, Roscelino *non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.*

Si esses ovis centesima in deserto perdita, sed gregi jam reddita (*Luc.* XV ; *Matth.* XVIII), sicut exarserat in te zelus meus quandiu te intellexi aversum et adversum, sic requiesceret in te spiritus meus, si te cognoscerem ad doctrinam sanam conversum et reversum. Sed quia scio te post concilium Suessionense in auribus quorumdam quos mecum bene nosti, pristinam sententiam tuam clandestinis disputationibus studiosissime **4** defendisse, et eamdem quam abjuraveras, et alias non minus insanas persuadere voluisse, non potest intrare in cor meum quod adhuc fidem tuam correxeris, quod mores in melius commutaveris. Si ergo ex hac occasione te afflixit, et rebus tuis nudavit quorumdam violentorum rapax avaritia, non hoc ex se fecit injusta eorum violentia, sed justa et correctioni [correptioni] tuæ consulens Dei sapientia, faciens etiam per malos, quamvis nescientes, bona sua, cujus vestem scindere conabaris rationibus humanis armata, sed tamen infecunda facundia (epist. 207). Cum vero multis exemplis ethici tractatoris veram constet esse sententiam :

Quo semel est imbuta recens servabit odorem
Testa diu.

Horatius, lib. I, epist, 3.

non tamen propter me timerem vel horrerem præsentiam tuam, de te sperans meliora et saluti viciniora. Sed quidam cives nostri ad cognoscendam vitam alienam curiosi, quamvis ad corrigendam suam desidiosi, te quidem odibilem, me vero propter te suspectum haberent ; et, audito nomine tuo et pristina conversatione tua, more suo subito ad lapides convolarent, et lapidum aggere obrutum præfocarent (*a*). Interim igitur consulo tibi ut assumpta patientia beati Job, quamvis longe impar, cum eo tamen dicas : « Sustinebo iram Dei, quoniam merui, donec justificet causam meam (*Job* VI). » Testificor enim tibi, si conversus ingemueris, et in simplicitate fidei degere volens, a vanitate carnalis sensus tui detumueris, non deerunt tibi ubera divinæ consolationis [*sic vett. codd.* ; *antea,* verba div. cons.], et mater Ecclesia quæ devium exasperavit paterna severitate, correctum assumet materna pietate. Restat igitur ut palinodiam scribas, et recantatis opprobriis vestem Domini tui, quam publice scindebas, publice resarcias, quatenus sicut multis exemplum erroris fuisti, sic de cætero fias exemplum correctionis [correptionis] (*c*). Sic enim bono odore præcedente, et pristinum fetorem consumente, et a nobis et ab aliis diligi et colligi, et beneficiis poteris ampliari.

EPISTOLA VIII.

Richerio, *Dei gratia, Senonensi archiepiscopo,* Ivo *per eamdem gratiam Petri* (d) *manibus Ecclesiæ Carnotensi consecratus et delegatus episcopus, a Romanæ Ecclesiæ pace non discedere, et si quid aliter sapuit, valde velociter* [*celeriter*] *resipiscere.*

Litteras contumeliosas et amaritudinis plenas sigillo vestro signatas, et nomine [vestro, *v. c.*] titulatas, a quibusdam clericis nuper accepi ; in quibus primo depressionem [*unus v. c.* reprehensionem] meam et falsas criminum objectiones in me factas, postremo sedis apostolicæ majestatem non leviter læsam mecum vehementer indolui. Cum enim ut pacem haberetis, et in filium susciperetis apostolica auctoritate (epist. 2) fuissetis [fuisses, *Bar.*] commonitus, nec ut fratrem salutastis me in litteris illis, nec ut coepiscopum, qui nullum vobis coepiscopi adjutorium, vel filii denegavi [abnegavit, *Bar*,] obsequium. Cur igitur alienigenam ad judicium vocatis, cur obedientiæ vinculis astringitis, quem nec suffraganeum, nec collegam esse cognoscitis ? Huic injuriæ meæ graviorem superadditis, quod demembratorem metropolitanæ sedis non apte satis appellatis. Nam cum ramus aridus, qui in radice arboris matris nunquam coaluit, nec in se virens fructum fecit, magni cultoris manu excisus esset (*e*) ; eadem manus quæ ramum præmortuum excidit, me non ad demembrationem, sed ad supplendum locum indemortui [demortui], eidem arbori, quantum in se erat, inseruit, quia [quæ, *Bar.*] hoc et cum aliqua spe fructus et sine vulnere matris arboris posse fieri existimavit [*v. c.* æstimavit]. Cui ergo sine vestra contradictione licuit quod nocebat excidere, quæ ratio impedit ut ei non liceat quod profuturum sperabat inserere ? Dicitis etiam [enim, *v. c.*] in litteris illis me sedem invasisse Gaufridi coepiscopi vestri, in quo manifeste contra sedem apostolicam caput erigitis, dum quod illa ædificat, vos, quantum in vobis est, destruitis, et quod illa destruxit vos ædificare contenditis ; cujus judiciis et constitutionibus obviare, plane est hæreticæ pravitatis notam incurrere, cum Scriptura dicat : « Hæreticum esse constat, qui Romanæ Ecclesiæ non concordat. » (*can. Nolite, dist.* 11.) Præterea [*deest in Bar.*] famæ vestræ non bene consulitis, qui caprum emissarium, cujus adulteria, fornicationes, perjuria, proditiones, per omnem ferme Latinam Ecclesiam publicatæ sunt, qui pro his et aliis similibus a sede apostolica dam-

(*a*) Pædogogi nomen in deteriorem sensum accipit ut epist. 98, et intelligitur Gaufridus de quo epist. 1.

(*b*) Idem locus, epist. 34, et 108 et 240, ex S. August., lib. 10, Confess.

(*c*) Similis locus, epist. 141.

(*d*) Id est, Urbani papæ, ut supra, epist. 1.

(*e*) Gaufridus de quo epist. 1 ; quem etiam videtur appellare inimicum hominem, epist. 12.

natus est,ita ut,se purgare non valens, virgam pastoralem redderet et annulum, de quo apostolicum accepistis decretum in hæc verba (*sup.* epist. 1) : « Quicunque Gaufridum depositum deinceps juverit ad infestandum vel reinvadendum Carnotensem episcopatum, excommunicatum eum esse censemus, » adhuc episcopum vocare, in episcopum reformare contenditis : cujus malefacta defendere, quid est aliud nisi similem damnationis sententiam in se provocare? Cum enim,secundum Apostolum, satis sit ad damnationem peccatis alienis consentire,cur non magis sufficiet eadem fovere et defendere ? Neque enim in hoc protegit vos clypeus ignorantiæ,cum hæc, (sicut dixi,) nota sint non tantum Ecclesiis Lugdunensis Galliæ, sed omnibus ferme Ecclesiis Latinæ linguæ.Est et aliud in litteris illis, in quo evidentissime et irreverentissime os vestrum posuistis in cœlum,et lingua vestra transivit in terra (*Psal.* LXXII),cum benedictionem per manus impositionem papæ datam et cardinalium Romanæ Ecclesiæ, non simpliciter benedictionem, sed « qualemcunque » hostili irrisione appellastis (*a*); cum ad ipsam principaliter et generalissime pertineat,tam metropolitanorum, quam cæterorum episcoporum consecrationem[consecrationes,*v. c. Bar.*]confirmare vel infirmare, constitutiones vestras et judicia retractare,suas vero inconcussas retinere,et nullius inferioris judicio retractandas vel corrigendas concedere.Sic enim de non infirmandis apostolicæ sedis judiciis scribit papa Gelasius in epistola Fausto magistro directa (*b*),de justa depositione Acatii : « Nobis opponunt canones, dum nesciunt quid loquantur.Contra quos hoc ipso [hinc ipsi,*v.c.sed* hoc ipso *melius est*] venire se produnt,quod primæ sedi sana rectaque suadenti parere diffugiunt. Ipsi sunt canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus sedis examen voluere deferri,ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt,ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare,ipsam ad nullius commeare judicium,nec de ejus unquam præceperunt judicio judicari, sententiamque illius constituerunt non (*c*) oportere dissolvi,cujus potius sequenda decreta mandaverunt. » Et paulo post : « Qua traditione majorum apostolicam **5** sedem in judicium vocant ? » Et item : « Viderint ergo si alios habent canones,quibus suas ineptias exsequantur.Cæterum isti qui sacri,qni ecclesiastici,qui legitimi celebrantur,sedem apostolicam ad judicium vocare non possunt. » Item Gregorius in epistola de Aldrico Cenomanensi [*al.*Cenomannensi] episcopo ad Gallias directa : « Nullus Aldricum [ante hæc] judicet,aut judicare præsumat.Sed si quid,quod absit ! grave intolerandumque ei objectum fuerit, nostra erit exspectanda censura,ut nihil prius de eo qui ad sinum sanctæ Romanæ confugit Ecclesiæ,ejusque implorat auxilium,decernatur,quam ab ejus Ecclesiæ fuerit præceptum auctoritate, quæ vices suas ita aliis impertivit Ecclesiis ut sint in partem vocatæ sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Proinde dilectio vestra quorum devotione gaudemus, jungat curam suam dispositionibus nostris. » Et post plura : « Nec pigeat forte aut pudeat nostris obedire mandatis,aut apostolicæ sedis obsecundare præceptis,quia humilibus datur gratia [qui humilibus dat gratiam,*Bar.*],non superbis.Nam nulli fas est velle vel posse transgredi apostolicæ sedis præcepta, nec nostræ dispositionis ministerium,quod vestram sequi oportet charitatem. Sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus, quisquis [*al. in v. c.*, quisque, vel quicunque] apostolicis voluerit contraire decretis (cap. 5, *Nulli*, dist. 19), nec locum deinceps inter sacerdotes habeat, sed extorris a sancto fiat ministerio, nec de ejus judicio postea quisque curam habeat, quoniam jam damnatus a sancta et apostolica Ecclesia ac auctoritate, pro sua inobedientia atque præsumptione a quoquam esse non dubitatur. » Inobedientem me quoque litteræ vestræ non recte accusant, quia, cum obediturum me paternitati vestræ litteræ Domni papæ commendaverint (*sup.* epist. 2), nulla a me paterna vestra admonitio refutata est, quia nec audita. Quod aliunde me expetisse benedictionem calumniamini,veritate teste verum dicam, quia [quod] nec episcopatum nec benedictionem episcopalem a vobis petii,nec a quoquam [*ita plures,v. c., in aliis* nec ab aliquo].Sed cum clericorum primo ingenio,postea violentia regi fuissem præsentatus,et inde cum virga pastorali a rege mihi intrusa ad ecclesiam Carnotensem adductus, (*d*) cumque,clericis petentibus et pulsantibus, nullum diem consecrationis meæ velletis præfigere,interea consilium mihi fuit electioni eorum non omnimode [*al.* omnimodo] assensum præbere, donec certus fierem et de Gaufridi depositione, et summi pontificis voluntate, ad quem cum pervenissem,ad petitionem Ecclesiæ Carnotensis apostolica auctoritate sum constrictus, et ita in episcopum consecratus. His et hujusmodi tam rationibus quam auctoritatibus munitus,licet irritatus magis quam canonice vocatus,licet tam in me quam in capite meo et vestro,si tamen vestro [Urbano],injuriam passus; tamen paratus ero tempore opportuno et loco tuto intra Senonensem provinciam, vel etiam Stampis (*e*), si conductum tutum,comitem videlicet Stephanum ex parte domini nostri regis et vestra propter circumstantes inimicos habuero : paratus, inquam ero, vobis occurrere, et quantum salva reverentia sedis

(*a*) Hac de re etiam conqueritur,in epist. 12.

(*b*) Gelasius Fausto legato.Vide canones sub causa 9, q. 3. *Ipsi sunt.*

(*c*) *Non*, abundat in v. c., sed in epistola Gelasii reperitur.

(*d*) Idem fatetur se ad solium principum fuisse elevatum per manum Philippi regis ep. 22. De jure virgæ agit epist. 60.

(*e*) Infra, epist, 12, dicit se inordinate fuisse Stampis accusatum de ordinatione ab Urbano accepta.

A apostolicæ licuerit, objectionibus vestris respondere, ad cujus audientiam aliquando forsitan oportebit ista [*ul.* nos ista] referre. Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat cor vestrum et intelligentiam vestram [*al.* et animam vestram], ut obedientia vestra prælatis vestris exhibita, nos vobis obedientes exhibeat et devote subjectos.

EPISTOLA IX.

PHILIPPO (*a*), *Dei gratia magnifico Francorum regi domino suo*, Ivo *humilis Carnotensium episcopus* [al. *minister*] *ab eo salvari qui dat salutem regibus.*

Cum testem factorum meorum circumspicio conscientiam meam, vehementer admiror, quia nihil in me reperio cur pia lenitas vestra atque regia man-
B suetudo in tantam adversus me conversa sit amaritudinem ut a vestra serenitate nullum audiam nuntium bonum, nihil audiam nisi verbum asperum. Quod enim inter Beccences et Molismenses monachos (*b*) quantulamcunque pacem pro tempore feci nullam Beccensibus in hoc violentiam intuli. Sed abbas Beccensis cognoscens et erubescens inordinatam spoliationem factam Molismensibus a quibusdam neophitis monachis suis, multum me rogavit, ut vel pacem inter eos componerem, vel juste inter eos decernerem. Sed ego propter reverentiam vestram judicium interim distuli, et gratis oblata portione victualium suorum ab ipso abbate, quæ Molismenses repetebant, jurgia quæ inter eos erant, pro ipsius abbatis charitate mitigavi. Qua de
C re non decuit humilitati meæ succensere sublimitatem vestram, quia in ipsos spoliatores etiam ab inordinata invasione desistere coegissem, majestatem tamen regiam [vestram tamen majestatem regiam, *v. c.*] nullatenus offendissem. Sicut enim est regiæ potestatis civilia jura servare, et eorum transgressores debita pœna multare, sic episcopalis officii est ecclesiasticas institutiones subditis servandas imponere, et transgressores eorum paterna severitate ad debitum ordinem revocare. Abscindantur [*vett. codd.* abscidantur] itaque qui serenitatem vestram conturbant, quorum persuasionibus si acquieveritis, nec per vias justitiæ incedetis, nec ad gaudia patriæ cœlestis pervenire valebitis. Quicunque autem illi sunt, si conductum horum mihi et
D his qui mecum sunt miseritis, ut securi simus in eundo et redeundo, et apud vos morando, paratus sum in præsentia vestra omnibus æmulorum meorum objectionibus respondere, et injunctas eorum [*in uno v. c.* cæcorum] calumnias irrefragabili ratione confutare. Nostis enim quantos inimicos habeam pro justitia maxime in patria ista, et in curia vestra. Bene valete, et sacerdotem vestrum nolite impedire quominus pro incolumitate vestra possit orare.

(*a*) Philippo I, Henrici regis filio.
(*b*) Confer. epist. 39.

EPISTOLA X.

Ivo, *Dei gratia, Carnotensium episcopus, virginibus in Dunensi monasterio* [al. *cœnobio*] *sancti Aviti Deo devotis, in virginitatis proposito placere virginum Sponso.*

Gloriosum nomen virginitatis, sed gloriosior est fructus. Cum enim justus quisque Domini sui vestigia jubeatur sequi qua poterit, de virginibus legitur quia *sequuntur Agnum quocunque ierit* (*Apoc.* XIV, 4). Et cum unusquisque gradus conjugatorum vel continentium semper habeat de perpetrata carnis corruptione quod defleat, virginitas intemerata semper habet in Auctore suo quo gaudeat. Cujus quanto 6 superior [est, *v. c.*] gradus, tanto gravior est casus. Cui perseveranti quanto felicior [facilior, *v. c.*] (*c*) et suprema speranda est glorificatio, tanto cadenti miserior et extrema timenda damnatio. Virginitas supernæ civitatis est virtus, supernorum civium decus, ubi non habet quis de integritate quod perdat, de corruptione quod doleat. Quam quisquis in hac mortalitate studiosius æmulabitur, eo familiarius Sponsi virginum visitatione et charitate delectabitur; ut autem probetis hanc paradisi esse virtutem, mementote quia primi parentes hanc ante peccatum in paradiso servaverunt, post lapsum facti exsules in terris amiserunt. Nam quia suæ civitatis munimenta projecerunt, ab antiquo hoste facile expugnati, et in hujus exsilii ærumnas expulsi, ejusdem civitatis ornamenta merito perdiderunt. Ut ergo valeatis de exsilio ad patriam repedare, ejusdem patriæ munimentis vos munite, ejusdem ornamentis vos ornate, quo et antiqui hostis callida tentamenta fortiter respuatis, et immortali Sponso, cui integritatem corporum vestrorum devovistis, complacere valeatis. Christo enim vovistis nubere, non clericis. Christo vovistis nubere, non sæcularium hominum colloquia frequentare. Ad hoc enim vobis septa monasterii facta sunt, ne mundi amatores intra castra mundum fugientium recipiatis, ne ad publicum prodeatis, ac de corporali mundi visione, tractis introrsum fœdis imaginibus atque expugnata intus virginitate, corpus quoque corruptioni subjici permittatis. Quomodo ergo pudicitiam servare valebitis, quæ cum impudicis hominibus miscere colloquia publica vel privata quotidiano usu laboratis? legistis enim: *Corrumpunt mores bonos confabulationes pessimæ* (*I Cor.* XV). Non enim beata Virgo Maria, cujus vita Christi virginibus specialis [*sic in vett. codd.; antea* spiritualis] est forma proposita, residebat in publico, nec procorum delectabatur colloquio, quando est ab angelo salutata, quando est Spiritu sancto obumbrata et mater Salvatoris effecta. Sic reliquæ sanctæ mulieres, quæ in proposito sanctitatis Deo placere voluerunt, virorum colloquia respuerunt, præter eos, quorum necessitatibus aliquando de sua substantia charitate

(*c*) Sed lectio quæ est in textu, rectior.

monente ministraverunt, vel a quibus sanctæ exhortationis gratiam percipere meruerunt, non (*a*) autem aliquando carnis amatoribus pretiosa veste, vel fucata facie, non gestu lubrico, vel soluto incessu placere studuerunt; immortalis etenim Sponsus in interiori homine vestro imputribilem quærit pulchritudinem, non exterioris hominis pulchram putredinem [putre pulchritudinem, *v. c.*]. Sic enim de sponsa Christi legitis [legistis, *v. c.*] in psalmo: *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus* (*Psal.* XLIV). Christi ergo virginem primum decet cordis humilitas, facies pallida macieque confecta, cutis cilicio squalida, non balneis frequentibus accurata, in loquendo verecundia, in audiendo obedientia, in cibo parcitas, in potu sobrietas, in incessu gravitas, in veste vilitas, non dissolutæ mentis nutrix et index B prodigalitas, ut in his omnibus non voluptati serviatur, sed necessitati. Sicut enim bona domus in ipso vestibulo agnoscitur, sic religiosæ mentis habitus his signis foris agnoscitur, et eisdem ad contemptum sui quotidianis profectibus eruditur (AMBROS. lib. *De virg.* II). Quanto enim quisque vilior est in oculis suis, tanto sublimior est in oculis Conditoris. Oportet quoque ut semper sitis intentæ orationi, aut lectioni, aut operi, ut diabolus vos inveniat occupatas (S. HIER. in c. *Nunquam*, dist. 5), nec mentes vestras nocuis et vagis [*al.* nocivis *vel* lascivis] cogitationibus expositas. Iste enim mos legitur fuisse in monasteriis Ægyptiorum, ut neminem reciperent qui nollet operi operam dare (S. HIERON. *epist ad Rustic.*, et EPIPHAN. mon. hæresi 80), non propter necessitatem, sed propter vitandam C otiositatem, quæ inimica est animæ. Ad hæc fortasse dicturæ estis, quod dixerunt quidem a Domino recedentes, et post Satanam abeuntes: *Durus est hic sermo* (*Joan.* VI). Non potest talia pati nostra ætas, non potest ferre nostra ingenuitas. Quibus respondeo: Quæ vestrum nobilior beata Cæcilia, quæ cilicio membra domabat? Quæ vestrum Agnete beatissima tenerior, quæ non solum conjugium nobilium sprevit, sed sicut ipsa de se dicit, carnis spurcitias immaculato calle transivit? Plena sunt exemplis religiosarum et religiosorum sæcula, qui in omni conditione, in omni sexu, in omni ætate supra dictis modis Domino placuerunt. Quare ergo vos non poteritis in Patre luminum, quod isti et istæ potuerunt? Est aliud quod fortasse vel tacita cogitatione D proponetis: si familiaribus nostris denegaverimus consueta colloquia, et ipsi denegabunt nobis solita obsequia, subtrahent nobis necessaria subsidia. Ad quod ego vobis ex apostolica voce promitto, quod *fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis* sustinere (*I Cor.* X), sed parabit vobis pro uno carnali amatore centum spirituales ama-

(*a*) *Non* deest in v. c.
(*b*) Al. *copulata.* Augustinus in psal. LXXXIII; et canon. Quæ Christo c. 27, q. 1.
(*c*) Idem reprehendit in sanctimonialibus cœnobii Sanctæ Faræ, epist. 70.

A tores, per quos vobis necessaria ministrabit, et res monasterii vestri tutas et incolumes conservabit. Si enim aliqua vestrum esset alicui nuptiali fœdere sociata (*b*) et ad alium transiret nonne adultera judicaretur? nonne capitali sententia a judicibus puniretur? Quanto magis putatis eam majora mereri supplicia, quæ, spretis castis immortalis Sponsi nuptiis, amorem suum cuiquam carnaliter impendit? Hoc [hæc] considerantes charissimæ immortali Sponso adhærere, totum amorem vestrum illi impendite, famæ vestræ, quam ex parte maculastis de cætero consulite, ne compellar ad vos quandoque in virga venire, et inveniam vos quales nolo, et vos me inveniatis qualem non vultis (*c*). Volo autem et præcipio in summa obedientia, ut omni hebdomada semel in conventu vestro legatur hæc epistola, quatenus ea quæ inhonesta sunt, sollicite cavere discatis, et quæ honesta (*d*) sunt et saluti vestræ congrua, alacriter et fortiter observare studeatis. Bene valete.

EPISTOLA XI.

IVO, *humilis Carnotensium episcopus* GONTHERIO (al. GUNHERIO. V. C.) *fratri et compresbytero ascendenti a convalle lacrymarum, intense cantare canticum graduum.*

Gaudeo te quasi postliminio rediisse, gratias agens protectori nostro, cujus misericordia te protexit etiam per marina discrimina. Nunc ergo quia incolumis es redditus fratribus tuis, licet desiderio internæ quietis omnibus prodesse non possis, tamen vel paucis prodesse non graveris. Unde moneo fraternitatem tuam, ut ad ecclesiam Gornacensem beatæ semper Virginis transeas, ubi et desideratæ quieti vacare, et aliquorum fratrum saluti poteris providere. De cætero ora pro me, 7 frater charissime, ne remigantem in altitudine maris tempestas submerget me. Vale.

EPISTOLA XII.

Reverendissimo Patri Patrum URBANO, *fidelissimus ejus filius* IVO *Carnotensium dictus episcopus, non deficere in tribulationibus.*

Quoniam per sacram vestræ manus (*e*) impositionem, de stercore erectum divina providentia suæ messis ordinavit operarium; in ipsa Dei agricultura [agri Dei cultura, *v. c.*] exercenda, quantum valeo, me moveo, sed tanquam formicino gressu incedens, præpediente imbecillitate mea, non quantum volo [valeo, *v. c.*] promoveo; in erogando verbi semine, curam, prout divina gratia subministrat, adhibeo. Sed quia messis multa est, et ab inimico homine (*f*) multum zizaniorum prius seminatum vel superseminatum est (*Matth.* XIII; *Luc.* III), paucos fructus ex meo labore capere me sentio. Timens igitur tricticum eradicare cum dolio, et tanquam de

(*d*) Deest in v. c.
(*e*) Ab Urbano enim Romæ fuit consecratus episcopus. sup. epist. 2 et 8.
(*f*) Videtur autem subintelligere Gaufridum de quo epist. 1 et 2, cujus crimina designat, epist. 8.

discretione prudentis agricolæ mihi blandiens multa tolero, multa dissimulo. Sed rursus [rursum, *v. c.*], utrum hoc sit virtus discretionis, vel vitium [*al.*, an vitium] remissionis (*a*) sub specie virtutis occurrentis, non satis acute distinguo. In qua mentis anxietate, cum divinum a me studiosius imploretur auxilium, insufficientiæ meæ necessarium ac debitum a vestra paternitate piæ orationis imploro suffragium. Neque enim aliqua ratione hoc onus subire voluissem, nisi vestra præmonuisset sanctitas, nisi ut id ipsum subirem vestra perfecisset auctoritas. Paterne igitur filio uteri vestri consulite, paterne succurrite, ut si quid per me divina manus dignata fuerit operari, non meæ parvitati, sed vestræ post Deum [Dominum] ascribatur sanctitati. Multa enim inordinata fieri video in domo Dei quæ me torquent, maxime quod apud nos qui altari [*al.*, altario *v. c.*] non serviunt, de altari vivunt (*I Cor.* IX). A quo sacrilegio, cum eos absterrere velim monendo, increpando, excommunicando, altaria a me redimere volunt sub nomine personæ, sicut a prædecessoribus meis (*b*) ex prava consuetudine redemerunt. In quo maxime indigeo consilio vestro, si id tolerabile vobis videtur, vel auxilio, si id intolerabile judicatur. Cætera quidem tolerabilia vel corrigibilia mihi in parochia nostra videntur, si hoc consilio vestro et auxilio ad ordinem redigi cogeretur. De cætero notum facio beatitudini vestræ quod Senonensis archiepiscopus [Richerius, *ex epist.* 2 *et* 8] consilio Parisiensis episcopi infatuatus, adhibito sibi [*al.*, secum] eodem Parisiensi episcopo, et duobus aliis non dissimilis vecordiæ, Meldensi et Trecassino, hoc anno Stampis de ordinatione, quam a vobis acceperam, me inordinate satis accusavit, dicens me in majestatem regiam offendisse [deliquisse, *v. c.*], qui a sede apostolica consecrationem præsumpseram accepisse. Cum itaque conarentur Gaufridum depositum (*c*) contra decretum vestrum in statum pristinum reformare, et in me depositionis sententiam proferre, sedem apostolicam appellavi, et decretis apostolicis, quamvis ea non nisi in futurum timerent, a sua præsumptione revocavi, appellationem tamen nec prosequi taxaverunt, nec plenam pacem mecum habere voluerunt. Unde necessarium mihi videtur, ut litteras communes tam archiepiscopo quam suffraganeis mittatis, quatenus aut plenam mecum pacem habeant, aut præsentiam vestram, rationem inde reddituri, mecum adeant. Suggero etiam paternitati vestræ (*d*) ut partibus nostris ordinetis aliquem legatum, virum boni testimonii, qui non sua quærat, sed quæ Jesu Christi (*Phil.* II) (*e*). Necessarius enim esset Ecclesiæ Dei, in qua quilibet quodlibet audet, et quod audet facit, et quod facit impunitum transit (*f*). Adversa an prospera erga vos sint (*g*), speciali [*male antea*, spirituali] filio vestro mandate, quatenus quantum Dei donaverit, orare studeamus ut si prospera sunt firmentur, si vero adversa pellantur. Si venerit ad vos quidam propter infamiam de ecclesia nostra pulsus, rogo ne de eo quidquam statuatur, donec a vobis causa ejus plenius audiatur. Bene valeat, sanctitas vestra.

EPISTOLA XIII

RAINALDO [al., RAINOLDO, v. c., vel RAMNALDO] *reverendo Remorum archiepiscopo*, Ivo *humilis Carnotensium episcopus, consolationis visceribus abundare.*

Expertus quantum sit periculum prælatorum, juxta quod in psalmo legitur: *Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis, ipsi viderunt mirabilia in profundo; ascendunt ad cælos, et descendunt usque ab abyssos, anima eorum in malis tabescebat. Turbati sunt et moti sunt sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est* (*Psal.* CVII). In quo per me minus sapio, vestro cæterorumque consilio prudentium informari vel confirmari desidero. Nuper enim cum a domino nostro rege fuissem invitatus [*al.*, evocatus] ad colloquium, quorumdam malevolorum meorum suggestione obnixe me rogavit, ut essem ei adjutor in celebrandis nuptiis quas facere disponebat, de Bertreda [*al.*, Bertrada] dicta conjuge comitis Andegavensis (*h*). Ad quod cum respondissem non ita oportere fieri, quopiam nondum esset causa diffinita inter ipsum et uxorem ejus, testatus est pleniter diffinitam esse apostolica auctoritate, et vestra vestrorumque coepiscoporum laudatione. Quo audito, respondi me hoc ignorare, nec hujusmodi nuptiis velle interesse, nisi vos earum essetis consecrator et auctor, et coepiscopi vestri assertores et cooperatores, quoniam id competit juri Ecclesiæ vestræ ex apostolica auctoritate et antiqua consuetudine. Quoniam igitur confido de religione vestra, nihil vos de re periculosa, et famæ vestræ et honestati totius regni tam perniciosa facturum dicturumve, quod non auctoritate vel ratione nitatur, studiosissime et devotissime obsecro charitatem vestram, ut mihi fluctuanti veritatem hujus rei quam scitis, aperiatis, et sanum consilium licet arduum et asperum super hoc præbeatis. Malo enim perpetuo officio et nomine episcopi carere, quam pusillum gregem Domini mei legis prævaricatione scandalizare. Sunt etiam latentes causæ, quas interim tacere me convenit, propter quas hoc matrimonium laudare non possim [*al.*, possum]. Valete.

(*a*) Desunt in *v. c.*
(*b*) *Al.*, ab antecessorib. Huc spectant verba concilii Arvernensis relata in cap. *Quæsitum*, can. 1. q. 3,
(*c*) Ex episcop. dicit epist. 49.
(*d*) Deest in *v. c.*
(*e*) Confer epist. 109.
(*f*) Idem loc. epist. 66.
(*g*) Ita *v. c.* ut etiam in titulo epist. 25.
(*h*) Fulconis consanguinei sui, ut dicit epist. 211: easdem nuptias improbat epist. 14, 15, 19 et 25.

EPISTOLA XIV.

Archiepiscopis et episcopis ad regales nuptias invitatis, Ivo *humilis* (*a*) *Carnotensis Ecclesiæ minister cum spiritu consilii spiritum habere fortitudinis.*

Exemplar litterarum, quas misi domino nostro regi,charitati vestræ transmitto,ut eamdem causam me habere sciatis quam et vos habetis, cur nuptiis, ad quas vocati estis, subtrahere vos debetis. Vos igitur qui convenistis,nolite fieri *canes muti*(*b*)*latrare non valentes* (*Isa.* LVI), sed sicut boni speculatores videntes *gladium venientem super terram, buccina insonate* (*Ezech.* XXXIII), ut, cum feceritis quod debetis, vestras animas,et eorum qui ad vocem buccinæ se observaverint,vobiscum liberetis.Exemplar autem hoc est.

EPISTOLA XV.

Domino suo PHILIPPO *magnifico Francorum regi*, Ivo *humilis Carnotensium episcopus, sic militare in regno terreno, ut non privetur æterno.*

Sicut serenitati vestræ dixi præsens ante juramentum vestrum,ita nunc scribo absens,quia huic nuptiarum solemnitati ad quam me vocatis interesse nec volo nec valeo,nisi prius generalis (*c*) concilii diffinitione decretum esse cognoscam [agnoscam], inter vos et uxorem vestram legitimum intervenisse divortium, et cum ista quam ducere vultis, legitimum vos inire posse matrimonium. Si autem invitatus fuissem ad hujus rei discussionem in eo loco in quo cum coepiscopis canonicas secure possem conferre sententias,ubi temerariam non timerem multitudinem,libentissime ad hoc venirem, quod lex et justitia dictaret cum audientibus audirem, cum dicentibus dicerem, cum facientibus facerem.Nunc vero quia absolute vocor ut Parisius(*d*) cum uxore vestra veniam, de qua nescio utrum possit esse uxor,propter conscientiam meam,quam coram Deo conservare debeo, et propter famam, quam Christi sacerdotem bonam *habere oportet apud eos qui foris sunt* (*I Tim.* III), malo cum mola asinaria in profundum mergi [*al.*, in profundum maris demergi] (*Marc.* IX), quam per me mentibus infirmorum tanquam cæco offendiculum poni. Nec ista contra fidelitatem vestram,sed pro summa fidelitate dicere me arbitror (*e*),cum hoc et animæ vestræ magnum credam fore detrimentum.et coronæ regni vestri summum periculum.Mementote(*f*)quia primum parentem,quem Dominus universæ visibili creaturæ præfecerat, mulier in paradiso seduxit,et ita uterque a paradiso exsulavit (*Gen.* III). Samson quoque fortissimus per mulierem seductus,fortitudine amissa qua hostes superare solebat, ab hostibus est superatus (*Judic.*XVI). Salomon sapientissimus propter mulierum concupiscentiam a Deo apostatavit,et ita sapientiam qua præcellebat amisit (*III Reg.* XI). Caveatergo sublimitas vestra,ne in horum incidatis exemplum, et ita cum diminutione terreni, regnum amittatis æternum.Consulite ergo Angelum magni consilii (*Isa.* VI), ut accepto ab eo Spiritu consilii, inhonesta et inutilia vitare,honesta et utilia in omnibus negotiis vestris valeatis perficere. Valete

EPISTOLA XVI.

Ivo, *Dei gratia, humilis Carnotensium episcopus,* WATERIO [GALTERIO] *Meldensium episcopo, viriliter stare in agone Christiano.*

Litteris vestris per portitorem præsentium nuper ad me directis, humilitatem meam consuluit vestra fraternitas,utrum quis habere possit eam mulierem in conjugem,quam prius habuit pellicem. Quod idcirco vobis videtur illicitum,quia apud vos hactenus fuit insolitum.Nunc vero dicitis hoc ipsum idcirco venisse in dubium;quod Rogerius (*g*)Romanæ Ecclesiæ legatus Romæ hanc consuetudinem Silvanectis asseruit,et hoc posse fieri beati Augustini sententia confirmavit. De qua re vobis respondemus quia super hoc diversas habemus sententias, alias prohibentes, alias remittentes.Dicit enim beatus Gregorius in epistola ad Felicem Siciliæ episcopum: «Eam quam aliquis aliqua illicita pollutione maculavit,in conjugium ducere nulli Christianorum vel licet vel licebit.» Legitur quoque in concilio Cabilonensi capitulo 24,quia juxta canonicam auctoritatem raptores ad conjugia legitima raptas sibi jure vindicare non possunt. Habemus etiam [et] in decreto Hormisdæ papæ,nuptias occulte factas non esse legitimas et papa Evaristus contubernia conjugia dicit esse illarum mulierum, quæ non sunt a parentibus traditæ,et legibus dotatæ,et a sacerdotibus solemniter benedictæ.Habetur et in concilio Aquisgrani habito (cap. *Placuit*, can. 31, q. 1) :«Qui mulierem rapuerit,vel furatus fuerit, aut seduxerit, nunquam eam uxorem habeat.» Et in hunc modum plurima reperiri possunt.E diverso vero legimus in decretis Eusebii papæ capitulo 5 : « Virgines quæ virginitatem non custodierint,si eosdem,qui eas violaverint,maritos acceperint, eo quod solas nuptias violaverint, post pœnitentiam unius anni reconcilientur.»Dicit quoque B. Augustinus in libro *De bono conjugali* (cap. *Denique*, caus. 1, q. 1): « Posse sane fieri legitimas nuptias ex male conjunctis,honesto postea placito consequente, manifestum est. » Quantum ergo mihi videtur quod quidam Patres concubinas uxores fieri vetuerunt, honestatem conjugii commendantes, et fedam concubinatus consuetudinem coercere cupientes, rigorem justitiæ teneri decreverunt.Quod vero alii aliter scripseruct,hoc intelligo,

(*a*) Desunt in *v. c.*
(*b*) Idem objicit episcopis in fine epist. 25.
(*c*) Vide Annonium monach. Hist. l. VI, c. 50.
(*d*) Antea *Parisium v. c.*, sed *Parisius* legitur in vett. codd., ut etiam epist. 189, et sæpe in aliis scriptoribus illius sæculi.
(*e*) Confer epist. 22.
(*f*) Epist. 28 ; monet eumdem regem, obturare auditum contra sibilum serpentis.
(*g*) Male antea Rogerius, cardinalem appellat. epist. 18.

A quia intuitu misericordiæ quorumdam imbecillitati occurrentes, rigorem canonum temperare maluerunt. In quibus sententiis non alia mihi videtur esse distantia, nisi ea quam inter se habent, judicium et misericordia, quæ toties in unum negotium conveniunt, in discretione rectorum ita consistunt, ut habita consideratione salutis animarum pro qualitate personarum, pro opportunitate locorum et temporum, nunc severitas canonum possit exerceri, nunc indulgentiam, quibus oportebit, impendi (epist. 55). De his hactenus. De eo quod monetis, ut pro pace vobis impetranda, dominum regem suo tempore conveniam, secundum comici (*ex Terent.*) sententiam vobis respondeo: «Quia opus est huic patrono, quem defensorem paras. » Hoc vero vobis consulo, ut B conjugium ejus quod ante factum ratione resistente non laudastis (epist. 13), post factum nec dico nec facto inconsulto approbetis ; sed commune consilium et judicium comprovincialium 9 episcoporum et cæterorum studiose expetatis et longanimiter exspectetis, et si quid adversi pro amore justitiæ vobis acciderit, æquanimiter supportetis, hoc attendendo, *quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII). Valete.

EPISTOLA XVII.

Ivo, *Dei gratia, humilis Carnotensium episcopus dilectis in Christo* [*Deo*] *filiis cum cæteris fratribus*(*a*), *sic boni propositi cursum tenere ut ad bravium supernæ vocationis valeant* [*al.* valeatis *v. c.*] *pervenire.*

C Quæcunque diversa vel adversa de me vobis rumor popularis aspergat, firma stat anchora spei meæ, fidelem habens Deum, qui omnes tentationes meas pusillanimitati meæ contemperat, et ad tolerandum fortitudinem præstat. Unde si aliquando ex humana infirmitate volitante fama, aliquorum periculorum comminatione perturbor, disceptat adversum me(*b*) ratio mea, et si non his verbis, hac tamen sententia: *Qare tristis es, anima mea? qvare conturbas me?* (*Psal.* XLII.) Qui nunquam defuit tibi, nusquam [*al.*, nunquid] deerit tibi Deus tuus salutare tuum. Quid est [tibi. *v. c.*] episcopatus, nisi cruciatus ? Quid aliud est hic honor, nisi onus ? Quid est [tibi *v. c.*] hæe sublimitas, nisi naufragosa tempestas ? Unde si, inventa honesta occasione, huic oneri te subtraheres, et tibi soli vacares, nullo impediente D stadium hujus vitæ percurrens, ad bravium supernæ vocationis expeditius pervenires. Assume ergo tibi pennas columbæ, et avolabis a molestiis, et requiesces, et inhabitabis in solitudine mentis. Ibi exspectabis eum qui [te *v. c.*] *salvum* te *faciet a pusillanimitate spiritus, et tempestate* (*Psal.* LIV). In hac mea deliberatione, et quadam commodorum et incommodorum veluti libratione, plurimum mihi placet illa sententia, ut summopere optem mihi occasione justitiæ aliquam inferri violentiam, ut exoneratus sarcina pastorali plena amaritudinis fastidiosæ(*c*), plena curæ nubilosæ [fastidiosæ et *v. c.*] vertere me possim quo me invitat honestum otium, plenum dulcedinis non fastidiosæ, plenum securitatis deliciosæ et luminosæ. Sed rursus in hac sententia quodam modo mihi displiceo, timens voluntatem Dei non sequi, sed prævenire meo [*al.* sed convenire meo,] desiderio. Et tandem secure mihi consulit ratio, ut sicut non præveni voluntatem Dei episcopatum ambiendo, sic non præveniam contemnendo, sed voluntati ejus in omnibus obnoxius de manu Domini æquo animo suscipiam prospera et aspera [*al.* et adversa], secundum illud Apostoli : *Nemo nostrum sibi vivit, et nemo nostrum sibi moritur, sed ei qui pro ipsis mortuus est* (*Rom.* XIV). Ideo non audeo manus subtrahere suscepto regimini. Non audeo officium linguæ meæ negare populo Dei, quotidie ad consulta animæ suæ recurrenti, ne plectar pœna servi mali et pigri. Unde oportet me propter spem numerosæ prolis, consortium Liæ nocte mihi suppositæ, licet lippæ, tandiu tolerare, donec post expletionem senarii operis ad amplexus speciosæ Rachel, donante Dei gratia, valeam penetrare. Ligat me etiam charitas cleri, devotio populi, benevolentia principis quæ ita se mihi gratuito contulit, ut etiam comitissa (*d*), me non petente, imo renuente, in manu mea quam sancte spoponderit pro se et pro comite, se mihi omnem fidem servaturos, et in nulla persecutione, quam pro lege Dei patiar, aliquatenus defuturos. De domino autem rege, quod mihi infestus sit, quia nuptiis ejus dicto et scripto calumniam quam debui feci (*supra* epist. 13), scio vos non latere. Propter quod donec hæc procella vertatur in auram, præsentiam meam non valeo [*al.* possum.] vobis exhibere, absens vero exopto et exhortor, ut pacem sectemini et sanctimoniam. Hoc vovistis, hoc debetis, hoc et exhibetis, sed ut exhibeatis magis. Per hoc bono odore diffuso, qui hactenus a vobis processit, et falcultates Ecclesiæ vestræ frequentibus augmentis multiplicabitis, et euntes de virtute in virtutem ut filii pacifici [*al.* pacis.] *in pace in idipsum* dormietis (*Psal.* IV). Nec alia vobis scribere scio, nisi ut quæ a me audistis, et accepistis, et tenuistis, ea indefesse teneatis, et omnes [omnibus. *v. c.*] ad societatem vestram venientes [venientibus *v. c.*] tenenda doceatis. Præcipue vero memores estote communionis vestræ, ne si, quod absit! avaritia in vobis radicem fixerit, apostolicæ conversationis, qua vivere optatis, obliti cum Anania et Saphira apostolica maledictione condemnemini (*Act.* V) Et quia prona est omnis ætas ab adolescentia in malum, adolescentes vestros honestis semper exercitiis intentos, summa diligentia custodite, ut caste nutriti sacris possint ministeriis applicari. Si quis au-

(*a*) In uno *v. c*, interstitium vacuum relictum est; desunt enim propria nomina. Alii antiqui libri notant agi de fratribus Ecclesiæ S. Quintini nempe Belvacensis, ut epist 31. et 32.

(*b*) Deest in *v. c.*

(*c*) Confer loc. epist 19.

(*d*) Carnotensis cujus sæpe meminit.

tem inter vos ambulat inquiete, hunc mihi per epistolam notate, ut congregatis vobis et meo spiritu digna eum possimus severitate corripere, quia non requiescet id eo spiritus meus a quo scandalizatur grex pusillus. Postremo quod monui (*Adi epist.* 32) iterum moneo, ut aliquem substituatis loco meo, non quod velim fraternitatem vestram deserere, sed (si ita divinus ordo se habet) (*a*) ut [ut *deest in v. c.*] aliquando possitis sub eo quem meo consilio vobis præfeceritis, strenue [strenue *deest. in v. c.*] militare. Et quomodocumque res se habeat, vivens vellem de vestra conversatione experimento cognoscere quid boni post mortem meam de vobis sperare audeam. De cætero orate pro me, et quomodo res vestræ se habeant interiores et exteriores, et de incolumitate fratrum mihi rescribite. Valete.

EPISTOLA XVIII.

Ivo, *Dei gratia, humilis Carnotensium episcopus* ROGERIO *sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali, non deviare a vestigiis Petri.*

Quod Simonem de Melfa (*b*) adhuc in adulterio suo perdurantem, sub velamine apostolicæ auctoritatis ab anathematis vinculo relaxare disponitis, quantum in vobis est majestatem apostolicam multum minuitis, et famæ vestræ non bene consulitis; si enim justo anathematis vinculo est ligatus, cum justa vincula non dissolvat nisi vera cordis conversio [confessio, *v. c.*] eo adhuc permanente in crimine, ad persuasionem quamlibet splendidæ personæ quid est hoc anathema destruere nisi seipsum prævaricatorem constituere? Si vero acceptis excusatoriis ejus sacramentis de absentatione (*c*) vestri concilii, præproperam [*cod. put.* perperam] in eum me dedisse sententiam cognoscitis (ut interim taceam quod confessione culpæ vestræ crimen ejus tegitis), huic rationi respondeo, quia nequaquam ex sententia concilii vestri, cui non interfui, cujus scita nec probavi nec audivi, **10** aliquid in eum judicavi. Sed eo sæpe vocato et monito, et bis aut ter indultis spatiis quæ voluit, causam ejus multa mora et multa lima discussi, et eo ad ultimum omnem subterfugiente justitiam, judiciali sententia in eum data ex lege, anathematis eum vinculis alligavi, quandiu pœnitentiæ remedio non deleverit maculam adulterii sui. Post aliquantum vero temporis defuncta conjuge, cui istam quam nunc habet superinduxerat, pulsatus precibus ejus et quorumdam amicorum suorum, cum ei ostium misericordiæ quam flagitabat, rationabiliter operire [aperire *v. c.*] non valerem, dedi ei litteras seriem ejus causæ continentes ad domnum [*quidam cod.* dominum.] papam, ut, cognita veritate, quod inde vellet ordinaret, et mihi remandaret. Hoc responsum exspecto, nec aliter mutabo sententiam, nisi aut ex ore ejus audiam, aut ex litteris

A intelligam. Quod si hoc pertinaciter et non rationabiliter vobis videor facere, paratus sum in capitulo Carnotensi, vel in præsentia domni papæ coram positis universis calumniantibus, legibus in medium datis, justitiæ satisfacere. Valete.

EPISTOLA XIX.

Ivo, *Dei gratia, humilis Carnotensium Ecclesiæ servus,* WILELMO *reverendo abbati Fiscanensis monasterii, non fraudari bravio diurni denarii.*

Magnis honestatis propugnatoribus et turpitudinis oppugnatoribus, Joanni scilicet et Eliæ, assimilare me voluit in litteris vestris vestra fraternitas. Quorum sanctitati quamvis longe impares simus, eorum tamen vestigia, honorare, mirari et imitari quantum donante Deo possumus exoptamus. Unde B non tantum a rege, cujus illicito conjugio contradiximus (epist. 13), verum etiam a quibusdam aliis filiis hujus sæculi, quorum perversitatibus, quantum possumus, reluctamur, bonorum ecclesiasticorum gravia damna perpetimur (*d*). Quorum direptionem lucri majoris compensatione per Dei gratiam longanimiter sustinemus, et majora, si necesse sit, subire parati sumus (*ut sup.* epist. 16), attendentes illud Apostoli; *Quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII); et illud: *Si compatimur, et conregnabimus* (*II Timoth.* II). Et quia jam instant illa tempora periculosa, in quibus impletur quod scriptum est: *Ex abundantia iniquitatis refrigescet charitas multorum* (*Luc.* XXIII): dicendum est petris montium: *Cadite super nos, et abscondite nos* C *ab ira Agni* (*Apoc.* VI). Quod quid est aliud dicere, nisi in fide robustis, et sanctitate sublimibus viris in hac sententia supplicare, nostræ miseriæ misericorditer condescendite, et ne in tentationem inducamur, et iram Dei incurramus, vestris orationibus impetrate. De quibus petris quia vos et in sancta societate vestra plures esse non diffidimus, hanc a vobis apud Deum intercessionem obnixe postulamus, quatenus sic per ignem et aquam transeamus, ut in refrigerium divino ductu educi valeamus. Nos enim publicorum negotiorum tumultibus occupati (*f*), cum ipsis compescendis, tota die laborando sufficere non possimus, internæ quietis suavitatem vix aliquando admittimus. Raro etiam canonicum pensum determinatis horis solvere prævalemus. Vos igitur et cæ- D teri servi Dei, qui velut in portu navigatis, oportet ut nobis orationis manus, quam longe potestis, extendatis, et vobiscum ad optatam requiem perducere studeatis. De cætero, de fratre illo quem absolvi a me postulatis, ut libere eum in monachum suscipere valeatis, hoc vobis respondeo, quia si mores ejus experimento sicut ego nosceretis, nec ligatum nec solutum eum habere curaretis [*al.* quæreretis].

(*a*) Sequentia verba restituta sunt ope veterum codicum.

(*b*) Quidam cod., *Melphaalius Nihelfa*; quod verius censeo. Melfa enim est oppidulum diœcesis Carnot. Vita habet *v. c.*

(*c*) Alias in duob. *v. c. absentione* in alio *absentia.*

(*d*) Vide epist. 12 et 25, in fine.

(*e*) Deest in *v. c.*

(*f*) De quibus conqueritur epist. 6.

Homo enim magnus est in oculis suis, amans primos recubitus in cœnis, primas cathedras in synagogis, salutationes in foro, quamvis mundo renuntiaverit, vanitati vestium studens, locorum mutatione gaudens; ita deses, ut per decem annos non expleverit dimidiam hebdomadam missæ in ordine vicis suæ, qui toties hoc facere conatus est, quoties desideratus honor ei a fratribus delatus non est: toties desivit, quoties locum implendæ vanitatis invenit. Quem si fratres loci absolverint, ego eum non tenebo. Aliter autem hoc facere non valeo. Si ergo adeo vobis charus vel necessarius est frater ille, a confratribus ejus hanc solutionem quærite, quia quidquid sibi licere dicat, sine ulla conditione et stabilitati loci et societati fratrum canonicæ professionis vinculis est alligatus. Vale.

EPISTOLA XX.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis episcopus, clericis et laicis Carnotensibus, salutem.*

Audivi primates urbis vestræ ad invicem conjurasse guerram se facturos adversus vicecomitem pro mea liberatione. Quod nequaquam mea liberatio est, nec [sed *v. c.*] inclusionis meæ non solum exasperatio, sed interminata productio. Quare ne fiat prohibeo, Interdico. Nec [*al.* neque] enim incendiis domorum, deprædationibus pauperum potestis Deum placare, sed vehementer exasperare, sine cujus beneplacito neque vos neque aliquis poterit me liberare. Nolo ergo, ut adversum me implere faciatis aures Dei pauperum clamoribus, lamentis viduarum. Nec [*al*, neque] enim decens est ut qui armis bellicis ad episcopatum non veni, armis bellicis recuperem (*infra* epist. 30), quod non est pastoris, sed invasoris. Si manus Domini tetigit me et adhuc extenta est super me, permittite me solum ebibere miseriam meam, et sustinere iram Dei, donec justificet causam meam, et nolite tribulationem meam aliena cumulare miseria. Decretum est enim mihi non solum includi, vel ecclesiastico honore privari, sed etiam magis mori, quam per me stragem hominum fieri. Moneo igitur vos per supereminentem Christi charitatem, ut neque hoc faciatis neque fieri permittatis. Quod tamen si feceritis, certum est quia nihil proderit vobis, cum detentor meus multos habeat adjutores, et nihil habeat quod ei auferre possitis. Recordamini quod legitur, quia *Petrus servabatur in carcere, oratio autem sine intermissione fiebat ab Ecclesia ab Deum pro eo* (*Act.* XII). Orationibus ergo et severitate ecclesiastica contenti estote; quam si transgressi fueritis, scio quia ne ulterius episcopum habere non vultis. In eo enim quod semel recessistis, sicut exitus approbat, non bene mihi et vobis consuluistis. De cætero ergo contenti estote terminis quos posuerunt patres vestri, ne si his contenti **11** fueritis, quæram liberationem meam eo forsitan modo qui non placeat vobis. Valete. Deus pacis et consolationis [*al.* et dilectionis, *v. c.*] det vobis in hoc negotio et in omnibus aliis recta sapere et facere.

EPISTOLA XXI.

Venerabili Dei gratia, HOELLO (a) *Cenomanensium episcopo,* Ivo *eadem gratia Carnotensium episcopus, in Christi permanere visceribus.*

Gratias ago primum Deo liberatori meo (*b*) in die qua eripuit me de manu [*al.* manibus *v. c.*] omnium inimicorum meorum, et de manu Sul. Dehinc vigilantissimæ charitati vestræ, quæ intensis orationum clamoribus Dominum in navi dormitantem [*al. in multis v. c.* dormientem] suscitavit, quatenus eo increpante ventos et mare, cessaret nubilosa tempestas, et rediret serena tranquillitas (*Marc.* IV). Unde me vobis arctioribus charitatis nexibus [*al.* vinculis] astrinxistis, et inexcusabilem commodorum exsecutorem acquisistis, sed in hoc nubilo mentis meæ plenam adhuc consolationem non habui, quod illi sanctæ lætitiæ, quando corpus beati Juliani translatum est, adhuc in ergastulo clausus interesse non merui. Posset autem vestra fraternitas hanc nubem cordis mei in serenitatem cito convertere, si aliquas illius sancti corporis reliquias parvitati meæ velletis communicare. Non enim inde patrocinium loci vestri minueretur, sed fama et meritum beati confessoris pro mea occasione in Belgica provincia, in qua meritum ejus minus notum est, publicaretur, et festivitas ejus omni anno celebriter coleretur. Mandate igitur [mihi] per fratrem istum cum ad nos redierit, si hoc fieri possit, quatenus vel ad vos mittam, vel ipsemet, si vobis visum fuerit, veniam. Valete.

EPISTOLA XXII.

PHILIPPO *piissimo Francorum regi, domino suo,* Ivo *humilis Carnotensium episcopus, sic gubernare temporale regnum ut non amittat æternum.*

Quoniam præcedente divina gratia de stercore pauper usque ad solium principum (*c*) per manum vestram elevatus sum, fateor me post Deum pro posse meo cuncta vobis debere quæ vestro congruunt honori et saluti. Sed quia exasperatus propter salubres monitus quos serenitati vestræ ex summa fidelitate et charitate direxi (*d*), me diffiduciastis (*e*), et bona episcopalis domus diripienda adversariis nostris exposuistis, gravia et grandia inde perpessus incommoda (*f*), regali curiæ ad præsens nec secure possum interesse nec honeste. Supplico itaque majestati vestræ, ut regia interim me mansuetudine supportetis, donec possim aliquantulum respirare, et damna quæ mihi pene usque ad penuriam panis inflicta sunt aliqua ex parte reparare. Exspecto etiam per misericordiam Dei cito futurum, ut verum esse cognoscatis illud proverbium Salomonis: *Me-*

(*a*) Ita in omnibus, in *v. c.* antea, Boello.

(*b*) Conjectus enim fuerat in carcerem a vicecomite. sup. epist. 20.

(*c*) Intelligit episcopatum. Virgam pastoralem sibi a rege intrusam dicit epist. 8.

(*d*) Vide ep. 15.

(*e*) Sic loquitur epist. 173.

(*f*) Confer cum epist. 19.

liora sunt vulnera diligentis,quam fraudulenta oscula blandientis (*Prov.* XXVII). De cætero calumniatoribus meis,quibus me respondere jubetis,cum insinuatum fuerit qui sint,et quid expostulent, respondere non subterfugiam, vel in ecclesia, si ecclesiastica sunt negotia, vel in curia, si sunt curialia. Bene valete.

EPISTOLA XXIII.

Ivo, *Dei gratia, humilis Carnotensium episcopus.* VUIDONI (a) *domini regis dapifero salutem.*

Charissime,quia scio velle te laborare de componenda pace inter me et dominum meum regem, multas gratias tibi reddo. Sed quia hæc pax non posset esse stabilis quandiu voluerit in incœpto suo durare, consilium meum est adhuc exspectare, si forte Deus daret ei mentem bonam, ut vellet consilium suum in melius commutare [convertere, *vel, v. c.*].Quod si facere vellet, scias omnia esse parata quæ necessaria sunt ad faciendum divortium inter eum et novam conjugem suam [Bertredam scilicet concubinam, de qua sup. epist. 13]. Vidi enim litteras (*b*),quas misit domnus Urbanus apostolicus ad omnes archiepiscopos et episcopos regni sui,ut eum ad rationem mittant,et nisi resipuerit,ecclesiastica eum disciplina ad emendationem venire constringant. Hæ quidem litteræ jam publicatæ essent, sed pro amore ejus feci eas adhuc detineri, quia modo regnum ejus, quantum ex me est [*al.* in me est. *Idem locus epist.* 28], adversus eum aliqua ratione commoveri. Hæc omnia volo ut dicas domino nostro regi,et secundum hoc quod apud eum inveneris,mihi facias remandari. Vale.

EPISTOLA XXIV.

HUGONI *reverendo Lugdunensium archiepiscopo, humilis* Ivo *Carnotensium episcopus, in Christi esse visceribus.*

Audivi domum Urbanum apostolicum legationem apostolicam tuæ redidisse charitati,qua laudabiliter functus es (epist. 109) tempore prædecessoris sui beatæ memoriæ papæ Gregorii.Audivi et lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi (Psal. CXXI, 1),tum propter sinceram qua te amplector charitatem, tum propter communem Ecclesiæ Christi utilitatem.Sed hanc meam lætitiam postea perturbavit quod mihi dictum est te in tanta perturbatione humerum(tuum *v. c.*)hunc oneri nolle supponere, dissuasione quorumdam dicentium, propter languidum caput ægrotanti corpori et pene viribus definito (*al.* viribus destituto, *v. c.*) non posse commode subveniri. Sed imperitorum medicorum est tale consilium,tumores palpantium,et palpando putredines digestantium, amantium suam tranquillitatem, non ægrotantium sanitatem, nec attendentium quod Veritas dicit : *Non est opus sanis medico* [al. *medicus*], *sed male habentibus* (*Matth.* IX). Licet enim in regno Italico surrexerit alter Achab, in Gallico autem altera Jezabel, quærentes altaria suffodere, prophetas occidere, non est tamen dicendum Heliæ : *Relictus sum solus, et quærunt animam meam* (*III Reg.* XIX) ; ne divinum dicat ei responsum : *Reliqui mihi septem millia virorum,qui non curvaverunt genua sua ante Baal* (*Ibid.*). Licet ad placitum Herodis saltet Herodias, petat caput Joannis, concedat Herodes (*Marc.* VI), dicat tamen Joennes : *Non licet tibi uxorem* tuam inordinate relinquere, et contribulis tui conjugem, vel pellicem in conjugium habere. Licet Balaam **12** doceat Balac edere et fornicari, Phinees tamen non parcat Israeliti cum Madianite fornicanti (*Num.* XXV).Licet,ad persuasionem Simonis, Nero Petrum liget,incarceret (in carcere *v. c.*), non minus tamen Petrus Simoni dicat : *Pecunia tua tecum sit in perditione* [*al.* perditionem] (*Act.* VIII), Quanto enim studiosius perversorum temeritas et audacia rectitudinis statum labefactare conatur,eo vehementius est eorum improbitati resistendum,et religioni Christianæ consulendum, et lamentabilibus Ecclesiæ ruinis obviandum. Non hæc quasi ignoranti scribo, sed persuasum esse vellem tuæ paternitati,ut iterum manum ad aratrum mitteres, et de agro Domini spinas,quas posses,evelleres, et semina quæque messem latura superseminare non differres. Hæc hacteaus. De cætero devotissime postulo paternitatem tuam quatenus parvitati meæ rescribas,utrum navi periclitantis Ecclesiæ, etiam pene naufragium patientis,manum adhibere disponas, et quo in loco circa initium Quadragesimæ te valeam invenire. Quædam enim ecclesiastica negotia tractanda sunt mihi cum tua prudentia, quod mihi operosum, tibi autem non erit onerosum. Vale.

EPISTOLA XXV.

URBANO *summo pontifici*, Ivo *specialis ejus filius, non servilis timoris, sed castæ dilectionis obsequium.*

Ad visitandum paternitatis vestræ dulcedinem,ad relevandas quotidianas cruces meas, præsentiam vestram jam sæpe adire proposui. Sed impediente Satana votum meum adhuc implere non valui.Nam ad bestias quotidie pugnans (*I Cor.* XV). non invenio requiem spiritui meo : et miserabiles Christianæ religionis ruinas,quibus reficiendis vix aliquis, aut nullus insudat,cum multa cordis contritione deploro.Unde quia video me præesse,sed nulli fere prodesse, sæpe delibero renuntiare curæ pastorali, et ad pristinam quietem redire(*c*),ubi illum exspectem, qui *salvum me* faciat *a pusillanimitate spiritus et tempestate* (*Psal.* LIV). Sed pene sola retinet me paternitatis vestræ dilectio,cui quantum debeam nec ipse pensare sufficio. Tamen nisi viderer os meum po-

(*a*) In septem veteribus exemplaribus ita scriptum est,ut etiam in titulo ep. 47 quæ habet idem argumentum. Antea cusum fuit, *Vuilelmo.* Sunt etiam quædam membranæ quæ non expresso nomine primam tantum litteram præferunt,unde nata diversa interpretatio.

(*b*) Fortasse illæ sunt quarum meminit ep. 25, in fine.

(*c*) Vide epist. 17 et 219 in fine.

nere in cœlum (*Psal.* LXXII), injuriam adversus A eum agerem, qui septem annis pro Rachel servienti, Liam jussit nocte supponi (*Gen.*XXIX). Quæ saltem si fetaret, et speciositatem Rachel sua fecunditate compensaret, vix tandem ea conditione toleranda videretur, ut ad amplexus Rachel post alios septem annos perveniendi copia donaretur. Nunc vero, quia hujus sterilitatem experior, et illius delectatione non perfruor, miserabiliorem omni homine me judico, et ut tam lamentabile damnum diu tolerer [tolerem, *v. c.*], animæ meæ persuadere non valeo. Si placet itaque sanctitati vestræ ut adhuc tolerem, cudite mihi virgam ferream (*Psal.* II). qua vasa lutea conterantur, quæ non eo modo parcat uni, ut in discrimen adducantur plurimi. Hoc ideo suggero sanctitati vestræ, quia quidam clericus nostræ urbis (*a*), falsis delationibus aures vestræ pietatis jam B secundo pulsavit, dicens se per conjecturas accutum, et de sola suspectione [*al.* suspicione, *v. c.*] proscriptum. Sed causa illa propter quam a clero separatus est, tam manifestis indiciis est revelata, tam certa accusatione publicata, tam evidenti exitu comprobata ut nemini, non tantum civium, sed etiam comprovincialium dubium sit quin in domo sua falsam monetam fabricari fecerit, et in quadam ecclesia ejusdem (cujusdam) præposituræ, quam ei Gaufridus (*b*) vendiderat, contra voluntatem omnium fratrum hoc publicum facinus, et quædam ejus horrenda flagitia Deo volente vera esse probabo suo tempore in vestra præsentia. Ideo sacramentum quod mihi obtulit, intuitu charitatis nolui suscipere, sciens eum peccatum perjurii peccato priori velle C superponere. Tamen propter reverentiam vestræ paternitatis ad quam confugerat, quamvis dolose, interim volui ei reditus [*al.*redditus] unius præbendæ integerrime dare, et cibum mecum in mensa, donec possem de hoc negotio in præsentia vesta agere, et consilio vestro quæ restituenda viderentur, misericorditer restituere. Ipse autem uti superbus et arrogans est tanquam falsa dicendo perditam recuperasset innocentiam, neque mihi, neque amicis suis voluit acquiescere, nisi quæcunque petebat, et in manu mea non sunt, et ab his qui ea legitime acceperunt, invitis auferri non possunt, redderem integerrime. Igitur secundum quod placuerit discretioni vestræ, aliquid tale super hoc parvitati meæ rescribite, quod huic stulto et cæteris cornua non D addat, et vires meas non excedat. Ipse autem nunc ad vos venire disposueram, sed iste publicavit adventum meum studiosissime per totam Romani itineris viam. Præterea (*c*) quæ damna, quas passiones, quas persecutiones intus et foris hoc anno pro lege Dei pertulerim (*ut sup.* epist 19), nota vobis facere poterit iste frater. Litteras sanctitatis vestræ securus mei periculi metropolitanis, et eorum suffraganeis sine mora direxi (*d*); adhuc tamen tacent, tanquam canes muti non valentes latrare. Valete.

EPISTOLA XXVI.

IVO, *Dei gratia humilis Carnotensium episcopus*, WALTERIO [al. WULFERIO, *vel* WULFEPIO], *abbati Fossatensis monasterii, in sancto proposito viriliter stare.*

Quoniam pro gratia tibi divinitus collata annonam quam potes conservis tuis fideliter administras, licet ipsos conservos ingratos et de sua salute non satis sollicitos invenias, non tamen sub pondere et æstu diei fatigeris, ut peracto die a patrefamilias diurnum denarium percipere merearis. Audivi enim a fratre tuo Raimberto(Ramberto) monasterii nostri(*e*) monacho, quod exteriorum tribulationum crebra infestatione vexatus, et propter indisciplinatam monasterii tibi commissi conversationem quodam tædio tabefactus, onus tibi impositum disponas deponere (*f*), et in otium te conferre, magis eligens in imo salvari quam in summo periclitari. Et hæc forsitan bona intentio est, sed summa et frequenti libratione pensanda, ne angelus Satanæ transfigurans se in angelum lucis (*II Cor.* XI) sub hoc pallio piæ intentionis te a rectudinis tuæ statu dejiciat, et sic paulatim ad perpetranda aliqua inordinata latenter inducat. Nam si aliquibus ibi prodesse potes, non est sanum consilium ut fratres tibi ordinate commissos inordinate relinquas, sed omnem sollicitudinem tuam intus et foris illis impendens bonos verbo et exemplo ad meliora provoces, malos corrigendo toleres omnes communiter ames. **13** Sicut enim ait beatus papa Gregorius (can. 24, q. 4): « Ibi æquanimiter portandi sunt mali, ubi aliqui reperiuntur boni. » Si autem apud te omnes ita sunt suæ salutis inimici ut penitus sit inutilis labor tuus, consulo fraternitati tuæ ut relicta terra maledicta ad terram benedictam te conferas, ubi et si non alterius, tuæ saltem saluti provideas. Sic enim propinato sibi veneno beatus Pater tuus fecit Benedictus, qui præesse his noluit quibus prodesse non potuit (S. GREGOR., Dialog. lib. II, c. 3). Quem si imitaris, monasticæ professioni nullatenus adversaris. Hæc pauca tibi pro multis scribere curavi, persuasione prædicti fratris tui Raimberti [Ramberti, *v. c.*], videlicet ut in hoc consilii tui summam diligenter attendas, quatenus aut cum aliquo fructu onus tibi injectum longanimiter feras, aut sine aliquo fructu tibi victurus deponas. Vale.

EPISTOLA XXVII.

IVO, *Dei gratia humilis Carnotensium episcopus*, EUDON [in uno v. c. EUDONI; in alio REUDONI], *Nortmanniæ dapifero, a zelo bono non tepescere....*

Quæsivit a me dilectio tua utrum contra eum qui

(*a*) Confer loc. epist. 12 in fine.
(*b*) De quo epit. 1.
(*c*) Deest in *v. c.*
(*d*) Adversus regis adultererium, de quibus supra epist. 23.
(*e*) S. Quintini Belvacensis, instituti ab ipso Ivone.
(*f*) Abbas consensu episcopi potest locum suum deserere, ca. abbas can. 18, q. 2.

ante ordinationem suam de Simoniaca hæresi, et quibusdam criminibus apud metropolitanum et comprovinciales episcopos a te et aliis honestis pulsatus, diem statutæ examinationis anticipando subterfugit, et violentia principis consecrationem adeptus sedi episcopali est intrusus, agere debeatis sicut episcopum, vel sicut tantummodo clericum. Ego plane hoc ad inquisita respondeo, quia licet apud quorumdam imperitiam existimetur episcopus, illis tamen non est in quorum conscientiis invasor est et hæreticus. Unde sic dicit Leo papa in epistola Rustico Narbonensi episcopo directa (ep. 90, c. 1 et c. 1, dist. 62) : « Nulla ratio sinit ut inter episcopos habeantur qui nec a clericis sunt electi, nec a plebibus expetiti : » Et post pauca : « Quis ambigat non esse eis tribuendum quod non docetur fuisse collatum ? » Quibus verbis ostenditur quia invasoribus episcopalis honor nullatenus est tribuendus. Non esse etiam clericatu dignos probat idem Leo in epistola episcopis Galliæ et Germaniæ directa(*a*), sic dicens : « Sic decet fidem sanctorum Patrum servari in Ecclesia catholica, ut quod habuit amittat qui improbabili temeritate quod non accepit assumpserit. » Quos non esse sacerdotes beatus Gregorius ita confirmat iu epistola Syagrio et coepiscopis ejus missa(*b*) : « Quicunque sacerdotium studet pretii datione mercari, non officium, sed nomen attendit ; non esse, sed dici tantum sacerdos concupiscit. » Idem in epistola ad Ciriacum episcopum Constantinopolitanum (epist. 169, lib. VI) : « Sicut locus regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus. Et sicut scriptum est : *Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron* (*Hebr.* V). » Et alibi (*c*) : « Sicut qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris altaribus est admovendus; sic qui ultro ambit, aut importune se ingerit, procul dubio est repellendus. » Hinc dicit papa Paschiasus : « Quomodo tales episcopos vel abbates vel clericos devitamus, cum quibus si vel simus, vel oramus, excommunicationem subimus [*in uno cod.* si vel simul oramus excommunicationi subjicimur ; *ita ms.* 7]. » Quos quidem sacerdotes esse saltem credere, omnino errare est. De quorum repulsione etiam in canonibus Parisiis promulgati ita habetur(*d*) : « Si per ordinationem regiam istius honoris culmen aliquis pervadere nimia temeritate præsumperit, a comprovincialibus episcopis nullatenus recipi mereatur, quem indebite ordinatum cognoscunt. » Inde ait beatus Ambrosius in libro Pastorali : « Oculis carnalibus videtur episcopus quasi magnus, sed divinis obtutibus est leprosus, qui per pecuniam acquisivit indebitum ordinem. » Hinc et beatus martyr Cyprianus : « Plebs obsequens Dominicis(*e*) præceptis, et Deum metuens, a peccatore sacerdote separare se debet, cum habeat potestatem dignos eligendi, et recusandi indignos, quia in lege ostendit Dominus ordinationes sacerdotales, non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe præsente vel malorum crimina detegantur, vel bonorum merita prædicantur. » Si igitur rationes vestræ constant, constat non esse agendum contra eum ut episcopum, [*al.* quoniam] quem prædictæ auctoritates episcopum esse non sinunt. Nam sicut dicit papa Bonifacius : « Manifestum est confiteri de crimine, qui indulta et delegato judicio purgandi se occasione non utitur. » Præterea secundum consuetudinem Romanæ Ecclesiæ aliter agitur contra Simoniacam et neophytorum hæresim (GRAT. dist. 48), quam adversus cætera crimina. Nam cum in aliis accusationibus, accusatorum et testium innocentia quæratur, ad insimulationem talium etiam infames personæ admittuntur. Possem quidem latius ista dixisse, et multa similia ad hujus sententiæ confirmationem de authenticis scripturis collegisse, sed propter vitandam prolixitatem epistolæ, nunc ista sufficiant. De cætero suadeo dilectioni tuæ, ut in causa ista non facile te committas illorum judicio, qui in hujus invasoris depositione suum attendunt imminere periculum. Sicut enim dicit beatus Leo(*f*) : « Qui episcopi talem consecraverint sacerdotem, qualem esse non liceat, etiamsi aliquo modo damnum proprii honoris evaserint, ordinationis tamen jus ulterius(*g*) non habebunt, nec illi sacramento intererunt, quod, neglecto divino judicio, immerito præstiterunt. » Si ergo secus quam justitia se habet, tibi judicatum fuerit, judices ipsos ad apostolicam invita audientiam, sine qua hujusmodi negotia commode finiri non possunt. Ego autem domno [*al.* domino] papæ litteris meis commendabo causam vestram, si legati vestri (*h*) per me transierint. De ipso vero papa de quo quæsisti, hoc tibi dico, quia mense Novembri [*al.* Novembris] cum eo Romam pacifice intravi mense Januario ibi eum dimisi. Ibi adhuc moratur, et adversariis Romanæ Ecclesiæ, quantum Deo donante prævaleret, obluctatur (*i*). Valete.

EPISTOLA XXVIII.

PHILIPPO, *Dei gratia magnifico Fraucorum regi,* Ivo, *humilis sublimitatis suæ clericus, sic se regere ut Regi regum valeat complacere.*

Excellentiæ vestræ litteras nuper accepi, quibus submonebar ut apud Pontesium vel Calvum montem cum manu militum vobis, die quem statueratis, occurrerem, iturus vobiscum ad placitum quod futurum est inter regem Anglorum et comitem Northmanorum; quod facere ad præsens magnæ et multæ

(*a*) Sed in c. *Sic decet* can. Epist. 86. 25, q. 2, tribuuntur Sylverio papæ.

(*b*) Epist. 110, lib. VII. Vide Grat. sub tit. *Spirit. emere* can. 1. q. 1.

(*c*) Gregor. lib. VII, epist. 110 ad Syagrium et in ca. *Sicut* can. 1, q. 6, l. XXX De episc. et cler.

(*d*) Cap. 8. concilii Parisiensis I et in cap. 5 distinct. 63 ; in sex autem vett. codd. hic scriptum Parisii.

(*e*) *Unus* v. c. divinis lib. I, epist. 3 et 4; vide cap. *Plebs* et seqq. distinct. 63.

(*f*) Epist. 85, ad episcopos Africanos, et refertur in c. 24 *Si qui.* caus. 25, q. 2.

(*g*) Deest in *ms. c.*

(*h*) Sic in omnibus libris ut epist. 88.

(*i*) Confer locum initio epist. 43.

causæ me prohibent. Prima, quia domnus papa Urbanus interdicit vobis auctoritate apostolica (a) thorum mulieris quam pro uxore habetis 14, et quia sacramentum de securitate (b) concilii quod vobis mandaverat, fieri vetuistis. A cujus commistione si amodo non cessatis, separat vos eadem auctoritas a participatione corporis et sanguinis Dominici. Interdicit etiam omnibus episcopis ne capiti illius mulieris coronam imponant, quam, ut ubique pene terrarum dicitur, lateri vestro illicite copulastis. Parcens igitur majestati vestræ dissimulo vestram adire præsentiam, ne sedis apostolicæ jussione compulsus, cui vice Christi parere me oportet, quod nunc dico in aure, cogar in vestris et multorum auribus publicare. Ego autem nolo vos scandalizare, vel regiam majestatem vestram minuere, quamdiu possum aliqua honesta ratione dissimulare. Præterea casati ecclesiæ et reliqui milites pene omnes vel absunt, vel pro pace violata excommunicati sunt, quos sine satisfatione reconciliare non valeo (c), et excommunicatos in hostem mittere non debeo. Postremo novit vestra serenitas quia non est mihi in curia vestra plena securitas, in qua ille sexus (d) mihi est supectus et infestus qui etiam amicis aliquando non satis est fidus. Exspecto igitur ut aliquando cor vestrum illustrante divina clementia, contra sibilum serpentis auditum obturetis (e) et monitis salutis aures cordis aperiatis. Hoc desidero ; hinc ante Deum quotidie preces effundo [*al.* fundo ; *ita ms. c.*] Valete.

EPISTOLA XXIX.

Ivo, *humilis Carnotensium episcopus*, Rogerio *confratri et compresbytero, salutem.*

Quoniam sub disciplina et timore Domini a pueritia tua nutritus es et eruditus, et in excessibus regularis vitæ tam verborum quam verberum severitate correctus, non tantum ad presbyterii dignitatem promotus es, sed etiam nomen tuum in tantam enituit claritatem ut opinio tua non tantum inter eruditos, sed etiam celebris fieret inter Dei servos. Unde quidam quærentes bonas margaritas, postpositis aliis multis æque vel plus nitentibus, te tanquam singulariter pretiosam margaritam sua exstimatione [*unus cod.* æstimatione] repererunt, et tanquam lucernam ardentem et lucentem, ut in domo Dei luceres, te super candelabrum posuerunt. Quis ergo te fascinavit, quis oculos tui cordis excæcavit, ut flagitium hoc quod tibi imponitur, non tantum non perpetrares, sed ne saltem de te probabiliter confingi posset modis omnibus præcaveres? Putabam concupiscentiæ carnalis ardorem flumine lacrymarum tuarum medullitus in te refrigeratum ; et si quid ille ignis urens aliquando reliquerat in conscientia tua cauteriatum, putabam frequenti sacræ Scripturæ meditatione, tanquam temperativi malagmatis superpositione malaxatum, et cœlitus infusa sancti Spiritus unctione curatum. Putabam quod angelus primogenita Ægyptiorum [*al.* Ægyptum] percutiens, domum tuam in utroque poste signatam inter Hebræos pertransisset, et primogenita tua intacta reliquisset (*Exod.* XII). Nunc vero publicus rumor est te esse reversum in Ægyptum [*al.* ad Æg. *Ita ms. c.*], et hoc primogenitum, quod est castitas, malleo universæ terræ miserrimæ in te esse contritum [*quidam* interiisse cont.]. Hic oculis meis pene quotidianus fletus occurrit, hic jam mihi a tergo revertitur, hic a dextera et læva frequenter auribus meis, quasi novus infertur. Hoc devotarum mulierculaum submurmurat et circumfert curiosa loquacitas. Hoc eremitarum contristat habitacula. Hoc monasteriorum quasi commiserando mirantur conventus. Hoc quasi argumentum ad defensionem suarum abusionum subsannando sibi resciscunt quidam ecclesiarum cœtus. Hoc audiens et ideo alte ingemiscens, amplius sustinere non valui, quin dolorem tibi mei cordis effunderem (*cod. S. Ger.* infunderem), et de mea tristitia te salubriter contristarem. Suadeo ergo tibi, seu vera, seu verisimilia sint quæ dicuntur, ut a [*al.* ut de] candelabro cui superpositus es (*Matth.* V), inventa honesta occasione descendas, ne amodo fumum magis (f) quam splendorem circumstantibus effundas. Si enim vera sunt, apud auditores tuos reprobus est sermo tuus, et qui flagitiorum tuorum sarcina premeris, aliena non corriges. Si autem tantum verisimilia sunt, nec sic tamen proficies, quia famam tuam neglexisti, quam propter utilitatem proximorum tuorum immaculatam conservare debuisti. Quod si honore gaudens et quærens tua, præesse magis desideras quam prodesse, conventus ille pauperum fratrum tibi commissus non tantum per manum tuam ultra non multiplicabitur, sed etiam quotidianis defectibus ad nihilum redigetur. Quod si hoc consilium meum ad præsens videtur tibi importabile, obtestor te per tribunal æterni Judicis, ante quod stabis, ut saltem nunc utili rubore suffusus [*al.* vili rub perfusus], amodo suspectarum personarum colloquia fugias, familiaritatem perhorrescas, ne illud propheticum jure objiciatur tibi [*in vett. codd.* objiciatur, *ut sæpe alibi*] : *Facies meretricis facta est tibi. Noluisti erubescere* (*Jer.* III). In futuro autem sublatus a facie judicantis, tradaris ministro puniendus sine respectu miserantis. Non ut confundam te hæc scribo, sed ut filium charissimum moneo, ut saluti tuæ provideas, et pravo exemplo mores simplicium non corrumpas. Vale.

EPISTOLA XXX.

Fulconi, *Dei gratia Belvacensium episcopo*, Ivo, *eadem gratia Carnotensium episcopus, in adversis fortitudinem, in prosperis humilitatem* (g).

Quoniam *diabolus adversarius noster tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret* (*I Petr.* V), fra-

(a) Vide epist. 211 et 46.
(b) Confer loc. epist. 35.
(c) Sic in sex *v. c. ; alias* non audeo.
(d) Ob Bertredam, cujus inimicias memorat epist. 50.
(e) *Vide epist.* 13.
(f) Idem consulit Aldeberto, epist. 277.
(g) In aliquot vett. codd. præfigitur capitulum sequens : *Non laudabat ut episcopus armis debellaret superbos.*

ternitatem vestram familiari exhortatione commones, ut fallaces ejus circuitus omni vigilantia cavere studeatis, quatenus propositi et officii vestri memor mundanam superbiam non armis mundanæ malitiæ (*a*), sed armis Christianæ militiæ superare valeatis. Suadendo etiam consulo, et consulendo suadeo, ut contra mandata domni apostolici, et legati ejus Lugdunensis archiepiscopi (*b*), ubi restat adhuc anchora aliqua spei nostræ, nulla ratione caput erigatis, si post quantascunque procellas ad portum pervenire cogitatis. Exemplar litterarum quas misit mihi domnus papa de causa regis, postquam legati regis nuper discesserunt ab eo (*c*), vobis transmitto: ut sciatis quia domnus papa, et si non antecedit, non tamen retrocedit. Valete.

15 EPISTOLA XXXI.

FULCONI, *Dei gratia Belvacensium episcopo*, Ivo *eadem gratia humilis Carnotensium episcopus, gravitatis anchora se in sancto proposito retinere* (*d*).

Quoniam, tam scientia quam experientia, novi prælatos in congregatione sibi commissa assiduos esse debere, postquam placuit ei qui ad convivium suum me invitaverat, ut recumbenti mihi in loco humili diceret : *Ascende superius* (*Luc.* XIV), frequenter monui fratres mihi commissos, ut de confratribus suis vel aliunde si ita eis complaceret, prælatum sibi eligerent, qui eos in disciplina sibi tradita posset custodire, et ad ascensiones in corde de valle lacrymarum quotidianis monitis sublevare, ne lupus invisibilis aditum inveniens ovile Domini ingrederetur, et oves Dominicas aut extra raperet, aut intus occultis morsibus strangularet. Quod cum hactenus suis de causis ab ei dilatum sit, nunc tandem acquieverunt monitis meis, et disponunt aliquem secundum quod mentibus eorum inspiraverit Deus sibi præficere, qui pro viribus sibi collatis in necessitatibus eorum studeat eis tam spiritualia quam corporalia ministrare. Ea igitur hora qua litteras istas acceperitis, per easdem litteras, licet absens corpore, præsens tamen spiritu, depono in manu vestra prælationem quam hactenus habui in ecclesia Beati Quintini, toto desiderio expostulans, ut quem congregatio illa concorditer vel pars sanioris concilii regulariter sibi præferri postulaverit, in eo loco et ordine in quo ibi eram substituatis, et substitutum in anxietatibus suis pro officio vestro paterna consolatione relevetis. Ego tamen et si depono prælationem, non desero illius Ecclesiæ societatem, in qua aliquando potero vobis esse utilis, si Deus reddiderit pacem servis suis. Valete.

EPISTOLA XXXII.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ servus, vestræ autem societatis fidelis frater, confratribus suis, devotum fraternitatis obsequium* (*e*).

Sicut navis præsentia gubernatoris destituta, licet A bonos habeat nautas, et reliquos navis adjutores, licet etiam prosperum habeat ventum, tamen aut fluitat, aut fluctibus immergitur, aut scopulis illiditur, et sic planctum magis invenit quam portum ; sic Ecclesia Dei, rectoris sui [*unus cod.* pastoris sui] præsentia viduata, multis modis in hoc mundo tanquam in mari naufragoso periclitatur, et ab aditu æternæ quietis, tanquam ab introitu portus, aut diu differtur, aut in æternum removetur. Quod ego attendens, sicut sæpe monui (*ut supra*, epist. 17), ita nunc moneo et licentiam do, ut vobis rectorem regulariter eligatis, quem sicut patrem animarum vestrarum omni honore dignum habeatis, cujus salutaribus monitis cum omni humilitate in omnibus obediatis. Nolo enim cum periculo meo et B vestro vobis præesse et non prodesse ; terram occupare, et messem quam terra culta latura est, umbra mea præfocare [*unus cod.* suffocare]. Malo vos viventes videre sub alieno regimine quam lugere mortuos sub prælationis meæ velamine ; habere vos fratres ordinatos, quam filios incompositos. Nolo enim sine causa laborasse in vobis, quos materno affectu de veteri homine in novum mediante Dei timore generavi, quos geminorum uberum lacte usque ad solidi cibi perceptionem educavi, quos ita unice dilexi ut cum gaudentibus gauderem, cum dolentibus dolerem, cum infirmis infirmus fierem, quorum onera tanta mansuetudine supportavi quanta parentes filios carnis suæ tolerasse vix possunt inveniri. Cum ergo impediente nescio qua Dei dispositione ex maternis [*al.* dispensatione a mat.] uberi- C bus lac sumere non possitis, quærite vobis matrem adoptivam, de cujus uberibus lac sugatis, ne aliqui vestrum ante tempus ablactati, matrem quam exspectant non inveniant, et sic ad solidam escam non perveniant. In eligendo itaque omnes in commune consulite, ut nemo ibi privatam occasionem attendat, nemo ibi privata excellentia intumescat, nemo contentiosus existat, nec illi humiliter subdi refugiat, quem fraterna concordia provisa utilitate sibi præferri expostulat. Qui tamen tanto nunc diligentius a vobis est discutiendus, quanto postea non reprehendendus, sed ab omnibus æquanimiter est tolerandus. Nolo autem certam vobis designare personam, sed habere liberum electionis arbitrium, ut electum vestrum eo æquanimius toleretis quo eum D voluntarie vobis prætuleritis. Hoc tamen [*al.* tantum] in fraternitate vestra retineo, ut quem de fratribus mecum habere voluero, mihi sicut patri filium transmittatis, et sic ubi eum manere voluero, sine scandalo concedatis. Qua in re non est vobis (*f*) formidandum, quia satis in hoc servabo modum. Hoc etiam apud vos interim volo habere privilegium, ut si (*g*) quæ, quod absit ! inter prælatum vestrum et

(*a*) In hanc sententiam epist. 20.
(*b*) Hugonis, de quo epist. 24.
(*c*) Confer epist. 28.
(*d*) In aliquot veteribus codicibus habetur capitulum sequens : *Quomodo prælationem S. Quintini deposuit in manu episcopi.* Conferenda est cum sequente.

(*e*) Sic conceptus est titulus in vett. codd. Alloquitur autem canonicos Ecclesiæ S. Quintini Belvacensis ; et conferendæ sunt epist. 17 et 31.
(*f*) *Vobis* deest in ms. c.
(*g*) *Quæ* deest in ms. c.

aliquem de fratribus orta fuerit contentio, et aliqua intemperantia zeli adversus alterum alter exarserit, si hoc commode per vos sedari non poterit, non prius ad aures publicas causa hæc prodeat quam ad me deferatur, ut studeam vel immoderatum zelum illum temperare, vel demum canonicæ severitati vires dare. Inexpertus enim auriga, dum nescit frena moderari, primo cursu cogit equum acceleratione lassari. Cum ergo sit ars artium, onus onerum regimen animarum, postquam usu ipsius artis edoctus fuerit vester prælatus, quid debeat dissimulare, quid debeat in promptu vindicare, tunc jam suo et vestro judicio contenti, poteritis omnia commode negotia vestra commodare. Quicunque autem ille sit, talem eligat fraternitas vestra, qui sciat de thesauro suo proferre nova et vetera, qui etiam noverit mores vestros, cujus mores et vos non habeatis ignotos, melius enim sibi invicem cohærent lapides, qui frequenter collimati, inæqualitatem suam deposuerunt frequenti limaturæ exercitio. Quod si forsitan contigerit eum in causis exterioribus minus esse exercitatum (in c. *Petrus* distinct. 39), ad disponenda omnia sibi commissa, juvabit cum bona conscientia et bonum testimonium. Ipse etiam faciat sibi præpositum, qui consilio ejus et vestro omnia exteriora disponat. Ipse autem intus *solus cod. Put.* interim.] secundum traditionem sanctorum Patrum vacet orationi et lectioni, et nutriendæ fraternæ dilectioni. Multa loquor, sed quasi nunc demum **16** vos ablactans vellem vos in omnibus esse instructos : ut quæ sunt recta [*al.* bona] sapiatis, et recte intellecta, opere impleatis. Sed quia [*al.* si ad] ad hoc non sufficitis, consulite Angelum magni consilii, ut consilia vestra dirigat, et ad bonum finem [*v. c. S. Vict.* ad bonam finem] perducat. Deus patientiæ et solatii sit vobiscum. Valete.

EPISTOLA XXXIII.

Lamberto, *Dei gratia Atrebatensium episcopo*, Ivo, *Ecclesiæ Carnotensis servus, sinceræ dilectionis munus.*

Si tanta esset nobis convicinitas locorum quanta est animorum, frequenter vellem tuo dulciloquio mulceri, tua consolatione refoveri. Desiderarem tibi frequenter æstus meos effundere, perturbationum mearum crebras incursiones tuis orationibus propulsandas ostendere, amissam quietem spiritus tecum sæpe deflere ; in qua licebat aliquando divini amoris dulcedinem apposita divini verbi mensa gustare [*sic v. c. antea,* cogitare]. Sed quoniam et tu jubente Deo remigatis in altum, ut laxares retia in capturam, amodo poteris ex tuis mea pensare pericula, qualia prælatos in profundo experiri pronuntiat Psalmista : *Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos ; anima eorum in malis tabescebat. Turbati sunt et moti sunt sicut ebrius, et omnis sapientia eorum devorata est* (*Psal.* CVI). In quibus periculis unum est singulare consilium, quatenus toto affectu clamemus ad Dominum, cui mare et venti obediunt (*Matth.* VIII), ut procellam nostram convertat in auram, et sileant fluctus ejus. Quod si Dominus in navi dormiens, ut experiatur sustinentiam nostram, moram fecerit, sustinentes sustineamus, quia veniet, et supra sustinentiam nostram tentari nos non permittet (*I Cor.* X). De cætero, charissime, læta tua, tristia tua communica suo tempore diligenti et dilecto, quia læta et tristia tua mea sunt, sicut mea tua esse non ambigo. Vale.

EPISTOLA XXXIV.

Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ servus*, Roberto *jam bonæ spei fratri, ascensiones in corde.*

Quoniam, sicut quorumdam relatione didicimus, jam vilescit tibi mundus et omnis vana spes ejus, credimus quia propitia divinitas inchoavit in pectore tuo templum suum, et locum sanctum habitationis suæ ; unde bonorum omnium largitori, a quo fit hæc de vetustate in novitatem laudanda mutatio, grates exsolvimus, et bonis principiis felicem provectum et bonum exitum conferri [*ita omnes v. c. antea*, proferri], ab eodem omnium bonorum largitore postulamus. Tu igitur, charissime, adjuvante divina clementia sollicite cave, ne immundus spiritus ad te revertens, domum quam reliquit, intus vacantem et foris ornatam inveniat, et secum alios septem nequam spiritus virtutum specie palliatos inducat, sicque novissima tua pejora prioribus efficiat (*Luc.* XI). Contra spirituales itaque nequitias pugnaturus, si securus vis pugnare, castris Christi militum ordinate pugnantium te insere, ne si singulari certamine contra exercitatos inexercitatus pugnare contenderis [*al.* contendis, *ita ms. c.*], innumera adversariorum tuorum multitudine comprimaris. Postquam vero Spiritu consilii et fortitudinis armatus calliditates antiqui hostis evitare consueveris, jam exercitatior [*al.* idem exerc.] in spirituali certamine poteris solus, si ita contingat, contra quoslibet hostes certamen inire, quorum impetus didiceris sustinere in acie. Unde Dominus noster Jesus Christus discipulos nondum Spiritu sancto confirmatos, et adhuc spiritualis certaminis expertes admonuit [admonet *v. c. ms.*] dicens : *Vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto* (*Luc.* XXIV). Possem fraternitati tuæ hunc in modum multa scribere, sed quia tu per te sapis, hoc præ cæteris obsecro ut qui jam de tuis Deo in membris ejus cœpisti offerre sacrificium, principaliter ei de te offerre studeas holocaustum, ne si aliter, quod absit ! feceris, dicatur tibi : « Si recte offeras, recte autem non dividas, peccasti, cum tua tribuas, et teipsum tibi retineas (*a*).» Vale.

EPISTOLA XXXV.

Richerio, *Dei gratia sanctæ matris Ecclesiæ Senonensis archiepiscopo*, Ivo, *Ecclesiæ Carnotensis servus, obedientiam secundum constitutiones* [ita omnes v. c., antea *consuetudines*] *Patrum, et cæ-*

(*a*) Citat et explicat ep. 47.

teris coepiscopis in urbe Remensi congregatis fraternæ dilectionis obsequium.

Si divinæ legis fuissetis memores, cujus debetis esse doctores atque tutores, non contra sanctorum Patrum instituta [instituta *ms. codex desunt in ms.*] me invitassetis ad concilium, præsertim cujus facinus ignoratis aut flagitium. Primo, quia invitaverunt me quidam episcopi non comprovinciales mei, qui sine auctoritate apostolica mei judices esse non debent, cum peregrina judicia nullius esse momenti decretorum pariter et canonum generali sanctione decernat [*al.* decernit, *vel* decrevit] auctoritas (*a*). Secundo, quia admonitione metropolitani mei protrahere nitimini causam meam extra provinciam. Quod cum multis sanctionibus sanctorum Patrum præcisum sit, unam ex multis beati Stephani papæ et martyris producam ad medium, quæ tanquam gladius biceps utriusque intentionem reverberet, invitantis scilicet et accusantis. Dicit enim beatus papa Stephanus (epist. 2) : « Ultra provinciæ terminos accusandi [accusantis *ms. cod.* sedem] licentia non progrediatur, sed omnis accusatio intra provinciam audiatur, et a comprovincialibus terminetur, nisi ad apostolicam sedem fuerit tantum appellatum. » Et : « Neganda est accusantibus licentia criminandi, priusquam se crimine quo premuntur exuerint (c. *Qui recus. non poss.*, et c. 1, caus. 3, *q.* 11). » Postremo quia non de veritatis tramite, sed de odii fomite (*b*) mea procedit accusatio, apostolicam sedem appello. Quod omnibus in crimine pulsatis apostolica concedit auctoritas, ut per se, aut per vicarios suos loco et tempore, quod mihi præscripserit, causam meam discutiat, et cum peroratum fuerit, legitimam sententiam proferri præcipiat. Neque hoc bene mihi conscius causa vitandi judicii facio, cum manifesta et brevis sit mea purgatio de crimine perjurii, qui nulli hodie viventium aliquando juramentum feci. Sed nolo exemplum esse cæteris recedendi ab ordine, neque sanum est consilium pro incerto commodo vel nullo certis periculis me opponere. Conductum enim a domino meo rege quæsivi (*c*), nec habere potui. **17** Quantum vero ex intentatis minis intelligo, non liceret mihi in conventu vestro impune dicere veritatem ; qui pro jam dicta veritate, et apostolicæ sedis obedientia tantam sentio jam severitatem, ut perjurium arguar incurrisse, et majestatem regiam minuisse (*d*). Quod ut pace vestra dicam, rectius in eos retorqueri potest, qui vulnus fomentis incurabile tanquam pii medici cauteriis competentibus dissimulant urere, vel medicinali ferro præcidere (*e*) In qua sententia si mecum firmiter fuissetis, jam ægrotum nostrum ad sanitatem perduxissetis. Quod quandiu differtis, videte si fidelitatem quam debetis pleniter exhibetis, si officii vestri munus expletis. Faciat ergo dominus rex (*f*) adversum parvitatem meam, quantum Deo permittente libuerit et licuerit, includat, excludat, proscribat, inspirante Dei gratia et prosequente, decrevi pati pro lege Dei mei, nec ulla ratione cogente volo ei consentaneus in culpa esse, qui nolo esse consors in pœna. Angelus magni consilii, et Spiritus fortitudinis sit vobiscum, ut recta sapiatis et recta faciatis. Valete.

EPISTOLA XXXVI.

Reverendo confratri PETRO *Pictaviensi episcopo*, Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, sic bona plantare, ut non studeat bona convellere.*

Si fraternitatem vestram in jus vocare possemus, quantum salvo charitatis vinculo fieri posset, jure a vobis multas expostularemus injurias, partim communes, partim proprias : proprias, quia clericum in diœcesi nostra Deo militantem, et pro pulchritudine et dulcedine vitæ contemplativæ, fonti vitæ totis desideriis inhiantem, ad publicum prodire, quietem suam interrumpere, nostra admonitione, nostra auctoritate compulistis. Quem cum vobis ad regimen cujusdam regularis ecclesiæ diœcesis vestræ, vestris epistolis crebro compulsi concessimus, et canonice electum ab ipsa Ecclesia transmisissemus, non satis aptam a vobis passus est repulsam, qui præpostero ordine tunc de ejus prælatione disceptare cœpistis, quando jam facta a fratribus et collaudata a vobis ejus electione, in prioratus sui sede eum sublimare debuistis. In quo et illi fratri non modicam intulistis verecundiam, et amico vestro (*g*) non minimam fecistis injuriam. Non enim erat tanta precum instantia ab amico postulandus, qui ad injuriam doni et donantis tam facile mutata sententia fuerat refutandus. Nec satis tuentur vestram fraternitatem litteræ domni papæ, quibus dictandis a latere interfuimus, quæ confirmant abbati Sancti Cypriani jus illud prædictæ Ecclesiæ (*h*), quod se habere dicebat ex legitima concessione quorumdam monachorum, qui (ut audivimus) quietam possessionem clericorum approbant, monachorum vero Sancti Cypriani intrusionem prorsus improbant. Ad hoc enim prædictus abbas modis omnibus nitebatur, ut prædictæ Ecclesiæ prioratus ei a domno papa concederetur. Quod domnus papa nobis reclamantibus, et libertatem clericorum pro posse nostro defendentibus facere noluit, præcavens, sicut ipse dicebat, ne sub hac occasione prædictus abbas clericos moliretur excludere, et monachos suos intrudere. Clericorum autem ordini publicam infertis injuriam, qui monachorum ordinem ad tam ruinosam superbiam erigitis, ut cleri-

(*a*) Refertur in c. *Peregrina*, cum seq. caus. 3, q. 6.

(*b*) A pseudoepiscopis se fatigatum dicit epist. 67.

(*c*) Confer locum epist. 28.

(*d*) Deest in ms.

(*e*) Loquitur de nuptiis Philippi regis cum pellice ; de quibus epist. 13.

(*f*) Cujus odia per decennium tolerasse scribit epist. 141.

(*g*) *Vestro*, sic *v. c.* id est Ivoni, male antea, *nostro*.

(*h*) Ita hic locus restitutus ex *v. c.* Adi not.

cos eis [ei, *m. s. c.*] subjugare studeatis, quorum tanta debet esse excellentia, ut secundum beatum Augustinum(*a*):«Vix etiam bonus monachus bonum clericum faciat.»Sed quia clericus ista dixit de clericis, audiamus monachum dicentem de monachis Dicit enim Hieronymus(*b*):« Monachus non docentis, sed dolentis habet officium. » Et alibi :«Clerici oves pascunt ; ego pascor. » Et alibi : « Si cupis esse quod diceris monachus,id est solus,quid facis in urbibus (Gratian. sub causa 15, q. 1)? Quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum. Habet unumquodque propositum principes suos. Et ut ad nostra veniamus,episcopi et presbyteri habeant ad exemplum apostolos et apostolicos viros, quorum honorem possidentes habere nitantur et meritum.Nos autem habeamus propositi nostri principes Paulos, Antonios, Julianos, Hilarios, Macharios. » Et alibi :« Mihi oppidum carcer et solitudo paradisus est.Quid desideramus urbium frequentiam, qui de singularitate censemur ? « Possemus in huuc modum multa colligere de privilegio clericorum,et subjectione monachorum, nisi vitaremus prolixitatem epistolæ. Nec tamen ista,dicendo,monachorum religioni detrahimur, imo ut veri monachi sint,id est,ut vere singularem sectentur vitam, tota mente desideramus. Laudamus quidem eos et beatos esse profitemur,si non transgrediantur terminos a patribus suis positos (*Prov.* xxii); et tunc magis esse beatos, cum subesse magis studuerint quam præesse,cum humilitas et obedientia sit eorum summa provectio,ambitio vero et superbia [et superba *ms. cod.*] lamentabilis dejectio. Hæc et his similia diligenter attendite, et ordinem clericorum, in quo estis, et cui Deo auctore præestis, ad meliora provocando honorate, et nulli alii ordini eum contra morem ecclesiasticum subjugari permittite. Vale.

EPISTOLA XXXVII.

Ivo, *Carnotensis Ecclesiæ servus*,Roberto *in Christo dilecto fratri, memorem esse uxoris Lot.*

Gloria misericordi et sapienti Deo, qui cor tuum inanitum[*al.*inanimiter]inflatum,sagittis acutis vulneratum,ad tantam humilitatem perdomuit ut jam ad petras montium confugias,et ab ira Agni(*Apoc.* vi)abscondi desiderans ab eis vitam salutis ardenter inquiras. Et quia decorem domus Dei diligere, et de valle lacrymarum ascendens canticum graduum cantare cœpisti, quod ipse per te nosti, solum hoc superest ut cum Apostolo quæ retro sunt oblitus in anteriora te extendas (*Phil.*iii),donec ad montem Bethel virtutum ascensione pervenias(*Isa.* iii),ubi dilectum fugientem desiderii lacrymis prosequaris,et aliquando revertentem interni [internis *ms. c.*] amoris brachiis complectaris. Sed quis sit aptus vitæ modus, vel quis locus ad ambulan-
A dum in via Dei eligendus sit affecto uti nunc es, nec tua fraternitas quæsivit, neque ipse scire possum, nisi me pulsante ad ostium cordis tui, tuos æstus ipse proferres,et in quo vetus homo resistat, quominus novum hominem perficias, simpliciter aperires.Quod **18** licet aliqua ratione impediente ad præsens fieri non contingat, Deum tamen pro amabili fraternitate tua rogabo, ut qui in pectore tuo templum suum iuchoavit,ipse perficiat,simul exhortans ut certum vitæ modum quem Deus tibi ipse(*c*) inspiraverit,eligas:in quo humilitatis viam [*duo v. c.* viæ] sub obedientiæ freno insistas,et experimento simul et exemplo vitæ tuæ moderamen addiscas.Sic enim decens est ut ab imis inchoans ad summa proveharis,non ut a summis incipiens ad ima dilabaris.
B Quod cum nostris temporibus de quibusdam ipse videris et audieris(*d*),exemplo illorum te oportet esse correctum [*al*, correptum], ut non simile incurras retrogradationis opprobrium.Plumesce igitur in nido, antequam voles in altum, ut solidatis virtutum pennis possis alas in activæ vitæ moderatione deponere, et easdem in altitudinem contemplationis elevare. Vale. Apud fratrem Lambertum habe me excusatum, quia nondum mihi scribere licuit quæ voluit. Scribam autem quæ Deus donaverit, cum mihi opportunum fuerit.

EPISTOLA XXXVIII.

Guacelino [al. Gualcelino ms. c.], *reverendo Vuintonensium* [sic v. c., antea *Vuintoriensium*] *episcopo*, Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ servus, salutem.*

C Liberalitatis tuæ fama nullo simulationis fuco palliata, jampriden mihi per multos innotuit et placuit. Qua fiducia per Guilielmum Sancti Satyri præpositum, vasculum chrismate, cujus forma nostris artificibus erat ignota, a tua munificentia postulavi, et sine dilatione impetravi.Quod mihi gratius fecit charitas dantis quam appetitus postulantis. Unde quoties mihi ad usus necessarios ante oculos ponitur, tui memoria dulciter mihi ad mentem revocatur,et fraterna charitas ad rependendam vicem, si opportunitas se offerret, excitatur. Unde postulo fraternitatem tuam, ut et tu memoriam confratris in tua mente reponas, quatenus et orationum manus(*e*)desideranti mihi porrigas,et utrum apud te hanc gratiam impetraverim, aliquo signo
D ostendas. Vale.

EPISTOLA XXXIX.

Anselmo, *reverendo Cantuariensium archiepiscopo*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis servus,pro modulo sibi collato fidelium orationum munus.*

Quamvis placuerit ei qui te invitavit,tibi non alta requirenti dicere [*in septem v.c.*ut tibi nec quærenti diceret] : *Ascende superius* (*Luc.* xiv) ; non tamen ideo credimus paternitatem tuam [vestram, *ms.c.*]

(*a*) Epist. 76, ad Aurelium ; et refertur in cap. *Legi*, 36, causa 16, q. 1.
(*b*) Lib. adversus Vigil. et lib.De instit.monach.; et lib. De laude vitæ solit.

(*c*) *Ipse* deest in ms.
(*d*) *Ipse vid.* desunt in ms.
(*e*) Sic omnes antiqui libri, antea, *munus*, ita ms. c.

nulli religioso oxerosam minus esse memorem eorum quos aliquando in Christo dilexerat, vel a quibus pro Christo aliquod obsequium fraternitatis acceperat. Quod tamen si aliquando ex quotidiana ecclesiasticorum negotiorum instantia contingeret, tamen non immemores vestri [nostri *m.s. c.*], parvitatis nostræ memoriam tuæ sublimitati quibus possumus vehiculis ad mentem reducimns [*v.c.* reducere curamus; *ms. c.* reducere *tantum*], utpote qui tuis desideramus orationibus fulciri, et copiis si necesse fuerit relevari. Astitimus enim hoc anno pro multa in te benivolentia monachis Beccensibus (*a*) contra Molismenses, quantum ratione et auctoritate suffragante potuimus. Et jam de (*b*) Pixiacensi monasterio plenam per nos consecuti fuissent justitiam, nisi quod prius affectabant regis captare benivolentiam. De cætero commendo paternitati tuæ fratrem Rothardum [*al.* Rohardum, vel Rotrardum] præsentium latorem, per obedientiam confratrum ad partes istas directum, ut in quo indiguerit consilio, eum munias et auxilio. Si autem servitium nostrum in aliquo tuæ sanctitati fuerit commodum, obedituro præcipe. Vale.

EPISTOLA XL.

Ivo, *Carnotensis Ecclesiæ non satis aptus minister, fratri* MANEGALDO, *sic crucem Christi portare ut ejus remigio mare hujus mundi valeat transfretare.*

Quoniam post multos circuitus levem Christi sarcinam subire et contempto mundi flore in domo Dei abjecte vivere elegisti, sciens quia *melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas* (*Psal.* XXXVI), divinæ bonitati, quæ humilibus dat gratiam, grates exsolvimus, et ut de commisso tibi talento, tanquam fidelis nummularius, creditori tuo multiplicem referas usuram; eamdem divinam bonitatem intensius obsecramus. Sic enim ordo rationis poscebat ut qui verbo ad viam vitæ plurimos informaveras, aliquos aliquando conformares et confirmares exemplo; et qui de semine patris Jacob tanquam Zelpha inveterata et ancillari consuetudine philosophandi filios pepereras, jam de ejusdem patris semine tanquam speciosa Rachel ex intimæ visionis libertate spiritualem sobolem multiplicare non desistas (*Gen.* XXIX). Ista [ita *ms. c.*] dicens: Minervam quidem non doceo, a qua magis doceri indigeo; sed fraternis profectibus congaudens, bonis principiis meliores exitus apponi desidero. Simul obsecro, ut pusillanimitatem meam in alto remigantem, et pene aliquando naufragantem, de portu tranquillitatis tuæ orationibus juves, salutaribus monitis aliquando consoleris. Notum enim credo prudentiæ tuæ mihi pro Rachel servienti Liam esse nocte suppositam (epist. 4 et 17), quam quidem invitus [*al.* quanquam invitus] suscepi, et invitus tolero, utpote parum videntem, parum parientem, sed multum exasperantem. Quarum molestiarum tædio frequenter affectus, retrospecta quietis amissæ pulchritudine graviter ingemisco, et datis mihi columbæ pennis avolare (*Psal.* LIV), iterum vacare desidero. In qua perturbatione solum mihi refugium est orare, et eum exspectare *qui salvum me* faciat *a pusillanimitate spiritus et tempestate* (*ibid.*). A cujus voluntate si dissentire non timerem, tanto oneri impar, eidem oneri humerum libenter subtraherem. Cum ergo a te ad partes nostras transierint vel redierint aliqui, fac ut videam interiorem hominem tuum in litteris tuis, sicut ex parte vidisti meum in meis. De cætero commendo fratrem istum portitorem præsentium [*quidam add.* litterarum] fraternitati tuæ, ut familiarem [*unus,* familiariter] eum habeas, et in lectionibus tuis ei benigne respondeas. Quantum enim de homine æstimare possumus, ædificari quærit, non inflari.

19 EPISTOLA XLI.

Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister* GAUFREDO [*al.* GOIFREDO, GOIFFRIDO GODEFRIDO] *Vindocinensis monasterii abbati, cum dilectione salutem.*

Quantum ex tenore litterarum tuarum perpendere potui, summa inquisitionis tuæ fuit utrum monachus qui tantum a monacho, et non a suo abbate benedictus est, ab abbate suo iterum (*c*) benedicendus sit. Quod fieri posse et dimitti posse arbitror absque ullo benedicti vel benedicentis incommodo. Monachi enim benedictio non est manus impositio, vel alicujus sacramenti ex apostolica traditione celebratio. Nec aliam vim habere mihi videtur, quam super pœnitentem absolutio, vel super populum sacerdotis oratio. Dicit enim B. Hieronymus: « Monachus non habet officium docentis [*al.* non est; *vel,* monachi officium non est docentis], sed plangentis, qui se et mundum lugeat. » Sicut ergo monachus in hoc officio sibi soli prodest, ita ex gratia vocantis solus ad hoc officium accedere potest, nec præjudicat ad salutem, utrum simpliciter a [a simplici *ms. c.*] monacho vel abbate suscipiat benedictionem, quia verum monachum nulla facit exterior adjectio, nisi mundi contemptus et plena Dei dilectio. Quod in principibus hujus ordinis, Paulo videlicet et Antonio, et multis aliis Ægyptiis monachis facile apparet, qui nullam a præcedente abbate vel monacho suscipientes benedictionem, perfectam ab eo qui habitare facit monachos in domo, sui laboris consecuti sunt retributionem. Quod vero postea multiplicatis monachorum congregationibus professiones ab eis exactæ sunt, et benedictiones super eos datæ, quadam cautela factum est ut monasticus ordo quanto firmius in conspectu Dei et hominum et solemnius ligaretur, tanto robustius et devotius ab ipsis servaretur. Et si qui vellent ab hoc proposito recedere, testimoniis pluribus convincerentur [vincerentur, *ms. c.*], et tanquam jurati [*in uno cod.* perjuratis in Christi sacramenta tirones, ad propositum suum reverti cogerentur. Quibusliquet

(*a*) Huc videtur referenda epist. 6.

(*b*) Alias, *Pixicensi, Pixinacensi, Pijacensi*; eadem varietas in tit. epist 45.

(*c*) *Iterum* deest in ms. c.

traditiones hujusmodi nihil esse aliud quam quædam religionis vincula, humanæ instabilitati provisa. Quoniam omnis traditio religionis novitate et raritate viget et floret, antiquitate vero et numerositate, nisi districte ligetur et servetur, frigescit et vilescit. Unde in discretione abbatum hoc mihi ponendum videtur, utrum debeant professiones, coram aliis factas, vel benedictiones, ab aliis datas, in sua præsentia iterare, quia non est hoc ecclesiastica sacramenta iterando violare, sed pro instabilitate personarum vinculum vinculo [*al* vinculis vincula] superponere. Quod si monachi benedictio esset consecratio etiam apud Cluniacenses (*a*) apud quos (ut asseritis) est ista consuetudo, nulla prorsus fieri posset [*al.* deberet] benedictionis iteratio. Unde nec consecratio virginum, quæ ex auctoritate apostolica episcoporum privilegio reservatur (can. *Sicut*, et can. *Presbyteri*, dist 68), si aliquando a presbyteris usurpetur, propter sacramentum Christi et Ecclesiæ quod ibi continetur, nullatenus ab episcopis iteratur. Dixi de proposita quæstione quod sensi, et quantum mihi videtur, in nullo a ratione vel auctoritate dissensi. Vale, et quomodo ieris vel redieris, et quod audieris de consilio domni papæ mihi rescribe.

EPISTOLA XLII.

HUGONI, *Dei gratia Suessionensium episcopo*, Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister*, *confortari in Domino.*

Publicis negotiis præpeditus, plura quæ volui fraternitati vestræ scribere non valui. Si autem aliquando mererer dulce colloquium vestrum, dicerem plurima in aure tuta, quæ chartula celare non posset, si in æmulorum manus, antequam ad vestras perveniret, incideret. Hoc itaque interim suadeo vobis, ut juventutem vestram honestis exercitiis occupetis, lectione, oratione, sacræ legis meditatione, ut si aliquando aliqua fœda imaginatio per sensuum fenestras templum cordis irrumpens ibi appingi tentaverit vel prorsus ab ipso introitu repellatur, vel si forte aliqua incuria vel importunitate ostium cordis irrepserit, casta intus vigente dignitate cum dedecore excludatur. Sic enim testimonio bonæ conscientiæ poteritis in justitia Dei exultare, et internæ suavitatis gustum proximis fiducialiter [*unus cod.* fideliter] eructare. Nec infructuosus esse poterit sermo doctoris, quem intus accendit et format divini virtus amoris. Si vero perversorum odia et detractiones ex hoc incurrerit vestra fraternitas, toleranda erunt vobis verbera verborum, qui in eorum numero [*id. cod.* in eorum merito] estis, qui apostolico gradu insistentes pro domo Dei sustinuerunt non tantum rapinas bonorum suorum, sed etiam tormenta et mortes corporum. Quod enim illi sustinuerunt pro fidei defensione, nos sustinere habemus pro criminosorum actuum reprehensione, alioquin erimus pastores nosmetipsos pascentes nostra quærentes, oves morbidas non sanantes, sed fortes et pingues devorantes (*Ezech.* XXIV). Nec ab hac fortitudine deterreat vos raritas præsentium exemplorum, cum excusare nos non valeat hæc ratio apud judicem internorum. Valete, et fratres nostros Bistesiaci [*al.* Bistisiaci] Deo militantes sub patrociono vestro pro Dei amore et nostro juvate, et contra æmulorum infestationes paterne supportate.

EPISTOLA XLIII.

Domno et Patri suo URBANO *summo pontifici*, Ivo, (*humilis*) *Ecclesiæ Carnotensis minister*, *cum Petro pugnare*, *et cum Petro regnare.*

Quoniam Romana Ecclesia post multa naufragia sub vestro regimine ad portum pene [jam *ms. c.*] pervenit, et Italiæ regnum (*b*) jamdiu rebelle in conspectu vestro totum pene conticuit, ita ut novus rex ad voluntatem Dei et vestram in manus vestras se dederit; gaudeo in Domino, et gaudium meum nullis syllabarum metis explicare sufficio. Quotidianas etiam preces coram Deo pro vestra incolumitate et pace multiplico, *ut sermo Dei* per vos *currat* (*II Thess.* II), et de die in diem magis proficiat, et bona quæ per vos inchoavit, ad finem usque perducat. Notum autem facio sublimitati vestræ quod Guillelmum [*al.* Willelmum *de quo ep.* 5.] bonæ spei fratrem in Carnotensi Ecclesia nutritum, Parisiensis Ecclesia elegit in episcopum. Qui quidem sine consilio et assensu nostro nihil tale præsumere voluit Misimus itaque cum eo quosdam de fratribus, **20** qui diligenter inquirerent, utrum hæc electio mediante pecunia, vel aliqua esset a rege extorta violentia. Quibus bene cuncta renuntiantibus, illi fratri dedimus consilium et assensum, ut illi electioni cederet, et divinæ ordinationi se non subduceret. Timebamus enim ne alius ex transverso intruderet, et Ecclesiam Simoniaca peste macularet. Addimus quoque consilio ejus, quia aliquantulum infra annos legitimos (*c*) nobis esse videbatur, ut promotiones ad gradus ecclesiasticos per congrua intervalla (*d*) differret, et interim aut per se aut per nuntios Ecclesiæ pro his quæ ad integritatem ordinationis minus sunt, a paternitate vestra indulgentiam postularet. Quod scribo absens, si opportunitas se offerret, dicerem præsens, et pro ipsa Ecclesia, et cum ipsa Ecclesia a paternitate vestra magna in vos fiducia (magna animi fiducia *ms. c.*), postulo, ut nulli æmulo de ejus insimulatione aurem de cætero commodetis [*al.* accommodetis], et per præsentium latorem mihi et ipsi Ecclesiæ litteris vestris, quo ordine et quo modo res incœpta ad exitum cum gratia vestra perduci possit, vos ipse disponatis. *Conterat* Dominus

(*a*) Sic leg. ex melioribus libris. Cluniacensis monasterii meminit ep. 78; male antea, *apud Gloriacenses.*

(*b*) Supra epist. 24, dicit in regno Italico surrexisse alterum Achab., et in fine ep. 27, Urbanum Romæ obluctari adversariis.

(*c*) Triginta, quæ ætas viri perfecti dicta in concilio Agathensi, relato, cap. 6, episcopus distinct. 77.

(*d*) De intervallis ordinum, Grat. distinc. 77.

Satanam, oro, *sub pedibus vestris* (*Rom.* XVI). Valete. A

EPISTOLA XLIV.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister, omnibus in ejusdem Ecclesiæ episcopatu positis salutem in Domino.*

Notum sit vobis, dilectissimi, qui ad supernam Hierusalem pertinere vos creditis, quia si donativum superni Regis, ad quod vocati estis, promereri desideratis, pacem vobis a Deo mandatam remota omni discordiæ peste servare debetis. Hanc enim Christus mundum ingrediens angelica revelatione mundo mandavit cœlesti militia concinnente : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II). Hanc Christus proxime de mundo egressurus et in brevi ad cœlos reversurus commendavit dicens : *Pacem meam do vobis, pacem* B *meam relinquo vobis* (*Joan.* XIV). Hanc Apostolus necessario tenendam admonet dicens : *Pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum* (*Heb.* XII). Cum enim Christi adventus non solum inter se cœlestia et terrestria, sed etiam ipsa terrestria ad invicem pacificare venerit, ut in unitate fidei et Christianæ pacis unum Christi corpus fierent, quid ei proderit Christi adventus, qui extra pacem fuerit inventus? Hanc professi estis, cum ad Deum, auctorem pacis et amatorem revertentes, diabolo auctori et amatori discordiæ et omnibus operibus ejus in fonte vitæ renuntiastis. Ergo, fratres, si dissimulare non vultis, magna est vobis indicta (*a*) necessitas observandæ pacis, qui Regis æterni sacramentis obstricti æterni præmii exspectatione cœlesti militiæ vos mancipatis. Pro certo C enim sciat fraternitas vestra, quia in regno Christi nullus est relictus discordiæ locus. Solum cum auctore [*al.* actore] mortis et operibus ejus, indeficiens est nobis injuncta discordia. Cum ergo, ut dictum est, Christianorum fides pacem debeat habere continuam (*b*), et non tantum mentes eorum a vitiis, sed etiam manus debeant vacare ab operibus vitiosis : videte quantum jam desit vobis ad Christianam perfectionem [*v. c.* vobis Christianæ perfectionis], qui dies, quos devovistis cœlesti militiæ ad quærendam salutem, remitti vobis cogitis exercendæ malitiæ ad inveniendam mortem. Attendite, fratres, si quis vestrum alternatim carnem suam tribus diebus ferro incideret, vel igni combureret, vel quolibet alio cruciatu affligeret, quatuor vero diebus tantum vocaret [vacaret, *ms. c.*], nonne ab amicis ligaretur, nonne D tanquam phreneticus ad medicum duceretur? Quanto magis vulnerator animæ suæ vel interfector fortioribus Christi (*c*) vinculis esset alligandus, ut a morte animæ suæ cessaret, et incessanter vitæ operam daret! Sed quia prona est omnis ætas ab adolescentia in malum (*Gen.* VI), et perversi homines stipendia peccati magis quam justitiæ diligentes adversus correctores [correptores, *ms. c.*] suos insurgent tanquam phrenetici in medicos, exspectantes *de vobis meliora et vicinoria saluti* (*Hebr.* VI), toleramus imperfectionem vestram, dissimulamus impietatem vestram, et cum abundante iniquitate sanare vos perfecte nequeamus, malumus infirmos et saucios vos habere quam penitus mortuos. Rogamus itaque et obsecramus, et ex auctoritate Domini Jesu, cujus legatione, licet indigni, fungimur, vobis præcipimus, ut salvationis vestræ memores, saltim [*ita v. c. Put.*, *al.* saltem] hos quatuor dies quibus et Dominus et Salvator noster medicinalia salutis nostræ sacramenta evidentius operatus est, pacificos firmiter habeatis [*unus v. c.* vos fir. exhibeatis], et ab omni injuria [*al.* iniquo], tam inimicorum quam amicorum, tam alienigenarum quam indigenarum, mentes, manus, linguas compescatis. Novit enim quicunque est Christianæ religionis discipulus, quia quinta feria [quintæ feriæ cultus] Dominus Jesus ultimum cum discipulis convivium celebravit (*Matth.* XXVI; *Luc.* XXII), in quo corpus et sanguinem suum, quæ sunt nostræ reconcilationis sacramenta, et vulnerum nostrorum medicamenta, edendum et bibendum, et de cætero in sui commemorationem faciendum eisdem discipulis commendavit. Completo itaque cœnæ mysterio, eorumdem discipulorum pedes lavit, in sacramentum pœnitentiæ et remissionis (*Joan.* XIII); hoc sacramento designans [designatur, *ms. c.*], terreno pulvere etiam religiosa corda sordere, et neminem esse mortalium, qui non egeat pœnitentia et peccatorum indulgentia. Ejusdem diei fine, discipulo prodente, traditus est in manus Judæorum; quod tanta patientia fieri pertulit, ut se male tractantibus in nullo resisteret, imo aurem præcisam servo principis benigne restitueret (*Luc.* XXII). Quinta quoque feria peracta dispensatione suæ incarnationis videntibus discipulis in glorificata carne cœlos ascendit (*Marc.* XVI); de cætero ad dexteram Patris interpellans pro nobis, ut eo sequatur humilitas gregis, quo præcessit celsitudo pastoris. Quid in his omnibus dux noster, quid nisi pacis exempla monstravit? videlicet ut quia die Christiana plebs tot ad vitam medicamenta suscepit, nemo alium lædendo se potius lædat, nemo alium interficiendo se potius interficiat; cum læsus foris, lædens intus [*al.* interius], pereat. Sexta vero feria primus Adam de limo plasmatus est (*Gen.* I) et secundus Adam ad redimendum hominem veniens, in utero Virginis angelo nuntiante est incarnatus (*Luc* I). Eadem quoque feria Christus passus est, et homo perditus, ad imaginem Dei per Christi sanguinem est reformatus (*Joan.* XIX). Quo ergo die pax reddita est mundo, pacem servare debet omnis homo, ne ad mortem redeat, quam protoplastus universo intulit mundo. Septima autem feria

(*a*) Ita v. c. Put.; alii *injuncta*. Ms. c. ep. 50, *pacem quæ indicta est*.

(*b*) Ita v. c. Put. ut paulo ante dixit. *In unitate fidei et Christianæ pacis*. In aliis est : *Fines pacem debeant habere*, ms. c.

(*c*) *Christi* deest in ms. c.

21 requievit Deus ab omni opere suo, significante hoc nobis Spiritu sancto quod non tantum quiescere debemus ab omni opere vitioso, sed et requiem exspectare post tempus quo sabbatizandum est ab omni opere oneroso. Non enim onerosum erit Deum perfecte diligere, et ejus laudibus ex dilectione incessanter insistere. In figuram quoque futuri et præsentis sabbatismi [*unus cod*, in signum quoque præsentis sab.], prædicta feria caro Christi requievit in sepulcro, anima ejus interim debellante tartara, et hostis antiqui fortitudine superata, perdita spolia reportante. Noli ergo, Christiane, Christi sanguine redempte, noli beneficiis tui Redemptoris ingratus existere; noli tartara in hac ereptionis et requietionis die tua præsentia cumulare, bona proximi tui rapiendo, et eum qui aliena non rapuit, sed se ipsum tibi impendit in membris suis iterum persequendo. De octava feria, quæ et prima, nulli credenti dubium est quod ea die Dominus resurrexit, et certum nobis argumentum et exemplum duplæ nostræ resurrectionis sua resurrectione contulerit, in qua plena pax dabitur filiis adoptionis, jam non concupiscente carne adversus spiritum, vel spiritu adversus carnem (*Gal.* v). His et aliis de causis quæ probrevitate sermonis onerosum est enumerare, majores nostri in his potissimum diebus servandam pacem esse sanxerunt, et pro qualitate personarum et quantitate malorum diversa et dira supplicia violatoribus pacis inferri decreverunt. Quorum vestigia. pro posse nostro, sequentes, exhortando præcipimus, et præcipiendo exhortamur, ut pacem, cujus constitutionem vobis scriptam dirigimus, sine disceptatione servetis, et servandam tactis sacrosanctis reliquiis propria manu firmetis. Hoc enim vobis bonum est, et ad augmentum rerum temporalium [*quidam*, rerum corporalium], et ad profectum bonorum incommutabilium. Obedientibus a Deo pax et misericordia; huic autem constitutioni non obediturus [*al.*, his autem constitutionibus non obediturus], sit anathema maranatha. Valete.

EPISTOLA XLV.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis episcopus*, *clericis Mellentinis, et omnibus in Pixiacensi* (*a*) *archidiaconatu, salutem.*

Perlatum est ad aures nostras quod Mellentinus comes ducere velit in uxorem filiam Hugonis Crispeiensis comitis; quod fieri non sinit concors decretorum et canonum sanctio [*cod. Put.*, quod fieri contra decertat canonum sanctio], dicens: « Conjunctiones consanguineorum fieri prohibemus. » Horum autem consanguinitas nec ignota [*al.*, ignorata] est, nec remota, sicut testantur et probare parati sunt præclari viri de eadem sati prosapia. Dicunt enim quia Gualterius [*al.*, Gauterius] Albus genuit matrem Gualeranni [*al.*, Waleranni] comitis, qui genuit matrem Roberti comitis. Item supradi-

A ctus Gualterius [Gauterius] genuit Radulphum patrem alterius Radulfi, qui genuit Vermandensem comitissam, ex qua nata est uxor comitis Hugonis, cujus filiam nunc ducere vult Mellentinus comes. Si autem prædicta genealogia ita sibi cohæret, legitimum non poterit esse conjugium, sed incestum contubernium, nec filios poterunt habere legitimos, sed spurios. Unde vobis ex apostolica et canonica auctoritate præcipimus, ut tam calumniosum conjugium in ecclesiis nostri episcopatus nec ipsi consecretis, nec ab aliquo, quantum in vobis est, consecrari permittatis, nisi primum in præsentia nostri consanguinitas hæc septimum gradum excessisse legitime fuerit comprobata. Valete, et has litteras Mellentino comiti transmittite.

B EPISTOLA XLVI.

Urbano *summo pontifici*, Ivo *sanctitatis suæ filius*, *fidelium orationum munus.*

Venturi sunt ad vos in proximo nuntii ex parte regis Francorum, per quorum os locuturus est spiritus mendax, qui infatuati adeptione vel promissione honorum [*quidam*, bonorum] ecclesiasticorum infatuare molientur [*al.*, moliuntur, *ep.* 92] sedem justitiæ (*b*). Contra quorum calliditatem a parvitate mea vigilantiam vestram volo esse præmonitam et præmunitam, quatenus rigorem vestrum promissiones eorum non emolliant, comminationes non exterreant. Quidquid enim dicent [ut quid enim] jam securis ad radicem arboris posita est (*Matth.* XIII) nisi ut aut arcum remittatis, aut gladium suspendatis. Qui ergo venturi sunt confidentes in calC liditate ingenioli sui, et venustate linguæ suæ, prædictis de causis impunitatem flagitii se impetraturos regi a sede apostolica promiserunt, hac ratione ex parte usuri, regem cum regno ab obedientia vestra discessurum (*c*), nisi coronam restituatis, nisi regem ab anathemate absolvatis. Si autem impœnitenti venia concedatur, quanta spes impune peccandi peccantibus de cætero relinquetur, non est meum instruere vestram prudentiam, cujus potissimum interest delinquentium errata non fovere, sed ferire. Si autem aliqui subdoli (*d*) evidenter ab unitate matris suæ discedunt, qui jam pridem mente discesserunt, consoletur sanctitatem vestram divinum responsum: *Reliqui mihi septem millia virorum* (*III Reg.* XIX). Et illud Apostoli. *Oportet hæreses esse, ut* D *hi qui probati sunt manifesti fiant* (*I Cor.* XI). De cætero volo sciat vigilantia vestra quia ex præcepto regis, Remensis et Senonensis, et Turonensis archiepiscopi invitarunt suffraganeos episcopos, ut post responsa vestra apud Trecas prima Dominica post festivitatem Omnium Sanctorum conveniant. Quo invitatus ire dissimulo, nisi vestro consilio munitus, timens ne quid contra justitiam, et sedem apostolicam moliatur ille conventus. De his itaque; et de his quæ circa vos sunt, quæ libuerit rescribat

(*a*) Sic plures v.c. alias, *Pixecensi ms.*, c. *Pixeiensi, Pixicensi, Pixetensii*, ut epist. 39.
(*b*) *Sic vocat Romam.*

(*c*) Adi ep. 28 et 211.
(*d*) *Subdoli* deest in ms. c.

mihi vestra paternitas, ut in adversis compati, et in lætis valeam congratulari. Valete.

EPISTOLA XLVII

Ivo, *humilis Carnotensis episcopus*, WIDONIS (*a*) *regis dapifero, salutem.*

Quæ mihi mandasti per Landricum presbyterum jam audieram per Ebrardum nepotem tuum, videlicet quod rex multa mala dimittere, et multa bona se promittat velle facere, si cum pace senis apostolicæ et communione ecclesiastica mulierem (*b*) quam illicite habet, valeat ad tempus retinere. Unde ex auctoritate divina hoc charitati tuæ rescribo, quia nulla redemptione vel commutatione quis peccatum suum poterit abolere, quandiu vult in eo permanere, secundum illud Apostoli : *Voluntarie peccantibus non relinquitur hostia pro* **22** *peccato* (*Hebr.* x). Quod est aliis verbis dicere, quia nemo in peccato suo perdurare volens, peccatum suum poterit aliqua eleemosyna vel oblatione redimere. Unde et Dominus Cain sua offerenti, et tamen homicidium cogitanti legitur respondisse (*Gen.* IV) : « Si recte offeras et non recte dividas, peccasti, quiesce (*c*). » Quasi dicat : Peccas non recte partiendo qui tua offers, et de homicidio tractans, teipsum qui tuis melior es, mihi aufers. Hinc etiam dicit beatus papa Gelasius (in c. *Legatur*, caus. 23, q. 2) : « Legatur ex quo est religio Christiana, vel certum detur exemplum in Ecclesia Dei a quibuslibet pontificibus, aut ab ipsis apostolis, ab ipso denique Salvatore, veniam nisi corrigentibus se fuisse concessam. Auditum autem sub isto cœlo ab aliquibus nec legitur omnino, nec dicitur : Date nobis veniam, ut tamen nos in errore duremus. Ostendant [*al.*, ostendatur] ergo quibus occasionibus, quibus regulis, qua lectione [*al.*, qua ratione] vel quo documento, sive a majoribus nostris, sive ab ipsis apostolis, quos potiores fuisse merito non dubium est, sive ab ipso Domino Salvatore, qui judicaturus creditur vivos et mortuos, vel si factum est unquam, vel faciendum esse mandatur. » Propter hæc et alia multa his similia, scio consilium domini regis bonum exitum habere non posse, nisi ab hoc peccato desistat, et Christi jugo se pœnitendo subjiciat, cum Deus [*al.*, Dominus, *ms. c.*] non nostra, sed nos ad salutem nostram requirat. Dic [*unus v. c.* dicantur] ergo hæc omnia domino regi, ut sanius consilium perquirat ; quod si ei Deus [*al.*, Dominus, *ms. c.*] ministraret, me adjutorem in quibuscunque possem inveniret. Vale.

EPISTOLA XLVIII.

URBANO *summo pontifici*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis servus, fidelium orationum munus.*

Quia [quoniam, *ms. c.*] Gallicanarum Ecclesiarum pericula, quotidianarum pressurarum experimento cognoscimus, earumdem pressurarum onera sedi apostolicæ relevanda notificari præoptamus. Unde

A Remensem metropolim quondam [*al.*, aliquando, *ms. c.*] matrem vestram, nunc autem filiam, sub omni celeritate vestris consolationibus refoveri, vestro auxilio fulciri postulamus, ne *adversarius noster qui circuit quærens quem devoret* (I *Petr.* v), electionem in domnum Manassem facta aliqua valeat versutia perturbare, aliqua perturbatione cassare [*al.*, quassare]. Non enim poterat illa Ecclesia inter omnes filios suos quemquam invenire sedi apostolicæ magis devotum, suis utilitatibus magis necessarium, tum propter generis nobilitatem, tum propter morum honestatem. Quantum vero necessarium sit Romanæ Ecclesiæ, ut in prædicta sede devotum sibi ministrum substituat, non est meum vestram prudentiam instruere, quæ novit eamdem
B sedem diadema regni habere (*d*), et omnibus pene Gallicanis Ecclesiis exemplum ruinæ vel resurrectionis existere. Valete.

EPISTOLA XLIX.

Ivo, *indignus Ecclesiæ Carnotensis minister*, STEPHANO *Palatino comiti, salutem.*

Mansuetudinem vestram adversum me amaricatam non sufficienter admiror, qui personam vestram læsisse, vel principatus vestri jus legitimum in nullo me minuisse arbitror. Quod tamen si aliqua subreptione fecissem, familiaribus colloquiis ut errorem meum corrigerem, fueram admonendus, aut demum ad jus congruis locis et temporibus invitandus, non verbis indignantibus et minacibus exasperandus. Cum ergo nihil horum præcesserit (*e*), cognoscat strenuitas vestra, quam subito in amicum insurrexerit,
C et compescat indignationem suam ; qui sic parati sumus vestræ parere amicitiæ, ut tamen ministerium nostrum honorificemus satisfaciendo justitiæ. Quod enim a claustro canonicorum omnis sæcularis potestas sit eliminata, jamdiu ante tempora patrum vestrorum [*al.*, nostrorum] et regum decretis est cautum, et ecclesiasticis sanctionibus multimode roboratum, et ad usque tempora Gaufridi exepiscopi sine ulla interruptione conservatum. Quod ergo Ecclesia tam liberaliter in primis obtinuit, quod tam multis temporibus quiete possedit, putatis unius hominis levitate vel perversitate a jure Ecclesiæ posse auferri, et sine multa discussione, sine judiciali definitione in alienum jus posse transferri ? Redeat ergo ad se mansuetudo vestra, et acquiescat verbis
D sapientiæ dicentis : *Ne transgrediaris terminos antiquos, terminos quos posuerunt patres tui* [al., *patres nostri*, ms. c.] (*Prov.* XXII). Quos quicunque præsumpserit adversus Ecclesiam parvitati meæ [nostræ *ms. c.*] commissum transcendere, parati sumus pro potestate [*al.*, possibilitate] nobis a Deo collata usque ad damna rerum, usque ad exsilium contradicendo resistere ; et gladio sancti Spiritus usque ad dignam satisfactionem persequendo ferire. Hic gladius pene-

(*a*) *Al.*, GUIDONI *regio dap.;* ad eumdem scribit epist. 23, quæ est ejusdem plane argumenti.
(*b*) Bertradam de qua epist. 13, 15, 28, 46.
(*c*) *Quiesce* abest ab uno v. c. ut etiam epist. 34.

(*d*) Non tamen semper reges Remis coronatos probat epist. 189.
(*e*) Confer. epist. 86.

trat turres, dejicit propugnacula, et omnem altitudinem adversus humilitatem Christi se erigentem, et hæreditatem quam sibi suo sanguine acquisivit, injuste pervadentem. Hic gladius in egestate fortior est, in exsilio non frangitur, carcere non alligatur, juxta illud Apostoli : *Verbum Dei non est alligatum* (*II Tim.* II). Quod si nos cum hoc gladio non timetis, timete Deum in nobis, cujus fungimur legatione licet indigni, cujus sacramentorum dispensatores sumus, dicente Domino per Prophetam : *Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis nolite malignari* (*Psal.* CIV). Habet enim legitimus principatus Ecclesiarum quieti providere, non Ecclesiarum quietem perturbare, sua dare, non suis spoliare, quatenus Ecclesia Deum pro principibus et potestatibus orans, non cum disceptatione hoc faciat B sed cum pietate. De cætero de securitate, pro qua me invitastis, ut eam vobis Mellis [*in uno v. c.* Meldis, *et rectius*] facerem, non est mihi consilium ut eam vobis alibi faciam nisi in civitate pro qua et de qua vobis eam debeo. Nec decet tam rectæ opinionis hominem, ut aliquid a me exigatis contra consuetudinem propter suscitandi odii occasionem. Non enim adeo sum cupidus aut timidus, ut me, vel hoc, vel illud ducat in aliud quam habet ratio et consuetudo. Ego enim perquisitis Ecclesiæ scriptis, consultis etiam antiquioribus Ecclesiæ clericis, nullo modo invenire potui aliquem antecessorum meorum canonice promotum, hanc securitatem fecisse antecessoribus vestris, nisi in civitate. Valete, et Deus pacis sit vobiscum.

23 EPISTOLA L.

RICHERIO, *Dei gratia Senonensium archiepiscopo*, Ivo, *humilis Carnotensium episcopus, salutem cum debita obedientia.*

Parabam me sicut mihi mandaverat vestra paternitas, ut venirem ad colloquium vestrum et confratrum nostrorum, cum eruditioribus Ecclesiæ nostræ filiis. Sed interim mihi pro certo intimatum est a quibusdam amicis meis, quia parabantur mihi insidiæ a quibusdam parochianis vestris, qui sunt affines illius olim dictæ reginæ (Bertradæ, epist. 13 et 105), cujus inimicitiæ nondum sunt adversum me aliqua ratione sedatæ. Unde rogo mansuetudinem vestram ut a Picuereis [Plicuris *ms. c.*] usque ad vos securum mihi conductum præparetis, si præsentia mea adeo necessaria est vobis. Nam in hoc itinere me periculum aliquod incurrere, quantum mihi est damnosum, tantum vobis ignominiosum. Quod si ad præsens fieri non potest, quæ dicerem vobis præsens, ea scribo vobis absens. De veteri querela quam habet adversus Senonensem Ecclesiam Lugdunensis Ecclesia, laudo et consulo ut, si qua habetis privilegia, apostolica manu roborata, vel scripta authentica, quæ primatum Lugdunensis A Ecclesiæ (cujus etiam meminit, epist. 54), quem aliquando ex catalogis civitatum conjicimus exstitisse, ab Ecclesia vestra removeant, et libertatem quam desideramus eidem Ecclesiæ defendant, ea confratribus nostris ostendatis et eadem parvitati nostræ transmittatis, quibus tanquam firmis sustentaculis innitamur, et libertatem matris nostræ pro posse nostro tueamur. Quæ si modo ad manum non habetis, non est consilium meum ut contra torrentem brachia dirigatis, imo apostolicis sanctionibus interim acquiescatis absque præjudicio privilegiorum vel authenticarum scripturarum, si quando reperiri poterunt, quæ hanc subjectionem ab Ecclesia vestra removeant, et ejusdem Ecclesiæ libertatem defendant. Qui melius sentiunt, melius consulant. Hoc tantum provideant [*al.* prævideant], quia rerum exitus prudentia metitur, ut ab imminenti gladio caput vestrum eripiant. De cætero sciatis canonicos Parisienses, decanum videlicet cantorem, Rainaldum archidiaconum in præsentia nostra secundum præceptum domni papæ jurasse se nullo terrore regis vel dictæ reginæ (*a*) compulsos, domnum Gulielmum [*al.* Vuillelmum, *ut dicta epist.* 54 *et* 55] episcopum sibi elegisse, neque aliquid Simoniacæ pravitatis in ejus electione intendisse. Unde mando vobis ex parte domni papæ ut si Parisiensis Ecclesia eum sibi ordinari et consecrari postulaverit, ante festum sancti Remigii secundum auctoritatem et consuetudinem Ecclesiæ vestræ ei manum imponatis, et honore pallii (*b*) ad tempus vobis interdicto, in ejus ordinatione et consecratione uti nullatenus C formidetis. Sic enim domnus papa mihi concessit apud montem Pessulanum, cum ad petitionem regis de ejusdem Gulielmi [*al.* Vuillelmi] electione tractaretur, et post multam ventilationem ejusdem electionis discussio mihi a domno papa committeretur. Ad ultimum rogo paternitatem vestram, ut secundum institutionem [*unus v. c.* constitutionem] pacis quæ a domno papa omnibus Gallicanis Ecclesiis indicta est, de parochianis vestris Stampensibus, videlicet Ursione filio Theodonis et complicibus ejus, justitiam faciatis; qui episcopatus nostri partem episcopatui vestro contiguam omnino devastant, et pacem quam habet reliqua pars episcopatus sine causa perturbant. Præcipite itaque Stampensi archipresbytero (*c*), ut vel eos ad satisfactionem adducat, vel ipsis excommunicatis et locis in quibus morantur divinum officium interdicat (epist. 263) secundum consuetudinem pacis. Valete, et quod vobis placet per præsentium portitorem mihi remandate [*unus cod.* rescribite].

EPISTOLA LI.

Ivo, *Dei gratia Carnotensium episcopus, dilecto fratri et compresbytero* SANCTIONI (d), *recta sapere in Domino.*

Noverit fraternitas tua litteras mihi esse directas

(*a*) Quæ soror istius electi, ut ait in fine epist. 54.
(*b*) Dignitas pallii dicitur epist. 250.

(*c*) Conjunge epist. 50.
(*d*) Ita suppletum nomen episcopi ex v. c. S. Germ.;

a clericis Aurelianensibus, qui majores in clero illo esse videntur, constanter te accusantibus super gravibus capitulis, Simoniaca videlicet hæresi, et invasione Aurelianensis ecclesiæ aliisque criminalibus culpis (*a*) quæ si veræ sunt, canonica severitate sunt plectendæ. Quin etiam talionis vinculo (*b*) in eisdem litteris se astringunt, nisi legitimo numero testium vera hæc esse probaverint, vel in præsentia nostra, vel eorum ad quorum sententiam tuum referendum est judicium. Unde charitate, qua in Christi corpore unum sumus, fraternitatem tuam commoneo, ut si in his reprehensibilem conscientia tua te judicat, ab incœpta pravitate pedem retrahas, ne tua inaniter disperdas et te cum tuis miserabiliter perdas. Attende quia ætatem tuam jam usque in senium divina misericordia pertraxit (*c*), et excessus tuos moderatis flagellis feriens, pœnitentiæ tempora tibi indulsit. Noli ergo sub ipsum funus illam celsitudinem ambire, quam imbecillitas tua vel assequi non valeat, vel aliquando cadentem gravius elidat; quam etiam assequi non valuisti quando eras ætate viridior, ingenio acutior, viribus corporis longe robustior. Nonne tibi, charissime, satius erat in loco humili salvari quam in sublimi periclitari? Si in convivio Domini tui novissimum locum elegisses, et ab invitatore tuo tibi dictum esset: *Amice, ascende superius, tunc* esset *tibi* laus et *gloria coram simul discumbentibus* (*Luc.* XIV). Nunc vero sicut dicitur, contra ecclesiasticas sanctiones, data vel promissa pecunia immensa, adjuncta etiam sæculari potentia, ad fastigium curæ pastoralis aspiras, quantum videtur cum rubore novissimum possessurus locum, cum bona tua distraxeris, et ecclesiam quam invadis thesauris suis et ornamentis spoliaveris. Credo enim quia nemo condiœcesanorum [*al.* condiocesianorum] tibi manum audebit imponere, nisi aut papa præceperit, aut te immunem ab his criminibus legitima discussio demonstraverit. Nunc tibi usque ad undecimam horam otianti [*unus v. c.* moranti] et oscitanti, in vinea Dei laborandum erat, ut saltem in vespera laborares, et denarium diurnum cum his qui portaverunt *pondus diei et æstus* reciperes (*Matth.* XX). Non hæc ex aliqua amaritudine dico, sed ex summa dilectione. Vale.

24 EPISTOLA LII.

Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister*, GAUFRIDO *Cenomanensis Ecclesiæ decano, salutem.*

Multis et magnis negotiis occupatus, fraternitati tuæ sufficienter ad præsens scribere non potui. De Ebrardo [Eberardo *ms. c.*] tamen hoc tibi respondeo, quia cum morum acerbitate, et tam actuum suorum quam verborum importabili præsumptione confratres suos frequenter offenderet, hoc modo licentiam ab eis promeruit, et hoc tantum ut monachus Majoris Monasterii maneret, obtinuit. Qui ergo contempto clericatu ad monasterium confugit, et e converso contempto monasterio, iterum ad clericatum aspirare contendit, non mihi facile suscipiendus videtur ab his quibus vita et doctrina et moribus nondum fuit manifestus. Si ergo ejusmodi personæ intrusione te senseris prægravari, libera est tibi facultas refutandi, quia secundum decretum papæ Cœlestini (in c. 12, *Nullus*, dist. 61): « Tunc primum alter de altera eligendus est Ecclesia, si de civitatis ipsius clero, cui episcopus est ordinandus, nullus dignus (quod evenire non credimus) potuerit reperiri. » Et quia per te sapis, superfluum mihi videtur te instruere, quibus auctoritatibus debeas ignotos, et ex transverso venientes refutare. Hoc tamen consulo tibi, ut abbatem Majoris Monasterii, cujus adhuc monachus est, commonefaciatis, quatenus prædictum Ebrardum a tali ambitione compescat, ac regulari severitate, si sit necesse, coerceat. Licet enim abbatem eum fieri consenserit, non tamen eum a jugo monasticæ disciplinæ liberavit. Vale.

EPISTOLA LIII.

Ivo, *Dei gratia humilis Carnotensium episcopus*, SANCTIONI (*d*) *Aurelianensium episcopo, viriliter agere et confortari in Domino.*

Audivi de fraternitate vestra, quod mihi vehementer displicet et omnibus bonis, quia si quid perversum admittit (quia vobis manus imposui) mihi imputatur, et æmulus vester, non tantum adversum vos, sed etiam adversum me de vestris excessibus gloriatur. Insinuatum est enim mihi per litteras quod clericum illum, quem in die vestri introitus secundum morem vestræ civitatis nostra exhortatione de carcere liberastis, iterum carcerali custodiæ crudeliter mancipastis. Ea namque die qua vobis in missa servierat, qua vobis in mensa communicaverat, verberatum, spoliatum, per manus servorum trahi fecistis ad carcerem, et curiæ traditum nulla consolatione refovistis, neque de ejus liberatione curare voluistis. Nonne satius erat rapinam bonorum vestrorum perpeti, vel etiam personam vestram, sicut promiseratis, carceri mancipari, quam clericus vester non judicatus, non damnatus a vobis curiæ traderetur [curiæ tradere, epist. 66]? ubi more furis, contumeliis et injuriis quotidianis cruciaretur. Non est hoc officium pastoris, sed mercenarii. Non facit tales fructus arbor quam plantavit Dominus; non promittunt bonos exitus mala principia [*al.* ista pr.]. Unde si vultis amplius nos amicos habere et adjutores [*unus cod.* coadjutores], aut diaconum curiæ traditum liberate, aut pro ejus li-

sed variat in libro Put. in quo est Samsoni, quæ varietas etiam notatur in tit. epist. 53. Primitiva editio habebat tantum primam litteram nominis, ut multi quoque manuscripti.

(*a*) De quibus postea purgatus, ep. 54.

(*b*) De quo epist. 138.

(*c*) Hunc Sanctionem ætate gravem dicit epist. 54.

(*d*) Ita suppletum nomen ex v. c. S. Germ.; id cod. Put. *Samsoni*; quæ scripturæ varietas etiam habetur in tit. epist. 51. In cod. Si. Vict. legitur tantum *Sal.*

beratione, quod exigit cura pastoralis sine dilatione perficite. Quod si non feceritis, patens erit procul dubio quia consilio vestro vel vestrorum captus fuit, nec eum fides sed fraus in introitu vetro liberavit. Paraveram quippe litteras mittendas Lugdunensi archiepiscopo de ordinatione vestra, quas retineo donec audiam quomodo vos habueritis in hoc negotio. Valete.

EPISTOLA LIV.

HUGONI, *Dei gratia Lugdunensi archiepiscopo, sedis apostolicæ vicario, episcopi* Ivo *Carnotensis*, VUILLELMUS [al. GUILELMUS] *Pariensis*, WALTERIUS [al. GUALTERUS, epist. 16] *Meldensis, obsequium devotum cum debita obedientia.*

Quoniam quæ geruntur in Ecclesiis, ad auditum sedis apostolicæ vel legatorum ejus referenda sunt per litteras vel nuntios eorum per quos gesta sunt, ne vel æmulorum obtrectatione, vel famæ mutatione secus acta credantur quam facta sunt, ad notitiam vestram referri curavimus quid de Aurelianensis Ecclesiæ ordinatione nuper egerimus. Defuncto enim Joanne Aurelianensi episcopo, Turonensis archiepiscopus qui in prædicta Ecclesia adhuc sibi usurpabat præposituram et archidiaconatum, et quidam ejusdem Ecclesiæ subdecanus cognomine pejor lupo, cum quibusdam jam defuncti episcopi et suis familiaribus clandestinis machinationibus conari cœperunt ut Joannem quemdam archidiaconum cum consensu regis haberent in episcopum [cum ad id consensum regis haberent, in episcopum eligerent. *ms. c.*], cujus vita nec annorum plenitudine, nec litterarum scientia, nec morum maturitate videbatur esse probabilis. Imo pro inhonesta familiaritate (*a*) quam cum defuncto episcopo, et quibusdam eorum qui eum expetere voluerunt [volebant *ms. c.*] habuisse dicebatur, modis omnibus reprobabilis. Hoc ergo audiens reliquus clerus qui erat numero longe amplior, litteris eruditior, vitare volens [*al.* volebant] oppressiones quas perpessus erat a prædictis personis tempore defuncti episcopi, saniore [sanior *ms. c.*] consilio pro temporis opportunitate et loci, elegit sibi cum consensu regis in episcopum Sanctionem (*b*) ejusdem ecclesiæ decanum, virum, ut scitis, ætate gravem et moribus maturum (*c*). Quem cum a nobis ex admonitione Senonensis archiepiscopi consecrari postulasset apud castrum Nantonense, quod est juxta [*quidam*, est intra, *ita ms. c.*] parochiam Senonensem, omnino recusavimus, propter primatum Lugdunensis Ecclesiæ, quem irrationaliter refutat illa sedes, et interdictum sedis apostolicæ (vid. epist. 50). Interim itaque æmuli prædicti electi, missis litteris rogaverunt nos ut ei manum non imponeremus, quoniam Simoniacus esset et invasor (*d*), simul addentes se hoc probaturos in loco competenti et tempore extra manus regiæ potestatis. Cum ergo adjunctis precibus regis instanter postularet Ecclesia electum suum sibi consecrari, prætendens irreparabiles Ecclesiæ ruinas futuras, si id non fieret, missis litteris statuimus prædictis calumniatoribus tempus et diem ante consecrationem, locum Carnotum videlicet, ubi potestas regia eis obesse non poterat. Ipsi vero neque venerunt, neque personam aliquam pro se miserunt. **25** Subtrahentibus itaque se prædictis calumniatoribus, nescimus qua calliditate, legitimæ discussioni, victi precibus pene totius Ecllesiæ, habito inter nos consilio accepimus tam ab eo quam ab illis qui cum illo erant meliores districta sacramenta usque ad septem, quæ cum (quantum in conspectu hominum purgari poterat) purgaverunt de invasione et simonia (*e*) Remotis itaque impedimentis quæ ei specialiter opponebantur, eum promissa vobis obedientia consecravimus, et Ecclesiæ quæ eum expetierat destinavimus. A qua susceptus est cum omni devotione sine ulla contradictione. Hæc ita esse vera, si opus inerit comprobabimus, utpote qui ista tractavimus quam majori diligentia potuimus. Unde rogamus paternitatem vestram ut non facile aurem his accommodetis, quos exclusa veritate quæ sua sunt quærere cognoscetis. Huic vero epistolæ interserere curavi ego Ivo Carnotensis episcopus sacramentum quod secundum præceptum papæ fecerunt Parisienses pro electo suo decanus, cantor, archidiaconus, reliquis consentientibus : « Non elegimus nobis in episcopum Willelmum [*al.* Guillelmum ; *confer ep.* 26 et 50] propter munus acceptum vel promissum ab aliquo, vel gratia contubernii, quod habebat soror ejus (*f*) cum rege, vel propter minas nobis illatas a rege, vel prædicta ejus sorore. Sic nos Deus adjuvet, et hæc sacra Evangelia. » Sic purgatus secundum quod apud montem Pessulanum rege postulante papa præceperat, ante festum sancti Remigii, a suo metropolitano est consecratus (*dicta ep.* 50). Valete.

EPISTOLA LV.

HUGONI, *Dei gratia Lugdunensi archiepiscopo apostolicæ sedis legato*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, cum debita obedientia fidele servitium.*

Causam Belvacensis electi nuper apud Nemausum coram domno papa familiariter ventilari vestra paternitas audivit, et aliquando ut Belvacensi Ecclesiæ secundum vota sua, facta electio confirmaretur apud domnum papam cum aliis intercessoribus intercessit. Sed quia domnus papa quibus de causis voluit prædictam electionem confirmare distulit, Ecclesia ab intentione sua non desistens, per diversa pericula, per laboriosa itinera post eum legationem misit, electum suum quem utilem sibi in recolligendis bonis suis quæ male dispersa erant,

(*a*) Succubus enim dicebatur, vide ep. 66 et 67.
(*b*) Quidam cod. *Sancionem*, alius *Samsonem*. Ad Sanctionem coepiscopum scribit epist. 62.
(*c*) Senem tunc fuisse indicat epist. 51.
(*d*) Hæc duo crimina objiciebantur dicto Sanctioni, ut firmat locus epist. 51.
(*e*) Septima purgatio appellatur epist. 229.
(*f*) Quæ dicta regina eodem ep. 50.

fore præviderat[*al.* providerat] et jam experta erat, summa devotione quæsivit, multa precum ingeminatione promeruit, sic tamen ut super hoc vestra quæratur benevolentia et desiderium supplicantis Ecclesiæ vestra discretione impleatur sententia. Quoniam ergo exitus hujus negotii ex vestro pendet arbitrio, vigilantiam vestram multa precum instantia flagitamus, ut si aliquis venialis excessus, prout est humana conditio, in prædicti electi persona notatus est, quominus plena in eo videatur regularis integritas, provida hunc compensatione libretis, et utili dispensatione supportetis, præsertim cum Ecclesia præsens æque sibi utilem non inveniat, quem cum pace regni et Ecclesiæ consensu in episcopum eligat. Neque enim, ut nobis videtur, damnose aliquando rigor canonum remittitur, ubi multorum utilitati providetur (*idem*, epist. 171). Sic enim papa Pelagius quemdam Syracusanæ urbis electum uxorem habentem et filios, cum ista occasione ordinationem ejus multo tempore distulisset, postea interveniente Cetego (*a*) Patricio, quia Ecclesia in voluntatis suæ proposito irrevocabiliter persistit, accepta ab eo cautione quæ competebat, ordinari permisit. In hunc quoque modum si velimus præteriti et præsentis temporis exempla colligere, inveniemus principes Ecclesiarum quædam pro rigore canonum districtius judicasse, multa pro temporum necessitate tolerasse, multa pro personarum utilitate dissimulasse (*b*). Quæ quia sollicitudini vestræ ignota esse non credimus, ea vobis enumerare superfluum duximus. Tantum provideat vestra vigilantia ne ulterius suspendendo ordinationem electi, laboret et periclitetur Ecclesia[*unus v. c.* laboret electus et p.; *confer ep.* 60]. Quod si hoc non bene consultum famæ vestræ creditis, utile est et conducibile, ut metropolitani sui et comprovincialium discretioni et providentiæ cum vestra benevolentia committatis. Valete.

EPISTOLA LVI.

PHILIPPO, *Dei gratia serenissimo regi Francorum*, Ivo, *humilis presbyter suus, salutem, et sicut domino et regi suo fidele servitium.*

De eo quod parvitati meæ mandavit vestra sublimitas, post duo concilia hoc anno a domno papa celebrata, nunc legatum ejus Lugdunensem archiepiscopum intra eumdem annum, tertium generale convocare, et ad hoc regni vestri episcopos invitare, serenitati vestræ respondeo, quia cum nuper litteras ejus habuerim nihil tale ibi legi, vel a misso ejus audivi. Quod tamen si faceret, non esset hæc apostolica institutio, vel ecclesiastica consuetudo. Si autem aliquis pro culpis suis indulto sibi congruo spatio a legatis apostolicis vocatus fuerit, non potest subterfugere quin ad diem sibi præcriptum occurrat, nisi eum legitima causa detineat. Quod si quis eos ultra[*al.* contra] terminos a patribus constitutos angariare voluerit, vos habito cum eis communi consilio injustis oppressionibus pro persona vestra resistite, sic ut quæ Dei sunt, Deo reddant [*al.* reddantur], et quæ Cæsaris sunt, Cæsari reddere non omittant (*Marc.* XII). Valeat multo tempore sublimitas vestra.

EPISTOLA LVII.

Ivo, *Dei gratia humilis Carnotensis episcopus*, GAUFRIDO *Vindocinensis monasterii abbati, mundum spernere cum suo flore.*

De fratre illo qui ter a vobis fugiens, secundum constitutionem monasticæ regulæ, ter susceptus fuerat (*conf. ep.* 160), et nunc quarta vice aversus fugerat, et item conversus et reversus sepulturam cum fratribus per misericordiam obtinuerat, mihi satis placet, quia *superexaltat misericordia judicium* (*Jac.* II), et Dominus principi apostolorum consulit, converso peccatori non tantum dimittendum septies, sed usque septuagies septies (*Matth.* XVIII). Sed puta sacrilegium quod commisit [commiserat, *ms. c.*] abscondit, nec condigna satisfactione 26 monasterio rem sublatam restituit, monendo consulimus, et consulendo monemus, ut sepulturam quam cum fratribus misericorditer acceperat, amittat, quatenus cæteri timorem habeant, et a simili sacrilegio manus contineant, quia non potest sequi plena remissio ubi non fuit vera conversio [*unus. v, c.* confessio]. Vale.

EPISTOLA LVIII.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister, congregationi Senonensi Beati Stephani, salutem et suæ necessitatis* [*necessitati* ms. c.] *debitum adminiculum.*

Petitorio vestro mandavit nobis vestra fraternitas, ut electum vestrum in Purificatione beatæ [*al.* sanctæ] Mariæ, pro officio nostro ordinemus in presbyterum, sequenti autem Dominica consecremus in episcopum; sed apostolica institutio et paterni canones (*c*) habent ut non fiat levitica vel sacerdotalis ordinatio, nisi jejunio quarti mensis, septimi et decimi, aut initio Quadragesimæ, vel Sabbato medianæ Quadragesimæ. Et quia periculum est ordinatoris et ordinati citra [*al.* contra] ordinem a Patribus traditum, sacrum ordinem tradere vel accipere, et verba sunt Sapientiæ: *Hæreditas ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit* (*Prov.* XX): exspectet interim vestra fraternitas legitima tempora, donec cum confratribus nostris, et cum ipso electo colloquium habeamus, et quidquid fieri vel non possit, diligenti inter nos examinatione pertractemus. Obstare enim quædam videntur, de quibus nobis cum ipso electo agendum est, antequam ipsius electionem confirmemus, quod ad præsens Deo annuente fieri poterit (apud Seno-

(*a*) Sic plerique vett. codd. ut etiam in ca. I, de Syracusan. dist. 28, antea, *Metego.*

(*b*) Sup. ep. 16, Gratian. sub can. 1, q, 7. Et tit. *Multa ex circumstantiis*, etc., dist. 29.

(*c*) Cap. *Nullus*, dit. 5, et cap. ult., dist. 75. De temporib. ordinat. Albinus Flaccus, lib. De div. offic.; et Amalarius l. II De presb. et diacon. Sabbato consecr.

nes, *v. c.*) cum ad colloquium regis pariter convenerimus. Valete.

EPISTOLA LIX.

Hugoni, *Dei gratia Lugdunensi archiepiscopo apostolicæ sedis legato*, Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, cum debita obedientia devoti famulatus obsequia.*

Si dilectioni vestræ aliquando fuit de parvitate mea bona spes, non oportuit gravitatem vestram tam cito desperare, nec malevolorum, non quæ Dei sunt sed sua quærentium, obtrectationibus tam facile (*a*)aurem inclinare : ut eorum lacerationibus, qui non possunt aliter sibi famam probitatis acquirere, nisi famæ insidientur alienæ, suspicemini me aut in via Dei non ambulasse, aut ab ea propter humanum favorem deviasse. Testis enim est mihi scrutator renum et conscius secretorum, quia in consecratione Aurelianensis episcopi (*b*) in qua mansuetudinem vestram exasperasse nunc videor, immunis est manus mea ab omni munere, munda est mens mea ab omni temporalis commodi exspectatione. Ea etiam mala quæ de prædicto episcopo sollicitudini vestræ suggesta sunt, vel inaudita [mandata *ms. c.*] mihi fuerunt vel incognita, vel si aliqua ad aures meas pervenerunt quæ purgatione digna viderentur, licet nulla exstaret legitima accusatio (*c*) sic tamen sunt secundum canonicam institutionem publica sacramentorum examinatione purgata, ut si qua posset remanere pro humana infirmitate suspicio, jam non humano, sed divino mihi videretur reservanda judicio (*d*). Unde sine ulla disceptatione testimonium mihi reddit conscientia mea, me nihil in hoc negotio commisisse quod adversetur rectæ fidei sanæque doctrinæ, qui generales Patrum sanctiones de ordinatione episcoporum me nescio transcendisse. Nam quod opposuistis castitatem ejus non fuisse probatam, nec a me in litteris meis fuisse commendatam (*e*), superfluum mihi visum fuit, post domnum papam de castitate ejus disceptare, cujus præcepto videram eum Romæ in presbyterum ordinari (cujus eadem lex est continentiæ, quæ et episcopi (*f*) cujus etiam sacerdotium post litteras papæ commendatitias legi litteris vestris commendatum, et episcopum suum, qui ejus sacerdotium aspernabatur, a vobis vehementer reprehensum. Quod vero mihi scripsistis, propter officium legationis vobis injunctæ prius [post, *ms. c.*] hoc ad notitiam vestram fuisse referendum, ut tunc eum demum consecraremus, cum quod vobis bene placeret, agnosceremus, quoniam sic præcepit [*al.* præceperit] Leo papa Anastasio Thessalonicensi episcopo legato suo(*g*); personale hoc fuisse intelligimus privilegium, non generale decretum, maxime cum secundum eumdem Leonem, « legationis officium pars sit apostolicæ sollicitudinis, non plenitudo potestatis. » Quæ etiam pars (*h*) modo plus, modo minus recipit pro arbitrio committentis. Sed quia modo per vos demum cognovi, quod nec dicto nec scripto alicujus ante didiceram, non est meum studium contra privilegium legationis vestræ, vel quantamcunque sublimitatem divina dispensatio vobis dare voluerit, contentiose agere, qui semper fui paratus pro viribus obedire, et honestati vestræ contra omnes obtrectatores vestros, eos etiam qui me nunc apud vos lacerant, quantum prævalui propugnare. De cætero itaque consulo sollicitudinem vestram, ut mihi rescribatis quid nobis agendum sit de Daimberto Senonensis Ecclesiæ electo, quem licet nobis inconsultis electum, Senonenses clerici offerunt in initio Quadragesimæ ordinandum, ac denuo in episcopum consecrandum(*i*). Commendant enim eum satis accurate electores ejus, et generis nobilitate, et morum honestate, et publicarum actionum strenuitate. Cujus electio si justa vobis videbitur, petimus ut nullas moras innectatis ; si injusta qua lege differenda sit, vel cassanda, me et consuffraganeos meos sic litteris vestris instruatis, ut nec uni, nec alteri, sed omnibus hoc onus imponatis. Bene valete, et a versutia Turonenensis archiepiscopi (*j*) diligenter vobis cavete, ne plus noceat amicus quam nocere poterit inimicus.

EPISTOLA LX.

Hugoni *Lugdunensi archiepiscopo sedis apostolicæ legato*, Ivo *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, salutem et servitium.*

Factum est ut imperastis, et manus a consecratione Senonensis electi(*k*) continuimus, et litteras vestras per comprovinciales episcopos pro apostolicæ auctoritatis obedientia direximus. Petendo itaque consulimus, et consulendo petimus discretionem vestram, ut parcius de cætero nos apostolicæ obedientiæ vinculis astringatis, ne humeris nostris importabilia imponendo, in inobedientiam labi,

(*a*) *Tam facile* deest in ms. c.

(*b*) Videtur intelligi Sanctio, vel Samso, de cujus consecratione agit epist. 54.

(*c*) Ut de tit. *Deficientib. accusatorib.*, quis sit cogendus ad purgandum. caus. 2, q. 4.

(*d*) Septem sacramentis hunc Sanctionem purgatum testatur dicta epist. 54.

(*e*) Juxta canones apud Gratian., dist. 81.

(*f*) Inclusa desumpta sunt ex ep. 90, c. 3, Leonis primi ad Rustic. Narbon.

(*g*) Leo papa I, in epist. 82, cap. 1, et refertur in cap. 4, *De person.*, distinct 65.

(*h*) Citatur in cap. *Multum*, causa 3, q. 6. Idem de cæteris Ecclesiis quibus vices suas impertit Romana, dicit S. Gregor. supra ep. 8.

(*i*) Hunc etiam laudat a nobilitate, eruditione et bono testimonio, epist. 60 ; quem tamen hic Hugo consecrari prohibuit causa relata epist. 65. Qua de re conqueritur auctor, epist. 60.

(*j*) Hujus insidias notat ep. 66, cujus mores turpissimos exagitat epist. 67.

(*k*) Daimberti, ut liquet ex epist. 66 ; hujusce autem epistolæ commeminit, epist. 67.

27 prohibente aliqua impossibilitate, vel imperante aliqua necessitate faciatis, quia facile est vobis comminante arcu de longinquo pugnare, nobis autem nimis periculosum adversantem gladio de præsenti ferire. Nos tamen interdicta seu mandata pro fidei defensione, pro fidelium correctione, pro sceleratorum emendatione, pro imminentium vel futurorum malorum interdictione, promulgata a sede apostolica sic volumus observare ut parati simus, Deo cooperante, quælibet adversa pro eorum defensione tolerare. Cum vero ea quæ indifferenter se habent et in quibus non observatis, minime salus periclitatur, vel observatis minime juvatur, tam obnixe servanda sancitis, vel cum ea quæ antiquitas sanxit, consuetudo servavit, et venerabilium auctoritas Patrum sacrata firmavit, prout vultis, minuitis, aut mutatis, attendere debet prudentia vestra, quid saluti eorum quibus per omnia prodesse debetis, conferatis, vel quorum institutio sit potius tenenda, vel quibus obedientia potius sit exhibenda, an illis sanctis Patribus qui adhuc nobis in scriptis suis loquuntur, an vobis quibus nihil est aliud propositum, nisi priorum sequi et honorare vestigia. Neque hæc [hoc, *ms. c.*] dico, quod contra novos excessus non liceat nova promulgare mandata, sed hoc dico, quod dicit papa Zozimus Narbonensibus (can. *Contra*, caus. 25, q. 1) : « Contra statuta Patrum concedere aliquid vel immutare, nec [ne, *ms. c.*] hujus quidem sedis potest auctoritas, apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum sanxere reverentiam. » In libro quoque pontificum, qui dicitur Diurnus, ita continetur de professione Romani pontificis : « Nihil de traditione quam a probatissimis prædecessoribus meis traditam et servatam reperi, diminuere (*a*), vel mutare, aut aliquam novitatem admittere, sed ferventer, ut eorum discipulus et sesquipeda totis [*al.* totius] mentis meæ conatibus, quæ tradita canonice comperio, observare ac venerari profiteor. » Beatus quoque Gregorius Maurentio [*unus cod.* Maurentino] magistro pro causa Theodori : « Grave nimis est contra veterem usum sacerdotes sibi quidquam arripere. » Item idem : « Omnia quæ usus antiquitatis statuit, intemerata serventur. » Inde Leo quartus scribit judici Sardiniæ : « Nec mos, nec noviter introducta consuetudo nostræ Ecclesiæ nostris prædecessoribus fuit, contra canonum statuta, nova vel inusitata præsumere. » Item Gregorius universis episcopis Numidiæ (ep. 75, l. I et in caus. *Nos*, dist. 12) : « Consuetudinem, quæ contra fidem nihil usurpare dignoscitur immotam permanere concedimus, sive de primatibus constituendis, sive de cæteris capitulis. » Item Leo quartus Lothario : « Quod justa ac sedula consuetudo [quod si ista consuetudo ac

A sedula, *ms. c.*] nos imitari non præcepit, ita ab hoc veluti a [*al.* uti a] magno præcipitio nos custodire oportet. » Nicolaus quoque inter cætera sic scribit Hincmaro (*b*) Remensi archiepiscopo : « Ridiculum est et satis abominabile dedecus, ut traditiones quas antiquitus a Patribus suscepimus, infringi patiamur (*c*). » Gelasius quoque universis episcopis per Dardaniam de hac eadem re ita scribit (can. *Quia per*, dist. 64) : « Quia per ambitiones illicitas non pudet quosdam Ecclesiarum jura turbare, et privilegia quæ metropolitanis vel comprovincialibus episcopis decrevit antiquitas, avida præsumptione pervadere, non respicientes quoniam [*al.* quia, *ita ms. c.*] æterno judici rationem tam de catholicæ sinceritatis injuria, quam de traditionum præjudiciis
B paternarum non sine perpetuæ damnationis interitu sint reddituri ; si in hac obstinatione permanserint, charitatem vestram duximus instruendam, ut vos omnes in commune fratres per Dardaniam, sive per contiguam quamque provinciam constituti, qui vos sub metropolitanis vestris esse meministis, et ab eisdem [hisdem] substitui decedentes, sicut vetus consuetudo deposcit, unanimiter studeatis antistites, et vicissim si metropolitanus humanæ conditionis sorte recesserit, a comprovincialibus episcopis; sicut vetus forma transmisit, sacrari modis omnibus censeatis [Sic plures v. c. quidam *constituatis*]. » Cum ergo tam ista quam alia generalia instituta tam absolute consecrationem metropolitani contineant, miramur cur privatis legibus et novis traditionibus veteres traditiones et consuetudines remo-
C vere contenditis, præcipiendo ut Senonensis electus (*d*) ante consecrationem suam vobis præsentetur, et jure primatus vestri subjectionem et obedientiam profiteatur. Quod hactenus nec in Senonensi provincia, nec in aliis provinciis antiquitas instituit, nec consuetudo servavit. Unde papa Nicolaus inter cætera sic scribit Radulpho archiepiscopo Bituricensi aliqua ultra jus primatis sibi usurpanti (infra epist. 83) : « Primates vel patriarchas nihil privilegii habere præ cæteris episcopis, nisi quantum sacri canones concedunt [*al.* concesserint], et prisca illis consuetudo contulit, diffinimus, ita ut secundum regulas Nicænas sua privilegia serventur Ecclesiis (c. 6 Nic. conc. et c. *Mos antiquus*, dist. 6). » Quod si privilegio vestræ legationis eum vobis contenditis
D præsentari, qui nec apud nos, nec apud vos ab aliquo est accusatus, non ita papa Leo Anastasio instituit Thessalonicensi episcopo vicario suo, sed ut tantum de nomine electi ad notitiam ejus provinciales referant sacerdotes (c. *De persona*, dist. 65), ipse autem nullis difficultatibus, nullis dilationibus justas fatigaret electiones. Quantum enim audivimus, persona nobiliter nata, competenter erudita (*e*), boni

(*a*) Hoc etiam testatur epist. 73.
(*b*) V. c Ser. *Hingmauro*, al. *Hincmaro*, sed *Hincmaro* legitur in ipsius Nicolai prim. epist. 70, citatur etiam cap. 6, dist. 12.
(*c*) Additur dicta ep. 70, pro libitu semper errantium.
(*d*) Daimbertus, cujus consecrationem impediebat hic Hugo ob causam relatam epist. 65.
(*e*) Confer. locum epist. 59, in fine.

testimonii inter notos,cum in ecclesia sua diaconatus fungeretur offficio,sine ulla disconantia gratuitam habuit electionem. Sed si his xactionibus modo cederet, diceretur munere linguæ vel officii suam comparasse consecrationem. Quod autem scripsisti prædictum electum investituram episcopatus de manu regis accepisse, nec relatum [est, *ms. c.*] nobis ab aliquo qui viderit, nec cognitum. Quod tamen si factum esset, cum hoc nullam vim sacramenti gerat in constituendo episcopo vel admissum vel omissum, quid fidei, quid sacræ religioni officiat, ignoramus, cum post canonicam electionem reges ipsos apostolica auctoritate a concessione episcopatuum prohibitos minime videamus (ep. 104, et c. *Cum longe*, dist. 63). Legimus enim sanctæ recordationis summos pontifices aliquando apud reges pro electis ecclesiarum, ut eis ab ipsis regibus concederentur episcopatus ad quos electi erant, intercessisse (c. *Realina* 16, dist. 63) aliquorum, quia concessiones regum nondum consecuti fuerant. consecrationes distulisse (c. *Agatho* et seqq., dist. 63). Quorum exempla supposuissemus [*al.* proposuissemus], nisi prolixitatem epistolæ vitassemus. Domnus quoque papa Urbanus reges tantum a corporali investitura excludit (*inf.* ep. 233), quantum intelleximus, non ab electione, in quantum sunt caput populi,vel concessione;quamvis octava synodus solum prohibeat eos interesse electioni, non concessioni. Quæ concessio sive fiat manu, sive nutu, sive lingua, sive virga,quid refert?cum reges nihil spirituale se dare intendant, sed tantum **28** aut votis petentium annuere, aut villas ecclesiasticas et alia bona exteriora, quæ de munificentia regum obtinent Ecclesiæ,ipsis electis concedere. Unde Augustinus super Joannem prima parte, tracta,u sexto (c. *Quo jure*, dist. 8) : « Quo jure defendis villga Ecclesiæ, divino an humano?divinum jus in Scripturis habemus, humanum in legibus regum.Uude quisqus possidet quod possidet,nonne jure humano?Nam jure divino : *Domini est terra et plenitudo ejus* (*Psal.* XXIII). Jure humano dicitur : Hæc villa mea est, hæc domus mea est, hic servus meus est. Tolle jura imperatorum,quis audet dicere : Hæc villa mea est, meus est iste servus, mea est ista domus ? » Item : « Noli dicere : Quid mihi et regi ? Quid tibi ergo et possessioni ? Per jura regum possidentur possessiones.Dixisti: Quid mihi et regi? Noli dicere possessiones tuas, quia ad ipsa jura renuntiasti humana, quibus possessiones possidentur.» Quod si hæc æterna lege sancita essent, non esset in manu præsidentium, ut ea in quibusdam districte judicarent[vindicarent, *ms. c.*]in quibusdam misericorditer relaxarent, ipsis in honore

A accepto permanentibus contra quos ista loquuntur. Nunc vero quia ea illicita maxime facit præsidentium prohibitio, licita quoque eorumdem pro sua æstimatione remissio(*a*),videmus nullos aut pene nullos hujusmodi transgressione damnatos, plurimos autem vexatos, plurimas ecclesias spoliatas, plurima scandala exorta, divisum regnum et sacerdotium, sine quorum concordia res humanæ nec incolumes esse possunt tutæ (*b*). Videmus quoque miseros episcopos et abbates,nec ruinis morum nec murorum reficiendis velle vel posse vacare, solum ad hoc intentos, ut possint sibi aliquam linguam magniloquam amicam facere,cujus nundinis se possint utcunque defensare. Multi quoque electi qui gratuitam et canonicam habent electionem, B quia hujusmodi dilationibus vel fatigationibus impediuntur ; comparatis sibi pecunia mediatoribus et prolocutoribus,ne turpem patiantur repulsam, in Simoniacam offendunt aliquando consecrationem (*c*).Cum ergo omnis institutio ecclesiasticarum legum ad salutem referenda sit animarum,istarum institutionum transgressiones aut districtius essent corrigendæ, ut saluti prodessent, aut interim silentio promendæ, ne spiritualia vel corporalia commoda supradictis modis impedirent.Nec ista dico tanquam velim adversus sedem apostolicam caput erigere, vel ejus salutaribus[*al.* salubribus, *ita ms. c.*]dispositionibus obviare,vel meliorum sententiis præjudicium facere, si vivis nitantur rationibus, et evidentioribus veterum Patrum auctoritatibus.Sed hoc vellem cum multis mecum pie sentientibus, ut Ro- C manæ Ecclesiæ ministri tanquam probati medici majoribus morbis sanandis intenderent, et non ab irrisoribus suis audirent : *Culicem excolantes* [al. *colantes*) *et camelum glutientes*, *mentem*, *rutam*, *ciminum*, *et anetum decimatis*, *graviora autem legis præcepta prætermittitis* (*Matth.* XI), cum per totum pene mundum flagitia et facinora videamus publice perpetrari,nec ea a vobis aliqua justitiæ falce resecari(*d*).Quorum exempla quia vel a vobis non sunt remota, vel vobis non ignota, non est meum eos speciali sermone taxare. Vos videritis quid de his et similibus agere debeatis. Nunc vero specialiter ad hoc intendit stylus meus, ut electum(Daimbertum *ut supra*) Senonensis Ecclesiæ, si nihil in eo quod sacris canonibus obviet, repertum fuerit, se- D cundum morem antiquum consecrari permittatis, quia de tantillo jure, cedere quod habent Ecclesiæ nostræ, nec volumus nec debemus cedere (*e*): cum beatus dicat (ep. 6, l. I, ad Magnum): «Quam periculosum sit in divinis rebus,ut quis cedat jure suo et potestate, Scriptura sacra declarat,cum Esau primatus suos inde perdiderit, nec recipere id

(*a*) Similis locus epist. 190 et 23..

(*b*) Ex Leonis I, epist. 29 in cap. 20 ; *Res autem* , causa 23, q. 5. In quam rem Ivo epist. 106 et 214.

(*c*) Hinc laborare et periclitari Ecclesia ait epist. 55,inde primas monetus nihil moræ aut difficultatis afferre rectis ordinationibus, c. 4 *De persona*, dist. 65.

(*d*) Huc refer epist. 109,ubi de legatis pontificiis conqueritur.

(*e*) Singulis enim Ecclesiis sua privilegia servanda cap. *Mos*, dist. 65.

postmodum potuerit quod [*al.* quo *ms. c.*] semel cessit.» Quod si huic petitioni nostræ acquieveritis, consecrato omni studio persuadebimus, ut primatum (*a*) Lugdunensis Ecclesiæ recognoscat, vobis sicut primati suo deferat et omnem debitam reverentiam secundum traditiones Patrum exhibeat. Qui si acquiescere noluerit nostris persuasionibus, nos tamen ab his quæ præceperit apostolica sedes [*in tribus vers. codd.* Romana sedes], non recedemus. Si autem petitionibus nostris non acquieveritis, et aliquod schisma inde fuerit exortum contra votum nostrum, secure dicam, neque iniquitas mea, neque peccatum meum (*Psal.*, LVIII), neque vos poteritis dicere vobis non fuisse prædictum. De cætero prædam a Puteacensibus in me et in Carnotensem ecclesiam factam (epist. 75, 111 112 et 204) jure possem a vobis repetere, si reverentiam vestram in jus vocare possem, qui ad suggestionem æmulorum meorum, prædictos sacrilegos a me et a coepiscopis meis communione privatos, me nesciente, communioni reddidistis ac per hoc scelerum suorum impunitate ad perpetranda majora sacrilegia relaxastis. Quorum utrum faciendum fuerit, vel post factum cognita veritate corrigendum, judicet justitia vestra, cum justa vincula non solvat nisi vera pœnitentia. Si ad hæc omnia respondere non licet, vel non placet, ad hæc saltem duo ultima respondeat sanctitas vestra. Bene vale.

EPISTOLA LXI.

HUGONI *primæ sedis episcopo Romanæ Ecclesiæ legato*, Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister*, *salutem et obsequium.*

Secundum mandatum vestrum gratanter et devote vobis quacunque occasione, ubicunque [ubique *ms, c.*] opportune fieri posset, occurreremus, sed de terra nostra exire vel in eamdem redire sine magno periculo non possumus, propter quosdam sceleratos viarum nostrarum observatores quos pro pace violata et cæteris enormitatibus suis Satanæ tradidimus (*b*). Præter hoc secundum consuetudinem Ecclesiæ nostræ, synodum (*c*) VII Kal. Novemb. celebrare debemus, in qua de negotiis ecclesiasticis et pace totius patriæ multa nobis tractanda sunt, quæ sine præsentia nostra vel non tractarentur, vel tractata non terminarentur. Verum de eo quod consecrationem Nivernensis electi ad nostram diœcesim pertinentem, Augustini [*al.* Augustiduni, *ita ms. c.*] facere diposuistis, simpliciter dico paternitati vestræ, quia nec dispositionem vestram reprehendimus, quoniam reverentiæ vestræ deferimus, nec tamen approbamus, quia nec ex auctoritate, nec ex consuetudine ordinem hujus consecrationi habemus, nec in consuetudinem ducere sine multa delibe-

A tione audemus, timentes rei fieri sponsionis, quam metropolitanæ sedi fecimus. Cujus præsides si non recte incedunt, videtur nobis secundum **29** Dominicum præceptum enormitas eorum devitanda, pervicacia arguenda, non autem potestas cathedræ (*d*), quæ non sacris locis propter personas hujus temporis, sed propter sacra loca personis conceditur, est evertenda. Cum ergo metropolitana sedes ad præsens ab hoc officio suspensa sit, possemus nos pro sede metropolitana confratribus [cum fratribus, *ms. c.*] nostris, secundum consuetudines nostras, intra diœcesim hoc sacramentum consecrationis implere, confirmata per ministerium vestræ legationis prætexatæ personæ electione, quam aliter facientes quam cum ea vel pro ea, vel non confir-
B mantes (*e*), videremur prælatam nobis cathedram quodamnodo subvertere. Quod si aliquando contigit, penuria catholicorum episcoporum vel aliqua alia necessitate cogente aliquem episcopum, a comprovincialibus non fuisse consecratum (*f*) ; non debent hæc exempla præjudicium facere legi communi vel generali consuetudini. Licet enim prudentia vestra velit et debeat ministerium suum honorare (*g*), reminisci tamen debet, quia cum Petrus Paulo esset prælatus, dederunt tamen sibi invicem dexteras societatis (*infra* epist. 234), ut alter in gentibus, alter in circumcisione prædicaret Evangelium (*Gal.* II). Attendat ergo discretio vestra, utrum quod ita fieri liceat, et si liceat, utrum expediat, ne forte odisse et detrectare incipiant jugum vestrum, quos vultis habere subjectos dum hoc exemplo suo se in-
C tellexerint jure esse privandos. Quanta autem firmitate singulis Ecclesiis sua jura servanda demonstrat Stephanus quintus papa ita scribens Walberto patriarchæ (*h*); «Miramur prudentiam vestram [*al.* tuam, *ita ms. c.*] Cumensi Ecclesiæ denegare consecrare pastorem, eum te etiam [jam, *ms. c.*] ad hoc provocatum noveris apostolica exhortatione. Nunc vero iterato tibi scribimus, nolentes alicujus Ecclesiæ privilegium infringere, licet apostolica prærogativa possumus de qualibet Ecclesia clericum ordinare. » Cum ergo præcipua virtus sit viri illustris.

Parcere subjectis et debellare superbos
(VIRGIL., VI *Æneid.*).

D cavendum est vestræ solertiæ ne glorientur adversus nos, recalcitrantes adversus vos, tanquam plus profuerit eis sua repugnantia quam nobis obedientibus nostra obedientia. Sed non est opus ut nos multum in dicendo laboremus, quia nihil ultra terminos Patrum vestram moderationem usurpare arbitramur. Valete.

(*a*) Hujus mentio supra, et epist. 50 et 54 et 136.
(*b*) Confer epist. 211.
(*c*) De synodis singulis annis celebrandis Gratian. *Decret.* parte I, dist. 18.
(*d*) Idem locus, epist. 226.
(*e*) *Confirmantes* deest in mss.
(*f*) Vide Gratianum sub dist. 64 et 65.
(*g*) Al. *honorificare*; quo verbo utitur, epist. 142 et 156. Ita ms. c.
(*h*) Quidam, *Gualberto*, latius exstat in c. *Nunc vero*, caus. 9, q. 3.

EPISTOLA LXII.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister*, Sanctioni [al. Sancioni, ita ms. c.] *confratri et coepicopo* [forte *Aurelianensi*, ex epist. 53), *salutem et servitium.*

Pacem quam feci cum Adelecia Puteacensis castri domina, super quam admiramini, non ita feci ut aliquid vestri juris usurparem. Sed omne quod ad vestrum jus pertinet,patenter exciperem. Meam enim tantum injuriam remisi non vestram, et hoc postulavi a fraternitate vestra,ut pro præteritis injuriis meis supra prædictam feminam nullam exerceretis vindictam.Ad quam rem magna ex parte me compulit timor vester.Significastis enim mihi litteris vestris multa incommoda imminere vobis et Ecclesiæ vestræ, si differrem pacem cum ea facere. Unde inventa occasione volui tam vestris quam meis commodis providere. Si ergo restant aliquæ injuriæ ad propriam parochiam pertinentes, ne videar vobis esse importunus, prout vobis placuerit et ratio permiserit eas expostulate. De clericis autem vel monachis Puteacensibus,qui contra interdictum vestrum missas celebraverunt,mortuos sepelierunt chrisma aliunde acceperunt,hoc vobis respondeo et consulo, ut si gratiam Lugdunensis archiepiscopi pleniter habetis,cujus consensu interdictum vestrum prædicti Puteacenses cassatum fuisse dicunt, plenam secundum rigorem canonicum [*al.* canonum] super ejusmodi [hujusmodi *ms. c.*] transgressores vindictam exerceatis, ut et istos et alios ab hujus [hujusmodi *ms.c.*] inobedientia compescatis,secundum illud Apostoli : *In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam* (*II Cor.* x). Alioquin, levius erit ea supportare, quæ non licet ad plenum vindicare. De Gervasio (epist. 261 et 266) quoque non debet vestra fraternitas mirari vel indignari,quod eum ad communionem in paschali curia suscepi. Pro regia enim honorificentia hoc feci, fretus auctoritate legis, in qua legitur : « Si quos (*a*) culpatorum regia potestas aut in gratiam benignitatis receperit, aut mensæ suæ participes effecerit,hos etiam sacerdotum et populorum conventus suscipere in ecclesiastica communione debebit,ut quod principalis pietas recipit [vel receperit *c.*],nec a sacerdotibus Dei alienum [*al.* extraneum] habeatur. » Vale.

EPISTOLA LXIII.

Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister*, Leudoni *fratri et compresbytero, salutem.*

Post multam oblivionem recordatus sum tuæ petitionis et meæ sponsionis,quia [qua *ms.c.*] spoponderam me scripturum aliqua contra quorumdam nescio simplicium an duplicium ineptias, qui secundum Apostolum nesciunt *neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant* (*I Tim.* i), dicentes quascunque personas etiam sacrum ordinem non habentes, verba Dominica proferentes,sacramenta altaris et cætera ecclesiastica sacramenta posse conficere. A et salubriter accipientibus ministrare. Quorum fatuitas multipliciter improbari potest, partim ratione,partim divinorum operum attestatione,postremo sanctorum Patrum irrefragabili auctoritate. Primo namque si a quibuscunque personis divina sacramenta confici et tractari possent,ex abundanti constitutus esset in Ecclesia ordo sacerdotalis et leviticus ; quod impium est aliquem arbitrari,cum hunc utrumque ordinem et vetus lex,primo, Domino jubente,sub figura constituerit,et evangelica vel apostolica doctrina postmodum in veritate consecraverit. Unde in Exodo Dominus ita loquitur ad Moysem : *Porro filiis Aaron tunicas lineas parabis, et balteos ac tiaras in gloriam et ad decorem, vestiesque his omnibus Aaron fratrem tuum,et filios ejus cum eo, et cunctorum consecrabis manus, consecrabisque eos* B *ut sacerdotio fungantur mihi* (*Exod.* xxviii). Et in consequentibus : *Hoc oleum unctionis sanctum erit mihi, et juxta compositionem ejus non facietis aliud* (*Exod.* xxx). Et item : *Sanctum sanctorum erit in thymiama, tamen compositionem non facietis. Quicunque homo fecerit simile, peribit de populis* [al. *de filiis*] *suis* (*ibid.*).Unde legitur in Levitico quod Nadab et Abiu,filii Aaron,cum acceptis thuribulis posuissent ignem,et incensum desuper offerentes coram Domino ignem alienum,quod eis **30** non erat præceptum, egressus est ignis a Domino et devoravit eos (*Lev.* x). Quid est autem ignem alienum sacrificio opponere,nisi sacerdotii opus sine legitima ordinatione ex sui spiritus præsumptione usurpare? Habemus quoque in Levitico, quia completis a sacerdote summo Aaron hostiis pro peccato et holo- C caustis et pacificis, egressus ignis a Domino devoravit halocaustum et adipes quæ erant super altare (*Lev.* ix). Unde e contrario in libro Numeri legitur quod cum Datan, Core et Abiron, sacerdotium sibi usurpare volentes,imposito igne thuribulis,thymiama superposuissent, non thymiama divinus ignis adolevit, sed absorptis principibus a terra complicem multitudinem similiter thurificantem materialis ignis assumpsit (*Num.* xvi).Sicut ergo divinus ignis holocausta umbratilia a legitimis tamen sacerdotibus oblata visibiliter asumebat et in se convertebat, usurpatorum autem victimas non tantu m respuebat,verum etiam usurpantes terribiliter condemnabat ; sic divina virtus sacramenta hujus temporis D a legitimis sacerdotibus ministrata invisibiliter consecrat et in veritatem Christi corporis et sanguinis transformat.Aliter vero præsumentium hostias non tantum hebet irritas, verumetiam ipsos præsumptores interim cæcitate interiore condemnat, in futuro quoque ei irremediabiles pœnas parat. Neque enim illa sacrificia quæ erant umbra futurorum,solis verbis Dominus perfici voluit,sed omnia circumstantia mysteria et ministeria ad completionem eorum adhiberi præcepit, altaria videlicet et vasa ad hoc opus sacrata, sacerdotes quoque et ministros

(*a*) In multis antiquis lib. *Si quem,* ms. c. hæc lex refertur etiam epist. 171.

ad hæc offerenda vel ministranda ordinatos non sine ornamentis mysticis ad hoc officium sanctificatis, de quorum omnium sanctificatione sic habemus in Levitico : *Tulit Moyses unctionis oleum quo linivit tabernaculum cum omni suppellectili sua. Cumque sanctificans aspersisset altare septem vicibus, unxit illud et omnia vasa ejus, labrumque cum basi sua, quod fundens super caput Aaron unxit eum et consecravit, filiosque ejus oblatos vestivit lineis tunicis, et cinxit balteos* (al. *balteo*), *imposuitque mitras, ut jusserat Dominus* (*Lev.* VIII). Et post pauca : *Assumensque unguentum et sanguinem qui erat super altare, aspersit super Aaron et super vestimenta ejus, et super filios ejus ac vestes eorum, et sanctificavit in vestitu suo. Completa autem sanctificatione dixit Moyses ad Aaron : Accede ad altare, et immoda pro peccato tuo. Offer holocaustum et deprecare pro te et pro populo. Statimque Aaron immolavit vitulum pro peccato suo, cujus sanguinem obtulerunt ei filii ejus* (*Lev.* IX). In quibus attendendum est quia primum sacratur tabernaculum, altare et vasa, sacerdotes et indumenta sacerdotalia, dehinc jubetur ut accedant ad altare sacrificaturi, et pro suis populique peccatis Dominum deprecaturi, ut intelligat populus Christianus, quia si, in his sacrificiis quæ tantum fiebant ad emundationem carnis, cum tanta reverentia, iste ritus ministrorum et ministeriorum erat observandus, quanto magis in consecratione Dominici corporis et sanguinis, in quibus consistit emundatio carnis et spiritus, non statim ad mysticas benedictiones et obsecrationes, quibus illa consecratio perficitur, quilibet est admittendus, nisi primum fuerit in ordine sacerdotali consecratus, et omnium congruentium supellectilium, et omnium circumstantium ministeriorum plenitudine subornatus. Quod vero alius quam sacerdos ad consecrandum accedere non debeat, legitur in libro Numeri dicente Domino ad Aaron : *Tu et filii tui, custodite sacerdotium vestrum ; et omnia quæ ad cultum altaris pertinent, et intra velum sunt, per sacerdotes administrabuntur. Si quis externus* [al. *extraneus*] *accesserit, occidetur* (*Num.* XVIII). Quid Aaron nisi summos sacerdotes, quid filii ejus nisi minores significant sacerdotes? qui accipientes a summis sacerdotibus manus impositionem, tanquam per paternam successionem, promoventur ad sacerdotalem benedictionem; qui ea quæ intra velum sunt administrant, dum corpus et sanguinem Domini, quæ intus aliud sunt, aliud foris apparent, mystica benedictione consecrant, et fidelibus populis salubriter administrant. Quid est autem externus nisi in presbyterali officio non consecratus? qui autem sacramenta Dominica simulare præsumit, juste occiditur, quia a corpore justorum sua præsumptione præciditur. Quod vero non sine sacris vestibus ministrare debeant, legitur in Exodo : Cum enim Dominus ad Moysem loquens vestes sacerdotales enumerasset, addidit : *Facies et feminalia* [al. *et femoralia*] *linea, ut operiant carnem turpitudinis suæ a renibus usque*

A *ad femoralia* (*feminalia*, ms. c.) *et utentur eis Aaron et filii ejus, quando appropinquant ad altare, ut ministrent in sanctuario, ne iniquitatis rei moriantur* (*Exod.* XXVIII). De cætero si ad paginas veniamus evangelicas, legimus Salvatorem non laicis personis, sed solis discipulis suis sacramenta sui corporis et sanguinis commisisse celebranda. Qui etiam cum sacerdotium vetus transferre vellet in novum, præcepit eisdem discipulis ut sibi Pascha pararent in cœnaculo, ubi ipse manifeste novo functus sacerdotio eos hujus sacerdotii constituit successores, post ministratam Eucharistiam ita illis præcipiens : *Hoc facite in meam commemorationem* (*Marc.* XIV ; *Luc.* XXII). Quid est quod Salvator primum in cœnaculo voluit hoc sacramentum celebrari, nisi quia cœnaculum celsior est habitatio domus,
B sicut sacerdotium celsior est in Ecclesia gradus? Cum ergo facta Domini, et facta sint in aperto, et adiud loquantur in occulto, quid voluit Dominus hac [*al* hujus] loci positione signari, nisi ut nemo attrectare præsumat hoc mysterium [*ita v. c. antea*, ministerium], nisi prius pervenerit ad sacerdotium? Hinc et Apostolus ad Hebræos : *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron* (*Hebr.* V. Hoc officium ab apostolis, cæteris presbyteris per successionem esse relictum testatur Hieronymus in epistola ad Heliodorum monachum : « Absit ut de eis sinistrum quidquam loquar, qui apostolico gradui succedentes [*in uno additur*, sacerdotes], corpus Christi sacro ore conficiunt, per quos nos etiam Christiani sumus, qui habent claves
C regni cœlorum. » Quod autem non solum [*al.* non solis] solemnibus verbis divina contenta sint sacramenta, testatur idem Hieronymus in explanatione super Sophoniam his verbis (c. 3 in Sophon., et in can. *Sacerdotes*, c. 1, q. 1) : « Sacerdotes qui Eucharitiæ serviunt, et sanguinem Domini populis ejus dividunt, impie agunt in legem Chisti, putantes eucharistiam imprecantis facere verba non vitam, et necessariam esse tantum solemnem orationem, et non sacerdotum merita, de quibus dicitur : *Et sacerdos in quacunque fuerit macula, non accedet offerre oblationes Domino* (*Lev.* XXI) » Huic sententiæ consonat Pater Augustinus, quod benedicere non possit quis, nisi fuerit ordinatus, ita dicens in quæstionibus Veteris **31** Testamenti (c. *Di-*
D *ctum* 95, caus. 1, *q.* 1) : « Dictum est a Domino in Numeris ad Aaron : *Vos ponite nomen meum super filios Israel. Ego Dominus benedicam eos* (*Num.* VI), ut gratiam [gratiarum, *ms.c.*] traditio per ministerium ordinati transfundat [transfundatur, *ms. c.*] hominibus. Quanta autem dignitas sit sacerdotalis ordinis, hinc advertamus. Dictum est autem de nequissimo Caipha interfectore Salvatoris, inter cætera : *Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset princeps sacerdotum anni illius prophetavit* (*Joan.* XI). Per quod ostenditur Spiritum sanctum gratiarum non personam sequi digni ut indigni, sed ordinem traditionis, aut quamvis aliquis boni meriti sit, non

tamen possit benedicere nisi fuerit ordinatus, ut officium ministerii exhibeat. Dei autem est effectum tribuere benedictionis. » Ex his igitur claret, quia divinorum plenitudo sacramentorum non in solis constat mysticis orationibus [ordinationibus *ms. c.*] et solemnibus verbis, sed etiam his quæ supra taxata sunt indiget [in septem, *v. c.* indigent, *ms. c.*] supplementis. Qui enim dedit præceptum, ut ordinate fierent, negavit effectum veritatis quæ in sacramentis intelligitur his qui traditum ordinem prætermitterent. Unde apostoli qui potestatem acceperant super omnia dæmonia, cum quemdam lunaticum solo verbo sanare voluissent, et non valuissent, cun admiratione ad Dominum revertentes didicerunt se prætermisisse quædam neceesaria, sine quibus perfici non poterat illius lunatici cura. Ait enim : *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi in oratione et jejunio* (*Matth.* XVII; *Marc.* IX). Si ergo hi qui potestatem acceperant, in quod intendebant prætermisso ordine implere non potuerunt, quid mysticum, quid divinum facere poterunt, qui nullam potestatem tractandorum divinorum mysteriorum acceperunt ? Sufficiant tibi interim ista, charissime, quia cum his quæ a nobis dicta sunt multa legendo reperiet tua diligentia, quibus facile propulsabitur talium vaniloquorum nulla ratione vel auctoritate fulta insipientia. Avertat autem Deus hunc errorem ab Ecclesia sua, qui eam mundavit sibi *lavacro aquæ in verbo*, ut eam haberet sponsam sine macula et ruga (*Ephes.* V.) Vale.

EPISTOLA LXIV (*a*).

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister*, JOANNI *Aurelianensium electo, salutem.*

De duobus illis clericis, Roberto videlicet et Vulgrino [*al.* Wilelmo], super quibus nos consuluistis, quorum alter alterius archidiaconum dicitur invasisse, duabus de causis certam non possumus dare vobis sententiam. Primo quia magnum nobis arietem opponitis, Lugdunensis videlicet archiepiscopi institutum, cui obviando nec volumus, nec debemus alicui dare consilium. Postremo quia justus mediator non est, qui altero litigante et altero absente super re indiscussa certam vult determinare sententiam. Si autem aliquando in audentia nostra et aliorum ad quos id pertinet, hæc controversia ventilata fuerit auditis utrumque rationionibus, quod ratio persuaserit et lex dictaverit, libenter proferemus. Vale.

EPISTOLA LXV.

Domno et Patri suo URBANO *summo pontifici* [quid, cod. *domino*], Ivo *filius* [suus, *ms. c.*], *saltem et obsequium.*

Postquam discessi a facie vestræ beatitudinis, multis hinc [et] inde concurrentibus causis non fuit mihi facultas ad vos redeundi, nec per nuntium meum vestram celsitudinem salutandi. Cum enim Parisiensis episcopus ad vos proficisceretur, jam ferme compleverat iter octo dierum, quando nondum audieram eum ad vos esse venturum. Quo tamen audito, per quemdam servientem suum, misi post eum litteras istas quibus commendo eum paternitati vestræ, utpote apud nos enutritum et eruditum, et quantum videbatur in annis adolescentiæ suæ innocenter et sine querela conversatum. Pro eo itaque quia ex indulgentia vestra pastoralem suscepit sollicitudinem, supplicamus paternitati vestræ ut eum materna pietate colligatis, paterna gravitate corrigatis, quatenus ex disciplina vestra correctior, ex gravitate vestra nobis reddatur gravior, videlicet ut studium venandi(*b*), et alia juvenilia desideria in se comprimat, studiosius solito orationi et lectioni incumbat. Præterea summopere rogamus excellentiam vestram, ut eum munitum apostolicis litteris remittatis contra Latiniacensem abbatem et monachos ejus, qui nescio qua nova libertate suos excessus tuentur, et subjectionem Parisíensi Ecclesiæ debitam et hactenus exhibitam, contra canonicam institutionem de cervice sua excutere moliuntur. Hæ autem personæ hujusmodi sunt, quibus magis necessaria est subjectio quam libertas, qui libertate in occasionem carnis abutuntur, quibus si decem millia pædagogorum in Christo ad custodiam deputarentur, vix tamen sic regularis continentiæ legibus ligarentur(*c*). Sicut ergo decet discretionem moderationis apostolicæ, ita rem inter utrumque temperate [temperare, *ms. c.*], ut nec Parisiensis Ecclesia suo jure minuatur, nec Latiniacense monasterium aliquod gravamen a Parisiensi Ecclesia indebite patiatur. De Senonensi electo(*d*), cujus consecratio a legato vestro Lugdunensi archiepiscopo ob hoc impeditur, quia ei jure primatus sui, ante consecrationem suam obedientiam non profitetur, quid nobis agendm sit rescribat vestra paternitas. Cum enim nulla aliquo accusante alia causa prætenderetur, propter quam ejus consecratio differretur, eo tamen jubente propter reverentiam vestram manus ab ejus consecratione centinuimus (*vide* epist. 60), cum de professione a metropolitanis primatibus facienda, nihil legamus consuetudine firmatum, vel legibus institutum, ultra quas metas nihil concessum esse primatibus testatur papa Nicolaus ita scribens (*e*), inter alia, Radulfo Bituricensi archiepiscopo : « Primates vel patriarchas nihil privilegii habere præ cæteris episcopis nisi quantum sacri canones concedunt, et prisca consuetudo illis antiquitus contulit, definimus [*v. c.* diffinimus]. » De pace sanctæ Romanæ Ecclesiæ et vestra prosperitate, det nobis Dominus audire quod [*al.* quæ ; *ita ms. c.*] optamus. Valete.

32 EPISTOLA LXVI.

HUGONI, *Lugdunensis Ecclesiæ primæ sedis episcopo,*

(*a*) Hæc epistola in ms. cod. est 67.
(*b*) Venatio clericis interdicta c. *Esau* cum seq., distinct. 86, et c. 1 *De Cler. venat.*
(*c*) Latiniacences monachi incontinentis vitæ.

(*d*) Daimbertum intellige ex collatione epist. 59, 60 et 67.
(*e*) Citat epist. 83, refertur c. *Conquestus* caus. 9, q. 3.

Romanæ Ecclesiæ legato, Ivo *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, salutem et servitium.*

Quia decorem domus Dei vos hactenus dilexisse intelleximus, post domnum papam super omnes ecclesiasticas personas speciali amore vos diliximus, et famam vestram ab aliquo lacerari æquo animo ferre non potuimus. Eumdem itaque zelum in vobis nec frigere nec tepere æstimantes, miseriam Aurelianensis Ecclesiæ ante oculos vestros posuimus (epist. 67); quam filii alieni sua quærentes strangulant et devorant. De qua cum manu vestra avulsa esset arbor infructuosa, nunc inseritur pestifera. Turonensis enim archiepiscopus prædictæ Ecclesiæ pædagogus et incubus, in Natale Domini, regi contra interdictum vestrum coronam imponens (epist. 67 *in fine*), hac arte a rege obtinuit, ut Joannes qui per Joannem defunctum episcopum multis submurmurantibus et male sentientibus factus est archidiaconus, eidem Ecclesiæ præficeretur episcopus. De hoc enim rex Francorum non secreto, sed publice mihi testatus est, quod prædicti Joannis succubus fuerit. Et hoc ita fama per Aurelianensem episcopatum et vicinas urbes publicavit, ut a concanonicis suis famosæ cujusdam concubinæ Flora(*a*) agnomen acceperit. Hoc quod dico clerus approbaret, hoc populas acclamaret, nisi metu regis comprimerentur, vel in insidiis Turonensis archiepiscopi terrerentur, qui clericos sibi adversantes clandestinis delationibus curiæ tradi facit (*sic* epist. 5), aut in exilium pellendos, aut bonis suis spoliandos. Hic enim cum duos episcopatus (*b*) habere non possit, Aurelianensem Ecclesiam, quam non potest retinere per propriam, per submissam vult possidere personam, ut in ea possit quos voluerit humiliare, quos voluerit sublimare. Cui non sufficit, quod in Ecclesia, in qua irrepsit contra canonicas et apostolicas sanctiones, toleratur, nisi ei liceat Ecclesiam Dei quibus libuerit procis prostituere, oculos videntium etiam medicorum vaniloquiorum suorum fumo promissionum suarum nebulis intenebrare, ut quæ audiunt de eo non audiant, quæ vident non videant, et quæ certa sunt tanquam ignota sustineant. Sic enim de seipso dicere solet « se non indigere bonis clericis vel canonibus cum hæc omnia præsto sint ei in marsupio suo. » Nec mirum, cui quod libet licet, et quod licet impune facit, ut multi inde scandalizati altius gemant, dicentes magis impetrare desideria sua apud judices ecclesiasticos, zelantes iniquitatem quam sequentes bonitatem (*c*). Veritas mihi testis est me non ista dicere tanquam adversus istos homines aliqua sit mihi privata controversia. Sed tabescere me facit zelus meus, cum videat in messe Dei vepres et spinas bonum semen suffocare, nullamque aut pene nullam eradicantem manum. Et si aliquando sunt qui perficiant malæ arboris ruinam, non pervigilant usque ad fructuosæ arboris insertionem; quod in hoc negotio manifestum est. Non enim Turonensis archiepiscopus ideo laboravit, ut Sanctio [*quidam vett. codd. et ep.* 54 Sancio] deponeretur, quatenus eo melior eidem Ecclesiæ præficeretur, sed hujusmodi qui ei per omnia famularetur. Iste etenim juvenis qui rege jubente, et Turonensi archiepiscopo impingente prædictæ Ecclesiæ est intrusus, ita est sub Turonensi archiepiscopo, sicut puer sub pædagogo, ut nec stans sedere, nec sedens audeat surgere, nisi eo jubente, aut innuente, utpote qui se ei ad turpes usus dicitur subdidisse. Ad ultimum, cum multa nefaria et turpissima dici verissime possent, quæ deficientibus testibus veritatis pro humana infirmitate probari forsitan non possent, hoc ad repulsionem prædicti adolescentis sufficit quod persona ignominiosa est per vicinas Ecclesias turpiter diffamata. Hic itaque per litteras regis et capituli mihi est oblatus suo tempore ordinandus in presbyterum, postmodum consecrandus in episcopum. Ejus autem electio nec adhuc a me est improbata, vel approbata, sed nec aliquando approbanda, nisi domni papæ vel vestra me ad hoc pertrahat obedientia. Scio enim Ecclesiæ Dei non tantum hoc esse ignominiosum, sed etiam perniciosum. Rogo itaque paternitatem vestram, ut in hac causa vigilantissime honestati et auctoritati vestræ consulatis, et Ecclesiæ Dei provideatis, ne in manibus ejus committatur salus aliena, qui nunquam adhuc deliberavit de salute sua. Per portitorem itaque præsentium mihi rescribite quid me velitis super hoc negotio facere, ut quod responsurus sum respondeam Aurelianensibus ex vestra auctoritate. Ipsi tamen quidquid respondeam, de vestra benevolentia plus justo præsumentes vanizando [vanizando, *sic omn. lib.*] dicunt, quod juxta petitionem Turonensis archiepiscopi eum consecrabitis, vel consecrari facietis(*b*). Quidquid autem vos faciatis, ego liberavi animam meam. Multi enim Aurelianenses ad hæc quæ dixi mihi darent testimonium, nisi timerent carcerem vel exsilium. Et ne me ista aliqua occasione confinxisse credatis, unam cantilenam de multis (*e*) metrice et musice de eo compositam ex persona cuncuborum suorum vobis misi quam per urbes nostras in compitis et plateis similes illi adolescentes cantitant, quam et ipse cum eisdem concubis suis sæpe cantativit, et ab illis cantitari audivit. Præterea sciat vestra sollicitudo [*al.* sciat vestra solertia], quia cum abbas Burguliensis [*sic v. c. antea* Gurguliensis] ore patulo, manibus apertis cum multa securitate ad curiam in Natale venisset ad accipiendum episcopatum, sicut ei illa prædicta regina (*f*) promiserat; quia animadversi sunt plures et pleniores sacculi nummorum latere in apothecis amicorum istius quam

(*a*) Hujus Floræ meminit etiam dicta ep. 67.
(*b*) Bigamiam Ecclesiæ vocat epist. 153.
(*c*) Idem locus supra epist 12.
(*d*) In hanc rem ipse Hugo littetas innitatorias scripserat, ut indicat Ivo epist. 67.
(*e*) Horum etiam mentio fit in epist. 6.
(*f*) Solet illius nomen reticere; confer locum ep. 68.

apud abbatem, ille est admissus, iste est exclusus. Et cum abbas quereretur apud regem [*al.* adversus regem], quare sic eum delusisset, respondit : « Sustinete interim donec de isto faciam proficuum meum, postea quærite ut iste deponatur, et tunc faciam voluntatem vestram. » Summa itaque hæc est verborum meorum. Rogo, moneo, ut huic electioni nunquam assensum præbeatis, ne domum Dei publicum prostibulum et speluncam latronum faciatis. Postremo rogo, quia semel ab Aurelianensibus deceptus sum, si quid mihi de eo scribere volueritis, per talem nuntium cui credere possim, transmittatis. Et quia turpitudo non potest nisi verbis suis exponi, irreligiosis verbis pro religione tamen assumptis veniam, postulo. Valete.

33 EPISTOLA LXVII.

URBANO *summo pontifici*, Ivo, *minimus sanctitatis suæ filius, misericordiam et judicium.*

Audivi dulcedinem vestram in me amaricatam, serenitatem vestram adversum me turbatam ; audivi, et conturbatus est venter, meus, et *ossa mea conturbata sunt* (*Psal.* VI). Et diligenter consului memoriam [*unus cod.*, animam] meam quid dixerim, quid fecerim, unde mansuetudinem vestram exasperaverim. Nec occurrit mihi, nisi quod dixerunt quidam mihi quasdam litteras me composuisse adversus Romanam disceptantes Ecclesiam, quas miseram legato vestro Lugdunensi archiepiscopo, pro causa Senonensis electi. Sed cum has apud me reperiens diligenter perlegissem (*a*), multa ibi pro Romana Ecclesia, nihil contra Romanam Ecclesiam in his scriptum intellexi, nisi quis forte ad voluntatem scriptoris non accedens, et unam faciem castorum eloquiorum non attendens (*sic in tit. epist.* 222), dicat, quod absit ! authentica scripta sibi invicem adversari, et auctoritatem auctoritate impugnari ; cum multa dissona ibi legantur, nisi suo modo intelligantur, et ad sententiam scriptoris accommodentur. In his enim litteris, sicut mihi testis est conscientia mea, et ipsarum tenor litterarum, nihil aliud intendi, nisi quod propter crebras invectiones ac murmurationes (*b*) adversus Romanam Ecclesiam, quibus quotidie tinniunt aures meæ, per domnum archiepiscopum Lugdunensem, cui consilia vestra committitis sollicitudinem vestram volui esse præmunitam, quatenus cum vicariis vestris sic vestra decreta libraretis, ut Ecclesia non gravaretur, et eorumdem transgressor sua sententia multatus, aliis se corrigendi exemplum præberetur, et fama vestra illibata servaretur. Hic simplex (Ita ep. 189) oculus totum defendit corpus illarum litterarum. Sed quia domno Lugdunensi archiepiscopo quædam ibi verba adversa, secus [adversa dum durius, *ms. c.*] quam vellet sonuerunt, maxime de primatu Lugdunensi, postposita contemplatione scriptoris [*alias* A *leg.* postposita intentione scriptoris ; *ita ms. c.*] secundum quod tunc affectus fuit, participem vos suæ amaritudinis fieri voluit. Liceat cuique dicere quod sentit. Ego de me sentio, quod non est aliqua persona transmontana, quæ pro fidelitate vestra, pro assertione præceptorum vestrorum tot contumelias pertulerit, tot injurias acceperit. Sed quia illa verba quacunque occasione animum vestrum exacerbaverint, non est meum adversum vos intrare in judicium. Malo enim [omni, *ms. c.*] episcopatui renuntiare quam iram vestram juste vel injuste sustinere. Hæc satisfactio si placuerit [placet, *ms. c.*] vestræ paternitati, placet et meæ parvitati. Hanc si placet, accipite ; si plus placet, plus addite. Si desisto vester esse servus, non desistam vester esse filius, et B sicut expertus sum ante episcopatum, plus potero prodesse in Ecclesia Dei exemplo privatus quam verbo prælatus. Gratissimum enim mihi est nudum nudam Christi crucem portare, ut in illo uberrimo et amplissimo prædio contendam, in quo [*unus cod.*, et in illo ub. et amp. prædio esse contentum in quo] amor paupertatis copiosos, amor divitiarum facit ærumnosos. Ecce jam hoc transacto septennio, vineam mihi commissam pro posse meo excolui, stercora etiam circumposui ; fructum autem quem quærebam, non inveni. Detur ergo mihi libertas octavo anno ut hoc principium veræ [vere] octavæ aggrediar, ut possim mihi sabbatizare, dulces fructus contemplationis carpere, et octavæ illius gaudia prælibare. Quod si vestra permissione id modo non facio, necessitate tamen me oportebit id facere pro- C pter renovatas in me veteri de causa regis inimicitias (epist. 67 et 141), et propter parochianos meos contemptores verbi Dei, qui proni sunt solis terrenis inhiare, nunquam autem parati sursum cor levare ; qui neque propter timorem Dei, neque propter ruborem temporalis excommunicationis, sacrilegia quæ perpetrant in Ecclesiis, volunt dimittere, nec justitiam Dei recognoscere. Per portitorem ergo præsentium quod vobis placet mihi rescribite, et si petitioni meæ acquiescitis, in vestra manu me retinete, ne possint me pseudoepiscopi (*c*) pro libitu suo fatigare. De cætero quidquid de me fiat, obsecro vos per charitatem Christi, ut si Turonensis archiepiscopus vel aliquis Aurelianensis clericus pro electione pueri sui ad vos venerit, non ei aurem præ- D beatis (*d*). Cujus dotes ut vobis breviter amplectar, persona est ignominiosa, et de inhonesta familiaritate Turonensis archiepiscopi, et fratris ejus defuncti, multorumque aliorum inhoneste viventium, per urbes Franciæ turpissime diffamata. Quidam enim concubii [concubi] sui (*e*) appellantes eum Floram, multas rythmicas cantilenas de eo composuerunt, quæ a fœdis adolescentibus, sicut nostis miseriam terræ illius, per urbes Franciæ in plateis et compi-

(*a*) Intelligit epist. 60 ad Hugonem Lugd. arch.
(*b*) De his Gallorum conquestionibus agit epist. 87, 89 et 109.
(*c*) De his conqueritur epist. 35.
(*d*) Hujus epistolæ meminit epist. 68.
(*e*) Horum etiam mentio fit epist. 66. Flora autem tunc temporis erat famosa concubina, ut ait dicta epist. 66.

tis cantitantur, quas et ipse [aliquando] cantitare, et coram se cantitari non erubuit. Harum unam domno Lugdunensi in testimonium misi, quam cuidam eam cantitanti violenter abstuli. Providendo itaque vestræ honestati et Ecclesiæ utilitati, nunquam eum consecrari permittatis, ne Ecclesiam Dei prostibulum publicum et speluncam latronum faciatis. Sciatis etiam quia Turonensis archiepiscopus contra interdictum (epist. 66) legati vestri in Natale Domini regi coronam imposuit, et ut iste episcopus fieret, hac mercede [*al.*, hanc mercedem] promeruit. Et ut sciatis puerilem fuisse electionem, quidam etiam de eligentibus in Natale Innocentium in eligendo ita jocatus est :

Eligimus puerum, puerorum festa colentes,
Non nostrum morem, sed regis jussa sequentes.

EPISTOLA LXVIII.

Hugoni, *primæ sedis Lugdunensis Ecclesiæ episcopo, sedis apostolicæ vicario*, Ivo, *Dei gratia Carnotensis episcopus, salutem.*

Litteras vestræ paternitatis nuper accepi invitantes me, vel quoslibet qui vellent impugnare electionem Joannis Aurelianensis archidiaconi (*a*), ut in Kal. Martii præsentiæ vestræ se exhiberent probaturi capitula quæ ei objicere voluerint, sive de Simonia [*duo vet. cod.*, Simoniaca], sive de aliis quæ valeant ad ejus repulsionem, quoniam non potestis simul accusator esse ac judex. Sed hoc de occultis dictum esse novit prudentia vestra. Manifesta autem accusatione non egere testatur beatus Ambrosius (c. 5. et c. 17, can. 2, q. 1) super Epistolam ad Corinthios, ita dicens de eo qui noverca sua manifeste abutebatur : « Judicis, inquam, non est sine accusatore damnare. Cognito autem opere istius, pellendum eum de fraternitatis cœtu censuit. Omnes enim crimen **34** ejus sciebant, in qua re neque testibus opus erat neque tergiversatione aliqua poterat tegi crimen. » Simile quid scribit papa Nicolaus Carolo regi (*b*) : « Quæ Lotharius rex vester nepos operatur, accusatione non indigent. » *Manifesta* quippe in eo *sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio et immunditia* (*Gal.* v). Cum ergo quæ in prioribus litteris scripsi, non tantum in unius civitatis, sed multarum civitatum notitia conspicua sint, mirantur multi, quare quærantur occulta, cum ad repulsionem ejus qui nondum positus est, sola sufficiant manifesta. Cum enim multa ei desint quæ in examinatione consecrandi episcopi Paulus dicit necessaria, unum deesse ei, nobiscum bene scitis, quod cæteris enumeratis per se præ cæteris necessarium idem Apostolus commendat dicens : *Oportet episcopum bonum habere testimonium ab his qui foris sunt, ne in opprobrium incidat et laqueum diaboli* (*I Tim.* ii). Iste autem famam suam hactenus neglexit, quam qui negligit, secundum beatum Augustinum (ser. 52 ; *vide* epist. 240) crudelis est. Occidit enim proximum quantum in se est. Potestas autem episcopalis in ædificationem debet esse non in destructionem. Et cum secundum Apostolum quorumdam peccata manifesta sunt præcedentia ad judicium quorumdam et subsequantur, Symoniaca istius intrusio, quæ licet vera sit, nondum tamen præcedit ad judicium, quoniam ista exsecrabilis negotiatio per cubicularios et pedisequos (*quid. cod.*, pedisequas ; sequipedam *ep.* 60, *ms. c.*) facta est, manifesta relatione ad aures vestras perveniet, nisi plantationem quam non plantavit Dominus stabilire præproperetis, et electionem regiis precibus, quæ idem valent secundum vulgare proverbium quod minæ, extortam, vestra auctoritate confirmetis. Habentur enim apud nos quidam negotiatores creditores illius dictæ reginæ (*c*), qui secundum quod nobis dixerunt, exspectant partem pecuniarum a parentibus Joannis promissarum. Sed referente eadem dicta regina quodam cautelæ studio ad persolvendum differuntur, donec securius post ejus consecrationem persolvantur. Quarum tamen repetundarum actio cito ventilabitur, si consecratio aliquandiu differatur. Quid vero super electione (*d*) a principibus facta dicat septima synodus, quid octava, quid cætera sanctorum Patrum, quid etiam vestra instituta clament, non est meum vestram docere prudentiam. Præterea si intra provinciam secundum quod instituta majorum continent, fieret prima discussio, sicut necesse foret, in loco ubi non timeretur temeraria multitudo, non deessent accusatores, non deessent testes, qui pro hujusmodi negotiis non audent ad remota loca prodire, nec se nec sua pro incerto exitu incertum periculum præcipitare. Testis est mihi verax [et, *ms. c.*] veritas, et amborum charitas, quia et vera dixi, et pro veritate et charitate dixi, providens, quantum in me est, et Ecclesiæ utilitati et vestræ honestati, ne si, quod absit ! aliter feceritis quam desiderant qui vos sincere diligunt, lamentabiliter postea illud Jeremiæ dicant : *Obscuratum est aurum, mutatus est color optimus* (*Thren.* iv). Sciatis autem me ea quæ vobis mandavi, domno quoque papæ mandasse (epist. 67), et me super his responsionem ejus exspectare.

EPISTOLA LXIX.

Ivo *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister*, Galterio [al., Gauterio] *Stirpensis Ecclesiæ præposito, et pusillo gregi sibi commisso, salutem et orationum suffragia.*

Quantum intellexi ex litteris ex vestra parte mihi nuper oblatis, graviter fert vestra fraternitas quod Lemovicensis episcopus in synodo agens, interdixit omnibus regularibus clericis et regimen parochiarum et confessionem pœnitentium (epist. 213). Qui rectius quidem fecisset, si omnes sacerdotes ad regularem vitam invitasset, quam regulariter viventes

(*a*) Conjungenda est epist. 66 et 67.
(*b*) Cap. *Quæ Lotharius*, caus. 2, q. 1 ; exstat inter epistolas Nicolai primi epist. 55.
(*c*) Confer locum epist. 66, fortasse Bertrada subintelligitur, de qua epist. 13.
(*d*) Hac de re epist. 102 ; vide Grat., cap. *Nullus* cum seq., dist. 63.

a Dominicarum ovium custodia penitus removisset; quibus tanto plus displicet aliena malitia, quanto longius discesserunt a sua. Hæc tamen prohibitio licet aliquo forsitan livore canonici ordinis facta esse videatur, quanto salubrior, tanto fraternitati vestræ debet esse acceptior. Nos enim eo per viam Dei expeditius inceditis [eo enim expeditius per viam Dei incedetis, *ms. c.*], si alienorum criminum deprimentes fasciculos cum quotidianis vestrorum excessum lapsibus non portetis. Hoc vero interim ad inquisita respondeo, quia clerici regulares ab hoc officio nec penitus sunt removendi, nec [*in uno addit.* ad hoc officium] indiscrete admovendi. Nam si penitus removentur, canonico ordini indigna fit injuria, cui tanto securius est credenda correctio [*al.*, correptio] vitæ alienæ, quanto majorem diligentiam adhibuit vitæ suæ corrigendæ. Si vero indiscrete regularibus clericis hoc onus imponitur, in quibusdam ecclesiastica disciplina frangitur, et ipsi fratres qui in claustris tanquam in castris contra tentationes fortiter stabant et vincebant, cum soli ad pugnam prodeunt, in tentationibus facile superantur. Unde ait beatus Hieronymus : « Remotio viri castitatis arma collocat [*al.*, colligas], construit in melioribus castra pudoris. » Si qui ergo sunt in collegio vestro viri prudentes et maturi, et igne tentationum examinati, quibus hoc onus imponi velitis, eos deducite ante præsentiam episcopi, ut ab eo curas [curam *ms. c.*] animarum suscipiant, sine cujus arbitrio, si meministis, secundum canonicas sanctiones, nec criminales pœnitentias quælibet presbyter potest [*al.*, presbyteri possunt ; *ita ms. c.*] injungere, nec, peracta pœnitentia, pœnitentes sacris altaribus reconciliare. Sic enim facientes, et episcopali reverentiæ quod suum est deferetis, et canonicæ institutionis nulla dispendia facietis. Qui ideo canonici appellati estis, quod canonicas regulas vos velle observare cæteris arctius devovistis. Quod vero voluistis, ut Lemovicensi episcopo aliqua super hoc negotio scriberem, interim ea de causa distuli, quia ille domnus ignotus est mihi, et opportunum tempus exspecto, ut de his et similibus quod ratio et auctoritas dictaverit, inter nos viva voce disseramus. Vale.

EPISTOLA LXX.

Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis servus*, GALTERIO *Meldensi* [al, GAUTERIO *Meldensium*] *episcopo, sancta sapere et sancta facere.*

Quoniam zelus domus Dei tepere non debet in cordibus nostris, ejusdem domus **35** decorem diligere, et pro eadem domo murum nos oportet opponere, ut impetus, quos super eam facit antiquus hostis, aut præcavendo propulsemus, aut si jam in eam per aliquam partem irrupit, cooperante Dei gratia, collectis in unum animi viribus, excludamus. Et quamvis difficilior sit labor ruinosa reficere quam integra in suo statu custodire, nos tamen per an-

A gusta et ardua, inter cruentationes etiam spinarum, inter incerta itinera nebularum, debemus perdita quærere, dispersa colligere, quantum in nobis est sordidata mundare, moniti et instructi exemplo summi patrisfamilias, qui relictis nonaginta novem ovibus in montibus, centensimam quæ perierat, ipse quæsivit (*Luc.* XV ; *Matth.* XVIII), suo sanguine redemit, et ad ovile a quo aberraverat reportavit. Ne ergo nobis tanquam pastoribus sua quærentibus a summo Pastore cum nostra confusione exprobretur : *Quod perierat non quæsistis, quod confractum erat, non consolidastis* (*Ezech.* XXXIV) ; nullus nos privatus amor, nullius quamlibet excellentis personæ favor, nulla spes commodorum, nullus timor incommodorum ad officii nostri intentione dimoveat,

B quominus errantes ad viam revocemus, et animas propria fragilitate vel diabolica illusione deceptas, de fauce lupi invisibilis eripere studeamus. Quod ideo suggero dilectioni vestræ, quia tam ex verbis Turonensium monachorum, quam ex litteris dominæ Adeleidis [*al.* domnæ Adelæ] venerabilis comitissæ audivi turpissimam famam de monasterio Sanctæ Faræ, quod jam non locus sanctimonialium, sed mulierum dæmonialium prostibulum dicendum est, corpora sua ad turpes usus omni generi hominum prostituentium. Quæ quidem si corrigi nollent, et sibi tantum mortem facerent, tolerari forsitan possent. Sed quia multarum factæ sunt laqueus animarum, suggero et consulo vigilantiæ vestræ, ut aut prædictas mulieres in loco suo et in suo ordine corrigatis, aut si id fieri non potest,

C religiosis monachis locum illum cum suis possessionibus committere studeatis ; accepta tamen ab eis cautione ut prædictas mulieres sub arcta disciplina coerceant, et eisdem necessaria de rebus monasterii, quandiu vixerint, provideant. Hoc enim modo multiplicem fructum de bono principio facietis, quia et incontinentes illas mulieres ad propositum continentiæ reducetis, et possessiones monasterii necessitatibus sanctorum a fidelibus deputatas, in suum statum reformabitis, et detestabilem famam religiosa monasteria malo odore contristantem compescetis et incestuosorum animas ex earum contubernio pereuntes, ab æterno interitu liberabitis. Quæ vobis scribo, ex visceribus profero charitatis, idem mihi a vobis fieri desiderans, si me desidem

D in simili periculo audieritis : in via Dei namque ambulantes mutuas exhortationum manus nobis invicem porrigere debemus, ut in perventione pariter [*quid. cod.* ut in fine pariter] de manipulis (*Psal.* CXXV) æternorum fructuum gaudeamus. Valete.

EPISTOLA LXXI.

GUILLELMO [al. WILLELMO (*a*)], *glorioso regi Anglorum,* Ivo *humilis Ecclesiæ minister, salutem et servitium.*

In litteris a sublimitate vestra mihi directis nuper [nuper ad me directis], mansueti, et prudentis hominis ingenium notavi, cum placeret [*al.* ; placuerit]

(*a*) Hic sec. fuit et nequissimus, ut ait Matth. Paris.

dignitati vestræ prius a mea parvitate rationem quærere quam de me aliquid inconsulte judicare, secundum illud viri sapientis : *Ne judices antequam cognoscas* (*Eccl.* I). Quæsivit enim ab humilitate mea vestra excellentia, qua ratione exsolverim [absolverim. *ms. c.*] Nivardum de Septolio a fiduciis et sacramentis quibus se vestræ magnitudini obligaverat, cum Christiani erga Christianos fiducias sacramenta quæ sibi invicem præbent, observare debeant. Quod quidem ita concedimus, si legitima vel non illicita fuerint [facta, *ms. c.*] sacramenta. Prædictus autem Nivardus testatus est mihi fiducias et sacramenta quæ sublimitati vestræ fecerat, prioribus sacramentis fuisse contraria quæ fecerat naturalibus et legitimis dominis suis, de quorum manibus [*plures v. c.* manu, *ita ms. c.*] susceperat hæreditaria sua beneficia, nec posteriora se posse observare, nisi priora [prima *ms. c.*], vellet violare. Cui ratione fultus et auctoritate consilium dedi, ut accepta de posterioribus pœnitentia, justa injustis, legitima non legitimis, priora posterioribus sacramenta præponeret. Quod cum multis rationibus et auctoritatibus confirmari possit de multis pauca subnectere curavi. Habemus enim in Toletano concilio IX, capitulo 4 (can. *Duo mala*, et seq. dist. 13) : « Duo mala licet omnino cautissime sint præcavenda, tamen si necessitas ex his unum temperare compulerit, hoc debemus resolvere quod minori nexu noscitur obligari. » Unde [*al.* inde] Augustinus De bono conjugali (c. 4 et 20, caus. 22, q. 4) : « Si ad peccatum admittendum adhibetur fides mirum est si fides appellatur. Verumtamen qualiscunque sit, si contra ipsam sit [*al.* fit. *ms. c.*] pejus sit, nisi cum propterea deseritur, ut ad fidem veram legitimamque redeatur. » Idem Tharasius patriarcha (cap. 18, caus. 22. q. 4) : « Herodes observavit illicitum sacramentum, et periit. Petrus vero negavit cum juramento, et conversus flevit, et salvatus est. » Item Hieronymus super Jeremiam lib. I (*Comment.*, c. 4 et c. 2, caus. 22, q. 2) : « Animadvertendum quod jusjurandum hos habeat comites, veritatem, judicium atque justitiam. Si ista defuerint, nequaquam erit juramentum, sed perjurium. » Hinc Honorius papa quosdam transpadanos episcopos vehementer redarguit, qui suadebant Petro, viro glorioso, ut sacramenta quæ præbuerat Aconio regi patri regis Adulubaldi frangeret, et Ariobaldo [*sic. vett. codd. antea* Arlobaldo] consentiret. Ipsum vero gloriosum Petrum accurate commendat, quia pravis sacerdotum persuasionibus non acquievit, sed sacramenta quæ Aconio fecerat firmiter observavit. His et aliis hujusmodi cognosci potest sacramenta legitima vel licita firmiter observanda ; illicita vero aut esse vitanda, aut si facta sunt, cum pœnitentia dissolvenda. Aliud consilium si parochiano meo mihi commisso dedissem, ovem errantem non revocassem, ovi morbidæ curam quam debueram non impendissem. Valete.

EPISTOLA LXXII (*a*).

Ivo *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, G. abbati monasterii Sancti Guandregesili* [al., *Wandregisili*, al., *Guandregesili*], *salutem in Domino.*

Consulit parvitatem meam dilectio vestra utrum tabulæ altarium aliquando consecratæ, cum translatæ fuerint, et super novam struem lapidum positæ, denuo sint consecrandæ. Quod nobis ex auctoritate et ratione faciendum videtur, cum canon dicat : « Altare si motum fuerit, ecclesia denuo consecretur. » Quod **36** si ecclesia propter motionem denuo est consecranda, quanto magis ipsum altare quod motum est ? Præterea cum signa similitudinem habeant earum rerum quarum signa sunt, sicut fides, quæ caput et fundamentum est sacræ religionis, immobilis debet manere [*al.* permanere] in credente, sic visibile altare, quod figuram gerit fidei debet manere immobile. Et sicut a fundamento fidei, si quis motus fuerit per manus impositionem corpori Christi, quod est Ecclesia, reconciliandus est, sic mensa altaris fidei typum gerens, si mota fuerit, iterum sacris mysteriis imbuenda est. Nec satis similis ratio est quam quidam fratres vobis objiciunt, quod altaria portatilia [*al.* portabilia] licet de loco ad locum moveantur, non tamen denuo consecrantur. Hæc enim altaria non aliter consecramus, nisi vel in talibus ligneis, vel aliquo competenti substratorio compacta et firmiter sint affixa. Unde licet de loco ad locum portentur [*al.* comportentur], non tamen de loco in quo consecrata sunt moventur. A quo si evulsa fuerint, sicut cætera altaria denuo sunt consecranda. Hæc de proposita quæstione breviter vobis rescripsi, eadem [eisdem, *ms. c.*] rationibus et auctoritatibus prolixius ostensurus, si opportunum esset. Sed hæc prudentiæ vestræ sufficere sum arbitratus. Vale.

EPISTOLA LXXIII.

Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister*. BERNARDO, *Majoris Monasterii abbati, promereri euge servi boni.*

Verbum quod erat in ore multorum auditui meo non intulit gaudium, quo animadverti generale dispendium monasticæ religionis, et speciale incommodum vestræ perturbationis. Relatum enim est mihi quosdam e fratribus adversus fraternitatem vestram insurrexisse, qui dicerent curam vobis commissam non legitimum habuisse principium, his de causis, quod ab eo qui dicebatur excommunicatus esse, benedictionem acceperitis, et subjectionem debitam metropolitanæ sedi ante benedictionem promiseritis. Habent fortasse [*al.*, forsitan ; *ita ms. c.*] fratres istis zelum Dei, sed *non secundum scientiam* (*Rom.* X), putantes quod promotionem abbatis faciat episcopalis benedictio, et non potius fratrum communis electio [abbatis promotio an fit potius benedictione episcopali quam fratrum electione], cum tamen ipsam benedictionem conferat Dominus non secundum meritum dantis, sed secundum fidem

(*a*) Hujus epistolæ meminit epist. 80.

et puritatem, benedictionem accipientis. Unde beatus A Augustinus in libro Quæstionum Veteris Testamenti : « Dictum est a Domino in Numeris ad Aaron : *Vos ponite nomen meum super filios Israel, ego Deus benedicam eos* (*Num* VI), ut gratiam traditio per ministerium ordinati transfundat hominibus, nec voluntas sacerdotis [*unus v. c.*, dantis ob.] obesse possit aut prodesse, sed meritum benedictionem poscentis. » Unde idem Augustinus in libro tertio De unico baptismo : « Aliud est non habere aliquid, aliud non jure habere vel illicite usurpare. Non ideo itaque non sunt sacramenta Christi et Ecclesiæ, quia eis illicite untuntur non soli hæretici, sed etiam omnes iniqui et impii; sed illi corrigendi sunt aut puniendi, illa vero agnoscenda et veneranda sunt (*a*). » Item idem in libro contra Parmeniani epi- B stolam: « Sicut redeunti non redditur, quod foris habebat, sic venienti non repetendum est quod foris acceperat. » Unde consequenter intelligitur perversitatem hominum esse corrigendam; sanctitatem autem sacramentorum in nullo perverso esse violandam. Constat enim eam in perversis hominibus et sceleratis, sive in eis qui intus sunt, sive in eis qui foris, impollutam et [atque *ms. c.*] inviolabilem permanere, sed in bonis ad præmium, in malis vero ad judicium. Unde etiam Anastasius papa, sacramenta quæ Acatius condemnatus celebraverat, rata esse confirmat, ita scribens Anastasio imperatori : « Secundum Ecclesiæ catholicæ consuetudinem sincerissimum serenitatis tuæ pectus agnoscat, quod nullum de his vel quos Acatius baptizavit, vel quos sacerdotes vel levitas secundum canones ordinavit, ulla C ex nomine Acatii portio læsionis attingat, quo forsitan per iniquum tradita sacramenta, minus firma esse videantur. » Et infra : « Ideo ergo et hic, cujus nomen dicimus esse reticendum, male bona ministrando sibi tantum nocuit. Nam inviolabile sacramentum quod per eum datum est aliis, virtutem suæ perfectionis obtinuit (*b*). » Item Augustinus contra scripta Petiliani : « Ut sit quisque verus sacerdos oportet ut non solum sacramento [*al.* solo], sed justitia quoque induatur, sicut scriptum est : *Sacerdotes tui induantur justitiam* (*Psal.* CXXXI). Qui autem solo sacramento sacerdos est, sicut fuit pontifex Caiphas, persecutor unius et verissimi sacerdotis, quamvis ipse non sit verax, quod dat tamen verum est, si non det suum, sed Dei. » Sacerdotii D autem ordinem, sicut dicit idem Augustinus in libro De bono conjugali, qui semel acceperint, non privantur, licet aliqui pro aliquibus culpis ab officio removeantur. Ad ultimum, divina sacramenta talia sunt unicuique, quali corde accesserit, sicut dicit Augustinus in Diagolo contra Petilianum. Et hæc quidem dicta sunt de sacramentis ecclesiasticis, sine quibus Christiana conversatio non dicitur, nec a Domino præmium æternæ salutis acquiritur. Quid ergo est disceptandum de benedictione abbatis, a quocunque episcopo eam fuerit consecutus, in qua nec fit manus impositio, nec consecratio (*idem sup. epist.* 88) sed simplex oratio, in qua accepta vel non accepta salus subditorum, nec minuitur nec augetur. Novit enim fraternitas vestra quam multi servi Dei in Ægypto et Palæstina, cæterisque provinciis monasteriorum patres exstiterunt, qui nec tamen hujusmodi benedictionem ab humano ore acceperunt, quibus subdidit nihilominus omnem obedientiam exhibuerunt, nec de salute sua propter hoc timuerunt. De cætero, quod calumniantur non recte vos fecisse, quod ante benedictionem (*c*) promisistis obedientiam sedi metropolitanæ, vana vel nulla calumnia est. Quomodo enim connexa sibi adinvicem potereunt esse membra corporis Christi, nisi dispensatores canonicarum vel monasticarum congregationum eam obedientia exhibeant prælatis suis, quam (*quamvis ms. c. alii* qualem) sibi exhiberi volunt a subditis suis? Præterea quæ culpa est si exigitur quod debetur et quod debetur exhibetur? Unde August. ad Simplicianum libro primo : « Quis non videat iniquitatis neminem argui posse, qui quod sibi debetur exegerit, nec eum certe qui quod ei debetur donare noluerit ? Hoc autem non esse in eorum qui debitores sunt, sed in ejus cui debetur arbitrio. » Debitores autem esse qui ad dignitates promoventur ecclesiasticas, promittendæ obedientiæ testatur concilium **37** Toletanum undecimum, capitulo 2 : « Unusquisque qui ad gradus ecclesiasticos accessurus est, non ante honoris consecrationem accipiat, quam placiti sui innodatione promittat, ut fidem catholicam sinceri cordis devotione custodiens, juste et pie vivere debeat, et in nullis operibus suis canonicis regulis contradicat, atque ut debitum per omnia honorem atque obsequii reverentiam prœminenti sibi unicuique dependat. » Ipse enim summus pontifex (*b*) antequam consecrationis gratiam consequatur, consuetudines Romanæ Ecclesiæ et decreta prædecessorum suorum se inviolabiliter servaturum profitetur. Sic reliqui pontifices ante consecrationem examinantur, omnem veterum morum (*e*) honestatem et debitam obedientiam se exhibituros suis ordinatoribus pollicentur. Cum enim humilitas sola, quæ comes est obedientiæ, digna sit exaltari, sicut superbia dejici, non peccat abbas si profitetur ore, quod semper debet in corde habere, et, cum opportunum fuerit, exhibere in opere. Non ergo hujusmodi perturbatores et pertubati otiose et curiose agentes, *non intelligentes quæ loquuntur, neque de quibus affirmant* (*I Tim.* I), inutilibus scrutiniis suis, et vanis susurriis (*sic vett. codd.*) fraternitatem vestram a Sabbato cordis expellant, vel a suscepta obedia vos quantalibet tempestate removeant, et

(*a*) Sacramenta in bonis et malis æque valent epist. 236, in fine.

(*b*) Hoc latius refertur in c. 8, dist. 19.

(*c*) Aliud esse in electo episcopo erga suum primatem scribit epist. 60, et 66, supr.

(*d*) Idem scribit epist 60 ex libro cui titulus *Diurni.*

(*e*) *Morum* deest in ms. c.

cadat super vos illa hostilis irrisio : *Hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare* (*Luc.* XIV). Novit enim vestra diligentia quia ad hoc potissimum antiquus hostis invigilat, ut quietem servorum Dei interrumpat, et cum interruperit, vasa sibi ablata restituat, et restituta antiquis et novis sordibus vehementius inficiat. Multiformes igitur ejus insidias calliditate serpentis advertite, et murmuratorum molestias columbina simplicitate supportate, et tamen, quantum in vobis est, justam eis murmurandi causam auferte, ne, sicut aiunt, res monasterii vestra incuria dilabantur, et solita fratrum subsidia minuantur. Quod si forte per aliquam corporis imbecillitatem [*solus v. c. Fab.* incommoditatem.] vel supernæ contemplationis studium ad hoc minus sufficitis, sunt vobiscum viri prudentes, vobiscum B uno spiritu gradientes, quibus postestis partem vestri oneris imponere; vos autem liberius et ideo uberius dulcedinem supernæ contemplationis gustare, et in tempore verbi annonam conservis ministrare. Non homini ignoranti [*al.* hæc ig., *ita ms. c.*] srcribo, sed admonitam volo esse charitatem vestram, ne tempestas apud vos orta offendiculum fiat [*al.* faciat] infirmis aut scandalum, qui occasionem quærentes incurrunt illud problema Salomonis: *qui timet ventum, nunquam seminat : et qui considerat nubes, nunquam metit* (*Eccles.* XI.) Auferte igitur omnibus infirmis vel invidis occasionem sanctum propositum blasphemandi, vel arctam vitæ viæm non aggrediendi, ne increpando dicatur vobis per prophetam a Domino : *Quod perierat non quæsistis, quod infirmum fuerat* [al. *erat*] *non consolidastis, quod confra-* C *ctum non colligastis* (*Ezech.* XXXVI). Quod avertat a sanctitate vestra, qui animam suam pro nobis posuit, et ut pro fratribus animas nostras poneremus verbo monuit, et exemplo declaravit. Vale.

EPISTOLA LXXIV.

IVO, *Dei gratia, Carnotensis Ecclesiæ minister,* HILDEBERTO *Cenomanensi episcopo, in tribulatione tolerantiam, in tolerantia perseverantiam.*

Quantum ex tenore litterarum tuarum(*a*) perpendi, ad suggestionem æmulorum tuorum de proditione Cenomicæ urbis nuper facta insimulare te molitur regis Anglorum metuenda severitas, nulla adversum te legitima accusatione prolata, sed pravorum delatione conjecturarum divinationibus palliata, et D cum paratus sis ad perficiendam purgationem legitimam, non aliter vult te hujus proditionis immunem credere, nisi igniti ferri examinatione demonstres innocentiam tuam. Consulis itaque humilitatem meam utrum tibi bene conscius pro conservanda integritate famæ tuæ, et recuperanda regis gratia debeas voluntati ejus acquiescere, an quælibet adversa pati, ut non recedas ab ordine : breviter itaque tibi respondeo, consulens ut non transgrediaris terminos antiquos, terminos quos posuerunt patres tui. Aliter [Quid si taliter] namque innocentiam defendere, est innocentiam perdere (*b*) monomachiam enim ferri calidi examinationem nec consuetudo ecclesiastica in discutiendis causis ecclesiasticis recipit, nec canonica auctoritas instituit. Unde Nicolaus in causa regis Lotharii et Thebergæ (*c*) de falsis criminibus impetitæ : « Monomachiam in legem non assumimus, quam præceptam esse non reperimus; cum hæc et hujusmodi sectantes, Deum solummodo tentare videantur. » Dicit autem [enim *ms.*] Augustinbs in libro Quæstionum super Genesim : « Quando habet homo quod faciat, non debet tantare Deum suum. » Inde etiam ita scripsit Alexander II papa Ramuldo [*al.* Rimaldo, *vel* Raymaldo*; refertur ea super caus.* 2, *dist.* 4.] Cumano episcopo : « Super causa Gislandi presbyteri tui de morte episcopi sui prædecessoris tui infamati in medium consuluimus. Itaque circum astantium omnium fratrum assensu unanimi tuæ dilectioni rescribimus, præfatum Gislandum [presbyrum *ms. c.*] ante te præsentandum, ubi, si certi accusatores defuerint, tunc dictante justitia, sine omni controversia presbyter quæcunque ob hoc injuste amisit ac sacerdotium et integra accipiat beneficia, purgationem tamen antea [*al.* ante te] duobus sibi saserdotibus junctis, ubi accusator cessaverit eumdem ex se præbere tuo committimus arbitrio. Vulgarem (*d*) denique legem ac nulla canonica sanctione fultam [a nulla canonica sanctione fultam legem *ms. c.*], ferventis scilicet sive frigidæ aquæ ignitique ferri contactum, aut cujuslibet popularis inventionis, (quia fabricante hæc sunt omnino ficta invidia) nec ipsum exhibere, nec aliquomodo te volumus postulare, immo apostolica auctoritate prohibemus firmissime [*al.* severissime]. » Inde etiam Stephanus V [*al. ms. c.*] episcopo Magontino(*e*) : « Ferri candentis vel aquæ ferventis examinatione confessionem extorqueri a quolibet, sacri non censuerunt canones, et quod sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa ad inventione non est præsumendum. Spontanea enim confessione vel testium approbatione publicata, delicta, habito præ oculis Dei timore, commissa sunt regimini judicare: occulta vero et incognita illius sunt judicio relinquenda, qui solus novit corda filiorum hominum. » **38** Plura tibi perscripsissem super his, si licuisset. Tu itaque his et aliis auctoritatibus Patrum undique munitus viriliter age, et ne de te aliis præbeas exemplum futuris et præsentibur nociturum. Si enim aliquid contra justitiam pateris, de tribulatione purgaberis, et probaberis, deque probatione misericordiam consequeris. Vale.

(*a*) Exstat hujus Hildelberti epist. 19 qua conqueritur de sævitia regis Anglorum.
(*b*) Confer epist. 205.
(*c*) Infra *Teibergæ*, ep. 205 al. *Tecbergæ*, vel *Tiebergæ* refertur a Grat. in cap. *Monomachiam,* caus. 2, q. 5.
(*d*) In c. *Mennam.* caus., 2, q. 4 et Greg. lib. II, ep. 8.
(*e*) Cap. *Consuluisti,* can. 2, C. q. 4.

EPISTOLA LXXV.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis episcopus*, *Joanni eadem gratia Aurelianensium episcopo, salutem* (*a*).

Quod licentiam postulavi a domno [papa Putuacensem dominam [Adeliciam *epist.* 76] et milites ejus excommunicandi, magna et manifesta me compulit necessitas pro interminatis injuriis Carnotensi Ecclesiæ ab eis frequenter illatis, et ab Aurelianensi Ecclesia nondum emendatis. Ad quod etiam nunc laborare videntur qui pro vobis scripserunt, ad libitum suum interpretantes litteras domni papæ, sensum suum non aptantes ejus voluntati, sed insidias facientes grammaticæ positioni, tanquam et ipsi qui litteras apostolicas scripserunt, non fuerint grammatici. Quando enim dixit, ut confirmaretis sententiam nostram canonice dictatam in prædictam domnam, jam dixerat esse parochianam vestram, et tamen dedit Carnotensi Ecclesiæ licentiam excommunicandi eam pro suis injuriis. Canonicum [*al.* canonice, *ita ms. c.*] itaque est eam excommunicare admonitam, et sæpe vocatam, et non resipiscentem Satanæ tradere, cum illa potestas hoc concesserit, cujus est de omni persona et de omni Ecclesia judicare (epist. 78). Rogo itaque et moneo ut impleatis præceptum quod accepistis, quia et ego ad præsens non privabor apostolico munere quod accepi. Quod autem offertis mihi eam ad justitiam in capitulo Aurelianensi, vos ipse [*unus cod.* ipsi] scitis non esse canonicum : quia honor quem contra canones invadit, Carnotensis Ecclesiæ est, in qua obtuli ei omnem justitiam, et adhuc offero. Sed ipsa omnino refugit, quia injustam se novit habere calumniam. Debet autem nosse vestra fraternitas quod [*al.* quia], (epist. 184; *Grat.* can. 3, q. 6) quæque negotia in locis in quibus orta sunt, primum sunt discutienda. Valete.

EPISTOLA LXXVI.

Daimberto, *Dei gratia Senonensium archiepiscopo*, Ivo, *humilis sacerdos, salutem et debitam reverentiam*.

Quoniam [*unus v. c.* quando] ex antiqua institutione provincialem synodum celebrare vestra sollicitudo disposuit, in qua ad correctionem pravorum promulganda sunt instituta apostolica et canonica, parvitatem meam quam invitatis, licet minus utilem, subtrahere nec volo nec debeo, si tamen divina miseratio libertatem mihi conservaverit et sospitatem. Per quamcumque autem viam eadem divina miseratio venire me concesserit, ante aliquot dies præmando vobis ut in loco competenti quam securiorem conductum poteritis mihi transmittatis. De electione autem Nivernensium, in qua se studia partium [*al.* vota partium] diviserunt, ex institutione Patrum instructam credo esse prudentiam vestram ut illum modis omnibus præferatis, qui majoribus studiis juvatur et meritis (*b*). Sed quia nemini cito

A manus imponenda est, si id ad præsens ad plenum deprehendere non valetis, differendum mihi hoc negotium usque ad futuram synodum videtur, ut tunc evidentius discutiantur et eligentium studia et electorum merita. De cætero Ade liciam (epist. 75) Puteacensem dominam et Hugonem filium ejus (epist. 111 et 112) cum cæteris adjutoribus suis propter tyrannidem quam in nos exercent, ex auctoritate apostolica a nobis excommunicatos precando insistimus, et insistendo precamur, ut vos quoque excommunicetis, aut male invasa nobis restitui faciatis. Sic enim antiquitus est institutum, et nuper in Avernensi [*in solo v. c. Put.* Nivernensi] concilio omnium episcoporum qui aderant, consensu confirmatum, ut ab uno episcopo quemlibet pro inju-

B riis ecclesiasticis excommunicatum, vicini quoque episcopi excommunicent (*infra* epist. 111 et 120). Quod si causatur injuste se excommunicatam, veniat ad Ecclesiam cui calumniam facit, et a qua nullam injuriam pertulit; audiet Deo juvante [*cod. Put.* Deo annuente] justam se accepisse sententiam. Apostolica autem auctoritate a nobis eam esse excommunicatam, exemplar apostolicarum litterarum quod vobis transmisi, declarabit. Valete.

EPISTOLA LXXVII.

Ivo, *Dei gratia humilis Ecclesiæ Carnotensis minister*, Hugoni *Belvacensis Ecclesiæ decano, et cæteris fratribus ejusdem Ecclesiæ, salutem in Domino.*

De molendino quod Ecclesiæ vestræ [nostræ *ms. c.*] ab episcopo ejusdem molendini constructore est

C donatum et non tantum tricenaria ususcapione [*al.* usucaptione, *in nonnullis vox* usus *deest*] quiete possessum, sed etiam vestrorum privilegiorum auctoritate firmatum ; nunc vero impedimentis pontium et tinctorum sordibus impeditum, molendi amisit officium, justam et omni ratione subnixam causam habere videmini, et maxime adversus episcopum, qui non solum debet suis temporibus illicita non patrare, sed etiam ab antecessoribus suis illicite patrata corrigere. Sic enim scribit papa Gelasius Cresconio et Mesaliæ [Massalæ, *ms. c.*] episcopis cap. *Decessorum.* caus. 25, q. 2): « Decessorum statuta sicut legitima et justa successorem convenit custodire ita debet etiam malefacta corrigere. » Ideo nunc est sufficiens ratio quod dicit episcopus, præcepto

D suo nullum impedimentum illatum fuisse molendino, quo minus officium suum faceret, nisi ipse eos qui impediunt pro potestate sui officii removeat ab impedimento. Sicut enim scribit Joannes VIII papa Ludovico imperatori (epist. 100): « Facientis culpam habet, qui quod potest corrigere, negligit emendare. » Quod si episcopus hoc a sua potestate removere conatur, legat sententiam [*al.* legatur sententia] de concilio Gelasii papæ. Dicit enim [*cap. Placuit*, caus. 16. q. 3): « Placuit huic sanctæ ac magnæ-

(*a*) In aliquot vett. codd. caput sequens præfigitur : Quod sedis apostolicæ licentia alterius parochia num excommunicare liceat, confer cum fine epist. 60.

(*b*) Nicæn. conc. c. 6, et Antioch. c. 19; Leo papa epist. 82; vide Grat. dist. 61 et 65.

que synodo, ut res vel privilegia quæ Dei Ecclesiis ex longa consuetudine pertinent, sive a divæ recordationis imperatoribus, sive ab aliis Dei cultoribus in scriptis donata, et ab eis per annos triginta possessa sunt, nequaquam removeantur (*a*) a potestate præsulum eorum quæcunque sæcularis persona per potestatem eis subtrahat, aut per argumenta quælibet [*al* argumentum quodlibet] auferat; sed sint omnia in potestate ac jussu præsulis Ecclesiæ quæcunque intra triginta annorum spatium ab Ecclesiis possessa **39** fuisse noscuntur. Quisquis igitur [ergo clericorum, vel] sæcularium contra præsentem definitionem egerit, tanquam sacrilegus judicetur: et donec se correxerit, et Ecclesiæ propria privilegia, seu res restituerit, anathema sit.» Item de eodem papa Nicolaus Adoni Viennensi archiepiscopo : (*b*) «De rebus quæ semel Deo contributæ atque dedicatæ sunt, et postea sub occasione concessionis principum a quibusdam invaduntur atque diripiuntur, sancimus ut prius consulto principe [consulatis principem] ad resecandam tam præsumptivam factionem, et cognoscendum utrum illius sit concessio, an invasoris præsumptio. Quod si principis inordinota fuerit largitio, et ipse sit princeps pro emendatione redarguendus. Si autem invasoris declaratur præsumptio, usque ad emendationem excommunicationis sit vindicta coercendus. » Oppositio vero annuæ possessionis secundum consuetudinem suæ civitatis, sive obligatio episcopi qua se promisit observaturum consuetudines ejusdem civitatis, sive turbulenta conjuratio factæ communionis nihil præjudicant legibus ecclesiasticis. Pacta enim et constitutiones [*al.* consuetudines] vel etiam juramenta quæ sunt contra leges canonicas et auctoritates sanctorum Patrum, sicut vos ipsi bene nostis, nullius sunt momenti. Dicit enim papa Zozimus Narbonensis [Narbonensium *ms. c.*] : « Contra statuta Patrum aliquid concedere [*al.* concedere *leg. in c.* Contra *caus.* 25, *q.*1] vel mutare, nec hujus quidem sedis potest auctoritas. Quod si adversus canonum formas aliquid vobis judicatum fuerit, si vobis visum fuerit, appellabitis audientiam eorum judicum, qui apud vos majoris videntur esse auctoritatis, sive apud vestrum metropolitanum, sive apud legatum Romanum. Post appellationem vero infra quinque dies postulabitis litteras ab eo a quo appellatum est (ep. 120, c. *Si quis* cum seq. caus. 2, q. 6), ad eum ad quem appellatum est, ut diem utrique parti constituat, in quo causam vestram judiciali sententia terminari præcipiat. Valete.

EPISTOLA LXXVIII.

Ivo, *Carnotensis Ecclesiæ humilis minister, monachis Dolensis monasterii, unanimes habitare in domo.*

Venientes ad nos quidam de vestro monasterio diversa sentientes, notificaverunt nobis dissensionem quæ inter vos orta est de electione fratris vestri Ber-
A nerii quondam Bonævallis [*al.* Bonævalensis, *ita ms. c.*] monachi. Quorum relatione audita valde doluimus, procul dubio scientes, quia Satanas expetivit vos, et timentes ne ista occasione vos invicem mordeatis et comedatis, et invicem consumatis [*unus cod.* consumamini]. Vocato itaque ad nos abbate Bonævallis [Bonævallensis, *ms. c.*] monasterii, et convocatis quibusdam de melioribus Ecclesiæ nostræ fratribus diligenter investigavimus, utrum prædictus frater, vel in clericali ordine, vel in monastico aliqua notabilis apparuisset infamia. Bonum ergo ei [ejus, *ms. c.*] testimonium in omni ætate et ordine comperimus. Hoc solum abbas et monachi objecerunt quod sine licentia fratrum a monasterio discesserit. Sed hujus discessionis causam et per nos scientes, et per alios subtilius inquirentes, cogno-
B vimus, quia eo tempore quo discessit, magna in eo monasterio perturbatio fuit, quam etiam abbas ejusdem loci ferre non valens, ad majus monasterium, in quo ad conversionem venerat, necessitate compulsus rediit. Causam autem propter quam abbas discessit, propter reverentiam monastici ordinis melius est silere quam revelare. Quapropter illa discessio, quæ illi fratri et multis aliis pie sentientibus visa est in melius mutatio, nullum nobis videtur ei facere præjudicium [*unus cod* nullum ejus videtur impedimentum], si vota omnium vestrum vel meliorum in eo conveniant, et mores monastico regimini non congruentes impediant, maxime cum summus pontifex (epist. 75), cujus est de omni persona et de omni Ecclesia judicare, eum ab hoc vin-
C culo absolverit, Missas etiam ab eo audierit, et in omnibus sacramentis ecclesiasticis coram religiosis personis sæpe communicaverit. Quapropter si alia quæ canonicis institutis contraria sint in eo reperta non fuerint, rogamus et monemus ut in eo charitatem confirmetis, et ad pacis compagem festinanter redire studeatis. Habemus enim præ manibus religiosorum exempla virorum, qui relictis probabili causa monasteriis suis, ad Cluniacense monasterium (ep. 41), vel ad alia monasteria secesserunt, vel etiam ad ecclesiasticas dignitates vel monasteriorum curas (*e*) sine omni repulsione [repulsa] ascenderunt. Ex quibus duo de monasterio Crucis, litterati et religiosi, Guimundus et Robertus, alter ad episcopatum (*d*) Aversensem, alter ad gubernationem
D monasterii Sancti Laurentii Aversensis, auctoritate apostolica assumpti sunt. Arnulfus [*unus*, Ernulfus] Belvacensis monasterii Sancti Simphoriani monachus, vir prudens et religiosus, simili de causa relicto monasterio, nunc Cantuariense monasterium regit. Sic et multi alii. Valete.

EPISTOLA LXXIX.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis episcopus*, Gulielmus [*al.* Vilelmus] *Parisiensis*, Joannes *Aurelianensis*, Galterius [Gauterius] *Meldensis*, Humbaldus

(*a*) Deest in ms. c. sicut et in decreto.

(*b*) Cap. *De rebus*, causa 12, q. 2; exstat inter epistolas Nicolai papæ I ad Odonem archiepisc., ep. 59 tom. III Epistol. summor. pontific.

(*c*) *Ita* vett. codd.; vide not. *ms. c.*

(*d*) Sic ex pluribus antiquit. libris.

Antissiodorensis, Philippo *Trecassino episcopo, salutem.*

Congregatis in Stampensi concilio multa super [*al.*de frat.] fraternitate tua licet ingratis auditoribus nobis relata sunt, de quibus valde mirati sumus, quoniam et auribus piorum [*al.* proborum] sunt onerosa,et ordini tuo si vera sunt periculosa; de quibus quia eadem legati tui retulerunt, vel referre poterunt,interim silere decrevimus. Sed, quia ad concilium vocatus [*al.*invitatus] non venisti,nec legatum, nec legitimam excusationem scripto vel dicto pro te misisti [*unus cod.* præmisisti], potuissemus in te canonicam dedisse sententiam. Non enim metum mortis aut cruciatus suspicionem inferendi,sed præsentem tantum secundum leges (*l.* IX,*d. Quod met.*cau.) pro legitima excusatione accipimus, ubi iter anticipare vel circuire nullæ angustiæ prohibuerint [prohibuerunt].Præterea quidam contemptus in litteris tuis notari potuit, quod nec nomen metropolitani, sicut in litteris excusatoriis (*a*) fieri solet,interposuisti,nec ad eum aliqua excusatoria verba direxisti.Nos autem misericordiæ magis intenti quam judicio, inducias tibi a domno metropolitano impetravimus usque ad Dominicam proximam ante Natalem Domini,quando futura est consecratio Nivarnensis episcopi.Monendo itaque mandamus et mandando monemus ut tunc præsentiam tuam remota omni excusatione domno metropolitano exhibeas, satisfacturus de objectis. Quod si adesse neglexeris, amodo non erit culpa nostra, si pro misericordia **40** judicium susceperis.Nec enim tibi timendum erit de vicecomite, qui de se et de filio suo, et omnibus suis omnem tibi securitatem in præsentia totius concilii promisit. Vale.

EPISTOLA LXXX.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister*, Vuilelmo [*al.* Guilelmo], *Fiscanensis monasterii abbati, orationum munus mutuum et devotum servitium.*

De motione altaris vel parietum ecclesiæ, utrum iteranda sit consecratio, vel non iteranda, nihil scriptum in antiquis regulis reperi. In collectionibus [*cod. Put.* collationibus] autem Burchardi Wormacensis episcopi, ex concilio Meldensi capitulo quinto ita scriptum reperitur (*b*) « Altare si motum fuerit, ecclesia denuo consecretur : parietes vero si moti fuerint, et non altare, salibus tantum exorcizentur.» Hoc capitulum si diligenter attendatur, ad omnes inquisitiones vestras respondet, et quia de motione altaris monachis Sancti Wandregisili [*al.* leg. Guandregisili] rationes quas potui, aliquando reddidi, easdem religioni vestræ scribere curavi, quibus ita scripsi (epist.71) : Consuluit parvitatem meam vestra dilectio, utrum tabulæ altarium aliquando consecratæ,cum translatæ fuerint,et super A novam struem lapidum positæ, denuo sint consecrandæ. Quod nobis ex auctoritate et ratione faciendum videtur, cum canon dicat (*c*) : « Altare si motum fuerit, ecclesia denuo consecretur. » Quod si Ecclesia propter motionem solius altaris denuo est consecranda, quanto magis ipsum altare quod motum est? Præterea cum signa similitudinem habeant earum rerum,quarum signa sunt,sicut fides, quæ caput et fundamentum est sacræ religionis,immobilis debet manere in credente,sic visibile altare, quod figuram gerit fidei,debet manere immobile. Et sicut a fundamento fidei, si quis motus fuerit, per manus impositionem, corpori Christi, quod est Ecclesia, reconciliandus est ; sic mensa altaris fidei typum gerens, si mota fuerit, iterum sacris mysteB riis imbuenda est.Nec similis satis est ratio, quam quidam fratres vobis objiciunt, quod altaria portatilia [*al.*portabilia], licet de loco ad locum moveantur, non tamen denuo consecrantur [*vel* moneamus n. t. d. consecramus]. Hæc enim altaria non aliter consecramus, nisi vel in tabulis ligneis, vel in aliquo competenti substractario compacta et firmitus [*al.* firmiter, *ita ms. c.*] sint affixa. Unde licet de loco ad locum portentur,non tamen de loco in quo consecrata sunt, moventur; a quo si avulsa [*vel.* evulsa *ms. c.*] fuerint, sicut cætera altaria denuo sunt consecranda.Hæc de motione altaris.De parietibus vero si restaurentur, quare salibus tantum sint exorcizandi et non consecrandi,ratio nobis investiganda: ad quod nobis necessarium videtur [videtur, *ms.c.*], ut primum attendamus formam temC pli invisibilis, ut cum ea postea conferre possimus figuram templi visibilis.Dicit enim Apostolus : *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis, ego ut sapiens architectus fundamentum posui* (*I Cor.* III), fundamentum hoc,ut supra [sicut,*ms.c.*] diximns,intelligimus fidem, cui superponuntur bona opera, quibus probatur dilectio Dei,et proximi,tamquam parietes spiritualis ædificii.His omnibus superadditur vice tecti, celsitudo spei, quæ procedit penetrando usque ad interiora velaminis.Scriptum est autem ab eodem Apostolo : *Sine fide impossibile est placere Deo* (*Hebr.*XI). Fides ergo si evellatur, tota ædificatio spiritualis procul dubio destruitur. Reliqua vero ædificatio,si aliqua vetustate atteritur, aliqua læsione minuitur,sacramenta fidei nequaquam iteD rantur ; sed tantum quod macularum est,asperitate pœnitentiæ et compunctionis lacrymis emundatur. Secundum ergo hanc similitudinem, moto altari, quod figuram gerit fidei sicut dictum est,tota Ecclesia consecranda est,quæ corrupta fide tota destructa est. Motis vero parietibus sola aqua et salibus, tanquam pœnitentiæ sacramentis reformanda est. Novit enim prudentia vestra, quia sic orat Ecclesia ut quod in manufactis templis agitur,hoc in nobis

(*a*) Unus cod.*excusationis*; ita excusatoria sacramenta dixit epist. 18.

(*b*) Extat in decreto Burch. *lib.* III, c. 11, ex decretis Higini papæ, c. 4. Ab aliis autem appellatur Brocardus, ut decretalium *lib.* IV, *tit.* 4.

(*c*) *Cal. Si motum* 18, de consecr. dist. 1, addetit. XL, *De cons. eccl.* vel *altar.* lib. III, Decretal.

spiritualiter impleatur, quatenus per cultum visibilium sacramentorum provocemur ad agnitionem [*al.* cognitionem, *ita ms. c.*] et amorem invisibilium ædificiorum. Possent de his observationibus cum his quæ dicta sunt plura dici, sed hoc puto sufficere prudentiæ vestræ, quæ novit de minimis maxima, de paucis plura conjicere. Vale.

EPISTOLA LXXXI.

PASCHALI *summo pontifici*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, debitam obedientiam cum fideli orationum obsequio.*

Paternitatem vestram apostolici culminis gradum ascendisse, et in locum beatæ [bonæ, *ms. c.*] memoriæ papæ Urbani successisse, nostra parvitas gratulatur, et summæ providentiæ gratias inde referens, ut de bonis principiis meliores exitus proveniant, pro modulo suo Deum quotidianis orationibus deprecatur. Credimus enim religionem vestram zelum Dei hactenus habuisse, et decorem domus Dei non ficte dilexisse. Unde postquam paternitatem vestram vicem apostolici gradus accepisse cognovimus, summum desiderium nostrum fuit, ut per propriam personam adiremus præsentiam vestram, nisi nos retinuisset periculum molestiæ corporalis, quod ineundo facile incurreremus de nobis vera fatendo, vel periculum lapsus animæ quod nobis immineret vera negando. Sic enim Petrus Christum negasse dicitur, non quod negaret Christum esse Christum, sed quia negavit Christi se esse discipulum. Mitto itaque interim vobis fratrem istum præsentium portitorem, quem rogo ut vice mea familiarem habeatis, et in his quæ salubriter et utiliter reverentiæ vestræ suggesserit, tanquam meipsum audiatis. Valete.

EPISTOLA LXXXII.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister*, GAUFRIDO *Vindocinensis monasterii abbati, salutem.*

Quidam frater monasterii tui nomine Daniel ad nos veniens graviter conquestus est a tua fraternitate se inordinate et miserabiliter multoties tractatum tam contumeliis verborum quam injuriis verberum, et qualem te in se exspertus est, talem te existere in omnes, aut pene omnes pronuntiat. Unde moneo fraternitatem tuam quatenus zelum tuum ita modifices, ut nec tumori parcas, nec in sanas partes ferrum mittas, et quos corripis cum charitate corripias, et quibus parcis cum charitate parcas. Nosti enim quia cum unus prophetarum ligna cædens **41** immoderate percuteret, ferrum de manibus (*a*) prosilivit de manubrio, et unum de filiis prophetarum occidit. Sic sic, charissime, immoderatus rigor disciplinæ quos corripit non corrigit, sed in laqueum diaboli præcipitanter impellit. Rogo itaque et moneo fraternitatem tuam, quoniam prædictus monachus sub pondere correptionis tuæ [correctionis *ms. c.*] deficit, ut eum in aliqua cella monasterii tui respirare permittas, aut, si omnino importabilis A tibi videtur ejus conservatio, licentiam ei salvandi animam suam in alio monasterio concedas, et hoc mihi ad præsens rescribas. Ita enim fieri poterit ut et frater renovatis moribus melioretur, et anima ejus de manu tua non requiratur. Vale.

EPISTOLA LXXXIII.

Reverendis in Christo fratribus diœcesis Remensis episcopis, Ivo, *humilis Carnotensium Ecclesiæ minister, salutem a Domino.*

Litteras a metropolitano vestro ad vos directas vidimus et legimus (ep. 85) et quam asperis et minacibus verbis sit usus dictator earum, credo quia meminit prudentia vestra. Sed quidquid minarum vel contumeliarum intentent litteræ illæ, vestrum est tam pro vobis quam pro confratre B vestro Suessionensi episcopo pondus earum animadvertere, et in periculo ejus periculum vestrum studiose præcavere. Si enim concessum fuerit, ut metropolitanus in Ecclesiis comprovincialibus (*Gratian.* cau. 9, q. 3) absque consensu [concessu, *ms. c.*] episcoporum, qui eis præsunt, quidquid voluerit, valeat imperare, clericos earumdem judicare, vel ab officio suo suspendere, dignitati episcoporum indigna fiet violentia, et auctoritati sanctorum Patrum ruinosa injuria [*solus cod. Put.* calumniosa injuria]. Rogatu itaque confratris vestri Suessionensis [*al.* Suessionis] episcopi, ex communi debito charitatis hortamur vestram reverentiam, ut hujusmodi incœptis manus obvias extendatis, et tantos impetus canonicæ auctoritatis ariete repellatis. Habetis enim in Heptatico, quia in C contentione duorum, qui ad alterius pudenda manum miserit, lapidibus obruatur (*Deuter.* XXV, vide notas). Quod quid est aliud dicere, nisi qui in aliqua disceptatione in aliquem convitiosa verba protulerit, ab omnibus duriter arguatur. Quandiu enim Suessionenses parati sunt in capitulo suo per episcopum suum canonice satisfacere, nemo eis debet hæresis aut sacrilegii crimen imponere, et ipsi clerici vel eorum episcopus, si canonica servatur auctoritas, nisi canonice satisfactum fuerit, eis de objecta per scriptum infamia nullatenus debent ad objecta [*unus cod.* debent objectis] respondere. Et cum ea quæ a me scripta sunt multis auctoritatibus possint muniri, pauca de multis subnectere curavi, non ad docendum vos, sed ad commonefaciendum. D Dicit enim beatus Augustinus : « Qui maledicto vel criminis objectu aliquem læsit, studeat ex ore eodem proferre medicamenta unde protulit vulnera. » Alioquin secundum papam Fabianum, qui non probaverit quod objecit, pœnam quam intulit, ipse patiatur (tit. *Qua pœna*, etc. apud Grat. cau. 2, q. 3). Nisi illud forte obsit, quia majorum nugæ negotia vocari solent. De non judicanda vero alterius Ecclesia, multorum sententiis consentiens inter alia dicit Callixtus papa (ep. 2, et in c. *Sicut* cau. 7, q. 1). « Sicut alterius uxor nec adulterari ab aliquo vel judicari aut disponi nisi a proprio viro eo vivente permittitur,

(*a*) *e manibus* deest in ms c. Idem locus epist. 164, ex Deuter., c. 19.

sic nec uxor episcopi, quæ ejus ecclesia vel parochia indubitanter intelligitur, eo vivente absque ejus judicio et voluntate alteri judicari vel disponi conceditur. » Inde etiam scribit papa Nicolaus Radulfo Bituricensi archiepiscopo (*refert.* epist. 236): « Conquestus est apostolatui nostro frater noster Sigegodus archiepiscopus Narbonensis, quod clericos suos eo invito ad judicium tuum venire compellas, et ne rebus ad Ecclesiam suam pertinentibus eo inconsulto quasi jure patriarchatus tui disponas, cum hoc nec antiquitas (cui Patres sanxere reverentiam) habeat, et auctoritas sacrorum canonum penitus interdicat, nisi forte pro causis quas apud se terminare non possunt, ad te quasi ad patriarcham suum provocaverint; vel, si episcopus suus decesserit, res Ecclesiæ suæ judicio tuo dispensare voluerint. Primates enim vel patriarchas nihil privilegii habere præ cæteris episcopis, nisi quantum sacri canones concedunt, et prisca consuetudo illis antiquitus contulit, diffinimus, ita ut secundum Nicænas regulas sua privilegia serventur Ecclesiis » (c. 1, 2, 8, 10, 17, 21, cau. 25, q. 2). Possem in hunc modum multa interponere, sed supervacuum videtur, quoniam habentur apud vos sicut apud nos. Valete.

EPISTOLA LXXXIV.

JOANNI *presbytero cardinali, Romanæ Ecclesiæ legato*, Ivo, *humilis Carnotensium Ecclesiæ miinster, legatione fungi in Christo.*

Litteras tuæ benevolentiæ indices nuper accepi, quibus aliqua constantiæ tuæ opera parvitati meæ notificasti. In quibus hoc egregie laudabile intellexi, quod te a communione regis (*a*) abstinuisti, quoniam in hoc et famæ tuæ et legationi tibi commissæ sane consuluisti, licet quidam Belgicæ provinciæ episcopi in Pentecosten contra interdictum bonæ memoriæ papæ Urbani coronam ipsi regi imposuerint, tanquam mortuo præcone justitiam [justitia, *ms. c.*] mortuam esse crediderint. Quod autem Pictavis aut intra provinciam Aquitanicam concilium celebrare disponis, omnino laudo, quia si intra provinciam Belgicam vel Celticam concilium celebraretur, multa premi silentio oporteret, quæ ventilata scandalum generarent, et totum pene fructum concilii aliqua exæstuatione præfocarent, pressa vero silentio, tanquam verbo Dei alligato, legationis tuæ auctoritati [*solus v. c. Put.* verbo Dei suffocato, Romanæ auctoritati] plurimum derogarent. De termino vero habendi concilii, quem IV Kal. Aug. designasti, facile occasionem quærent episcopi partium nostrarum, dicturi non esse congruum spatium ad peragendam viam, et præparandum viaticum. Non enim poterunt multi episcoporum ad locum pervenire concilii, nisi per multos circuitus, et per acquisitos undecunque conductus. Si ergo videtur prudentiæ tuæ convenientior videretur mihi terminus in capite autumni: quando [*al.* quoniam] et annus erit fertilior, et unusquisque invitatus indulto sibi congruo spatio

A ad eumdum paratior. Si autem præter spem evenerint hæc omnia, cum Deus invicem nos loqui concesserit, et de termino et de loco habendi concilii, et de multis aliis cum prudentia tua tractabo, quia multa prætereo quæ non sine ratione interim chartæ commendare dissimulo. Mitto itaque tibi **42** cum brevigerulo [*unus, v. c.* cum hoc gerulo] tuo cursorem istum, per quem mihi remandes et de tempore et de loco colloquii nostri, et de constitutione habendi concilii, Vale.

EPISTOLA LXXXV.

MANASSÆ *reverendo Remorum archiepiscopo*, Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, charitatis visceribus abundare.*

B Allatæ sunt nobis nuper litteræ (epist. 83) a vobis per comprovinciales episcopos vestros missæ, quibus perlectis intelleximus grave scandalum levi de causa inter Remensem et Suessionensem Ecclesiam nuper exortum. Cum autem in provincia vestra peregrinum sit judicium nostrum, peregrinum tamen non putamus esse consilium nostrum, quo charitate suadente reverentiæ vestræ et omni religioni, si facultas esset, vellemus bene esse consultum. Videbantur autem illæ litteræ, ut pace vestra dicam, plus continere invectionis quam correctionis [correptionis, *ms. c.*], perturbationis quam reconciliationis, magis percutere robur sanorum quam colligare vulnera infirmorum, niti etiam auctoritatibus honestis et firmis, non tamen satis apte (*b*) ad id de quo agebatur accom-
C modatis. Nec ista mordendo dico, sed dolendo, fraterno amore desiderans ut scandalum prudenti moderatione sopiatis, et his qui curiosi sunt ad cognoscendam vitam alienam (epist. 7 et 118), desidiosi autem ad corrigendam suam, occasionem disceptandi de vobis quam celerius potestis subtrahatis, et cæcis offendiculum non ponatis. Legitur enim in Exodo quia si litigaverint duo viri, et perculserint mulierem prægnantem, et exierit infans nondum formatus, detrimentum patietur quantum indixerit vir ejus, et dabit pro anima sua (*Exod.* XXI). Quid est autem hæc mulier prægnans, nisi anima infirma, nondum in amore Dei perfecta? hæc ergo anima religiosis viris inter se contendentibus, et sua contentione scandalum generantibus, percutitur et
D scandalizatur, ita ut amorem Dei, quem tenuiter conceperat, abjiciat et perdat. Qui autem huic infirmiori et muliebri animæ abortivum excussit, damnum patietur, quia mercede, qua fidelis servus pro talento multiplicato donandus est, privabitur. Vir vero hujus mulieris est Christus qui pœnam huic offensioni debitam inducit [indicit, *ms. c, in quo duo sequentia verba desunt*] sic dicens, (*Marc.* IX) : *Qui scandalizaverit unum de pusillis credentibus in me, bonum est ei magis si circumdaretur mola asinaria collo ejus, et in mare mitteretur.* Quæ detrimenta ut evitare valeatis, filiam vestram Suessionensem Ecclesiam, quam sacrilegam, licet canonice

(*a*) Philippi, de quo epist. 211.

(*b*) *Apte*, deest in ms. c.

obedire paratam, prout libuit, appellatis [*al.*appellastis ita, *ms. c.*], ad sinum matris paterne revocate, et hæc amaritudinis verba, quæ æternarum inimicitiarum esse monumentum possunt [possunt esse monimentum, *ms. c.*], mutata in melius mente temperate: ne forte, si pertinaciter vos invicem mordetis et comeditis, ab invicem consummamini. Quantum enim intellexi, nisi zelum vestrum temperaveritis, non absque canonica ratione cavebit se judicio vestro submittere, qui velut in hostem videmini adversus eam exercitum commovere, et quasi procinctum belli præparare. Utatur ergo prudentia vestra consilio non iratorum, sed [*unus cod.* consilio malorum, sed] eorum qui possint esse discreti mediatores utrarumque partium, ne forte post multas vexationes alienum cogamini subire judicium. Valete.

EPISTOLA LXXXVI.

Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister*, STEPHANO *palatino comiti, dilectionem et pacem in Christo* [al. *salutem et dilectionem*, ep. 49].

Clericos minis territos et contumeliis affectos, ad vos mittere non valeo. Mitto itaque chartam non timentem, neque erubescentem, justitiam exigentem et justitiam promittentem. Moneo itaque excellentiam vestram nunc tertio, ut homines vestros qui in pacem offenderunt, ad justitiam pacis, quam ipse dictastis et promisistis, venire faciatis, et cum hoc correctum fuerit, si quid in vos deliquimus, emendare parati sumus. Neque enim aliud aliquid aliquando de hoc negotio vobis mandavi, quidquid dixerint vobis legati vestri. Quidquid autem vel plus, vel minus hactenus in auribus vestris dictum sit, vel aliter, nunc expostulo justitiam et offero justitiam, secundum rationem rerum gestarum et ordinem admonitionum, prout concorditer illi judicabunt, qui justa judicia se facturos de pace juraverunt. Et hoc futura die Martis. Quod si refutaveritis, scimus quia potentia vestra et principatus vester pace ecclesiastica non eget. Nos vero erimus contenti terminis nostris; et pacem istam, quæ Ecclesiæ valde est onerosa et sumptuosa [*quidam* infructuosa], quam contra vos tenere non possumus, dimittemus; in aliis autem sicut magno et potenti viro serviemus [*al.* servientes]. Valete.

EPISTOLA LXXXVII.

JOANNI *et* BENEDICTO *cardinalibus presbyteris, et Romanæ Ecclesiæ vicariis*, IVO, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, ita sibi commissa fungi legatione ut Angelo magni consilii valeant complacere.*

Quia Belvacensis Ecclesiæ lapsum dudum vobis ex parte per litteras insinuavi, nunc in quantum profundum malorum (*a*) descenderit, sollicitudini vestræ reticere non valeo: ne mea taciturnitas mihi reputetur in vitium et veterno ipsius Ecclesiæ morbo nullum procuret adhibere remedium. Prædicta enim Ecclesia tandiu jam bonos desuevit habere pastores

A ut malos habere videatur ei quasi legitimum, bonos autem eligere quasi nefarium. Quod in hoc satis patet quod adversus litteras domni papæ (epist. 89, ad Paschalem) et vestras de electione vel assumptione episcopi illicita prohibentes, ad contemptum sedis apostolicæ, irrisoria et contemptibilia verba in vos protulerint, et postposita omni canonica obedientia clericum quemdam illitteratum, aleatorem et cæteris hujusmodi [*al.* hujus mundi] lenociniis vacantem, procul etiam a sacris ordinibus inventum, quondam quoque propter publicum adulterium a legato Romanæ Ecclesiæ Lugdunensi archiepiscopo de Ecclesia ejectum, pro voluntate regis, et illius contubernalis [*al.* contubernialis, *ms. c.*, epist. 13] suæ, in episcopum assumpserunt. Prædictus autem

B intrusus Stephanus vocatur de Guarlanda [*quidam cod.* de Gallanda, *vel* de Valanda]. Cui si ad episcopalem ministrationem [*in aliis cod. ita ms. c.* consecrationem, *cod. Put.* Si episcopalis consecration] aliquando apostolica auctoritate patuerit aditus, manifestum est [*aliqui* ap. auct. potuerit per vos manif.] temporibus nostris exitiale silentium impositum esse canonicis legibus. Quomodo enim ad fontem scientiæ pertingemus, **43** si ab ipsis qui clavem tenent, intrare non permittimur? [*al.* permittitur.] His et hujusmodi præmonitam et præmunitam volo esse sollicitudinem vestram, ut et vobis caveatis, et domnum papam super his cautum faciatis, ut qui ex adverso stat occasionem maledicendi non habeat de vobis tanquam sua quærentibus, et non quæ Jesu Christi. Prædictus enim intrusus festinat ut cito

C Romam vadat, aut mittat, et palatinos quibus poterit muneribus vel promissionibus flectat in suam partem, et domnum papam quacunque poterit machinatione decipiat. Rei itaque veritatem vobis notificamus, ut et auctoritati apostolicæ provideatis, et famæ vestræ bene consulatis, et Ecclesiam in malis tabescentem solatio foveatis, forti manu relevetis, et corrosorum dentes sinceritatis lapide conteratis [*unus cod.* contundatis]. Si enim et in hoc cassata fuerit expectatio nostra, jam quid contra obloquentes pro Romana Ecclesia loquamur (*b*), non habebimus, et murum pro domo Dei ponere fiducia Romanæ Ecclesiæ ultra non audebimus [*al.* non valebimus.] De mundana ergo Dei domo, et de vindicando contemptu vestro, consilium cito capite, et

D quid super hoc et super aliis dispositionibus vestris facere velitis, per portitorem præsentium rescribite. Cum vobis Deo donante loqui poterimus, hæc et alia diligentius et diffusius exponemus. Valete.

EPISTOLA LXXXVIII.

Domno et omni veneratione dignissimo PASCHALI *summo pontifici*, IVO *humilis ejus filius, omnis obedientiæ affectum et effectum.*

Audivi nescio quorum falsidicorum delatione ad aures sanctitatis vestræ pervenisse domnum Hilgotum [*al.* Hilgodum] quondam Suessionensem epi-

(*a*) *Malorum,* deest in ms. c.

(*b*) Vide in hanc rem quæ scribit epist. 109.

scopum pro certis criminibus depositum ad monasterium confugisse. Quod absit ut credat sanctitas vestra! Nulla enim infamia denotatus, nulla criminali acousatione pulsatus, propter prælatorum [prælationis] pericula. quæ jam expertus fuerat se salubriter ferre non posse, episcopatui renuntiavit, et ad portum monasterii confugiens de naufragio hujus mundi nudus evasit. Eram quippe tunc temporis presbyter Belvaci in quadam regulari Ecclesia: ipse autem mihi familiaris erat propter aliquam, quam in me æstimabat [*al.* existimabat] pietatis formam. Per me enim transivit, in auribus meis coram Deo totum se effudit, ad ultimum propositum suum aperuit: et cum ei licet leniter [*al.* leviter] resisterem, et ut in regimine sibi commisso persisteret multis modis persuaderem, multis verbis ultro citroque habitis, summa fuit consilii sui, se malle in loco humili salvari, quam in alto [*quidam* in summo] periclitari. Visa itaque animi ejus constantia, quod vir tantæ nobilitatis, et tantæ felicitatis, ita mundum calcaret, et sub leve Christi jugum confugeret, approbavi intentionem ejus, et qui me fecerat conscientiæ suæ judicem, habuit de cætero sui propositi laudatorem. Qualiter autem in monasterio sit postea conversatus, dicant vobis qui noverunt, qui etiam approbata conversationis ejus experientia in patrem sibi eum elegerunt. In quo nihil aliud opponunt, quibus plus displicet bonum insolitum, quam malum inolitum, nisi quod episcopali dignitati indigna fiet injuria, si qui episcopus fuit, fiat archimandrita. Dicunt enim quia non potest esse abbas sine benedictione [*al.* si non benedicatur *ita ms. c.*]. Si autem benedicitur, episcopali benedictioni vehemens injuria irrogatur. In quibus omnibus vestra exspectanda est censura, vestra est tenenda sententia. Nam quidquid horum decernere velit apostolici culminis prærogativa, nulla episcopali sacramento nobis fieri videbitur injuria, cum abbatis benedictio nulla sit sacramenti repetitio, vel hujus benedictionis abstinentia non impediat virum ad hoc electum ad procuranda bona spiritualia vel temporalia (*vide* epist. 33). Quod quam multis modernorum et antiquorum Patrum probari possit exemplis, novit vestra prudentia. Hæc suggerere volui sanctitati vestræ, ut non omni spiritui credatis, nec de honesta persona inhonesta murmurantibus aurem facile præbeatis. Valete.

EPISTOLA LXXXIX.

PASCHALI *summo pontifici* IVO, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, quidquid filius patri.*

Quoniam (*a*) uterinum filium Romanæ Ecclesiæ testante conscientia mea me esse cognosco cum scandalizatur, non possum non uri, cum tribulatur tribulor; cum detractorum livido dente laceratur, A disrumpor. Unde suggero dulcissimæ paternitati vestræ, ut si quæ de partibus nostris accusandorum vel excusandorum episcoporum vel aliorum hominum ad aures vestras causæ perlatæ fuerint, non statim petitionibus eorum qui quæ sua quærunt, et non quæ Jesu Christi, acquiescatis, sed indulto congruo et prolixo spatio, religiosorum, qui in vicina regione rem liquide nosse possunt, testimonia requiratis, et ita cognita veritate prout vobis Deus inspiraverit, juste vel misericorditer quælibet negotia terminetis. Ita enim bonam famam vestram, quæ sedi apostolicæ valde necessaria est, conservando, multorum saluti providebitis, et æmulorum linguas a maledicto revocabitis. Alioquin si quæ pudenda patris, quod Deus avertat! revelata fuerint, B non ea ut filii aversionis deridebimus, sed tamen ab hujusmodi admonitionibus, quas infructuosas videbimus, stylum et linguam cohibebimus. Nec indignetur sanctitas vestra, si ut filius talia suggero paternitati vestræ, quia multos amatores justitiæ jam vidi [*al.* quia multos pastores jam vidi; *confer.* locos epist. 109 et 110.] propter remissa flagitia, vel multorum dissimulata facinora [*vel* dissimulata multorum facinora [*vel* flagitia *ms. c.*], ori suo silentium posuisse, et a spe corrigendorum malorum plurimum defecisse. Hæc hactenus. De cætero notum facio excellentiæ vestræ, Belvacenses clericos contra interdictum vestrum et legatorum vestrorum, quemdam clericum nomine Stephanum (*de quo* epist. 87, 95 et 104), in episcopum assumpsisse, C procul a sacris ordinibus inventum, utpote nondum subdiaconum, hominem illiteratum, aleatorem, mulierum sectatorem, publice olim de adulterio publico infamatum (*b*), et ob hoc a Domno Lugdunensi archiepiscopo tunc temporis sedis apostolicæ legato, Ecclesiæ communione privatum. De quo possent dici multa alia inhonesta, sed hæc quæ vera et manifesta sunt ad repulsionem ejus sufficiunt, si apostolica et canonica instituta vigorem suum non amittunt. Volo itaque sanctitatem [*al.* paternitatem] vestram a parvitate mea super hoc esse præmonitam et præmunitam, ne per subreptionem innocentiam vestram aliquis decipiat, ut licentia vestra ad episcopatum **44** perveniat. Quod si factum fuerit, quantum in hoc casura sit sedis apostolicæ auctoritas, si verbis meis non creD ditis, tandem rei experientia cognoscetis. Ne igitur diu terram occupet, pædagogum illum ab Ecclesia Dei removete (*c*), ut cæteri incircumcisi clerici hæc videntes a simili ambitione desistant, et ita sermo Dei in diebus vestris currat et proficiat. Sciat autem sanctitas vestra hunc Stephanum prius a Belvacensibus propter prætaxatas causas fuisse repulsum, sed cum sanior pars assensu regis quemdam religiosum vellet eligere, a quibusdam malevolis clericis et laicis excommunicatis eumdem fuisse rece-

(*a*) Alias in v. c. Put. *intimum filium.* Sic jam epist. 12 ad Urbanum papam scribens de se dicit, filio uteri vestri consulite.

(*b*) Accusante Lisiardo archidiacono ut ait epist. 45.

(*c*) In malam partem ut epist. 6 et 98.

ptum, jamdiu enim illa Ecclesia tales consuevit [*Unus cod.* consuerat] habere pontifices (*a*) quibus ipsa damnaretur, non a quibus ad viam vitæ dirigeretur. Vestrum autem est et oves errantes et dissipatas per nebulas et avia deserti quærere, et ad pascua reducere, pastoremque qui gregis curam habeat, eidem providere. Et licet ipsæ oves velint perire, velint errare (*vide* loc. epist. 102), velint se ferocitati luporum suffocandas objicere; dicendum est tamen sanctitati vestræ, nolo erretis, nolo pereatis. Ut autem sciatis verum esse quod propter adulterium fuerit de Ecclesiæ ejectus, exemplar litterarum Lugdunensis archiepiscopi vobis mittere curavi. Valete.

EPISTOLA XC.

DAIMBERTO, *Dei gratia Senonensi archiepiscopo*, Ivo, *Carnotensis Ecclesiæ minister, salutem et servitium.*

Portitor litterarum vestrarum festinabat ad reditum; ergo autem aliquantulum potione et sanguinis minutione [*al.* diminutione] debilitatus eram pro valetudine, tamen et opportunitate hæc ad interrogata respondeo, quia trevia [treuvia] Dei non est communi lege sancita, pro communi tamen utilitate hominum ex placito et pacto civitatis ac patriæ, episcoporum et Ecclesiarum, ut nostis, est auctoritate firmata. Unde judicia violatæ pacis modificari oportet, secundum pacta et diffinitiones quas unaquæque Ecclesia consensu parochianorum instituit, et per scripturam vel bonorum hominum testimonium memoriæ commendavit. Unde palam est, quia vitricus et frater vester erga illum quem in jurando pacem ab observantia pacis exceperunt, quamvis reatum homicidii incurrerint, non tamen pactum pacis violarunt. Sed quia exceptio illa personam nocentis non excessit, et nepos illius excommunicati non erat prius de ejus adjutorio vel communione culpatus, si ille nepos paci erat juratus, quantum nobis videtur, injuste est contra pacis instituta peremptus, nisi forte alias rationes habeatis, quæ in litteris vestris minime fuerunt, quibus interfectorem ejus a violatæ pacis injuria defendatis. Non enim etiam ipsos violatores pacis, non tantum ad puniendum non exponendos inimicis, sed nec excommunicandos esse censemus, nisi postquam accusati et convicti fuerint, et malefacta [*al.* maledicta] sua emendare contempserint. Unde Augustinus in libro De pœnitentia : « Nos quemquam a communione prohibere [*quidam cod.* privare] non possumus, quamvis hæc prohibitio non sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut sponte confessum aut aliquo sive sæculari sive ecclesiastico judicio accusatum atque convictum. » In hunc modum multa dici possent, sed hæc vos ignorare non æstimo. Valete.

EPISTOLA XCI.

Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister*, ADELÆ *nobili comitissæ, cum fideli oratione servitium.*

Gratias agimus Deo, qui procellam vestræ infirmitatis convertit in serenitatem recuperandæ sospitatis, quia [*al.* quoniam), sicut contristavit nos nubilum ingruentis infirmitatis, sic lætificavit serenum redeuntis sospitatis. Interpellamus itaque divinam clementiam, ut præsentia flagella carnis medicinam esse faciat interioris hominis, quatenus et commissa præterita fletu diluatis, et flenda de cætero caveatis committere, ne divina manus, quæ modo misericorditer flagellat, postea miserabiliter conterat. Rogo autem pro remedio animæ vestræ ut ecclesiam beati Joannis Baptistæ, in qua regularem vitam Deo donante ordinavimus, diligatis, et res ad ipsam ecclesiam pertinentes contra insidiantes et incursantes pro posse vestro defendatis, et præcipue regulas cujusdam Haimerici quondam servi sanctæ Mariæ Jotrensis monasterii in eadem ecclesia conversi, quiete ab incursu vestrorum possidere faciatis. Abbatissa enim prædicti monasterii servum illum cum rebus suis eidem ecclesiæ manumisit (juxta canones sub distinct. 54), sicut dicet vobis domna Hilescendis [*al.* Hilesendis, *ms.c vel* Hilensis] vicedomina. Pro hoc enim a fratribus prædictæ ecclesiæ habebitis munus orationum, et a nobis fidele servitium. Valete.

EPISTOLA XCII.

PASCHALI *summo pontifici*, Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, debitam cum omni devotione obedientiam.*

Mater mea Belvacensis Ecclesia, quæ in Christo me genuit, quæ lacte suo me aluit, crebra mutatione perniciosorum aut [*al.* atque. *vide* epist. 87 et 89] inutilium episcoporum valde vexata et vehementer attrita, lacrymabili vociferatione post me clamat, tanquam per me impediatur electi (*b*) sui conscratio, vel eam apud sanctitatem vestram mea impetrare possit intercessio. Et quia materni dolores, quamvis aliquando non usquequaque rationabiles pia viscera vehementius penetrant, ejus conquestionibus non possum non moveri, ejusdem gemitibus non compungi. Postulat autem eadem Ecclesia in persona electi sui unam tantum imperfectionem remitti, videlicet quod in sacris ordinibus non est inventus (*c*) cum in cæteris ejus integritatem prædicet, utilitatem commendet. Si autem in eo aliquid criminosum, vel quod sacris canonibus obviet, repertum fuerit, pro hujusmodi non est nostrum apud sedem justitiæ intercedere (*d*), nec vestrum inordinatis precibus aurem præbere. Scimus tamen ad audientiam vestram, et legatorum vestro-

(*a*) Jungendi sunt similes loci epist. 87 et 92.

(*b*) Is erat Stephanus de Guarlandæ ut constat ex ep. 87 et 89.

(*c*) Nundum enim erat Subdiaconus, ut ait dicta epist. 89

(*d*) Sic etiam Romam appellat c. 46, et thronum justitiæ epist. 250.

rum quorumdam relatione fuisse perlatum, aliquando prædictum electum insimulante Lisiardo prædictæ Ecclesiæ archidiacono per Lugdunensem archiepiscopum, tunc sedis apostolicæ legatum, cujusdam criminis objectione fuisse pulsatum (*a*), non tamen sponte confessum, vel aliquo ecclesiastico vel sæculari judicio fuisse convictum. Asserit itaque prædicta Ecclesia eumdem ad omnia objecta fore paratum canonice respondere, si quis **45** canonice possit accusare. Prædictus etiam Lisiardus qui tunc inimicus accusabat, nunc conversus specialius eum diligit [*al.* eligit], præ cæteris expetit, quanta potest excusatione defendit. In causis autem in quibus accusatores fiunt defensores, quid judex facere debeat, non est meum vestram sollicitudinem monere, vestram prudentiam docere. Quicumque vero hujus facti sint laudatores aut vituperatores, ipse electus tanquam de conscientia sua, quæ illi non dubius testis est aut pro se, aut contra se, bene securus tribunalibus vestris se præsentat, aut misericordiam accepturus, aut judicium subiturus. Petimus itaque cum petentibus, pulsamus cum pulsantibus (*b*), quatenus sic judicium ex misericordia temperetis, ut quantum salvo honore vestro potestis, miserabilibus Ecclesiæ ruinis misericorditer occurratis. Sic enim volumus amicis prodesse, ut auctoritati et honestati sedis apostolicæ in nullo velimus obesse (*c*). Valete.

EPISTOLA XCIII.

DAIMBERTO, *Dei gratia Hierosolymitano patriarchæ*, Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ servus, fidelium orationum munus.*

Quia divina miseratio sollicitudinem vestram illi Ecclesiæ præesse voluit, de qua verbum Dei processit, gaudemus tum propter familiarem qua vos amplectimur charitatem, tum propter utilitatem quam populo Dei collaturam speramus vestram sollicitudinem. Quos igitur corporalis non jungit aspectus, jungat indissolubilis charitatis affectus, et ante oculos mentis nos invicem quotidiana representet oratio, quorum præsentiam corporalem spatiosa (*d*) terrarum volumina excludunt. Oramus itaque, ut extensis in cœlum manibus, et fusis in monte precibus vincatur Amalech (*Exod.* XVII), quatenus post multa flagella filiorum Israel, in tempore sacerdotii vestri arca Dei liberata revertatur in Silo (*I Reg.* IV), ubi populus pacificas hostias possit immolare, et pro offensionibus suis sacrificio contriti cordis Deum placare. Mittat etiam Salvator et propugnator noster, David fidelem (*e*), in auxilium vestrum, qui numerosa Philistinorum præputia circumcidat, et in sortem israeliticæ plebis adducat, quatenus hæc terrena Hierusalem non serviat ut ancilla cum filiis suis, sed supernam quæ libera [*al.* cum liberis] est imitetur; A cujus cives sunt [*al.* fiunt] non tantum qui in hac peregrinantur, sed omnes qui ad supernæ visionis pacem pertinere merentur [*unus cod.* nituntur]. De cætero commendamus sollicitudini vestræ, parochianos nostros portitores præsentium litterarum, et cæteros quos Hierosolymam venisse cognoveritis, ut eos paternis consolationibus foveatis, et si a via justitiæ deviaverint, obsecrando, increpando, arguendo, ad supernæ tramitem intentionis redire moneatis. Nihil transitorium, nihil quod ad præsentem vitam pertineat a vobis expetimus; sed si aliquid pium, aliquid sanctum, quod memoriam vestri menti nostræ arctius imprimeret, et majorem in nobis gratiam devotionis excitaret, nobis mittere possetis, hoc optaremus, hoc humiliter peteremus. Si B quid autem de statu vestro, et matris nostræ orientalis Ecclesiæ parvitati nostræ scribere volueritis, per istos secure poteritis. Augeat Dominus per officium linguæ vestræ populum fidelem merito sibi et numero servientem. Valete.

EPISTOLA XCIV.

PASCHALI *summo pontifici*, Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, sanctitatis suæ servus obedientiæ et servitii munus debitum* [un. cod., *seipsum ut filium obedientissimum*].

Quoniam divino adjutorio Carnotensis comes pravas consuetudines quas habuerant antecessores sui, et ipse in domibus et rebus Carnotensis episcopi defuncti vel depositi, multo meo labore et sumptu Ecclesiæ dimisit, et parvitas mea super hoc, privilegium a sanctitate vestra promeruit ad perficien- C dam ejusdem libertatis confirmationem, peto ab excellentia vestra mitti litteras clero Carnotensi continentes hanc sententiam, ut si forte aliqui Carnotensium comitum, vel ministrorum eorumdem aliquando cupida temeritate et temeraria cupiditate libertatem a comite concessam infregerint, tanquam ecclesiastici juris sacrilegi pervasores ab ipso clero apostolica auctoritate excommunicentur, et Ecclesiæ, tam civiles quam suburbanæ (*epist.* 121), usque ad satisfactionem claudantur. Non enim potest populus rapinis assuetus [*quidam* assuefactus] aliter a sua malitia coerceri, nisi summo rigore justitiæ refrenetur, et terribili excommunicatione plectatur. Addatur etiam, ut si succedens episcopus illius sacrilegii patratores absque satisfactione D absolverit, vel ambitione acquirendi episcopatus vel timore amittendi supportaverit, tamquam sacrilegii particeps, et episcopatus exutor adjudicetur. Tali enim obice poterit malitiæ torrens a solito præcipitio retineri, intraque debitos limites coerceri. Nec indebitum est, si adversus nova morborum genera inveniuntur et apponuntur insolita medicamenta. Valete.

(*a*) Adulterii scilicet, ut scribit epist. 89.

(*b*) Scripsit coactus importunitate dicti Stephani, ut fit initio epit. 95.

(*c*) Ut in fine epist. 133.

(*d*) Sic habent nonnulli vett. codd. In aliis est, *spatiosa terrarum excludit* interpositio, vel intercapedo, ms. c.

(*e*) Ita ex vett. codd. in quorum uno, scriptum, D. D. male ante dominus fid.

EPISTOLA XCV.

PASCHALI *summo pontifici*, Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, se ipsum ut filium obedientissimum* [*episcopus sanctitatis suæ servus obedientiæ et servitum debitum obsequium*, ms. c.].

Lætatus sum supra quam dici possit, et de Stephani Belvacensis Ecclesiæ proci repulsione, et de facta in me propter eum paterna invectione (*Vide* epist. 87, 44 et 97), quamvis ego in posterioribus litteris nihil contrarium prioribus ex me scripserim, nec pro ejus persona, sed pro ruinis Ecclesiæ sanctitatem vestram interpellaverim. Importunitate enim sua extorsit a me litteras, quas (epist. 92) ei nullo modo [*al.* nullatenus, *ms. c.*] profuturas, imo multum credidi obfuturas [*unus v. c.* offensuras], si intelligentem haberem [haberent *ms. c.*] lectorem, et commodum expositorem. In litteris itaque vestris, quam constans sit in vobis amor justitiæ et zelus domus Dei, liquido mihi apparuit, et me publicante fere omnibus nostri regni Ecclesiis ad laudem divini nominis innotuit. Nihil itaque de hoc negotio restat, nisi ut bonis principiis et bonis provectibus bonus imponatur exitus. De cætero notum facimus providentiæ [*al.* facio prudentiæ] vestræ, quod venerabilis confrater, et Romanæ Ecclesiæ semper amator Catalaunensis episcopus, per nos qui Pictavensi [Pictaviensi] concilio interfuimus, convenit et interpellat clementiam vestram, quatenus sententiam vestram de thesauraria Catalaunensis Ecclesiæ, importunitate Drogonis et nebulis (*a*) verborum ejus ab innocentia vestra exortam, mitigetis, **46** vel in melius mutetis, et, sicut decet apostolicam moderationem, confratri nostro justa et possibilia jubeatis. Et cum judicium apostolicum a nemine sit foris retractandum (epist. 159), vos ipse perpendite, vos ipse judicate, utrum synodalis sententia apostolicis decretis et canonicis sanctionibus munita dissolvi debuerit sine utriusque partis audientia. Nec enim innocens est, sicut apostolicis docemur exemplis et scriptis, si aliquando sententiam mutet ipse apostolicus in melius (c. *Sententiam*. cau. 35, q. 9), cum aliquid subreptum vel falsis precibus a sede apostolica fuerit impetratum. Ut autem per subreptionem a sanctitate vestra litteras Catalaunensi episcopo missas extortas agnoscatis, seriem causæ quam tractavimus, prudentiæ vestræ breviter intimabimus. Prædictus enim Drogo cum omnium in Pictavensi [*al.* Pictaviensi] concilio confidentium importunis clamoribus aures oneraret, dicebat, se prædicta thesauraria a Philippo Catalaunensi episcopo canonice fuisse investitum, et ideo injuste spoliatum. Cujus rei veritas cum diligenter fuisset eventilata, contestantibus Catalaunensis Ecclesiæ clericis, Drogoni prædicto objectum est quod secundum ordinem ecclesiasticum prædictum honorem habere non posset nisi ipsius Ecclesiæ canonicus, quod ipse nec fuerat, nec esse poterat, cum jam esset in alia Ecclesia, et in

A alia provincia factus canonicus et archidiaconus. Additum est etiam quod prætaxatus episcopus jam moriens et inunctus, importunitate Drogonis superatus non [nec, *ms. c.*] eum prædicta administratione investierit, sed tantum eo tenore concesserit, ut eo vivente nunquam se de ea intromitteret, nec ejus usufructus usurparet. Invitati itaque a venerabilibus cardinalibus [*Un. exemp.* episcopis vel cardinalibus] vestris ad judicium, cum nullus esset qui prædictis rationibus obviaret, et confirmantibus eisdem cardinalibus judicium nostrum [*un. cod.* fratrum], ex ratione et auctoritate judicavimus non fuisse canonicam investituram, contra quam clamant decreta apostolica canonica instituta, et universa pene concilia. Leges enim nequaquam ap-

B pellant investituram concessionis, sed possessionis, quam prædictus Drogo in vita defuncti episcopi non habuit, sed post mortem ejus ipse se impudenter ingessit. Nec habet ordo canonicus, ut in ea Ecclesia quis præpropero saltu fiat præpositus, in qua nunquam meruit esse suppositus. Quod autem prædictus clericus in duarum civitatum titulari non possit ecclesiis (*b*), tam ex vestris quam prædecessorum vestrorum comprobamus sententiis. Intelligimus etiam ex dictis papæ Gelasii : quia si quid fuerit contra apostolica decreta manifeste præsumptum, non opus esse ut tanquam res dubia devocetur in judicium, quod tam frequenter apostolica falce est præcisum, et generalium conciliorum sententiis definitum. Nec enim alia de causa concilia convocatis, nisi ut contemptores decretorum [præcep-

C torum, *ms. c.*] vestrorum ad eorumdem observantiam revocetis. Unde, si observatores apostolicorum præceptorum vestra auctoritate fatigantur, vel fatigari permittuntur, vos ipse [*al.* ipsi] videte, quæ pax restat Ecclesiæ, quis rigor [vigor] superest disciplinæ. Sic enim ab obedientia [*cod. Put.* obedientiam] mandatorum sanctorum dissimulabunt non tantum illi qui ea servant in angaria [*al.* qui ad eam servandum angariantur], sed etiam hi qui custodire volunt cum diligentia. Quid etiam ultra valebunt celebranda concilia, quorum per unius personæ delationem irrita fient quantalibet auctoritate fulta judicia? Unde rogamus sanctitatem vestram, ut librata consideratione commodorum et incommodorum quæ de hujusmodi perturbatione [*al.* quæ de ejus

D misera perturbatione] nasci possunt, saniori sententiæ animum accommodetis, ut et judicia synodalia non nisi summa ratione cassentur, et mandata apostolica curiosius observentur. Valete.

EPISTOLA XCVI.

Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister*, PETRO *pusilli gregis doctori*, L. *Suessionensis Ecclesiæ præposito*, H. *ejusdem Ecclesiæ decano, et reliquo Ecclesiæ clero, salutem in Domino.*

Veniens ad nos Petrus Ecclesiæ vestræ archidiaconus postulavit a parvitate mea ut scriberem fraternitati vestræ, flagitanti consilium meum, quid sen-

(*a*) Ita *promissionum nebulas* dixit ep. 66.

(*b*) In VII synodo et concilio Calced., cap. 10; vide Gratianum can. 21, *c.* 2.

tirem de sepultura patris sui, cui denegata est defuncto communio ecclesiastica, quam nec judicio ecclesiastico, nec pro aliqua facinore in quo deprehensus fuisset amiserat, sicut idem Petrus dicebat in vita. Quod si ita est, rata nobis hæc sententia videtur quoniam [*ita v. c. antea*, videtur quod] defunctis communionem interdicere non debemus, quibus vivis [*al.* quam vivis] non interdiximus: sicut defunctis illis communicare non debuimus, quibus vivis non communicavimus. Non enim data est potestas Ecclesiæ alia ligare vel solvere, nisi quæ sunt super terram. Unde constat ea divino reservanda judicio, quæ inter viventes humano non sunt terminata judicio (epist. 59 et 212). Precor itaque fraternitatem vestram et consilium do, ut quantum salva reverentia episcopi vestri fieri [*al.* forti] potest, anxietatem confratris vestri relevetis, et sepulturam ecclesiasticam, si ita injuste ablata est, ut prædictus frater asserit, reliquiis patris ejus reddi faciatis. Valete.

EPISTOLA XCVII.

Reverendis fratribus et episcopis LAMBERTO *Atrebatensi, et* JOANNI *Tarvanensi* [al. *Tarvernensi*], IVO, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, salutem in Domino.*

Litteras domni papæ et vobis transmissas per confratres nostros beati Quintini canonicos credo vos accepisse, quibus et reprehensi sumus de qualicunque assensu Stephani Belvacensis Ecclesiæ proci (*a*), et præmoniti quatenus omnibus modis caveamus, ne in Ecclesiam Belvacensem irrepat persona minus apta sacra [sacris, *ms. c.*] ordinibus. Quoniam igitur vestra semper consuetudo fuit lupos in ovilia Dei subintrantes perfecto odio reprobare, et eos sicut fideles in domo Dei canes ubi licuit impugnare, vestram religionem, importune et opportune rogamus et monemus, ut quod hactenus fecistis amore justitiæ, propensius faciatis in hoc negotio ex debito obedientiæ. Vos itaque ut suffraganei Remensis Ecclesiæ admonete metropolitanum vestrum, quatenus secundum tenorem litterarum quas (epist. 98) domnus papa misit Belvacensibus, Belvacensis Ecclesiæ clericos ad faciendam canonicam electionem pro officii sui debito cohortetur, quatenus ex munimine auctoritatis ejus et infirmi habeant unde sanentur [*al.* salventur], **47** et fortes unde solidentur. Quod si præblandiente [*al.* si ipse bland.] desidia facere distulerit, aut dissimulaverit, monendus est a vobis quatenus sic honorificet ministerium suum, ut quod per eum faciendum est, per manus non impleatur aliorum. Valete.

EPISTOLA XCVIII.

IVO, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister, dilectis in Christo fratribus Belvacensis Ecclesiæ filiis, stare, viriliter agere et confortari in Domino* (*b*).

Divinæ miserationi pro modulo nostro gratias referimus quod in corpore Ecclesiæ vestræ sint adhuc plura quam crederemus membra sensibilia, de dolore suo dolentia, et pro sanitate sua laborantia. Benedictus Deus, quia in vobis adhuc est aliqua spes vitæ, quamvis inter vos sint aliqui filii alieni qui assumpta facie meretricis nescientes erubescere, pro ventris esca, quam Deus destruet (*I Cor.* VI, et vilibus sarcinulis [*in cod. Put.* et libidinis sarcinulis] matrem suam eviscerant, et vitæ suæ et famæ non parcentes, tanquam membra putrida fetorem suum non sentiunt, et reliquos qui sanari possent sua putredine et fetore coinquinare contendunt. Vos itaque, qui adhuc mortem vetare [vitare, *ms. c.*] vultis, et prædicto putore formidatis putere, videte ut, quantum in vobis est, apostolicis præceptis et monitis obtemperetis, et electionem in aliam personam, non dico illam, vel illam, sed tantum catholicam et canonicam, secundum tenorem apostolicarum litterarum, cito facere studeatis. Hoc enim modo et Ecclesiam vestram a multiplici pædagogorum invasione liberabitis (*c*), et multas vexationes quæ adhuc pendente negotio fiunt, evitabitis, et femæ vestræ utiliter consuletis. Nec ista dico ut aliquam specialiter sicut prætaxatum est commendem personam, quia omnis persona mihi placitura est quæ vita clareat et doctrina (*d*). Nihil enim meum in hac causa requiro, sed vobis omnibus qui pro domo Dei viriliter stare volueritis, et me, et mea indifferenter expono, secundum vires, consilio vobis profuturus et auxilio. Angelus magni concilii et spiritus fortitudinis operetur vobiscum. Valete.

EPISTOLA XCIX.

IVO, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister, dilecto in Christo fratri et compresbytero* GUALONI, *salutem in Domino.*

Sciscitata est a me dilectio tua utrum pueri sex annorum, vel infra, possint inter se sponsalium [*al.* sponsaliorum, *ms. c.*] vel matrimonii contrahere sacramenta: et celebratis sponsalibus, si alter obierit, utrum possit superstes cum sorore, vel cum fratre defuncti inire matrimonium, cum quo prius inierat desponsationis vinculum (epist. 246). Et de matrimonio quidem, si legem naturalem consulimus et verba Domini diligenter attendimus ubi dicit : *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (*Gen.* II, respondere incunctanter possumus, quia tunc primum initur legitimum matrimonium, cum conjuges per commistionem carnis reddere sibi invicem possunt conjugii debitum. Si autem ante annos pubertatis ratione dilatandæ vel conservandæ

(*a*) Id etiam dicit initio ep. 93, quia precibus coactus scripserat ad Paschalem, ut indicat epist. 92.

(*b*) Repulso Stephano, Paschalis jusserat alium eligi, ut constat ex collatione epist. 95 et 97. Itaque elegerunt Galonem, de quo epist. 104.

(*c*) In deteriorem partem accipit, ut epist. 6.

(*d*) Vilissimus enim episcopus, nisi præcellat scientia et sanctitate, in cap. 45, caus. 1, q. 1.

Pacis inter aliquos talia sacramenta celebrantur, si inter eas personas fiat inter quas lex id fieri non prohibet, et ex amborum consensu, non reprehendimus, quia sicut papa Nicolaus dicit (epist. 243. l, VII et XI, d. *De sponsalibus*); « Matrimonium facit consensus, non coitus. » Unde etiam in libro Pandectarum, continetur libro XXIII titul. I; « In sponsalibus consensus eorum exigendus est, quorum in nuptiis desideratur. Et ideo sicut nuptiis, ita sponsalibus filiamfamilias consentire oportet; » Et in consequentibus (l. XIII, d. cod. et epist. 134): « Filiofamilias dissentiente, sponsalia ejus nomine fieri non possunt. » Qua autem ætate ista fieri debeant, nec ecclesiasticis, nec humanis legibus pleniter est diffinitum (*a*). Unde in supradicto continetur libro: « In sponsalibus contrahendis ætas contrahentium diffinita non est, ut in matrimoniis, » quapropter a primordio ætatis sponsalia effici possunt, si modo id fieri ab utraque persona intelligitur [intelligatur, *ms. c.*], id est, si non sint minores quam septem annis. Postquam vero sponsalia utriusque personæ consensu contracta sunt, conjugii nomen acceperunt. Unde dicit Ambrosius ad exhortationem virginitatis, libro primo (epist. 148 et 246). « Desponsata viro conjugis nomen accipit. Cum initiatur conjugium, tunc conjugii assumitur; non enim defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis. » Item Isidorus ethymologiarum lib. IX: « Conjuges veri appellantur [*cod. Put.* jure ap.] a prima desponsationis fide, quamvis adhuc ignoretur conjugalis concubitus. » Inde etiam Augustinus in libro De nuptis et concupiscentia: « Neque fallaciter ab angelo dictum est ad Joseph: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam* (*Matth.* I). Conjux vocatur a prima desponsationis fide, quam concubitu nec cognoverat, nec cognosciturus [*al.* cogniturus, *ita ms. c.*] erat. His igitur auctoritatibus manifestum est quia postquam per desponsationis fœdus inter duas personas ex majori parte fuerit conjugium ex utrorumque voluntate compactum, non potest (Gratianus causa 27, q. 2) ulterius frater uxorem fratris ducere [*al.* poterit. *ita ms. c.*] nec soror sororis marito nubere. Unde legitur in concilio Triburiensi capitulo 10: « Decretum est ut, quamvis mulier nupta esse non potuerit legitimo viro, desponsatam tamen fratri frater habere non possit. » Hæc tibi interim, charissime, ad interrogata sufficiant. Ex his enim quasi rationum scintillis [*cod. Put.* scintillulis] poteris majora colligere et quibus necesse fuerit de propositis satisfacere. Vale.

EPISTOLA C.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister*, JOANNI *eadem gratia Aurelianensis Ecclesiæ episcopo, salutem.*

Exspectans exspectavi et non intendisti mihi, quia altare de basilicis, quod mihi in concilio Pictavensi [*sic. vett. cod. antea* Pictaviensi] adjudicatum est, secundum judicium synodi non restituisti mihi. Paganus (epist. 112 et 114) enim prædicti altari sacrilegus invasor adhuc manum mittit ad sacrilegium, et tam tuo consensu quam Turonensis archiepiscopi patrocinio, cui plus justo subjacet fraternitas tua, sibi usurpat jus meum. Si autem huic rei consensum non præbere te dicas, credi non potest, qui pro officio tuo cum possis vindicare non vindicas: « Facientis autem procul dubio culpam habet (c. 3, dist. 36, et epist. 77), qui quod potest corrigere non studet emendare; nec caret nævo consensionis 4% occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare. » Unde sciat fraternitas tua quia si de prædicto pervasore plenam justitiam mihi non feceris, quod exigi potest a faciente, de cætero quibus modis potero exigam a consentiente. Quid autem super hoc mihi facturus sis, per præsentium portitorem scripto mihi remandet tua fraternitas. Vale.

EPISTOLA CI.

Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister*, ADELÆ *excellenti comitissæ, salutem et orationum munus.*

Audivi quod a Radulfo [*quidam* Gradulfo] archipresbytero nostro bannum [bannum. *ut epist.* 134] leugæ requiritis propter quamdam pseudomonacham, cujus reculas saisivit, quas apud quemdam Burgensem Blesensem invenit. Unde rogamus et monemus excellentiam vestram ut hanc nobis non inferatis [*unus cod.* non faciatis] injuriam (sic epist. 121). Omnes enim pseudoprædicatores, et pseudomonachi, et pseudoclerici fornicatores, adulteri, fœneratores et alii qui in Christianismo offendunt (exceptis his qui pœna capitali puniendi sunt), a nobis distringendi et corrigendi sunt, et ipsi et eorum res nostri sunt juris. Et hæc est antiqua et inconcussa consuetudo non tantum Carnotensis Ecclesiæ, sed omnium ecclesiarum per totum regnum Galliarum et hoc astruere parati sumus, sive in Ecclesia nostra, sive in omni Ecclesia quæ canonicum [*alias*, canonice] super nos possit facere judicium. Cesset ergo a tali incœpto prudentia vestra et sicut inconcussum vultis habere principatum vestrum, sic Ecclesiam permittite habere jus suum. Nec obsit nobis apud excellentiam vestram, quod vos et vestra diligimus, et inviti adversum vos aliquid etiam ratione movente [*al.*, monente, *ita ms. c.*] attentamus. Sciat autem prudentia vestra quia quod fecerunt ministri vestri in prædictum archipresbyterum, graviter ferimus, sed propter dilectionem vestram dissimulamus. Sed si res in pejus, quod absit! se verterit, adhuc ab eis pro officio nostro districte exigemus. Valete.

EPISTOLA CII.

MANASSÆ *reverendo* [al. *venerando*] *Remorum archi-*

(*a*) *L.* XIV, *De sponsal.* Leo philosophus, Nov. 109; statuit ne intra septimum annum sponsalia ineantur. Vide ep. 243.

episcopo, Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister*, *salutem in Domino.*

Quam crebris luporum incursionibus [*unus, c.* morsibus], quam multiplicibus filiorum alienorum deceptionibus aggravata sit Belvacensis Ecclesia, non est necessarium vestram docere prudentiam, cujus ista non præteriere notitiam [*cod. Put.* in cujus ista subrepsere notitiam]. Sed, quia Ecclesia illa in Christo me genuit, et fundamentum religionis in me posuit, quamvis ab aliis, quantum Deus donavit, superædificatum sit, cum infirmatur, non possum non infirmari; cum scandalizatur, non possum non uri. Unde non miretur vigilantia vestra, si apud paternitatem [*al.* fraternitatem] vestram intercedo pro genitrice et nutrice mea, ut vos qui quotidianas [cotidianas, *vetus ms. c. rectius*] ejus ruinas frequenti relatione cognoscitis, pro officio vestro lamentabilibus ejus lapsibus occurrere studeatis. Vestrum est enim dissipatas oves in die nubis et caliginis per avia quærere, et ad ovile, quantum ad vos pertinet, reducere, licet velint errare, licet velint perire (ep. 89, in fine; S. August. in c, *Displicet* caus. 23, q. 4). Vestrum est etiam quærendo oves perditas, per ardua vos et aspera coarctare [latera etiam. si necesse sit, inter spineta cruentare, *mss. c.*), ut possitis gaudens et non gemens bonam æterno Judici de commissa vobis sollicitudine rationem reddere. Vestrum est oves morbidas quæ contagione sua plurimas perdunt, ab ovili interim removere [*al.* plurimos p. ab ovili interdum rem. *mss. c*], et inter eas quæ vocem pastoris audiunt non connumerare; sanis autem et non errantibus pascua providere, et pastori quem oves cognoscunt et expetunt, ovile committere. Et quia integritatem personæ electi (*a*) per vos bene nostis, et voluntatem summi pontificis et consilium super hoc audistis, sanum consilium mihi videretur [*al.* videtur, *ita ms. c.*] ut communicato et confirmato cum coepiscopis consilio, consecrationem electi prædictæ Ecclesiæ acceleraretis [*al.* acceleratis], ne differendo, vel non faciendo quod vestrum est, honorem vestrum alteri detis. Non enim licet regibus, sicut sanxit octava synodus, quam Romana Ecclesia commendat et veneratur, electionibus episcoporum se immiscere, vel aliqua eas ratione impedire [*al.* præpedire]. Francorum etiam reges Carolus et Lodovicus electiones episcoporum Ecclesiis concesserunt, quod et in suis capitularibus scriptum reliquerunt (lib. I, c. 84), et in conciliis episcoporum provincialibus sanciri permiserunt. Habeat ergo Deus in Ecclesia sua principaliter quod suum est. Habeat rex posteriori ordine post Deum quod sibi a Deo concessum est. Neque id impedire videatur quod regi de obnoxietate parentum ejus invidiose suggestum est, quia secundum mediocritatem suam de honestis parentibus progenitus est, et obnoxietas eorum a nullo vivente legitime comprobari potest. Quod si Deus vult humilia et mundi infirma suo more eligere ut confundat fortia, quis est qui possit vel debeat ejus ordinationi resistere? Sic David de post fetantes ad regnum assumptus est. Sic Petrus ad summum apostolatum de piscatione vocatus. Sic multi egeni de pulvere suscitati et ad summa regimina Dei providentia sublimati [*al.*, sublevati], ut ostenderet quia apud eum mundi sapientia vel sæcularis potentia nullius sunt momenti. Sed quia hæc omnia non ignota [*al.* ignorata] sunt vobis, summam repetendo concludam nostræ apud vos intercessionis, videlicet ut labenti Ecclesiæ cito subvenire studeatis. Vale.

EPISTOLA CIII.

PASCHALI *summo pontifici*, Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, cum Petro militare et cum Petro donativum recipere.*

Filius vester et confrater noster Silvanectensis Episcopus (epist. 244 et 258) pro Romana Ecclesia contra Romanam Ecclesiam absque audientia et judicio de propria sede pulsus, rerumque suarum damna perpessus, quamvis hoc anno redierit a sede apostolica munitus litteris apostolicis, tamen nec apud regem tribulationis suæ aliquod invenit remedium, nec apud metropolitanum suum paternum suffragium, nec apud comprovinciales suos fraternum solatium. Reditus [*al.* redditus] quoque præbendæ suæ Parisiensis, de qua specialiter intuitu misericordiæ mandaveratis, nullos recipit, imo, sicut dicitur, decanus Parisiensis præbendam suam alteri tradens, episcopi præbendam sibi mancipavit. **49** Condolens itaque non tantum ejus miseriæ, quantum ingemiscens apostolicæ sedis injuriæ, hac æstate, eum apud me detinui, et pro modulo meo stipendia ministravi. Supplicando itaque moneo, et monendo supplico, ut tam pro vestra quam pro destituti filii injuria, jam non desistatis arcum intendere; sed cervici eorum, qui contemptores exstiterunt præceptorum apostolicorum, nitamini gladium [excommunicationem] fortiter imprimere. Si enim filius vester, creatio vestra, sub maternis alis protectionem non invenerit, ignotus quid sperabit? Sicut igitur Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum mater est et magistra (c. *Non decet.*, dist. 12); sic eam decet filiorum injurias propulsare, et contemptorum inobedientiam vindicare, ut et filius fuisse se subditum gaudeat, et contemptores inobedientes se fuisse pœniteat [*al.* pœniteant]. Valete.

EPISTOLA CIV.

PASCHALI *summo pontifici*, Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, cum devoto filii affectus debiti famulatus obseqnium.*

Belvacenses clerici melioris famæ, et consilii sanioris, præcedente consilio vestro, consilio optimatum diœcesis suæ, et laude populi domnum Galonem (epist. 105) virum vita honestum, litteralibusque [*al.* liberalibusque] studiis et ecclesiasticis disciplinis ornatum in episcopum sibi elegerunt. Pauci

(*a*) Galonis ex collatione, epist. 104.

tamen ex clericis Stephani illius (epist. 95) repudiati complices, quos sibi pelliculis peregrinorum murium atque aliis hujusmodi vanitatum aucupiis inescaverat, huic electioni non assenserunt, nec tamen ei aliquid quod sacris canonibus obviet, objicere potuerunt. Cum vero rem per se impedire non valerent, regem adierunt, quædam verba auribus ejus instillaverunt, quæ facile in cor ejus eliquaverunt, videlicet quod prædictus electus discipulus meus fuerit apud me nutritus, apud me eruditus [*unus cod.* educatus et eruditus], addentes quod a sanctitate vestra fuerit electus, et quod magnus ei futurus esset adversarius si in regno ejus aliquando fieret [*al.* fuerit] episcopus. Rex itaque virulentis his verbis succensus, et ab omni bona voluntate turbatus non vult electioni assensum præbere, nec electo bona episcopalia dimittere (*a*). Unde electores ejus ad paternitatem vestram jam confugissent, nisi quia metropolitanus eorum eos detinet condicto die [*unus cod.* constituto die] inter contradictores et electores, sicut dicitur pacem volens componere, vel forsitan propter voluntatem regis rem callide impedire. Superest ergo, dilectissime Pater, ut pro potestate et auctoritate vestra, sicut cœpistis, Ecclesiæ, prout clerici rationabiliter postulaverint, succurratis, et consilium vestrum inconfusibile faciatis, ne insidiatores et detractores vestri, subsannando de vobis dicere incipiant: *Hic homo cæpit ædificare, et non potuit cousummare* (*Luc.* XIV). De cætero notum facio sanctitati vestræ, quod Francorum (*b*) rex Romam in proximo se venturum dicit, quod tamen non credimus. Sed seu veniat, seu mittat, cavete et vobis et nobis, ut semper clavibus et catenis Petri fortiter teneatur. Et si forte absolutus fuerit, et ad vomitum (*c*), sicut jam contigit, reversus fuerit, e vestigio eisdem [ejusdem, *ms. c.*] clavibus recludatur, eisdem catenis religetur. Et hoc litteris vestris omnibus Ecclesiis manifestetur. Ita enim corrosorum dentes confringetis, et justitiæ satisfacietis. Quod si forte Deus cor ejus ad pænitentiam illustraverit, memeutote nostri qui portavimus pondus diei et æstus (*d*), ut, sicut fuimus participes tribulationis, ita simus et consolationis. Valete.

EPISTOLA CV.

PASCHALI *summo pontifici*, Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, spiritu fortitudinis abundare.*

De tribulatione qua a filiis vexatur alienis Belvacensis Ecclesia, et de regis Francorum in flagitio suo sacræ religioni perniciosa et ignominiosa pertinacia (epist. 13 et 104), nihil apertius et nihil vestræ auctoritati utilius et honestius scribere vel dicere possum quam scripsi (epist. 104), præter quod sacramentum sacris canonibus et omni religioni obvium per quemdam servientem suum ad

A suggestionem Drogonis cantoris, qui omni religioni, quantum prævalet, adversatur, dari fecit, quod Galo in vita ejus nunquam futurus esset Belvacensis episcopus (epist. 104). Qua in re prudentiam vestram muniri oportet spiritu fortitudinis, quia si tali sacramento annullari potest canonica electio, nulla ulterius in regno Francorum futura est, nisi aut Simoniaca aut violenta intrusio. Quod si sanctitatis vestræ objicitur regem non oportere cogi ad perjurium, recordari potestis quid dicat beatus Ambrosius libro primo De officiis. Dicit enim (*Gratia.* cau. 22, q. 4) : « Est nonnunquam contra officium promissum custodire sacramentum, ut Herodes qui juravit quoniam quidquid petiturus esset, daret filiæ Herodiadis, et necem Joannis concessit ne B promissum negaret. » Dicit etiam Augustinus in sermone quem fecit in decollatione Joannis Baptistæ : « Video David hominem pium, sanctum in jurationem temerariam procidisse [*al.* incidisse *ms. c.*], et maluisse non facere quod juraverat quam jurationem suam fuso sanguine hominis implere. » Item : « Juravit David temere, sed non implevit jurationem majori pietate. De duobus peccatis elegit minimum. » Item Ambrosius in libro tertio De officiis : « Plerique sæpe se constringunt [*al.* constringuntur] jurisjurandi sacramento, et cum ipsi cognoverint promittendum non fuisse, sacramenti tamen contemplatione faciunt quod spoponderunt, sicut de Herode supra scripsimus. Quanto tolerabilius fuisset tale perjurium sacramento, si tamen perjurium dici posset, quod ejuratus inter saltantium choros promise- C rat ? » Item Hieronymus, lib. I super Jeremiam. « Animadvertendum quod jusjurandum hos habeat comites, veritatem, judicium atque justitiam (epist. 16, *et* in c. 2, cau. 22, q. 2). Si ista defuerint, nequaquam juramentum erit, sed perjurium. » Et in actione septimæ synodi legitur (c *Actione.* cau. 22, q. 4) : « Herodes observavit sacramentum, et periit. Petrus negavit cum juramento, et conversus flevit et salvatus est. » Sed quia scientibus ista loquor, non docendo sed commemorando et commonefaciendo hæc dicere me arbitror. Ad summam veniam. Si rex a sanctitate vestra, seu per se, seu per alios pœnitentiam acceperit [*sic v. c. antea*, egerit.], et, ut pro certo credimus, ad vomitum reversus fuerit (epist. 104), qualiter me habere debeam, instruite D et litteris præmunite. Valete.

50 EPISTOLA CVI.

HENRICO (e) *excellenti Anglorum regi*, Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, in eo vivere et regnare per quem reges regnant.*

Quoniam paterni regni solium conscendere vos fecit divina dispensatio [*unus cod.* miseratio, epist. 93], pro gratia nobis [*al.* vobis] collata divinam inter-

(*a*) Etiam juraverat rex hunc Galonem nunquam futurum episcopum, ut ait epist. 105.

(*b*) Vox *Francorum* videtur e glossa irrepsisse, cum antea *regem* tantum dicat.

(*c*) Id est illicitum consortii Bertradæ, de qua epist. 13 et 105.

(*d*) Gratiam regis perdiderat pro justitia hujus causæ, ut ait epist. 141.

(*e*) Primo, qui filius Vuillielmi secundi.

pellamus clementiam, quatenus paternos mores, paternam vos faciat imitari honorificentiam, ut in nullo vestra sublimitas ab eorum nobilitate degeneret, et in nullo ab eorum frugalitate declinet. Et quia res omnes aliter bene administrantur, nisi cum regnum et sacerdotium in unum convenerint studium (epist.60,214 et 239), celsitudinem vestram obsecrando monemus, quatenus verbum Dei in regno vobis commisso currere permittatis,et regnum terrenum cœlesti regno, quod Ecclesiæ commissum est, subditum esse debere semper cogitetis. Sicut enim sensus animalis subditus debet esse rationi, ita potestas terrena subdita esse debet ecclesiastico regimini. Et quantum valet corpus nisi regatur ab anima, tantum valet terrena potestas nisi informetur et regatur ecclesiastica disciplina. Et sicut pacatum est regnum corporis, cum jam non resistit caro spiritui, sic in pace possidetur regnum mundi, cum jam resistere non molitur regno Dei. Hoc cogitando, servum servorum Dei vos esse intelligite, non dominum ; protectorem, non possessorem ; unam debere esse de cedris Libani quas plantavit Dominus, in qua nidificent passeres (*Psal.* CIII), id est sub cujus tutela quiete fructificent, et conversentur [*al.* conserventur] Christi pauperes ; quorum orationes pro statu regni vestri et incolumitate vestra quanto quietiores, tanto saniores, quanto saniores, tanto constat esse efficaciores. Hoc enim faciendo, et regnum terrenum quiete Deo cooperante possidebitis, et ad regnum æternum ejusdem miseratione pervenietis. De cætero commendo vobis hos canonicos nostros præsentium litterarum portitores quos Ecclesia nostra excellentiæ vestræ pro sua necessitate transmittit, quatenus, ea audita, prout vobis visum fuerit et Deus inspiraverit, eidem necessitati occurratis,et charitatem, quam erga eamdem Ecclesiam parentes vestri habuerunt(epist.118), et vos habere studeatis. Eadem enim Ecclesia parentes vestros specialius cæteris benefactoribus suis habet in memoria [habet cum mem.],tam pro eorum excellentia quam pro eorum munificentia. Valete.

EPISTOLA CVII.

Reverendæ Anglorum reginæ MATHILDI, Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, in finibus terræ audire sapientiam Salomonis.*

Quoniam unam te esse de prudentibus mulieribus fama divulgante cognovimus, corpore longe positam, præsentem te nobis bonæ opinionis odor exhibuit, et ad diligendam charitatem, quam in te castarum mentium sponsus ordinavit, excitavit. Unde a tua excellentia mutuam promereri cupimus dilectionem, quam propter præclaram memoriam reginæ Angelorum Mariæ, Ecclesiæ, cui auctore Deo, licet indigni, deservimus, ante tua tempora exhibuerunt reginæ Anglorum. Nec indecens est religioni et famæ tuæ, si quem diligere debes communi sorte ut hominem,quodam privilegio diligas ut Christi sacerdotem, et Christianæ religionis pro suo modulo dilectorem. Hac itaque confidentia transmisimus tuæ liberalitati duos de canonicis nostris,qui necessitatem Ecclesiæ nostræ tibi referant, et benedictionem quam cordi tuo Deus immiserit (epist. 142),sicut benedictionem accipiant. Peto etiam ut ad imprimendam arctius menti meæ tuæ excellentiæ memoriam, poderem, vel aliquam aliam vestem sacerdotalem parvitati meæ transmittas qualem deceat et reginam dare, et episcopum in celebratione divinorum sacramentorum induere. Valete.

EPISTOLA CVIII.

PASCHALI *summo pontifici*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, debitam cum omni devotione obedientiam.*

(*a*) Quanta charitate hactenus sollicitudo Romanorum pontificum quieti invigilaverit monachorum, quanto fervore studuerit procul fieri infestationes monasteria gravantium a vexatione monasteriorum, quanto etiam cautelæ studio discuti mandaverit personas et causas accusantium et testificantium, non est nostrum docere doctores nostros a quibus tantum exspectamus formam præcepta implendi, sicut accepimus regulam præcipiendi. Quæ omnia si observare vult sanctitas vestra in causa domni abbatis Majoris-Monasterii, nec accusatores admittendos credimus ad accusandum, nec testes ad testificandum. Primo enim si personam accusatoris, Turonensis videlicet archiepiscopi (*b*) attendimus,pene omnia quæ in ordinatione ejus facta sunt, contra ordinem usurpata sunt. Crimina vero adversum se commissa vel in se admissa, perjurium videlicet et proditio, quæ in prædictum abbatem intendit,non sunt facile,quantum videtur, a judicibus ecclesiasticis audienda ; quæ aut nunquam perpetrata sunt, aut ordinata curatione ad sanitatem perducta sunt, cum dicat Apostolus : *Qui videbantur esse columnæ, quales antea fuerint, nihil mea interest. Deus enim personam hominis non accipit* (*Gal.* II). Quæ si vera essent, tunc dicenda fuissent, quando videbat eum in publicis conventibus de ecclesiasticis negotiis cum episcopis judicantem, pontificalia sacramenta tractantem ; quæ tractare non debet nisi manus a crimine immunis, et conscientia innocentiæ testis. Si de his recte pulsari poterat, magis arguendus erat propter usurpationem sacerdotii quam propter gerendam sollicitudinem monasterii,in qua nullum novimus esse genus ecclesiastici sacramenti, cum dicat Hieronymus monachorum institutor præcipuus (*sup.* epist. 36) : « Monachus non docentis habet officium, sed plangentis, qui se et mundum lugeat. » Sed dicet aliquis, quia tunc merito tacuit, quando in episcopatu eum non læsit. Tanto minus itaque iste alienæ vitæ curiosus inspector et suæ de-

(*a*) In v. c. hoc argumentum est, quod *monachus non accusandus est de his quæ fecit ante conversionem.*

(*b*) Hunc sæpe culpat et reprehendit,ut epist. 59, in fine et 66 et 67.

sidiosus corrector audiendus est [*unus v. c.* attendendus est], qui modo *sincerum vas* non amore justitiæ, sed livore vindictæ nititur *incrustare* (HORAT, *sat.* 3, *lib.* I, *vers.* 56), non incrustatum a sorde mundare. Credo enim et bene credo, quia cum veterem hominem depositurus, et novum pariturus, vetustatis suæ saccum in oculis Dei me 51 præsente conscinderet, et omne noxium quod intus latebat per confessionem oris effunderet, si hæc dedecora in se agnovisset, nullatenus abscondisset. Denique, si causam hujus accusationis inspicitis, manifeste scitis non aliunde exarsisse istam malevolentiam, nisi inde quod interdicente sedis apostolicæ decreto non potest Turonensis archiepiscopus in Majori Monasterio publicas missas celebrare (c. *Abbatem* et c. *Luminoso*, cau. 18, q. 2), erga monachos imperiose agere, bona monasterii prout libuerit usurpare. Unde etiam hoc anno in synodo agens, sicut dicunt qui adfuerunt, quantum in se est, Juliani renovavit [revocavit, *ms. c.*, *melius* renovavit *ut in textu*] decretum; videlicet, « ne quis sæculo renuntiaturus parochianorum suorum majus ingrederetur monasterium.» Postremo, si testificantium personæ discutiuntur et causæ, tales sibi subornavit [*al.* subordinavit], quos inter notos notum est aut maculis aspersos, aut sibi consanguineos, aut mercede conductos, aut de domo sua productos, quibus personis, sicut scitis, facile poterit imperari, ut testimonium perhibeant tam mendacio quam veritati. Cum igitur ea quæ dicta sunt ita se habeant, quamvis non necessario, tamen supplicando exhortamur sanctitatem vestram, quatenus sic in hac causa paternarum traditionum tramitem teneatis, ut et innocentia non periclitetur, et perversa voluntas justo talione punienda suis conatibus corruat, suisque nexibus innodetur. Valete.

EPISTOLA CIX.

PASCHALI *summo pontifici*, Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, sicut auctoritate, ita præminere virtute.*

Quoniam apud nos quotidie videmus Ecclesiam ruentem, et nullam aut pene nullam manum erigentem, et pro domo Israel murum ponentem, charitas Christi urget nos ut dolorem cordis nostri, quo pro morte et morbis ovium Christi cruciamur, paternitati vestræ revelemus. Interest enim capitis membrorum imbecillitatibus providere, et pro valetudinum quantitate vel qualitate congrua remedia procurare. Cum enim a latere vestro mittitis ad nos cardinales vestros tanquam filios uterinos (epist. 60 et 87), quia in transitu apud nos sunt, non tantum non possunt curanda curare, sed nec curanda prospicere; inde est quod multi præpositorum facta gladio linguæ ferire cupientes, dicunt sedem apostolicam non subditorum quærere [*in v. c. Put.*, non clericorum quærere] sanitatem (*a*), sed suam, aut lateralium (*ul.* collaterium) suorum quærere commoditatem. Unde ego et quidam corregionales nostri hoc murmur non æquanimiter accipientes, utpote Romanæ Ecclesiæ filii unanimes, scribere decrevimus sanctitati vestræ, ut alicui transalpino legationem sedis apostolicæ injungatis (epist. 12), qui et vicinius subrepentia mala cognoscat, et ea vel per se vel per relationem ad sedem apostolicam maturius curare prævaleat. Cui sollicitudini nullum magis cognovimus idoneum, quam domnum Lugdunensem archiepiscopum, qui et in eodem officio jamdiu ministravit, et ut experimento cognovimus, tam Romanæ Ecclesiæ quam transalpinis Ecclesiis mirabiliter [*in plerisque leg.* venerabiliter] profuit (*b*). Multos enim ad visitandam sedem apostolicam præpediunt, aut pericula imminentia, aut rei familiaris indigentia, aut itineris difficultas, aut proprii corporis imbecillitas. Unde si velletis mediocritatis nostræ suggestioni acquiescere, congruum videretur, ut mediatricem personam huic sollicitudini præficeretis, potissimum in eadem sollicitudine consuetudine et utilitate probatam, quæ emergentia mala tanto frequentius quanto vicinius agnosceret, et levamina quæ melius valeret adhiberet. Ausu quidem familiaritatis et filialis amoris hæc scribo, quia sic ego cum multis Ecclesiæ Dei melius credo posse consuli, et æmulorum obtrectationes [*al.* detractiones] posse vitari. Etenim discipuli Domini, Domino licet nihil ignoranti [*al.* licet non ign.], plurima necessaria suggesserunt, quæ ad informandam posteritatem prælatorum non solum patienter audivit, sed etiam æquanimiter adimplevit. Valete.

EPISTOLA CX.

PASCHALI *summo pontifici*, Ivo *humilis sanctitatis suæ filius*, *quidquid potest esse felicius.*

Quoniam pro gratia nobis collata, decorem Ecclesiæ Dei [*al.* domus Dei] diligimus, multa inordinate in eadem fieri vehementer dolemus. Qui in (et cum in *ms. c.*) quibusdam subditis cum quædam illicita corrigere, vel cum quosdam ad meliora promovere studemus, ipsi in stercoribus suis computrescere cupientes, litteras a sede apostolica, nescio quibus subreptionibus impetratas nobis deferunt ad palliandam malitiam suam, vel defendendam inobedientiam. Unde fit in Ecclesia mirabilis contemptus mandatorum Dei, et ineffabilis morum corruptela, cum ibi invenit quorumdam perversitas incorrepta confugium, ubi innocentia sola deberet habere præsidium. Et quod mirabilius et miserabilius est, isti vitæ suæ curiosi corruptores ab ipsis columnis [*quidam cod.* ab omnibus col.] gratanter audiuntur, cum vitam religiosorum aliquibus maculis respergere moliuntur; quibus non est credendum de aliena injustitia, quandiu non discesserent [*al.* discedunt] a sua. Cum itaque tam pro nostra insufficientia quam pro subditorum duritia prædictæ causæ de fructu laboris nostri pene desperare nos cogant, onus quod pene infructuose portamus, deponere sæpe delibera-

(*a*) Vide in hanc rem Joannem Salesber. Policrat. *lib.* VI, *c.* 24.

(*b*) De Hugone loquitur ut epist. 24.

mus, et pennas columbæ nobis dari flagitantes (epist. 17 et 25), avolare a molestiis inutilibus, et in mentis [*al.* montis] solitudine quiescere præoptamus. Hac itaque necessitate commoniti, præsentiam sanctitatis vestræ adire cupientes, et de his quæ dicta sunt [*al.* prædicta], cum multis aliis vobiscum tractare cupientes, venimus pene usque ad Alpes; in quarum angustiis, quia insidias nobis paratas audieramus, usi magnorum virorum consilio, inito itinere [*al.* incepto itinere] supersedimus. Domnum itaque Gualonem confratrem et coepiscopum nostrum, qui in suspectis locis ad occultandum se aptior est, paternitati vestræ transmisimus, in cujus ore verba nostra posuimus, quatenus eum tam pro sua quam pro nostra necessitate paterne audiatis, et quæ corrigenda sunt corrigatis, et quæ utiliter statuenda firmiter statuatis. Quamvis enim quod ratio suadet, vel quod usus approbat, vel episcopalis moderatio disponit, per se satis vigere videatur, tamen charius (*a*) fit, et quasi quadam luce irradiatur, cum id, quod prohibendum vel præcipiendum est, decreto apostolico roboratur. Valete.

52 EPISTOLA CXI.

DAIMBERTO, *Dei gratia Senonensium archiepiscopo,* IVO, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, salutem et servitium.*

Colloquium vestrum jam a multo tempore desiderans, speravi me posse paternitati vestræ loqui in conventu ad quem invitati eramus in civitate Vellavorum [*al.* Vellanorum], et ore ad os clamorem facere de injuriis quas mihi et Ecclesiæ mihi commissæ infert Hugo Puteacensis, more suorum semper rependens mala pro bonis (epist. 76, 112 et 211); quem nec pudor humanus, nec fides quam mihi debet ut domino, detinet a rapinis, dum nulla nostra in eum præcesserit injuria, vel nulla ei a nobis sit denegata justitia. Quod ergo certa ratione tunc distulimus, nunc præsentibus litteris, flexis genibus cordis, postulamus, ut eum a nobis excommunicatum (epist. 76) excommunicetis, et divinum officium Merarivillæ et ejus adjacentiis interdicatis, et Aurelianensi episcopo, ut idem faciat apud Puteacum (*b*), præcipiatis. Alioquin, si principes mundi plus timemus quam Deum, manifeste jam portæ inferi prævalebunt, ei qui *pro domo Israel murum* ponere debemus (*Ezech.* XIII), secundum propheticam irrisionem *canes muti non valentes latrare* reputabimur (*Isa.* LVI). Res enim ecclesiasticæ, sicut testantur etiam sæculi leges, quia divini juris sunt, in nullius bonis sunt, et ideo prorsus errat, qui pro suis occasionibus aut principum jussionibus, a quibus eas maxime servari convenit usurpat, et male tractat (epist. 143). Unde ait Papa Symmachus in sexta synodo (*c. Quicunque* et *c. Prædia*, caus. 12, *q.* 2): « Qui prædia Ecclesiæ petierit, vel acceperit, vel possederit, vel retinuerit, nisi se cito correxerit, anathemate feriatur, sitque danti et accipienti, vel possidenti anathema. » Ista dicendo prudentiam vestram non docemus, sed ad officii vestri sarcinam fortiter portandam cohortamur, quatenus pusillanimitatem nostram consolatio vestra confoveat, patientiam nostram fortitudo vestra communiat. Valete.

(*a*) Al. *clarius*, quod videtur textui congruentius.
(*b*) Quia excommunicatus a suo episcopo debebat etiam excommunicari a vicinis; epist. 76.

EPISTOLA CXII.

IVO *humilis Carnotensis minister,* FULCONI (*c*) *Parisiensis Ecclesiæ decano, et clero sibi commisso, dilectionem et salutem.*

Quoniam omnis injuria ecclesiastica quæ admonitione non corrigitur, anathemate plectenda est, si ancillam Ecclesiæ vestræ adversus dominos suos calcitrantem excommunicastis, quod vestri juris erat fecistis, maxime cum dominorum potestatem in servos suos illibatam debere esse lex constituat (*l.* II, *De his qui sunt sui*, vel, *Al. jur.*), nec cuiquam hominum jus suum detrahi posse permittat. Quod autem ex consuetudine Ecclesiæ vestræ hoc vobis licere absque alterius personæ interpellatione asseritis, non est hæc solius Parisiensis Ecclesiæ consuetudo, sed etiam Carnotensis, et aliarum Ecclesiarum, quibus episcopali auctoritate excommunicandi jus concessum est. Unde non aliud sanius consilium vobis dare possumus quam ut consuetudinem fortiter teneatis, a qua si semel cesseritis [*al.* discesseritis], non ad arbitrium vestrum recuperare valebitis. De cætero culpo dilectionem vestram, quod Paganum (epist. 114) a nobis ecclesiastice excommunicatum, et apostolica auctoritate exigentibus culpis suis in infamiam pulsum, in communionem recipitis, et Hugonem Puteacensem similiter (epist. 76, 24 et 60), quod a nobis fieri de vestris excommunicatis manifeste culparetis. Moneo [monemus, *ms. c.*] itaque ut de cætero quam a nobis justitiam in necessitate vestra vobis fieri velletis, eamdem nobis in nostra necessitate faciatis, ne, si vos negligentes invenerimus in nostris, et nos similes inveniamur in vestris. Et, ut hoc apostolica auctoritate debere fieri sciatis, litteras domni papæ, quas misit Senonensi Ecclesiæ, et Aurelianensi, et Parisiensi interim vobis transmitto, quas jam bullatas domnus metropolitanus accepit.

EPISTOLA CXIII.

DAIMBERTO, *Dei gratia reverendo Senonensium archiepiscopo,* IVO, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, filialem subjectionem et fraternam dilectionem.*

De electione domni Manassæ facta in eum a Meldensi Ecclesia (epist. 115), pia tripudiatione gaudemus; quem bonæ indolis adolescentem et melioris spei juvenem evidenti morum mansuetudine comperimus, partim aliorum relatione didicimus. Unde ad ejus consecrationem, tam pro vestra paterna admonitione quam pro ejus optabili dilectione, gratanter

(*c*) Hic postea electus fuit episcopus Parisiensis, epist. 138 et 164.

occurreremus, etiamsi ad remota loca hac de causa invitaremur. Sed quæ difficultates, quæ pericula vias nostras sapiant, non minus novit vestra paternitas quam nostra parvitas. Unde, si tanta instantia huic consecrationi interesse nos vultis, aut locum ad quem secure venire possimus eligite, aut conductum nobis securum procurate. Alioquin paterna discretione date veniam manifesta pericula metuenti, quam daretis eadem pericula non sine vestræ famæ jactura subeunti. Quod si regius metus, vel aliorum qui adversum nos injuste sæviunt, abesse coegerit, consecrationem quam voce et manibus facietis corporaliter præsentes, confirmabimus litteris et corde corporaliter absentes (*a*). Omnibus enim aliis cessantibus causis vehementer doleo, quod non mereor vestro colloquio confoveri, vestra consolatione relevari. Gratias tamen quas possum refero excellentiæ vestræ, quia tribulationibus nostris compatimini, et doloribus nostris condoletis, et ad subveniendum, manum, quantum potestis, extenditis. Quod si alii confratres nostri similiter facerent, non in tantum portæ inferi prævalerent (*Matth.* XVI). Vale.

EPISTOLA CXIV.

JOANNI, *Dei gratia Aurelianensi episcopo*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister*, *salutem.*

Quod nostris tribulationibus compatiatur vestra fraternitas, quantas sufficimus vobis gratias referimus. De pace autem quam inter nos et domnum Ludovicum reformare velletis (epist.124), hoc vobis respondemus, quia, quantum testatur nobis conscientia nostra, nullas ei injurias intulimus, et si quid a nobis expostularet, judicio vestro et confratrum nostrorum libenter ei satisfaceremus, et si quid adversum parvitatem nostram fecit, quod eum non deceret, patientes supportaremus. Hugonem autem Puteacensem (epist.112), et Paganum transfugam (epist. 100 et 112) **53** atque desertorem, sine digna satisfactione suscipere non possumus, quia ita est inter nos non sine summa obligatione condictum, et apostolica auctoritate roboratum. Si autem Paganus ideo seipso vult major fieri, quia deterior seipso factus est, et episcopali excellentiæ summa fiet injuria, et ordini [*unus v. c.* ordinationi] clericorum ad exorbitandum proclivior [*al.* proclivis *ita ms. c.*] patebit via. In hoc ergo negotio ita præcavete periculo vestro sicut et nostro, quia ut vobis vera fateamur, malumus, quæ Deus permiserit adversa perpeti, quam in parcendo filiis discordiæ plurimos in discrimen adduci. De loco autem in quo secure colloqui possimus, certum non est mihi consilium, quia intra episcopatum vestrum et nostrum nullus mihi securus est exitus, nisi fraterna charitas vos cogeret, quod petere non præsumo, ut usque ad nos veniretis, et de quibus bonum esset nobiscum consulte quando velletis, tractaretis. Valete.

(*a*) Ut epist. 115, non enim est validius dicere sacramenta in electione episcopi, quam scribere, ut ait Sidon. Apollin. *lib.* VII, epist. 9.

EPISTOLA CXV.

DAIMBERTO *Senonensis Ecclesiæ metropolitano, et suffraganeis ejusdem Ecclesiæ coepiscopis suis*, Ivo, *humilis Carnotensis ecclesiæ minister*, *salutem et obsequium.*

Quia apostolicum illud in me completum est, *foris pugnæ, intus timores* (*II Cor.* VII), præcordialiter [præcordiabiliter *ms. c.*] doleo quod sancto et desiderabili conventui vestro interesse non valeo (epist. 113 et 119). Et quia in nomine Salvatoris congregatos vos esse non ambigo, quidquid salubriter statuistis [statuitis, *ms. c.*), vobiscum statuo, et nominatim domnum Manassem claris natalibus ortum modestis moribus ornatum, quem Meldensis Ecclesia elegit, cum eligentibus eligo, et manus impositionem quam ei facturi estis præsentes corpore, hanc ego confirmo et facio, quantum in me est, præsens (*b*) corde. Credo enim vos esse tanti consilii, et tantæ fortitudinis, ut nihil præsumatis illicitum, nihil subterfugiatis legitimum. Valete.

EAISTOLA CXVI.

Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister*, ADELÆ *excellenti comitissæ, salutem et obsequium.*

Charitas qua nobilitatem vestram ab initio dilexi, nullatenus in me refrigescit, sed præcedentibus et subsequentibus in me beneficiis vestris, magis ac magis inardescit. Unde excellentiam vestram rogando moneo, et monendo rogo, ut si quid sinistrum [*al.*, sinistri] me adversum vos vel vestros fecisse vel dixisse suggestum fuerit (epist. 121), nullatenus credatis, nec quidquam quod ira dictante servientes vestri postulent, ad præsens statuatis. Cum enim terra exterius sit turbata, si etiam intestina surgerent bella, periculum repente imminere plebi posset et urbi. Cum autem Deo prosperante ad nos veneritis, tunc omnia verius addiscetis, et secundum audita sanius consilium capietis. Valete.

EPISTOLA CXVII.

PASCHALI *summo pontifici*, Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, cum debito obedientiæ felicitatem utriusque vitæ.*

Cum nuper de amputandis pravis Ecclesiæ consuetudinibus quædam mandata (epist. 133), vel interdicta vestræ paternitatis accepissem, et fratribus mihi commissis denuntiassem, quidam [quædam *ms. c.*] ita gratanter [graviter *ms. c.*] susceperunt, ut non tantum ea verbis approbarent, sed etiam quibusdam additis quæ ad honestatem vel libertatem Ecclesiæ prodesse videbantur, jurejurando firmarent. Et quia quibusdam qui sua quærunt, quorum famæ vel commodis hæc et similia obviare videntur, aliquantisper displicent, ut per succedentia tempora inconvulsa maneant sub clavi Petri, ita ea observari per mediocritatis nostræ intercessionem postulant, ut nulli minori clavi ea ulterius solvere liceat (epist. 126), et a sua stabilitate convellere. Misimus itaque

(*b*) Juxta cap. 8, 2 et 6, dist. 64, et cap. 2 et 3, dist. 65, quo spectat etiam epist. 113.

duos ex nostrorum collegio fratres,qui auribus paternitatis vestræ rei ordinem et causam aperiant, ut cum intellexeritis pro quanta libertate et honestate, vel pro quibus incommodis vitandis fecerint quod fecerunt, auctoritate qua præminetis missis Ecclesiæ litteris confirmetis. Valete.

EPISTOLA CXVIII.

HENRICO, *excellenti Anglorum regi*, IVO,*humilis Carnotensis Ecclesiæ minister*, *regis regum feliciter* [in uno v. c., *fideliter*] *militare.*

Quoniam instantia precum sæpe flectitur excellentia regum, licet importuni videri erubescamus, tamen nunc tertio per portitorem præsentium,domnum videlicet Gulielmum [Guillelmum *ms. c.*] Ecclesiæ nostræ canonicum sublimitatis vestræ aures pulsamus, ut saltem nunc benevolentiæ vestræ B ostium apertum sentiamus, quatenus exsuscitetis dilectionem quam erga prædictam Ecclesiam parentes vestri et affectu habuerunt (epist. 106), et effectu probaverunt. Cum enim in regibus præcipue vigere debeat pietas, mansuetudo, justitia, ad pietatem pertinere credimus,quod ad divinum cultum etiam usque ad nos aliquos facultatum vestrarum ramusculos extendi flagitamus.Ad mansuetudinem vero pertinet,ut petentium importunitatem æquanimiter supportetis; ad justitiam vero,ut promissi vestri debitorem vos esse cognoscatis. Non enim ad proprios vel humanos usus aliquid ab excellentia vestra requirimus sed in quo non sufficimus ad decorandam vel conservandam domum Dei, adminiculum vestrum misericorditer postulamus. C Nec infructuosam credimus futuram largitionem vestram. Quia quod nostris viribus non valemus, meritis beatæ et perpetuæ Virginis, cui Deo auctore famulamur, indubitanter obtineri posse confidimus. Valete.

EPISTOLA CXIX.

DAIMBERTO, *Dei gratia Senonensi archiepiscopo*, IVO, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister*, *salutem et obsequium.*

Quoniam adversus electionem domni Manassæ contradictionem obortam esse audivimus (epist.113 et 115), tum pro ipsius Ecclesiæ vexatione, tum pro ipsius electi injuria,qua debemus compassione, dolemus. Dicitur enim quod qui adversus prædictum Manassem prodiit accusator,nullo testium sit fultus adminiculo, nihiletiam quod præsens viderit D vel audierit in accusatione protulerit,sed quod tantum **54** suspicionibus ipse sibi suasit, vel volaticis rumoribus conjectavit. Quod si ita est, cum etiam ipse accusator pridem sit notatus infamia, nec ejus accusatio ullatenus est admittenda,nec justa electio ullis est dilationibus fatiganda. Habent enim sicut nostis statuta majorum, « ut illæ causæ a judicibus ecclesiasticis minime audiantur, quæ legibus non continentur (epist. 220 et 241). » Tamen si prudentiæ vestræ visum fuerit, famæ ipsius electi et vestræ congruit, ut quos melioris testimonii fratres de clero Meldensi probaveritis, (juxta c. *Illud* dist. A 23), ad purgandum eum postuletis, et accepta purgatione, sub conspectu eum publico ordinetis. Si enim præsens essem, si ita res se habet, uti superius dixi,nihil aliud reverentiæ vestræ suaderem. Vale.

EPISTOLA CXX.

IVO, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister*, *Roberto comiti Pontivensi*, *salutem.*

Si injuste vobis a Sagiensi episcopo divinum officium interdictum est, displicet mihi tam propter facientem quam propter patientem. Sed quia id non debeo facere proximo quod nollem ab eo pati, ne miremini si chrisma quod a nobis petitis ad præsens non accipitis. Lex est enim ecclesiastica, ut qui interdicti vel excommunicati sunt ab una Ecclesia, non recipiantur ab alia (epist. 76 et 111). Nec est meum in absentem judicare, etiamsi pensem [*ita habet v. c. S. G.* præessem *ms. c.*] utrum juste an injuste vester pastor vos obligaverit, cum hoc tantum observare debeam, ut in alienam messem falcem non mittam. Libenter autem tantis malis remedium quærerem, si Deus mihi daret opportunitatem [et *ms. c.*] perficiendique facultatem. Vale.

EPISTOLA CXXI.

IVO, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister*, ADELÆ *excellenti comitissæ*, *patientiæ et pacis abundare visceribus.*

Pro summa charitate qua diligo principatum vestrum, jam semel et secundo monui celsitudinem vestram (epist. 116 et 136), ut quod dictante ira suaderent vobis servientes vestri, non statim reciperetis, sed reditum vestrum ad nos,ad audiendam et cognoscendam veritatem rerum gestarum,exspectaretis,quia parati erant et adhuc sunt omnes canonici beatæ Mariæ ad exsequendum per manum nostram et quod ratio dictaverit, et justitia exegerit. Cum itaque ad omnem justitiam exsequendam erga vos et erga vestros promptos se exhiberent, præcepto vestro, sicut dicunt, vestri servientes annonam Ecclesiæ apud Castrumduni, et apud Bonamvallem violenter acceperunt, et vinum domni Hilduini cantoris in vico coriariorum saisierunt (epist. 101), plurima etiam indigna clericis et hominibus eorum intulerunt. Postulant itaque clerici summa instantia ut in civitate et per totum episcopatum divinum officium interdicam (epist. 94 et 120), donec sua recipiant, quæ injuste et præpropere sibi esse ablata reclamant. Et quia justitiæ deesse non possum,postulavi ab eis inducias, quas vix impetravi, donec ad vos nunc tertio mitterem, et ad corrigendum quod perperam factum est, excellentiam vestram commonefacerem. Moneo itaque et consulo, ut clericis sua restitui faciatis, ne tam præclara Ecclesia in tam sanctis diebus divino privetur officio, et de vobis a transeuntibus, qualem non deceret, publicetur opinio. In recuperabili enim re non est tam præceps danda sententia,nec malevolorum inordinate satienda sævitia. Monui itaque et iterum moneo suadente charitate qua præcordialiter vos

diligo,ut quod corrigendum est corrigatis, et quidquid duriter facere intenditis, usque ad legitimam discussionem differatis,ne,digesta ira,pœniteat vos fecisse quod faciendum non fuisse ratione docente videbitis. Quod si admonitionibus et petitionibus meis toties repetitis acquiescere non vultis,et justam satisfactionem respuitis, ne miremini si doleo cum dolentibus, et lugeo cum lugentibus, qui per omnia paratus eram et gaudiis vestris congaudere, et doloribus condolere. Valete.

EPISTOLA CXXII.

Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister*, Vulgrino *Parisiensi archidiacono, a zelo justitiæ, non tepescere.*

Quia portitor litterarum vestrarum festinabat ad reditum, et ego publicis et familiaribus negotiis præpeditus eram, plura scribere non potuit. Breviter itaque de Judæa baptizata et Christiano nupta, postea vero ad Judaismum reversa,fraternitati tuæ respondemus, quoniam verum connubium fuit, quod inter personas ejusdem legis nulla interveniente causa quæ conjugium solvit,rite celebratum fuit. Quamvis itaque mulier dupliciter fornicata sit, quia et ad Judaismum rediit, et viro alteri, Judaici videlicet ritus nupsit, vir tamen Christianus qui alia, vivente ea, duxit, procul dubio adulterium perpetravit. Canon autem manifeste dicit, sicut ipse bene nosti (epist. 225) : « Quia incestis conjunctionibus nihil veniæ reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint. » Dicit enim beatus Augustinus in libro De nuptiis et concupiscentia (*c. ult.* caus. 32, q. 7, et epist. 125) : « Manet inter viventes quoddam conjugale, quod nec separatio nec cum alio copulatio possit auferre. » Hieronymus etiam ad Oceanum [*in duobus v. c.* ad ultimum] de morte Fabiolæ : « Præcepit Dominus uxorem non debere dimitti, excepta causa fornicationis, et si dimissa fuerit, manere innuptam. Quidquid viris præcipitur,hoc consequenter redundat ad feminas. Neque enim adultera uxor dimittenda est et vir mœchus tenendus. » Multa in hunc modum reperiri possent, sed te hæc bene nosse non ambigo. Vale.

EPISTOLA CXXIII.

Ivo, *Ecclesiæ Carnotensis minister*, Galterio [*al.*, Gauterio] *fratri, Belvacensis Ecclesiæ bibliothecario, salutem.*

Requisitus ex parte tua,qua pœnitentia mulctandus sit presbyter, qui verba divina sacramenti, et insignata sacerdotalis officii in conjugali benedictione cujusdam virginis illusorie transmutavit, et alia pro aliis interposuit, hoc interim respondeo, quia specialem sententiam super hoc non inveni, quia nec tale adulterium vel potius sacrilegium divinorum sacramentorum ab aliquo perpetratum [*al.*, sacrorum alicubi perp.] ulterius audivi. Videtur itaque mihi, quia sicut **55** novum genus est criminis, ita procurandum est novum experimen-

A mentum medicaminis, ne tamen aliquid severius in hujusmodi sacrilegio sine divinæ auctoritatis munimine judicetur; ubi speciales sententiæ non occurrunt (l. xii *De legibus*), quantum mihi videtur, generales, quæ super divinorum sacramentorum temeratores promulgatæ sunt, sufficere possunt. Habetur enim in concilio Toletano viii capitulo 11 (*a*):« Nihil contra ordinem temeritatis ausu præsumatur, neque illa quæ summa veneratione censentur vel minimo præsumptionis actu solvantur.» Et post pauca : « Si quis hæc temerare præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit.»Item in decretis Julii papæ episcopis per Ægyptum missis : « Sacerdos aliter quam præceptum est faciens,tandiu a sacrificando cessabit,quandiu legi-

B tima pœnitentiæ satisfactione correptus ad gradus sui officium redeat quod amisit. » Et hæc de his qui simpliciter et ignoranter erraverunt,quanto magis de his qui fraudulenter verba sacra perverterunt,et ita mulierculam simpliciter accedentem, quantum in se fuit, fornicationi addixerunt ? Et de his ista sufficiant. Vale.

EPISTOLA CXXIV.

Daimberto, *Dei gratia Senonensium archiepiscopo*, Ivo,*humilis Ecclesiæ Carnotensis minister,per omnia devotum obsequim.*

Noverit paternitas vestra quoniam Hugo Puteacensis timore Dei tactus et corde compunctus (epist. 111 et 112), ea quæ Ecclesiæ nostræ abstulerat, quantum ad portionem suam pertinuit,integerrime

C reddidit. Mihi vero quæ mea et meorum erant, se cuncta redditurum datis obsidibus sub fidei sponsione firmavit,et quia de discretione a vestra paternitate fueram commonitus,ea interim accipere distuli quamdiu abstinuerit ab exactionibus et angariis,quas in terra Fraxineti facere consuevit. Unde gratias referimus quantas [quam maximas, *ms. c.*] possumus vestræ paternitati, qui manum nobis in hac necessitate porrexit,et qua debuit miseratione condoluit.Rogamus etiam ut causa nostri de cætero non teneatis eum interdictum vel excommunicatum,neque suos,quandiu in sponsione sua perseveraverit,et prædictas exactiones non acceperit;domnus vero Ludovicus non vult nobiscum pacem componere (epist. 114), quia nolo paganum illum in infamiam lapsum,qui matrem suam evisceravit,et

D quibus potuit unguibus schismatis laceravit,honoribus ecclesiasticis sublimare. Ego itaque per manum vestram offero ei omnem justitiam, vel si ad satisfactionem venerit, quam ei potero facere lege non contradicente misericordiam. Et quia utrumque refutat, unum consilium mihi restat exspectare misericordiam Dei, donec justificet causam meam. Valete.

EPISTOLA CXXV.

Daimberto [al. exemp. Umberto, male], *Dei gratia Senonensium archiepiscopo*, Ivo. *humilis Ecclesiæ*

(*a*) *Latius* exstat in cap. *Nihil*, cau. 7, q. 1.

Carnotensis minister, cum humili devotione servitium.

De Hierosolymitanis quorum uxores fornicatæ sunt (epist. 188), bene mihi videtur sentire sanctitas vestra quia secundum evangelicam et apostolicam doctrinam oportet eos aut ad proprias uxores redire aut,eis viventibus, sine ulla carnis commistione manere. Alioquin, ii qui nec [nunc, *ms. cod.*] adulteras mulieres abhorrent, adulteri reputabuntur, et adulterorum pœna apud Deum judicabuntur,secundum illud Apostoli:*Fornicatores et adulteros judicabit Deus* (*Hebr.* XIII). Unde Augustinus in libro De decem cordis:«Non adulterabis,id est non ibis ad alienam aliquam præter uxorem tuam. » Idem in libro De nuptiis et concupiscentia (c. 20, in c. 28, caus. 32, q. 7) : « Usque adeo manent inter viventes semel inita jura nuptiarum,ut potius sint inter se conjuges etiam separati, quam cum his quibus aliis adhæserunt. » Et paulo post : « Manet inter viventes quoddam conjugale quod nec separatio, nec cum alio copulatio possit auferre. » Inde etiam Hieronymus ad Oceanum (in c. XIX *Matth.*, caus.32,q.5):«Præcipit Dominus uxorem non debere dimitti excepta causa fornicationis, et si dimissa fuerit,manere innuptam (*Matth.*XVI), quidquid viris præcipitur,hoc consequenter redundat ad feminas. Neque enim adultera uxor dimittenda est, et vir mœchus retinendus. » His et aliis ejusmodi auctoritatibus freti, si aliquando apud nos causa fornicationis, tale divortium contigerit [*al.* contingat], censura ecclesiastica cogimus separatos vel sibi reconciliari, vel sine spe manere conjugii. Quod si ii qui debent uxores virtute præcedere,volunt uxores victrices esse libidinis, ipsi autem vincuntur a libidine qui aliis mulieribus cupiunt adhærere (epist.118), monemus eos, ut considerantes fragilitatem vasis muliebris id infirmiori sexui indulgeant,quod fortiori indulgeri desiderant.Dicit enim beatus Augustinus De sermone Domini in monte (in c. *Nihil*, caus. 23, q. 6. : Nihil enim iniquius quam fornicationis causa dimittere uxorem, si et ipse vir convincitur velle fornicari. Occurrit enim illud Apostoli : *In quo enim alterum judicas, teipsum condemnas; eadem enim agis quæ judicas.* Quapropter quisquis fornicationis causa vult abjicere uxorem,debet et ipse a fornicatione esse alienus. » Idem in lib. De verbis Domini, tractatu 47 : « Intactam quæris, intactus esto. Puram quæris, noli esse impurus. » Quod si reprehensibiles se esse futuros formidant quod fornicarias mulieres recipiunt, audiant quid dicat Hieronymus in explanatione Oseæ (lib. I ad cap. 1 : epist. 148) : « Non est culpandus Osea propheta, si meretricem quam duxit, convertit ad pudicitiam; sed potius laudandus quod ex mala bonam fecerit; non enim qui bonus permanet,polluitur si societur malo,sed qui malus est in bonum vertitur si boni exempla sectetur, » Et quia non ignoranti legem loquor, hæc pauca quæ dicta sunt ad inquisita sufficere arbitror. Valete.

CAPUT CXXVI.

DAIMBERTO, *Dei gratia Senonensis Ecclesiæ archiepiscopo*,Ivo,*humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, salutem et obsequium.*

Gratias referimus [*al.*agimus] excellentiæ vestræ, quod paterna diligentia super nos vigilatis, et ne turba major inter Ecclesiam Carnotensem et comitissæ clientelam concitetur,præcavere nos monetis. Quod et nos studuimus, quamvis multis injuriis lacessiti, multis contumeliis provocati (epist. 121). Certum tamen habeat amantissima vestra paternitas quia juramentum quod fecerunt clerici de non recipiendis **56** vulgo natis (*a*) in concanonicos, vel quibuslibet aliis de extranea familia genitis[*sic v. c.*; *antea* extraneæ f. gentis] me inconsulto fecerunt. Sed quia non est meum filios mihi commissos in infamiam detrudere,ne perjurium incurrerent, non solum quod fecerant indulsi,sed etiam apud domnum papam pro eis intercessi, ut quod fecerant approbaret,et decreti sui pagina roboraret, ne cui minori clavi seratum esse cognosceret.Hujus itaque decreti formam sanctitati vestræ transmisi,ut si forte colloquium cum comitissa vos habere contigerit,persuadeatis ei,ut hanc injuriam,quæ quantum ad eam pertinet,nulla est, æquanimiter ferat, aut quod justitia et lex dictaverit,accipiat.Alioquin parati sunt clerici magis in æternum exsilium trudi quam ad perjurium aliquo modo pertrahi. Valete.

EPISTOLA CXXVII.

LUDOVICO, *Dei gratia Francorum regi designato*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, salutem et servitium.*

Quando venerunt ad nos litteræ vestræ, omnino imparatus eram,ut in tam brevi secure et honeste venire possem ad colloquium vestrum. Præterea respectus est inter me et comitissam usque ad adventum Albensis episcopi, per cujus consilium vel judicium promittit se satisfacturam Deo et Ecclesiæ nostræ. Infra ergo hunc respectum non est legitimum vel honestum, ut ei quæram aliquod malum vel nocumentum, vel etiam reddam me in hoc supectum. Transacto vero hoc respectu,potero vestræ celsitudini, ubicumque placuerit, cum vestro conductu, occurrere, et libere et aperte secundum quod ratio postulaverit, et rerum exitus, ea quæ erunt tractanda tractare, et, prout ratio dictaverit, diffinire. Non ergo indignetur adversum me vestra sublimitas, si suspicionem doli et perfidiæ incurrere mea vereatur humilitas; quibus remotis vestrum desidero habere colloquium, et meum pro viribus offerre servitium. Valete.

EPISTOLA CXXVIII.

Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister*, ODONI *confratri et compresbytero, salutem.*

Legatus quem tua fraternitas mihi misit,non ex-

(*a*) Ut etiam libertinis epist. 133; et conditionariis, epist. 147.

spectavit responsum nostrum vel rescriptum. Nunc itaque fraternitati tuæ respondeo, de persona illa quam ad colloquium nostrum mittere disponebas, Virgilianum illud,

..... *timeo Danaos et dona ferentes.*

VIRG., *Æn.*, lib. II, vers. 49.

quia suspectum me semper habuit, et apud sublimes potestates [*al.* personas] quantum potuit me insimulavit. Unde, si secus quam vellet, res accideret, de suspecto magis me suspectum redderet, et majores inimicitias adversum me concitaret. Si autem sua sponte, suo instinctu ad colloquium nostrum veniret, vel quicunque illius partis et modum conciliandæ pacis mihi intimaret, quantum Deo donante prævalerem, pulverem pedum portantium pacem humiliter lavarem atque detergerem. Nostrum enim propositum est, quantum possumus, paci Ecclesiæ insudare, et potestate quam nobis Deus dedit, uti in ædificationem et non destructionem. Et quantumcunque me ad hoc implendum, aut mea impediat imbecillitas, aut resistat auditorum pervicacitas (epist. 12, 25, 67, 204), aut quantumlibet me laceret æmulorum obtrectatio, principaliter tamen in corde meo ista viget intentio, quia et sol, licet suæ claritatis radios non effundat cum nube tegitur, tamen caloris sui virtute non privatur. In his itaque recurro ad judicem internorum : et cum bona volo et non valeo, judici meo dico : *Imperfectum meum viderunt oculi tui* (*Psal.* CXXXVIII). Oret itaque fraternitas tua cum cæteris conservis meis, ut qui dedit velle, addat et perficere pro bona voluntate. Vale.

EPISTOLA CXXIX.

Ivo, *Dei gratia humilis Ecclesiæ Carnotensis episcopus*, GAUFRIDO, *Vindocinensi comiti, salutem.*

Cum omnibus ovibus nobis a Deo commissis, pastorali diligentia providere debeamus, ne pascua vitæ deserant, ne luporum invisibilium morsibus se intrudant, præcipue hoc nobilitati tuæ debemus, qui et noster es parochianus, et Ecclesiæ nostræ cataneus (*a*). Quod ideo dilectioni tuæ scribo, quoniam audivi te velle ducere in uxorem vicecomitissam Alesensem, cujus defuncto marito fuisti consanguineus, sicut mihi scripserunt et probare parati sunt nobiles viri, tam tui, quam defuncti vicecomitis Roberti consanguinei. Unde tibi mando, et per legem Christianam interdico ferales et incestas nuptias, quas nec lege poteris defendere, nec legitimo de eis hæredes suscipere (*b*). Si ergo salutaria nostra monita suscipis, cum ad nos miseris, statuemus tibi diem certum et locum, quatenus ad legitimam discussionem venias, et sententiam quam lex Christiana dictaverit, super tali desponsatione recipias [*al.* accipias]. Quod si aliter incœptum tuum adimplere præsumpseris, et excommunicationem incurres, et infamiæ notam non evades. Consanguinitas autem inter te et virum prædictæ mulieris sic se habet. Landricus Sorus quemdam filium filiamque habuit, qui filius, Lancelinus nomine, filium Lancelinum genuit, ex quo Agnes fuit, quam Robertum genuit, qui Robertus filiam Hugonis Dunensis in uxorem habuit. Filiam vero Landrici Sori habuit Buchardus [*al.* Burcardus] Rata-pilata. Ex quibus natus fuit Buchardus Calvus de quo Fulco Aser [*al.* Anser] natus fuit, ex quo descendit Nifrana [*al.* Vifrana, *vel* Infrana], quæ Gaufridum Grisam tunicam genuit, qui illam vult accipere in uxorem. Vale.

EPISTOLA CXXX.

Ivo, *Dei gratia humilis Ecclesiæ Carnotensis episcopus*, MATHILDI *Blesensi vicecomitissæ, salutem.*

(*c*) Quoniam tibi et omnibus quos in Deum vel propter Deum diligimus, salubria monita vel præcepta dare debemus, monemus et præcipimus per legem Christianam, ut conjugium quod cum comite Vindocinensi te inituram pepigisti, usque ad legitimam discussionem differas, et bonam æstimationem quam hactenus habuisti non amittas [*al.* perdas]. Quod si aliter præsumpseris, et excommunicationi subjacebis, et perdes res tuas **57** quas pro hoc conjugio distraxeris. Dicunt enim communes consanguinei Vindocinensis comitis, et Roberti vicecomitis mariti tui defuncti, quia consanguinei fuerunt comes Vindocinensis et Robertus maritus tuus, eo gradu quo litteræ comiti missæ demonstrant, et probare parati sunt. De qua re statuam tibi et comiti diem et locum, cum ad me propter hoc nuntios vestros miseritis. Odo autem parentelæ supra scriptus est (epist. 129) (*d*). Vale.

EPISTOLA CXXXI.

Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister*, WLGRINO *Parisiensi archidiacono, salutem.*

De presbytero qui Ecclesiam quam regebat, nulla cogente necessitate, in manu tua refutavit, et per manum laicorum cubile sponsæ, qua se indignum vel quam se indignam refutando judicavit, conatur ascendere, hoc fraternitati tuæ respondeo, quia justum est ut in judicio quod de se judicavit permaneat, et sponsam quam repudiavit, vivente fratre qui ei legitime incardinatus est, adulterare non præsumat. Quod si per laicorum violentiam intrudere se voluerit, tua fraternitas novit antiquis regulis cautum esse quod laicis nulla est attributa facultas presbyteros in Ecclesia ordinandi, vel de Ecclesia ejiciendi (can. sub caus 16, q. 7). Adversus quam formam si presbyter Ecclesiam irruperit, tui officii est in presbyterum præsumptorem anathematis gladium exerere [*al.* exercere], et laicos hujus pervasionis cooperatores, donec desinant, a liminibus Ecclesiæ sequestrare. Vale.

EPISTOLA CXXXII.

DAIMBERTO, *Dei gratia Senonensium archiepiscopo*,

(*a*) Notanda vox, *cataneus;* adj. *nec.*
(*b*) Vetitæ epist. 45 et 221. Adi. Gr. caus. 35, q. 1. et seqq.

(*c*) Confer epist. superiorem.
(*d*) Hæc verba non sunt de corpore epistolæ.

Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, salutem et servitium.*

Quoniam importunitas pulsantium frequenter quod quærit assequitur, iterum et iterum paternitatem vestram rogamus, ut justitiam adhuc ab archipresbytero Stampensi dilatam (ep. 50, *in fine*), amodo accelerari faciatis de Haymone Stampensi parochiano vestro et nostro, qui hominem meum et alium hominem hujus archipresbyteri mei angustiis carceralibus et inedia injuste ad redemptionem cogit; qui etiam eumdem archipresbyterum, cum deferret legationem vestram et nostram ad eum, coegit in fide spondere quod nullam de eo proclamationem vel apud vos vel apud nos ultra deberet facere. Hanc igitur ignominiosam injuriam sicut decet animadvertite, et vobis et mihi super his quantam oportet justitiam facite. De cætero disceptationem quæ est inter partes Ecclesiæ nostræ volo ut sciatis, quam breviter adnotabo vobis. Violato claustro Carnotensi præterita æstate (epist. 133), major cleri pars, quantum ad personarum et numerum, ferre non valentes comitissæ injurias et minas, de civitate exierunt, quosdam ex suis ad vos mittendo. Alii regem regisque filium pro reclamanda injuria sibi illata adierunt; de stipendiis communibus fratrum, quod opus fuit, expenderunt. Injuriam sibi factam dicit minor pars adversaria, quod res communis sine communi consilio est expensa. Cui objectioni respondet pars altera : quod expendimus, tam pro vestra quam nostra utilitate expendimus, et quod vobis cum prius hoc non tractavimus, ratio fuit quia a quibusdam vestrum impedimentum timebamus, nec ad Ecclesiam nostram redire permittebamur. Consentiunt in hoc multi quos ad hoc congregavi, quia quod pro communi necessitate expensum est plurimorum et majorum consensu, de communi exsolvendum est. Volo itaque, ut per præsentium portitorem sententiam vestram et Ecclesiæ vestræ super hoc mihi rescribi faciatis. Vale.

EPISTOLA CXXXIII.

Ricardo [al. Richardo], *Dei gratia Albanensium episcopo et sanctæ Ecclesiæ Romanæ legato;* Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, bene valere et non omni spiritui credere.*

Sciens quia *meliora sunt vulnera diligentis quam fraudulenta oscula* blandientis (*Prov.* xxvii), et illud Psalmographi : *Corripiet me justus in misericordia, et increpabit me* (*Psal.* cxl) : caustica (ep. 277) verba vestra quantum pertinet ad simplicitatem intentionis vestræ, æquanimiter accepi; sed duplicitatem falsorum fratrum, qui quasi quibusdam latrociniis noctis (epist. 219), falsa pro veris sollicitudini vestræ suggerunt, graviter animadverti, quorum falsitas cito patebit cum luce veritatis reverberabitur et in lucem prodire non audebit. Horum sunt quidam qui infamiam suam non aliter se posse velare arbitrantur, nisi famam bonorum lædere, et *vasa sincera*

A *incrustare* moliantur (Horat., *sat.* 3, lib. i), qui alia de causa Simoniam non reprehendunt, nisi quod [quia *ms. c.*] Simoniaci esse non possunt, cum alii aliqui in Ecclesia assequuntur quod isti præpedientibus quibusdam incursionibus assequi non merentur. Quod [qui *ms. c.*] si oculos mentis in se reflecterent, præter Simoniam multa in se tam facinora quam flagitia merito reprehenderent ut patenter eis dici possit illud Apostoli : *In quo alterum judicas, teipsum condemnas; eadem enim agis quæ judicas* (*Rom.* ii). Nec ista dico quod conscientiam meam aliquando tali scelere contaminatam intelligam; sed miror cur hoc solum vel in sola Carnotensi Ecclesia reprehenditur, cum et hoc et multa alia æque damnabilia in omni pene Gallicana Ecclesia dominentur.

B Quod autem vobis suggestum est, Simoniacam hæresim me permittente in Ecclesia Carnotensi publice dominari, omnino veritate caret, quia hoc malum ab initio clericatus mei semper exhorrui, et postquam ad episcopatum veni, quantum, Deo donante, prævalui, in superficie resecavi. Quod manifestum fieret, si pace confratrum et coepiscoporum nostrorum fieri posset; in quorum Ecclesiis multæ malæ consuetudines adhuc caput erigunt, quæ temporibus nostri sacerdotii Deo auxiliante in Ecclesia Carnotensi sopitæ sunt (epist. 94 et 117). Si qua autem adhuc sunt quæ pro consuetudine antiqua publice exigant decanus et cantor, et alii ministri ab his qui canonici fiunt, me contradicente et persequente, Romanæ Ecclesiæ consuetudine se defendunt, in qua dicunt cubicularios et ministros sacri palatii multa

C exigere a consecratis episcopis vel abbatibus, quæ oblationis vel benedictionis nomine palliantur, cum nec calamus nec charta gratis ibi (ut aiunt) habeatur, et hoc quasi **58** lapide conterunt frontem meam (*a*), cum non habeam quid respondeam, nisi evangelicum illud : *Quod dicunt servate et facite; sed si id faciunt, secundum opera eorum nolite facere* (*Matth.* xxiii). Si autem hanc pestem radicitus evellere non valeo, non tantum invalitudini meæ hoc imputandum est, quia ad hoc ab origine nascentis Ecclesiæ Romana Ecclesia laboravit, nec a gremio etiam suo tales sua quærentes penitus prævaluit eliminare. Nec in diebus malis regnare desinet cupiditas, donec, finito mundi termino, pacatum regnum accipiat charitas. Interim autem, ut verbis Augu-

D stini utar (epist. 137 *ad Hippon.*, in cap. 6, dist. 47). « Quantumlibet vigilet disciplina domus meæ, homo sum, et inter homines vivo; nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior quam arca Noe, ubi inter homines octo reprobus unus derisor patris inventus est (*Gen.* ix); aut melior quam domus Abrahæ, ubi dictum est : *Ejice ancillam et filium ejus* (*Gen.* xxi); aut melior sit quam domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est : *Jacob dilexi, Esau autem odio habui* (*Mal.* i). Et ut ad Christiana tempora veniam, semper patitur Christus, in membris suis

(*a*) Hac de re Gregorius Magnus epist. 44, et refertur in cap. *Sicut*, caus. 1, q. 2.

Judam proditorem, Ecclesia Nicolaum fornicationis laudatorem, Simonem lucrorum sacrilegorum sectatorem, et ut universaliter dicam, semper abundabit palea donec ventiletur area. Si qua tamen talia in auribus nostris judiciario ordine publicantur, si certis documentis approbantur, conservato quidem legum tramite inulta præterire non patimur. Incerta autem æterni Judicis tribunalibus judicanda reservamus, scientes quia qui non habet potestatem reum condemnare, vel non potest comprobare, immunis est. Intelligant igitur conservi vestri, viventes in diebus malis sicut et nos, quibus nondum sunt revelata abscondita tenebrarum et manifesta [*al.* manifestata] consilia cordium, sicut nec nobis, ex imperfectione sua imperfectionem nostram, neque festinent incerta judicare. Sed si forsitan *ad ligna cædenda simpliciter* incedunt, videant ne per immoderatum ictum *ferrum de manubrio fugiat*, et aliquem de filiis prophetarum occidat (*Deut.* XIX ; S. GREGOR. lib. X *Mor.*, c. 9. PET. BLES. *Epist.*). De cætero notum facio sollicitudini vestræ suspectum vos esse clericis Carnotensis Ecclesiæ, quod eos Blesim invitastis ad recipiendum pro emunitate claustri Carnotensis judicium (epist. 127), ubi dicunt se timere vim temerariæ multitudinis [*al. leg.* contrariæ multitudinis], cum clientela comitissæ præcipuam ibi habeat potestatem, quæ statutum Carnotensis Ecclesiæ de non admittendis ad clerum libertis (*a*) adversus suam factum esse conqueritur honestatem. Quapropter oportet libertatem religionis vestræ ita in medio stare ut non videamini in judicio parvipendere personam pauperis et honorare vultum potentis. Nec ista dico, quod mali aliquid suspicer ex parte comitissæ, sed quia debitor sum honestati Romanæ Ecclesiæ, quantum ad parvitatem meam pertinet (epist. 92), providere. Cujus si non honoro missum, non videor honorare mittentem.

EPISTOLA CXXXIV

DAIMBERTO, *Dei gratia Senonensium archiepiscopo* Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, salutem et obsequium.*

De pacto conjugali quod factum est inter duos nobiles (*l.* Titia., *De verb. obligat.*), ita ut qui filiam habebat, juraverit se eam traditurum uni de filiis alterius nobilis cui vellet, cum ad nubiles annos virgo pervenisset: hoc paternitati vestræ respondeo, quod et natura disposuit, et lex tam ecclesiastica quam mundana firmavit, quia quorum per conjugalem copulam unum debet fieri corpus, eorumdem pariter animorum debet esse consensus. Quidquid ergo pater, nesciente virgine, juraverit [*al.* jurat], cum ad annos rationales perducta est [*vel* pervenerit], nisi ipsa virgo consentiat, etiam vivente patre secundum leges irritum erit. Unde papa Nicolaus Hincmaro scribit episcopo: « Sufficiat per leges [*al.* secundum leges, *ita ms. c.*, ut in cap. 2, cau. 26, q. 2] solus eorum consensus de quorum conjunctionibus agitur. » Qui consensus solus in nuptiis si forte defuerit, cætera omnia etiam cum ipso coitu frustrantur, Joanne Chrysostomo magno doctore attestante, qui ait: « Matrimonium non facit coitus sed voluntas. » Inde etiam in legibus Romanis [*al.* Romanorum; epist. 99.] Justiniani imperatoris ita habetur: « Sponsalia sicut nuptiæ consensu fiunt contrahentium. Et ideo sicut in nuptiis, ita sponsalibus filiasfamilias consentire oportet. » Et alibi: « A primordio ætatis effici sponsalia possunt, si modo ab utraque persona id fieri intelligatur, id est si non minores sint quam duodecim annis. » Hoc de proposita quæstione [*al.* inquisitione, *ita ms. c.*] sentio, et hujusmodi controversiam, si ad aures meas pervenerit, tali ratione diffinio. De cætero notum facio paternitati vestræ quod cum nulla a me illata esset injuria, vel nulla denegata justitia, cum etiam respectus esset inter me et comitissam (ep. 127), mediante apostolico: Gulielmus comitissæ filius in mortem clericorum Carnotensium (epist. 136), et perniciem meam, et omnium ad nos pertinentium coram altare [*al.* altari, *ita ms. c.*] beatæ Mariæ conjuraverit, et omnes cives qui sub banno sunt ad eamdem conjurationem compulerit, nisi voluntati servorum suorum cedamus, et sibi usurpet violentia, quod sola debet obtinere [*vel* retinere] gratia. Ego itaque hoc Herodianum juramentum audiens, nolui postea in præsentia hujusmodi conjuratorum divina sacramenta tractare, nec super eos benedictionem episcopalem more solito dare. Promeritum tamen anathema distuli super eos fundere, donec consilium vestræ paternitatis et collegarum nostrorum super hoc acciperem, et, consilio et auxilio multorum fretus, debita eos censura a funesta conspiratione revocarem. Cum ergo ad vos remisero, volo vos esse præmunitum, ut consilium et auxilium quod vobis sit honestum et nobis utile ad manum habeatis, et naufragantibus ante submersionem manum extendere festinetis. Vale.

EPISTOLA CXXXV.

PASCHALI *summo pontifici*, Ivo, *humilis Carnotensis minister, debitam cum devotione obedientiam.*

Miles iste præsentium portitor, nomine Raimbaldus in obsidione Hierosolymitama strenue militavit. Unde reversus ad propria, diabolico instinctu et impetu iræ subversus, quemdam monachum et presbyterum Bonævallensis monasterii, quia quosdam ejus servientes herbam furantes, verberari fecerat, castrari fecit. Quod quia inauditum apud nos fuerat, coacto rigore ecclesiastico, arma ei abstulimus, **59** et quatuordecim annorum pœnitentiam indiximus, ut diebus sibi præscriptis a cibis lautioribus abstineret, et tam immane facinus eleemosynis et jejuniis expiaret. Quod obedienter quidem suscepit; sed postea, adhibitis sibi multis et magnis intercessoribus, multa nos precum instantia fatigavit quatenus, propter infestationes inimicorum suorum, armis ei uti concederemus. Sed hujusmodi

(*a*) Sic plerique vett. codd.; in exempl. Ser. legitur, *libertinis*. His conjungendi sunt loci epist. 126 et 147.

precibus assensum dare noluimus, timentes ne et ipsum et multos alios tam facili indulgentia in discrimen adduceremus (epist. 161). Reservantes itaque hanc indulgentiam apostolicæ moderationi, ad apostolorum eum limina direximus, quatenus et fatigatione itineris hujus peccatum suum diluat, et apud pietatis vestræ viscera misericordiam, quam Deus vobis inspiraverit, inveniat. Valete.

EPISTOLA CXXXVI.

Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister*, Adelæ *Palatinæ comitissæ, et pacis et charitatis visceribus abundare.*

Multa vobis de me referuntur quæ non oportet ut a vobis vera esse credantur. Habui enim et habeo multos et magnos ad perturbandum suasores (epist. 116 et 124), qui se etiam promitterent futuros per omnia et in omnibus adjutores. Quod adhuc studiose evito et evitavi, licet hoc a multis non religioni ascribatur, sed pusillanimitati. Et putabam me invenisse modum quo pax fieri poterat cum vestra honestate et clericorum voluntate, nisi consilio insipientium et malignorum, filius vester Herodianum illud sacramentum fecisset (epist. 134), et ad idem burgenses suos (*a*) coegisset. Quo facto usus virorum honestorum consilio, nolui eis ultra dare benedictionem. Sed tamen pro amore vestro distuli maledictionem; nec enim benedictione digni sunt qui maledictionem meruerunt, et in mortem immeritorum [sic ex vett. codd. *antea*, in mortem inimicorum] incaute conspiraverunt, donec resipiscant, et pro illicito juramento veniam petant. Oportet ergo ut antequam res in pejus vergat, aut per vos, aut idoneos mediatores colloquium habeamus, et prout melius Deus donaverit, tam periculosam et inutilem turbam ad pacem reducere studeamus. Jam enim dissimulare diu juste non potero, quin justo anathemate feriam talium malorum incentores et eorum cooperatores, nisi tantis et illicitis ausibus remedium præpararetur, quo res impia et turba inutilis in pacis serenum convertatur. Valete, et quod melius vobis visum fuerit per præsentium portitorem remandate.

EPISTOLA CXXXVII.

Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, Belvacensis Ecclesiæ congregationi, divinam in tribulationibus consolationem.*

Sciat fraternitas vestra quia in tribulationibus vestris contribulor, et passionibus vestris compatior (epist. 263 et 264), sed quia res vestra in angusto posita est, prout oporteret, certum vobis consilium dare non possumus, quia in hoc negotio vestro nisi Deus misericorditer consulat, oportet ut aut legem offendatis aut regem. Si enim concanonicum vestrum criminaliter impetitum alibi quam in Ecclesia examinari conceditis, canonicam legem offenditis, si audientiam regalis curiæ respuitis, regem offenditis. In qua disceptatione cum ipsi et ratione et auctoritate sciatis quid sit verius, quid [*in uno v. c.* quid sit verecundius, quidve] honestius, tamen pro temporum opportunitate sequi vos oportebit quod infirmitati vestræ erit tolerabilius (epist. 171). Si autem sciremus vos esse paratos, ut cum gaudio tolerare possetis ruinas domorum, exterminationes corporum, rapinas bonorum vestrorum, possemus vos exhortari ut sequeremini consilium Susannæ, quæ magis elegit in manus hominum incidere quam Dei legem derelinquere (*Dan.* XIII). Sed quia in donis spiritualibus consilium et fortitudo conjuncta sunt, consilium aliud, nisi quod patientia vestra tolerare possit, dare non audemus, quia qualis vestra sit fortitudo ignoramus. De curia autem in causis clericorum vitanda (Grat. *c.* 11, *q.* 1), de accusatione vel testimonio clericorum adversus laicos vel laicorum adversus clericos, quid decreta, quid canones, quid et mundanæ leges clament, et apud vos habetur, et nos ex parte scripsissemus vobis, nisi quia gerulus litterarum vestrarum sexta feria post meridiem ad nos venit, et ad redditum festinavit. Ad præsens aliud auxilium fraternitati vestræ ferre non possumus, nisi quod Angelum magni consilii interpellabimus, ut consilia vestra et actus dirigat, et ad bonum exitum perducat. Valete.

EPISTOLA CXXXVIII.

Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, dilectis sibi in Christo archidiaconibus Wulgrino et Stephano* [*Parisiensib.* ex epist. 122 et 131], *decorem domus Dei diligere, et quæ Jesu Christi sunt quærere.*

Cum de electione episcopi apud vos ageretur, et quibusdam vestrum domnus Fulco decanus vester (*b*) eligeretur, habita est ut audivimus inter vos feda contentio, quæ et multorum aures offenderet, et de Ecclesia vestra non bonum odorem longe lateque dispergeret. De obtenebrata itaque pacis vestræ serenitate, fraterna compassione doluimus, quia quæ gravamina de fraterno schismate Ecclesiis evenire soleant, experimento didicimus. Petitioni vestræ tamen hoc respondemus, quia electioni domni Fulconis vel alterius assensum non dabimus, nisi quem aut cleri plebisque consensus elegerit, aut metropolitani judicium cum conniventia [*al.* convenientia, *ms. c.*] suffraganeorum, habita legitima discussione, probaverit (Grat., dist. 61). Consulendo itaque monemus fraternitatem vestram ut nemo vestrum in tanto discrimine privata odia exerceat, nullus privatum honorem vel privatum commodum quærat, nullus fratrem suum publica infamia pulset, nisi judiciario ordine probare possit quod objecerit: ne, dum temere non probanda objicit, ipse talionem (*c*), recipiat, et se et sua in periculum mittat. Miramur autem prudentiam vestram, quare adversus regem in præsentia regis disposuistis causam istam exami-

(*a*) Vocat cives dicta epist. 134.

(*b*) Ecclesiæ Pariensis, ut constat ex tit. epist. 112. Confer etiam epist. 139.

(*c*) Talionis vinculum appellat epist. 51.

nare (*a*), ubi plus poterit voluntas regis quam justitia legis, ubi nec veritas poterit cum pace discuti, vel inventa servari. Valete.

EPISTOLA CXXXIX.

DAIMBERTO, *Dei gratia Senonensium archiepiscopo*, Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, debitum filii famulatum.*

Appellatio quam fecerunt Parisienses, ad vos referenda erat, ut vos eis diem et locum pro arbitrio vestro præscriberetis, et episcopos suffraganeos ad hanc discussionem indulto congruo spatio invitaretis. Quod quia factum non est, præpropere mihi facta videtur domni Fulconis electio (epist. 238), et ejusdem electionis futura discussio. Et quia desideranti animæ nihil satis festinatur, poterit contingere quod per sapientiam dicitur : *Hæreditas ad* B *quam festinatur in initio, in novissimo benedictione carebit* (*Prov.* XXIX). Ad hanc autem discussionem a domino Philippo rege invitatus eram ; sed hoc mihi displicebat, quia, secundum morem ecclesiasticum et institutionem canonicam a vobis talis admonitio non præcesserat. Nunc vero audita vestra admonitione, si conductum promissum rex mihi dederit, Deo donante venire curabo. Si autem aliqua præpediente ratione venire non potero, neque tot de collegis convenerint, qui ad tanti negotii diffinitionem sufficiant, aut in aliud tempus rem differre, aut ad sedem apostolicam utramque partem ire permittite, ad quam iturus est domnus Fulco, sive rata, sive irrita fiat ejus electio. Valete.

EPISTOLA CXL.

Ivo, *Dei gratia humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, dilecto fratri et compresbytero* GUNHERIO, *cum quiete corporis quietem mentis.*

C Si sacramenta ecclesiastica ab apostolico, ut rumor est, vetita, quibus periculose interesse times, scriptis apostolicis vel viva voce illius personæ, fraternitati tuæ interdicta fuissent, cui hæc interdicendi licentia commissa fuisset, consulerem ut non tantum eis interesse timeres, sed etiam ea penitus abhorreres, non quia quod celebratur non sit sacramentum, sed quia communicantibus usurpatum per inobedientiam fit detrimentum. Securum itaque te in talibus faciat conscientia munda, quia secundum Apostolum : *Omnia munda mundis* (*Rom.* XIV) *coinquinatis autem et infidelibus nihil mundum, quia inquinata est eorum mens et conscientia* (*Tit.* I). Si D ergo ad divina sacramenta te vel pro consuetudine repræsentaveris, vel a fratribus invitatus fueris, quæ celebrantur apud quoscunque inveneris, cordis manu suscipe (*b*) mirare, et eorum significata sicut vitæ alimenta in ventre memoriæ suaviter ruminanda repone, non magnopere attendens quid opinio aut rumor aspergat, sed quid legatio prælatæ potestatis ad vos usque ordinabiliter perveniens pro-

A hibeat aut jubeat. Sicut enim judicibus ecclesiasticis non alia credenda sunt, licet vera sint, nisi quæ judiciario ordine publicantur, quæ manifestis testimoniis comprobantur (c. *Quamvis*, 73, caus. 11, q. 3). Ita non omnia quæ dicuntur fidei committenda sunt, nisi litteris authenticis comprobentur, aut viva voce gerulorum publicentur. Hæc interim de tua dubitatione respondeo fraternitati tuæ, nullum faciens præjudicium sententiæ meliorum. Vale.

EPISTOLA CXLI.

RICARDO [*al.* RICHARDO], *Dei gratia Albanensi episcopo et sanctæ sedis apostolicæ vicario*, Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, salutem et obsequium.*

Sicut de excommunicatione regis graviter doluimus, propter Christianæ religionis detrimentum, ita de absolutione ejus, si ad honorem Dei et sanctæ sedis apostolicæ fieri posset, granditer gauderemus, propter ejusdem sanctæ religionis incrementum (*c*). Ut autem secus fiat quam sollicitudini vestræ a domno papa commissum est, consulere non audemus, quia de rerum exitu sicut vos ita et nos incerti sumus. Si autem divina gratia cor ejus humiliaverit ad pœnitentiam, consilium nobis videtur, ut coram positis quamplurimis episcopis publice eum et solemniter absolvatis, quatenus sicut longe lateque patuit ejus aversio, ita multorum religiosorum testimonio publicetur circumquaque ejus optanda reversio. In qua re satagendum erit diligentiæ vestræ, quatenus qui pro amore justitiæ et obedientia sedis apostolicæ perdiderunt ejus amicitiam, in reconciliatione ejus redintegrentur ad gratiam (epist. 104). Consultum autem famæ vestræ melius credidissem si alibi quam Senonis ista fieret absolutio, ubi cuique liceret libere dicere quod sentiret. De cætero ad concilium denominatum gratanter ire desidero ; sed contra voluntatem regis, cujus odium jam per decennium tolero (*d*), qua via, quo conductu, vel circuitu Trecas venire valeam, non invenio. Si ergo vel per ipsum regem vel per comitissam, aliquam mihi securitatem impetrare potestis, obnixe rogo ut id facere studeatis.

EPISTOLA CXLII.

Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister*, MATHILDI *Anglorum reginæ* (epist. 107), *cum Regina angelorum in cœlo regnare.*

Cum omne datum non tantum ex sua quantitate quantum ex dantis affectu æstimandum sit, campanas quas beatæ et perpetuæ virgini dedistis, tum pro vestra devotione, tum pro sua delectabili sonoritate vice ipsius perpetuæ Virginis gratanter suscepimus, et in loco celebri ad auditum confluentium populorum collocari fecimus. Quæ quoties ad significationem certarum horarum moventur, ita auditorum mentes mulcent [*al.* mulcentur], ut vestra me-

(*a*) Ad hujus electionis discussionem postea invitatus fuit Ivo a rege, ut testatur ep. seq.
(*b*) Ex Eusebio Emisseno, citat. in fine epist. 287.
(*c*) De absolutione regis Philippi excommunicati. Junge. epist. 144.
(*d*) Regis inimicitiæ in Ivonem ep. 67, et minæ epist. 35, a quo sibi metuit epist. 113.

moria in singulorum cordibus renovetur. Nec leviter est æstimanda talis memoria, quæ tunc reflorescit, quando illa singularis hostia pro nobis redimendis in ara crucis oblata, per novi sacerdotii ministros in Domini mensa quotidie consecratur, quando hymnis cœlestibus, tamquam vitulis labiorum, Deus a fidelibus honorificatur [*al.* honoratur], quando a peccatoribus rei pectora tundentibus Deus offensus sacrificio contribulati spiritus ad misericordiam inclinatur. Horum bonorum procul dubio participes exstant, qui Dei ministris bona quibus abundant et istis desunt pro ejus honore et amore subministrant. Ita quod deerat inopiæ nostræ, copia vestra benigne ministrare jam cœpit, et se suppleturam in supplendis vel restituendis [*al.* reficiendis] **61** Ecclesiæ nostræ tectis uberius repromisit. Sic antiquus Dei populus ad tabernaculi usum, jubente Domino per Moysem offerebat aurum, argentum et æs, bissum quoque et coccum, purpuram et hyacinthum, mulieres etiam gemmas, et inaures (*Exod.* xxxv), quibus tunc visibiliter vestimentum pontificis et tabernaculum ornarentur et ministrorum Novi Testamenti sancti mores designarentur. Quibus autem pretiosa ista deerant, pilos caprarum offerebant, quibus vela cilina fierent, ad conservandum splendorem interiorum ornamentorum, ne pulvere sordescerent, vel imbribus putrefierent. Hanc formam pietatis sequetur excellentia vestra, cum ad utensilia vel satartecta domus Dei reficienda, in quibus voluerit, vel quantum voluerit, suppeditabit necessaria. Pro quibus omnibus illum exspectate procul dubio retributorem, quem talium didicistis fuisse præceptorem. Vale.

EPISTOLA CXLIII.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister*, Roberto *Mellentino comiti, salutem et orationum suffragia.*

Libertati [liberalitati, *ms.c.*] et prudentiæ vestræ gratias referimus, quod domnum Richardum Pratellensis monasterii abbatem, virum religiosum et prudentem, prout dignus est, honeste tractatis [tractetis, *ms.c.*], et in negotiis suis, prout opus est, devote et fideliter ei assistitis [assistatis, *ms. c.*]; et insuper rogamus, ut quod bene cœpistis, meliori fine concludatis. Quod enim in revocandis monasterii sibi commissi possessionibus elaborat, professionis suæ debito coactus facit, quia ab unoquoque abbate, quando benedictionem accepturus est ab episcopo, hoc exigitur, quatenus profiteatur res monasterii sui hactenus male dispersas se recollecturum et ad usus fratrum pauperumque fideliter dispensaturum. Et in decretis Symmachi papæ cæterorumque sanctorum Patrum de distractis Ecclesiæ rebus continetur (epist. 111), ut sit danti, et accipienti, vel possidenti anathema, nec aliquo se obstaculo ante tribunal Christi muniat qui a religiosis animabus ad substantiam pauperum derelicta dispergit. In Agathensi quoque concilio continetur ut in venditionibus quas abbates faciunt hæc forma servetur: « ut quidquid sine licentia episcopi venditum fuerit, ad potestatem episcopi revocetur (*a*). » Idem etiam de strenuitate vestra dici potest, quia divina providentia vos eidem loco defensorem præparavit, quoniam quidquid a monasterio prædicto sine vestro assensu distractum est, totum oportet ipsi monasterio restitui, et usibus fratrum quibus data sunt, integerrime restaurari. Hæc hactenus. De cætero nobilitatem vestram in hoc culpamus quod beneficium Carnotensis Ecclesiæ, quod aliis magnis magnum videtur, ita parvipenditis, ut neque quod dispersum est ab antecessore vestro revocare studeatis, neque debitum nobis servitium in aliquo impleatis. Qui enim beneficium illud occupaverunt, ita inter utrumque natant ut neque nobis serviant propter vos, neque vobis propter nos. Monemus itaque vos, ut super hoc consilium capiatis, et nobis remandetis, quia in hoc nullum est vestræ amplitudini commodum, nobis autem magnum incommodum. Valete.

EPISTOLA CXLIV.

Paschali *summo pontifici*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, cum debita obedientia fidelium orationum obsequium.*

Notum facimus paternitati vestræ quod, tertio [quarto] Kal. Augusti, plures episcopi, tam Remensis quam Senonensis provinciæ, invitati a domno Richardo [*al.*, Richardo] Albanensi episcopo legato vestro, convenimus in quoddam municipium Aurelianensis episcopatus, nomine Balgenciacum, ad faciendam absolutionem regis (epist. 141), secundum tenorem litterarum, quas super hac re miserat moderatio vestra. Convenit etiam rex et lateralis sua (epist. 13 et 28), et, secundum præceptum vestrum, tactis sacrosanctis Evangeliis, parati fuerunt abjurare absolute omnem carnalis copulæ consuetudinem, insuper et mutuam collocutionem, nisi sub testimonio personarum minime suspectarum, usque ad vestram dispensationem. Sed quia in litteris vestris continebatur ut in hac absolutione consilium prudentium sibi adhiberet domnus Albanensis episcopus, totum onus consilii voluit ex arbitrio pendere pontificum. Episcopi vero nescimus quid conjicientes, semper replicabant se debere esse hujus consilii comites et non duces. Quamvis quibusdam nostrum videretur quod prædicta absolutio ita posset, sicut prætaxata est, honeste fieri, et propter quorumdam simultates non satis rationabiliter impediri. Cum itaque res indefinita remaneret in medio, rex clamitans inculcabat se male esse tractatum, qui tamen per se et per nos adhuc pulsat ad aures paternitatis vestræ, ut secundum moderationem litterarum vestrarum, et verba quæ domno Galoni episcopo nostro injunxistis, causam ejus temperetis, ne contingat de eo illud Salomonis: *Qui multum emungit* [al., *emun-*

(*a*) Idem decreti lib. II, tit. *De alienatione et commutation. rer. Eccles.*; et Gratianus in cap. 12, q. 2, *An res Ecclesiæ*, etc.

gitur], *elicit sanguinem* (*Prov.* xxx). Dispensationis autem modus nulli unquam sapientum displicuit. Unde beatus Cyrillus ad Gennadium presbyterum (epist. 171) : « Sicut enim qui mare navigant, tempestate urgente, navique periclitante quædam exonerant, ut cætera salva permaneant, ita et nos cum non habemus salvandorum omnium negotiorum certitudinem, despicimus ex iis quædam, ne cunctorum patiamur dispendia. » Et qui hæc suggerendo dicimus non docendo, nostræ suggestionis summa est, ut imbecillitati hominis, amodo, quantum cum salute ejus potestis, condescendatis, et terram quæ ejus anathemate periclitatur, ab hoc periculo eruatis. De cætero sanctæ paternitati vestræ supplicando suggerimus, ut domnum Galonem coepiscopum nostrum (epist. 145 et 146), de Belvacensi episcopatu, quem propter sacramentum domini Ludovici habere non potest, per manum Senonensis archiepiscopi transferre jubeatis in Parisiensem episcopatum, quem ei gratanter et devote concedunt pro vestro amore rex et regis filius. Qualiter autem in eum cleri et plebis vota conveniant, dicet vobis præsentium portitor clericus Parisiensis Ecclesiæ canonicus, ut cognoscatis eum bene posse transferri, qui sedem propriam nulla ratione prævalet adipisci. Valete.

62 EPISTOLA CXLV.

Domno Manassæ *Remorum archiepiscopo*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, salutem et servitium.*

Quoniam ego Belvacensis Ecclesiæ filiæ vestræ genuinus filius paternitatem vestram quasi innata dilectione amplector, ut omnia vestra in charitate fiant ex evangelica et apostolica institutione, qua valeo sinceritate exhortor. Unde consulendo suggerimus, et suggerendo consulimus, ut rigorem justitiæ quem nunc tandem, cum res ad portum jam pene [*al.*, plene] pervenit, erga Belvacensem Ecclesiam nescio quo impellente intendistis, consultiori moderatione remittatis, donec pax quæ inter dominum regem, et domnum Gallonem Belvacensi Ecclesiæ consecratum (epist. 144), aut integre solidetur, aut penitus disrumpatur. Alioquin proretæ officium prohibere videbitur, ne navis procellis circumacta vel ad optatum portum applicare valeat, vel ad alium. Valete.

EPISTOLA CXLVI.

Daimberto, *Dei gratia Senonensi archiepiscopo*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, cum debita reverentia servitium.*

Notum facimus vestræ paternitati quod clerus et populus Parisiensis Ecclesiæ voto et voce domnum Galonem Belvacensi Ecclesiæ consecratum in episcopum elegerunt (epist. 144, 145 et 260), et ipsam electionem cum litterarum astipulatione missis ex clero idoneis personis prædicto episcopo præsentes [præsentantes, *ms.c.*] ut pastoralem prædictæ Ecclesiæ curam susciperet, humiliter et devote petierunt. Sed quia translationes episcoporum (epist. 288) necessitate urgente metropolitani auctoritate et summi pontificis dispensatione fieri oportet, nos quantum in nobis est eidem electioni assensum præbentes, paternitati vestræ suggerimus, quatenus eidem electioni astipulando, a domno papa postuletis ut prædictum episcopum per manum vestram transferri præcipiat, cum propriam sedem obtinere non valeat. Ita enim et vestrum ministerium honorificabitis [*al.*, honorabitis], et Ecclesiæ desolatæ solatium præbendo, eligentium et electi devotionem [*al.*, dilectionem ; *ita ms. c.*] vobis arctius astringetis. Et in hoc consilium vobis damus, ne, si alio exitu res proveniat, Ecclesiæ vestræ dignitas in aliquo minuatur, et mutua charitas non tam firmo vinculo colligetur. Valete.

EPISTOLA CXLVII.

Paschali *summo pontifici*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, debitam cum sinceritate obedientiam.*

Quoniam patres nostri antecessores vestri in multis negotiis aliqua severitati detraxerant (epist. 214 et 231], in quibus salus minime periclitabatur, ut majoribus malis amovendis operam darent, ea fiducia, flexis genibus cordis, majestati apostolicæ supplicamus, ut erga Ecclesiam Carnotensem misericordiæ viscera effundatis (epist. 126), et pacem diu turbatam, quæ bene olentem Ecclesiæ florem cum provectu bonorum fructuum concutit et discutit, eidem Ecclesiæ reformare studeatis. Ita enim hæc res ex vestro tantum pendet arbitrio ut ex verbis illius centurionis evangelici secure sanctitati vestræ dicere possimus : *Dic tantum verbo, et sanabitur puer meus* (*Luc.* vii). Jam enim tandem crebris persuasionibus publicis et privatis precibus, multa mora, multa lima ad hoc Carnotensium clericorum corda Deo donante inflexímus, quatenus apud paternitatem vestram fideliter intercedant, ut conditionarios (*a*) de familia Carnotensis comitis, qui de legitimo conjugio nati fuerint, et regios fiscalinos, pro quibus similis perturbatio fieri posset, de privilegio quod eidem Ecclesiæ fecistis, de non admittendis conditionariis, excipiatis (*b*), et in eumdem statum in quo erant ante privilegium, redire jubeatis [*al.*, permittatis]. Non enim hoc impedit sacramentum clericorum quod super hac re antea fecerant, quia cognoscunt, tam majores quam minores, et publice fatentur se sacramentum illud hac conditione fecisse, ut possent instituto suo et profutura adjicere, et nocitura excipere. Aliter quippe damna, scandala, perturbationes intus et foris, contentiones, iræ, rixæ, quæ omnia ista de causa orta sunt, et quotidie oriuntur (epist. 132); sedari non possunt. Hæc autem omnia Deo faciente cessabunt, si vigilantia vestra manentibus in sua stabilitate his qui in privilegio sunt, ea tantum quæ Ecclesia dispensari postulat, paterna

(*a*) Conditionarii alicui obligati, vetabantur admitti ad sacrum ordinem, cap. 7, dist. 34, et cap. 15, dist. 54.

(*b*) Ut etiam vulgo natis, epist. 126.

provisione dispensaverit;et ea quæ cohibenda sunt, apostolica censura cohibuerit. Hæc omnia in propria persona putavi me posse dicere sanctitati vestræ; sed a capite autumni ita me gravis vexavit infirmitas et debilitavit ut non tantum prolixum iter, sed nec breve adhuc valeam arripere. Unde misi vobis vice mea domnum Bernerium, monasterii Bonævallensis abbatem, boni testimonii virum, et Romanæ Ecclesiæ bene notum, qui et necessaria nostra vobis insinuet,et ea quæ ei commissimus a sanctitate vestra nobis reportet. Miserunt etiam canonici vice sua domnum Goselinum [*al.*, Guaslinum *vel* Gauslinum; *ita ms. c.*] presbyterum et concanonicum suum, qui commune votum concanonicorum suorum vobis sincera veritate denuntiet,et quod sanctitas vestra inde statuerit, eis renuntiet. Excusatos etiam volumus esse apud sanctitatem vestram decanum et cantorem a vobis invitatos, quos jam gravat ætas, et irruentium perturbationum [*al.*, perturbantium] importunitas. Valete.

EPISTOLA CLXVIII.

HILDEBERTO, *Dei gratia Cenomanensi episcopo*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, salutem.*

De viro illo qui prius per concubinatum cuidam adhæsit mulieri, postea vero cum eadem muliere infirmitate correpta pactum conjugale dato annulo iniit (epist. 16 et 155), hoc respondemus prudentiæ vestræ, quia ex majori parte conjugii sacramentum implevit, quod postea nisi adulterium intercessisset, lege divina et humana prohibente, solvi non potuit. Unde Augustinus in libro De bono conjugali: « Posse sane fieri nuptias ex male conjunctis, honesto postea **63** placito consequente, manifestum est. » Idem in eodem: « Solet quæri cum masculus et femina, nec ille maritus, nec illa uxor alterius, sibimet non filiorum procreandorum, sed pro incontinentia solius concubitus causa copulantur, ea fide media ut nec ille cum altera, nec illa cum altero id faciat, utrum sint nuptiæ vocandæ? Et potest quidem fortasse non absurde hoc appellari connubium, si usque ad mortem alicujus eorum id inter eos placuerit, et prolis generationem, quamvis non ea causa conjuncti sunt, non tamen vitaverunt, ut vel, nolint sibi nasci filios vel etiam opere aliquo mala agant, nascantur. » Ambrosius ad virginitatis exhortationem : « Desponsata viro conjugis nomen accepit. Cum enim initiatur conjugium, tunc conjugii nomen assumitur. Non enim defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis. Denique cum jungitur puella, conjugium est, non cum viri admistione cognoscitur (*a*).» Isidorus Etymologiarum lib. IX, cap. 7: « Conjuges verius appellantur a prima desponsationis fide, quamvis adhuc inter eos ignoretur conjugalis concubitus. » Item Nicolaus (epist. 243) Hincmaro [*al.* Hicmaro; *al.* Igmaro] episcopo : « Sufficiat secundum leges solus eorum consensus, quorum de conjunctionibus agitur. » Qui consensus, si solus in nuptiis forte defuerit, cætera omnia etiam cum ipso coitu frustrantur celebrata. Joanne Chrysostomo magno doctore testante, qui ait (hom. 16 *in Matth.*) : « Matrimonium non facit coitus, sed voluntas. » Hinc etiam habetur in libro Constitutionum (l fin. c. *De repud.*) : « Si quis sine dotalibus instrumentis, affectione maritali uxorem duxerit, non audeat sine causa legibus cognita repudium ei mittere. » Item in libris Novellarum (novel. 22 *De nuptiis*, §, *Nuptias* et § *Sic itaque*) : « Si quis, divinis tactis Scripturis, juraverit mulieri se eam legitimam uxorem habiturum, vel si in oratorio tale sacramentum dederit, sit illa legitima uxor, quamvis nulla dos, nulla scriptura, alia interposita sit. » Quod si propter patrata utrobique adulteria dicitur eos ultra non posse conjungi, consulatur Hieronymus ad Oceanum scribens (*supra*, epist. 23) : « Apud nos quod non licet feminis, æque non licet et viris, et eadem servitus pari conditione censetur. » Item : « Indignantur mariti, si audiant adulteros viros pendere similes adulteris feminis pœnas, cum tanto gravius eos puniri oportuerit, quanto magis ad eos pertinet et virtute vincere, et exemplo regere feminas. » Item (*supra*, epist. 125) : « Non erit turpis neque difficilis etiam post patrata atque purgata adulteria reconciliatio conjugum; ubi per claves regni cœlorum non dubitatur fieri remissio peccatorum, sed ut post viri divortium adultera revocetur, non ut post Christi consortium adultera non vocetur. » Idem super Osee : « Non est culpandus Osee propheta, si meretricem quam duxit, convertit [*al.* converterit; *infra*, epist. 188] ad pudicitiam, sed potius laudandus quod ex mala bonam fecerit. Non enim qui bonus permanet ipse polluitur, si societur malo; sed qui malus est in bonum vertitur, si boni exempla sectetur. » Ex quo intelligimus non prophetam perdidisse pudicitiam fornicariæ copulatum, sed fornicariam assumpsisse pudicitiam quam antea non habebat. Ex his igitur et similibus sententiis colligere potest vestra prudentia inter prætaxatas personas verum fuisse connubium, et si vir alteram duxerit, vel mulier alteri nupserit, manifestum esse adulterium; si vero ex consensu reconciliati fuerint, nullum esse flagitium. Valete.

EPISTOLA CXLIX.

GULIELMO [*al.* VILLELMO], *Dei gratia Rothomagensium archiepiscopo, et cæteris diœcesis Rothomagensis episcopis*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, salutem et debitæ charitatis obsequium.*

Gratias agimus justo et misericordi Deo, qui Ecclesiam suam delinquentem paterna severitate flagellat, et flagellis attritam misericorditer visitat (epist. 153, 154), ut tanquam pia mater panem consolationis tribuat lugenti, qui flagella prius juste

(*a*) Consensus solus perficit nuptias, vide epist. 46.

irrogaverat delinquenti : quod in Ecclesia Luxoviensi, nunc Deo propitiante, et vestra solertia cooperante provenisse cognovimus. Quorum consilio et auxilio eliminata est de prædicta Ecclesia spurcitia (*a*) puerorum, nova et inaudita neophytorum hæresi, cathedram episcopalem in eadem Ecclesia usurpantium. Quod quamvis ad tempus aliqua rationabili consideratione, vel aliqua pusillanimitate sit a vobis toleratum, nunc tamen est, quantum nobis videtur, in melius commutatum. Cum et ipsos flammigeros pueros de prædicta Ecclesia ejici feceritis (*b*), et virum strenuum et honestum, domnum videlicet Gulielmum Ebroicensem archidiaconum in pastorem prædictæ Ecclesiæ elegeritis. Unde multum liberalitati vestræ congratulamur, et charitati vestræ, si in hoc negotio parvitatis nostræ auxilium vel consilium foret opportunum, pro viribus paratum esse pollicemur. Valete.

EPISTOLA CL.

Domno et Patri suo Paschali *summo pontifici*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister*, *omnem pro sua possibilitate obedientiam.*

Post Idus Januarii paternitatis vestræ litteras accepi, commonefacientes me quatenus venirem ad concilium a sanctitate vestra celebrandum in Nonis Martii; a quo termino non restabant nisi septem hebdomadæ usque ad diem denominati concilii. Compensans itaque vires meas cum brevitate tanti articuli, sensi hoc opus a me nullo modo in tanta brevitate posse transigi, utpote cui non erat ad manum tanta pecunia de qua possem tanto itineri necessaria tam cito præparare; vel ea corporis sanitas, vel tam libera membrorum agilitas, quæ posset tam prolixum iter per vias arduas et ruinosas tanta velocitate perficere. Vera esse quæ dico testis est mea veritas et conscientia mea, qui duo testes non sunt producendi impune ad falsa testimonia; quorum etiam testimonio profiteor desiderantissime faciem vestram videre me velle, non in turba, neque in transitu, sed in ea tranquillitate in qua possem vestro dulciloquio aliquandiu familiariter frui, et æstus cordis mei in oculis vestris effundere, et de fonte sacri pectoris vestri ad refocillationem languentis animæ aliquid salutiferi potus in cor meum eliquare. Supportate igitur paterna discretione absentiam meam, donec Deus donet ut suo tempore exhibere possim conspectui vestro præsentiam meam. Valete.

64 EPISTOLA CLI.

Gaufrido (*c*), *Dei gratia Belvacensium episcopo*, Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, sibi et gregi sibi commisso salubriter providere.*

De quanta spe promissionum vestrarum ceciderim novi ego, noverunt et illi qui promissiones vestras mecum audierunt. Contra petitionem etenim meam et promissionem vestram, contra canonicam et apostolicam institutionem, contradicentibus majoribus et prudentioribus Ecclesiæ Beati Quintini (*d*) fratribus, Odonem olim fratrem, nunc vero hostem in prædicta Ecclesia, quod sine me fieri non poterat, confirmastis in abbatem. Hanc plantationem vestram poterit eradicare, qui non plantavit eam, Deus; fructum quippe primitiarum mearum, quantum in vobis est, in hoc mihi abstulistis, et vobis forsitan non satis utiliter providistis. Qui enim hoc consilium vobis dederunt, callide inter me et vos discidium [*sic vett. codd.; antea* dissidium] fieri voluerunt. Quod qua intentione factum sit, si modo non perpenditis, forsitan aliquando perpendetis. Hoc autem factum vestrum si ad præsens corrigere non vultis aut non valetis, saltem id quod mihi inter cætera promisistis, ornamenta quæ prædictæ Ecclesiæ commendavi [commodavi, *ms.c.*], mihi facite restitui, et in cella fratris Gunherii (*e*) custodiri, donec suo tempore cogitem quid inde velim facere. Interim autem, ubicumque sint qui prædictum invasorem non recipiunt, nihil grave, nihil intolerabile [*al.* intolerandum] super eos faciatis, vel fieri permittatis, quoniam sentientes se esse prægravatos per me et per se sedem apostolicam appellant; in cujus redundabit injuriam, si quis eis amodo aliquam intulerit violentiam. Valete.

EPISTOLA CLII.

Leodegario *venerabili Bituricensium archiepiscopo,* Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, salutem et servitium.*

Quoniam speculatores domui Israel positi sumus (*Ezech.* III), in alto positi magis a circumstantibus et longe positis inspicimur et discutimur, quam si in loco humili positi nostræ tantum saluti et privatis utilitatibus nostris sollicitudinem nostram impendere studeremus. Unde oportet ut in omnibus dispensationibus nostris simpliciter incedamus, et scandala fratrum præ cæteris cavere procuremus. Si enim sicut Apostolus monet, *bonum* nos habere oportet *testimonium ab his qui foris sunt* (*I Tim.* III), quanto magis ab his qui domesticam conversationem nostram sciunt, et quibus voluerint revelare pudenda nostra magis quam velare, in aliquo a nobis offensi parati sunt? Quod ideo dilectioni vestræ commemoro, ut injurias domni Hugonis Maidunensis, sicut ipse dicit, hactenus neglectas, zelo dilectionis paternæ attendatis, et quod verbo vel lingua corrigi non potest, severitatis baculo feriatis. Nec enim decet honestatem vestram esse oblitam qualiter vobis (sicut ipse commemorat) in omnibus necessitati-

(*a*) Stercora vocat epist. 153; ne autem neophyti episcopi fiant, vide can. sub dist. 48.

(*b*) Vide epist. 157, ubi de Ranulfo Flammardo agitur.

(*c*) In ora unius v. c. S. Vict. additur hoc loco manu prisci librarii; pejori lupo. Jam autem epist. 54, mentio fit subdecani cui cognomen erat pejor lupo.

(*d*) Belvacensis scilicet, ut notatur in vet. cod.

(*e*) *al.* Gonherii; fortasse ille est ad quem scribit epist. 228.

bus vestris adjutor et propugnator astiterit, qualiter de incommodis vestris sicut de suis doluerit, ne ingratum fuisse beneficiis ejus vobis forsitan sit incommodum, et aliis in exemplum. Charitate itaque suadente, excellentiam vestram moneo, ut quod hactenus erga nobilem virum minus sollicite fecistis, de cætero diligentius implere studeatis, ne si ad majorem audientiam clamor ejus pervenerit, et famæ vestræ incurratis dispendium, et rerum vestrarum non sine corporis vestri vexatione detrimentum. Valete.

EPISTOLA CLIII.

Gulielmo [al. Vuillelmo], *Dei gratia Rothomagensium archiepiscopo, et Gilberto* [al. Gisleberto, ita ms. c.] *Ebroicensium episcopo,* Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, abundare spiritu consilii et fortitudinis.*

Quoniam pro domo Dei stare, et murum pro domo Israel ponere cœpistis, sollicitudini vestræ summopere cavendum est, ut sartago quæ fervere cœpit, ferrea fortitudine nullis ignibus cedat, sed zelus domus Dei et amor decoris ejus de die in diem in mentibus vestris et vehementius exardescat. Quod ideo sanctitati vestræ commemoro, ut quod de Luxoviensi Ecclesia bene incœpistis, meliore exitu terminare studeatis, ut caudam hostiæ cum capite immoletis (*Levit.* III). Audivimus enim et dolemus, quod stercora quæ de prædicta Dei domo vestro fuerant labore emundata, multiplicato nequam spirituum numero in eamdem sint reportata, et ipsa domus graviori errore quam prius infecta. Quam domus Dei injuriam si non, ut decet, animadverteritis, si non pro persona quam portatis correxeritis, certum nobis est quia cum iste fedus et fetidus rumor apostolicas aures vel nostra vel aliena relatione percusserit, nec præterita neglecta remittentur, et hæc graviter exigentur. Ideo, dum tempus est, præmonemus dilectionem vestram, ut suo tempore libera fronte possimus famam vestram excusare, et apostolicas aures opportune pro vobis et importune pulsare. Cum enim, in ipsa infantia mundi, in Lamech carnalis bigamia sit culpata, quomodo poterit in sponsa Christi quæ est Ecclesia, laudari (epist. 154), quæ et sacramento et in veritate sacramenti uni debet viro desponsari? Eliminetur ergo de Luxoviensi Ecclesia Ranulfus [*al.* Rannulfus, epist. 154] Dunelmensis episcopus, ut bigamia non admittatur, eliminentur pueri ejus, ut neophytorum hæresis exstirpetur. Non ignorantibus legem loquimur, sed charitate vos monemus ut vestræ consulatis honestati et Ecclesiæ utilitati. Valete.

EPISTOLA CLIV.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ humilis minister,* Roberto *comiti Mellentino, per viam vitæ incedere et ab ea non recedere.*

Quoniam ad ovile nobis commissum pertinere te credimus, licet lætis pascuis abundes, nostrum tamen est aliquod sacræ admonitionis tibi pabulum ministrare, et adversus lupos invisibiles tuam dile-

A ctionem præmunire. Cum enim gratiam inveneris in conspectu regis Anglorum, testantur multæ ecclesiasticæ personæ quod plus ei placere studeas quam Regi angelorum. Non [*al.* nec] tamen culpamus ei placere in his quæ Deo non displicent, sed si quid molitur regia potestas adversus Dominum et Christum ejus, et **65** Ecclesiam ejus, in mente habere debes quia Christi sanguine redemptus es, quia legibus Christi initiatus, per sacramenta Ecclesiæ regeneratus [renatus, *ms. c.*] es, et illius es liber qui pro te se servum fecit, ut libertas tua nihil se debere intelligat alicui, quo divinam offendat majestatem et Ecclesiæ minuat libertatem. Quod ideo suademus nobilitati tuæ, ut prædictum regem sanis consiliis informes, et leges
B ecclesiasticas a sanctis Patribus traditas et a catholicis regibus confirmatas in nullo conturbes. Quæ enim ratio, quæ lex permittit, ut Rannulfus Dunelmensis episcopus de Ecclesia alterius regni ad aliam Ecclesiam transeat (epist. 153, 157, et 185), et velut quadam mœchatione præsentiæ suæ [vestræ, *ms. c.*], vel filiorum suorum occupatione, Luxoviensem Ecclesiam per violentiam Anglici regis invadat? Quod facere vel tolerare, et contra legem est, et contra regem, quia non est hoc populo regimen præbere, sed discrimen augere. Quantum ergo ex tua sententia pendet ejus consilium, suade ei, ut Ecclesiam Dei, quantum in se est, liberet, nec de peccatis alienis sua multiplicet. Unde illi qui de adventu ejus ad has partes bona senserunt [*al.* severunt] et bona prædixe-
C runt, velint nolint, mutent serenitatem laudis in nubilum vituperationis. Non enim ad hoc instituuntur reges, ut leges frangant; sed distortores legum gladio, si aliter corrigi non possunt, feriant. Vale.

EPISTOLA CLV.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister,* Odoni *Aurelianensi archidiacono, salutem.*

In litteris tuis sciscitata est fraternitas tua utrum mulier prægnans de fornicatione, possit legitime nubere (epist. 107 et 147), ad quod principaliter ex sententia facile responderi non potest; sed quid in hujusmodi observandum sit, ex similibus ratiocinando ab his qui non plus sapiunt quam oportet, colligi potest. Qua in re ex ratione qua præditus es
D considerare te oportet, quia alia est medicina quæ congruit sanis ad conservandam sanitatem, alia quæ debetur ægrotis ad recuperandam sospitatem, quid secundum imperium præcipiatur sanis, quid secundum indulgentiam concedatur infirmis. Secundum imperium quidem naturale et institutum nulla mulier sive ex flagitio, sive ex matrimonio prægnans ante ablactationem sui partus debet viro carnaliter commisceri, sine qui [quibus, *ms. c.*] non complentur jura matrimonii. Si autem moderationem apostolicam attendamus, qua dicitur: *Unusquisque vir habeat uxorem suam propter fornicationem, et unaquæque mulier suum virum* (*I Cor.* VII), non excipiemus viduam, non excipiemus prægnantem, non

excipiemus fornicariam, non excipiemus incestuosam, tantum ut [ut *ab. abest aliq. v. c.*] in Domino sit, id est ut ipsum per se conjugium non sit flagitiosum aut facinorosum. Nec inde culpandus est vir, qui fornicariam duxit, sed inde laudandus quod impudicam castam fecit. Unde Hieronymus super Osee lib. I (*a*). « Non est culpandus Osee propheta, si meretricem quam duxit, ad pudicitiam converterit : sed potius laudandus quod ex mala bonam fecerit. Non enim qui bonus permanet, polluitur si societur malo ; sed qui malus est in bonum vertitur, si boni exempla sectetur. » Ex quo intelligimus non prophetam perdidisse pudicitiam fornicariæ copulatum, sed fornicariam assumpsisse pudicitiam quam antea non habebat. Quod si causantur viri mulieres suas ante conjugium fuisse fornicatas, attendant et ipsi forsitan se incidisse in crimen fornicationis vel adulterii. Quod ergo vult sibi a muliere indulgeri, cur non et ipse mulieri indulgebit [*al.* indulgeat]? Unde Hieronymus ad Oceanum de morte Fabiolæ (in cap. 20, cau. 22, q. 5) : « Apud nos quod non licet feminis, æque non licet viris ; eadem enim servitus pari conditione tenetur. » Item Augustinus De adulterinis conjugiis (cap.8, caus. 22, q. 1) : « Non erit turpis neque difficilis et post parata atque purgata adulteria remissio peccatorum, non ut post viri divortium adultera revocetur, sed ut post Christi consortium adultera non vocetur. » Si ergo hoc fieri licet, de ea quæ fœdus conjugale violavit, cur non fieri magis liceat de ea quæ in fœdus matrimonii quod nondum inierat nihil deliquit? Attendant etiam viri hujusmodi calumnias inferentes, quod dicit Augustinus in libro De verbis Domini (serm. 46 ; et in cap. 2, caus. 32, q. 6). « Si ducturi estis uxores, servate vos uxoribus vestris : quales vultis eas ad vos venire tales debent vos et ipsæ invenire. Quis juvenis est, qui non velit ducere castam uxorem? et si virginem ducturus est, quis non intactam desideret? Intactum quæris? intactus esto. Puram quæris? noli esse impurus. Non enim illa potest, et tu non potes. » Ex his ergo et similibus intelligi et probari potest quia si alligatus non esses uxori, posses deliberare; sed postquam ex pari consensu alligatus es uxori, non debes quærere solutionem. Ita enim ab ipsa mundi creatione naturale [*al.* origine ; *ita ms. c. vel* conditione] et inviolabile manet conjugii sacramentum, ut nec prævaricatio originalis illud abstulerit, nec diluvii sententia crimina diluens immutaverit. Quod ergo divina sententia sanxit, et immutabile fieri voluit, non debet humano interdicto disjungi, nisi fuerit absque contrahentium factum consensu, aut per se criminosum, id est adulterinum, aut [vel] incestuosum. Quod cum evenerit, non est differendum, sed separatione sanandum. Ubi vero ista defuerint, sive sint raptores, sive excommunicati, sive quolibet alio vitio conjuges infecti, tamen hæc omnia toleranda sunt pro

(*a*) Refertur in cap. 14, caus. 32, q. 1.

A conservanda fide conjugii. Quis enim in circumcisione vel in præputio coactus est a prædicatoribus Novi Testamenti uxorem quam habuit ante baptismum, dimittere post baptismum? Nec tamen dico quod contra interdicta copulanda sint conjugia; sed si copulata sunt, propter has causas non esse disjungenda. Qui autem contra interdicta talia conjugia contraxerint, vel presbyteri qui ea consecraverint, pro inobedientia sua digna satisfactione ad arbitrium judicis sui corrigantur, ut cæteri a tali temeritate compescantur : conjugia vero nisi causa legibus cognita minime solvantur. Sicut enim sacramentum ordinationis, quamvis ab ordinatoribus ordinationem illicite usurpantibus semel acceptum, manet in ordinatis, sic sacramentum conjugii, quamvis ab inobedientibus presbyteris impositum, manet in conjugatis, quia virtutem sacramentorum cassare non possunt prava merita usurpatorum. Semper ergo sanctitas eorum est honoranda, usurpantium vero perversitas punienda. Sic thuribula Core, quia eis ante Deum ministratum est, jubente Deo altari apposita sunt ; factores vero ejus igne consumpti sunt (*Num.* XVI). Prolixitatem vitans epistolæ non fui ausus plura inserere paginæ, **66** quia nolui fraternitatem tuam rerum tibi bene notarum multitudine onerare. Potes tamen ex his paucis intelligere quid de prætaxatis sentiam, et quid aliis ad hæc interrogata respondeam. Vale.

EPISTOLA CLVI.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister, dilecto sibi in Christo fratri* OLRICO [*al.*, ALRICO] *salutem.*

In litteris tuis continentur facinorosum quemdam cujusdam vicini sui domum succendisse, et ideo, cum satisfacere nollet, a presbytero suo excommunicatum fuisse. Qui postea cum vellet absolvi, secreto crimen suum [*al.* secrete factum suum] confessus est presbytero suo, cum nihil restituere vellet de re perdita proximo suo. Quærit ergo fraternitas tua quid mihi faciendum presbytero ejus excommunicatori videatur, cum ipse excommunicatus ecclesiam ingrediatur, utrum sit a communione publice repellendus, an aliqua dissimulatione tolerandus. Quo in negotio quædam sententiæ sibi repugnare videntur, nisi solerti discretionis [*al.* nisi sollicitæ disc.] libratione pensentur. Primo quia presbyter precantem absolvere non potest, nisi pœnitentem, secundum quod beatus Augustinus scribit ad Armentarium et Paulinam (epist. 54, ad Macedon. et in c. *Si res*, caus. 14, q. 6). « Si res propter quam peccatum est, cum reddi potest, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum, si tamen, ut dixi, restitui potest. » Sunt et aliæ canonicæ sententiæ (c. *Excommunicatos*. caus. 11, q. 3), sicut ipse nosti, quæ cum excommunicatis orare (*II Cor.* VI), vel cibum sumere, vel

eis ave dicere (*II Joan.* I), terribiliter contradicunt. A Sun. et aliæ quæ confitentium secreta publicare non permittunt. Unde habetur in concilio Agathensi, capitulo 8 : « Si tantum episcopus alieni se sceleris [*al.* alicujus se sceleris] conscium novit, quandiu probare non potest nihil proferat, sed cum reo ad compunctionem cordis, secretis correptionibus elaboret. Qui si correptus pertinacior fuerit, et communioni publicæ se ingesserit, ille quamdiu probari nihil potest in communione omnium, præterquam illius qui eum [*al.* tam omnium quam illius qui eum.] reum judicat, permaneat. » In conclusione hujus sententiæ, solus excommunicator rei, a communione ejus quem excommunicavit, excipi non præcipitur, sed excipiendo permittitur abstinere, quia exceptiones non solent esse regulæ, sed permissiones. B Est et alia sententia, quæ non tantum secretam confessionem publicandam vetat, sed etiam publicanti pœnam [*al.* publicam pœnam.] irrogat. Continetur enim in concilio Carthaginensi cap. 7, cui interfuit Faustinus [*al.* Fautinus, in cap. 3. caus. 6, q. 2.] Romanæ Ecclesiæ legatus : « Placuit ut si quando dicit episcopus aliquem sibi soli proprium crimen fuisse confessum, atque ille neget, non putet episcopus ad suam injuriam pertinere quod sibi soli non creditur, et si scrupulo propriæ conscientiæ dicit se ei nolle communicare, quandiu excommunicato non communicaverit suus episcopus, eidem episcopo ab aliis non communicetur episcopis, ut magis caveat episcopus, ne dicat in quemquam quod aliis documentis convincere non potest. » Unde Augustinus ad Vincentium C (epist. 48, in cap. 10, *Quam magnum*, caus. 23, q. 4) : « Facta nocentium quæ innocentibus demonstrari, vel ab innocentibus credi non possunt, non inquinant quemquam, si propter innocentes etiam cognita sustinentur ; non enim propter malos deserendi sunt boni, sed propter bonos tolerandi sunt mali, sicut toleraverunt prophetæ, contra quos tanta dicebant, nec communionem sacramentorum illius populi relinquebant, sicut ipse Dominus nocentem Judam usque ad condignum ejus exitium toleravit, et eum sacram cœnam cum innocentibus communicare permisit, sicut toleraverunt apostoli eos qui per invidiam, quod ipsius diaboli vitium est [*al.* quod ipsius diaboli merum est], Christum annuntiabant. » Ne istæ ergo sen- D tentiæ dissonare videantur, sic modificandæ sunt, ut quæ de vitanda malorum communione loquuntur, de illis tantum nocentibus intelligantur, quorum facinora aut ita nota sunt ut probatione non egeant, aut quæ confessione evidenti manifesta sunt, aut judiciario ordine publicata, aut sufficientibus testimoniis comprobata. Unde etiam Augustinus De unico baptismo lib. II : « Sane si judex es, si judicandi potestatem accepisti ex ecclesiastica regula [*al.* ex evang. regula; *al.* ex apostolica reg.] si apud te reus accusatur ; si veris documentis testibusque convincitur, coerce, corripe, excommunica. » Idem in sermone De verbis Evangelii (c. 8. caus. 23. q. 4). « A malis corde semper disjungimini, ad tempus caute corpore copulamini. » Idem de eodem (serm. 18, *De ver. Domini*) : « Recedite, exite inde, et immundum ne tetigeritis ; sed contactu cordis non corporis ; displicuit tibi quod quis [quisque, *ms. c*,] peccavit, non tetigisti immundum, redarguisti, corripuisti, monuisti, adhibuisti etiam, si res exegit, congruam, et quæ unitatem non violet, disciplinam, existi inde. » Possemus in hunc modum plura [*al.* multa] colligere, sed ex iis et similibus intelligere potest dilectio tua, quia peccantem peccata sua secreto confitentem non debemus a nostra communione corporaliter separare, nec contactu cordis ejus pravitati communicare. Hoc tenore utramque sententiam servabimus, et illam qua præcipimur excommunicatis non communicare, et illam qua jubemur confitentium crimina non propalare. Debent tamen presbyteri, non designatis personis, plebibus prædicare, taliter excommunicatos ante tribunal Judicis cuncta cernentis esse damnatos, qui contra præceptum Dei proximo nocuerunt et rem ejus insatiabili cupiditate in suos usus transtulerunt, aut diabolica malignitate de medio abstulerunt. Sic Dominus discipulis dicens : *Unus ex vobis diabolus est* (*Joan.* VI), non designata persona, Judam et excommunicatum prædicabat, et tamen eum a communione sua suorumque minime sequestrabat. Cum igitur vita Domini Jesu disciplina sit morum, *perfectus erit* quisque dicente Domino, *si sit, sicut magister ejus* (*Luc.* VI). Hæc de proposita quæstione sentio, sic ista quærentibus ex ratione et auctoritate respondeo. Vale.

EPISTOLA CLVII.

PASCHALI *summo pontifici*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, debitum cum omni subjectione famulatum.*

Cum status Ecclesiæ pene ubique terrarum ruinas lamentabiles patiatur, quisque dilector domus Dei, deshonestationes ejusdem domus quanto vicinius sentit, tanto uberius plangit, quoniam et ignis viciniora comburit. Quod idcirco majestati vestræ prælibavimus, quoniam cum in aliis locis unusquisque domus Dei prostitutor malitiam suam aliquo velamine tegere moliatur, in terra Northmannorum ita manifeste prostituta est Ecclesia ut de ea illud propheticum dici possit : *Peccatum suum sicut Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt* (*Isa.* III). Quod in Ecclesia Luxoviensi paternitas vestra poterit agnoscere, quam jam per plures annos Rannulfus **67** agnomine (*al.* cognomine) Flammardus, Dunelmensis episcopus inaudito invasionis genere occupavit (*a*), qui duos filios suos vix duodennes accepto pastorali baculo a comite Northmannorum prædictæ Ecclesiæ intrudi fecit, ea conditione ut si primogenitus moreretur, Judaico more in episcopatum alter alteri subrogaretur

(*a*) Hujus meminit ep. 153 et 154, in qua hos pueros vocat flammigeros.

[*Gratian*, caus. 8, q. 1]. Quod cum partim dolentibus partim deridentibus plurimis diu perpessa esset Ecclesia, monitu quorumdam religiosorum graviter redargui solo charitatis intuitu Rothomagensem archiepiscopum, ad cujus diœcesim pertinet prætaxata Ecclesia (epist. 149 et 153), quod ex adverso non staret, quod pro domo Israel murum non opponeret. Hoc idem feci aliis episcopis ejusdem metropolitani suffraganeis. Tandem cum comes terræ illius periculo amittendi principatus sui urgeretur, quasi pœnitentia ductus, monente Ebroicensi episcopo cum metropolitano suo, præcepit ut prædictus Dunelmensis episcopus de Ecclesia cum sua sobole ejiceretur et episcopus ibi canonice eligeretur. Oblatum est igitur prædictæ Ecclesiæ, ut secundum morem ecclesiasticum episcopum sibi eligerent; qui communicato cum episcopis consilio elegerunt virum strenuum Gulielmum Ebroicensem archidiaconum, quem etiam a metropolitano suo postulaverunt sibi ordinari episcopum. Sed cum subauditum esset quod metropolitanus ab officio episcopali suspensus esset, prædictus archidiaconus, qui familiaris meus erat, et nihil adversus canones sciens præsumere volebat, ad me veniens mecum deliberavit, utrum cum hoc scrupulo posset a metropolitano suo sacram ordinationem suscipere, vel a suffraganeis quibus auctoritas metropolitana solet ista præcipere. In qua deliberatione cum mihi occurreret illud apostoli : *Omne quod non est ex fide, peccatum est* (*Rom.* XIV) ; et illud Augustini : « Quia consecratio magis constat in fide, et devotione benedictionem poscentis, quam in merito benedictionem dantis » prædicto fratri consilium dedi (epist. 73), ut tantum sacramentum nulla cum disceptatione susciperet, sed apostolicam sedem aut per se, aut per legatos suos consuleret, et rem, quantum nobis videbatur, bene inceptam auctoritate apostolica perficeret. Videns itaque Dunelmensis episcopus consecrationem differri, aliud tergiversationis genus arripuit, et prædictum episcopatum cuidam clerico suo a comite Northmannorum datum esse asseruit. Unde ille clericus ad sedem metropolitanam vocatus est, ut proferret si quid juris se habere in episcopatu confideret ; quia nulla ratione potuit asserere, quod electionem cleri aut consensum plebis habuisset, aut etiam donum comitis, quod plus obesse quam prodesse debuerat, accepisset. Consilio itaque nostro et quorumdam comprovincialium suorum majestatis vestræ præsentiam adiit, accepturus aut justum pro ratione judicium, aut necessarium pro dispensatione consilium. Ausu igitur familiaritatis filialis suggero sanctitati vestræ, quatenus apud majestatem vestram gaudeat se invenisse paternum suffragium, quæ nulli consuevit ad se confugienti denegare medicinale remedium. Vale.

EPISTOLA CLVIII.

HUGONI, *Dei gratia Lugdunensis Ecclesiæ primæ sedis episcopo*, Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, salutem et servitium.*

Quia Deo annuente sategimus cum rege Francorum, et filio ejus rege designato, ut jam displiceat eis incestum conjugium, quod est inter Constantiam filiam prædicti regis et comitem Trecassinum, fulti, auctoritate legum et adjutorio bonorum, cupiunt hujus conjugii maturare divortium. Dum ergo hæc voluntas ita fervens est [*quidam codd.* ita recens est], eorum instinctu moneo et rogo paternitatem vestram, ut commonitorias litteras mittatis archiepiscopis et episcopis ad curiam quæ habenda est in Natale Domini Suessionis, quatenus a rege ipso audiant computationem genealogiæ (*a*), quam ipse, sicut dicit, paratus est jurejurando approbare, et idoneis testibus confirmare. Et quia hæc genealogia ab Avernensibus multoties est vobis computata, obnixe precantur, ut eamdem computationem litteris aperte signatis per præsentium portitorem episcopis ad curiam transmittatis, et rei veritatem litterarum testimonio manifestiorem faciatis. Nec enim decens est ut tantæ nobilitatis sanguis tam publico incestu [*al.* incesto] diutius polluatur, et ad similem incestum perpetrandum ferali exemplo carnalium voluntas animetur. Consulo itaque ut filius et familiaris, ut qui importune instare deberetis [*al.* debetis], nunc opportune, quantum in vobis est, malagma vulneri superponere minime differatis. Valete.

EPISTOLA CLIX.

PASCHALI *summo pontifici*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, per mare hujus mundi prospere navigare, et post superata naufragia navem in tuto collocare.*

Quoniam judicia Romanæ Ecclesiæ a nemine foris retractari posse, eadem Romana Ecclesia docente didicimus (c. *Patet ;* c. *Nemo ;* c. *Ipsi ;* c. *Cuncta ;* caus. 9, q. 3), si qui aliquando se prægravatos ipsius Ecclesiæ auctoritate conqueruntur, hoc eis consilium damus, ut non descendant in Ægyptum propter auxilium, sed ab ipsa ad ipsam confugiant, et inde expetant levamen, unde se conqueruntur accepisse gravamen, quia quæ aliquando corripit paterna severitate, eadem frequenter colligit materna pietate. Quod ideo prælibavimus beatitudini vestræ, ut causam Fossatensium monachorum patienter audiatis, et quantum salva apostolica reverentia fieri potest, anxietatem eorum misericorditer relevetis. Conqueruntur enim se in concilio Turonensi fuisse prægravatos quoniam ad suggestionem comitis Andegavensis dicunt fuisse subreptum domno papæ Urbano monasterium Sancti Mauri, situm in patria Andegavensi, quod sub jure Fossatensis monasterii antea per trecentos aut eo amplius annos exstiterat, de ejusdem monasterii jure auferret, et ordinato ibi abbate liberum esse constitueret. Quod et factum est Fossatensibus monachis jus suum reclamantibus, et multis qui concilio intererant, aliter sentienti-

(*a*) Ita v. c. ut etiam paulo post, male, antea, *copulationem gen.*

bus,cum viderent privilegium quo nitebantur Fossatenses monachi de manibus **68** eorum ab Andegavensibus fuisse ereptum, et in plures partes fuisse conscissum. Adhibitis ergo multorum intercessionibus supplicant prædicti monachi,ut eorum negotium a majestate vestra legitima discussione retractetur, et vel misericordia flectente, vel justitia dictante terminetur. Vale.

EPISTOLA CLX.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister* O. [ODONI] *Gemetensis* [in aliquot v. c. *Gemeticensis*] *monasterii abbati, paternæ dilectionis visceribus abundare.*

Hæc ovis gregis vobis commissi derelicto grege suo luporum morsibus patens miserabiliter per hujus mundi deserta vagatur,et multa ex ejusdem mundi conversatione bella perpetitur,in tantum ut pene usque ad contemptum sui ordinis et monastici habitus venire cogatur.Hæc itaque jam panem desiderans filiorum,sicut voto,sic voce dicit:*Vadam ad Patrem* meum (*Luc.* XV), sed clausa se dicit invenisse paterna viscera, ut nec inter filios recipi possit, nec inter mercenarios. Novit autem fraternitas vestra,quia quicunque pastoris nomen habet, imitando summum pastorem, pastoris officium implere debet, qui oves quæsivit errantes, invenit perditas,curavit languidas,sanavit morbidas, lætatur de conversis, qui dolere nos admonet de aversis. Non equidem ista dicendo vos docemus, sed commemorando per ipsa viscera charitatis, quibus nos invicem diligere debemus,vos monemus et rogamus, ut hunc fratrem revertentem (epist. 57), de longinqua regione dissimilitudinis paterne suscipiatis,et cum satisfactione quæ ejus excessibus debetur,intra ovile a quo aberraverat colligatis.Vale,

EPISTOLA CLXI.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister*, RADULFO *Remensis Ecclesiæ præposito, et* ODOLRICO *bonæ spei fratri, salutem.*

De viro qui cum muliere, cujus nuptiæ interdictæ non erant, pactum iniit conjugale postea vero ad alterius nuptias transiit (epist. 167), hoc sentio, quia sacramentum nuptiarum, quod cum perjurio et pacti conjugalis violatione usurpatum est, aut esse irritum aut manere ad judicium. Si irritum est, ad prius pactum constat esse redeundum; si autem manet ad judicium, cessare debent opera nuptiarum. Quod si neutrum fecerit, semper juris pervasor erit alieni. Qui enim juramento pactum conjugale firmavit, ex majori parte sacramentum conjugale implevit. Unde et beatam Domini matrem,quæ cum sancto Joseph pactum conjugale inierat, angelus conjugem Joseph appellat : *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam* (*Matth.* I); quam nondum traduxerat, nec aliquando carnali commistione cogniturus erat. Super qua re multa Patrum dedimus testimonia in epistola

A Hildeberto Cenomanensi episcopo missa (epist. 148). Est autem canonica sententia quia « quod contra leges præsumitur, per leges dissolvi meretur, » veluti si quis contra decreta sacerdotii sacramentum sibi usurpet, aut est omnino per leges deponendus,aut a ministerio altaris suspendendus. Quibus auctoritatibus et rationibus liquet quia non debet præponderare quod illicite et cum injuria proximi præsumptum est, sed id quod legitime et honeste consensu contrahentium prius confœderatum est, quamvis si alterum præponderaret, cum utrobique crimen sit, periculose tamen secundum Scripturas, illa admittitur compensatio, quæ crimen crimine defendit (S. August. in cap. *Quod ait*, dist. 14). Nec enim in Scriptura sacra laudatur,

B quod Lot voluit Sodomitis filias suas prostituere (*Gen.* XIX), ut ea compensatione compescerentur a sua turpitudine. Si ergo aliqua compensatio in talibus admittenda est, ea est præferenda quæ justa severitate saluti proximorum consulit, non ea quæ simulata indulgentia latiorem viam ad patranda perjuria,ad committenda scelera lubricis pandit (*a*). Tutius enim est unius juris alieni pervasoris voluntati non parcere quam multos falsæ misericordiæ exemplo in discrimen adducere. Præterea de sacramentis minoribus ad majora nisi ordinabiliter transiri non oportet, quia desponsata alteri, alteri nubere non debet; sicut conjugatus nisi a conjugio solutus, consecrari presbyter, aut monachus ordinari non potest; et in hunc modum plurima. Vale.

C

EPISTOLA CLXII.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister*, JOANNI *eadem gratia Aurelianensi episcopo, salutem.*

De presbytero qui in statua feminea sacramenta ecclesiastica profanavit, breviter respondeo, quia ut sacrilegus et idololatra judicandus est. Quam si tractare vultis secundum censuram canonicam, oportet ut adhibitis vobis aliis quinque episcopis, publice detractis sacerdotalibus indumentis per singulos eum gradus deponatis (*b*), et depositum perpetuo carcere damnetis, aut in æternum exsilium detrudatis. Quod si id facere vobis fuerit difficile, tamen ab omni honore clericali eum suspendite, et cætera quæ supra dicta sunt ad cæterorum correptionem [*al.* correctionem] in persona

D ejus perficite. Quod vero merito sacrilegii sui deponendus sit, testatur decretalis sententia, qua dicitur (*c*) : « Privilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur potestate. » Quod vero a conspectu eorum qui scelus ejus cognoverunt removendus sit, ne fœda facti memoria simplicium mentes perturbet,hinc probari potest : quod pecus innocens quod a bestialibus hominibus ascendebatur, secundum legem (*Lev.* XIX) occidi jubebatur (August., q. 74, ad c. XX *Levit.*), non propter crimen subacti pecoris, sed propter abolendam

(*a*) Epist. 135 et epist. 170. Item c. *Disciplina*, et c. *Sunt namque*, dist. 45.

(*b*) Vide cap. 27, *Novimns extra*, De ver. signif.

(*c*) Al. *quæ dicit*, cau. *Posteaquam*, cap. 25, q. 2, et c. ubi ista 8, dist. 74.

memoriam tuam exsecrabilis fœditatis. Quanto magis ergo ab oculis consciorum removendus est quem nulla defendit innocentia, nulla excusat ignorantia. Ut ergo ad summam veniam, hoc inauditum sacrilegium prudentia vestra tanta severitate coerceat ut omnes qui audierint, a tam exsecrabili abusione removeat. Sicut enim crimen est inauditum, sic, si necesse sit, inaudita pœna est corrigendum, quia, secundum beatum Augustinum, nova genera morborum cogunt nos invenire nova genera curationum (epist. 288). Vale.

EPISTOLA CLXIII.

Ivo, *Dei gratia Ecclesiæ Carnotensis minister*, GAUFRIDO *Vindocinensis monasterii abbati, in omnibus libram tenere justitiæ.*

De monacho illo quem juramento constrinxisti, ne ultra illam administraret **69** obedientiam quam aliquandiu sibi usurpaverit per inobedientiam, consilium meum est ut ulterius eam non habeat, quod et illi esset criminosum et cæteris fratribus ruinosum. Cum enim juramentum comites habeat justitiam et veritatem (*Jer.* IV), si justum fuit, quamvis contra ordinem præsumptum quod juravit (ex S. Hieronymo, epist. 105), oportet ut si et verum. Testatur enim Apostolus juramentum rem esse immobilem (*Hebr.* VI), per quod dicit Deum hæredibus Novi Testamenti immobilitatem sui pronuntiasse consilii. Præterea ad propriam redundaret infamiam, si palliata obedientia perjuranti tuam adhiberes conniventiam. Plura de his dicere possemus, quæ silentio præterimus, quia ignota tibi esse non credimus. Vale.

EPISTOLA CLXIV.

Ivo, *Dei gratia Ecclesiæ Carnotensis minister*, GAUFRIDO *sanctæ solitudinis cultori, irretortis oculis in anteriora se extendere.*

Quam delectabilis, quam necessaria servis Dei sit quies mentis cum quiete corporis, credo, tam scientia quam experientia, didicit sancta fraternitas tua. Aliter enim mens discurrentium rumusculis et dissidentium obtrectationibus patens, perturbatas aut saucias habet orationes, nec se potest quantocunque suo conamine in unitatem colligere, donec Dominus in navis dormiens tantis fluctibus circumacta intenso clamore suscitetur, quo increpante redeat desiderata tranquillitas (*Marc.* IV). Unde oportet ut sancta fraternitas tua ab auditu auris et ab auditu cordis verba eorum repellat, qui sub specie diligentium et consulentium virus infundunt decipientium et perimentium. Quod ideo prælibavi fraternitati tuæ, quia nuper oblatæ sunt mihi a quibusdam monachis Blesensibus quædam litteræ a te Mauricio abbati directæ, quas vix possum credere a te fuisse dictatas, cum non tranquillo spiritu, sed perturbato dictatæ esse videantur, et quasi ferro excusso de manubrio indiscretis ictibus, non lignum cædere, sed fratrem occidere (*Deut.* XV). Videntur etiam non nihil redolere vanitatis et ambitionis, quasi cum amore relictam abbatiam tenueris, et cum dolore amiseris (epist. 208). Dicis enim in litteris illis, si tamen tuæ sunt, prædictum Mauricium, utcunque loco tuo positum, impulsu malorum te esse ejectum, vilissimumque omnium factum, et ab iniquis eum tibi superinductum. Contra quem etiam minaciter loqueris, si in aliquo cum tuæ voluntati contraire perspexeris. Si hæc verba tua sunt, longe extra te factus es. Non congruunt proposito tuo, non congruunt gestis tuis, qui in manu Romanæ Ecclesiæ legati nullo te cogente [*al.* nullo tunc cog.], imo ipso legato dissuadente, abbatiam dimisisti, et in electione ipsius Mauricii primam vocem dedisti. Redi ergo, dilectissime, ad cor tuum, et ne plus credas adulatori tuo, imo perturbatori tuo de te quam tibi quia plus aliquando corrigunt nos inimici reprehendentes quam amici fallaciter blandientes juvant. Nosti enim quia dicit sermo apostolicus : *Pacem sequimini, sine qua nemo videbit Deum* (*Hebr.* XII). Pacem ergo nulla tibi auferat præteritarum injuriarum recordatio. Nec tibi dolendum vel condolendum esse credas, quod de naufragio nudus evasisti, sed illis potius condole quos adhuc vides in alto periclitari. Talem te hactenus intelleximus, talem te adhuc æstimamus, nisi simplicitatem tuam perturbatorum duplicitas moveat, et a tranquillitate mentis expellat. De cætero ergo si quid in abbate, si quid in subjectis corrigendum cognoveris, mitioribus verbis fraterne admone, ut ædificationi studere videaris, non vindictæ. Si autem te non audierint, antequam aliqua dissentio oriatur, rem perperam factam ad notitiam nostram perferre stude, ut pacem monasteriis necessariam studeamus talibus monitionibus imponere. Vale.

EPISTOLA CLXV.

SANSONI, *Dei gratia Wigornensis* [*Vingornensis*, ms. c.] *Ecclesiæ episcopo*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, bene valere et in extremis maris habitare.*

Quamvis ad præsens lateres oculos meos, non tamen latebas animam meam, quia bonum odorem tui nominis de transmarinis partibus olfaciebam, et olfactum [*duo v. c.* olefactum] intime diligebam. Ad ultimum nuntiavit oculus, sensit manus, quod per auditum prius senserat cordis odoratus. Et ita sensibus intus bene nuntiantibus expertus sum tuam in me non tepuisse charitatem, quamvis mutuam ad plenum non habuissemus inter nos collocutionem. Prævenit itaque liberalitas tua tarditatem meam [tuam], mittendo calceamenta evangelica (a) quo munere erga me dilectionem tuam demonstrasti, et ad injunctum mihi officium diligentius exsequendum monuisti. Quod ergo ipse monuisti, remigantes per hoc mare spatiosum et undosum porrigamus nobis invicem mutuas orationum manus, quatenus et prospere navigemus, et in optato salutis portu

(*a*) *Al.* calceamenta sandalia apostolicis digna pedibus appellat epist. 207.

naves nostro regimini commissas collocare valeamus. Hoc tuæ dilectioni pro parvitate nostra promittimus ; hoc e converso a tua devotione requirimus, nec ulla diligentium corda disjungat localis remotio, quos fraternæ dilectionis conglutinat affectio. Plura scriberem, sed verbis nisi necessariis nolo aures onerare prudentis. Vale.

EPISTOLA CLXVI.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister*, HUMBALDO, *eadem gratia Antissiodorensis Ecclesiæ episcopo, salutem.*

Noverit dilectio vestra præterita æstate, cum Domnus Bruno Signinus episcopus (epist. 167) apostolica legatione fungeretur, Hugonem Album præsentiam ejus adiisse, et qualiter Pontius nepos Trecensis episcopi filiam suam nomine Mathildem Galeranno camerario regis prius a parentibus traditam renitentem et flentem in conjugium sibi usurpaverit (*a*), sibi indicasse. Sed qui utraque persona absens erat, injunctum est a prætaxato legato Parisiensi episcopo, ut utramque partem die competenti ad causam vocaret, et auditis utriusque partis rationibus controversiam quæ erat inter Pontium et prædictam Mathildem prudentium virorum consilio et judicio terminaret. Reversus itaque Parisiensis episcopus diem et locum Pontio et Mathildi constituit, **70** me et quosdam coepiscopos suos ad discutiendam et terminandam hanc rem [causam] charitative invitavit. Convenerunt itaque Parisium die constituto ad causam accusatores et accusatus, testes et judices. Quæsitum est a prætaxata Mathilde, quare conjugium Pontii refutaret. Quæ breviter respondit, quod non esset ei legitime juncta, quoniam prius esset Galeranno a parentibus tradita (epist. 247), et huic contradicens pro posse suo et flens, nolente matre, copulata. Cum ergo oblatum esset Pontio, ut ad objecta responderet, quærens quædam diverticula, nihil ad objecta respondit, sed a conventu, cui se præsentaverat, non satis apte recessit? Mandatum est ei itaque semel et sæpius, ut vel ad objecta responderet, vel judicium audire non differret. Cum ergo ita a judicio declinaret, judicatum est ei ex apostolico decreto, quod dilationem sententiæ ex absentia lucrari non deberet exinde prolatis ex legum et canonum auctoritate sententiis (cap. *Decernimus*, caus. 39, q. 9), quia si testes mulieris, adversus Portium agentis, datis sacramentis probare possent quod mulier objecerat, a conjugio Pontii libera esset, et cui vellet in Christo nubere posset. Iterum mandatum est Pontio, ut ad audiendum hæc sacramenta veniret, aut si quid legitime personis testificantium, vel dictis eorum objicere posset, objiceret. Quod cum ut cætera simplicitate vel duplicitate [*al.*, vel calliditate] sua subterfugeret, a decem viris vel eo amplius data et accepta sunt sacramenta, quibus probatum est, et mulierem prius a parentibus alteri fuisse traditam A et Pontio sine sua voluntate copulatam. Negotio itaque diligenter pertractato et judiciario ordine terminato, judicavimus mulieri quod esset libera a Pontii, ut non dicam conjugio, sed contubernio, et quia nubere posset cui vellet in Domino. Hæc scripsimus sanctitati vestræ, quia prædictam mulierem quidam parochianus vester vult habere in conjugem, ne de præteritis nuptiis aliquod apud vos generetur scandalum, vel præsentibus aliquod ponatur offendiculum. Valete, et ex mutua dilectione parvitatis meæ [nostræ] memor estote.

EPISTOLA CLXVII.

HILDEBERTO, *Dei gratia Cenomanensi episcopo*, Ivo, *eadem gratia Carnotensis Ecclesiæ minister*, *salutem.*

B Quidam parochianus vester vulgari nomine Petitus de Rupibus [*ita omnes v. c.*; *antea.* Petrus], nuper causa orationis ad Ecclesiam nostram veniens petivit colloquium nostrum. Qui inter cætera retulit nobis quod filiam suam cuidam alteri parochiano vestro de municipio quod Pontiacum dicitur, conjugali fœdere tradidit, et ille eam se ducturum in uxorem tempore sibi constituto absolute juraverit (*b*). Nunc vero aliam duxit uxorem contra pactum conjugale, quod legitime cum alia muliere prius inierat. Legitima enim sunt fœdera nuptiarum inter eas personas quarum nuptiæ interdictæ non sunt, cum filia familias a voluntate patris non dissentit. Hæc fœdera solvi et divinæ leges prohibent et humanæ. Et si mulier ad alium virum transire voluerit dicit canonica C sententia, quia mulierem alii [*al.* alteri] desponsatam, alteri non licet habere in conjugium. E converso : si vir aliud vult inire conjugium, legitur in lege Novellarum (nov. 22, *De nupt.*, et in cap. 9, caus. 30, q. 5) : « Si quis divinis tactis Scripturis mulieri juraverit se eam legitimam uxorem habiturum, vel in oratorio tale sacramentum dederit, sit illa legitima uxor, quamvis nulla dos, nulla scriptura interposita sit. » Qui aliter facit, contra leges sapit : et secundum decretum apostolicum (cap. *Vides*, dist. 10) : « Quod contra leges præsumitur, per leges dissolvi meretur.» Sic enim cum præterita æstate Signinus episcopus (epist. 166), apostolicæ sedis legatus apud nos esset, et similis causa ad nostras aures delata esset, D prolatis legibus justum esse judicavimus et legitimum. Hæc scripsi dilectioni vestræ rogatus a prætaxato milite, ut pro eo apud vos interdicerem [intercederem], quamvis ei non esse necessarium persuadere satagerem. Bene enim sentimus de religione vestra, quia, ubi eluxerit vobis vera et juxta sententia, non declinabitis a via regia. Vale.

EPISTOLA CLXVIII.

DAIMBERTO, *Dei gratia Senonensium archiepiscopo*, Ivo, *eadem Dei gratia Ecclesiæ Carnotensis minister*, *salutem et servitium.*

Quoniam in quibusdam negotiis aliqua dubia vel

(*a*) In hanc rem cap. *Desponsatas* et c. *Atho*, cau. 27, q. 2.

(*b*) Confer epist. 161 et can. *Quicunque*, can. *Conjugali*, et can. *Duobus modis*, caus. 27, q. 2.

difficilia occurrunt (epist. 169 et 170), debemus invicem manus auxilii vel munus consilii porrigere, seriem cujusdam causæ quæ præterita æstate apud nos emersit, et adhuc serpit, congruum duxi paternitati vestræ significare [*al.* notificare], cui hæc causa principaliter litteris apostolicis terminanda committitur, ut et vobis, et nobis, cui secundo loco committitur, bene provideatis, quatenus nec obedientiam apostolicam contemnamus, nec aliquem injuste prægravemus. Erat enim quidam fundus in parochia nostra, cujus partem habebat quidam miles, et in ea domum suam separatim, et alius aliam, et in ea domum suam similiter separatim, pro hujus fundi tuitione, utrique serviebant vicecomiti Carnotensi. Hanc vero tuitionem cum servitio dedit vicecomes (Hugo in epist. 169 et 173) cuidam militi suo in beneficium, domino videlicet Curvævillæ, post non multum temporis emit comes Rotrocus partem illius fundi quæ allodium erat, comportavit ibi aggerem, et fecit munitionem. Quod audiens vicecomes quia Hierusalem iturus erat, et dominus Curvævillæ, clamorem fecerunt in auribus Ecclesiæ, ut justitia eis fieret, quæ debebatur Hierosolymitanis et paci (epist. 169 et 173). Constitutus est dies utrique parti ad agendam causam. Cum convenissent, objectum est a vicecomite comiti Rotroco quod injuste et contra pacem ædificaret munitionem in fundo tuitionis suæ. Quo audito responsum est pro Rotroco quod fundus minime pertineret ad tuitionem vicecomitis, sed potius ad tuitionem Rotroci comitis. Quæ altercatio cum aliquandiu durasset; præcipimus judicium fieri: judicatumque est quia hæc causa sine monomachia terminari non poterat, et judicium sanguinis nobis agitare non licebat (epist. 247), ut utraque pars irent [*quidam* iret] in curiam comitissæ, ad quam talia judicia pertinebant, et de cujus feudo (*al.* fœdo) ista tenebant. Sicut judicatum erat, venerunt utrique in curiam comitissæ, et actionibus utrinque ventilatis nescio quibus de causis vicecomes a causa cecidit. Postea cœperunt Ivo dominus Curvævillæ, qui hoc beneficium se asserebat habere a vicecomite, et **71** comes Rotrocus adversum se guerram facere (epist. 20), et alter alterius bona diripere. Et sicut varius est eventus belli, quadam die, cum prædictus Ivo procederet armata manu ad nescio quæ negotia sua agenda, captus est a militibus Rotroci, et incarceratus. Præcipitur itaque vobis et nobis ex clamore Hugonis vicecomitis ab apostolica sede, ut pro debito officii nostri, Guidoni fraternarum rerum custodi et Ivoni capto justitiam faciamus. Perlectis ergo litteris apostolicis, diligenter notate verba, et secundem ordinem rei gestæ et tenorem litterarum apostolicarum providete vobis quo ordine causa sit agenda, utrum statim sit Rotrocus excommunicandus, an ad judicium invitandus. Quia quo ordine præcedet [*al.* præceperit] et in actione causæ et in executione justitiæ nobis prælata sublimitas eo sequetur pro posse subjecta nostra humilitas. Et si ad præsens non eluxerit vobis certa sententia, his qui in litteris nominati sunt locum et diem competentem constituite, et accusatores et accusatum ad eumdem locum invitate, ut præsentialiter audita et cognita veritate plenius possitis justitiæ satisfacere. Quod ex his vobis melius visum fuerit, parvitati meæ rescribite. Valete.

EPISTOLA CLXIX.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister*, GALLONI [*al* GUALLONI] *eadem gratia Parisiorum episcopo, salutem.*

Cum Rotrocus comes munitionem ædificaret [*al.* faceret] in quodam fundo parochiæ nostræ, quem sui juris et suæ tutionis esse defendit (epist. 168 et 170), vicecomes vero Carnotensis, et Ivo Curvævillæ dominus ad jus suum pertinere contendit, suggestum est domno papæ, sicut forsitan audistis ab Hugone vicecomite Hierosolymum tendente, quatenus super hac injuria justitiam faceret, et rem Hierosolymitani secundum sua statuta defenderet (epist. 173). Cujus rei veritatem papa ignorans scripsit nobis quatuor, Senonensi archiepiscopo, Carnotensi, Parisiensi, Aurelianensi episcopis, quatenus pro debito officii nostri justitiam faciamus tam de fundi invasione quam de Ivonis captione. Acceptis igitur litteris istis importune exigunt a me Guido fraternarum rerum custos, et dominus Curvævillæ quatenus prædictum Rotrochum [*al.* Retrochum, *ut etiam in seq.*] sine audientia, sine judicio excommunicem, cum ipse Rotrocus paratum se dicat, ut ad audientiam domni metropolitani, vel nostram, vel comprovincialium episcoporum, congruo tempore et loco veniat, et secundum justum judicium de objectis satisfaciat. Ego itaque servato legum tramite, nolo quemquam more sicariorum sine audientia punire, nolo Satanæ tradere, donec vel audientiam subterfugiat, vel judicium contumaciter respuat. Consulatur super hoc Evangelium, consulantur leges divinæ et humanæ (*a*), si de re in contentione posita aliter aliqua lex fieri jusserit, postposita mea sententia libenter cedam alienæ. Nec aliter puto domnum papam intellexisse, ubi præcepit nos pro debito officii nostri prædictis petitoribus justitiam facere. Hoc tonitruo [*al.* tonitru] circumstrepente, quamvis non essem dubius de veritate scripsi tamen metropolitano, ad quem jam litteræ apostolicæ venerant, ut diligenter inspectis litteris apostolicis, et intellecta rerum gestarum veritate, quam ei conscripseram, consilium mihi daret, utrum prædictum Rotrocum deberem sine audientia excommunicare, an ad judicium vocare. Ipse vero nescio quo instinctu, quo intellectu, rescripsit mihi ut litteris apostolicis obedirem, et Rotrocum excommunicarem. Nec tamen determinavit juxta inquisitionem meam, utrum hoc facere deberem cum audientia.

(*a*) Vide canones cau. 3, q. 9,

Litteris itaque vestris petimus muniri sententiam A nostram, si justa est, aut removeri, si justa non est. Addimus etiam petitioni nostræ si necesse fuerit, quatenus, si fraterne invitati fueritis, præsentiam vestram nobis exhibeatis, et quod faciendum erit nobiscum faciatis. Valete. Ut melius eas intelligatis exemplar litterarum apostolicarum transmisi vobis.

EPISTOLA CLXX.

Daimberto, *Dei gratia Senonensium archiepiscopo,* Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, plenum debitæ subjectionis obsequium.*

De parochiano vestro qui maritum ejusdem mulieris interfecit, et postea uxorem interfecti in uxorem duxit, hoc respondemus excellentiæ vestræ quia, si mulier conscientiam suam purgare potest de morte mariti, vir vero, sicut dicitis, purgare se B potest legitime quod mulierem illam, vivente viro, non adulteraverit, nec spe hujus conjugii virum hujus mulieris interfecerit, secundum legem naturæ et antiquum conjugii statum, potest ei indulgentia quam clavis apostolica viduis aperit aperiri, videlicet ut cui velint nubant in Christo (*a*). Sic enim David, de quo dicitur, nemo sanctior David, patrato adulterio et homicidio, postquam ei dictum est, acta pœnitentia, dimissum est tibi peccatum tuum, Bersabee uxorem Uriæ retinuit in conjugium (*II Reg.* XII). Sed posteriorum diligentia experta proclive esse humanum genus ad lapsum, et quia in hujusmodi casibus uni parcere nihil aliud esset quam multos in discrimen adducere, severissime sanxit, ut nullum tale conjugium fieri inter hujusmodi personas permitteretur, nisi prius vir et mu- C lier innocentes esse ab adulterio et homicidio districta examinatione probarentur. Nos vero qui medici animarum constituti sumus, et saluti subditorum providere debemus, in nostra deliberatione positum habemus, ut secundum ingruentes necessitates aut rigorem teneamus disciplinæ, aut moderationem indulgentiæ, quatenus fortes indulgentia non emolliat, nec infirmos nimia severitas frangat. De cætero si relatum fuerit ad vos nos Rotrocum nondum excommunicasse, sciatis nos non inobedienter fecisse (epist. 169), sed rationabili et legitima causa distulisse, quia pendente negotio quamlibet humilem personam, lege prohibente, excommunicare non audeo, nec apostolicus cum ad hanc excommunicationem nobis præsenti- D bus multis persuasionibus urgeretur, aliter fieri voluit; qui litteris suis nos qui vicini eramus admonuit ut rei veritatem investigaremus, et cognita veritate non sententiam præcipitaremus, sed sicut debet officium nostrum, servato legum tramite rebellium inobedientiam ulcisceremur. Accusatotores vero Rotroci ad audientiam venire, et justitiam suam probare dissimulant, aut causæ diffidentes, **72** aut præcipitem sententiam a nobis extorquere molientes, cum Rotrocus promittat ad audientiam vestram vel nostram se venturum, et quod lex et justitia dictaverit se facturum. Nec ista dico tanquam velim Rotrocum defendere, vel munitionem quam facit mea sententia confirmare (epist. 168, 169, et 173) quæ nulli tantum nocitura est quam mihi, et Ecclesiæ mihi commissæ. Volo tamen in eum ita sententiam dare, ut possim eam moribus et legibus in omni bonorum conventu approbare. Valete.

(*a*) Ut epist. 166 in quibusdam leg. in Domino, u etiam epist. 155.

EPISTOLA CLXXI.

Daimberto, *Dei gratia Senonensium archiepiscopo,* Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, delectabiles exitus matutini et vesperæ.*

(*b*) Sicut ex litteris vestris accepimus, undique sunt vobis angustiæ, quia si raptores et sacrorum dierum violatores juste a vobis a communione separatos, sine satisfactione in communionem recipitis, offenditis legem; si in separatione eorum ab Ecclesia sicut dignum est, perseveratis, offenditis regem. Qua in re si adesset nobis spiritus fortitudinis, sicut adest spiritus consilii, severitatem disciplinæ esse servandum censeremus (epist. 137). Sed, quia in hoc rigore gravium dissentionum periculum imminere sentitis, rem dispensatione egere intelligimus. Et ideo non consilium nostrum, sed sanctorum Patrum ante oculos ponimus. Dicit enim Cyrillus episcopus ad Gennadium presbyterum et archimandritan (epist. 214 et epist. 144): « Dispensationes rerum nonnunquam cogunt parum quid a debito quosdam foras exire, ut majus aliquid lucri faciant. Sicut enim hi qui mare navigant, tempestate urgente, navique periclitante quædam exonerant, ut cætera salva permaneant, ita et nos cum non habemus salvandorum omnium negotiorum penitus certitudinem, despicimus ex his quædam, ne cunctorum patiamur dispendia. » Unde et Augustin. in epistola ad Marcellinum (epist. 158): « Soleo audire in potestate esse judicis mollire sententiam et mitius vindicare [*al.* judicare, *ita ms. c.*] quam leges (epist. 236). » Idem in tertio libro contra epistolam Parmeniani: « Cum quisque fratrum et Christianorum in Ecclesiæ societate constiturorum in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc ubi periculum schismatis nullum est. » Item: « Quando cujusque crimen notum est, et omnibus exsecrabile apparet, ut vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores, per quos possit schisma contingere, non dormiat severitas disciplinæ. » Et quia dispensationes rerum temporalium regibus attributæ sunt, et basilei, id est fundamentum populi et caput existunt, si aliquando potestate sibi concessa abutuntur, non sunt a nobis graviter exasperandi, sed ubi sacerdotum admonitionibus non acquieverint, divino judicio sunt reservandi, ubi tanto districtius sunt puniendi, quanto minus fuerint divinis admonitionibus obnoxii. Unde habetur in libro Capitulorum regalium

(*b*) In v. c. hoc argumentum præfigitur: ***De impœnitente quem timor regis cogit absolvere.***

auctoritate episcoporum constitutorum (*a*) : Si quos culpatorum regia potestas, aut in gratiam benignitatis receperit, aut mensæ suæ participes effecerit, hos et sacerdotum et populorum conventus suscipere ecclesiastica communione debebit; ut quod principalis pietas recipit, nec a sacerdotibus Dei extraneum [alienum epist. 62] habeatur. » Ego itaque de mea infirmitate paternitati vestræ profiteor, quia si aliqua dispensatione faciente cogerer aliquem impœnitentem ad reconciliationem admittere, patenter dicerem ei : nolo te fallere introitum hujus visibilis Ecclesiæ cum tuo periculo te habere permitto, sed januam regni cœlestis tali reconciliatione tibi aperire non valeo. Et ideo in tantum te absolvo, quantum tua expetit accusatio, et ad nos pertinet remissio. Dicent fortiores fortiora, meliores meliora : ego pro mediocritate mea sic sentio, non legem in talibus præscribens, sed propter vitanda majora pericula Ecclesiæ, necessitati temporum, si commodius fieri non potest, cedendum esse intelligens. Valete.

EPISTOLA CLXXII.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister, omnibus Ecclesiæ filiis tam præsentibus quam futuris.*

Quod ad multorum notitiam pervenire congruum duximus, litterarum monimentis mandare provida deliberatione decrevimus. Noverit ergo præsens ætas omniumque secutura posteritas quod Mauricius Blesensis cœnobii Sancti Launomari abbas intra terminos cujusdam parochiæ suæ quæ dicitur Ulcha (*b*), capellam quamdam nostra auctoritate munitus cœpit [cœperit, *ms. c.*] ædificare : ad quam quidam parochiani, qui remoti erant a matrice ecclesia, suis temporibus debitas oblationes reddituri possent convenire. Quod audiens Vindocinensis abbas, misso petitorio ad hoc canonice improbandum, adversus monachos Blesenses diem sibi dari postulavit, et ex condicto utriusque partis accepit qui cum die statuto ad causam venissent, dixit abbas Vindocinensis se oblationes parochianorum qui morantur in municipio, quod appellatur Mons Fauni, per viginti annos fere tenuisse, nec alicui justitiam denegasse, et idcirco monachos Blesenses injuste eas accepisse. Unde etiam dicebat prius se esse revestiendum, antequam transiret ad actionem aliarum causarum. A quo cum quæreretur utrum habuisset eas ex concessione Carnotensis episcopi, an ex jure parochiani, an ex largitione alicujus legitimi possessoris, nihil objicere potuit, nisi pertinaciam retentionis. Ad quod responderunt Blesenses monachi se ab illis parochianis omnia parochialia accepisse, et illam partem oblationum quam sibi Vindocinenses monachi usurpaverant, violentia Lancelini Balgenciacensis (*c*) occupasse; nec tamen eas ipsis viginti annis in quibus confidebant, absque synodali reclama-

A tione tenuisse, imo ipsos monachos Vindocinenses qui prædictum montem Fauni occupabant inde judicio Carnotensis Ecclesiæ eliminatos, latibulum cujusdam silvæ petiisse. Quod cum multorum testimonio confirmatur, et ab abbate Vindocinensi nullatenus infringeretur, judicatum est abbatem non esse investiendum, cum nihil dematur usibus ecclesiasticis, si quisque quod suum est recipiat. Quod judicium cum displicuisset abbati Vindocinensi, non confidentia justitiæ, sed causa afferendæ moræ, sedem appellavit apostolicam, quam tamen appellationem pro reverentia domni papæ patienter sustinuimus, quamvis secundum cautionem legum, nec libellum ad eum qui de appellatione cogniturus erat a nobis postulasset (epist. 220), nec tempus B nec modum nec ordinem exsequendæ appellationis observasset. Unde eum a causa cecidisse intelligentes, capellam, **73** quam Blesensibus ædificare concessimus, de cætero confirmamus, et omnes oblationes capellarum adjacentium parochiæ quæ dicitur Ulcha illibatas tenere sancimus.

EPISTOLA CLXXIII.

Paschali *summo pontifici*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, debitam cum omni devotione obedientiam.*

Secundum tenorem litterarum vestrarum quas dedistis Hugoni vicecomiti Carnotensi Hierosolymam eunti, Rotrocum comitem ad justitiam vocavimus (*d*), qui accusabatur munitionem in terra ad jus prædicti Hugonis pertinente, postquam C crucem acceperat, ædificare cœpisse; et Ivonem ejusdem Hugonis militem, qui prædictam terram ab ipso Hugone habebat in feudum, injuste cepisse et redimisse. In qua vocatione postulatum est a comite Rotroco, ut usque ad exitum causæ nihil in cœpta munitione ædificaret, nihil de redemptione Ivonis acciperet (epist. 168). Die statuta ventum est ad causam : obtulit se ad judicium Rotrocus, secundum ordinem gestarum rerum dixerunt petitores, qui pro Hugone loquebantur, se nolle ad hanc causam ingredi nisi prius eis satisfaceret [*al.* satisfieret] de eo quod non erat intermissa ædificatio munitionis, et recredita redemptio Ivonis. Responsum est ex parte Rotroci neutrum debere fieri, quia munitio illa ei adjudicata erat in curia comitissæ, de cujus feudo erat, cum judicio Ecclesiæ D ad prædictam curiam hæc causa translata esset (*e*), et prædictus Ivo pro peregrinatione Hugonis minime erat reddendus, cum prædictus Ivo Retrocum dominum suum diffiduciasset, et prædam ejus prior cepisset, homines suos, ea die qua captus est in vinculis haberet, et ad foris faciendum eidem armata manu militum ea die procederet. Dictum est ex altera parte quod possent omnes istas depulsiones veridicis assertionibus locis suis et temporibus fal-

(*a*) Id jam retulit epist. 62, et exstat in concilio Toletano XII, cap. 3.

(*b*) Sic iterum vocat in fine hujus epist.

(*c*) Sic pluros v. c., in alio est *Balgiacensis* ita *ms. c.*; antea, *Balgeracensis*. Zancelini *Baugenciacensis* meminit Sugerius abbas in *Vita Ludovici Crassi*.

(*d*) Hac de Rotroci causa jam egit epist. 168, 169 et 170.

(*e*) Quia erat causa sanguinis, ut ait epist. 168.

sificare, sed non esse accedendum ad ista, donec A satisfactum esset de iis quæ prius objecta fuerant, nisi judicio cogerentur. Præceptum est ergo confidentibus clericis, ut hanc litem justa sententia dirimerent. Qui cum diu inde disceptassent, non potuerunt in unam convenire sententiam, dicentes novam esse institutionem de tuitione ecclesiastica (epist. 169) impendenda rebus militum Hierosolymam proficiscentium, neque scire utrum hæc tuitio ad solas pertineat proprietates eorum, an etiam pertineat ad casamenta eorum quæ tenent potentes homines se et sua, fortitudine sua defendentes. Postulaverunt ergo sibi dari inducias, donec super hoc vestra requireretur sententia. Quas inducias ea conditione dare voluit comes Rotrocus, ut ædificatio munitionis non intermitteretur, nec redemptio B Ivonis suspenderetur. Quod concedere pars altera omnino refutavit, et de hoc iterum judicium postulavit. Quo judicio cum se prægravari timeret comes Rotrocus, audientiam apostolicam appellavit, cujus eum auctoritate premebamus. Mittimus ergo eos paternitati vestræ cum litteris nostris ordinem causæ continentibus, ut prudentia et potestate vobis divinitus concessa litem hanc dirimatis, quia inter nos homines isti magni sunt, nec a nostra parvitate, prout oportet, ad pacem cogi possunt. Valete.

EPISTOLA CLXXIV.

Mathildi *excellenti Anglorum reginæ*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister*, *devotarum munus orationum.*

Vestræ piæ devotionis opinio multorum maxime C religiosorum mentes afflavit, et quadam sanctæ dilectionis suavitate indulcavit. Unde pro gratia nobis divinitus collata grates summo referimus bonorum omnium largitori, qui femineo pectori virile robur immisit, non solum ad evitanda flagitia vel facinora, sed etiam ad impendenda indigentibus necessaria suffragia. Nos igitur tam communium quam privatorum beneficiorum non immemores, excellentiæ vestræ preces devote suscepimus, et pro anima fratris vestri religiosi regis, quod peccatis nostris exigentibus parum est, devotas Deo preces effundimus, quamvis animam ejus in sinu Abrahæ collocatam, si vita ejus ita se habuit ut dicitur indubitanter confidamus. Sed, quia incertus est status animarum post animal (*a*), non videtur D otiosum si pro his intercedimus, qui jam requie perfruuntur, ut eorum requies augeatur, et pro his qui locis purgatoriis deputati sunt, ut fidelium orationibus indulgentiam consequantur. Hæc et alia quæ vires nostras non excedant humeris nostris imponere potest excellentia vestra. Valete.

EPISTOLA CLXXV.

Paschali *summo pontifici*, Ivo, *humulis Ecclesiæ Carnotensis minister, debitum cum omni devotione servitium.*

Parabam me pro viribus meis ad iter concilii a vestra paternitate indicti, sed, quia frequentia curiæ vestræ ea tempestate qua solitus eram, purgatorium accipere me non permisit, tota confluentia humorum repente in caput ascendit, et ita media pars capitis congelascente flegmate in quemdam rigorem tumoris induruit. Cum vero propter propositum iter adhuc purgare me differrem, ut et caput resoluto per se flegmate detumesceret, exspectarem, non solum non detumuit, sed adhuc gravius et periculosius intumuit [induruit]. Hac itaque necessitate compulsus catharticum accepi, nec de laxatione catbartici nec de duritia tumoris bene convalui, ita ut nec breve iter aggredi valeam sine periculo corporis mei, quia, etsi tumor exterius est digestus, dolor tamen interius non adhuc est sedatus. Misi itaque tres ex archidiaconibus Ecclesiæ nobis commissæ cum litteris nostris, qui testimonium ipsis litteris perhibeant, et apud paternitatem vestram excusatum me habeant, quamvis sit propositum meæ voluntatis ante solutionem concilii videre faciem vestram, si Deus mihi plenam restituerit sanitatem, et veniendi ad vos dederit opportunitatem. Sed, quia [si quæ] secretiora dicenda sunt, isti fratres dicent vobis. Valete.

74 EPISTOLA CLXXVI.

Paschali *summo pontifici*, Ivo *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, debitam cum omni subjectione obedientiam.*

Reversus a concilio Trecensi, filius noster [vester, *ms. c.*] Wigrinus Ecclesiæ nostræ cancellarius anxie conquestus est, quod Dolensis Ecclesia, destinatis excellentiæ vestræ quibusdam legatis suis, eum sibi in episcopum sub præsentia vestra elegerit, et huic electioni ad eorum petitionem vestra paternitas assensum præbuerit (epist. 178), nec ejus excusationibus quamvis idoneis adhuc aurem accommodare voluerit. Quamvis enim sit bene litteratus, et bonis moribus ornatus, multis tamen allegationibus humiliter insufficientiam suam prætendens, dicit se potius multa gravia perpessurum quam opus episcopi hoc tempore subiturum. Novit autem vestra paternitas quia leges sæculi (l. xii, c. *De nupt.*) dissentiente filiofamilias sub ejus nomine sponsalia fieri non permittunt, quanto magis in sponsalibus Ecclesiæ id observari convenit, in quibus nisi sincera subveniat charitas, quid boni est quod per angariam facere possit, sive facultates suas distribuendo, sive seipsum ad martyrium exponendo, humana imbecillitas? Nemo enim invitus bonum facit, etiamsi bonum est quod facit (cap. *Præsens*, caus. 20, q. 3). Unde nos admonet Spiritus sanctus in Cantico canticorum : *Adjuro vos, filiæ Hierusalem, nolite suscitare dilectam, neque evigilare, donec ipsa velit* (*Cant.* ii). Ne igitur nostro Jacob amanti Rachel, nocte supponatis Liam (*Gen.* xxix), nisi forte Rachel mandragoras primogeniti Liæ concupiscat, et hac mercede conductum Jacob cum Lia dormire permittat (*Gen.* xxx). Tali enim ordine posset de tali copula merces

(*a*) Sic integris litteris scriptum in plerisque codd., in aliis compendiose *post animal;* in duobus vett. *post corpora,* locus de mendo suspectus.

boni operis provenire, et fortitudo quæ plurimum necessaria est omni regimini ad tolerandos ejusdem regiminis labores, exuberare. Et ne diu verbis oneremus sanctitatem vestram, flexis genibus cordis opportune et importune imploramus clementiam vestram, ut nullis vinculis obedientiæ prædictum fratrem constringatis (*a*), cujus saluti, quantum possumus, providere debemus, quia eum de sacro fonte suscepimus, qui etiam elegit magis in loco humili salvari quam in alto periclitari. Valete.

EPISTOLA CLXXVII.

GAUFRIDO, *Dei gratia Belvacensium episcopo*, Ivo, *eadem gratia Carnotensis Ecclesiæ minister, in prosperis timorem, in adversis fortitudinem.*

Antequam legissem litteras dilectionis vestræ, cognovi cumulum tribulationis vestræ, audivi et condolui, quia degener filius essem, si matris meæ (*b*) Belvacensis Ecclesiæ miserias immisericordi animo sustinerem. In quo discrimine summa et sola medicina est clamare ad Dominum, ut nubilum tantæ tempestatis convertat in auram serenitatis, et fluctus tanti mali silere faciat, qui pro arbitrio suo imperat ventis et mari. De cætero de clerico, illo qui Drogoni excommunicato in missa et in mensa communicavit, dilectioni vestræ consulo ut competentem ei pœnitentiam injungatis, quæ a simili facto cæteros absterreat, si tamen defendere non vult per tumorem, quod deliquit forsitan per timorem. Alioquin detur sententia in contumacem, quæ eum et officio privet et beneficio. Pœnitentiæ autem modus in arbitrio est constitutus episcopi, cui a Domino concessa est potestas ligandi atque solvendi. Unde Augustinus in libro De pœnitentia (c. 85, distinct. 1) : « Judicet se homo voluntate dum potest, ne cum jam voluntate non poterit, præter voluntatem judicetur a Domino. Veniat ad antistites, per quos illi claves in Ecclesia ministrantur, et tanquam jam incipiens bonus esse filius, maternorum membrorum ordine constituto [*al.* custodito] a præpositis sacramentorum satisfactionis suæ modum accipiat, et in offerendo sacrificio contribulati cordis devotus et supplex permaneat. Id tamen agat quod non solum ipsi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum ut si [fit si] peccatum ejus non solum in gravi ejus malo sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur antistiti, in notitia multorum vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuset, non resistat, ne lethali plagæ per pudorem addat tumorem. » Si autem prædictus frater posteaquam notatus est de excommunicationis culpa ante audientiam communioni se ingessit, secundum decretum Martini papæ (c. *Si quis episcopus*, caus. 11, q. 3), et concilium Carthaginense (c. *Placuit*, caus. 11, q. 3), ipse in se damnationis judicatur sententiam protulisse. De alio autem clerico qui negat se Drogoni communicasse, nec se sciente in Ecclesia eo præsente orasse, qui tamen in Ecclesia profanorum orasse non negat [*al.* negatur], mihi videtur sufficere, si sub duobus testibus idoneis suæ possit conscientiæ innocentiam approbare. Possemus hæc multis testimoniis confirmare, nisi vitaremus prolixitatem epistolæ. Ego de proposito [propositis] ita sentio, majorum sententias non præveniens aliquo meo præjudicio. Valete.

EPISTOLA CLXXVIII.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ humilis minister, clero Dolensis Ecclesiæ et* STEPHANO *comiti, salutem.*

Bonæ intentionis vestræ laudamus affectum quod Wlgrinum filium nostrum, vita honestum, scientia clarum, elegistis vobis in archiepiscopum (epist. 176). Sed, quantum nobis videtur, frustra laborat studium vestrum, quia nec prætaxati filii nostri voluntas est electioni vestræ acquiescere, nec nostræ potestatis ad hoc eum invitum cogere. Habent enim leges imperiales, quia filiofamilias dissentiente, nequaquam possunt sponsalia sub nomine ejus contrahi (l. XII, cod. *De nuptiis*, et l. XI, *De ritu nupti*). Multo itaque minus spiritualis sponsi animus ad spiritualis sponsæ copulam in angaria est pertrahendus. Prædictus enim frater jam super hoc per litteras nostras et suas allegationes domno papæ transmisit, et onus episcopi, prout potuit, refutavit. Si ergo studia vestra mutare non vultis, si in aliam personam deliberatione vestra [deliberationem vestram, *ms. c.*] declinare non vultis, non a nobis, sed a summo pontifice est quærendus, cui concessum est invitos ad hæc officia cogere et de volentibus et de nolentibus Ecclesiæ Dei pontifices ordinare. Quantum ergo domnus papa super hoc me coegerit tantum ego prædictum fratrem cogam. Valete.

75 EPISTOLA CLXXIX.

Ivo, *humilis Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister,* ADELÆ, *excellenti comitissæ, bene sapere et bene facere.*

Interdictus est, ut audivimus (epist. 121 et 136), præcepto vestro filiis nostris canonicis beatæ Mariæ Exitus Viarum, panis et aqua, et omnia huic vitæ necessaria quæ sunt sub potestate vestra. Quod quid aliud est facere quam homines innocentes et arma non tenentes sine audientia et sine judicio morti destinare ? Ita enim necat fames et sitis, sicut gladius. Quod truces Turci, Christiani nominis persecutores possent truculentius edictum in Dei servos promulgare quam necessaria eis vitæ subtrahere ? Unde monendo consulo et consulendo moneo nobilitatem vestram, quatenus inconsideratum sententiæ vestræ rigorem usque ad audientiam in melius commutetis, et non convictos, non judicatos tam severa sententia morti addicatis. Nos enim pro amore vestro sententiam nostram quamvis justam et judicio diffinitam temperavimus, nec baptismi sacramentum, nec confessionem, nec pœnitentiam,

(*a*) Invitum enim papa potest cogere ad episcopatum, epist. 178.

(*b*) Sic etiam vocat ep. 92, et ep. 145, se *filium genuinum illius*. Sed et se *Belvacensem* appellat epist. 181.

A quæ saluti animarum in necessitate sufficiunt, etiam ipsis persecutoribus denegavimus. Ita ergo eos habetote, ut laus fortis mulieris quam Sapientia commendat (*Prov.* XXXI), de vobis prædicetur, non crudelitas perversæ mulieris (quam in Herodiade Chrysostomus detestatur) per omnes nostras provincias publicetur. Quod si sanis et piis admonitionibus meis acquiescere non vultis, commoneo vos per pacem quam præsenti anno in manu domni papæ (*a*), ante autem tertium annum in manu mea promisistis, quatenus diem competentem exsequendæ justitiæ per præsentium portitorem nobis denominetis, et interim filios Ecclesiæ secundum institutum pacis, suis rebus libere potiri permittatis. Quod si hæc omnia contempseritis, B procul dubio sciatis quia Ecclecia corde contrito et humiliato, ascitis sibi omnibus Ecclesiis subjectis quotidie ante corpus et sanguinem Domini et sanctorum patrocinia clamorem faciet adversus omnes hujus mali patratores et consentaneos, et ad hoc ipsum ex debito omnes vicinos episcopos cum Ecclesiis sibi subjectis invitabit. Dolens hæc dico, consulens tamen in hoc honestati et famæ vestræ, nihil aliud quærens, nisi ut secundum morem et legem justitiam faciatis, et, si qua adversus Ecclesiam calumnia est, justitiam habeatis. Valete.

EPISTOLA CLXXX.

LEODEGARIO, *Dei gratia Bituricensi archiepiscopo*, Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, salutem et servitium.*

C Placet admodum parvitati nostræ quod audivimus vos rigorem justitiæ inflexo [irreflexo, *ms. c.*] tramite velle custodire. Sed, cum in pectore sacerdotis rationale affixum esse debeat, et connexum superhumerali (*Exod.* XXVIII) condecens est ut rector sic moderationem justitiæ teneat, quatenus nec immoderatus rigor corrigendos desperatione misericordiæ in profundum malorum dejiciat, vel indiscreta misericordia arrogantiam augeat. Quod ideo suggero sanctitati vestræ, quia audivi quosdam parochianos vestros submurmurantes, vos ita esse obligatum cum quibusdam parochianis vestris, ut nisi eorum consensu justitiam intendere vel remittere non valeatis; unde nuper contigit, ut audivimus, dura eorum obstinatione causam Arnulfi Virsionensis in D curia vestra ita esse exasperatam, ut in eadem causa facto judicio sedes apostolica sit appellata, et finitiva ejusdem causæ sententia usque ad apostolicam audientiam sit dilata. Quod quanta sit vexatio, quanta rerum expensa, quam incertus negotiorum exitus, tam experimento in vestris negotiis didicistis, quam ex aliorum causis audistis. Consilium ergo quod per quosdam pacis amatores didici, necessarium vobis scribere existimavi, videlicet ut per Radulfum Belgeiacensem [*al.*, Balgiacensem, *vel* Belgiacensem, *ita ms. c.*] aliquanto prolixas inducias detis prætaxato Arnulfo, non de minoranda justitia ecclesiastica, sed tantummodo de non ducenda super eum communia [communia, *ita ms. c.*] Interim autem [enim, *ms. c.*] sicut dixit prætaxatus Radulfus, eo mediante inter Arnulfum et ejus adversarios pax reformabitur, et justitia in nullo periclitabitur, et appellatio quæ in curia vestra facta est, sine vestra vel vestrorum vexatione ad nihilum redigetur. Vos itaque quod dico, prudenti deliberatione pensate, et si vera sunt quæ dicuntur, si meliora vobis non occurrunt, vos ipsi [ipsos, *ms. c.*] probate, quia, suadente charitate, salva justitia placeret mihi pax vestra. Valete.

EPISTOLA CLXXXI.

RICHARDO, *Dei gratia Albanensium episcopo*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, salutem et debitum Romanæ Ecclesiæ servitium.*

Intelligens in vobis pro gratia divinitus collata fervere zelum justitiæ, veritatem quam novi de causa Vigeliacensis et Belvacensis [*unus v. c.* Vizeliacensis] monasterii Sancti Luciani sollicitudini vestræ intimare curavi. Buglensis ecclesia, de qua nunc controversia est, inter prædicta monasteria, olim fuit juris monasterii Sancti Luciani. Sed, cum Northmannorum persecutio monasteria Belvacensis territorii [monasterii, *ms. c.*] devastasset et in solitudinem redegisset bona monasteriorum propter defensionem terræ ex magna parte in usus laicorum distracta sunt. Antequam autem illa vastitas plene reformari potuisset, in Buglensi ecclesia quidam canonici ordinati fuerunt. Et ita per successiones usque ad tempora Guidonis [*al.* Vuidonis, *ita ms. c.*] Belvacensis episcopi, et Hugonis Buglensis comitis, canonici canonicis successerunt. Huge autem comes habito consilio cum Guidone [Vuidone] episcopo, prædictam ecclesiam Sancto Luciano reddidit, sibi et prædecessoribus suis indulgentiam postulans, qui eam injuste detinuerant. Sed abbas prædicti monasterii Sancti Luciani, contradicentibus clericis prædictæ ecclesiæ, pro sua simplicitate distulit aliquanto tempore monachos suos ibi ordinare, exspectans ut cum pace clericorum posset omnia transigere. Et quia prædictus comes posthabito discretionis moderamine, monachos quomodocunque festinabat intrudere, Vigeliacenses [*al.* Vizeliacenses] monachos, qui ibi prope habebant cellam unam, vocari fecit, et eis, reclamantibus clericis et monachis Sancti Luciani, absque consensu episcopi ecclesiam **76** quæ jam sua non erat, concessit. Postea vero ductus pœnitentia cum a multis argueretur, eamdem ecclesiam beato Luciano reddidit. Sed quia monachi Sancti Luciani rem quamvis suam absque judicibus ab invasoribus acceperunt (epist. 268), in concilio Exolidunensi adjudicata est Vigeliacensibus [*al.* Vizeliacensibus, *ut etiam paulo post*] sola vestitura, usque ad tempus legitimæ discussionis. Neque ulla finitiva sententia ibi data est quæ monachis Sancti Luciani suam justitiam auferret, et monachis Vigeliacensibus prædictam ecclesiam perpetuo haben-

(*a*) Paschalis secundi, quem tunc fuisse in Galliis hinc colligi potest.

dam adjudicaret. Hujus negotii ordinem, utpote Belvacensis [Ivo Belvacensis], ita processisse cognovi, et qui in Exolidunensi concilio huic discussioni interfui, hæc, si præsens essem, vera esse probare possem. Et ideo ea vobis scripsi, ut, cognita veritate, melius sciatis cui parti aurem securius inclinare audeatis [*al.* valeatis]. Val.

EPISTOLA CLXXXII.

DAIMBERTO, *Dei gratia Senonensium archiepiscopo*, Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister*, *salutem et servitium.*

Nuper, cum in capitulo nostro quædam officia secundum Ecclesiæ consuetudinem dispensarem, et porrecto libro investituram subdecaniæ Fulconi clerico strenuo et in agendis causis ecclesiasticis valde necessario facere vellem, veteri odio inflammati insurrexerunt in me (epist. 227) Hugone post decani et ipse decanus, cum duobus senibus cantore et fratre ejus, ascitis sibi quibusdam juvenculis qui de domibus eorum prodierant, et tumultuose contradicere cœperunt ne facerem, nihil aliud certum objicientes, nisi quia id eorum consilio non facerem. Ego autem sciens quod [quia] hanc consuetudinem in Ecclesia non inveni, nec in ipsis contradictoribus quando suos honores acceperunt observavi, ne potestatem meam minuerem, ab incœpto non destiti. Ipsi igitur quamvis mei homines essent et per manum et per sacramentum, furiose et clamose sedem meam circumdederunt, librum (*a*) de manibus meis rapientes, verba turpia, falsa, probrosa, et sacro ordini valde contraria in me protulerunt. In tanta itaque turba mortem timens obmutui, et non aperui os meum, et præsidio cæterorum qui [*al.* præsidio eorum qui] sanius sapientes cum istis non conspiraverant, vix eorum manus evasi. Ipsi itaque furori suo aliquod fore remedium existimantes, priores me monuerunt, ut de me ipso justitiam eis facerem. Ego autem eis respondi me esse paratum, et justitiam ab eis accipere, et justitiam facere, aut sub judicibus electis, vel secundum judicium metropolitanæ sedis, eo ordine quo canonica auctoritas dictaret. Cum ergo elegerint judicium Senonensis Ecclesiæ, concorditer misimus ad vos, ut diem et locum agendæ causæ nobis designetis circa mediam Quadragesimam, prout vobis opportunum fuerit. Locum autem talem constitui nobis a vestra paternitate misericorditer postulamus, ad quem possimus ire secure, et redire secure. Rogamus etiam ut aliquos de suffraganeis ad hoc judicium convocetis. Non enim levis injuria, sed inaudita pontificali ordini illata est. Quod si petitioni meæ addere præsumerem, flexis genibus cordis postularem, ut Carnotensem Ecclesiam visitaretis, et in propria persona injurias mihi, imo omni pontificali ordini in me illatas, a clericis et laicis plenius audiretis. Decens enim est ut etiam in tranquillitate mater filiam consoletur, quanto magis in perturbatione? Sed, ne longius verba protraham, per præsentium portitorem remandabit nobis vestra paternitas diem, locum, securitatem itineris, vel si parvitatem nostram visitare dignabitur vestra sublimitas. Valete.

EPISTOLA CLXXXIII.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister*, WILLELMO [GUILELMO, ms. c.], *Parisiensi archidiacono, salutem.*

De milite qui de filia sua [*al.* sponsalia, *ita ms. c.*] pactum cum alio milite fecit, hoc dilectioni vestræ pro intellectu meo respondeo. Si petitor adversus eum testes produxerit, qui ipsis sponsalibus interfuerint, vel alios qui ipsum patrem puellæ in sua præsentia confitentem hæc sponsalia se fecisse testificati fuerint, et hæc jurejurando firmare voluerint, ita sponsalia [*al.* quia sp., *ita ms. c.*] rata esse oportebit cum secundum leges (*b*) probatio ei incumbat qui dicit, non ei qui negat. Credo autem vos mecum sentire, quia sicut in Christo neque servus est, neque liber, neque masculus, neque femina (*Gal.* III) ita in contractibus Christiani populi quos communes habent liberi cum servis, et omnes homines cujuscunque conditionis, si de his controversia orta fuerit, quascunque (tamen vitæ honestate, personas et boni testimonii [personas honestæ tamen vitæ, et boni testimonii, *ms. c.*]) ad testimonium rationabiliter posse admitti, et in civilibus causis vel criminalibus hanc discretionem personarum solummodo debere servari. In hujusmodi autem causis monomachia (epist. 205) nullo modo admittenda est, quia, secundum beatum Augustinum : « Quandiu habet homo quid [*al.* quod] faciat non debet tentare Deum suum (*c*). » Sponsio vero pecuniæ servata, vel violata, non debet impendire conjugium, si sponsalia facta sunt consensu contrahentium. Hæc breviter prudentiæ vestræ scripsi, rogans ut id faciatis quod per domnum Walterium [*al.* dominum Gauterium. *vel* Gualterium, *ita ms. c.*] monachum a fraternitate vestra volumus impetrari. Vale.

EPISTOLA CLXXXIV.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister*, WALTERIO [al. GAUTERIO, GALTERIO, ms. c.] *Belvacensis Ecclesiæ bibliothecario, salutem.*

Mandavit mihi fraternitas vestra quorumdam laicorum adversus Belvacensem Ecclesiam ortam esse calumniam, qui ob id judicium clericorum ejusdem Ecclesiæ reprobant, quod earum rerum sunt possessores, pro quibus apud ipsos idem laici existunt petitores. Sed non sunt satis periti legum ecclesiasticarum, vel sæcularium, qui hoc modo statum Ecclesiarum moliuntur evertere, cum et paginæ decretales, et leges imperiales et ecclesiasticæ consuetudines manifeste eis resistant, sine quibus res divinæ et humanæ tutæ esse non possunt, si instrumenta sua deserunt, quibus ma-

(*a*) Quo fiebat investitura, ut ait initio epist.

(*b*) L. XXIII, c. *De probat.*; cap. *Deficientibus*; caus. 2, q. 4; Gregor. epist. 25, cap. 125, lib. V.

(*c*) Citat ex lib. *quæst. in Gen.*, epist. 74.

jores nostri eas tutas et incolumes esse sanxe- A runt. Primo enim in multis decretalibus sententiis legitur : Omnes lites et contentiones in Ecclesiis in quibus ortæ sunt (epist. 75 et 168) primo
77 esse discutiendas et terminandas, nisi aut utraque pars ex consensu judices elegerit, vel altera pars majorem audientiam appellaverit. A filiis autem ipsius Ecclesiæ, in qua orta contentio est, et non ab aliis terminandum esse judicium clamant plurimorum decreta pontificum, quæ ita continent (can. *Peregrina*, cum seqq. caus, 3, q. 7) : « Peregrina judicia generali sanctione prohibemus. » In quo bene consentiunt instituta imperialia, quæ dicunt res ecclesiasticas non esse juris humani, sed divini. Unde Justinianus in libro Institutionum secundo, cap. 1 : « Nullius autem sunt res sacræ, et B religiosæ et sanctæ, quod enim divini juris est, id nullius est in bonis. Ea autem sacra sunt [sacra enim sunt, *ms. c.*], quæ rite et per pontifices Deo consecrata sunt, veluti ædes sacræ, et dona quæ rite in [*al.*ad] ministerium Dei consecrata sunt, quæ etiam per nostram constitutionem alienari et obligari prohibemus. » Cum ergo ratio et veritas instituto religiosi principis sine ulla retractatione conveniat, nihil obesse videtur, quare clerici qui de sorte sunt Domini, non possint de rebus sacris justum determinare judicium, super quas nullum constat eos habere dominium. Præterea generalis consuetudo Ecclesiæ sic habet, quæ si non immobiliter servaretur, Ecclesia omnibus aut pene omnibus bonis suis privaretur. De tenenda autem consuetudine quæ legi non obsistit, plurima sanctorum Patrum exstat C auctoritas. Dicit enim Augustinus in epistola ad Casulanum presbyterum (*a*) : « In his enim rebus, de quibus nihil certi statuit divina Scriptura, mos populi Dei et instituta majorum pro lege tenenda sunt.» Et sicut prævaricatores legum divinarum, ita contemptores consuetudinum ecclesiasticarum coercendi sunt. Gregorius etiam (epist. 75, lib. I) universis episcopis Numidiæ [*al.*Numidis] : « Nos consuetudinem, quæ contra fidem catholicam nihil usurpare dignoscitur [cognoscitur] immotam permanere concedimus.» Isidorus Etymologiarum libro quinto cap.3 : « Mos est vetustate probata consuetudo, sive lex non scripta.» Item : « Consuetudo autem est jus quoddam a majoribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex. Nec differt utrum scri- D ptura an ratione consistat. » Et codicis libro octavo, tit.53 (*b*). « Consuetudinis ususque longævi non vilis auctoritas est ; verum non usque adeo sui valitura momento, ut aut rationem vincat aut legem.» Potest in hunc modum vestra prudentia multa de authenticis scripturis eligere, quibus poterit adversus Ecclesiam laicorum latratus obstruere. Vale.

EPISTOLA CLXXXV.

WILLELMO [al. GUILLELMO], *Dei gratia Rothomagensium archiepiscopo*, Ivo, *Carnotensis Ecclesiæ minister humilis, salutem et servitium.*

De clerico præsentium portitore, qui inordinato et præpropero saltu cum non esset benedictus in clericum, in subdiaconum se fecit ordinari, sublimitati vestræ respondeo, quia si rigorem justitiæ tenere vultis, nec in acceptis inordinate ordinibus eum ministrare permittetis, nec ad superiores gradus eum promovebitis [al. provehetis]. In decretis enim pontificalibus legitur (can. *Vides*, distinct.1), quia « quod contra leges præsumitur, per leges dissolvi meretur.» Si autem honesta vita ejus, aut utilitas ecclesiastica ita exigit, potestis ei dispensatorie dato clericatu cum debita satisfactione eam misericordiam impendere, ut cum sacram ordinationem vos celebrare contigerit, humiliato corde et corpore sacris benedictionibus intersit non ut reordinetur, sed ut competentibus verbis in acceptis ordinibus confirmetur. De talibus excessibus, pro impendenda misericordia propriam sententiam ad manum non habeo, sed pro simili negotio dispensatoriam Alexandri papæ secundi sententiam vestræ discretioni transmitto. Cujus exemplo munitus, si vobis visum fuerit dignum, habita ratiocinatione poteritis et accepta confirmare et non [*al.* et nondum, *ita ms.c.*] accepta concedere. Sententia autem hæc est : Alexander secundus Rumaldo [*al.*Rumando, *vel* Grimaldo, in cap. *Sollicitudo.* dist. 52] Constantiensi episcopo : « Sollicitudo dilectionis tuæ nos studuit consulere, utrum portitor istarum litterarum diaconatus et presbyteratus officium idoneus sit peragere, necne, cum ad id præpropero saltu vel [saltu vel, *desunt in ms. c.*] cursu, videlicet sine subdiaconatus ordine, negligentia potius quam superbia cognoscatur ascendisse. Unde nos consulendo charitati tuæ mandamus, ut ab officio sacerdotali eum prohibeas, donec proximo Quatuor Temporum jejunio, subdiaconatus ministerium ei rite [*al.* sibi rite] imponas, et sic deinceps ad majora officia eum redire concedas. » Valete.

EPISTOLA CLXXXVI.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister*, LAURENTIO, *monasterii Charitatis monacho, salutem.*

Inquisitiones tuæ multiplici egent et prolixa responsione, quæ epistolari non possunt brevitate commode enodari, imo egerent librorum copiosa explicari disputatione, et multarum scripturarum quæ dicerentur fulciri auctoritate. Præterea si in aliquibus vellemus uti canonum moderatione, videremur quibusdam simplicibus legis æmulatoribus [*antea* cumulatoribus] contra canones agere, quorumdam vero ambitionibus defensionis argumenta præparasse. Idcirco tales disputationes [*al.* dispensationes, *ita ms. c.*] non videntur scripto commendandæ, ne, si in multorum manus venerint, plus obsint indiscretis quam prosint discretis. Paterna tamen re-

(*a*) Ita in vett. codd. antea, *episcopum*, citatur in c. 7, dist. 11.

(*b*) Codicum, lib. VI, tit. 11, *ms. c.*, l. II, *Quæ sit longa consuet.*

gula est,quæ multis propositionibus tuis diligenter perspecta sufficere poterit,videlicet: « quia communio malorum neminem maculat, sed consensio factorum. » Et alibi : « Nullius crimen maculat nescientem (*a*).» Et alibi : « Qui non habet potestatem reum condemnare,aut non potest comprobare,immunis est.» Unde dicit Augustinus in secundo libro De unico bapstismo (lib. I. in cap. *Forte*, caus. 23, q. 4) : « Forte in populo Dei stat juxta te avarus, raptor, rebus alienis inhians, quem nosti talem, et fidelis est vel fidelis vocatur ; non eum potes de Ecclesia pellere; non habes aliquem aditum : castigando et corripiendo corrige. Accessurus est tecum ad altare, noli timere. *Unusquisque enim onus proprium portabit* (*Gal.* VI). Quomodo, inquis, ferrem quem novi malum ? nonne melius ipsum ferres, quam te foras efferres ? ecce quomodo ferres, si [si *abest a duob. v.c.*] attenderes Apostolum dicentem : *Unusquisque onus proprium portabit*, liberaret te ista sententia. Non enim communicares cum illo avaritiam,sed communicares cum illo Christi mensam, et quid tibi obesset, si cum illo communicares Christi mensam ? Apostolus dicet : *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit* (*I Cor.* XI) *sibi* non tibi sane si judex es,si vindicandi (*b*) potestatem accepisti, **78** ecclesiastica regula,si apud te accusatur, si veris documentis testibusque convincitur, coerce, corripe, excommunica, degrada.» Idem in epistola contra Parmenianum : « Revera cum contagio peccandi [*al.* peccati] multitudinem invaserit (epist. 288),divinæ disciplinæ severa misericordia necessaria est. Nam concilia separationis et inania sunt et perniciosa atque sacrilega,quia et impia et superba sunt,et plus perturbant infirmos bonos, quam corrigant animosos malos. » Idem in epistola ad Vincentium (epist. 48) : « Non enim propter malos boni sunt deserendi, sed propter bonos mali sunt tolerandi,sicut toleraruut prophetæ contra quos tanta dicebant, nec communione sacramentorum illius populi relinquebant ; sicut ipse Dominus nocentem Judam usque ad condignum ejus exitium toleravit,et eum sacram cœnam cum innocentibus communicare permisit,sicut et [etiam,*ms. c.*] toleraverunt apostoli eos qui per invidiam, quod ipsius est diaboli vitium, Christum annuntiabant.» Hæc de non vitanda communione malorum beati viri dicta sufficiant. Si autem quis in impietate sua perdurans ab Ecclesia nominatus fuerit, et judicio Ecclesiæ communione privatus, hujus tantum vitanda est communio ab his ad quorum aures excommunicatio illa pervenerit. Unde Apostolus ait : *Si is qui frater est nominatur fornicator* [*est*, ms. c.], *aut avarus, aut idolorum serviens* [al. *aut idolis serviens*], *cum hujusmodi nec cibum sumere* (*I Cor.* V). De dandis autem vel non accipiendis muneribus erga tales personas hæc ratio mihi servanda videtur, ut nihil eis detur nisi intuitu et compassione humanæ indi-

(*a*) Ex S. Aug., epist. 48,in cap. *Nimium*, can. 13. q. 4.

A gentiæ, neque ab eis aliquid accipiatur,nisi inevitabilis cogat necessitas ; quod minime fieri videatur causa familiaris rei augendæ,sed tantum causa necessitatis implendæ. Sic Israelitæ in terra Ægyptiorum bona (*Num.* XXII), sic in terra Madian ad usus necessarios acceperunt res Madianitarum (*Exod.* XII). De his consultus Gregorius papa VII, ita scribit (c. 101, *Quoniam*. caus. 11, q. 3) : « Quoniam peccatis nostris exigentibus,multos quotidie causa excommunicationis perire cernimus, partim ignorantia,partim nimia simplicitate,partim timore,partim etiam necessitate devicti misericordia, anathematis sententiam, prout [*unus v. c.* ad tempus prout] possumus, temperamus. Apostolica itaque auctoritate ab anathematis vinculo hos subtrahimus,videlicet uxores, filios, servos, ancillas, seu mancipia, necnon B rusticos et servientes,necnon et omnes illos qui [*in uno v. c.* alios qui] non adeo curiales sunt,ut eorum consilio scelera perpetrentur et eos qui ignoranter communicant excommunicatis, sive illos qui communicant cum eis qui excommunicatis communicant. Quicunque autem aut arator, seu peregrinus aut viator in terram excommunicatorum devenerit, ubi non possit emere, vel unde emat non habuerit, ab excommunicatis accipiendi licentiam damus. Et si quis excommunicatis non pro sustentatione superbiæ, sed humanitatis causa voluerit dare, non prohibemus.» De emptionibus vero rerum ecclesiasticarum quas monachi a laicis faciunt, hoc tuæ fraternitati respondemus, quia,si res ecclesiasticas de laicorum servitute dato pretio liberarent,et juri C ecclesiastico et episcopali dispositioni restituerent, non solum non improbaremus,sed vehementer laudaremus, quia non videretur esse emptio, sed a cunctis pie sentientibus laudanda redemptio ; sic captivi fidelium pietate redimuntur,cum redemptores ipsos redemptos non in suam redigunt servitutem,sed in pristinam restituunt libertatem. Verum quia rarus est, aut nullus qui hæc emat, nisi suis aut suorum usibus,non est hæc appellanda pia redemptio, sed inter ementes et vendentes cupida et periculosa coemptio. De oblationibus malorum quos adhuc intra Ecclesiam toleramus, hoc sentimus, quia,quamdiu eis ecclesiastica dispensatione communicamus, vanum et supertitiosum videretur, si oblationes eorum refutaremus. Nam et Dominum D Jesum Christum, cujus vita disciplina morum fuit Zachæus publicanus in domum suam invitavit, et de suis ei facultatibus ministravit (*Luc.* XIX). Tunc enim recte incedit Christiana religio, cum aut ea facit quæ Christus fecit, aut evitat [ea vitat,*ms. c.*] quæ Christum evitasse cognoscit. Donationes vero et concessiones excommunicatorum,quibus nec dicendum est ave (*II Joan.* I), propter infirmos vitandas esse consulimus, quia, licet Apostolus dicat : *Omnia munda mundis* (*Tit.* I) : consequenter tamen addit, *sed malum est homini qui per offendiculum*

(*b*) Ita plerique v. c. ut etiam epist. 288 ; in aliis *judicandi*, ita ms. c.

manducat (*Rom.* I, 4). Unde etiam in Epistola ad Corinthios : *Si quis,* ait, *vocat vos infidelium, et vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Sive ergo manducatis, sive bibitis, omnia in gloria Dei facite. Sine offensione estote Judæis et gentibus et Ecclesiæ Dei, sicut ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant* (*I Cor.* x). Hæc est apostolica et sana doctrina Quare talium donationes vel concessiones vitandæ sunt, non quod Dei creatura ex eis munda [munda *deest*] immunda fiat, quia *Domini est terra et plenitudo ejus* (*Psal.* XXIII), sed ne [*al.* sed quod, *ita ms. c.*] simplicium ex hoc infirmetur conscientia, cum talibus conjecturis existimant bonis eorum malefacta facere [placere, *ms. c.*], vel quæ prius abhorrebant mala non esse. Simili de causa divinæ leges pariter et humanæ refutant et vitant eorum [*quidam v. c.* refutari jubet eorum, *ita ms. c.*] testimonia et judicia, non quod non aliquando vera testificentur, et justa decernant, sed ut tali repulsa confutati ab errore suo desistant. De his qui criminalia peccata occulte confitentur, nihil melius respondere possum quam quod beatus Augustinus in quadam epistola scribit (epist. 206). « Nos a communione nullum suspendimus, nisi accusatum publice [*al* quemquam suspendere non possumus, *al.* nullum suspendere possumus, nisi publice accusatum, *ms. c.*] atque convictum, vel sponte confessum similiter publice.» De manifestis autem manifesta sententia est, quia qui manifeste peccarunt, manifeste sunt arguendi, et publica pœnitentia sunt corrigendi. Dicendum est tamen eis non præcipiendo, sed consulendo, ut seipsos ab officiis ecclesiasticis suspendant, vel a sacramentorum communione abstineant, quia tali humilitate et pœnitentia verius agitur, et salus reparata tutius munitur. Sacramenta tamen divina a talibus tractata propter indignitatem eorum non sunt deteriora, sicut, propter dignitatem meliorum non sunt meliora (epist. 73 et 236), sed apud quoscunque sunt, secundum beatum Augustinum, eadem ipsa sunt. De excommunicatis communi sententia non tamen nominatis, sive in capitulo, sive in concilio facta sit illa excommunicatio, sive sint Simoniaci, sive presbyteri uxorati, idem consilium est quod est de aliis criminosis, quia non sunt a communione suspendendi, nisi publice convicti, vel publice confessi, quia et Dominus Judam furem sciebat, et ita excommunicatum ut etiam diabolum nominaret, tamen quia non fuit accusatus, donec seipsum Dominum prodendo manifestavit, minime eum abjecit. De subjectis quoque idem sentimus,
79 quia non debent deserere prælatos suos, nisi prius eos viderint publice damnatos, aut nominatim excommunicatos. De mutua confessione, de qua dicit apostolus Jacobus : *Confitemini alterutrum peccata vestra* (*Jac.* v), hoc respondeo, quia sufficit pro quotidianis et levibus peccatis si congrua sequatur satisfactio. Si vero graves sint culpæ, ab eo cui data est potestas ligandi atque solvendi, quærenda est absolutio. De excommunicato hospitio recepto sufficere videtur, si hospes qui eum suscepit contineat se a mensa excommunicati et osculo (*a*). Puto me breviter pene ad omnia proposita tua, et si non ad omnia, tamen ad graviora, respondisse, tuæ discretioni relinquens, ut singulis capitulis sparsim digestis generales sententias accommodes ; quæ diligenter perspectæ non dicam singulis propositis, sed fere unaquæque sententia pluribus poterit capitulis obviare. Cum autem simul (*b*) colloqui Deo disponente poterimus, si qua restant, aut ex his quæ modo scripsimus, aut ex aliis quæ Dominus inspirare voluerit, gratanter respondebimus. Vale.

EPISTOLA CLXXXVII.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister,* ADELÆ, *excellenti comitissæ, salutem et servitium.*

Abbas Bonevallensis monasterii, et congregatio sibi commissa lacrymosis et miserabilibus clamoribus aures Dei et hominum pulsant, conquerentes quod propter interfectionem Hugonis Nigri, injuste eos et homines sui juris vexatis, et angarias contra privilegia et instituta prædecessorum vestrorum super eos faciatis [*al.* facitis], in tantum ut nec misericordiæ nec judicio apud vos eis locum relinquatis [relinquitis]. Quod ego audiens non possum non ingemiscere gemitibus eorum, qui et in prosperis debeo eis congaudere, et in tribulationibus condolere. Unde monendo rogo, et rogando moneo, ut severitatem intentatam prudenti et discreto consilio temperetis, ne grex Dominicus insolitæ tribulationis tempestate dispergatur, et religio quæ istis temporibus refloruerat, aut minuatur aut omnino ad nihilum redigatur. Præterea debetis consulere saluti vestræ et famæ vestræ, ne vanum videatur quod monasteria quæ non sunt juris vestri, muneribus vestris sustentatis, et quibus modis potestis ampliatis, ea autem quæ vestri juris sunt, minuitis et quasi servili oppressione subjugatis. Unde, ne ista ad aures multorum perveniant, et famæ vestræ, sicut saluti, plurimum detrahant, sicut monui iterum moneo, ut mitius agatis, ne insolita et intolerabilis severitas posteris vestris sit in exemplum, et vobis in peccatum æternum [*al.* sempiternum, *ita ms. c.*]. Timendum est enim vobis ne gemitus servorum Dei ad aures ejus perveniant, et qui apud vos misericordiam non inveniunt misericordiæ vobis januam claudant. Sicut enim ipsi dicunt qui a vobis opprimuntur, continuo gemitu Dei aures implebunt, et quotidiana conquestione aures populi Dei tam in vicinis quam in remotis locis, donec Dominus imperet ventis et mari, et quiescant fluctus ejus. Quod quia periculosum est vobis et ignominiosum, det vobis Dominus spiritum consilii, ut meliora eligatis, et quæ sunt periculosa fugiatis. Valete.

(*a*) Hoc ex Calixto papa refert Ivo lib. v. Panno., De senten. excom. et Gratian. in can. *Excommunicatos*, caus. 11, q. 3.

(*b*) *Simul* deest in ms. *c*.

EPISTOLA CLXXXVIII.

RADULPHO, *venerabili Remensium archiepiscopo*, Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, perseverantem in tribulatione patientiam* (*a*).

Quæsivit a me, quod melius me novit vestra prudentia, utrum mulier quæ post completa sacramenta et officia nuptiarum infra duos aut tres menses peperisse cognoscitur, debeat propter fœdera nuptiarum in conjugio manere, an propter patratum ante nuptias flagitium matrimonii dignitatem amittere, cum lex Moysi (*b*) hujusmodi jubeat lapidari. Super qua re non memini me canonicam invenisse sententiam; dico tamen sine præjudicio melioris sententiæ, quia si ante celebrationem sacramenti conjugalis, cognita fuisset mulieris turpitudo, secundum legum severitatem non esset honestanda matrimonio sed asperis objurgationibus tanquam lapidum jactibus [*al.* ictibus] severa ei esset adhibenda correptio Verum, postquam simpliciter præcedente consensu contracta sunt fœdera nuptiarum, postquam matrimoniales tabulæ datæ sunt, et cætera conjugii sacramenta completa sunt, vir et mulier unum corpus per commistionem carnis facti sunt, non intelligo posse dissolvi conjugium, nisi divortii causa intercurrat adulterium, quamvis enim (*c*) ex adulterio, docente Evangelio, possit mulier marito reconciliari, quanto magis ex simplici fornicatione quæ patrata est quando nondum erat alligata lege maritali? Continetur libro Constitutionum [l. XXIII, cod. *De nuptiis*], quia meretrices possunt honestiorem vitam eligere, et matrimonii jura contrahere, quanto magis mulieres, quæ occulte peccaverunt, et quæstum corpore non fecerunt? Unde Augustinus in libro. De conflictu virtutum atque vitiorum :« Quibusdam nubendi licentia tribuitur, hoc est quæ [*al.* qui, *ita ms. c.*] virginitatem vel castimoniam vidualem nequaquam professæ [professi, *ita ms. c.*] sunt. Fornicatio vero nulli impune conceditur. » Hæc sententia non fornicariam excepit, nec fornicarium a lege conjugii, sicut et Paulus lapsibus humanæ fragilitatis occurrens scribit ad Corinthios : *Propter fornicationem unusquisque habeat uxorem suam, et unaquæque habeat* (*d*) *virum suum* (*I Cor.* II). Quibus verbis medicinaliter provisum est, ut carnalis commistio quæ damnabilis foret turpitudine flagitii, venialis fieret honestate matrimonii, nec jam reputentur fornicariæ quæ prius erant inhonestæ, neque liceat viris eas propter priorem lapsum dimittere, dicente Apostolo : *Alligatus es uxori, noli quærere solutionem* (*I Cor.* VII). Cum enim fornicatio et in Veter Testamento et Novo æque inhonesta et damnabilis habeatur, ut de inhonesta faceret honestam, præceptum est Oseæ a Domino, ut uxorem sibi duceret mulierem fornicariam. Unde beatus Hieronymus in explanatione super Oseam (lib. I, c. 1 et epist. 148) ita scribit : « Non est culpandus Osea propheta, si
A meretricem quam duxit, convertit ad pudicitiam, sed potius laudandus, quod ex mala bonam fecerit. Non enim qui bonus permanet, ipse polluitur si societur malo, sed qui malus est in bonum vertitur si boni exempla sectetur, ex quo intelligimus prophetam non pudicitiam perdidisse si copulatum [*al.* per cop.] fornicariæ, sed fornicariam assumpsisse pudicitiam quam prius non habuerat. » Ex his beati **80**
Hieronymi verbis colligi potest quia si propter consortium pudici redditur mulier pudica, e contrario propter divortium ejus redditur impudica. Unde cum leges honestati consulere debeant et saluti, tutius mihi esse videtur, ut vir mulierem quam duxit, licet nesciens impudicam retineat uxorem, quam suo divortio et illam fornicariam, et se faciat fornicatorem.
B Beati quoque doctores nostri, Ambrosius et Augustinus hujusmodi mulierum lapsus suadent potius a viris debere dimitti quam districte et sine misericordia judicari, cum et ipsi viri vix possint a similibus impudicitiis immunes videri [*al.* inveniri] (epist. 125). Unde Augustinus De verbis Domini, tractatu 47 :« Si ducturi estis uxores, servate vos uxoribus vestris. Quales vultis eas ad vos venire, tales debent et ipsæ vos invenire. Intactam quæris? intactus esto. Puram quæris? noli esse impurus. » Inde et Ambrosius in sermone De accusato Domino. « Pudicitiæ causam nisi vir pudicus accusare non debet. Talem enim arbitrum meretur castimonia, apud quem non periclitetur verecundia. Quid enim tam divinum, quid tam justum sentias, quam ut is peccatum feriat qui [*quidam v.* peccata censeat, qui; *ita ms. c.*] peccati sit
C expers? Quomodo enim feras alieni ultorem, et proprii criminis defensorem ? » Unde et Augustinus in libro De verbis Domini, tractatu 47 : « Dicit Dominus quod dicere debet mansuetus et justus : *Qui sine peccato est, prior in adulteram mittat lapidem* (*Joan.* VIII). Hæc vox justitia est, puniatur peccatrix, sed non a peccatore. Impleatur lex, sed non a prævaricatoribus legis. » Item Augustinus, De decem chordis : « Quoniam virtus castitas est, tu sub uno impetu libidinis cadis, et vix uxorem [tuam, *ms. c.*] vitricem esse, tu victus jacens? Si caput est vir, melius debet vivere, et omnibus bonis factis præcedere uxorem suam. » Ex his et hujusmodi sanctorum Patrum sententiis ratiocinando colligi potest quia illicitus coitus, ante nuptias vel sponsalia patratus, non po-
D test postea initum separare conjugium, quanto minus partus, qui non est fructus vitii, sed naturæ ? Ad hoc si quis altius intuens objiciat ex verbis Leonis papæ non esse nuptias in quibus non continetur sacramentum Christi et Ecclesiæ; cui per Paulum dicitur : *Desponsi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo* (*II Cor.* II), audiat Hieronymum dicentem in tractatu octogesimi sexti psalmi :« Rem miram vobis loquor, sed tamen veram. Sion nostra in qua aliquoties alienigenæ sunt, et Tyrus, et Æthio-

(*a*) Hujus tituli causa et ratio petenda est ex his quæ scribit epist. 190.
(*b*) Sic habent omnes v. c.; antea, *Mosis*.

(*c*) *Enim* deest in ms. c.
(*d*) *Habeat* deest in ms. c.

pes, illa specula, illa Raab meretrix, illa Babylon, illa quæ devaricavit [*al.* divar.] pedes suos cum omni transeunte secundum Ezechiel [*al.* Iezechiel] illa meretrix si voluerit repente virgo efficitur. » Si ergo Raab non repellitur a spirituali conjugio Christi, cur mulier lapsa non admittitur ad conjugium viri honesti? Neque enim ab hujusmodi nuptiarum fœdere discrepat sacramentum Christi et Ecclesiæ. Non ergo conveniens est Christianæ pietati, neque sacramentis ecclesiasticis ea est inferenda injuria, ut quamvis celerius vel tardius celebrata sint quam traditus ordo postulat, eos tamen quos de turpitudine transtulerunt ad honestatem, de civitate diaboli ad civitatem Dei, nos indiscreta severitate cogamus reverti de honestate ad turpitudinem, de civitate Dei ad civitatem diaboli. Si vero aliter in aliquibus capitulis repertum fuerit, severitati disciplinæ est ascribendum. Sed, ubi salus periclitatur, moderatione legum saluti intelligimus consulendum. De cætero sciat dilectio vestra, quia pro pace Ecclesiæ Remensis et vestra, regem humiliter et fideliter interpellavimus (epist. 190), et suo tempore interpellare non desistemus. Vale.

EPISTOLA CLXXXIX.

Ivo, *Carnotensis Ecclesiæ humilis minister* (*a*).

Noverit sancta Romana Ecclesia, noverint omnes Ecclesiæ, ad quas murmur Remensium clericorum pervenerit, nos in consecratione Ludovici regis Francorum nihil nostrum quæsisse, sed pro communi utilitate regni et sacerdotii consulte vigilasse. Erant enim quidam regni perturbatores, qui ad hæc [*al.* qui, ad hoc, *ita ms. c.*] omni studio vigilabant, ut aut regnum in aliam personam transferretur, aut non mediocriter minueretur. Quod ne fieret, cooperante Deo, et pro integritate regni, et pro tranquillitate Ecclesiarum, quantum potuimus præcavere studuimus. Unde livori ascribendum videtur aut tumori, si quis utili et honestæ actioni deroget, quam nec ratione potest redarguere, nec consuetudine infirmare, nec lege damnare. Si enim rationem consulimus, jure in regem est consecratus, cui jure hæreditario regnum competebat, et quem communis consensus episcoporum et procerum jampridem elegerat. Præterea quæ ratio est Belgicorum regem suum creare et consecrare, quamvis in aliis provinciis regnaturus sit, si ita ipsorum regum voluntas et temporum atque locorum opportunitas se obtulerit, eadem est Celticorum et Aquitanorum, qui Belgicorum [*al.* Belgiarum] provinciæ nihil debent, regem suum, quamvis et in Belgica regnaturus sit, eligere, et omne regi debitum obsequium exhibere. Si vero ad consuetudinem recurrimus, quæ in exemplis maxime declaratur, respondemus ex verbis Augustini, quia ratio exemplis anteponenda est, cui tamen et exempla concordant. Ecce rationem dedimus, quam [*al.* cui] apud eos æque validam super hoc negotio inveniri non credi-

A mus. Addamus et exempla rationi concordantia. Sicut enim legitur in Gestis Francorum: « Diviso regno inter [*al.* divisum est regnum inter] filios Lotharii nepotes Clodovei, Charibertus et Guntrannus provincias Celticorum et Aquitanorum acceperunt in regnum suum, et alter eorum Charibertus, scilicet Parisium [*al.* Parisius, *ita ms. c. ut epist.* 5] sibi sedem regiam posuit, et usque ad flumen [*al.* ad fluvium] Garunnam regnum suum extendit; Guntrannus vero Aurelianis [*al.* Aurelianum] sedem regiam sibi constituit et Burgundiam, quæ Celticæ pars est, in regnum accepit. » Isti quippe reges nullam a Remensi archiepiscopo [*al.* episcopo] benedictionem vel coronam acceperunt, sed et sacerdotibus provinciarum quas regebant, sublimati sunt et sacrati [*al.* consecrati].
B Postquam vero regnum Gallorum in suam monarchiam revocatum est, delata progenie [*vel* propagine] Clodovei, Pipinus et filii ejus Carolus et Carlomanus [*al.* Carlomagnus *vel* Carlomannus], nec Remis nec a Remensi archiepiscopo in reges sublimati sunt, nec injuncti. Ludovicus quoque nepos Ludovici senioris apud Ferrarias, qui locus est in pago Senonensi, et uxor ejus nullo præsente metropolitano a quibusdam episcopis in reges sunt consecrati et coronati. Unde in Gestis Francorum ita legitur: « Audientes Hugo abbas et cæteri primates qui **81** cum filiis quondam senioris (*b*) sui Ludovici agebant, Ludovicum nepotem cum uxore sua ad has partes venturum quosdam episcopos miserunt ad Ferrarias monasterium, et ibi consecrari eos et co-
C ronari in reges fecerunt. » Item in Gestis Francorum: « Supererant duo filii Roberti comitis Andegavorum, qui fuit Saxonici generis vir. Ex his senior Odo dicebatur, Robertus alter? ex his majorem natu Odonem Franci et Burgundiones, Aquitanienses que proceres congregati in unum, licet reluctantem tutorem Caroli pueri, regnique elegerunt gubernatorem, quem unxit Walterus [*al.* Galterus, Gualterius, *vel* Gauterius] archiepiscopus Senonum. » Item: « Carolus simplex in carcere positus, Rodulfum nobilem filium Ricardi Burgundionum ducem, quem de fonte sacro susceperat, una cum (*c*) consilio Hugonis magni filii supradicti Roberti, et procerum Francorum in regnum sublimavit. Unctus vero est in regem ipse Rodulfus tertio Idus Julii Suessionis
D civitate. Post mortem Rodulfi regis, per Vuillelmum [*al.* Guillelmum] archiepiscopum reductus est ab Anglia Ludovicus filius Caroli Simplicis in Franciam, et quarto Kal. Julii [*al. leg.* et decimo tertio Kal. Jul. *vel etiam in ms. c.* XII, Kal. Jul.] unctus est in regem apud Laudunum. Post translationem vero regni Francorum in progeniem Hugonis magni ducis, Robertus piissimus rex filius Hugonis regis, Aurelianis in regem consecratus est et coronatus, cujus filius Hugo juvenis Compendii est unctus, et in regem sublimatus. » Ex his et hujuscemodi exem-

(*a*) In uno v. c. titulus est: *De ordinatione regis Francorum.* In alio: *De consecratione Ludovici regis.* Vide locum Sugerii abbatis in *Vita Ludovici Crassi.*

(*b*) Eadem notione id verbi sumitur epist. 194.

(*c*) *Cum*, abest a tribus v. c.

plis manifestum est quod Francorum reges non omnes in Remensi Ecclesia, vel a Remensibus archiepiscopis sunt consecrati, sed multi in multis aliis locis, et a multis aliis personis consecrati sunt. Quæ omnia si retexerentur, et prolixam facerent orationem, et superfluam disputationem : cum nullis scriptis vel exemplis probari possit, Remensem [*al.* Remorum] archiepiscopum Francorum regem extra Belgicam unxisse aut coronasse. Cum ergo hæc eadem potestas sit cujusque metropolitani in metropoli sua, mirum videtur quare [*al.* non video quare] unus in proprium jus ambiat vindicare quod multorum constat esse commune, nisi forte quis dicere audeat majorem vim sacramentorum esse apud alios quam apud alios, quod schismaticum esset, et unitatem Ecclesiæ divideret. Hæc dicentes non reprehendimus institutionem ecclesiasticam, per quam pax Ecclesiæ firmius colligata est, cum inferiores a superioribus sacramentorum dispensationem suscipiunt, nec ultra quam sibi concessum est usurpare præsumunt. Verum ubi personarum æqualis est potestas, quarum altera alteri nihil præter charitatem debet, si altera alteri jus suum vult detrahere et sibi soli arrogare sua quærens, deceptus est sæculi ambitione. Nos quippe Remensi Ecclesiæ non invidemus, et si reges Francorum erga eam habuerint tantam devotionem, ut malint a metropolitano ejus consecrari quam ab alio, non repugnamus, non dolemus, imo super benedictionem eorum, si nos adesse contigerit, gratanter loco idiotæ *amen* respondebimus. Supradicta vero verborum serie ostensum est in unctione Ludovici regis nihil nos fecisse contra morem. Restat ut ostendamus nihil nos fecisse contra legem Lex quippe est præceptio vel prohibitio scripta, ad communem utilitatem referens quidquid jubet aut prohibet. Contra hanc ergo nihil fecimus, qui nulla contradictione prohibiti, communi utilitati in hoc facto charitate suggerente consuluimus. Si vero privilegiis nititur Remensis Ecclesia, illa privilegia apud nos nulla sunt, quia nec in generalibus conciliis nobis audientibus sunt recitata, nec ad Ecclesias nostras epistolaria [*v.c.* epistolari] maturitate directa, et, ut manifestius dicamus, nulla nobis familiari vel publica ratione propalata. Illius ergo legis prævaricatores non sumus, cujus auditores nunquam fuimus. Quæ tamen, si audita esset, nihil nobis obesse deberet. Lex enim justa debet esse et possibilis, loco et tempori congruens. Justa si sit, Deus scit. Nos autem interim nec ut justam approbamus, nec ut injustam condemnamus, quam adhuc ignoramus. Possibilis vero non erat, quia consecratio regis Remis ab archiepiscopo Ecclesiæ nondum intronizato (*a*), sine summa perturbatione et sanguinis effusione celebrari non poterat. Loco non conveniebat, quia civitas sub anathemate posita erat. Tempori opportuna non erat, quia si consecratio regis differretur, regni status et Ecclesiæ pax graviter periclitatur. Quod

(*a*) Gervasius et Radulfus contendebant inter se de episcopatu Remensi, ut indicat epist. 190.

A ergo fecimus, salubri deliberatione et provida dispensatione fecimus, nulli invidentes, nullius auctoritatem nobis arrogare molientes, sed nos intra terminos nostros simplici oculo cohibentes (epist. 67). Sentiant aliter qui volunt; non timemus tribunal terreni judicis, quia securos nos facit conscientia nostra ante tribunal interni cognitoris [Conditoris, *ms.c.*]. Novimus enim quia necessariæ dispensationis modus nulli unquam sapientium displicuit (epist. 214), quem non solum privatæ leges, quibus nec fidei veritati, nec morum honestati consulitur, sed etiam leges generales contra hæreticos vel sceleratos promulgatæ admittunt, quando majoribus morbis sanandis, vel majoribus malis amovendis melius subvenit moderatio sinceB ræ charitatis quam rigor indiscretæ severitatis. Hæc [hoc, *ms. c.*] primo ex auctoritate evangelica dehinc ex Actibus apostolorum, tertia ex Epistolis [exemplis, *ms.c.*] Apostoli, postremo ex decretis Romanorum pontificum, cæterorumque ortodoxorum Patrum sententiis facile probarentur, nisi prolixitas epistolæ modum excedere videretur.

EPISTOLA CXC.

PASCHALI *summo pontifici*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister*, *dilectionem filii et obedientiam per cuncta subjecti.*

Notum esse volumus excellentiæ vestræ, quia ego et domnus Theobaldus beati Martini monasterii Parisiensis prior audientes miserabilem et mirabilem Remensis Ecclesiæ desolationem, ausu familiaritatis opportune et importune regem Franco-
C rum interpellavimus, quatenus prædictæ Ecclesiæ expulso invasore Gervasio pacem restitueret, et domnum Radulfum ejusdem Ecclesiæ metropolitanum in gratiam suam receptum (*b*), eidem Ecclesiæ præesse concederet. Acquievit tandem precibus nostris, et concessit ut eum ad curiam suam, quæ Aurelianis in Natali Domini congreganda erat, secure adduceremus, et ibi cum eo et cum principibus regni de hoc negotio, quantum fieri posset, salva regni integritate tractaremus. Factum est ut condictum erat, et convenientes in curiam multiplicatis intercessoribus petitionem nostram semel et **82** sæpius replicavimus. Sed reclamante curia plenariam pacem impetrare nequivimus, nisi prædictus metropolitanus per manum et
D sacramentum eam fidelitatem regi faceret, quam prædecessoribus suis regibus Francorum antea fecerant omnes Remenses archiepiscopi, et cæteri regni Francorum quamlibet religiosi et sancti episcopi. Quod persuadentibus et impellentibus totius curiæ optimatibus, et si propter mandatorum rigorem minus licebat, factum est tamen, quia ecclesiasticæ paci et fraternæ dilectioni sic expediebat. Cum enim plenitudo legis sit charitas (*Rom.* XIII), in hoc legibus obtemperatum esse credimus, in quo charitatis opus impletum esse cognovimus. Petimus ergo flexis genibus cordis, ut hoc eodem intuitu charitatis et

(*b*) Hinc pendet interpretatio verborum quæ habentur in fine epist. 188.

pacis veniale habeat paterna moderatio, quod illicitum facit non æterna lex,sed intentione acquirendæ libertatis præsidentium sola prohibitio (epist. 60 et 236). In excessibus ergo filiorum utili dispensatione et compensatione contractis, sufficiat patri verbum pro verbere, et devota filiorum supplicatio pro summo reputetur supplicio. Si enim vult apostolica auctoritas omnia quæ medicinali condescensione dispensantur districte judicare, oportebit pene omnes ministros administrationibus suis renuntiare, aut de mundo exire, nec habebunt ubi seminent spiritualia, nisi permittantur aliqua tolerare carnalia (epist. 214). Unde necessitati temporum cedendum esse apostolica docet sublimitas, et orthodoxorum consulit auctoritas dicens : quia ubi populorum strages jacent, detrahendum est aliquid canonum severitati, ut majoribus morbis sanandis charitas sincera subveniat (c. *Necessaria*, et seqq. caus. 1, q. 7, et epist. 236). Hæc dicendo tamen doctam paternitatem vestram non docemus, sed eamdem consulendo et rogando monemus, ut ibi consilii et pietatis studeatis visceribus abundare, ubi fas non est debitam fortitudinem exercere. Valete.

EPISTOLA CXCI.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister*, HUGONI *reverendo Cluniacensis monasterii abbati, salutem et servitium.*

Est in quodam monasterio ditionis vestræ quidam frater, qui cum esset clericus in sæculo degens quamdam mulierem gravidam, cum qua consuetudinem habebat, oppressit. Mulier vero post aliquot dies abortivum fecit. Sed utrum hac oppressione vel alia occasione mulier abortierit, et opprimenti et oppressæ fuit incertum. Propter hanc tamen causam ab accipiendis sacris ordinibus suspenditur, et a sacramentorum dispensatione removetur. Videtur multis hæc prædura sententia, ut pro incerta culpa tam severum confirmetur judicium, cum dicat consona Evangelio canonica sententia (Sixtus papa, in c. *Si quis*, caus. 30, q. 5) : Nullus pontificum incerta judicare præsumat. » Quæ tamen culpa si certa esset, secundum antiquorum exempla, mitius animadverti potuisset [*al.* posset, *ita ms. c.*], si tamen infirmis mentibus non obesset. Sanctus enim David post actam de adulterio et homicidio pœnitentiam, prophetiæ spiritum non amisit (*I Reg.* XI). Petrus postquam Christum cum perjurio negavit, culpam lacrymis diluens (*Matth.* XXVI), non solum apostolus, sed etiam apostolorum princeps mansit (Ambr. serm. 47. *De fide Petri*, can. *Hi qui.* dist. 50). Paulus, post persecutionem et cædem discipulorum Domini, ad apostolicum fastigium pervenit. Homicida ille, quem beatus Joannes Ephesino episcopo nutriendum, erudiendumque commiserat, post cædes et rapinas ductus pœnitentia, non solum indulgentiam obtinuit, sed etiam beato Joanne ordinante Ephesinæ Ecclesiæ præpositus fuit (*a*). Istæ memorabiles personæ quia veram pœnitentiam egerunt, plenam indulgentiam meruerunt, non tantum ad culpæ remedium, sed etiam ad obtinendum pastoralis curæ fastigium. Verumtamen hæc exempla legem non faciunt, quia sicut dicit beatus Augustinus (*b*): « Posterorum [*al.* posteriorum *ita ms. c.*] diligentia severissime sanxit ut post actam de crimine pœnitentiam nullus in clericatu maneat, nullus ad clericatum accedat, quod dictum esse creditur non dispensatione indulgentiæ, sed rigore disciplinæ, quoniam aliqui propter affectatas honorum potentias, fictas agebant pœnitentias. » Unde mihi videtur quia sicut ficta pœnitentia ficte pœnitentes a clericatu repellit, ita vera pœnitentia vere pœnitentes ad clericatum admittit. Hæc dicentes sacris Patrum regulis non obviamus, sed ex ratione et exemplorum commemoratione in præsidentium intelligimus positum esse discretione, ut quos viderint veram egisse pœnitentiam, eos ad ecclesiasticam possint promovere militiam, si tamen publicam non egerint pœnitentiam (*c*) ; talibus enim ideo clericatus denegatur, quia ab insidiatoribus divinis sacramentis pro hujusmodi derogatur, et simplicium animus aut scandalizatur, aut infirmatur. Hic vero nihil horum est, quia nec culpa est certa, nec pœnitentia publica ; persona vero honesta, quantum de alterius vita æstimare potest humana conscientia. Quæ ideo nobis videtur Deo posse offerre sacrificium, quia seipsam Deo fecit holocaustum. Quis sit ille frater, de quo agimus, dicent vobis fratres præsentium portitores, pro quo supplicamus reverentiæ vestræ, ut mitigato rigore vestræ consuetudinis, eum ad sacros ordines promoveri concedatis Prudenti loquimur, nihil vos docentes, neque aliquid dicentes quod non noverit vestra prudentia, et sæpe tractaverit vestra solertia. Valete.

EPISTOLA CXCII.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister, monachis Columbensibus* [quidam cod. *Columbinis*], *idipsum sapere in Domino.*

Ut verbis Dominicis utar : *Ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum* (*Luc.* XXII), quia quorumdam suasionibus a sensu vestro turbati estis, qui, pharisaico fermento inflati, non Dominico frumento impinguati, glorientur in vilitate ciborum, et in non parcendo corpori, cum, secundum Apostolum, *corporalis exercitatio ad modicum sit utilis* (*I Tim.* VIII), *et Regnum Dei non* sit *esca et potus, sed justitia et pax gaudium in Spiritu sancto* (*Rom.* XIV). Tales quippe non habentes exercitatos sensus in intelligentia Scripturarum, quæ sapiunt non sapiunt *ad sobrietatem* (*Rom.* XII), *neque de quibus affirmant* cum debita discretione intelligunt (*I Tim.* I),

(*a*) Abdias Bab. lib. Euseb. Hist. eccl., lib. III, cap. 17, et Nicephor. Cal. lib. II, cap. 42.

(*b*) S. August. epist. 10, ad Bonifacium. Vide Grat. l. I Decret. dist. 50 ; et Ivonem decreti lib. III, tit. *De lapsis post ordinat.*

(*c*) Cap. 49, 50, 52, 53 ; dist. 50, et cap. 1, 2, 3 ; dist. 55, *Nisi tamen necessitas aut usus exigerit*, cap. 62, dist. 50.

non putantes pie posse vivere bonos in collegio [*al.* collectione] malorum, attendentes illud Ezechielis: *Recedite, exite inde* (*Ezech.* XIV; *Isa.* LII); et non attendentes illud quod sequitur: *Et immundum ne tetigeritis* (*ibid., et II Cor.* VI), quod intelligendum est contactu cordis non corporis. Unde Augustinus **83** in sermone 18 De verbis Evangelii (*referl.* in cap. *Ecce*, et cap. *Recedite* caus. 23, q. 4): « Quid est exire inde, nisi facere quod pertinet ad correctionem malorum, quantum pro uniusquisque gradu atque persona salva pace fieri potest? Displicuit tibi quod quisque peccavit, non tetigisti immundum. Redarguisti, corripuisti, monuisti, adhibuisti etiam congruam et quæ unitatem non violet disciplinam, *existi inde*. Clamavit ista Moyses (*Num.* XVI), clamavit Isaias (*Isa.* LII), clamavit Joremias (*Thren.* IV), clamavit Ezechiel (*Ezech.* XIV). Videamus si dimiserunt populum Dei, et se ad gentes alias transtulerunt. Quam multa et quam vehementer increpavit Jeremias in peccatores et sceleratos populi? inter eos tamen erat, unum cum illis templum intrabat, eadem sacramenta celebrabat, in eadem sceleratorum hominum congregatione vivebat, sed clamando *exibat inde*. Hoc est *immundum non tangere*, hoc est *exire inde*, et voluntate non consentire, et ore non parcere. » Idem in eodem (c. 8, *A malis* caus. 23, q. 4: « A malis corde semper disjungimini, ad tempus caute aliquando corpore copulamini. Duobus modis non te maculat malus; si non consentias, et si reduarguas, hoc est non *communicare, non consentire*. Communicatur quippe, quando facto ejus consortium voluntatis vel approbationis adjungitur. Neque ergo consentientes sitis malis ut approbetis, neque negligentes ut non arguatis, neque superbientes ut insultanter arguatis. » Idem in epistola concilii ad Donatistas (cap. *Si quis*, caus. 23, q. 4): « Quisquis in hac Ecclesia bene vixerit, non præjudicant ei peccata aliena, quia in ea unusquisque proprium onus portabit. Ergo communio malorum non maculat aliquem communione sacramentorum, sed consensio [*al.* consensus] factorum. » Idem in libro contra epistolam Parmeniani (lib. III, c. 3, et in c. *Non potest*, caus. 23, q. 4): « Cum idem morbus plurimos occupaverit, nihil aliud bonis restat quam dolor et gemitus, ut per illud signum quod sancto Ezechieli ostensum est, illæsi evadere ab eorum vastatione mereantur. Nam consilia separationis et nania sunt et perniciosa atque sacrilega, quia impia sunt et superba et plus perturbant infirmos bonos quam corrigant animosos malos. » Hæc et his similia præcones hujusmodi (non intelligentes aut non legentes [non legentes aut non intelligentes *ms. c.*]) suadent monachis ut monasteria sua deserant propter abbates suos et procuratores monasteriorum suorum, qui aliqnas decimas, quæ jure pertinent ad dispensationem episcoporum, monasteriis suis acquisierunt. Dicant mihi tam subtiles divino-

A rum judiciorum scrutatores, quid salubrius sit monachis, utrum permanere cœnobitas sub præpositorum suorum obedientia quæ melior est quam victimæ, et ibi vivere de decimis et fidelium oblationibus, quas Ecclesia lege [in ecclesiastica lege, *ms. c.*] charitatis communicare potest non tantum monasteriis, sed etiam xenodochiis, infirmis et peregrinis: an fieri Sarabaitas, ut in privatis locis proprio jure vivant (*a*) et victum sibi de substantia pauperum per manum raptorum, et de fœnore negotiatorum accipiant. Licet enim decimæ et oblationes principaliter clericali debeantur militiæ, potest tamen Ecclesia omne quod habet cum omnibus pauperibus habere commune. Quanto magis cum his pauperibus qui, relictis facultatibus propriis, non in angaria bajulantes Christi crucem, sequuntur pauperem B Christum? Est tamen in quo abbatibus et præpositis monasteriorum parcendum esse non æstimo, si ab illis ad quos non pertinent, id est a laicis, decimas et oblationes accipiant (epist. 289), si inordinate eas a quibuscunque personis acquirant, si terminos transgrediantur antiquos, id est, si stipendia presbyterorum antiquitus instituta minorent ac sibi usurpent. Nec tamen ideo monachi qui hæc ignorant aut non probant, debent suam collectionem [*al.* collectam] deserere, aut abbatibus suis minus obedientes existere, dicente Domino de præpositis Ecclesiarum et monasteriorum sub nomine Scribarum et Pharisæorum: *Quæ dicunt facite, secundum vero opera eorum nolite facere* (*Matth.* XXIII). Nec usus ipsarum rerum prohibendus est his quorum conscientia im-C munis est, cum dicat Apostolus, *omnia munda mundis* (*I Tit.* I); et: *Unusquisque onus suum portabit* (*Gal.* VI), et Dominus in Evangelio: *Quod intrat in os non coinquinat hominem, sed* concupiscentia mala quæ procedit *de corde*, et approbatio mali operis, quæ procedit *de ore, hæc coinquinant hominem* (*Matth.* XV). Hæc divini verbi prætaxati prolatores, et non satis discreti intellectores minus attendunt: qui dum quasi ad ligna cædenda (*Deuter.* XIX) procedunt, indiscretis sermonibus et non sale conditis, tanquam immoderatis ictibus percutiunt conscientias infirmorum, dum Ecclesiam orbis terrarum parvipendentes dicere videntur: *Ecce Christus hic, et ecce illic, ecce in cubiculis, et ecce in deserto* (*Marc.* XIII). Ita sentientes ante tempus usurpant sibi ventilabrum, D quo in fine ventilanda est Dominica area, tanquam apud communem Ecclesiam sola remaneat palea, ad eos vero transeat triticum tanquam in Dominico horreo recondendum; in qua præsumptione valde metuendum est, ne dum qui se triticum a palea separatum reputat, pharisaico fermento inflatus palea fiat. Præterea qui de laboribus manuum necessaria sibi præparare non sufficiunt, non bene prospiciunt quia quæ in aliis reprehendunt, frequenter ipsi committunt, dum victi penuria victus prædicant populis innocentiam suam, quod est oves vendere;

(*a*) Horum etiam paulo post fit mentio.

prædicant ut manducent, quod est boves vendere, cum tales venditores cum venditoribus columbarum de templo Dominus ejecerit (*Matth.* XXI), et a Catholicorum societate eliminandos horum similes præfiguraverit (*Joan.* II). Neque enim hoc eos excusare videtur quod manu sua pecunias non accipiunt, sed Giezitas (*IV Reg.* IV) suos aut secum habent, aut post se mittunt qui collectionem accipiant, et in quorum voluerint usus expendant. Hæc in se si considerarent, clericos, monachos, rectores Ecclesiarum et monasteriorum non tanto studio lacerarent. Hæc scripsi vobis, fratres, ut non terreamini tonitru vanarum comminationum, neque moveamini a vestro sensu, sed secundum statuta præcedentium Patrum vitam vestram dirigatis, et obedientiam quam prælatis vestris debetis, et stabilitatem quam monasterio vestro professi estis, firmiter teneatis, ne damnationem eorum qui vota sua irrita faciunt, incurratis. Hæc dicens anachoretarum vitam non improbo (epist. 256), eorum videlicet qui, in cœnobiis regularibus instructi disciplinis, ordinabiliter ad eremum secedunt, quibus est solitudo paradisus, et civitas carcer, ut activam vitam de labore manuum viventes exerceant, aut dulcedine contemplativæ vitæ mentem reficiant, fontem vitæ ore cordis sitiant, et, eorum quæ retro sunt obliti, ad ea ultra non respiciant. Verum cum quidam ex hac professione in melotis suis vicos, castella, civitates gyrando perlustrent, humilitate vestium, vilitate ciborum [*al.*, humilitatem vest. vilitatem cib.], merita sua populis ostentant (*a*). Ambiunt fieri magistri qui nunquam fuerunt discipuli, deprimentes vitam
84 omnium hominum, quia non sunt quod [*al.*, quod *vel* qui] ipsi sunt. Hos nec eremitas computandos intelligo, nec cœnobitas, sed gyrovagos (*b*) aut Sarabaitas, qui corpus Christi quod est Ecclesia tanquam ad unum membrum redigunt; non attendentes quia unusquisque proprium donum habet a Deo, et quia in domo Dei alius ambulat sic, alius sic, et quia omnia membra non eumdem actum habent, et in eodem Christi corpore non dicit ultimum membrum : Non sum de corpore, quia ultimum sum, nec gloriatur supremum membrum adversus inferiora, quia supremum est. Universitatem ergo corporis Christi, quantum in se est, destruunt, qui ad paucos solitarios solummodo Ecclesiam Dei pertinere contendunt. Qui etiam si seipsos veraciter agnoscerent, imperfectioni aliorum prudenter ignoscerent, cum nec seipsos a permistione malorum immunes intelligerent; cum Dominus de singulis gradibus Christianæ professionis loquens per singulos dicat : *Quia unus assumetur* ad numerum electorum, *unus vero relinquetur* in massa damnatorum (*Marc.* XIII; *Matth.* XXIV). Non enim beatum faciunt hominem secreta silvarum, cacumina montium, si

A secum non habet [*al.* habeat] solitudinem mentis, Sabbatum cordis, tranquillitatem conscientiæ, ascensiones in corde, sine quibus omnem solitudinem comitantur mentis accidia, curiositas, vana gloria, periculosæ tentationum procellæ; nec datur periclitanti animæ opportuna tranquillitas, nisi Deo increpante repellatur tentationum importuna tempestas. Hæc autem si penes vos habueritis, in quocunque loco fueritis, in quocunque ordine vel habitu Deo militaveritis, bravio æternæ remunerationis non carebitis. Sed quia Satanas aliquando transfigurat se in angelum lucis, timeo ne sicut serpens antiquus seduxit Evam astutia sua, sic callidus tentator per occultas administrationes suas quorumdam mentes seducat, et conscientias eorum illusio-
B nibus suis corruptas septem nequam spirituum habitacula faciat, qui velamine vanæ religionis palliata domicilia sancti Spiritus esse confingat, et per deceptos suæ deceptionis muscipulas latius extendat. Quod ne fiat, secundum apostolum, *Nolite credere omni spiritui, sed probate spiritus si ex Deo sunt* (*I Joan.* III), quia discretio spirituum cum consilio Scripturarum poterit istos motus in vobis sedare, et in mentis stabilitate servare, ut contra tentatores vestros dicatis cum Psalmista : *Qui tribulant me exsultabunt si motus fuero* (*Psal.* XII). « In hunc modum possem multa ad ædificationem vestram scribere, sed iis qui quotidie audiunt sacras Scripturas, vel audiunt salutiferas admonitiones, puto ista posse sufficere. Valete.

EPISTOLA CXCIII.

C Gaufrido, *venerabili Belvacensium episcopo*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister*, *salutem et servitium*.

Dilectionem vestram pro Ecclesia Beati Quintini sæpe interpellavimus (epist. 31), bonam spem, bonum promissum a dulciloquio vestro reportavimus. Unde adhuc humili devotione piis precibus eamdem dilectionem vestram petendo, pulsando imploramus, quatenus prædictæ Ecclesiæ quietem et ipse conservetis, et ab aliis conservari, postposita omni commodi datione, occasione, et æmulorum delatione, studeatis. Nunquam enim adversum vos in judicium venire voluimus, nunquam æmulis vestris et detractoribus aurem cordis accomodavimus. Sed si quid indecens de vobis fama sonuit, pie dissimulare, et
D fraterna compassione velare studuimus (*c*). Hoc autem est quod a dilectione vestra postulavimus, et adhuc postulamus ut privilegia quæ dicta beati Quintini Ecclesia ab antecessoribus vestris obtinuit, et apostolica manus roboravit, regia quoque majestas pragmatica sanctione firmavit, intemerata servetis, sicut, si fierent vestra, illibata servari velletis. Nolumus adversum vos sublimium personarum aures pulsare, donec experiamur misericordiæ viscera vo-

(*a*) Adi Joan. Salesber. Policrat. l. VII, c. 21; ubi agit de hypocritis sui temporis qui ambitionem falsa religionis imagine occultare nitebantur.

(*b*) Qui et nunquam stabiles, voluptatibus et gulæ servientes, erant deteriores Sarabaitis, ut dicitur in Reg. S. Benedicti cap. 1.

(*c*) De hoc Gaufrido Belvacensi episcopo conqueritur epist. 151.

bis clausa perdurare, quia tunc demum tumores ferro A pungendi sunt, cum sentire fomenta refugiunt. Sciat vestra prudentia, quod quæcunque bona fecerunt antecessores vestri prædictæ Ecclesiæ, vestra sunt, et æque profutura vobis ut illis, si congaudeatis, temporaliter et æternaliter obfutura, si pusillum Domini gregem inquietare et a tranquillitate mentis quæ servis Dei necessaria est, perturbari aliqua temporalis emolumenti occasione permittatis. Vestrum est rigare et nutrire quod alii plantaverunt, ut eumdem fructum reddat secunda gratia nutritori, quam reportatura est prima gratia plantatori. Sciat quippe sollicitudo vestra, quia fundator prædictæ Ecclesiæ bonæ memoriæ domnus Guido Belvacensis episcopus, nullam mulctam pecuniæ, nullam exactionem, nullam consuetudinem in prædicta Ecclesia, vel in B vico sibi adjacente sibi vel successoribus, suis, vel cuicunque potestati retinuit. Omnia hæc per regiam manum, deinde per comprovincialium episcoporum convenientiam [*in quibusdam v. c.* conniventiam], demum per auctoritatem apostolicam dedit, omnia prædictæ Ecclesiæ prætaxatis sanctionibus confiscavit. Hanc libertatem Ecclesia a tempore sacerdotii mei, et tempore domni Galonis (*a*) postea Parisiensis episcopi inconcusse possedit. Quod modo ut audivi adnihilare molitur malevolorum persuasionibus vestra intentio, dicens se rem aliter habuisse quam diximus, cum constet non esse pro lege habendum quod manifestum fuerit contra privilegia fuisse præsumptum. Quod si aliquis de clientela Ecclesiæ, vel parochianis contra pacem vel Christianam legem fecerit, per officium vestrum ad satisfactionem C cogite; Ecclesiam vero cum suo abbate quiete Deo servire permittite. Valete.

EPISTOLA CXCIV (*b*).

Dei gratia, Ivo, *Carnotensis Ecclesiæ minister*, Hugoni *Ecclesiæ Aurelianensis decano, et* Vulgrino *ejusdem Ecclesiæ archidiacono, et communi capitulo prædictæ Ecclesiæ, salutem.*

Mandastis mihi per litteras vestras, quod Reginaldus Canardus meum se negat esse parochianum; quod injuste eum negare, si colloquium inter nos haberetur, et lege probaremus et consuetudine. Verum quia hoc ad præsens commode fieri non potest, interim eum a nobis excommunicatam monemus, et rogamus ut pro excommunicato in Ecclesiis vestris teneri faciatis (epist. 76 et 111). In quo si mihi ac- D quiescere **85** non vultis, auctoritati saltim [*al.* saltem] Patrum obtemperetis, quæ parochianos alterius Ecclesiæ ab alia Ecclesia excommunicatos, dum in sua parochia morarentur, a propria Ecclesia recipi non debere testatur. Legitur enim in concilio Meldensi cap. 2: « De illis autem qui infra parochiam beneficium aut hæreditatem habent, et alterius episcopi parochiani sunt, et de loco ad locum iter faciunt, rapinas et deprædationes peragunt: placuit ut excommunicentur, nec ante ex parochia exeant, quam quæ perpetrarunt digne emendent. Quorum excommunicatio seniori (epist. 189) eorum et proprio episcopo significanda est (cap. 20, *Curæ*, caus. 11, q. 3), ne eos recipiant antequam illuc redeant ubi rapinam fecerunt, et omnia pleniter emendent.» Adversus hanc sententiam tam perspicuam, tam firmam, si quis stare tentaverit, et malitiam impœnitentis hominis adhuc velare voluerit, metropolitanæ sedis audientiam appello [*al.* metropolitanam sedem ap.].

EPISTOLA CXCV.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister,* Gaufrido *Vindocinensis monasterii abbati, non alta sapere, sed humilibus consentire.*

Accepi litteras tuas palpantes et pungentes, in quibusdam mellis dulcedinem redolentes, in quibusdam fellis amaritudinem respergentes, objicientes mihi quod te et tibi commissa prædonibus et malefactoribus exposuerim, et multa tibi (*c*) mala factis et dictis ingesserim. Hoc prorsus dico teste veritate, quæ Deus est, et conscientia mea, quia nec te nec tua cuiquam exposui, neque ut res monasterii tibi commissi male tractarentur, cum aliquo tractavi. Verum quia frequenter ex te bibo amara, non est mirandum si non possum tibi propinare dulcia, nec exhibere me patrem, qui te non invenio filium. Non ergo est injustum, si tibi subtraho lac matris, qui mihi debitum honorem non exhibes patris. Noveris enim vanas esse excusationes quas obtendis, te propter obedientiam Romanæ Ecclesiæ, Carnotensis Ecclesiæ professionem refutasse, cum Ecclesia Romana a Deo nullam injustam acceperit potestatem, fidem violandi videlicet, debita sua cuique non reddendi, sed tantum quæ sunt liganda ligandi, et quæ sunt solvenda solvendi. Unde ad omnia objecta tua vel præmissa breviter respondeo, postpositis omnibus verbis supervacuis: Fac quod tuum est, et ego faciam quod meum est. Quod quandiu facere distuleris, si distulero facere ea quæ tua sunt, non [ne *ms. c*] mireris.

EPISTOLA CXCVI.

Ludovico, *Dei gratia Francorum regi, dulcissimo* [*et dilectissimo,* ms. c.] *domino suo*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, salutem et debitum pro posse servitium.*

Dictum est mihi quod ad suggestionem inimicorum abbatem Sancti Dionysii graviter accusatis, et testimonio cujusdam pseudomonachi de objecta sibi falsitate infamare contenditis. Quod nec leges habent, nec antecessorum vestrorum regum instituta permittunt, ut alicui de se confesso credi debeat super crimen alienum (epist. 229 et 249. et t. ult. c. *De accusationib.*). Unde excellentiæ vestræ supplico, ut majestati regiæ primo consulatis, et nobilis monasterii, quod cum omnibus sibi appendentibus vestræ voluntati obnoxium est, ne in aliquo jura minuatis, sed potius beneficia quæ prædecessores ve-

(*a*) Qui primum electus episcopus Belvacensis epist. 104 et 105.

(*b*) In ms. c. hæc epist. habetur post sequentem.
(*c*) Tibi deest in ms. c.

stri eidem venerabili loco contulerunt, tanquam in propriam eleemosynam defendendo vindicetis [unus *v. c.* vertatis, *alii*, vereatis, *ita ms. c.*]. Et quia periculosum est loca sanctorum perturbare, militantes in sanctis locis inquietare, salubre consilium mihi videretur [*al.* videtur], ut postpositis æmulorum insimulationibus [*al.* insinuationibus] tales personas ad hanc discussionem invitaretis vel exspectaretis, qui sine omni fuco malitiæ consilium vobis darent, et vestræ utilitati, et quieti monasterii salubriter providerent. In his autem et in omnibus det vobis Dominus spiritum consilii, et fortitudinis et pietatis. Vale.

EPISTOLA CXCVII.

Ivo, *Dei gratia humilis Ecclesiæ Carnotensis minister*, Gulielmo [al. Wuilelmo], *eadem gratia Majoris-Monasterii abbati, summo Pastori in sancto placere proposito.*

Continetur in litteris vestris presbyterum, tanquam ad terrendos inimicos, domum suam succendisse, et eo incendio puerum quemdam sequentem matrem, cum incendium prævaluisset, occubuisse. Quærit itaque vestra fraternitas utrum prædictus presbyter, factus monachus ulterius valeat Christi sacramenta tractare, an omni tempore a sacerdotali officio alienus existere. Respondeo itaque vobis ex verbis papæ Nicolai de simili casu cuidam episcopo Hosbardo [*al.* Hosbaldo] ita scribentis : « Quoniam presbyter et si voluntatem occidendi non habuit, furor tamen et indignatio, ex quibus mortifera illa commotio prodiit, in omnibus, et præcipue in Dei ministris inhibetur, atque ubique damnatur (*a*)... » Quibus verbis colligi potest quia si presbyter rem licitam et ordinatam fecisset, et præter ejus intentionem alicujus inopinata mors inde provenisset [*al.* processisset], immunis esset. Nunc quia diabolo suadente quod illicitum et contra sacerdotale propositum erat prius fecit, ut de malo initio pejor exitus prodiit, nullo modo presbyterum debemus [*vel* possumus] immunem æstimare, nec sacerdotali officio dignum judicare, nisi eum longa monasticæ vitæ probet experientia, et ad intermissum ministerium ex meritorum prærogativa pastoralis obedientia revocet.

EPISTOLA CXCVIII.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister*, Gisleberto *bonæ spei fratri, et multiplici honore sublimi.*

Noverit dilectio tua mihi et coepiscopis nostris Parisiensi et Suessionensi litteras a domno papa directas, quibus præceptum est nobis ut te et Gaufridum concanonicum tuum usque ad Idus Julii in competenti loco ad audientiam nostram convocemus, et causam quam adversum te habet prædictus Gaufridus de præpositura Suobrii [*al.* Sodobrii *ut epist. seq.*] rationabiliter decidamus. Locum itaque Stampis statuimus, ad quem locum unusquisque vestrum poterit personas negotio suo necessarias adducere, et intrepide suas actiones exercere [*al.* exerere]. Diem vero 86 Idus Julii denotamus [*al.* denominamus, [*al.* denotavimus, *ms. c.*] ; et ad locum illum et diem ea auctoritate qua nobis præceptum est, te invitamus, (*b*) et si ad vocationem nostram venturus sis, certos nos ad præsens fieri flagitamus [*al.* postulamus]. Vale.

EPISTOLA CXCIX.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister*, Gisleberto *nepoti domni Turonensis archiepiscopi, salutem.*

Ad causam te ex præcepto domni papæ adversus Gaufridum concanonicum tuum de præpositura Suobrii [*in duob. v. c.* Sodobrii, *ut epist. præc.*] denominato certo die, certo loco invitavimus, et ut de tuo adventu certos nos redderes, quia de obedientia tua incerti eramus, patenter admonuimus, ne nos et alios qui ad hanc causam venturi [*al.* vocati] erant, frustra fatigaremur [fatigaremus, *ms. c.*] Tu vero admonitionem nostram, imo domni papæ postponens, legationi nostræ nihil respondisti, judicium subterfugiens, nobis ignorantibus, venisti, et quia cum judicibus de causa non conveneras, judices non invenisti. In quo melius tibi absenti potuit suffragari innocens et simplex veritas quam præsenti prodesse possit ad nocendum multo scrutinio perquisita et palliata duplicitas. Quomodo enim prodesse non potest dolosa absentia, sic jure prodesse non potest dolosa præsentia, quia sicut dicit beatus Augustinus, « Simulata æquitas non est æquitas, sed simulatio et iniquitas. » Ergo iterum monemus quod monuimus nos et collegæ nostri ex præcepto apostolico, ut revertaris ad judicium, et diem tibi præscribimus, loco non mutato, Kal. Septembris ; ad quem si venturus es, usque ad Assumptionem beatæ Mariæ præmandare nobis ne pigriteris, quia ad hanc discussionem aliter convenire non debemus, nisi venturum te esse præsciamus. Alioquin vitabis (epist. 201) arcum ferreum, et incurreres arcum æneum (*Job.* xx). Vale.

EPISTOLA CC.

Daimberto, *Dei gratia reverendo Senonensium* [al. *Senonum archiepiscopo metropolitano suo*, Ivo, *Carnotensis Ecclesiæ humilis minister, debitam cum omni devotione obedientiam.*

Quoniam sponsæ Christi custodes et paranymphi deputati sumus, eamdem sponsam casto amore zelare debemus, ut eam Sponso suo immaculatam exhibere possimus. Si ergo macula vel ruga decorem ejus infuscaverit, nos omni studio curare debemus, vel rugam duplicitatis ad simplicitatem reducere, vel maculam turpitudinis nitro et sapone debitæ correptionis [*al.* correctionis] abluere. Quæ idcirco eminentiæ vestræ prælibavimus, quoniam in Ecclesia Senonensi, Deo auctore vobis commissa, per quosdam ex fratribus ejusdem Ecclesiæ grave scandalum emersisse cognovimus, partim propter cantorem ipsius Ecclesiæ, qui contra sacramenta quæ fecit, indebitam sibi sedem in Ecclesia temera-

(*a*) Latius exstat in c. *Studeat*, dist. 50.

(*b*) Quæ sequuntur desunt.

ria ambitione occupavit, partim propter quemdam de prælatis Ecclesiæ, qui publice sibi duo scorta copulavit [*al.* sociavit, *ita ms. c.*] et tertiam pellicem cui matrimoniales tabulas faciat jam sibi præparavit (epist. 218). Quæ quantum inhonesta sint, et apostolicis præceptis contraria, non est meum prudentiam vestram docere, sed tantum ut tales excessus non tepide, non [*al.* nec, *ms. c.*] trepide comprimatis, filiali dilectione admonere. Decet enim magnitudinem vestram, ut hæc vulnera cancrena ne latius serpant, medicinali cauterio circumcidatis, et a simili contagio cæteros horum exemplo compescatis. Quod si per vos id perficere non sufficitis, adhibete vobiscum duos aut tres ex suffraganeis episcopis, quorum consilio et auxilio scandalum hoc sedare studeatis, ne forte tantus fætor longius et latius diffusus ad olfactum Romanæ Ecclesiæ perveniat, et cum fatigatione corporum gravia quoque damna rerum infligat. Valete.

EPISTOLA CCI.

PASCHALI *summo pontifici*, Ivo, *sublimitatis suæ filius, cum debita obedientia, quidquid potest esse beatius.*

Ex majestatis vestræ præcepto Gislebertum nepotem archiepiscopi Turonensis ad præcidendam [*al.* decidendam, *ita ms. c.*] causam quæ erat inter eum et Gaufridum concanonicum suum invitavimus, diem et locum ei designavimus, et quia incertum nobis erat utrum ad hanc discussionem venturus esset, an non, ne frustra nos fatigaremus ut adventum suum nobis prænuntiaret [*al.* præmandaret], admonuimus. Ad hanc admonitionem nihil respondit. Nobis nescientibus, tanquam per absentiam nostram sublationem vel dilationem sententiæ lucraturus, ad locum præsignatum venit, sed judices quibus dolose adventum suum celaverat, non invenit. Nos itaque ita illusi alium diem ei statuimus, legatum ei cum litteris semel et sæpius direximus. Ipse vero, more solito, latebras quæsivit, et litterarum auditum tanquam venenum vitavit. Remittimus itaque prædictum Gaufridum paternitati vestræ, ut secundum ordinem rerum gestarum, quod vobis Deus inspiraverit de eo statuatis, et fatigationem ejus et miseriam paterna miseratione sublevetis. Decet enim majestatem apostolicam tales tergiversatores in astutia sua comprehendere, et vitantes arcum ferreum intenso arcu æneo de longe sagittare (epist. 199). Vale.

EPISTOLA CCII.

LUDOVICO, *Dei gratia dulcissimo regi Francorum, domino suo*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, salutem et debitum pro posse servitium.*

Non decet majestatem regiam vilia vel quælibet vanitatis lenocinia a sacerdote quærere, nec sacerdotalis officii est in talibus regiæ majestati obtemperare. Hoc quibusdam litterulis [*al.* litteris] respondeo, quæ ex parte vestra quærebant a me duo paria pellium catinarum (*a*). Quas ubi legi, propter honorem vestrum valde erubui, nec ex parte vestra eas mihi fuisse missas credere potui : et tamen tanquam a vobis missæ fuissent, supradicta rescripsi, ut nunquam amplius a me vel ab alio [*al.* aliquo] Episcopo talia quæratis, si regiæ majestati debitum honorem servare curatis. Vale.

87 EPISTOLA CCIII.

LESIARDO [al. LISIARDO], *Dei gratia Suessionum episcopo*, Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, salutem.*

De portionibus Ecclesiarum ad episcopum pertinentibus, quas archidiaconi vestri ante et post electionem vestram sibi usurpaverunt, quæsivit dilectio vestra utrum haberem canonicam sententiam hujusmodi ausibus obviantem, et eorum rapacitatem canonico rigore cohibentem. Nova sunt hæc genera morborum, et ideo nova exigunt genera medicamentorum. Tamen si inspiciamus epistolam Isidori, Leufredo (*b*), Cordubensi episcopo directam, patenter intelligi poterit, quia non pertinet ad archidiaconum præter portionem suam aliquid de reditibus [*al.* redditibus] parochiarum sibi retinere, vel ultra terminos a patribus positos aliquid usurpare. Dicitur enim in epistola præfata : « Archidiaconus inquirit parochias cum jussione episcopi, et ornamenta et res basilicarum vel parochiarum, gesta libertatum ecclesiasticarum idem episcopo refert ; collectam pecuniam de communione ipse accipit, et episcopo defert. » Quibus verbis liquet quia ultra portionem suam nihil sibi retinere debet ; quod si aliquid usurpat, decretalem sententiam papæ Joannis subeat dicentem : Qui aliena invadit, non exeat impunitus, sed quod invasit non simplum sed quadruplum reddat, secundum evangelicam sententiam : *Si quem defraudavi, reddo quadruplum* (*Luc.* XIX). » De angariis vero super presbyteros minime faciendis legitur in concilio Toletano tertio, capitulo 20 : « Neque in angariis presbyteri aut diacones, neque in aliquibus fatigentur indictionibus. » Quæ tamen si in absentia vestra facta sunt, vestræ discretionis est aut indulgere, aut canonica severitate vindicare. Lex enim sic de præterito indulget, ut in posterum prohibeat (l. VII, c, *De legib. et const. princip.*). Pauca scribo quia non ignoranti legem respondeo. Vale.

EPISTOLA CCIV.

Domno et Patri suo PASCHALI *summo pontifici*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Cornotensis minister, quidquid obedientiæ, quidquid famulatus ferre potest ejus humilitas.*

Noverit vestra paternitas me Guidonem Puteacensem refugam (*c*), et clericalis militiæ desertorem, propter sacrilegia sua, propter lamentationem et

(*a*) Epist. 104 vocat *pelliculas peregrinorum murium* aut *copia vanitatum.*

(*b*) Al. *Leofredo*, ita ms. c. *Leufrido*, *Ludifredo*, refertur ab Ivone lib. III *De offic. ord.* et a Gratiano in can. *Perlectis*, dist. 15.

(*c*) Confer epist. 76, ubi etiam conqueritur de Hugone Puteacensi.

oppressionem [*al.* lamentabilem oppres.] pupillorum et viduarum, propter indebitas angarias, propter intolerabiles exactiones quas exercet in possessionibus Ecclesiæ Carnotensis, tanquam putridum membrum a corpore Ecclesiæ præcidisse, et Sathanæ, cui pene per omnia famulatur, cum suis sequacibus [*ita v. c. antea* sequentibus] tradidisse. Unde, flexis genibus cordis, paternitati vestræ supplico, ut sententiam anathematis juste in eum factam apostolica autoritate confirmetis et archiepiscopo Senonensi, episcopo Aurelianensi, episcopo etiam Parisiensi, ut idem anathema in eum faciant [jaciant], vestra auctoritate apostolica injungatis. Nisi enim rebellium filiorum pravitatem paterna severitate feriatis, nisi tribulatos materna consolatione [*al.* pietate] foveatis, nisi B auxiliatricem manum laborantibus et pene labentibus porrigatis, merito conquerendo clamabit Ecclesia : *Caput meum plenum est rore, et cicinni mei pleni guttis noctium* (*Cantic.* III), quia pene totum corpus Ecclesiæ occupant vitiorum vepres, et vix invenitur aliqua eradicans manus. In tantum enim apud nos in majoribus populi abundavit iniquitas ut nec paternis admonitionibus obediant (epist. 128), nec Deum terrentem timeant cum et ex sterilitate terræ fame pauperes eorum afficiat, et morbo qui dicitur *sacer ignis*, multorum membra ad præcisionem, multorum corpora ducat ad mortem. Opportune igitur et importune eorum increpanda [*sic v. c. antea* inculpanda] est malitia, ut vel sic cognoscatur ab eis severa Dei misericordia. Præterea dissentio est quædam inter duos Ecclesiæ nostræ C prælatos, decanum videlicet et subdecanum, qui in rebus ecclesiasticis quasdam consuetudines habent communes, quasdam proprias, similiter quosdam reditus communes, quosdam proprios. Dicit itaque decanus quædam ex ipsis, quæ separatim longa retentione habuit subdecanus, decano esse debere communia. Quo in negotio, quia nolunt judices in unam convenire sententiam, ut dicant cui incumbat probatio, dicenti aut neganti, hanc litem sententia vestra petimus terminari et fratres dissentientes [*al.* volo penitus t. et f. dissidentes] ad concordiam revocari. Paratus enim est subdecanus [*al.* decanus] quidquid actor sui juris esse probare potuerit, in pace dimittere, secundum legis tramitem, quæ contra petitorem judicari præcipit, et possessionem suo in loco D remanere, ubi actor rem quam petit, suam esse probare non poterit (instit. 2, tit. *De legat.* § 4). Turbant hoc quidam litis amatores [*al.* litis auctores], invidiæ et odii sui tali importunitate virus effundentes, majorum institutionibus nolentes acquiescere, nisi irrefragabili constringantur auctoritate. Scribat ergo paternitas vestra quod voluerit Carnotensi Ecclesiæ de hac dissonantia. Scribat et suprataxatis episcopis de refrenanda sacrilegorum plangenda malitia. Cætera quæ his negotiis necessaria sunt, quæ scribere longum fuit, referet sanctitati

A vestræ præsentium portitor, et ad prætaxatas personas quod placuerit, prudentiæ [*al.* providentiæ] vestræ reportabit. Vale.

EPISTOLA CCV.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister*, GUILLELMO *nobili et strenuo* [al. *strenuissimo*] *militi salutem.*

Missus a te clericus anxie et diligenter ex tua parte consuluit parvitatem meam (epist. 252 et 280) quid sentirem super inhonesta suspicione quam conjecisti in uxorem tuam, opponens ei non esse genitum ex te quod peperit dum morareris in Anglia ; propterea quod, computatis diebus qui sunt inter conceptum et partum, inventi sunt minus septem dies quam consuetudo credebatur habere parientium (*a*) ; auges inde suspicionem tuam, quod miles quem de concubitu uxoris tuæ suspectum habebas, cum subiisset examinationem ferri candentis ad se purgandum, cauteriatus est, nec ullus producitur accusator aut testis qui suspicioni tuæ nisi de conjecturis ullum præbeat argumentum. Pro quibus aliquem condemnare nec usus majorum, nec ulla legum concedit auctoritas. Primo de conjectura dierum qui defuisse dicuntur, respondeo, quia nullum tibi certum faciunt argumentum cum honestæ **88** mulieres et veteranæ causa veritatis inquirendæ a nobis interrogatæ manifeste responderint [*al.* respondeant], non semper intra eumdem terminum dierum [*al.* numerum dierum] contingere solere puerperium, cum secundum alacritatem naturæ vel imbecillitatem, nunc paulo celerius, nunc paulo tardius post conceptum soleant contingere partus. Quod ex ratione seminum facile colligi potest, cum secundum aeris temperiem vel intemperiem quibusdam annis celerius, quibusdam tardius segetes maturescant ad messem. Simili modo cauterium militis nullum tibi certum præbet argumentum, cum per examinationem ferri candentis occulto Dei judicio multos videamus nocentes liberatos, multos innocentes sæpe damnatos. Præterea cum talis examinatio sit in Deum tentatio, non est mirum si divino auxilio deseritur, cum incaute et sine judiciali sententia ab aliquo suscipitur. Unde beatus Augustinus defendens Abraham, quod uxorem suam finxit esse sororem, ita dicit : « Quando habet homo quid faciat, non debet tentare Deum suum. » Unde Stephanus papa scribit Leuberto Maguntio [Maguntino *ms. c.*] episcopo : « Ferri candentis vel aquæ ferventis examinatione confessionem extorqueri a quolibet (epist. 74 et 280), sacri non censent canones ; et quod sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinventione non est præsumendum. Spontanea enim confessione, vel testium approbatione, publicata delicta habito præ oculis Dei timore, commissa sunt regimini judicare : occulta vero et incognita illius sunt judicio relinquenda, qui solus novit corda filiorum hominum [*ita v. c. antea,*

(*a*) Vide A. Gell. lib. VIII, cap. 16, et Plin., Hist. lib. VII, c. 5.

corda fidelium].»Hinc etiam cum ad singulare certamen propter similes suspiciones Teibergam (*a*) uxorem suam cogere vellet rex Lotharius, adversus eum ita scribit papa Nicolaus : « Monomachiam vero in legem non assumimus (epist. 280) quam præceptam fuisse non reperimus, quam licet iniisse quosdam legamus, sicut sanctum David et Goliam sacra pandit Historia (*I Reg.* XVI), nusquam tamen ut pro lege teneatur, alicubi divina sanxit auctoritas : cum hoc et hujuscemodi sectantes, Deum solummodo tentare videantur. » His et hujusmodi sententiis correptus, tempera zelum tuum, ne te et uxorem tuam, et sobolem tuam immoderata severitate trudas in infamiam, quam sedare non poteris, cum aliquando, pœnitentia ductus, multo sudore sedare studueris. Sufficiat ero tibi cum juramento uxoris tuæ probatarum personarum testimonium [cum juramento, *ms. c.*], dicente Apostolo. *Omnis controversiæ eorum finis est juramentum* (*Hebr.* VI). Vale.

EPISTOLA CCVI.

HILDEBERTO [*un. ex.* LAMBERTO], *Dei gratia Cenomanensi episcopo*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, salutem.*

De subdiacono respersione infamiæ lacerato nihil respondere dilectioni vestræ [tuæ *ms. c.*] possumus, quod non noverit vestra prudentia. Sed quia gratum est unicuique recte consideranti, cum multos cognoverit in unam convenire sententiam non est ingratum parvitati nostræ ea scribere quæ ex auctoritate Patrum collegimus, et quod ipsi in hujusmodi negotiis observare consuevimus. Dicit enim beatus Augustinus (hom.50 ; can. *Multi*, caus. 2, q. 1) : « Nos quemquam a communione removere non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo ecclesiastico, vel sæculari judicio nominatum atque convictum. » Inde et Stephanus papa quintus de quodam diacono ex infamia [*al.* per famam, *ita ms. cod.*] accusato ita scribit Leoni Tianensi [*al.* Theanensi], (can. *De crimine*, caus. 5, q. 5) episcopo : « Si suspicio super diaconum habetur, et accusatores idonei reperiuntur, et testes quales sacri canones sanciunt, cum fuerit legitimis testibus approbatus, canonica sententia feriatur, quod si nec sponte confitetur, neque legitimi accusatores vel testes reperti fuerint, et mala fama crebrescit, non publico examine, sed coram te et coram reverendissimis presbyteris et diaconibus secreto juramento se purget, et boni testimonii permaneat.» De simili negotio papa Nicolaus ita scribit Salomoni (*b*) episcopo Constantiensi. « Si, examinante episcopo causam presbyteri vel diaconi, non fuerit presbyter ille vel diaconus per testium approbationem forte convictus, non est scelus episcopo manifestum legitime, nisi forte presbyter vel diaconus scelus sponte suo confiteatur. Sola enim spontanea confessio et legitimus numerus [*al.* et canonicus numerus], vel qualitas testium (decernentibus episcopis, et accusatore quod objecerat

A comprobante) clericum privat proprio gradu. » Hinc beatus Gregorius scribit Joanni Panormitano episcopo (can. *Si quid* caus. 15, q. 7) : « Si quid de quocunque clerico ad aures tuas pervenerit, quod juste possit offendere, non facile credas, ne [*al.* nec], ad vindictam te accendat res incognita.» Unde idem in quadam epistola (c. *Presbyter quilibet*, caus. 2, q. 4) : « Si sacerdos vel quilibet clericus a populo fuerit accusatus, si certi testes non fuerint qui criminis illati approbent veritatem, jusjurandum erit in medio, ut illum testem proferat de innocentiæ suæ puritate, cui nuda et aperta sunt omnia, sicque maneat in proprio gradu.» Hæc prætaxatorum Patrum auctoritas comprobare videtur, quod quilibet clericus mala fama pulsatus,

B sola se manu possit purgare et in suo gradu permanere. Verum posterorum [*al.* posteriorum ; *ita ms. cod.*] diligentia experta, quod temeraria hominum cupiditas facile adderet flagitio perjurium, districtiorem ad sedandam presbyteri infamiam sanxit purgationem, addens aliquid severitati, ut sacerdotum studiosius consuleret honestati in quorum ore non est apud simplices verbum Dei pretiosum, si non habeant etiam *ab his qui foris sunt bonum testimonium* (*I Tim.* III). Posuerunt autem hæc in discretione episcoporum, ut secundum quod audiunt malam famam presbyterorum crebrescere et ingravescere, exigant purgatoria sacramenta a presbyteris infamatis, cum tribus, aut quinque, aut septem collegis. Unde ita continetur

C in concilio Hilerdensi, capitulo x (*Ivo* lib. v, *et Grat.* c. *Presbyter si*, caus. 2, q. 4) : « Si quis presbyter a plebe sibi commissa fuerit infamatus, et episcopus legitimis testibus approbare non potuerit, suspendatur usque ad dignam satisfactionem, ne populus in eo scandalum patiatur. Sed sive secundum canones, sive ad arbitrium episcopi, collegas sibi quinque vel septem adjungat, cum quibus, coram posito sacro Evangelio, juret immunem se esse ab objecto crimine. » Quam satisfactionem nonnulli præcedentium Patrum in consuetudinem duxerunt, exemplo Leonis papæ per sacramenta purgati (epist. 229). His et hujusmodi dictis et exemplis credimus in potestate episcoporum esse purgationem sacerdotum vel exaggerare vel temperare, secundum quod intelligunt, et famæ eorum consultum, et

D saluti plebeium sibi commissarum esse necessarium. Scripsissemus vobis plura, sed nec ista intelligimus prudentiæ vestræ esse necessaria. Vale.

89 EPISTOLA CCVII.

SAMSONI, *Dei gratia Wigornensi* [al., *Wigorniensi*] *episcopo*, Ivo, *eadem gratia humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, salutem et servitium.*

Licet marina discrimina corporalem præsentiam locali positione discriminent, societatem tamen animorum nulla locorum spatia quamlibet longinqua discriminant. Quod tamen in parvitate mea evidenti dilectionis argumento diligentia vestra probavit,

(*a*) Al. *Thebergam*, ut epist. 74 ; *Theuperga* passim scribitur apud Nicolaum papam.

(*b*) Al. *Saloni*, ut est apud Gratianum can. *Presbyt.* caus. 15, q. 5).

quando mihi sandalia pedibus apostolicis digna transmisit (epist. 165). Quod vero gratiæ vestræ debitas gratias non rependi, non ideo prætermisi quia [quod, *ms. c.*] ingratus sim, sed quia homo tardus sum, et infecundæ facundiæ, et frontis non satis urbanæ (epist. 7). Unde tarditatem meam cum petitione indulgentiæ reprehendo, qui tamen tardus non invenirer, si opportunitas serviendi vobis vel vestris desideranti animæ se offerret. Interim autem germano affectu nos invicem diligamus, et per hoc undosum et naufragosum mare navigantes, mutuas orationum manus ad alterutrum porrigamus, ut post hæc marina discrimina in tuto salutis portu quiescere valeamus. Vale.

EPISTOLA CCVIII.

Ivo, *Dei gratia humilis Ecclesiæ Carnotensis minister* GAUFRIDO (*a*) *dilecto sibi in Christo fratri, de Sion Hierusalem contemplari.*

Nosti, charissime, de te ipso, et melius me nosti, cum quanta spei fiducia, et cum quanta laude hominum, calcato mundi flore, solitariam vitam elegeris, quomodo post servatam aliquandiu laudabiliter solitariam conversationem, ad regendum monasterium vocatus fueris. Nosti quia tumultus populares, sine quibus nec modica rei familiaris dispensatio administrari potest, præ amore internæ quietis ferre non potuisti, et idcirco ad intermissam quietem modis omnibus revolare studuisti, in loco tuo abbatem (*b*), quem congregatio tibi commissa voluit, tu ipse elegisti, et tamquam columba a molestiis evolans [*al.*, avolans] elongasti, ut in solitudine maneres, et eum exspectare qui salvum te faceret a pusillo animo et inquieto, decrevisti. Nunc vero, ut aiunt quidam, contra propositum tuum monachos rumigerulos de loco ad locum discursantes, abbati suo detrahentes, et bilingues, intra cellulam tuam libenter suscipis, murmurationibus eorum aurem delectabiliter aperis, et non tantum magnam partem diei, sed etiam noctis, non tantum [in, *in utroque loco ms. c.*] superfluis (epist. 240), sed etiam noxiis collocutionibus expendis, et secretnm locum tuum publicum facis, cum indebita curiositate silentium monachorum in verba adulatoria et detractoria nescio qua vanitate lenocitante interrumpi permittis. Dicitur etiam quod milites illos qui beneficia monasterii habent (epist. 153 et 168), tanquam eos tibi reservans, hominium [*quidam lib.*, hominatum] facere abbati non permittis. Dicuntur multa in hunc modum, quæ omnia summo studio præcavere debet tua religio, ut aut omnino non sint, aut probabiliter fingi non possint. Quæ scripsi tibi Deus novit; ideo scripsi quia et si non omnia ita sunt ut dicuntur, sed ab æmulis fortasse conficta sunt, tamen scio quod aliquando plus prosunt inimici detrahentes quam amici adulantes, et illud Salomonis, *quia meliora sunt vulnera diligentis quam fraudulenta oscula blandientis* (*Prov.* XXVII). Multa possem in hunc modum scribere prudentiæ tuæ, sed sapienti ista sufficiunt. Vale.

EPISTOLA CCIX.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister*, HUGONI *magnifico Trecensium* (*c*) *comiti, salutem et servitium.*

Notum volo facere celsitudini tuæ, quia discussio illa quæ ventilanda est in octavis Pentecostes Senonis, de conjugio regis et consobrinæ tuæ, filiæ Bonifacii marchionis, virgini illi de cujus conjugio tractandum est, nec honesta est nec utilis. Ideo inutilis, quia fœdus illud quod de ipso conjugio initum est, consilio episcoporum et optimatium [*al.*, optimatum] omnino cassabitur. Honesta verò ideo non erit, quod infamia virginis, quæ de legitimo conjugio nata non est, longe lateque divulgabitur. Nullus quippe qui fidelitatem fecerit regi, præsumet illud dare consilium quod sit contra fidelitatem suam, et regni minuat majestatem. Cum his enim quæ fidelitas continet, præcipue observandum est utile et honestum, quæ minime observarent qui mulierem de incesto conjugio natam regiæ personæ sociandam esse decernerent. Jam enim insonuit murmur ducum et marchionum (*d*) qui jam deliberant se a rege [*al.*, debeant se a regno] dividere, si tam manifestam occasionem valuerint invenire. Vos itaque qui hujus conjugii paranymphus estis, potestis in utrumque consulere, ut nec rex incurrat perjurium, nec turpe consobrina vestra repudium, maxime cum rex dicat hanc se maculam ignorasse, et simpliciter in vestra verba jurasse. Propterea scribo vobis absens quod dicerem vobis præsens, consulens in hoc meæ fidelitati, et nobilitatis vestræ honestati, quatenus ita discrete et provide rem istam modificetis, ut omnibus quæ de hoc contractu [*antea*, contactu] contingere possunt, salubri consilio occurratis. Und mihi consultius videtur, ut conventus convocatus non fiat, ne res [*al.*, quam res] ita amplius ventilata in pejus proveniat. Vale.

EPISTOLA CCX.

PASCHALI *summo pontifici*, Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, pro fideli dispensatione, æterna perfrui visione.*

Quia dispensationis apostolicæ consideratio non omnibus æque placet, vel non omnibus æque nota est, murmurant aliquando adversus bonum dispensatorem, qui non auderent murmurare adversus justum judicem. Dispensationes ergo vestræ ita librandæ essent, ut si male meritis impendunt misericordiam, benemeritis non inferant violentiam. Quod ideo prælibavi filiali dilectione paternitati vestræ, quia domnus Odo Cameracensis episcopus anxie gemit, multis sibi congemiscentibus, quod Radulfum Bribrantensem [*al.*; Bribantensem *vel* Bribatensem] archidiaconum sine audientia, sine

(*a*) *Solitudinis cultor* dicitur in tit. epist. 164.
(*b*) *Mauritium*, ut constat ex collatione epist. 164.
(*c*) Male unus v. c. *Trejectensium*; exstat epist. 245. inscriptæ *Hugoni Tricasinorum comiti.*
(*d*) Ita ms. c. al., *marcionum*; male in uno v. c., *nationum.*

judicio suo archidiaconatu spoliastis, qui cum Romana Ecclesia semper fuit : Galfridum [*al.*, Gaucherium, *vel* Gaulcherium, *et* Galcherium] vero sedis apostolicæ **90** impugnatorem eodem archidiaconatu investitis. Unde tam pro amore justitiæ quam pro honore sedis apostolicæ consulendo, supplicamus sanctitati vestræ ut, si alicujus importunitate extorta est de ore vestro in bene meritum severa sententia, ita discretione vestra modificetur ut religiosi episcopi anxietas relevetur, et bene meritus frater non gravetur, quatenus in hoc facto male meriti de sua præsumptione non valeant gloriari, nec bene meriti, a sua spe cadentes, cogantur contristari. Virorum enim fortium antiqua laus est

Parcere subjectis, et debellare superbos.

(Virgil. *Æneid.*, lib. vi.)

Vale.

EPISTOLA CCXI.

Radulpho, *Dei gratia* [*reverendo*, ms. c]. *Remorum archiepiscopo*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, salutem et servitium.*

Consanguinitatem, quæ dicitur esse inter filium Flandrensis comitis et filiam comitis Redonensis, didici, cum essem in curia papæ Urbani, non propter istos pueros, qui nondum fortasse nati erant, sed propter avos eorum, aut proavos paternos aut maternos, de quorum consanguinitate tunc temporis urgente necessitate, tractabatur. Computavit enim eam ad suggestione domni papæ, me audiente, quidam monachus Arvenensis, nomine Castus, ætate maturus, de nobilibus terræ illius progenitus, vita et fama honestus. Computaverunt eamdem consanguinitatem alio tempore in prædicta curia legati Fulconis Andegavensis comitis, et probaverunt, cum accusaretur rex Francorum Philippus quod prædicto comiti consanguineo suo uxorem (*a*) suam subtraxerat, quam etiam illicite retinebat. Propter quam accusationem, et patrati incestus comprobationem, excommunicatus est rex [Philippus, *ms. c.*] a domno papa Urbano in Claromontensi concilio (*b*). Et cum, post factum divortium, prædictus rex esset reversus ad prædictæ mulieris consortium [illicitum, *ms.c.*], excommunicatus est in Pictavensi [*al.*, Pictaviensi] concilio, a cardinalibus Joanne et Benedicto. Hæc scribo absens qui nihil aliud quod ad rem pertineret dicturus essem præsens. Occurrerem tamen libenter amabili mihi vestro colloquio, nisi obsisteret mihi coluber in via, cerastes in semita, videlicet Puteacensis dominus (*c*), qui propter intolerabiles injurias quas infert Ecclesiæ nostræ, a nobis est excommunicatus. Computatores vero genealogiæ quos monebatis mecum venire, quorum mentionem superius feci, non sunt parochiani mei, neque etiam novi utrum vivant, ut possim eos ad hanc discussionem invitare. Generatio autem sic est :

Gaufridus Grisagonellus [duo v.c. et ms.c., *fratres.*]
Fulco Angavensis comes.
Comitissa Vascinensis [al., *Vastinensis* vel *Vassinensis.*]
Fulco Rechins.
Comitissa Redonensis.
Filia ejus N.
Blanca Arelatensis comitissa.
Constantia regina.
Adera Flandrensis comitissa.
Albertus Friso [*Robertus*, ms. c].
Robertus filius Frisonis.
Sexto gradu filius hujus Roberti N.

EPISTOLA CCXII.

Ivo, *Ecclesiæ Carnotensis minister*, Gaufrido, *Dei gratia Belvacensium episcopo, salutem.*

De eo qui ante plurimos annos bona sua monasterio Sancti Symphoriani devovit, et circa obitum suum se et sua, nullo calumniante, contradidit, hoc respondeo dilectioni vestræ quod legibus et moribus et rationi concordat, videlicet quia si adversus monachum prætaxatum quandiu in monasterio vixit nulla actio mota fuit, quod monasterio contulit ab eo jure alienari non poterit, si tamen huic calumniatori conversio prædicti monachi nota fuit. Sicut enim de criminationibus (l. *fin*, c. Ad leg. *Tul.*) sic de pactionibus lex et ratio docet (l. iv, d. *De loc.*, et l. l, d. *De re jud.*), ut qui jam tantum judicio divino subjacet, judicio ulterius non pulsetur humano. Præterea etiam si vera sunt quæ caluniator ille proponit, ut hæres fuerit a prædicto monacho designatus, continetur tamen in libro Institutionum de hæredibus, quia prius testamentum posteriore dissolvitur ; et in legibus Theodosianis (*Anianus in schol. ad Pauli Sent.*, lib. v, tit. 11) : « Si aliquis unam rem per legitimas scripturas duobus donaverit, uni prius et alteri postea, non quærendum est in his donationibus qui primus, qui posterior sit : sed qui rem, tradente donatore, possederit : is eam cui tradita est possidebit. » Si alia quæ non audivimus non impediant, sic potest de proposita controversia rationabiliter et legitime judicari. Vale.

EPISTOLA CCXIII.

Joanni, *Dei gratia Aurelianensium episcopo*, Ivo, *eadem gratia Carnotensis minister, salutem et dilectionem in Domino.*

Venerunt ad nos quidam fratres qui in episcopatu vestro communiter vivunt, sollicite quærentes utrum clerici regulariter viventes parochias regere possint, et animarum habere custodiam (epist. 69). Quibus hoc respondi, quia in primitiva Ecclesia nullus constitutus est rector animarum, nisi de communi vita assumptus, quia nemo rectius custos præponitur vitæ alienæ quam qui prius custos est factus vitæ suæ. Quod nullo in loco melius probatur quam inter eos in quibus regularis vita vigere videtur ; quibus tantum displicet aliena malitia quantum prius displicuit sua. Unde Clemens in quarta epistola sua (epist. 5, et in c. *Dilectissimis,*

(*a*) *Bertredam* vocat epist. 13.
(*b*) Huic Urbanus secundus præfuit anno 1095.

(*c*) Al., *domnus*. Adi epist. 76 et 111, ubi de Hugone Puteacensi.

caus. 12, q. 1) : « Communis vita, fratres, omnibus est necessaria, et maxime iis qui irreprehensibiliter vivere cupiunt, et apostolorum vitam eorumque discipulorum imitari volunt. » Et in sequentibus : « Unde consilium dantes, vestram prudentiam hortamur ut ab apostolicis regulis non recedatis, sed communem vitam ducentes, et Scripturas sacras intelligentes, quæ Deo vovistis adimplere studeatis. » Inde etiam papa Urbanus in primo Decretali suo (*primus* in *c. Scimus*, caus. 12, q. 1) : « Scimus vos non ignorare, fratres, quia vita communis inter bonos Christianos hactenus viguit, et adhuc gratia Dei viget, maxime inter eos qui in sortem Domini electi sunt. id est inter clericos. » Hæ sententiæ apostolicæ nullum clericum a communi vita excipiunt, nec civilis, nec suburbanæ ecclesiæ presbyterum. Quod vero communis vita in omnibus ecclesiis pene defecit tam civilibus quam diœcesianis, **91** non auctoritati, sed desuetudini et defectui ascribendum est, refrigescente charitate, quæ omnia vult habere communia, et regnante cupiditate, quæ non quærit ea quæ Dei sunt et proximi, sed tantum quæ sunt propria. His rationibus et auctoritatibus freti, constanter asserimus non esse audiendos, qui clericos regulariter viventes a regimine animarum judicant repellendos (epist. 69), quia sæculo renuntiaverunt, sed ideo potius ad hoc assumendos, quia voluptates et pompas sæculi contempserunt. Non enim mundi contractus est animas a vitiis avocare, et ad virtutum celsitudinem provocare. Ideo convenientius ista docent qui ea quæ dicunt opere complent, quam ii qui sunt doctores legis et non factores legis. Non tamen ad hoc officium alii assumendi sunt, nisi quos vita et doctrina commendat, et episcopalis auctoritas ad hoc agendum idoneos probat. Hæc fraterne scripsi dilectioni vestræ, ut eorum qui sua quærunt rapacitatem adversus pusillum Dei gregem compescatis, et in clericali militia quiete vivere faciatis. Vale.

EPISTOLA CCXIV.

Brunoni, *Dei gratia primæ sedis Belgicorum episcopo*, Ivo, *eadem gratia humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, per hoc mare spatiosum et undosum pervenire ad æternæ beatitudinis portum.*

Quamvis lateat oculos corporis mei corporalis vestra præsentia, non tamen latet oculos mentis meæ quæ in vobis lucet divina gratia, per quam adhuc supersunt in mundo quædam luminaria, quæ radiantia verbo et exemplo valent ad illustrandam caliginem vitiorum, et illuminandum decorem virtutum. Sicut enim interpositis vaporibus hujus inferioris aeris aliquando luminaria cœli refundere lumen suum terris non possunt, et tamen tranquilla superioris aeris spatia illustrare non desinunt, ita luminaria Ecclesiæ, licet canibus sanctum, porcis margaritas (*Matth.* VII) aliquando anteponere dissimulent, ne verbum Dei propter oblatrantes et conculcantes apud infirmos auditores minus currat et fru-

A ctificet, tamen si quem pium et humilem et quietum in hac valle plorationis invenerint, exemplis informant, et radiis doctrinæ spiritualis illustrare non desistunt. Et quanto plus videmus mundum in maligno positum, quod deplorat Isaias dicens : *Omne caput languidum et omne cor mærens, a planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas* (*Isai.* I), tanto magis hi in quibus Deus lumen gratiæ suæ posuit, debent lamentabilibus Ecclesiæ ruinis obviare, et sponsam Christi maculis et rugis infuscatam in virginitatis suæ decorem pro viribus reformare. Videmus enim scissum regnum et sacerdotium (*a*), quibus tanquam principalibus et fortioribus paxillis tabernaculi Dei status firmiter figebatur, ne ullo impetu procellarum et turbinum

B everteretur. In tanta scissura, in tanta procella florere et fructificare non potest mater Ecclesia, de qua dicitur : *Una est columba mea, sponsa mea* (*Cant.* VI). Ad hanc unitatem resarciendam laborare debent membra Christi, quæ medicinaliter ferro putredines istas resecarent, aut competenti dispensationis malagmate tantam scissuram procurarent solidare. Non enim in tanto salutis periculo solus medicinæ rigor servandus est, sed et dispensationis modus, qui nulli sapienti displicuit, ad sedandas tantas perturbationes in aliquibus admittendus est. Monente enim Cyrillo Alexandrino (*b*), sicut nautæ in mari periclitantes, cum non habent spem servandorum omnium negotiorum suorum, quædam projiciunt, ut quædam servent : sic in dispensationibus ecclesiasticis, ubi non periclitatur

C fidei veritas et morum honestas, quædam instituta temperare debemus, ut tantis Ecclesiæ ruinis subvenire valeamus. Sic enim vela cilicina in tabernaculo Dei bysso et purpura, cocco et hiacintho supposita, imbrem et pulverem in se admittebant (*Exod.* XXXV), ut decorem interiorum ornamentorum ab imbrium madidatione et pulveris offuscatione conservarent. Facit hoc charitas, quæ *operit multitudinem peccatorum* (*I Petr.* IV), quæ cum infirmantibus infirmatur, cum scandalizatis uritur (*II Cor.* XI), et omnibus omnia fit (*I Cor.* IX) ut omnibus prodesse mereatur. Unde a subditis non debet reprehendi prælatorum dispensatio, si salvo fidei fundamento (epist. 190, 250), et nota communi regula morum, aliqua infirma faciunt aut tolerant, ut

D vitam subditorum in proposito suæ sanctitatis conservare prævaleant. Unde beatus Gregorius in libro Pastorali : » Si tu intus ut coccus rutilas, cilicium quo protegeris cur accusas ? » Sic enim et *misericordiam et judicium* Domino cantamus (*Psal.* C), Judicium, cum vitiis omni severitate resistimus ; misericordiam vero, cum rigorem disciplinæ utili compensatione temperamus. Hæc dicendo prudentiam majorum meorum et coepiscorum meorum non doceo, sed tanquam de longo sopore monente charitate excitare desidero, ut tandem quisque pro persona quam portat tantis ruinis occurrat, ne pro suo

(*a*) Ob controversiam investiturarum, de qua ad epist. 236.

(*b*) Cap. *Dispensationes*, caus. 1, q. 7; citatur etiam epist. 171.

silentio tanquam mutus canis intereat. Hæc pauca ausu charitatis de remotis partibus excellentiæ vestræ scripsi, qui bonum odorem vestræ notitiæ ad nos usque pertingentem suaviter olfeci. Et quia in Belgica provincia vos estis qui religione et auctoritate præcellitis, supplico sanctitati vestræ, ut aliquando meæ parvitatis memor in hoc peregrinationis itinere pusillanimitatem meam murmurantem, et aliquando pene deficientem, verbo consolatorio refocillare (*a*) studeatis. Vale.

EPISTOLA CCXV.

THOMÆ [al. TUSTANNO], *Eboracensi archiepiscopo*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, pro dispensatione fideli promereri gaudium boni servi.*

Benedictus Deus qui conversationem vestram lucere facit in tenebris barbaræ nationis, quo his B quibus præestis, verbo et exemplo prodesse possitis, et bonæ opinionis odorem ad nos usque transmittatis. Unde arctius inter nos vinculum dilectionis colligare [*al.* colligari] desiderans, præsentes litterulas [*al.* litteras] direxi benignitati vestræ, ut hoc commonitorio discamus invicem mutuis nos consolationibus refovere, et devotis suffragiis orationum relevare. Cum enim positis in regimine frequenter immineant illa pericula, quæ Psalmista commemorat dicens : *Ascendunt usque ad cœlos, et descendunt usque ad abyssos, turbati sunt et moti sunt sicut ebrius et omnis sapientia eorum devorata est* (*Psal.* CVI) : hoc solum remedium nobis expetendum est quod sequitur : *Clamaverunt ad Dominum cum tribularentur*, **92** *et de tribulationibus eorum eduxit eos* (*ibid.*). Hunc clamorem charitas C auditu dignum facit, quam nec temporum inæqualitas impedit, nec locorum longinquitas intercludit, cum exauditor ubique sit præsens, qui et pia [*al.* qui cum pia] vota subministrat et postulata implere non tardat. Unde est quod in typo se invicem diligentium in tabernaculo Dei, duo cherubim se respiciunt, et vultus suos in propitiatorium vertunt (*Exod.* XXV), quod et mutuam inter se dilectionem proferant, et quod suggerente charitate postulaverint, Deo propitiante, se posse obtinere confidant. In hunc modum intuitu charitatis nos invicem respiciamus, mutuas orationum manus porrigamus, et quæ saluti nostræ sunt necessaria vel impetrata vel impetranda propitiationi divinæ humiliter ascribamus, quæ hujus procellosi maris dis- D crimina, in quo sunt reptilia quorum non est numerus (*Psal.* CIII), sic modificabit ut *non* permittat nos *tentari supra id quod* possumus sustinere, *sed* faciat *cum tentatione proventum* (*I Cor.* X), qui imperat *ventis et mari* (*Matth.* VIII), ut possimus tumores æquoreos superare. De cætero noverit excellentia vestra parvitatem nostram paratam non tantum ad impendenda orationum suffragia, A sed etiam ad omnia charitatis officia, quæ impendere valet facultas vel scientia nobis divinitus collata. Vale.

EPISTOLA CCXVI.

RICHARDO, *Dei gratia Albanensium episcopo, sanctæ sedis apostolicæ vicario*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, obedientiam et salutem.*

(*b*) Frequenter pulsat aures vestræ sollicitudinis Bonævallensis abbas, negotiorum suorum rationibus quæ obsunt vitans ; quæ prosunt, oratoria declamatione exaggerans : tanquam ego aliquid de concessione sibi a me facta minuam, et abbati Blesensi concedam. Ego vero illibatum unicuique defendere volo quod concessi, cum abbati Bonævallensi nihil aliud concesserim, nisi quod a possessoribus, imo detentoribus cujusdam parochiæ nostræ posset acquirere. Ipse vero etiam ea quæ ab eis habere non potest vult nostra concessione extorquere. Blesensis vero abbas reliquas partes ejusdem Ecclesiæ, quas Bonævallensi abbati nemo concesserat, a detentoribus obtinuit; quas si abbati Bonævallensi communicare voluisset, jam pax inter eos reformata fuisset. Qua in re, quia dictante justitia Blesensi abbati violentiam inferre non valui, ita litem istam terminare volui, ut quisque portione sibi concessa contentus esset alterius metas alter non occuparet; sed infinita monachorum cupiditas infinitam facit manere discordiam (*c*). Propterea non succenseat mihi vestra discretio, si in hoc negotio quod volo implere non valeo. Præterea satis injuste conquestus est Bonævallensis abbas circa monasterium suum judicium non esse servatum, quod in Floriacensi concilio promulgatum fuit de cœmeterio, unde controversia erat inter abbatem monasterii Carnotensis et abbatem monasterii Bonævallensis. Novit enim veritas, quia sacramenta in prætaxato concilio adjudicata cum omni diligentia facta sunt. Sed abbas Bonævallensis ea audire contempsit, quia sibi ea obesse perspexit; cui præcipue sua voluntas ratio est et auctoritas. Vale.

EPISTOLA CCXVII.

RICHARDO, *Dei gratia Albanensium episcopo, sedis apostolicæ vicario*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, debitam et devotam obedientiam.*

Juxta consilium et admonitionem vestram (epist. 216) abbatem Blesensem et Bonævallensem convocavi ad præsentiam nostram, ut ex officii nostri debito aut pacem inter eos reformarem, aut litem quæ inter eos erat judiciario ordine terminarem. Primo itaque auditu [aditu, *ms. c.*] ad hoc intendi, ut quartam partem Ecclesiæ de qua lis orta est, licet nondum eam, quamvis a me concessam, obtineret, a possessoribus quietam ei facerem ; deinde ut aliam quartam, nec a me nec ab aliquo sibi concessam, acquirerem, quatenus ex benevolentia sola,

(*a*) Ita aliquot v. c. ; alii *refovere. Animæ refocillationem* dixit epist. 150.

(*b*) In aliquot veterib. codicibus hoc argumentum exstat. *De controversia Bonævallensis abbatis et Blesensis super Ecclesia Verdensi.* Quod ideo notare visum, quia tota hac epistola ut etiam sequente, nulla fit mentio Verdensis Ecclesiæ.

(*c*) Alibi vocat *monachorum invidiam dæmoniacam*, epist. 266.

sic in alienos labores introiret, et colligeret ubi non sparsit, meteret ubi non seminavit, ea tamen conditione, ut si de cætero aliquæ lites a laicis inde moverentur, utrique abbates pro pace obtinenda simul laborarent, si quid expendendum esset, simul expenderent, et commoda et incommoda æqua lance dividerent. Cum ergo huic dispensationi Blesensis abbas et si non libenter, tamen obedienter assensum præbuisset, Bonævallensis abbas nec meo consilio voluit acquiescere nec judicio. In hoc vero negotio nullam potest idoneam causam prætendere, nisi forte illam poeticam, quia omnis potestas regni impatiens consortis erit (LUCAN. *Phars.*, lib. I, vers. 92, 93); et nititur quodam novo et hactenus inaudito mandato, quod potius impugnat charitatem quam sequatur auctoritatem (*a*). Quod tamen si inviolatum manet, plus proderit Blesensi quam Bonævallensi abbati. Habuit namque Blesense monasterium partem decimarum et oblationum a multis præcedentibus annis pertinentium ad Ecclesiam de qua ista contentio orta est, sicut evidentia rei probat, et ipse abbas prodere poterit, cum ei necessarium fuerit. Hoc interim scripsi sollicitudini vestræ, ne desidiæ, aut contemptui imputaretis, si nihil me inde tractasse audiretis. Vale.

EPISTOLA CCXVIII.

GUALONI, *Dei gratia Parisiensium episcopo*, IVO, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, salutem.*

De canonico Ecclesiæ vestræ, qui contra prohibitionem vestram matrimoniales tabulas sibi composuit (epist. 200), nullam sententiam ad manum habeo, quam dilectio vestra ignoret, si scripta apud se reposita diligenter exploret. Verumtamen consilium quod mihi ipsi darem, si aliquem de commissis mihi fratribus uxoria (can. 16, 17, 18, dist. 81) compede astrictum deprehenderem, tutum esse intelligo, videlicet ut sacramentum conjugii maneat, clericus vero qui, postposita clericali continentia, de superiori ordine ad inferiorem descendit, stipendia militiæ clericalis amittat. Novit enim vestra dilectio, quando de laica conversione in clericum [*al.* conversatione in clerum] quis assumitur, non maritali exercitio, sed divinæ tantum militiæ dedicari. Unde ab **93** ordinatoribus clericorum, in eorum ordinatione dicitur de eis : *Hæc est generatio quærentium Dominum* (*Psal.* XXIII); non dicitur quærentium conjugium, sed quærentium tantum Dominum, quia ut testatur doctrina apostolica : *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probaverit* [al., *probavit*] (*II Tim.* II). Postquam ergo de inferiori laicorum gradu quis sortitus fuerit superiorem, id est militiam clericalem, et inde se præcipitaverit ad voluptatem conjugalem, nulla ratio sinit ut in illo casu positus, illius ordinis dignitate et utilitate potiatur, quam misera voluptate commutasse videtur. Ad hoc enim instituta est clericalis militia, ut psalmodiæ et hymnodiæ quotidianum Deo offerat sacrificium : quod offerre jure non poterit, cui, ut plus placeat uxori quam Deo, lenocinante uxore et fallente carnis voluptate, operam dare necessarium erit. Cum enim secundum Apostolum non concedatur laicis orare, nisi eo tempore quo continent (*I Cor.* VII, relat. in c. 1, dist. 31), quanta magis semper debent continere, qui tam pro suis quam pro aliorum delictis jubentur orare. Ad hoc quippe fidelium oblationes (*b*) in stipendia clericorum deputatæ sunt; ut et continenter vivant, et benefactorum suorum peccata sanctitatis intercessione detergere sufficiant, quatenus hi de quorum eleemosynis vivunt, hoc eorum meritis assequantur, quod assequi suis meritis non merentur. Quandiu ergo in hoc agone positi, ab omnibus a quibus abstinendum est, se abstinent, merito stipendiis militiæ suæ habentur digni; cum autem ea servare [*al.*, cum ea probare] contempserint, eisdem judicantur indigni. Quibus ad depositionem eorum hoc solum sufficere videtur, quod et illicita præsumunt, et salutaribus episcoporum præceptis obedire contemnunt, secundum illud Apostoli : *Habentes in promptu ulcisci omnem inobedientiam* (*II Cor.* X). Præterea qui honestam et utilem Ecclesiæ consuetudinem quam pro lege habendam censet auctoritas, pertinaciter et superbe contemnit, manifeste canonicæ institutionis violator existit, cui contemptui qui parcit, multos in discrimen adducit. In hunc modum Nicæni canones (*Nic. can.* 3, 16, dist. 32) et Agatense concilium prohibent clericum non tantum mulierum carnale sortiri consortium, sed etiam domesticum habere contubernium, exceptis illis personis quæ non continent aliquod suspicionis argumentum (l. XIX, c. *De episc. et cler.* et c. 25 et 29, dist. 8). In hanc sententiam consentiunt etiam sententiæ sanctorum Patrum, Augustini, Hieronymi cæterorumque doctorum, qui de vita scripsere clericorum. Quæ omnia breviter commemoro, quia nihil horum vos latere cognosco. Vale.

EPISTOLA CCXIX.

Domno et Patri suo, PASCHALI *summo pontifici*, IVO, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, ut patri honorem, ut domino timorem.*

Ut Cypriani verbis utar, « si aliqua falsitas de me ad apostolicam sedem præcessit, oportet ut veritas subsequatur, » quæ latrocinia noctis detegat (epist. 133), et ordinem gestarum rerum lucide aperiat. Nuper enim litteras accepi a quodam adolescente, canonico Ecclesiæ nostræ, charactere apostolico signatas, quas cum aperuissem et perlegissem, multis de causis suspectas habui, existimans eas aut esse furtivas, aut aliqua suggestione fallaci subreptas. Primo, quia prædictus adolescens infestus est mihi, quod eum non permitto contra canones et conciliorum edicta, per manum laicam in quadam

(*a*) Fortasse pontif. Rom. quale illud, quod refutat epist. 195.

(*b*) Sic v, c., male antea *orationes*.

Ecclesia presbyterium usurpare (*canon.* sub caus. 16, q. 7), et presbyteri oblationes presbytero ablatas suis usibus mancipare. Alter vero clericus qui cum adolescente fuit, et ipse mihi infestus est, qui in hoc negotio nullus est, quia canonicus non est, nec in conventu bonorum audiendus, qui a me suspensus est ab officio diaconi propter incestum patratum cum uxore consanguinei sui. Hæc de personis interim dicta sint. Præterea consuetudinem apostolicæ sedis hactenus fuisse nec legimus nec audivimus, ut ad delationem unius personæ, quamlibet splendidæ, sententia daretur in absentem, præcipue qui nec auditus fuerat, nec vocatus. Cum ergo de hujusmodi jure possim conqueri et plurimum disceptare, malui tamen servare humilitatem obsequentis quam mihi arrogare solertiam disserentis. Restat ergo ut excusem innocentiam meam, quæ Deum testem habet, et meam conscientiam. Opponunt enim mihi litteræ illæ, cujuscunque sint, me dimidiam partem cujusdam præposituræ communitati canonicorum contulisse, et eamdem contra canones imminentia regiæ potestatis eisdem canonicis abstulisse. Cui calumniæ respondeo ex testimonio conscientiæ meæ, immerito dici ablatum esse quod canonice potest, vel a me vel ab aliquo eis fuisse collatum, nec esse restituendum quod probari non potest aliquando fuisse statutum. Dicam itaque paternitati vestræ quid dederim, et quid non dederim, et cur dederim, et qua de causa nihil ultra dare voluerim (*a*). Cum enim in quampluribus canonicorum Carnotensium [clericorum *ms. c.*] desuevisset disciplinæ regularis observantia, ut de negligentibus facerem diligentes, de somnolentis vigiles [*al.*, vigilantes], de tardis assiduos [*sic v. c. antea*, assuetos], ad frequentendas horas canonicas, deliberavi apud me ut darem eis dimidiam præposituram, ut inde fieret quotidianus panis, quem acciperent assidui, amitterent tardi, ut ad quas [*al.*, quod] eos panis interni dulcedo non movebat, panis corporei refectio provocaret, quamvis eorum annua præbenda eis ad hoc sufficiens esse deberet. Certus tamen de præteritis eorum negligentiis, et sollicitus de futuris, præcepi eis ut ad me mitterent duas de clero illo, quibus missis commisi præsentes illius anni fructus, ut inde quotidianum panem præpararent, et tradito ordine, confratribus [*al.*, cum frat.] dispensarent. Novit Veritas quia nihil aliud dedi de reliquo nihil eis dans aut promittens, nisi ut in hoc modico fideles et assiduos invenirem, ut mihi bene placeret possessionem rei eis concedere, et legitima stipulatione firmare. Hæc dispensatio intra tres menses

A ita depravata est, ut nulla mihi voluntas, nulla ratio suaderet, et nullum coepiscoporum vel religiosorum virorum consilium approbaret, ut propter infructuosam rerum canonicalium amplificationem minuerem dignitatem episcopalem. Panes enim illos vendebant quidam de senioribus, ad ludum vero alearum dabant quidam de junioribus, et qui se videndum præsentabat [*unus v.* ad videndum præbebat, *ms. c.*] horis nocturnis, subtrahebat se diurnis; et qui audiebat missam catechumenorum, subterfugiebat missam sacramentorum. Talis exitus rei revocavit me ab intentione **94** mea, ut non auferrem eis quod non dederam, sed nec aggrederer quod proposueram. Quibus verbis liquet, quia de his quæ eis contuli, nihil omnino

B imminentia regiæ potestatis abstuli, nec regem ad dispensationes ecclesiasticas vel causas invitavi vel admisi; qui eum meo multo labore et sudore et multis expensis a vexatione Ecclesiæ, ab incendiis et direptionibus ecclesiasticorum bonorum procul feci. In hoc quippe negotio major pars Ecclesiæ et sanior mecum fuit. Sed quidam talium actionum minus periti, intellexerunt rem aliter fuisse quam fuerit. Sed cum ante metropolitanum calumnia eorum dilata et ad ultimum delata fuisset, de hoc negotio certa diffinitio processit, et omnis controversia sopita est, et pacis osculo confirmata, et in plenario capitulo præter eos qui non interfuerant [*al.*, non adfuerant], ab omnibus collaudata. Quibus suo ordine terminatis, volui ex benevolentia mea, quæ mihi multa gravamina

C intulit, prædictam partem prætaxatæ præposituræ concedere duodecim presbyteris, si possent inveniri, qui ad hoc officium eligerentur, et suis temporibus ad sacerdotium promoverentur. Quod cum per decanum Ecclesiæ et per me, et per litteras domni Richardi Albanensis episcopi, legati vestri, studiose quæsiissem, nec unus inventus est, qui vellet aut valeret ad hoc officium promoveri aut eligi. Consilio itaque ejusdem legati vestri, et pene totius Ecclesiæ, nullo repugnante, nullo contradicente, prout melius potui, ne Ecclesia sæpius inde perturbaretur, personaliter ordinavi, et honesto clerico et eidem rei administrandæ et defensandæ utili contuli [*al.*, concessi, *ita ms. c.*]. Ad quam ordinationem alium minime [neminem, *ms. c.*] quæ-

D siissem, nisi illum qui tenebat alteram partem, sed suspectus erat Ecclesiæ tanquam per eum turbatio hæc orta fuisset in Ecclesia. Isto vero ibi posito, et murmur sedatum est, et quievit Ecclesia. Ne ergo de cætero Ecclesia hac vana occasione perturbetur, flexis genibus cordis, paternæ pietati supplicamus,

(*a*) « Hæc et quædam alia suspectas litteras illas mihi fecerunt : verum cujuscunque sint, innocentiam meam accusant, videlicet dimidiam præposituram communitati fratrum me contulisse, et eamdem contra canones imminentia regiæ potestatis eisdem fratribus abstulisse. Cui calumniæ. Si quid de me adversum me perlatum est ad sedem apostolicam, oportet ut pro me subsequatur cum legato charta non fallax quæ objectis respondeat et innocentiam meam defendat. Nuper enim litteras accepi a quodam adolescente canonico eccles. nostræ, charactere apostolico signatas, quas cum aperuissem et perlegissem, miratus sum quod ad suggestionem cujusdam adolescentis contra morem sedis apostolicæ litteræ illæ sententiam dabant in absentem; cum videlicet qui non fuerat auditus, vel vocatus. » *Ita ms. codex.*

ut causam, quæ semel decisa est, propter cupidorum et malevolorum delationem, non iteretis, et pacem quam nunc habet Ecclesia non tantum non concutiatis, sed etiam debito paternitatis affectu collaudetis, et de cætero senectutem meam propter superfluam et impunitam appellatorum licentiam vexari non permittatis. Dum enim premit nos a prælata potestate illata adversitas, regendi in nobis debilitatur auctoritas, cum ecclesiasticam in eos non audemus exercere disciplinam, qui eam adversum nos appellant, non confidentia justitiæ, sed pro dilatione sententiæ. Quod si juvenili vigore possemus adhuc peditare per ruinosas [rumosas *ms.c.*] Alpium vias, equitare per præcipites præterfluentium torrentium undas, et præcedere aut subsequi ad apostolicam sedem delatores nostros, procul dubio refrenaret se murmurantium lingua, quæ parum adhuc novit quid distat inter serenitatem charitatis, et caliginem cupiditatis. Si ergo aliquod temperamentum adversus hæc incommoda non procuraveritis, et inveteratis dierum malorum et indisciplinatis juvenibus, qui vix sunt digni habere quæ habent, nedum ambire quæ non habent, vexandum me exposueritis, unum restat mihi tutum et totum consilium, assumptis pennis columbæ (*Psal.* LIV) a molestiis inutilibus avolare, et in solitudine montis requiescere, ubi exspectem eum qui salvum me faciat a pusillanimitate mentis et inquietudine. Cum et ante episcopatum et in episcopatu semper voluntas mea fuerit, magis in loco humili salvari quam in alto periclitari, et in domo Dei magis abjectum esse quam illis præesse quibus non possem prodesse. Sed quia tantæ sublimitatis aures ad fastidium verbis nolumus onerare, si qua minus de necessariis dicta sunt, isti fratres supplebunt, et si opus fuerit, probabunt. Vale.

EPISTOLA CCXX.

HILDEBERTO, *Dei gratia Cenomanensium episcopo*, Ivo, *eadem gratia Carnotensis Ecclesiæ humilis minister, salutem.*

De appellationis ordine quantum arbitror, nihil penes nos invenitur, quod penes vos similiter non inveniatur. Tamen ne fastidiosum videatur amico respondere, quod super hac re sentio, breviter dilectioni vestræ rescribo. Primum igitur hoc intelligo, quia propter vocem appellantis, nunquam transibitis de Ecclesia ad Ecclesiam, vel de provincia ad provinciam, nisi primum appellator litteras invitatorias a judice ad quem appellatum est, deferat, in quibus judex diem et locum agendæ causæ constituat. Unde ait Felix papa (can. 15, caus. 3, q. 6, et epist. 172) : « neminem de provincia ad provinciam exhiberi oportet, nisi ad relationem judicis ad quem appellatum est. » Debet autem ipse appellator infra quinque dies litteras accipere a judice a quo appellatum est, dirigendas ad judicem ad quem appellatum est; quas qui accipere aut postulare neglexerit, secundum statuta legum ab agendo removendus est. Quod si forte injuste appellaverit, sumptus quos expendit adversarius, dum appellationem sequeretur, solvere cogendus est. De cætero quod abbas a vobis exigit, ut communem rem fratrum vestra stipulatione quietam possideat, absurdum valde videtur ut a vobis exigatur quod juris vestri non esse manifeste probatur, canonum auctoritate prohibente (cap. *Sine*, caus. 12, q. 2), videlicet ut nullus episcopus rem Ecclesiæ sine conniventia [*duo v. c.*, convenientia] cleri alienet, commutet, aut donet. Unde in Decretis pontificalibus legitur : « causæ quæ legibus non continentur, a judicibus ecclesiasticis minime audiantur (*idem* epist. 119 et 241). » Ad interrogata pauca rescribo, quia hæc et meliora vos nosse non dubito. Vale.

EPISTOLA CCXXI.

JOANNI, *Dei gratia Aurelianensi episcopo*, Ivo, *eadem gratia Carnotensis Ecclesiæ minister, salutem.*

(*a*) De libero viro qui nesciens ancillam duxit uxorem, postea vero veritate cognita eam dimisit, et nunc aliam ducere, accepta a vobis licentia, disponit, quod sentio dilectioni vestræ respondeo. Si decreta Patrum et leges sæculi super hoc consulere volumus, reperiemus quia inter ingenuos et æquales tantum legitima constat esse conjugia, et ubi aliter per ignorantiam evenerit, licita fore divortia. Si vero divinum institutum et legem naturæ consulimus, ubi neque servus est neque liber, non mihi potest facile persuaderi, ut propter conditionem quam natura non habuit, nec divina **95** lex a lege conjugali excepit, lex humana posterius lata cassare possit conjugii sacramentum, quod veteri et evangelica lege constat esse confirmatum. Quod si vir propter conjugii charitatem noluerit subire servitutem, nec mulieri voluerit acquirere libertatem, ita rem modificandam puto, ut si per aliquam dispensationem permittimus cessare opera nuptiarum, non tamen ideo (*b*) concedamus cassari conjugii sacramentum. Ita nec prorsus evangelii erimus violatores, nec legum humanarum contemptores. De proposita quæstione ita sentio, nec tamen a dicentibus meliora et firmiora, si cum Evangelio et Apostolo sentiant, dissentio. Valete.

EPISTOLA CCXXII.

Ivo, *Dei gratia humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, clericis Eduensibus* [*Edulensibus*, ms. c.], *eloquiorum castorum unam faciem attendere.*

Quoniam *universæ viæ Domini misericordia et veritas* (*Psal.* XXIV), non intelligimus Scripturas divinas inter se dissentire, cum alia Scriptura rigorem intendit justitiæ, altera autem dispensationem sequitur indulgentiæ. Quod interim omisso sensu allegoriæ considerandum puto inter evangelicam sententiam, quæ absolute consulit adulteram aut viro priori reconciliari (*Matth.* XIX), aut manere innuptam (*I Cor.* VII), et illam Veteris Testamenti quæ

(*a*) Hac de re etiam agitur epist. 242.

(*b*) *Ideo* deest in ms. c.

dicit adulteram dimissam a priore viro, et alteri per conjugium sociatam, si ab eo repudiata fuerit, nullatenus priori reconciliandam. Hæc enim sententia quæ reconciliationem adulteræ prohibet, rigorem mihi videtur sequi justitiæ, ne dum uni parcitur, multi in discrimen adducantur, et paucis indulta licentia, plurimorum faciat pullulare flagitia. Quod notabiliter habetur in ipsa legis sententia, ubi prohibitioni subinfertur : *Ne peccare facias terram, quam Dominus Deus tuus tibi dedit possidendam* (*Deut.* XXIV). Evangelica vero sententia humanæ infirmitati contemperata misericordiam magis vult quam judicium, quæ legis temperat austeritatem, sine ulla exceptione consulens fieri adulteræ mulieris reconciliationem ; quam secuti sunt Patres nostri post Evangelium, utiliorem intelligentes esse misericordiam in tali contractu quam judicium. Beatus vero Hieronymus honorans sacramentorum sanctitatem legalem more suo in hac sententia sequitur legis austeritatem, intelligens per hoc tutius posse muniri salutem. In hac igitur ambiguitate finem ponit auctoritas evangelica, contra quam nec personalis nec epistolaris valere debet sententia. Unde Leo quartus episcopis Britanniæ ita scribit (*a*) : « De libellis et commentariis quorumlibet non convenit aliquos judicare, et canonum atque decretorum regulas relinquere. » Beatus quoque Augustinus scripturas suas et sibi similium inter canonicas Scripturas in multis opusculis suis (*b*) testatur non esse computandas. Quod si auctoritate Veteris Testamenti me urgetis, breviter respondeo : hæc et alia Veteris Testamenti præcepta quæ ibi figurate sunt posita, in Ecclesia spiritualiter fuisse completa. Cum enim anima quælibet per fidem Christo fuerit sociata, si per hæreticam pravitatem a Christo recedens alteri viro, id est diabolo adhæserit, cum forte ad priorem virum, id est ad Christum reverti voluerit, secundum diffinitionem antiquorum canonum usque ad exitum vitæ non est societati ejus copulanda, id est ad communionem sacramentorum Christi et Ecclesiæ admittenda, non quod vere pœnitens debeat de indulgentia desperare, sed in hac separatione lapsum suum humiliter deplorare. Possem ea quæ dixi multiplicibus sententiis confirmare, sed puto ad intelligendum id quod sentio ista sufficere. Valete.

EPISTOLA CCXXIII.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister*, AUDOENO *Ebroicensis Ecclesiæ designato episcopo*, *Deo placitum adipisci sacerdotium.*

Quoniam vinitoribus et agricultoribus comparat nos sermo divinus (*Matth.* XX ; *Luc.* X), gaudere debemus in Domino, cum agricultioni [*duo v. c.* agricolationi] nostræ gratia divina tales adhibet operarios, per quos vinea Domini Sabaoth palmites suos A latius extendat, et ager Dei feracior fiat. Quod cum ab initio nascentis Ecclesiæ Domino dicente necessarium fuerit, maxime his diebus necessarium hoc esse videmus, cum manifesta novissimorum dierum signa præ oculis habemus, secundum quod prædictum est homines *seipsos amantes* (*II Tim.* III), sua quærentes, quæ Dei sunt post dorsum ponentes, tam viros quam mulieres per omnia corporis sui membra ordinem naturæ adulterantes, et in hunc modum plurima quæ non tantum facere, sed turpe est etiam dicere. Quæ quia per domnum Gulielmum [*al.* Vuilelmum] Carnotensis monasterii S. Petri [*al.* B. Petri] abbatem, fraternitati vestræ displicere audivimus, in Domino gavisi sumus, quia vos utile vas in domo Dei futurum esse credimus [credidimus] ; simul expetentes ut fami- B liarem inter nos dilectionem confirmemus, et vicina ab invicem solatia atque præsidia pro eventuum et actionum ecclesiasticarum necessitate exspectemus. Præsentibus itaque litteris initia vestri episcopatus visitare decrevimus, ut amodo fraterna dilectione pro invicem sentiamus, onera nostra invicem portemus, quatenus secundum canonicam institutionem oppressores ecclesiasticorum pauperum gladio spiritus unanimiter persequamur, et a communione viventes, et a sepultura mortuos arceri faciamus. Habent enim parochiani nostri a nobis communione privati apud Musivum (*c*) quosdam presbyteros et quosdam monachos, a quibus communionem petunt et accipiunt, qui etiam fluvium unde Musivus (*d*) vicus ille dicitur transeunt, C et in quodam falso cœmeterio [*v. c.* cimiterio] corpora excommunicatorum sepulturæ tradunt. Quod de cætero fieri prohibeat dilectio vestra, ne manente prava consuetudine contingat detestanda perversitas, si excommunicationis vilescat auctoritas, et sceleratorum insolescat impunitas. Adversus hæc et hujusmodi det vobis Dominus spiritum consilii et fortitudinis, ut tanquam lucerna super candelabrum posita, in domo Dei luceatis, et necessarium lumen ignorantibus ministris. Vale.

96 EPISTOLA CCXXIV.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister*, GUIDONI *Molismensis monasterii abbati*, *salutem in Domino.*

Frater iste præsentium portitor litterarum, cum D litteris vestris ad nos veniens, quam inordinate vera celando, falsa profitendo, cum ordinandus examinaretur, ad sacerdotii culmen aspiraverit, lacrymabiliter nobis aperuit, consultius sibi æstimans ab inordinate accepto officio penitus cessare, quam in eodem periculose ministrare. De cujus cordis anxietate sollicita perquisitione quod sentio, et quod de canonicis Scripturis collegi, fraternitati vestræ rescribo, quia licet inordinate accesserit ad sacrum ordinem, sacramenti tamen accepit sanctitatem ; sed

(*a*) Latius extat apud Ivonem dec. lib. II, et in cap. *De libellis*, dist. 20.

(*b*) Prologo lib. III, *De Trinit.* et lib. IV, c. 1, *De anima.*

(*c*) Sic habent vett. codd. in antea vulgato, *Musuvim.*

(*d*) Ita etiam vett. codd. antea *Musuvis.*

tamen quandiu in perversa intentione lucrorum temporalium perstitit, fictus et solo sacramento sacerdos fuit sibi ad perniciem, licet aliis ad salutem. Et si in eo rigor canonum servaretur, omni tempore ab inordinate accepto officio suspenderetur. Postquam vero mutata intentione quod deerat integritati sacerdotali ei gratia divina contulit, et sanctitati sacramenti novitatem vitæ addidit, et impletum est in ea quod dicitur : *Sacerdotes tui induantur justitiam* (*Psal.* CXXXI), non jam fictus nec solo sacramento sacerdos fuit, et non tantum salutem aliorum, sed etiam suam per sacerdotale ministerium potuit operari. Unde Augustinus in libro contra epistolam Parmeniani (*a*) : « Hoc pene in omnibus talibus quæstionibus intelligendum admonemus, quia scilicet omnia sacramenta, cum obsint, indigne tractantibus, possunt tamen per eos digne sumentibus. » Item : « Spiritus sanctus in Ecclesiæ proposito vel ministro sic inest ut si fictus non est, operetur per eum, et ejusdem mercedem in salutem sempiternam et eorum regenerationem vel ædificationem qui per eum sive consecrantur, sive evangelizantur. Si autem fictus est, desit quidem saluti ejus, et auferat se a cogitationibus ejus quæ sunt sine intellectu; ministerium tamen non deserat, quod per eum salutem operatur aliorum. » His et hujusmodi palam est præsentem fratrem ad sacri ordinis ministerium misericorditer posse admitti, nisi aliud lateat, quod sacris canonibus obviare videatur. Verum ut tutius muniatur ejus conscientia, exspectanda est ad hoc paterna obedientia, quatenus sanet hoc vera humilitas, quod vitiavit ambitiosa cupiditas. Vale.

EPISTOLA CCXXV.

DAIMBERTO, *Dei gratia Senonensium archiepiscopo*, Ivo, *eadem gratia Carnotensis Ecclesiæ minister, cum debita obedientia salutem et dilectionem.*

De milite qui ante legitimas nuptias cum sorore uxoris suæ concubuit, et culpam suam publice confessus est, hoc paternitati vestræ respondeo quod vos bene nostis, quia sibi publicam ingessit infamiam, et adversus honestam personam nec accusare de cætero potest, aut testificari. Verum, quia nemo criminiosus confessionem facere potest, nisi aut de flagitio aut de facinore, negare non possumus quin confessiones quas pro Dei timore et sua salute adversum se faciunt pœnitentes, recipiamus, et quin eis legitimas pœnitentias injungamus; quas si eis denegaremus, invisibilium luporum faucibus eos devorandos objiceremus. Si vero hujusmodi accusatores sui leviter et impune transire permittimus, bonum conjugale quod natura et lege ab initio sancitum est, periculose violandum exponimus Quia ergo omnis controversiæ finis ecclesiasticæ, secundum Apostolum, est juramentum (*Hebr.* XVI), districtis sacramentis, et per probatas sex personas sive quæ præsentes hoc flagitium cognoverint, sive quæ fidei suæ argumento rei veritatem astruere possint, con-

A fessio illa approbanda [*al.* comprobanda] est, quia nos cogunt nova genera morborum nova quærere experimenta medicamentorum. Cum ergo confessio illa ita fuerit comprobata, jam constabit incestuosum fuisse conjugium : « Incestis autem conjunctionibus secundum canones (can. *De incestis*, caus. 35, q. 2), nihil veniæ reservamus, nisi cum flagitiosum conjugium separatione sanaverint. » Ipse autem conjugii violator et accusator (can. *Concubuisti*, caus. 32, q. 7) omni tempore velut viduus usque [*in aliis v. cod.* vel ut minus usque] ad tempus peractæ pœnitentiæ sine conjugio maneat; mulier autem pretium pudicitiæ suæ, dotem videlicet non amittat. Ita quidem et confessioni satisfaciemus, et conjugii bono in futurum utiliter providebimus. Hæc
B interim sine ullo ordinis nostri dispendio facere potest vestra dispensatio, donec suo tempore ad generale concilium, vel generalem conventum veniamus, in quo de his et hujusmodi, cum conniventia [*quidam* convenientia] episcoporum tractare valeamus. Ego enim ita facio, si quid mihi aliquando tale contingit, et sic feci in hac præsenti Quadragesima de quodam milite, semper ad generalem audientiam reservans quid statuendum sit de talis conjugalis boni violatore. Valete.

EPISTOLA CCXXVI.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister*, BERNERIO, *Bonævallensis monasterii abbati et fratribus sibi commissis, misericordiæ visceribus abundare.*

Monachus præsentium portitor litterarum, fugam
C qua de monasterio vestro elapsus est, lacrymabiliter nobis confessus est, et ut a fraternitate vestra indulgentiam ei impetrem, multa instantia deprecatus est. Precibus itaque miseri hominis, misericordia motus opportune et imporune rogo et moneo, ut ovis quæ aberraverat a grege, et anxie reverti desiderat, cum digna satisfactione suscipiatis, edocti exemplo et verbo summi Pastoris, qui ovem perditam non solum revertentem recipit, sed etiam fugientem et errantem quæsivit, et ad ovile reduxit (*Luc.* XV). Exemplo itaque illius ex misericordia judicium temperate, et misericordiam quam sibi quisque impendi vellet, si ita affectus esset, fraterna charitate impendite. Possem in hanc sententiam plura vobis scribere, sed puto
D divinam lectionem quotidie frequentantibus ista sufficere. Valete.

97 EPISTOLA CCXXVII.

PASCHALI, *summo pontifici*, Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, in eo semper gaudere qui delectabiles facere potest exitus matutini et vesperæ.*

Quoniam paternitatem vestram a civibus Babyloniæ audivimus plusquam mille passus angariatam (*b*), intimo dolore congemuimus, et quia ad aliud non suffecimus, conditorem bonorum et dispositorem malorum, quantum [quam, *ms. cod.*] intensa prece valuimus, interpellavimus, ut tantæ procellæ

(*a*) Refertur in cap. *Per Isaiam*, caus. 1, q. 1.

(*b*) Videtur respici ad illud tempus quo Paschalis vi armata captus est Romæ ab imperat. Henrico, de quo ad epist. 237.

fluctus in auram serenitatis converteret qui Petrum in fluctibus ambulantem ne mergeretur erexit (*Matth.* XIV), et coapostolum ejus Paulum tertio naufragantem de profundo pelagi liberavit (*I Cor.* XI). Non ergo dedignetur vestra sublimitas humilitatem nostram consolationis suæ facere participem, ut quæ præcordialiter compassa est in adversis, uberius gaudere valeat in prosperis. Non enim immemores sumus apostolicæ doctrinæ monentis : *Cum patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra : et cum gaudet unum membrum, congaudent omnia membra* (*I Cor.* XII). Quanto magis dolenti capiti debent omnia membra condolere, aut gaudenti omnia congaudere? De cætero si per quamcunque personam pervenerit ad aures vestras aliqua conquestio vel suggestio de quadam præbenda, quam datum me disposueram cuidam presbytero, nomine Guarino, nosse volo paternitatem vestram, quia sicut disposui, si quantum in me est, perficere paratus sum et paratus [*un. v. c.* operatus] fui, ea videlicet conditione ut Ecclesia scandalum hac de causa non patiatur; quæ, sicut nostis, pacis et fraternæ dilectionis magis compagæ socianda est, quam alicujus scissuræ dissensione saucianda. In hoc vero negotio tota pene Ecclesia cum decano in faciem mihi restitit (epist. 182), et presbyterum petitorem præbendæ, secundum morem Ecclesiæ canonicari non permittit. Hac itaque de causa distuli facere quod proposueram, quia nec aliter aliquid illi presbytero, quidquid ipse dicat, me daturum promisi, nisi cum pace Ecclesiæ posset fieri. Hæc ergo paternitas vestra indubitanter credat, et ne Ecclesia inde perturbetur, sapientia sibi divinitus collata provideat. Valete.

EPISTOLA CCXXVIII.

Ivo, *Dei gretia Carnotensis Ecclesiæ minister*, GONHERIO (*a*) *bonæ spei presbytero, ad ostium veritatis pulsare, ut ei se ipsam Veritas dignetur aperire.*

Quærint fraternitas tua quomodo inter se conveniant prophetica sententia, quæ dicit : *In quacunque hora peccator conversus ingemuerit, salvus erit* (*Ezech.* XVIII), et synodalis, quæ crimina sua confitentes aliquandiu a corporis et sanguinis Christi communione suspendit; repugnare enim tibi videtur dissentire sententiam [*ita v. c.*; *antea*, Rep. tibi videntur dissentireque sententia, *ita ms. c.*] capitis et corporis, ut quos caput, id est Christus celeriter a peccato liberat, eos corpus Christi, id est Ecclesia sub pœna peccati diu ligatos retineat. Quæ quæstio facile solvitur, si interni judicis animadversio et humanæ fragilitatis consideratio diligentius attendatur. Cum enim criminalis culpa delinquentem separet a capite et a corpore, rationis ordo hoc exigit ut internus judex tanto remittat celerius quanto solus magis videt interius; Judex vero qui tantum videt in facie, usque adeo delinquentes sub peccati pœna detineat, donec per manifestum pœnitentiæ fructum, qui sit

A pœnitentis affectus intelligat. Per internum enim gemitum satisfit interno judici, et idcirco indilata datur ab eo peccati remissio, cui manifesta est interna conversio. Ecclesia vero, quia occulta cordis ignorat, non solvit ligatum, licet suscitatum nisi de monumento elatum, id est publica satisfactione purgatum. Hinc est quod Ecclesia sua crimina confitentes a sacramentorum communione suspendit, et in cinere et cilicio positos ab introitu ecclesiarum statuto tempore excludit, ut per hoc experiatur, si jam sunt intus vivificati, cum fuerint, longa pœnitentiæ maceratione probati. Si hæc attendat fraternitas tua, videbis non dissentire propheticam et synodalem sententiam, cum illa deferat quod suum est capiti, et ista concedat quod suum

B est corpori. In discretione tamen episcoporum est secundum affectum pœnitentiæ tempus adbreviare vel prolongare, dicente beato Augustino (*Enchiridio*, c. 65, et can. 83, *De pœn.* dist. 1) : « In actione pœnitentiæ, pro qua reus ab altari separandus est, non adeo consideranda est mensura temporis ut doloris, quatenus enim agnoscis, eatenus Deus agnoscit, juxta illud Psalmistæ : *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde me consolationes tuæ lætificaverunt animam meam* (*Psal.* XCIII).» De proposita quæstione ista satisfaciant [*al.* sufficiant]. Vale.

EPISTOLA CCXXIX.

LISIARDO, *Dei gratia Suessionum* [al. *Suessionensium*] *episcopo*, Ivo, *eadem gratia Carnotensis Ecclesiæ minister, salutem et servitium.*

C De conjugio mulieris de qua me ex vestra parte consuluit domnus Stephanus, quæ ante conjugium rem dicitur habuisse cum consanguineo ejus quem nunc habet maritum, hoc legum fretus auctoritate respondeo, quia corruptor ejus etiam si verum sit quod dicit, eam accusare non potest, dicente apostolico decreto (c. *Nemini*, caus. 15, q. 3; et epist. 196) : « Nemini de se confesso credi oportet super crimen alienum; » et alibi (c. *Incerta*, caus. 30, q. 5) : « Neminem reum esse judicandum, nisi judiciario ordine convincatur, » id est nisi ipse in quem crimen intenditur, aut sponte se reum esse fateatur, aut per innocentes testes in aliquo sæculari judicio vel ecclesiastico reus esse comprobetur. Quod vero accusator propter improbitatem suam testes adhibet

D qui factum non viderunt, quamvis vera dicant, non sunt tamen audiendi, cum leges contineant testes adversus reum non esse admittendos, nisi de his quæ sub præsentia eorum facta esse noscuntur. Si vero mulier consulens famæ suæ adversus hanc infamiam purgare se voluerit, Romanorum pontificum Xisti et Leonis exemplo edocti consulimus prudentiæ vestræ (epist. 206), ut secundum quod fama crebrescit, quinta manu mulieris vel septima purgationem (*b*) ejus accipiatis, quatenus sic et legibus vim non faciatis, et conscientiæ vestræ et sedando rumori consulatis. De cætero apud dilectionem vestram

(*a*) Gonherii etiam mentio epist. 151.

(*b*) Ita dixit *septem sacramentis purgare*, epist. 54.

excusatum me esse volo, videlicet quod Carnoti me absente facta est separatio Guidonis cujusdam parochiani vestri, et Mathildis cujusdam parochianæ nostræ, quæ **98** frari ejus prius fuerat desponsata, ego tamen quomodocunque res se habeat, super parochianum vestrum nec judicium dedi nec dari feci. Ipsi sponte sua consilio quorumdam clericorum inter se divortium quæsierunt; ipsi causas divortii me nesciente jurejurando probaverunt. Quæ res, si perperam facta est, vos melius scitis quam ego: et si inde in parochianam nostram [*al.* parochia nostra] aliqua calumnia emerserit, quantum in me est quod ratio et lex suaserit judicabo. Valete.

EPISTOLA CCXXX.

HILDEBERTO, *Dei gratia Cenomanensium episcopo*, Ivo, *eadem gratia Carnotensis Ecclesiæ minister, salutem et servitium* [al. additur *et dilectionem in Christo*].

Quoniam a principio conditionis humanæ naturali institutione conjugium constat esse sancitum, nullum credo posse fieri divortium, nisi causa interveniat quam lex admittit, aut Evangelium. Adhuc enim vigebant Judæorum et gentilium, secundum legem naturalem, sociata conjugia, et nulla vel rarissima erant Christianorum connubia, quando apostolis interrogantibus: *Si licet homini uxorem dimittere quacunque ex causa,* responsum est a Domino, nullum conjugatorum fieri posse divortium *excepta fornicationis causa* (*Matth.* V; XXXII). Sed, quia secundum apostolicam doctrinam thorum immaculatum et honestum connubium oportet esse in omnibus (*Hebr.* XIII), crescente religione Christiana ad causas divortii additus est incestus; qui si in aliqua copula repertus fuerit, non potest probari thorus esse immaculatus et honestus. Hoc ergo mihi considerandum videtur de muliere quæ relicto Judaismo convolavit ad baptismum, utrum consanguinea fuerit prioris mariti, an non. Quod si repertum fuerit, credo secundum legem Christianam quam professa est, a priori marito posse dissolvi, et nubere cui velit in Domino; alioquin vir cui nupserit adulter erit, et ipsa adultera; « baptismus enim secundum Innocentium papam (c. *Gaudemus*, tit. 19; *De Divort.* l. IV *Decret.* et in c. 10; *Si quis*, dist. 34) peccata dimittit, non conjugia solvit.» Hoc de proposita quæstione sentio, sine melioris sententiæ præjudicio. Valete.

EPISTOLA CCXXXI.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister*, PONTIO *venerabili Cluniacensium abbati, in regimine sibi commisso placere summo rectori.*

Quæsivit a parvitate mea prudens diligentia et diligens prudentia vestra, quid mihi significare videatur calicis elevatio et ejusdem repositio, quid significant illæ consignationes quæ fiunt super calicem et intra, et extra, quæ prætermissa videntur in libello (*a*) quem composui De convenientia veteris et novi sacerdotii. Quæ ideo prætermissa mihi quia ad illam convenientiam de qua in opusculo illo agebatur parum aut nihil pertinere videbantur. Cum vero per se ista considerantur, mysticum aliquid continere videntur, præter [*un. v. c.* propter] illas consignationes quæ distincte ante istas in tribus locis frequentantur. In his enim specialiter intenditur ut illa dona quæ jam vocantur sacrificia, in Christi corpus et sanguinem commutentur, vel commutata salutaria nobis efficiantur. Cum autem panis et calix adhibito diacono elevatur, exaltatio Christi corporis in cruce commemoratur; quod vero cum hostia jam consecrata, intra vel supra calicem signum crucis imprimitur a latere calicis orientali usque ad occidentalem, et a septentrionali usque ad australem, hoc figurari intelligimus, quod ante passionem Dominus discipulis suis prædixit in commendationem suæ passionis: *cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum* (*Joan.* XII). Hostia quoque, quæ juxta calicem consignatur sic debet esse posita ut sua et calicis positione dextrum Christi latus repræsentet, de quo manavit sanguis redemptionis et aqua baptismatis, quæ utraque in calice contineri prudentia vestra non ignorat. At cum cooperante diacono calix deponitur, et hostia in suo loco reponitur, et corporali palla cooperitur (*b*), hoc commemoratur quod Joseph et Nicodemus, accepta licentia a Pilato, corpus Christi de cruce deposuerunt, et venerabiliter sepulturæ mandaverunt. Hæc de iis sentio, non respuens si quis de eis altiora et secretiora [*al.* sacratiora] ex auctoritate vel divina inspiratione dicere valuerit. De monacho qui in ignem cadendi juveni causa fuit non voluntate, sed casu, non videtur mihi esse criminale quod fecit, testante beato Augustino et dicente: « Peccatum adeo est voluntarium, ut si non sit voluntarium, constet non esse peccatum. » Unde si ad tempus monachus ille ab officio est suspensus, vel ab aliqua promotione dilatus, congruum mihi videretur ut et levitas ejus impunita non remaneret, et exemplum a simili levitate cavendi consortibus fieret. Ex sola ergo prudentia vestra pendet, ut secundum qualitatem vitæ et scientiæ [*al.* et conscientiæ] aut eum omnino suspendatis, aut in sacris eum ordinibus ministrare concedatis. De cætero si monachi illius transgressionem qui se propter epilepsiam curandam eunuchizavit, secundum rigorem canonum animadvertere vultis, nec ad altiorem gradum promoveri poterit, nec in eo in quo erat ordine ministrabit, quod, sicut bene nostis, ei non interdiceretur si esset sectus a medicis. Si enim secundum Nicænos canones illi ab ecclesiasticis officiis removentur qui se abscindunt [*vett. cod.* abscidunt] obtentu servandæ castitatis, multo magis illi removendi sunt qui se eunuchizant causa curandæ corporalis ægritudinis.

(*a*) Exstat hodie additus inter sermones Ivonis.

(*b*) De ratione hujus coopertur æ exstat in vet. cod. quæstio Wualeranni episcopi Nuvenburg. cum responsione Anselmi Cantuariensis archiep.

Verum quia sicut rigor commissus est rectoribus ad servandum pro necessitate locorum et temporum, aut pro consideratione appetendorum commodorum, aut vitandorum incommodorum, sic dispensationes eisdem permissæ sunt, quæ Ecclesiæ Dei non generent scandalum pro honestate personarum, aut pro utilitate rerum publicarum (*a*). In quibus omnibus adhibenda est rectorum diligentia, ut nec nocitum concedant, nec profutura prohibeant. Sicut enim ægroti aliquando servatis legibus medicinæ minime curantur, qui remissis competenter legibus sanarentur, ita in curandis morbis animarum considerandum est quibus prosit rigor disciplinæ, et quibus moderatio indulgentiæ. In quibus omnibus summa consilii est, quam habemus a Patre Augustino dicente in tractatu De disciplina ecclesiastica : « Habe charitatem, et fac quidquid vis ; si parcis, parce cum charitate ; si corripis, corripe cum charitate.» Hæc breviter ad proposita vestra pro intellectu meo respondi, quia, veniente ad nos portitore litterarum vestrarum, ego aliquantulum ægrotabam, et portitor litterarum ad reditum festinabat. Vale.

99 EPISTOLA CCXXXII.

HILDEBERTO, *Dei gratia Cenomanensi episcopo*, Ivo, *eadem gratia Carnotensis Ecclesiæ minister*, *F. Cenomanensis Ecclesiæ præcentori* (*b*) *salutem*.

De viro qui antequam uxorem duceret, circa maritalia loca matrem ejusdem uxoris exteriori pollutione maculavit, nihil sanius respondere valeo, quam quod papa Urbanus respondit Hugoni Gratianopolitano episcopo consulenti eum de simili negotio (*c*). Respondit enim ex consulto, propter tale flagitium legitimum solvendum non esse matrimonium. Consuluit tamen diligentissimis et districtissimis examinationibus esse perquirendum, utrum in tali turpitudine contigerit aliqua carnis commistio, per quam fierent in commistione seminum una caro, propter quam fieri debet male initi vel violati matrimonii disjunctio. Audivi enim quod vir ille de quo agitur, de objecto crimine examinatione igniti ferri se purgaverit (epist. 74, 205, 252 et 280), et a læsione ignis illæsus repertus sit. Quod si ita est, et hoc in sacramento purgationis suæ posuit quod numquam cum matre uxoris suæ una caro fuerit, contra divinum testimonium nullum ulterius investigandum intelligo esse judicium. Valete.

EPISTOLA CCXXXIII.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister*, HENRICO, *abbati Angeliacensis monasterii, salutem et mutuum* [al. *mutuarum ;* ita ms. cod.] *orationum munus*.

De investituris Ecclesiarum quas laici faciunt, sententiam præcedentium Patrum Gregorii et Urbani (c. *Si quis*, et c. *Quoniam*, caus. 16, q. 7), quantum in me est laudo atque confirmo (epist. 60). Quocunque autem nomine talis pervasio proprie vocetur, eorum sententiam qui investituras laicorum defendere volunt, schismaticam judico. Nec ista contra domnum papam dico (*d*), quia quibusdam litteris mihi scripsit se coactum fecisse quod fecit, et adhuc se prohibere quod prohibuit, quamvis quædam nefanda quibusdam nefandis scripta permiserit. Et quia verenda patris debemus potius velare quam nudare (*Gen.* IX), familiaribus et charitatem redolentibus litteris admonendus mihi videtur, ut se judicet, aut factum suum retractet. Quod si fecerit, referamus Deo gratias, et gaudeat nobiscum omnis Ecclesia, quæ graviter languet dum caput ejus laborat tanta debilitatum molestia. Si autem in hoc languore insanabiliter ægrotaverit, non est nostrum judicare de summo pontifice (epist. 236). Habemus enim evangelicam sententiam, quæ securos hos facit (*unus v. c.* nos, *ms. c.* reddit) : *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi, quæ dicunt servate et facite, secundum vero opera eorum nolite facere* (*Matth.* XXIII). Vult enim hæc sententia præcepta præsidentium ad cathedram pertinentia obedienter impleri (etiamsi tales sint quales erant Pharisæi) non eos factiosa conspiratione a suis sedibus removeri. Si vero ea præcipiant quæ sint contra doctrinam evangelicam vel apostolicam, ibi eis non esse obediendum exemplo docemur Pauli apostoli (*e*), qui Petro sibi prælato non recte incedenti ad veritatem Evangelii in faciem restitit, non tamen eum abjecit. Ubi enim succumbunt humana judicia, divina est expetenda misericordia, quatenus insitorum conservata pace ramorum, et ipsi qui præcisi sunt unitati Ecclesiæ studeant reformari (*f*) et insitorum ramorum societate lætari. Alioquin nec præcisi inserentur, nec inserti fructificare aut florere in tanta turbinum concussione permittentur. Hæc de proposita quæstione respondeo majorum sententiis non præjudicans, quæ paci Ecclesiæ consulant et ædificationi. Vale.

EPISTOLA CCXXXIV.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister*, GULIELMO, *abbati Majoris Monasterii, et fratribus sibi missis dilectionem in Domino.*

Quod « concordia parvæ res crescant, discordia autem maximæ res dilabuntur (SALUSTIUS, *Jug*, 10),» experimento didicisse credo fraternitatem vestram. Unde cum arca Noe Ecclesiæ figuram præferens, cum per singulas dimensiones multis fuisset cubitis dilatata, in uno tamen est cubitu [*al.* cubito ; *ita*

(*a*) Dispensationum modus etiam approbatur epist. 250 et 260.

(*b*) Sic ex duob. v. c. suppleta inscriptio, Cenoman. Eccl. præc.

(*c*) Refertur in cap. *Extraordinaria pollutio*, caus. 35, q. 2, 3.

(*d*) Unus v.c. *propter dominum* : loquitur de Paschali secundo, qua de re ad epist. 236.

(*e*) *Tunc enim claves sua potestate privandas*, dicit epist. 236.

(*f*) Alludit ad verba S. Augustini quæ etiam refert epist. 288.

ms. c.] consummata (*Gen.* VI), quatenus hac præfiguratione tunc intelligeretur Ecclesiæ forma perfecta, cum ab inferioribus membris prælatis suis plena fuerit obedientia exhibita; quam quia multo tempore non exhibuistis (epist. 235], prout debuistis, non est mirandum dilectioni vestræ si a vobis exigitur quod debetur (*un.v. c.* quod non deb.; *ita ms. c.*), videlicet ut metropolitano vestro obedientiam debitam et ore promittatis, et data dextera confirmetis. Sic a Petro Domino interrogante exacta est trina confessio (*Joan.* XXI), quia eo timente præcesserat trina negatio (*Matth.* XXVI). Sic Petrus a Paulo et Barnaba dextram accepit societatis ut apostolatum sibi commissum non usurparent, sed Paulus in gentibus, Petrus in circumcisione Evangelium prædicaret (*Gal.* II). In hunc modum, si vobis libet, satis licet, ut quod debetis et corde tenetis, ore promittatis, et manu confirmetis [de sacramento per manum], quia non major mihi videtur obligatio manus quam oris, dicente Apostolo : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* X). Sed aliquando cogunt nos invenire nova genera medicamentorum, nova incrementa morborum. Et si enim, quod absit! exigatur hoc quod dictum est ex aliqua vana occasione, cum tamen non obsit fidei et bonis moribus, acquiescendum est vobis causa reformandæ pacis ex debita humilitate. Sic Paulus contra propositum suum Lystris permisit circumcidi Timotheum propter scandalum Judæorum (*Act.* XVI), quamvis sciret et prædicaret sacramentum circumcisionis Christianæ religioni non esse necessarium. Exemplo ergo suo nos docuit, quod ibi dispensatio admittenda est, ubi rigor periculosus est. Possem plura scribere in hunc modum, sed quia prudentibus loquor, hæc pauca sufficiant. Vale.

EPISTOLA CCXXXV.

RADULFO, *Dei gratia Turonum* [5 ms. *Turonorum ;* ita ms. c.] *archiepiscopo,* IVO, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, salutem et servitium.*

Audivi et gavisus sum quod vicini episcopi Cenomanensis et Andegavensis pacem reformare studeant inter metropolitanam sedem vestram et fratres Majoris Monasterii, **100** et ad hoc unum solum restare, quod abbas id quod profitetur ore, non vult data dextera confirmare. Sed hæc dissentio, quantum fuerit illi monasterio sumptuosa, vobis autem laboriosa, melius me novit prudentia vestra. Unde consulendum excellentiæ vestræ, ut paci et unanimitati [*al.* et unitati] studeatis, quatenus et monasterium debitam vobis subjectionem exhibeat, et ætatis vestræ gravitas reliquos dies vitæ suæ in pace et quiete perficiat. Si enim debitam subjectionem abbas ore professus fuerit, cum [etiam, *ms. c.*] ad obtinendam salutem sufficiat professio oris cum fide cordis, credo quia cum hoc in audientia Ecclesiæ testificatus fuerit, promissionem suam irritam non faciet, quod in infamiam eum truderet, et damna-
A tioni obnoxium faceret. Uti enim se habet simplicitas hominum, plus horret hoc abbas facere, quia est insolitum, quam quia sit illicitum. Et cum dicat Apostolus : *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Rom.* X) quod sufficit ad salutem, sufficere mihi posse videtur ad promittendam subjectionem. Plura scripsissem, sed sapienti satis dictum est. Vale.

EPISTOLA CCXXXVI.

JOANNI, *Dei gratia Lugdunensis primæ sedis archiepiscopo,* DAIMBERTUS *eadem gratia Senonensium archiepiscopus,* IVO *Carnotensis episcopus* WALO *Parisiensis episcopus,* JOANNES, *Aurelianensis episcopus, cum cæteris coepiscopis Senonensis provinciæ, institutam a Patribus reverentiam* (*a*).

B Jure primatus vestri invitastis nos ad concilium apud Ansam celebrandum, in quo tractare disposuistis de fide et investituris laicorum (epist. 233), ad quod venire minime contemnimus, sed terminos quos posuerunt patres nostri, terminos antiquos transgredi formidamus. Nusquam enim reverenda Patrum sanxit auctoritas, nusquam hoc servare consuevit antiquitas, primæ sedis episcopus episcopos extra provinciam propriam positos invitaret ad concilium, nisi hoc aut apostolica sedes imperaret, aut una de provincialibus Ecclesiis pro causis quas intra provinciam terminare non poterat, primæ sedis audientiam appellaret. Quod non de corde nostro prophetamus, sed apostolica auctoritate muniti, irrefragabilibus sententiis approbamus. Unde scribit papa Nicolaus in hæc verba
C Radulfo Aquitaniarum primati [*al.* Rodulfo Bituricensi archiepiscopo] ultra jus primatis aliqua sibi usurpanti (cap. *Conquestus est,* caus. 9, q. 3) : « Conquestus est apostolatui nostro frater noster Sigebodus archiepiscopus Narbonensis, quod clericos suos eo invito ad judicium venire compellas, et de rebus ad Ecclesiam suam pertinentibus eo inconsulto quasi jure patriarchatus tui disponas, cum hoc nec antiquitas cui Patres sanxere reverentiam habeat, et auctoritas sanctorum et canonum penitus interdicat, nisi forte pro causis, quæ apud se terminari non possunt, ad te quasi ad patriarcham suum provocaverint, vel si episcopus suus decesserit, res Ecclesiæ suæ judicio tuo dispensare voluerint. Primates enim vel patriarchas
D nihil privilegii habere præ cæteris episcopis, nisi quantum sacri canones concedunt, et prisca consuetudo illis antiquitus contulit, diffinimus, ita ut secundum Nicænas regulas sua privilegia serventur Ecclesiis.» Huic sententiæ concordant Clemens et Anacletus, qui post apostolos ordinaverunt in quibus civitatibus essent primæ sedes, in quibus metropolitanæ (c. *Urbes,* et c. *In illis,* dist.80), statuentes ita demum judicium episcoporum ad primates esse referendum, si ad eorum audientiam fuerit appellatum. His auctoritatibus muniti, nolumus Ecclesiis vestris [nostris. *ms. c.*] inauditam novita-

(*a*) Ita restituta et suppleta hujus epistolæ subscriptio ope duorum antiquorum codicum.

tem inducere, vel jura earum antiquitus instituta permutare. Præterea quia in hoc concilio de investituris laicorum, quas quidam inter hæreses computant (*a*), tractare disponitis, potius pudenda patris vestri [*al.* nostri] nudabitis (*Gen.* IX), quæ publicanda non essent in Geth, nec in compitis Ascalonis (*II Reg.* I), deridenda exponetis quam post dorsum ea velando benedictionem paternam vobis acquiratis (*Gen.* IX). Quod enim propter vitandam populi stragem paterne in se admisit summus pontifex (*b*), coegit necessitas, non approbavit voluntas. Quod inde constat, quia postquam evasit periculum, sicut ipse quibusdam nostrum scripsit, quod jusserat jussit, quod prohibuerat prohibuit, quamvis quibusdam nefandis urgente periculo quædam nefanda scripta permiserit. Sic Petrus trinam negationem (*Matth.* XXVI) trina confessione (*Joan.* XXI) purgavit, et apostolus mansit. Sic Marcellinus papa deceptus a profanis (can. *Nunc autem*, dist. 21) coram fano [*un. cod.* coram profano], thurificavit et tamen a fratribus minime judicatus post paucos dies martyrio coronari promeruit. Sic Aaron in eremo moram faciente Moyse, in monte propter importabilem populi seditionem vitulum fusilem fieri permisit, quem populus insipiens adoravit (*Exod.* XXXII), cum tamen non esset seductus a populo, ut Deum esse crederet, vel divinæ culturæ reverentiam ei exhiberet. Meruit tamen veniam tantus excessus, et Domino jubente per manum Moysi ad summum sacerdotium est sublimatus (*Lev.* VIII). Sic Moyses ipse, qui cum Domino loquebatur sicut ad amicum amicus (*Num.* XII), Deum tamen offendit, cum propter murmur populi dicentis : *Nunquid poterit nobis ejicere* [al. *eicere*] *aquam de petra hac ?* (*Num.* XX). Dubitare coactus est, et aquam cum disceptatione a Domino postulare (*ibid.*). Si doctor gentium qui in synagogis publice clamabat : *Circumcisio nihil est, et Christus nihil vobis proderit, si circumcidamini* (*Gal.* V), propter scandalum Judæorum circumcidi permisit Timotheum, ut hac condescensione Judæos lucrifaceret (*Act.* XVI). Hæc infirma probabili necessitate vel provida dispensatione passi sunt summi et sancti viri, Deo bene utente malis nostris, ut per hoc doceret eos seipsos agnoscere, quatenus discerent, infirma sua sibi ascribere, et bona sibi collata ad Dei gratiam referre. Nec ad hoc ista scripta sunt ut in exemplum vivendi ducantur, sed ut ex lapsu majorum discant timere minores, ne similes lapsus incurrant, et si forte ceciderint, summa celeritate resurgant. Quod si papa adhuc in Teutonicum regem (Henricum IV) debitam severitatem non exercet, credimus quia consulte differt secundum quorumdam doctorum judicia [*al.* doctorum consilium], qui consulunt quædam admittenda pericula ut possint vitari majora. Unde dicit Augustinus in tertio libro contra Parmenianum Donatistam (lib. III,

(*a*) Improprie epist. 233.
(*b*) Paschalis secundus de quo epist. 233.
(*c*) Loquitur de provincia lib.

A c. 2) : « Hoc sanitas observat Ecclesiæ, ut cum quisque fratrum, id est Christianorum, intus in Ecclesiæ societate constitutorum, in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc ubi periculum schismatis nullum est, atque id cum eo dilectione fiat, de qua ipse Apostolus alibi præcipit dicens : Ut inimicum eum non existimetis, sed corripite ut fratrem (*II Thess.* III). **101** Ubi satis ostendit quod, cum metus iste non subest, sed omnino de frumentorum certa stabilitate certa securitas manet, id est quando ita cujusque [*al.* uniuscujusque] crimen notum est et omnibus exsecrabile apparet, ut vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores per quos possit schisma contingere, non dormiat severitas disciplinæ. In qua tanto est efficacior emendatio pravitatis quanto diligentior conservatio charitatis. Tunc autem hoc sine labe pacis et unitatis, et sine læsione frumentorum fieri potest, cum congregationis Ecclesiæ multitudo ab eo crimine quod anathematizatur, aliena est. Nec [neque, *ms. c.*] enim potest esse salubris a multis correptio, nisi cum ille corripitur qui non habet sociam multitudinem. Cum vero idem morbus plurimos occupaverit, nihil aliud bonis restat quam dolor et gemitus, ut per illud signum quod Ezechieli sancto revelatum est [revelatur, *ms. c.*], illæsi evadere ab illorum vastatione mereantur (*Ezech.* IX). Si quis enim frater in aliquo cæteris dissimili crimine nominatur, et revera si contagio peccandi multitudinem invaserit, divinæ disciplinæ severa misericordia necessaria est. Nam consilia separationis et inania sunt, et perniciosa, atque sacrilega, quia et impia et superba fiunt, et plus turbant [perturbant, *ms. c.*] infirmos bonos, quam corrigant [*al.* corrigunt] animosos malos. » Ad hoc [*al.* ad hæc] non videtur nobis utile consilium, ad illa (hæc, *ms. c.*) concilia (*c*) convenire, in quibus non possumus eas personas contra quas agitur, condemnare vel judicare, quia nec nostro, nec ullius [vel alicujus] hominum probantur subjacere judicio (epist. 233). Unde nos constat esse immunes, si facta eorum oris gladio ferire formidamus, cum ipse Mediator obedire eis præcipiat etiamsi tales sint quales erant Pharisæi, si ea quæ ad cathedram pertinent, recta præcipiant, ea vero minime faciant (epist. 61 et 233). Ex quibus omnibus hoc constare videtur, quatenus feminalia sacerdotalia pudendis superponamus, ne verecunda [*al.* veneranda] nostra deridenda insidiatoribus nostris exponamus, et unde quærimus reformare Ecclesiæ fortitudinem, in majorem incurramus debilitatem. Hæc dicentes non instruimus prudentiam vestram, sed excusamus innocentiam nostram, quia et principales Ecclesiæ claves nolumus potestate sua privare, quæcunque persona vices Petri habeat, nisi manifeste ab evangelica veritate discedat (*d*). Hæc dicentes non tolli-

(*d*) Idem statuit Bonifacius martyr in c. *Si papa*, dist. 40, et Ivo non obediendum ei præcipienti contra doctrinam evangelicam dicit epist. 233.

mus quin possint quique metropolitani episcopos, secundum jus autiquum, convocare provincialem synodum, salva reverentia Romanæ Ecclesiæ celebrare (c. *Nec licuit*, et c. *Multis*, dist. 17). Quæ si ad præsens non potest Satanam sternere sub pedibus suis, non obviabit tamen salubribus dispositionibus vestris, in quibus secundum quod in prætaxato libro (*a*) legitur, quisquis vel quod potest arguendo corrigit, vel quod corrigere non potest, salvo pacis vinculo excludit, vel quod salvo pacis vinculo excludere non potest, æquitate improbat, firmitate supportat, hic est pacificus, et ab isto maledicto quod Scriptura dicit : *Væ his qui dicunt quod nequam bonum est, et quod bonum est, nequam; qui ponunt lucem tenebras, et tenebras lucem : qui ponunt quod amarum est dulce, et quod dulce est amarum!* (*Isai.* L.) Omnino liber, prorsus securus, penitus alienus. His catholicorum Patrum terminis contenti, quæ possumus secundum decreta Patrum salvo vinculo pacis corrigere volumus; quæ autem corrigere non possumus, usque ad messem, si necesse sit, Domino docente tolerare decrevimus. His verbis excusatos nos credimus, quod a laceratione domni papæ linguas nostras reprimimus, et si quid contra sententiam suam suorumque prædecessorum (Gregorii septimi, et Urbani secundi) de remissis Germanico [Germanicorum, *ms. c.*] regi investituris fecisse videtur, filiali charitate excusamus. Non enim prævaricator est legis, qui delinquit in lege aliqua fallente subreptione vel impellente necessitate, sed qui legem impugnat studiose, et delictum suum non curat agnoscere. Unde hunc excessum ejus non tantum non accusamus, sed dictante ratione approbamus (epist. 233), si, imminente strage populi, paterna charitate cum nonnullo vulnere suo se tantis periculis voluit objicere, ut majoribus morbis (epist. 190) posset sincera charitate subvenire. Nec ipse primus nec solus factus est dispensator Dominicorum præceptorum, quia Mediator Dei et hominum, cujus vita in terris disciplina fuit morum, primo præcepit discipulis ut non ferrent sacculum neque peram (*Matth.* x), quia nunc nulla necessitas urgebat. Imminente vero tempore passionis suæ, sciens eos penuriam panis passuros cum transirent de loco ad locum, temperavit præceptum, dans eis licentiam ut ferrent peram et sacculum (*Luc.* XXII), non jam imperans cupiditati (*b*), sed indulgens necessitati. Ita cum hæreses diversi generis pullularent per diversas partes mundi, ut catholici territi severitate sententiæ hæreticorum seductiones caverent, severissime præceptum est ut revertentes ab hæresi vel clerici non fierent, vel clerici non manerent. Pro cujus rigore decreti cum Ecclesia maxima damna pateretur, prudens discretio religiosorum voluit et docuit mutandam esse sententiam, A et ab hæresi revertentes, et catholicam unitatem profitentes, fraterne suscepit, et in honoribus suis manere concessit, judicans melius esse ut fieret aliquod vulnus in cortice matris arboris quod charitas sanaret, quam Ecclesia de omnibus quos posset sua membra non colligeret. Postremo quod quidam investituram hæresim vocant (epist. 257), cum hæresis non sit nisi error in fide, sicut enim fides cordis est ad justitiam, oris autem confessio ad salutem, ita hæresis error est ad impietatem, professio vero ejusdem erroris est ad perniciem. Et fides et error ex corde procedunt, investitura vero illa de qua tantus est motus, in solis est manibus dantis et accipientis (epist. 60), quæ bona et mala agere possunt, credere vel errare in fide non possunt. B Ad hæc si investitura hæc hæresis esset, ei renuntians sine vulnere ad eam redire non posset. Videmus autem, in partibus Germaniarum et Galliarum, multas honestas personas purgato isto nævo per quamlibet satisfactionem, pastorales virgas reddidisse, et per manum apostolicam refutatas investituras recepisse. Quod summi pontifices minime fecissent, si in tali investitura hæresim et peccatum in Spiritum sanctum latere cognovissent. Cum ergo ea quæ æterna lege sancita non sunt (epist. 60) sed honestate et utilitate Ecclesiæ instituta vel prohibita, pro eadem occasione ad tempus remittuntur pro qua inventa sunt, non est institutorum damnosa prævaricatio, sed laudabilis et saluberrima dispensatio. Quod cum multi minus studiosi minime attendant, ante tempus judi- C cant spiritus mobilis et spiritus immobilis (*quidam cod*, stabilis, *ita ms. c.*, epist. 288) non intelligentes differentiam. Si quis vero laicus ad hanc prorumpit insaniam, ut in datione et acceptione virgæ putet **102** se tribuere posse sacramentum vel rem sacramenti ecclesiastici (*c*), illum prorsus judicamus hæreticum, non propter manualem investituram, sed propter præsumptionem diabolicam. Si vero congrua volumus rebus nomina dare, possumus dicere quod manualis illa investitura per laicos facta, alieni juris est pervasio et sacrilega præsumptio; quæ pro libertate Ecclesiæ et honestate, salvo pacis vinculo, si fieri potest, funditus abscindenda [*vett. codd.* abscidenda] est. Ubi ergo sine schismate auferri potest, auferatur; ubi D sine schismate auferri non potest, cum discreta reclamatione differatur. Nihil enim tali pervasione demitur sacramentis ecclesiasticis, quominus sancta sint (epist. 73), quia apud quoscumque sint [ipsa sunt, *ms. c.*], sive apud eos qui intus, sive apud eos qui foris sunt, eadem ipsa sunt. Hæc scripsimus dilectioni vestræ, parati refelli sine contumacia, si melius his quæ scripsimus nos docuerit prudentia vestra, quod munitum sit scriptura canonica. Valete.

(*a*) Ex d. Aug. lib. III contra epist. Parmeniani, cap. 1, et relatum in can. *Quisquis* caus. 3, q. 4.

(*b*) Sic omnes codd. Bar. tamen in ora libri addit. *Non jam obtemperans cupiditati.*

(*c*) Ep. 60 dicit reges intendere se nihil spiritualia dare in investitura pontificum, etc.

EPISTOLA CCXXXVII.

JOANNES (*al.* JOSCEMNOS), *primæ Lugdunensis sedis archiepiscopus*, DAIMBERTO, *Senonensi archiepiscopo*, *salutem*.

(*a*) Quoniam sapienti pauca sufficiunt, fraternitatem tuam paucis convenire decrevimus, et quia *in multiloquio peccatum non deerit* (*Prov.* x), multitudinem verborum evitantes ad prolixitatem tuam qua potuimus brevitate respondere curavimus. Quædam itaque proposuisti, in quibus partim personam nostram de præsumptuosa [*ita v. c.; al.* præsumpta] elatione notare, partim Lugdunensis Ecclesiæ dignitati derogare, partim vero in totius Ecclesiæ corpus inexpiabilem nævum inducere velle videris. Primum ergo est, ut nosmetipsos expurgantes ad cætera liberiores et expeditiores accedamus. Placuit enim discretioni tuæ ut nobis imponeres quod te extra provinciam ad concilium apud Ansam (epist. 256) celebrandum invitaremus, ad agendum de fide et investituris laicorum, et ad judicandum eas personas (*b*) de quibus non est nobis fas judicare. Testem itaque Deum, et conscientiam nostram adhibemus, nos neque extra provinciam, neque ad judicandum de illis personis fraternitatem tuam trahere voluisse, sed simpliciter dilectionis tuæ præsentiam ad colloquendum et consulendum de diversis perturbationibus quæ in Ecclesia Dei ortæ sunt, adsciscere studuisse, ut laborem et meritum ac præmium laboris ac meriti tecum et cum aliis religiosis viris participaremus. Si quidem cum prima Lugdunensis provincia sit, nihilominus secunda et tertia Lugdunensis provincia est. Cum ergo primæ sedis Lugdunensis præsul pro suis aut illorum necessitatibus secundæ vel tertiæ provinciæ præsules vocat, non ad alienam provinciam trahit, sed rationabili et justo ordine servato inferiora membra ad caput revocat, ut ei vel de adversitate condoleant, vel de prosperitate congaudeant. Nec prudentiam tuam [*al.* vestram] latere credimus, quoslibet metropolitas provincialia concilia intra suos fines convocandi jus habere. Qua autem habitudine suffraganei ad suos metropolitas se habent, eadem metropolitæ ad suos primates se habere noscuntur, ut videlicet causæ quæ apud inferiores terminari nequeunt, apud superiores diffiniantur [definiantur, *ms. c.*], nisi ad Romanam audientiam appellatum fuerit, salvis tamen singularum Ecclesiarum privilegiis. Utinam igitur, charissime frater, serio dixisses te nolle aut non audere antiquos terminos a Patribus positos transgredi. Terminos vero Lugdunensis Ecclesiæ ac Senonensis ab antiquis Patribus positos universa pene novit Latinitas. Mirari autem non sufficimus, quare plures personas ab ecclesiastico judicio exclusas esse notaveris, nisi forte et omnes episcopos in eadem emunitate comprehendi volueris. Quod si reges aut imperatores a pontificali judicio eximere tentaveris, recurre ad magnum imperatorem Constantinum, qui in Nicæno concilio, præsente papa Sylvestro hujusmodi verba legitur habuisse (*append.* can. 4, caus. 11, q. 1). « Vos, iquit, episcopi, a solo Domino judicandi estis. » Non ait, ego et vos a solo Domino judicandi sumus. Cum enim solos excludit episcopos, se procul dubio, et omnes reges ecclesiastico subdit judicio. Nunquid culpas factum clarissimi doctoris Ambrosii, qui Theodosium imperatorem ob suam culpam excommunicavit? Nunquid incusas Gregorium septimum, qui regem Henricum ob sua scelera damnavit? Addidisti te vereri ne forte patris nostri pudenda in colloquio nostro revelarentur. Timuisti certe ubi non erat timor. Malumus enim absque dubio cum pietate verecundorum filiorum benedici, quam cum inverecundia irreverentis filii maledici. Atque utinam ipse pater pudenda (ut dicis) ista pro voluntate nostra contegi pateretur! Causatus es præterea periculosa tempora, causatus es adversariæ partis robur ac multitudinem, causatus es nostræ partis debilitatem ac paucitatem. Et profecto quanto periculosiora sunt tempora, tanto fortius servis Dei est adnitendum (epist. 18) ne cum abundante iniquitate refrigescit charitas multorum, refrigescat etiam charitas paucorum. Nonne recordaris quid paucis discipulis Christus dixerit: *Confidite*, inquit, quia *ego vici mundum* (*Joan.* XVI). Si ergo doces diffidendum, victoriam mundi prædicas, et Christi victoriam prosternis. Novum et inauditum philosophandi genus, hortari contra fortes timidos, contra importunos desides, fieri in bello fugaces, in pace vero audaces, in periculo securos, in securitate providos. Intestabilis magister navis, qui in tranquilla securitate artis suæ fastigium exercet, in tempestate vero clavum et cætera armamenta remittit. Ne verearis, frater, bonum semen seminavit Christus in agro suo. Noli superseminare zizania, quæ ultro crescunt, et bonum semen suffocare nituntur (*Matth.* XIII). Multiplicatur numerus malorum, abundant filii diffidentiæ; sed potens est Christus suos confortare et adversarios prosternere. Quid enim ait Apostolus? *Omnia*, inquit, *possum in eo qui me confortat* Christo (*Philipp.* IV). Nunquid in solo Paulo erat Christus? Nunquid in eo solo omnia poterat? Credimus et confitemur in omnibus et singulis fidelibus omnia potest. *Ecce ego*, inquit, *vobiscum sum omnibus diebus* (*Matth.* XXVIII). Quod autem eos arguis, qui investituras ecclesiasticarum dignitatum per laicos factas inter hæreses computant, non satis efficaciter facere videris. Quamvis enim sicut catholica fides in corde, ita et hæreticus error in corde maneat; tamen, sicut ex catholicis operibus catholicum sentimus, ita ex hæreticis operibus hæreticum cognoscimus. *A fructibus eorum*, inquit Dominus, *cognoscetis eos* (*Matth.* VII); et unaquæque arbor ex fructu suo cognoscitur. Et licet exteriores investituras per laicos factas non

(*a*) Hæc respondet superiori epist. 236.

(*b*) Papam intelligit, ut epist. 233 et 236.

satis proprie hæresis nomine censeamus (*a*); sentire A tamen ac defendere fieri debere, indubitata hæresis est. Quod autem nonnullis indultum esse dicis, quod **103** de laicorum manibus investituras acceperint, quasi ad palpandum et extenuandum hoc crimen noveris scriptum esse, quia quod lex in præsenti indulget, in posterum vetat (epist. 203). Unde constat, quia omnis indulgentia præteritorum criminum, futurorum cautela est et prohibitio. Sed et forsan formidas quod jura tui præsulatus annullare velimus. Nihil ad tuum sive Ecclesiæ tuæ jus pertinens usurpare volumus; solam obedientiam quam metropolitanus primati suo debet, a te charitative requirimus. Obsecundare tibi sicut charissimo fratri, et invicem obsequium tuum recipere parati sumus. Meminisse potes quia ex quo amicitiam et familiari- B tatem Lugdunensis Ecclesiæ recuperasti, gratulanter te vidit, et exsultanter recepit, quanta potuit affectione honoravit. Noli, frater, omni spiritui credere. Sensimus olim procellam istam, sed Deo favente aliquandiu [*al.* aliquantulum] resedit, et ipso faciente quievit. Extra provinciam te trahere noluimus, sed nec volumus. Credebamus enim et credimus convenientius esse ut secundarum provinciarum præsules ad primam provinciam pro causarum necessitate invitentur, quam primarum sedium pontifices ad secundas pro quibuslibet causis trahantur provincias. Alioquin quomodo stabit quod in sacris canonibus cautum est, ut majores causæ ad suos referantur primates? Id enim non esset causas ad primates referri, sed primates ad singularum provinciarum causam reduci. Postremo si primæ sedis C pontifex ad secundam vel tertiam, vel forte quartam provinciam progrediens, provinciam non excedit, profecto secundæ, vel tertiæ, vel quartæ metropolitanus ad primam vocatur, ad alienam provinciam non trahitur. Nullum enim causarum forum secundarum provinciarum præsulibus convenientius est quam sua prima provincia. Hæc tuæ dilectioni sub brevitate rescripsimus, adversus quæ si quid parare volueris sive cominus sive eminus, audire et respondere parati sumus. Vale.

EPISTOLA CCXXXVIII.

Domno et Patri suo PASCHALI, *summo pontifici*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, filialis obedientiæ famulatum.*

Novit paternitas vestra, quia regnum Francorum D præ ceteris regni sedi apostolicæ semper fuit obnoxium: et idcirco quantum ad ipsas regias personas pertinuit, nulla fuit divisio inter regnum et sacerdotium [*un. v.c.* et summum sacerdotum, *ita ms. c.*] Quod ergo hactenus cum pace et utilitate Ecclesiæ observatum est, humiliter petimus ut de cætero observetur, et regni Francorum pax et summi sacerdotii nulla subreptione dissolvatur. Quod idcirco prælibamus, quia audivimus clericos Tornacenses ad apostolicam sedem venisse, petituros ut apostolica præceptione proprium possint habere episcopum, et Noviomensi Ecclesiæ frustare privilegium. Quod ne fiat, sicut filii et fideles rogamus et consulimus, ut statum Ecclesiarum, qui quadringentis ferme annis duravit, inconcussum manere concedatis, ne hac occasione (*b*) schisma quod est in Germanico regno adversus sedem apostolicam, in Galliarum regno suscitetis. Nec in hoc resistimus, quin possit sedes apostolica parochiarum amplitudinem [*duo v. c.* multitudinem] minorare, aut brevitatem dilatare, si utilitas populi Dei ita exigat, et nullum inde schisma contingat. Quia ergo rex Francorum (Ludovicus Crassus), utpote homo simplicis naturæ, erga Ecclesiam Dei est devotus, et sedi apostolicæ benevolus, petimus et consulimus, ut a benevolentia ejus nulla vos subreptio subtrahat, nulla persuasio disjungat. Novit enim paternitas vestra, quia cum regnum et sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret et fructificat Ecclesia. Cum vero inter se discordant, non tantum parvæ res non crescunt, sed etiam magnæ res miserabiliter dilabuntur. Ad hoc [*al.* Ad hæc, *et epist.* 241; *ita ms. c.*] quod petimus cum coepiscopis nostris non est contra majestatem sedis apostolicæ, non est contra utilitatem, ut non dicam dignitatem Tornacensis Ecclesiæ, servare terminos antiquos quos Patres eorum posuerunt, et longa antiquitate servaverunt. Præterea cum dignitas episcopalis paupertatem his diebus honeste ferre non valeat, providendum est ne ista divisione uterque episcopus fiat pauper: quod testantur Noviomenses, qui utriusque Ecclesiæ experti sunt facultates. De cætero si causa Milonis et filiæ comitis Stephani ad aures vestras pervenerit, sciat vestra paternitas quia Milo priorem uxorem canonice non dimisit, et filiam comitis Stephani, sicut judicio episcoporum probatum est, canonice non accepit. Valete.

EPISTOLA CCXXXIX.

LUDOVICO, *Dei gratia Francorum regi*, Ivo *eadem gratia humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, in eo vivere et regnare cui servire regnare est.*

Quod fama vulgante audivimus, hac ex litteris vestræ excellentiæ certius didicimus, videlicet quod neptem Flandrensis comitissæ, puellam ætate nubilem, genere nobilem, honestis moribus ut dicitur laudabilem, in uxorem ducere disponatis. Quod nos et Deo placitum esse credimus, et hominibus vestræ famæ honestatem, et regni vestri soliditatem sincere diligentibus gratum esse cognoscimus. Cum enim bene viventium tres professiones Domino docente didicerimus, conjugatorum videlicet, continentium et rectorum ecclesiasticorum, quicunque in aliqua harum professionum repertus non fuerit, ante tribunal æterni Judicis proscriptus æterna hæreditate carebit. Cum enim Dominus de distinctione electorum et reproborum loqueretur, ait: *si fuerint in medio eorum Noe, Da-*

(*a*) *Schismatica* dicitur epist. 233, *et inter hæreses conputata si sacramentum præbere putatur,* ep. 236.

(*b*) Ortum propter investituras, de quo epist. 236.

niel, et Job, ipsi quidem salvi erunt, filii autem eorum non liberabunt animas suas (*Ezech.* XV), in Job fidelium conjugatorum gradum intelligens, in Daniel vitam continentium, in Noe professionem prælatorum. His ergo documentis instructi, quotidianis precibus pro honestate vestra et salute, Dei clementiam imploramus, ut in manu vestra francorum regnum dirigat, et in electorum numero vos ascribat. Præterea, quod monuimus instanter monemus, ut propositum vestrum, quatenus [*al.* quantum; *ita ms. cod.*] in vobis est, ad exitum perducere studeatis, ne antiquus hostis aliqua fraudulenta subreptione etiam per amicos vos impediat, et a bono proposito, et ita ab electorum numero vos excludat. Ad hæc, si Spiritus Dei in vobis est, sicut utilitati vestræ, ita stabilitati regni, et paci Ecclesiarum providere debetis (*a*). Quæ omnia, si sine successore de hac vita migraveritis, in multas scissuras dividentur, et fiet quod Dominus dicit: *Omne regnum in seipsum divisum* **104** *desolabitur, et domus super domum cadet* (*Matth.* XII). Quæ ruina quanta sit futura, quamque miserabilis, nec lingua potest dicere, nec humanus animus sufficit cogitare. Ut ergo hæc omnia vitentur incommoda, ad ineundum vitæ conjugalis ordinem nolite moras innectere, ne de eo quod sæpe proposuistis et sæpe distulistis, cadat in vos hostilis illa irrisio [*al.* derisio]. ***Hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare*** (*Luc.* XIV). Festinate ergo ut de lumbis vestris exeat qui vanam spem tot ambitiosorum hominum destruat, et ad unius spem mobilitatem reducat. Quæ res et illicitos motus carnis compescet, et detractores vestros atque irrisores in conspectu vestro silere faciet. Valeat celsitudo vestra, et non desistat a bono proposito.

EPISTOLA CCXL.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister*, GAUFRIDO, *anachoritæ, frui mentis tranquillitate.*

Cum omnis castæ religionis professor visceribus charitatis abundare debeat, ut tam saluti proximorum quam suæ providere studeat, necesse est ut hæc duo principaliter appetat, puram conscientiam et bonam famam, conscientiam propter se, famam propter proximum. Qui enim negligit famam suam crudelis est; occidit enim proximum quantum in se est (AUGUST., serm. 52, et can. *Nolo* c. 12, q. 2). Qui ergo vult famam suam conservare [enim negligit famam suam conservare, *ms. c.*] non tantum debet quæ bona sunt facere, sed etiam quæ probabiliter fingi possunt mala evitare. Hæc Paulus in se considerans confidenter dicebat: *Pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die, sed neque me ipsum judico, nihil enim mihi conscius sum* (*I Cor.* IV). Nos itaque quamvis sanctitati Pauli longe impares simus, tamen quantum Dei gratia donante possumus, cum bona conscientia famam nostram conservare studeamus, ne cæco et infirmo fratri offendiculum aut scandalum ponamus, et pereat secundum Apostolum, infirmus in conscientia nostra frater (*I Cor.* VIII). Quod evenire aliquando solet, cum vicini curiosi corrosores vitæ nostræ, desidiosi autem correctores [*al.* correptores] vitæ suæ, simplicia facta nostra inspiciunt, quæ in utramque partem verti possunt, adhibitis conjecturis, quibus aliquando credi oportet, aliquando non oportet. Unde infirmitati fraternæ consulentes ea facere non debemus in oculis infirmorum, quibus tanquam argumento utantur ad velandam suam perversitatem, vel ad infuscandam mentis nostræ serenam simplicitatem. Quod quia periculosum est, vitanda est a nobis omnis occasio maledicti, ut is qui ex adverso stat, occasionem quærens non inveniat, sed bono exemplo informatus correctus ad se redeat. Hæc tibi, dilectissime, ex amore fraterno direxi, non docens, sed commonefaciens prudentiam tuam, ut sicut es custos vitæ tuæ, ita sis famæ tuæ. Habes enim fratres infirmos quos scandalizas frequenti et familiari collocutione cujusdam devotæ mulieris, quæ incompetentibus horis et locis, aspectibus eorum frequenter occurrit (epist. 208), cum quibus vult curiose et otiose verba miscet. Quæ res tibi et illis apud æmulos occasio est detrahendi, et tibi interruptio Sabbati tui. Præterea si tu tibi in teipso construxisti castra pudicitiæ, non debet ista tua securitas his qui extra ista castra sunt causa esse ruinæ. Quod enim sancta animalia ante et retro oculos habere describuntur (*Ezech.* I; *Apoc.* IV), sicut nosti, hoc intelligitur, quia sanctorum vita debet esse circumspecta, quatenus sic quisque se diligat ut amorem ejus qui supra se est, non postponat; sic eum qui supra [se, *ms. c.*] est diligat, ut eum qui juxta se est non contemnat. Hæc est vera et ordinata charitas, sine qua quantalibet corporalis exercitatio non est vera religio, sed sub velamine religionis vana superstitio (epist. 192), quam a nobis avertat omnipotens misericordia et misericors omnipotentia. Vale.

EPISTOLA CCXLI.

HUMBALDO [al. GUMBALDO; ita ms. c.], *Dei gratia Antissiodorensi episcopo*, Ivo, *eadem gratia humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, salutem et dilectionem.*

Sententiarum multitudine, quas mitti vobis postulastis, possemus auditorum aures officiose onerare, si ad manum tales haberemus, quæ negotio vestro forent necessariæ. Quas ad manum idcirco non habemus, quia calumniatorum vestrorum propositiones, et quibus eas confirment rationes prorsus ignoramus. Intendere autem [*al.* vero] arcum et mittere sagittas quæ hostem [*al.* hostes] non feriant, risus est intuentium, non defensio dimicantium. Præterea non est vobis pugna necessaria, quia causa vestra jam est apostolica falce præcisa. Quam si coram clericis et laicis inconsulto summo pontifice

(*a*) In hanc sententiam continuator Aimoini Hist. Franc. lib. V, cap. 52.

retractaveritis, majestatem apostolicam offendetis, et a causa vestra quæ nunc in tuto est, jure cadetis. Si autem comes per hominium suum vos cogit ad retractandam causam ecclesiasticam, contra fidelitatem quam vobis debet facit, qui in periculum ordinis vestri vos impingit. Quod autem ante judicem sæcularem, causam ecclesiasticam tractare non debeatis (can. sub tit. *Utrum clericus ante civil. judic.* caus. 11, q. 1) ex canonibus et decretis pleniter invenietis. Habetur enim in decretis (Fabiani papæ c. 3, caus. 3, q. 6) : « Pulsatus ante suum judicem causam dicat : ante non suum judicem, si voluerit, taceat, » Hoc et Julius papa in hæc verba confirmat : « Nullus episcopus (c. 1, caus. 5, q. 4) nisi in legitima synodo, et suo tempore, apostolica auctoritate convocata, super quibusdam criminationibus pulsatus audiatur, vel judicetur, vel damnetur. Si aliter præsumptum a quibusdam fuerit, in vanum deducetur [*al.* deducatur, *ita ms. c.*] quod egerint, nec intra ecclesiastica ullo modo reputabitur [*al.* reputetur]. » Ad hoc canonibus manifeste, prohibetur (epist. 200), ut causæ quæ legibus non continentur, a judicibus ecclesiasticis non audiantur. Legibus autem non continetur, imo prohibetur, ut episcopus a judice sæculari ad causam ecclesiasticam vocetur, vel cincti [*al.* vel laici] judicis sententiæ subjiciatur, ut in duarum civitatum ecclesiis clericus conscribatur, in Calcedonensi concilio prohibetur (c. 10, et Grat. sub caus. 21, q. 1), quanto magis si episcopus alterius civitatis in Ecclesia alterius provinciæ præficiatur? Quamvis ergo ad exstinguendam præsentem controversiam hæc pauca sufficere videantur, tamen si calumniatores vestri pertinaciter instare voluerint, appellate judicium metropolitani vestri et coepiscorum vestrorum, ut secundum ordinem rerum gestarum, quantum salva reverentia apostolica fieri poterit, causa vestra ibi accipiat finale judicium. Vale.

105 EPISTOLA CCXLII.

Audoeno, *Dei gratia Ebroicenci episcopo*, Ivo, *eadem gratia Carnotensis Ecclesiæ minister, salutem et servitium.*

Scripsit mihi dilectio vestra vos audiisse a quibusdam, quod dirimerem conjugia liberorum et ancillarum, et e converso (epist 221 ; Grat. caus. 29, q. 2 ; Greg. lib. iv, tit. 9), et hoc vobis videri quod sit contra sententiam evangelicam, qua dicitur : *Non licet viro dimittere uxorem, nisi causa fornicationis* (*Marc.* x ; *Matth.* xix). Ad quod dilectioni vestræ respondemus, quia contra hanc sententiam scienter nihil agimus, vel agere volumus. Si enim divortium facimus inter liberum et ancillam, non conjugium solvimus, sed conturbernium male conjunctorum dissolvimus et dissociamus. Unde scribit Leo papa (epist. 9, et c. 12, caus. 32, q. 2) Rustico Narbonensi [*male antea*, Rotrico Narb.] episcopo : « Non omnis mulier viro juncta, uxor est, nuptiarum

A quippe fœdera inter ingenuos sunt legitima et interæquales. » Cum ergo separamus eos qui non sunt hac lege conjuncti, non dicimus esse conjugium, quod non continet Christi et Ecclesiæ sacramentum. Quod minime continere videtur illa copula viri et mulieris, in qua non servatur præceptum dilectionis. Non enim verum est inter eas personas veram esse dilectionem, quarum altera alteram suo contubernio redigit in servitutem. Cum ergo principale præceptum sit evangelicum, ut diligamus invicem, et ne facias alteri quod tibi non vis fieri (*Matth.* xvii), constat a Deo non esse conjunctos, quos potius contra præceptum evangelicum videmus esse corporaliter sociatos, nec esse verum conjugium quod contra Dei legem constat esse præsumptum. Quod etiam B legibus sæculi cautum habemus, quas catholici reges composuerunt, et ex auctoritate Romanæ Ecclesiæ catholicis populis servandas tradiderunt. Unde Justinianus in codice Novellarum (nov. 12, *De nuptiis*, c. 2, § *Si vero*, et c. 2, extra. *De conjug. serv.*) : « Si quis per errorem ancillam mulierem duxerit uxorem, liberam esse eam putans, vel e contrario, si libera mulier servo per errorem juncta sit, postea quam veritas reperta fuerit, dicendum est omnino nuptias non constitisse. Inter liberum enim et ancillam, servum et liberam mulierem nuptiæ contrahi non possunt. » In tali ergo contractu quod lex damnat, non homo, sed justitia separat. Quia quod contra leges præsumitur (c. *Vides*, dist. 10, et epist. seq.), per leges dissolvi meretur. Si quis autem liber ancillam in matrimonium duxerit, C non habebit licentiam dimittere eam, si prius scientes conditionem suam et consentientes matrimonium contraxerunt, quia conjugium consensus facit, non coitus. Ubi ergo bona fide conjugia contracta sunt, ibi valet *quod Deus conjunxit, homo non separet* (*Gen.* ii) ; et : *Non licet viro dimittere uxorem, nisi causa fornicationis* (*Matth.* xix). Ubi vero humana deceptio fœdus nuptiarum vitiaverit, tales nuptias non facit Deus, sed homo ; earum autem separationem facit Deus, non homo. De his possemus multipliciter rationibus agere, et authenticas sententias inde proferre, sed credo ista sufficere prudentiæ vestræ. De cætero scripsistis quosdam clericos cum litteris nostris ad vos venisse, qui auctoritate earumdem litterarum peterent se ab acolytho usque ad D diaconatum promoveri, sed ego hoc omnino ignoravi, quia cum hoc saltu nullum clericum ordinavi, nec ordinandum alicui transmisi. Vale.

EPISTOLA CCXLIII.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister*, Gualoni, *eadem gratia Parisiensi episcopo, salutem et dilectionem.*

Nuper cum essemus apud castrum Militonense, narravit mihi dominus Stephanus cancellarius (*a*) quasdam nuptias fuisse celebratas in episcopatu vestro contra placitum vestrum, inter quemdam

(*a*) Ad hunc scribit, epist. 260.

puerulum et quamdam puellulam, cum adhuc pene in cunis essent (*a*). Quæ nuptiæ cum sint sine fide, sine prole, sine consensu, sine omni bono conjugali, sollicite quæsivit utrum possint legitime dissolvi. Cui secundum tramitem legum breviter respondi, quia quod contra leges præsumitur (c. *Vides.* dist. 10), per leges dissolvi meretur. Unde et scribit papa Nicolaus (*b*) : « Conjugium facit consensus, non coitus. Qui consensus si forte solus in nuptiis defuerit, cætera omnia cum ipso coitu celebrata frustrantur. » Quibus auditis rogavit me ut scriberem vobis, quatenus tales nuptias aut fieri non permitteretis, aut factas dissolvi præciperetis. Non enim ignota vobis sunt quæ scribimus, et ideo de hac re tam pro legum observatione quam pro ejus amore, quod ad officium vestrum pertinet, facere vos monemus, quatenus hoc exemplo cæteri doceantur ne imaginariis, imo falsis nuptiis de cætero copulentur. Quæ sint personæ de quibus agitur, a prætaxato cancellario vobis notificabitur. Valete.

EPISTOLA CCXLIV.

PASCHALI *summo pontifici, domno et Patri suo*, IVO, *humilis Ecclesiæ minister, sic summo Regi militare ut bravium æternæ beatitudinis mereatur accipere.*

Domnus Hubertus Silvanectensis episcopus, creatio vestra, lacrymabiliter conqueritur se a quibusdam clericis suis personis ut dicit infamibus, de venditione sacrorum ordinum (can. sub caus. 2, q. 1), apud metropolitanum suum injuste fuisse accusatum, et quibusdam coepiscopis suis factum sibi fuisse præjudicium, unde sentiens se gravatum appellavit ad apostolicam sedem, apud quam et per quam solent hujusmodi gravamina materna pietate relevari, et in statum [*un. v. c.* stateram] rectitudinis justitiæ lance reformari. Unde supplicamus beatitudini vestræ, quatenus audita et cognita accusantium et testificantium causa sic compensetis ex misericordia judicium ut et justitia non periclitetur, et judicialis ordo causarum minime perturbetur ; nullus enim locus remanebit innocentiæ, si liceat quibuscunque personis sua quærentibus, contra legum sanctiones cujuscunque innocentis vitam maculare. Cujns enim sit vitæ, et cujus famæ, et quibus de causis accusent eum prædicti adversarii, idem episcopus præsens vestræ paternitati referet, et publicam eorum infamiam veridica assertione retexet. Valete.

EPISTOLA CCXLV.

IVO, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister*, HUGONI, *magnifico et spectabili Trecassinorum comiti, sic militare in via ut regnare possit in patria.*

Audivimus et cognovimus quod Hierosolymam profecturus militiæ Christi te **106** ipsum devovisti, illam evangelicam arrepturus militiam, qua cum decem millibus secure pugnatur adversus eum qui cum viginti millibus adversum nos pugnaturus occurrit (*Luc.* XIV). Denarius enim qui est secunda unitas, propter Decalogum integritatem, et soliditatem figurat virtutum; vigenarius vero qui est duplus ad denarium, duplicitatem et mollitiem significat vitiorum. Plura enim sunt vitia quam virtutes; quia non tantum vitia virtutibus patenter sunt opposita, sed etiam sunt quædam vitia virtutum specie palliata. Unde, secundum Apostolum, angelus Satanæ transfigurat se in angelum lucis (*II Cor.* XI), cum circumiens et quærens quem devoret (*I Petr.* V), molitur quosdam fallere per vitia virtutibus similia, quos impellere non valuit ad manifesta flagitia vel facinora; Videtur enim aliquando suadere justitiam, ut [et, *ms. c.*] sub specie justitiæ introducat [introducere, *ms. c.*] sævitiam, suadet quibusdam largiri propria, ut nudatos propriis impellat ad diripienda aliena, cum melius sit non habere quod tribuas, quam male acquirere quod des. Suadet quibusdam jejunia, non ut ament continentiam, sed ut venentur vanam gloriam ; suadet quibusdam non reddere debitum conjugale uxoribus suis, ut sub velamine castitatis mittat eos ad stupra illicita, vel uxores eorum ad perpetranda adulteria. In hunc modum occurrunt multa vitia pro virtutibus quibus tanquam laqueis occultis simplex anima decipitur; cujus vita licet videatur honesta, non tamen satis est circumspecta. Hæc tibi, charissime, ausu charitatis scripsi, ut propositum tuum ita circumspicias, quatenus, sicut videtur laudabile in oculis hominum, ita in oculis Dei videatur acceptum, et sic impleas vota voluntaria, ut non omittas legitima. Duxisti uxorem, quod lex naturæ initiavit, et lex evangelica atque apostolica subsecuta firmavit (*c*). Dicit enim vetus lex : *Propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una* (*Gen.* II). Et Evangelium : *Quod Deus conjunxit, homo non separet* (*Matth.* XIX). Et Apostolus : *Unus quisque habeat uxorem suam propter fornicationem ; et vir reddat debitum uxori, et uxor similiter viro ; nisi forte ex consensu, ad tempus, ut vacetis orationi, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram* (*I Cor.* VII). Hic autem consensus ita debet esse voluntarius, ut nulla vi sit extortus, vel aliqua simulatione palliatus. Alioquin si absque consensu uxoris servas castimoniam, etiam si pro Deo fiat, non servas conjugalem copulam, nec sacrificium offers de tuo, sed de alieno. *Non* enim, secundum Apostolum, *vir habet potestatem sui corporis, sed mulier ; nec mulier habet potestatem sui corporis, sed vir* (*ibid.*). Quæ enim voventur de alieno, non placent Altissimo (tit. *De convers. conjug.* et can. *Agathosa*, cum seq. cau. 27, q. 2). Oportet ergo, ut in hoc

(*a*) De sponsalibus puerorum agit ep. 96, et Grat. in can. *Sponsalia*, et c. *Ubi*, caus. 30, q. 2.

(*b*) Exstat in libro Responsorum Nicolai papæ primi ad consulta Bulgarorum cap. 3, et citatur ep. 148.

(*c*) Hæc ostendunt Hugonem, soluto matrimonio quod contraxerat prius cum Constantia Philippi regis filia, alteram duxisse, cum Hierosolymam proficisceretur. Nam priores nuptias Ivo improbaverat, ut constat ex collatione ep. 158.

proposito tuo sic tibi provideas, quatenus ista novissima vota impleas, ut statuta naturalia et legitima non frangas. Vale.

EPISTOLA CCXLVI.

LISIARDO, *Dei gratia Suessionensium episcopo,* Ivo, *eadem gratia Carnotensis Ecclesiæ minister, salutem et dilectionem.*

Noverit dilectio vestra, quia conjugium Petri filii Gervasii et filiæ Waleranni Brituliensis [*al.* Galeranni Britollensis, *vel* Brutalensis] nunquam laudavi, neque ut fieret consilium dedi vel assensum, imo per Drogonem clericum Waleranno [*al.* Galeranno] consulenti me, dissuasi ne fieret, quia tale conjugium stare non posset, si esset qui concuteret. Addidi et sententiam legis, quia unus maritus duas sorores non posset habere in conjugium, sicut nec una mulier cum duobus fratribus legitimum posset inire matrimonium (*a*). Sinegundis quippe soror hujus juvenculæ quam nunc habet prætaxatus Petrus in conjugium, uxor fuit ejusdem Petri non solum legitime desponsata, sed etiam sacerdotali benedictione conjuncta. Quod si objicitis non fuisse conjugium, ubi constat non conjugium fuisse carnale commercium, ex auctoritate Patrum respondeo, quia conjugium ex eo insolubile est, ex quo pactum conjugale firmatum est. Unde beato Joseph ab angelo dicitur : *Noli timere, accipere Mariam conjugem tuam* (*Matth.* I). Conjugem Joseph vocabat, quam carnis commistione non noverat, nec aliquando cogniturus erat. Unde Ambrosius ad Virginitatis Exhortationem libro secundo : « Desponsata viro, conjugis nomen accepit, cum enim initiatur conjugium, tunc conjugii nomen assumitur; non enim defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis. Denique cum jungitur puella conjugium est; non cum viri admistione cognoscitur. » Item Isidorus Etymologiarum libro nono : « Conjuges verius appellantur a prima desponsationis fide, quamvis adhuc inter eos ignoretur conjugalis concubitus. » Quod vero vir sororem sibi prius desponsatæ in conjugium habere non possit, sicut nec frater desponsatam fratris uxorem, cum de paribus idem sit judicium, in concilio Triburiensi continetur capitulo 5 (in can. *Quidam*, caus. 27, q. 8; l. v. c. *De incest. nupt.*) : « Quidam desponsavit uxorem et dotavit. Cum ea coire non potuit, quam frater ejus clanculo corrupit, et gravidam reddidit. Decretum est igitur, ut quamvis nupta esse non potuerit legitimo viro, desponsatam tamen fratri, frater habere non possit. » Ut enim esset honestum connubium et thorus immaculatus, diligentissime præcaverunt patres nostri, ut desponsata fratri, alteri fratri non nuberet, vel confœderatus uni sorori, alteram in uxorem non duceret, quia per hanc licentiam fallente diabolo possent multa inhonesta et incestuosa provenire conjugia, quæ cessant servata prohibitione legitima. Pauca scripsi dilectioni vestræ, quæ mecum novit prudentia vestra, et servare consuevit vestra diligentia. De cætero commendo paternitati [*al.* fraternitati] vestræ fratres nostros clericos beati Quintini (*b*), qui apud vos morantur, ut patrocinium vestrum eis impendatis, et a Deo retributionem exspectetis. Vale.

EPISTOLA CCXLVII.

JOANNI, *Dei gratia Aurelianensi episcopo,* Ivo, *eadem gratia Carnotensis Ecclesiæ minister, spiritum consilii et fortitudinis.*

Clerici nostri nuper ad nos revertentes (epist. 248), qui causæ comitis Theobaldi Aurelianis interfuerunt, retulerunt nobis quod quidam miles domni Radulphi [*al.* domni Radulfi] quemdam militem comitis ad monachiam provocaverit, et hanc provocationem Ecclesia vestra judicio confirmaverit et diem peragendæ monachiæ constituerit. Quod audientes valde mirati sumus, **107** cum monomachia vix aut nunquam sine sanguinis effusione transigi valeat; judicium vero sanguinis servanda Patrum auctoritas clericos agitare prohibeat, et Romana Ecclesia in legem eam non assumat, dicente papa Nicolao in causa Lotharii contra Theobergam reginam : « Monomachiam in legem non assumimus, quam antecessores nostros minime accepisse cognoscimus. » Quomodo enim Ecclesia judicare debet fundendum sanguinem alienum, quæ a primo ortu suo jussa est fundere sanguinem proprium? [cap. *His a quibus*, caus. 23, q. 8, et tit. *Ne clerici vel non. sæcul. negot.* lib. III Decretal.) Faciant hæc cincti [*al.* cuncti, *ms. c.*] Judices, qui ad malorum vindictam gladium materialem portant non qui contra nequitias spirituales gladio spiritus pugnant, ut cum unumquodque membrum Ecclesiæ officium non usurpaverit alienum, laudes mereatur quæ sponsæ Christi cantantur in Canticis canticorum: *Pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata* (*Cant.* I). Alioquin si alieni ordinis usurpatores fuerimus, nec nostri officii quod postposuimus, nec alieni quod usurpavimus, meritum obtinebimus, sed tanquam capite deorsum posito, et pedibus erectis tymelicorum [*un. v. c.* temulentorum] incessum imitabimur. Præterea si ex vestro judicio forte periculum mortis incurrerit, perpetes inimicitias et periculam vestri ordinis incurrere poteritis. Dico hæc ex dilectione fraternitati vestræ, quatenus salubri consilio judicium hoc retractetis, et provida dispensatione, si aliter fieri non potest, majora vitando pericula, minora potius subeatis. Vale.

EPISTOLA CCXLVIII.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister,* RADULFO *de Balgenciaco, salutem et dilectionem.*

Mandavit mihi serenitas tua quod nostrum velles habere colloquium, vel per litteras in præsenti necessitate salubre consilium; de præsenti quippe ne-

(*a*) In hanc sententiam Hildebertus Cenom. episcop. epist. 7 et 17, *de nuptiis filii Gualteri de Clincampo;* ubi citat sequentes auctorum locos. Confer etiam Ivonis epist. 99.

(*b*) Belvacensis scilicet ut epist. 31 et 151.

gotio tuo scripsi Aurelianensi episcopo (epist.247). quod illi et tibi utile mihi visum est, a quo poteris audire quid de hoc conflictu inter te et comitem (Theobaldum) sentiam et pro tempore consulam. Tamen interim petitioni tuæ respondeo, ut quæcunque pactio inter te fuerit et comitem, semper honorem ei deferas, et notam ei infamiæ non opponas. Sic enim dicit Apostolus : *Cui honorem, honorem; cui timorem, timorem* (*Rom.* XIII). Et alibi : *Omnis anima potestatibus sublimioribus sit subdita* (*ibid.*). Sic David, quamvis rex futurus, Saul perfido regi honorem detulit, et cum aliquando nactus esset opportunitatem occidendi [*sic tres vett. codd.; in aliis*, aliquando esset ei opportunitas eum occid.], oram tantummodo chlamidis ejus incidit (*a*), et de hoc tantillo pœnitentia ductus cor suum percussit. Et quamvis eum persequeretur, semper honoravit vivum, ei planxit defunctum. A talibus ergo exemplum accipe, et ea quæ sunt pacis et fidelitatis erga dominum imitare. Si quam vero ab eo injuriam expostulas, rationibus utere, verba probrosa et contumeliosa dimitte, ne verba superba interminabile odium generent, cum superbia humiliet, humilitas exaltet. Vale.

EPISTOLA CCXLIX.

Ivo, *Dei Gratia Carnotensis Ecclesiæ minister*, GIRBERTO, *Parisiensi archidiacono, salutem.*

Cum actum et consensum pari pœna (cap. *Omnes*, cau. 17, q. 4) condemnet Apostolus (*Rom.* I) et per innocentes testes crimina comprobanda sint, non mihi videntur testes sufficere ad convincendam mœcham, quam vivente adultero, timore vel amore publicare vel accusare noluerunt. Quorum etiam quidam lenonicia turpitudinis adulteræ ministraverunt et ita sicut ipsi nunc testatur, consentientes procul dubio fuerunt, et ideo sicut scitis, de se confessis non est credendum super crimen alienum (epist. 229). Si tamen in aliis honesti sunt, et ex eorum accusatione fama crebrescit et fœdus rumor infirmorum conscientias percutit, cogenda est mulier ut ad arbitrium præsidentium de objecto crimine probatarum personarum testimonio se expurget. Vel, si id facere non poterit, candentis ferri examinatione innocentiam suam comprobet (*b*). Si hæc causa apud me ita ventilaretur, ita eam vellem tractari, ita rei veritatem investigari, nihil præjudicans sententiæ aliorum, qui forsitan aliter sentiunt, et talia negotia sæpius discutiunt. Vale.

EPISTOLA CCL.

PASCHALI, *summo pontifici.* Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, devotam ut patri obedientiam, debitam ut domino reverentiam.*

Quoniam in oculis apostolicæ majestatis aliquam

A pie præsumo habere me gratiam, ea præsumptione aliquando cum aliqua spe peto ab eadem sede apostolica etiam ea quæ videntur esse contra rigorem apostolicum, sed non contra honorem apostolicum, quia non est indecens sedi apostolicæ cantare Deo misericordiam et judicium. Cum ergo opportunum est, securus pulso ad thronum justitiæ (epist.46); cum ratio exigit, cum pia præsumptione pulso ad thronum misericordiæ. Judicium sine ulla disceptatione debet omnis judex, de misericordia vero deliberandum est, utrum expediat an non expediat. Hæc non ignorantibus scribo, sed ad hoc [*al.* ad hæc] ista præmitto, ut quamcunque harum partium se vertat postulatio mea, aut petenti justitia non negetur, au pie pulsanti miseri-

B cordiæ janua non claudatur. Quod bene discernere poterit vestra paternitas, cum summam nostræ petitionis audieritis, et per præsentes legatos, adventus sui causam cognoveritis novit enim [*al.* novit autem] vestra paternitas quanto tempore post mortem bonæ memoriæ Anselmi archiepiscopi Cantuariensis (*c*) Ecclesia pastore viduata languerit, quomodo rex Anglorum bona episcopalia in usus sæculares usurpaverit, quanto studio episcopalem electionem ibi fieri non permiserit; nunc vero post increpationes vestras, post multas episcoporum diœcesanorum admonitiones prætaxata Ecclesia consensu episcoporum, rege tandem connivente, elegit sibi in archiepiscopum Radulfum Rofensem episcopum, virum religiosum et honestum, scientia et moribus clarum. Hic in propria persona sedem

C apostolicam visitare secundum majorum instituta, deliberavit (*d*). Sed eam partim corporis debilitas impedivit, partim periculum Romani itineris deterruit. Mittit itaque prædicta Ecclesia vice electi sui religiosas personas, et dictis et scriptis obnixe postulantes, ut prædictum electum Cantuariensi episcopatui confirmetis, et dignitatem ei pallii (*e*) **108** concedatis. Ego quoque affectu fraternæ charitatis et ausu paternæ dilectionis consulendo rogo, et rogando consulo, ut etiami aliter fieri non potest, cum aliqua tamen dispensatione (*f*) languenti Ecclesiæ subveniatis, et propter Ecclesiæ necessitatem, deinde propter utilitatem et honestatem personæ, petentium supplicationibus aurem misericorditer inclinetis. Nisi enim medicinalis manus cito

D subveniat, prædicta Ecclesia in veteres ruinas relabetur, et vox dilatoria potentiam sine modo ultra modum protelabitur. Cum enim Dominus noster, qui institutor erat Sabbati, misericordiæ opera faceret in Sabbato, et redargueretur a Pharisæis quod solveret Sabbatum, spicas discipulis vellentibus, eorum murmurationi respondit : *Si intellexissetis : Misericordiam volo et non sacrificium* (*I Reg.*

(*a*) Locus est Reg. lib. I cap. XXIV, de quo cap. *Dominus.* 86 caus. 1, q. 1, et Gregor. in lib. *De pastorali cura.*

(*b*) Quam etiam probat in casu necessitatis, ep. 252.

(*c*) Obiit anno Dom. 1109, pontificatus XIII, vitæ LXXVI; de quo Edinerus Anglus in ejus Vita.

(*d*) Electi enim episcopi solebant Romam proficisci, ut etiam indicat ep. 254.

(*e*) *Honor pallii* dicitur epist. 50.

(*f*) Hujus usum sæpe approbat, ut ep. 194, 214.

xv) *nunquam condemnassetis innocentes;* (*Matth.* XII) et alibi : *An nescistis quia Filius hominis Dominus est etiam Sabbati?* (*Marc.* II) per hoc doctores informans, quia tunc possunt legum rigorem propter necessitates Ecclesiasticas temperare (epist. 214), quando ipsa legum remissio nihil continet contra fidei veritatem, vel morum honestatem. His exemplis admoniti secure pulsamus ad januam [thronum, *epist.* 258] misericordiæ, credentes non esse indignum si apostolicus præceptum mittentis sequatur aut exemplum. Postremo quantum potest mens humana de alieno corde pensare, sanum nobis esse videtur consilium, ut eum paterne suscipiatis, quatenus vos liberalem filium et fidelem vobis adoptasse gaudeatis. Valete.

EPISTOLA CCLI.

MANASSÆ, *Dei gratia Meldensium episcopo*, Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, salutem et servitium.*

Quæsitum est nuper a parvitate mea ex parte abbatissæ Jotrensis monasterii, utrum deliquerint presbyteri, qui cuidam ægroto ex consuetudine post prandium vomenti viaticum (c. *Si quis*, de cons.) dare non fuerunt ausi, eodem ægroto consulente ut differrent in crastinum, quatenus hoc sacramentum jejunus acciperet (c. *Legimus*, de const. dist. 2) et ei sacramento debitam reverentiam pro viribus exhiberet [*al.* exerceret] quo audito languentis pietatem laudavi, et presbyterum diligentem negligentiam in quo reprehenderem non inveni. Pius fuit in hoc languentis timor, pia fuit medicinæ dilatio [sic *v. c.; antea* laudatio]. In utroque ergo non fuit culpabilis negligentia, sed salubris et cauta diligentia, ubi nec medicus suo defuisse videtur officio, nec moriens divino caruisse beneficio. Unde Augustinus de acceptione Eucharistiæ ita scribit (*l. De eccl. dogm.*, c. 33 et c. *Quotidie*, de consec. dist. 2): « Faciat unusquisque quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum. Neque enim litigaverunt inter se, aut quisquam se alteri proposuit Zachæus et ille centurio, eum alter eorum gaudens in domo sua suscepit Dominum (*Luc.* XIX), alter dixerit : Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum (*Matth.* VIII), ambo Salvatorem honorificantes quamvis non uno modo, ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti. » Moneo itaque dilectionem vestram, ut rei veritatem investigetis, et si ita se veritas habet, nullum inde scandalum in Ecclesia faciatis, ne aut nimiæ imputetur simplicitati, aut alicui occultæ cupiditati. Valete.

EPISTOLA CCLII.

RADULFO, *Dei gratia Remorum archiepiscopo*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, salutem et servitium.*

Ausu charitatis mitto paternitati vestræ præsensentium latorem canonicum beati Quintini, bonæ spei fratrem, ut pro Dei amore et nostro negotium, propter quod paternitatem vestram visitavit, diligenter attendatis, paterne dirigatis, quantum salva justitia fieri potest auxilio et consilio sustentetis; habet enim præsens fratrer sororem quamdam conjugatam, quam per conjecturas suspectam habet maritus suus de adulterio, non in adulterio deprehensam, non testibus convictam, nec ab aliquo accusatam. Cum ergo ita res se habeat, maritus tamen hujus mulieris thorum conjugii deseruit, et debitum conjugale subtraxit. Quod audiens pater generum suum convenit, et causam cur hoc faceret, diligenter inquisivit. Qua audita voluit filiam suam de objecto crimine jurejurando purgare, et insuper præcipiti voluntate et sine consilio addidit, quod mulier examinatione candentis ferri (epist 280) parata esset comprobare quod nunquam fuerit cum prædicto viro una caro, de quo orta erat tam flagitiosa suspicio. Paulo post ventilata est hæc causa ante judices ecclesiasticos, quorum quidam dicebant quod in hujusmodi causa non esset admittenda talis examinatio, in qua nulla judiciario ordine facta præcessisset accusatio. Alii vero aliis ita dissentientibus judicaverunt, quod justa esset ista examinatio quam mulier obtulerat ex suo judicio, non attendentes quia nemo debet tentare Deum suum, quandiu habet quid faciat (cf. epit. 74). Tunc enim tentat homo Deum suum, quando postposito ordine judiciario per examinationem cadentis ferri vel aquæ ferventis divinum requirit testimonium. Unde Stephanus papa Liberto Magontino episcopo : « Ferri candentis vel aquæ ferventis examinatione confessionem extorqueri a quolibet sacri non censent canones; et quod sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinventione non est præsumendum; spontanea enim confessione vel testium approbatione publicata delicta habito præ oculis Dei timore commissa sunt regimini judicare, occulta vero incognita illius sunt judicio relinquenda, qui solus novit corda filiorum hominum. » Non negamus tamen quia ad divina aliquando recurrendum sit testimonia quando, præcedente ordinaria accusationne (cf. epist. 249), omnino desunt humana testimonia; non quod lex hoc instituerit divina, sed quod exigat incredulitas humana, sicut de juramentis habemus in Evangelio : *Non jurabis omnino. Sit autem sermo vester, est, est, non, non, quod amplius est, a malo est*, non jurantis, sed jurare cogentis (*Matth.* V). Cum ergo ita omne juramentum prohibeat præceptum evangelicum, Paulus tamen negotia ecclesiastica ita terminari permittit in Ecclesia, ut propter infirmitatem litigantium, juramentum finis sit in omni controversia (*Hebr.* VI). Non scribo talia ignoranti, sed commonefacio, ut quod novit prudentia vestra perficiat in hoc litigio, et in omni proposito sibi negotio. Valete.

109 EPISTOLA CCLIII.

LUDOVICO, *Dei gratia serenissimo Francorum regi domino suo*, Ivo, *humilis Carnotensis minister, ejus præceptis obedire, cui servire est regnare.*

Domnus Godefridus Ambianensis episcopus, vir religiosus et honestus, nuper Belvaci hospitatus, ad

colloquium nostrum pro humilitate sua venit, importabiles miserias suas et angustias, quibus a violatoribus pacis vexatur, lacrymabiliter nobis aperuit, et consilium quomodo tanta mala mitigare posset, a me anxie quæsivit. Quod cum excederet vires meas, quia consilium sine fortitudine inutile esse solet, hoc unum mihi præ cæteris occurrit, quatenus eum monerem, ut regiam majestatem adiret, apud quam et consilium inveniri, et auxilii fortitudo valeat sociari. Ex jure ergo fidelitatis et dilectionis monemus et rogamus regiam majestatem vestram, quatenus lacrymabiles ejus conquestiones intenta aure perpendatis, et cor vestrum aculeis doloris ejus suggerente pietate compungatis. Decet enim regiam majestatem vestram, ut pactum pacis quod Deo inspirante in regno vestro confirmari fecistis, nulla lenocinante amicitia vel fallente desidia violare permittatis, ne si uni in hoc maxime principio parcere volueritis, multos in discrimen adducatis, cum e contrario dicta scriptura : *Pestilente flagellato sapiens sapientior erit* (*Prov.* XIX) ; *et* : *Intelligens gubernacula possidebit* [un v. c. *tabernacula poss.*] (*Prov.* I). Si ergo pœna malorum utilis est sapienti, multo magis impunitas malorum nocitura est insipienti. Faciat itaque gladius regalis officium suum ad vindictam malorum, ut sicut pios colligit mansuetudine, sic impios coerceat justa severitate. Sic devotio pauperum pro vestra salute Dominum [Deum, *ms. cod.*] orabit, et quod a Salvatore postulaverit impetrabit. Valete.

EPISTOLA CCLIV.

PASCHALI, *summo pontifici*, IVO, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, cum debita obedientia devota servitia.*

Pluribus de causis cogit me charitas frequenter pulsare aures vestræ paternitatis, ut mea admonitio vel petitio utilis fiat his qui sedi apostolicæ minus sunt noti, nobis autem bene cogniti. Non ergo gravet serenitatem paternam per litteras tantum frequens visitatio quam præsentia corporalis libentius exhiberet, nisi difficultas montium imbecillitatem meæ senectutis impediret. Quæ verba prælibavimus, ut importunitatem nostram excusemus, et opportunitatem paterni auditus impetremus. Rogamus enim paternam discretionem vestram pro domno Gaufrido Rothomagensi archiepiscopo, qui tunc tandem impetravit a principe suo rege Anglorum, ut posset in propria persona sedem apostolicam visitare, quam tamen non distulit visitare suis temporibus in persona aliena. Non ergo existimamus imputandum contemptui sedis apostolicæ quod necessitas imperavit, non torpor dissuasit, non neglectus retinuit, pro eo enim secure intercedimus, quia personam utilem et honestam ab adolescentia sua et ab aliis didicimus, et per nos [*al.* et nos] experti sumus. Quia ergo ad altiorem locum in mensa Domini sui vocatus est (*Luc.* IV), et gratias Deo referimus, et eum ut columnam immobilem in domo Dei confirmare præoptamus, et apostolicam discretionem nostris disideriis non sine ratione occurrere flagitamus. Valete.

EPISTOLA CCLV.

IVO, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister*, RADULFO, *abbati monasterii Sancti Fusciani, patientiam beati Job.*

Jam a longo tempore audivimus languorem tuum, et tam humanitatis intuitu quam pietatis affectu condoluimus, et si possemus competenter medicinæ remedia adhibere, pro competentia locorum et temporum opportunitate (*a*), si curabilem sciremus morbum, libenter studeremus aliqua remedia procurare. Verum quia intervalla locorum et innumerabilium onera negotiorum (*b*) nos ad hoc vacare non sinunt, cum ipsa præsentia corporalis ad chronicas passiones curandas vix sufficiat, tutius nobis videtur medicinam non dare quam eam inutiliter vel perniciose ministrare. Consilium ergo damus ut corporales molestias patienter supportes, quas pro igne purgatorio severa Dei misericordia tibi contulit ad purgationem vitiorum, custodiamque virtutum. Neque enim credimus tibi timendum esse alium ignem purgatorium, si hunc patienter sustinueris et in gratiarum actione permanseris. De cætero si videris in regimine monasterii te non posse sufficere, non consulo ut tanquam arbor infructuosa occupes terram, sed des locum alicui de fratribus, quem congregatio regulariter elegerit, qui et monasterium regat, et tibi in quieto loco, quandiu vixeris, filiali charitate serviat. Unctionem vero quam semel accepisti, non æstimo repetendam (*c*), quia, secundum institutum apostolicæ sedis, genus est sacramenti. Qui autem sacramenta Christi et Ecclesiæ repetit, injuriam ipsis sacramentis ingerit. Unctio enim infirmorum publicæ pœnitentiæ est sacramentum, quam non esse repetendam sicut nec baptismum testatur Augustinus, testatur Ambrosius (*d*). Augustinus in epistola ad Macedonium : « Caute salubriterque provisum est, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis minus utilis esse ægrotis videatur, quæ tanto magis salubris est, quanto minus contemptibilis fuerit. » Ambrosius in secundo libro De pœnitentia (c. *Quamvis*, dist. 50, et cod. *De pœnit.* dist. 3) : « Sicut est unum baptisma, ita et una pœnitentia, quæ tamen publice agitur. Nam quotidie nos debet pœnitere peccati ; sed hæc, delictorum leviorum, illa, graviorum. »

EPISTOLA CCLVI.

IVO, *Dei gratia Carnotensis Ecclesæ minister, fratri* RAINALDO, *salutem et dilectionem.*

Novit dilectio tua quia primitivæ Ecclesiæ formam sequi desiderans, ut prudens Nazareus (*Jud.* XVI)

(*a*) *Opportunitate* deest in ms. c.
(*b*) De quibus sæpe conqueritur ut epist. 19.
(*c*) Cap. *Nihil. de pœnit.* dist. 3, sed repeti posse hodie definitum concilio Tridentini sess. 14, cap. 3.
(*d*) Videntur hæc detorta nec pertinere ad unctionem de qua Jac. V.

in Ecclesia beati Joannis Baptistæ professus es sanctitatem professus communiter vivendi societatem, et tanquam aliqua [*al.* alia] **110** lucerna in domo Dei ad incrementum propositi tui lumen verbi minus doctis ministrare cœpisti. Nunc vero, ut audio, nescio quo spiritu fascinante, derelicta sociali vita non sine scandalo infirmorum ad eremum convolare deliberas, ubi tantum offeras sacrificium turturum, postposita oblatione columbarum. Qua in re pensare debet prudentia tua quod Christus caput tuum, quem sequi debent membra cohærentia (quia sicut ipse ambulavit, nos ambulare præcepit [*I Joan.* [II]) de secreto suo processit ad publicum nostrum, ut charitatem suam nobis commendaret, et suo nos informans exemplo per vitæ vias ad amissam beatitudinem reduceret. Tu vero postposito hoc exemplo communem vitam, cui te devovisti fugere desideras, in qua, nullo vento vanitatis impediente, solidam gloriam poteris conservare, et in solitudine cordis [solitudinem mentis, *epist.* 219] ascensiones in corde disponere, multisque prodesse verbo et exemplo, et in secretis locis vitam tuam spectabilem magis quam utilem præbere, quod est gloriam tuam in pulverem deducere (*Psal.* VII). Quod si feceris, a voto tuo, a professiones tua ex parte cecidisti ; et qui tanquam duobus pedibus, id est sanctitate et communiter vivendi societate, per geminam charitatis viam cœperas repedare ad patriam, præciso uno pede, et præclusa una charitatis via, dum quasi claudus requiris [*al.* quæris] religionis augmentum, timeo ne incurras lamentabile detrimentum. Hæc dicens non condemno vitam anachoretarum (epist. 192), sed præfero vitam communiter viventium, qui non tantum sua reliquerunt, sed etiam propriis voluntatibus renuntiaverunt, et ita semetipsos secundum evangelicam admonitionem abnegaverunt (*Matth.* XVI ; *Luc.* IX). Qui si etiam ex objectu visibilium aliquibus tentationibus afficiuntur, vel non inventa solitudinis opportunitate, vel ecclesiasticorum studiorum occupatione, facile ab hujusmodi suggestionibus liberantur. Vita vero solitaria ideo inferior est, quia voluntaria et importunis cogitationibus plena, quæ tanquam muscæ minutissimæ de limo surgentes volant in oculos cordis et interrumpunt sabbatum mentis. Quare punctionibus misera mens cruentata perdit decorem illum de quo dicit Psalmista : *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus* (*Psal.* XLIV), cum currens per phantasias et vanas imaginationes [*al.* imagines, *ut ep.* 10] suas aliquando ita superatur, ut si opportunitas se offerret, facile in tentationis suæ laqueum laberetur. Nec hoc ex conjecturis dicimus, sed ab his qui experti sunt vera esse didicimus, quos aliquando in communi conversatione hominum vidimus vixisse laudabiliter, sed quando ad solitariam vitam se transtulerunt, ipsos, eisdem [*al.* ipsis] confitentibus, novimus fuisse lamentabiliter lapsos. Quod si esum carnium culpas, qui aliquando adhibetur [*al.* admiscetur] mensis communiter viventium, considerare debes quia laudabilior abstinentia est sine fœda concupiscentiæ flamma lautioribus cibis uti et non repleri, quam cum fœda gulæ flamma vilibus cibis ingurgitari (S. AUG., c. 1 4, dist. 41). Sic Joannes Baptista delectabilibus cibis utens carnibus locustarum et melle silvestri laudatus est a Domino (*a*) de abstinentia (*Matth.* III ; *Marc* I) ; Esau vero vili cibo lenticula videlicet ingurgitatus, culpatus est de gulæ concupiscentia (*Gen.* XXV). Hæc dicens non te doceo, sed commonefacio uti bonum tuum ita dispenses, ut cum perfectioni intendis, ne fias scandalum infirmis, quia satius est aliquando infirma tolerare quam summa cum schismate facere [*al.* quam firma cum schmism. f.]. Possem tibi multa in hunc modum scribere. Sed hæc, et alia charitati convenientia satis novit prudentia tua. Vale.

EPISTOLA CLVII.

PHILIPPO, *Dei gratia Trecensi episcopo*, Ivo, *eadem gratia Carnotensis Ecclesiæ minister, salutem et servitium.*

Gratias referimus liberalitati vestræ, quod memor beneficentiæ vestræ, dissensionem quæ inter domnum Odonem Ecclesiæ S. Georgii priorem, et quosdam fratres sibi commissos orta fuerat per Beati Quintini Ecclesiam regulariter sedare voluistis, et eosdem dissentientes ad prædictam Ecclesiam transmisistis. Sic enim a paternitate vestra [*sic. v. c.; antea* a parvitate mea] et Ecclesia vobis commissa institutum est, ut Ecclesia Sancti Georgii a vobis ecclesiastica et temporalia beneficia cum debita humilitate recognoscat, ab Ecclesia autem Beati Quintini regularia instituta suscipiat. Factum est itaque ut imperastis. Venerunt quidam ex dissentientibus fratribus adversus prælatum suum disceptaturi, et sententiam debitam pro meritis accepturi. Nos autem scientes quia « concordia parvæ res crescunt, discordia autem maxumæ dilabuntur » (SALLUST. *Jug.* 10), paci et unanimitati studuimus. Et quia sine eorum culpa tanta discordia fieri non potuit, persuasimus illis ut a prælato suo pro commissis veniam peterent, et indulgentiam postularent. Quo facto, facta est pax inter domnum Odonem et præsentes fratres, et condicta (*b*) inter præsentes et absentes, ita ut qui cum eo remanere vellet, remaneret cum subjectione debita. Qui autem remanere nollet, fraterna charitate servata transiret ad Ecclesiam Beati Quintini, vel ad aliquam Ecclesiam eidem adjacentem cum assensu domni Odonis, et dispensatione domni Radulfi abbatis. Reformata itaque pace, noluimus pati ut alius in labore domni Odonis intraret, qui ibi diu cum [*al.* qui ibi dudum cum, *ita ms. c.; sed* cum *deest*] multo labore et sudore congregavit quæ potuit, et pro scientia sua fideliter dispensavit. Si autem zelus domus Dei in

(*a*) *A Domino*, deest in aliis v. c.
(*b*) Sic duo v. c., alias et *condita.* ; ep. 114 ita est *inter nos condictum*, et epist. 289, *juxta condictum quod præcesserat.*

nimiam zelotypiam eum excitavit, monuimus etiam ut [*al.* eum ut] temperet zelum suum, et, secundum Apostolum, fiat *infirmis infirmus* et *omnibus omnia* ut multos lucrifaciat (*I Cor.* IX). Remisimus itaque eum sub tuitionem vestram et Ecclesiæ vestræ, ut vobis humiliter et obedienter serviat, et a vobis in necessitatibus ecclesiasticis paternum auxilium fiducialiter petat. Quod postulo a paternitate vestra, postulo a filiis vestris, Reinaldo præposito et archidiaconis vestris Petro, Drogone, Joscelino, Simone, Odone camerario, ut pauperem Ecclesiam verbo consolentur, auxilio tueantur. Vale.

EPISTOLA CCLVIII.

PASCHALI, *summo pontifici*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, dilectionem filii et obedientiam subjecti.*

Quoniam apud sedem apostolicam viget misericordia et justitia, a quibuslibet oppressis humiliter ad eam recurrendum est, ut ibi unusquisque accipiat aut justum pro rerum veritate judicium, aut pium pro apostolica **111** moderatione solatium. Unde flexis genibus cordis supplicamus excellentiæ vestræ, quatenus causam domni Huberti Silvanectensis episcopi, soli audientiæ vestræ reservetis (epist. 244 et 103), ubi eum temeraria multitudo non terreat, nulla principum violentia cogat, sed sola veritas secundum testimonium conscientiæ suæ prolata et probata defendat. Novimus enim quia præteritis annis cum domnus Richardus Albanensis episcopus apostolica legatione fungeretur, quia Trecis ab eodem legato concilium celebratum est, in quo a malevolis et æmulis personis crimen venditionis sacrorum ordinum eidem episcopo objectum est, sed propter insufficientiam accusantium personarum consentientibus in hoc episcopis, minime probatum est. Sed prædictus episcopus tanti criminis infamiam cupiens evitare, ad arbitrium legati vestri, sicut testantur qui affuerunt, spontaneus [*unus v. c.* spontaneis] de objecto crimine se purgavit, et innocentiam suam jurejurando comprobavit. Quo facto intelligimus causam istam judiciario ordine fuisse decisam, et, secundum tenorem legum, non esse ulterius iterandam. Sed quia finitiva episcorum judicia ad apostolicam sedem sunt referenda, finem causæ suæ impositurus, et quæ dixerit per honestas personas confirmaturus, adthronum misericordiæ (epist. 250) per nos et per alios sibi benevolos humiliter pulsat, quatenus sic erga eum observetur justitia, ut non periclitetur innocentia; quod sine nostra intercessione sedem apostolicam facturam speramus. Sed voluntaria oris nostri (*Psal.* CXIX) approbari ab ea desideramus. Valete.

EPISTOLA CCLIX.

RADULFO, *Dei gratia Remorum reverendo archiepiscopo*, Ivo, *eadem gratia Carnotensis Ecclesiæ minister, salutem et servitium.*

Præcepit sublimitas vestra Radulfo abbati Sancti Quintini Belvacensis in virtute obedientiæ, ut visis
A litteris vestris infra quindecim dies exsequeretur judicium ab episcopo Ambianensi [*sic v. c.; antea* Arbianensi] de molendino Beati Quintini factum. Abbas ad hoc respondet se nullum judicium de hoc negotio audiisse vel subterfugisse; quod tamen si factum fuisset non esset legi consentaneum, cum, lex debeat esse justa, possibilis, loco temporique conveniens (epist. 189), quæ omnia defuisse huic negotio manifeste probat ratio. Non enim justum est ut incommoditatem quam sibi infert negligentia abbatis, aut pervicacia, alter reformet, cum abbas studio subterfugiat munire ripas fluvii juxta prata, de quibus controversia est, præterfluentis. Quæ si munitæ fuissent sicut eas vidimus et sæpe pertransivimus, de aqua quæ redundat in pratis nulla esset contro-
B versia. Item justum non est, ut quod ab omnibus molendinis Belvacensis Levæ [*alius v. c.* leugæ] committitur, totum in molendinum Beati Quintini reflectatur. Quæ si ad statum suum pristinum redigerentur, tota hæc controversia sopiretur. Abbas enim et quidam monachi Sancti Luciani adversus Ecclesiam Beati Quintini veteres exercent inimicitias, qui quandiu habuit tutorem et defensorem, ab istis inquietationibus quievit, et per quadraginta quinque annos in quiete possedit. Præterea omnis obedientia possibilis debet esse, et sicut dictum est, tempori et loco congrua. Hæc autem vestra obedientia prædicto abbati cum tanto rigore injuncta, etiamsi per eum juste esset adimplenda, propter rigorem hiemis et loca palustria nullo modo valet ad præsens impleri, quia nullus operarius in locis palustribus et aquosis
C hoc tempore prævalet operari. Si ergo per aliquam importunitatem vel subreptionem aliquid a vobis exortum est, rogamus paternitatem vestram, ut considerata rerum et temporum opportunitate cum discretione temperetis sententiam, ut et Ecclesia Beati Quintini non cogatur molendinum suum ita debilitare ut molendi officium perdat, et monasterium Sancti Luciani, sub illis judicibus qui negotium ordine judiciario tractant, jus suum non amittat. Vale.

EPISTOLA CCLX.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister*, STEPHANO *regis cancellario* (*ep.* 243), *abundare spiritu consilii et fortitudinis.*

Nuper Aurelianis rediens domnus Galterius Car-
D notensis archidiaconus intimavit mihi fluctuationes cordis tui, et quomodo anima tua tabescat in malis, quærens quid potissimum de sibi propositis eligat, aut fugiat; simulque addidit, ut secundum audita dilectioni tuæ responderem, et consilium quod, Deo inspirante, sentirem sanius esse, prudentiæ tuæ rescriberem. Quibus auditis nihil utilius tibi consulere possum quam ut jactes cogitatum tuum in Domino (*Psal.* LIV), quia ipse te ab omni fluctuatione liberabit, et tranquillitatem cordis in te reformabit. Hoc tamen unum consilium præcipue tibi do, ut voluntatem tuam voluntati Dei nunquam præponas, sed vocanti te ad agriculturam suam humiliter acquie-

scas, et dicenti tibi in loco humili posito : *Ascende superius* (*Luc.* XIV), minime contradicas. Quid enim scis, si ille omnipotens medicus hac via honesta te velit eruere de luto fecis, et confirmare in petra suæ dilectionis (*a*)?Non enim terrere te debet,et a bono proposito removere,quod domnus papa non absolute respondit petitionibus tuis, sive de retinendis honoribus tuis cum episcopatu Parisiensi, sive de Belvacensi Ecclesia, ut aliter non transferatur ad eam domnus Gualo [*al.* Vualo, *ita ms. c.ep.* 144], nisi eum repetat eadem Ecclesia. Novi enim consuetudinem Romanæ Ecclesiæ, quia non solet neque vult decretis suis patenter obviare. Solet autem dispensatorie [*al.*dispensatione] multa infirma tolerare postquam patrata sunt, tam pro locorum necessitate, quam pro personarum utilitate et honestate can. *Sententiam,* can. 35, q. 9; epist. 231). Neque aliter cogendus est summus pontifex contraria sibi scribere vel facere,ne cogatur dicere illud apostolicum : *si quid* [*quod,* ms. c.] *destruxi, iterum ædifico, prævaricatorem me constituo* (*Gal.* II). Hæc attendens fiducialiter *ascende superius*, quia cum ascenderis, tolerantiam, quam nunc absolute non impetras,tum pro tua strenuitate,tum pro multorum te diligentium mediatione [*duo v. c.*; *al.* meditatione, *epist.* 180 eo mediante], quantum res temperari poterit, salva honestate Romanæ Ecclesiæ quod quæris, ut credimus, impetrabis. Vale.

112 EPISTOLA CCLXI.

HENRICO, *Dei gratia excellenti Anglorum regi,* Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister sic florere in regno terreno ut perfruatur æterno.*

Quoniam fama vulgante gloria vestra longe lateque diffusa est oportet,ut quod de liberalitate vestra fama prædicat, rerum veritas in se contineat. Sic enim verum possidebitis regnum, [si et vos ipsum bene regatis, et subditos vestros virga justitiæ ab iniquitate revocetis. Hæc est enim vera gloria regum, sequi formam summi Regis, cui per Psalmistam dicitur : *Virga directionis, virga regni tui*; *dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem* (*Psal.* XLVI). Hæc idcirco prælibavi excellentiæ vestræ, quoniam audivi vos quamdam filiam vestram cuidam nostro [*ita ex v. c., male, antea* vestro] parochiano, Hugoni videlicet, filio Gervasii, desponsasse (*b*).Quos quidem parentes eorum gradu consanguinitatis esse testantur genitos, ut inter se nuptias contrahere non possint,nisi incestuosas,et ideo illicitas. Quod minime decet regiam majestatem, culpam videlicet in se admittere quam in aliis debet legum severitate punire. Unde pro reverentia et dilectione vera magnitudinem vestram [*al.* vestra] præmonitam et præmunitam esse cupimus, ut honeste, dum fieri potest, tales nuptias fieri non permittatis,ne tale conjugium si contra leges præsumatur, per leges dissolvi mereatur.Quod enim dicimus,non ex conjecturis facimus,quia præ manibus habemus scriptam genealogiam, quam scribi fecerunt nobiles viri de eadem tribu progeniti,et parati sunt ante judices ecclesiasticos eamdem genealogiam in tuto loco computare, et secundum legum instituta probare.Misi itaque vobis eamdem genealogiam a trunco suo inchoatam, et usque ad prætaxatas personas computando descriptam, quatenus ea perspecta rei veritatem discutiatis, et prudenti consilio ab illicita copulatione prædictas personas desistere faciatis. Non enim poterimus a legum tramite deviare, si viderimus parochianum nostrum maxime in pacto conjugali aliquod nefarium perpetrare, dicente apostolica sententia : « Incestis conjunctionibus nihil veniæ reservamus, nisi cum incestum separatione sanaverint (epist. 225).» Cum enim revereamur temporalium regum potentiam, magis nos revereri oportet æterni Regis omnipotentiam, ut sic reddamus quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ Dei sunt Deo (*Matth.* XXII). Genealogia autem ut dicitur sic se habet : Gonnors et Seufria sorores fuerunt.Ex Gonnors exivit Richardus. Ex Richardo, Robertus. Ex Roberto, Gulielmus [*al.* Vuilelmus] rex. Ex Gulielmo, Henricus rex. Ex hoc rege isto quæ datur filio Gervasii. Item ex Seufria exivit Joscelina. Ex Joscelina, Rogerius de monte Gummeri (*c*). Ex Rogerio, Mabilia soror Roberti Bellimensis. Ex Mabilia, Mabilia uxor Gervasii. Et ex ista Mabilia, Hugo filius Gervasii cui ista datur.

EPISTOLA CCLXII.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister*,PONTIO *venerabili Cluniacensis monasterii abbati, salutem et dilectionem in Domino.*

Quæsivit a me tanquam divinorum secretorum diligenti scrutatore diligens dilectio vestra,cur inter verba sacramentorum in consecratione Dominici calicis positum sit mysterium fidei,cum Dominus inter mystica cœna verba dans discipulis corpus et sanguinem suum hæc verba non posuerit, nec aliquis evangelistarum evangelicis verba a se dictatis hæc interseruerit.Nunc ergo cur in canone hæc verba posita sint videamus;deinde utrum ab evangelistis prætermissa sint, vel alicubi æquipollenter admissa,manifeste considerare poterimus. Scandalizati sunt enim, et adhuc scandalizantur multi infirmi (*d*),quomodo sub specie elementorum sumatur corpus et sanguis Christi, cum sensus humani nihil aliud renuntient nisi colorem et saporem panis et vini, propter quorum dubietatem positum esse credo in canone mysterium fidei, tanquam dicatur:Sacramenta quæ vides in altari,æstimanda sunt non specie, sed fide. Aliud enim renuntiant oculi exterioris hominis, aliud tibi affirmant mentis oculi.Sic cum Dominus dixisset discipulis suis aliquanto tempore antequam celebrasset novissimam cœnam cum apo-

(*a*) Cancellarius regis potest simul esse episcopus.

(*b*) Hunc propter pacem violatam excommunicatum postea refert epist. 266.

(*c*) Vide Vuilelmum Gemiticensem,lib.VIII *De ducibus Northmanis*, cap. 35 et 36.

(*d*) Ivonis enim tempore vigebat adhuc secta Berengarii.

stolis: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biveritis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (*Joan.* VI), multi ex discipulis abierunt retro dicentes: *Durus est hic sermo* (*ibid.*), putantes quod præciperentur carnes ejus sumere aut elixas in libetibus, aut assas in verubus et sanguinem cruentum sorbere in calicibus. Dominus itaque ne hic error offenderet omnes, alios qui remanserant his verbis instruxit, qualiter intelligendum esset quod dixit: *Verba quæ locutus sum vobis spiritus et vita sunt* (*ibid.*); tanquam si diceret: Verba quæ locutus sum vobis, spiritualiter intelligere debetis [intelligenda sunt, *ms. cod.*]. Cibus de quo loquor vobis, non est esca ventris, sed cibus mentis. Si hæc verba Domini diligenter attendamus, mysterium fidei quod in consecratione calicis Domini positum est, eamdem sententiam continere videbimus, nec aliunde canoni inserta, nisi ex verbis Dominicis assumpta, cognoscemus. De prima quæstione vestra respondi quod sentio, sine melioris sententiæ præjudicio. De cætero, Melchisedech commemoratum inter sacra mysteria non alium intelligo quam ipsum regem Salem, cujus sacerdotium commendat Apostolus (*Hebr.* VII), quia antequam institutum fuisset Leviticum sacerdotium, in oblatione panis et vini præmonstravit nobis novi sacerdotii formam, sicut in Abel sacrificio præfiguratam videmus innocentiam, et in oblatione Abrahæ commendatam videmus obedientiam, quorum omnium commemoratio ad hoc valere probatur, ut sicut prætaxati Patres Deo placuerunt per fidem futurorum, et ita nos placere studeamus per fidem exhibitorum, et ita probetur una esse fides legis et Evangelii, umbræ et veritatis, licet aliis et aliis præsignata sint figuris, cum essent futura; manifestis comprobata documentis, cum essent præterita. Possent hæc latioribus verbis explicari, sed hæc pauca sufficere videntur sapienti. Collectiones canonum (*a*) quos a me postulatis, et opuscula mea quæ his addi voluistis, in monumentum dilectionis per domnum Ernaldum modo monachum vestrum olim clericum nostrum, transmisi vobis. Vale.

113 EPISTOLA CCLXIII.

Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, Belvacensis Ecclesiæ fratribus, stare in adversis et resistere perversis.*

Recitata in medium vestræ calamitatis epistola (*b*), nobis ex materia litterarum materies orta est lacrymarum. Siccis enim oculis legere non potuimus exsilium vestrum, infestationes Burgensium, domorum spoliationem, terrarum invasionem; in quibus omnibus fuit impetus non ratio, et prævaluit æmula clericorum laicalis præsumptio. Cessare quidem a divinis (*c*) juste vel injuste, quid ad regem pertineat non videmus. Excessus enim clericorum si contigerit, non est vindicandus potestate sæculari, sed canonico judicio puniendus est, et censura episcopali, cum tamen in hujusmodi interdicto nullus sit excessus, nihil præpropere factum, nihil videatur esse præsumptum. Vos ergo, fratres charissimi, quia scriptum est: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (*Matth.* V), nolite turbari, nolite terreri. Deus enim in cujus conspectu intrat gemitus compeditorum (*Psal.* LXXVIII), Ecclesiam suam etsi tribulari permittit, tamen non dimittit. Videts igitur, dilectissimi, videte ne pro amissione rerum vestrarum, quod valde timemus, deficiatis. Amor enim pecuniæ parit defectum, defectus opprobrium; quod nullatenus evadere potestis, si laicorum pedibus colla supponatis. Et si honor Ecclesiæ per vos periclitatur, si rigor justitiæ per vos adnihilatur, exemplum erit omnibus vobis quidem dedecorosum, aliquibus vero periculosum. Absit autem ut Ecclesia Belvacensis quæ floruit inter alias, tanti dedecoris nota decoleretur! Absit ut libertas Ecclesiæ per vos in servitutem redigatur! Nos quidem indubitanter, fratres charissimi, nos quidem pro facultate nostra et pro voluntate vestra in omnibus et per omnia vobiscum sumus, et nos et nostra vobis offerimus, et rebus consequimini [consequemini] si vultis quod voce promittimus. Valete. Angelus pacis vobiscum.

EPISTOLA CCLXIV.

LUDOVICO, *Dei gratia serenissimo et dulcissimo regi Francorum domino suo*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, in eo regnare cujus regnum est sine fine.*

Quoniam regiam sublimitatem [*al.* potestatem] libram convenit tenere pietatis et justitiæ, sic oportet condiri justitiam ex pietate, ut nec indiscreta pietas in subditis nutriat insolentiam, nec nimius justitiæ rigor [*un. v. c.* nec nimis erectus justitiæ rigor] opprimat innocentiam. Sic enim constat antiquorum regum floruisse et viguisse potentiam, ut aliquando peccata humilium subditorum dissimularent, aliquando tanquam filiorum ferula corrigerent: contumaces vero erectos districta animadversione punirent [*al.* ferirent], quatenus pœna redderet subjectos, quos impunitas et patientia faciebat erectos. Quibus prælibatis supplico excellentiæ vestræ flexis genibus cordis, ut in hoc appareat me obtinere gratiam in oculis regiæ majestatis, quatenus pro Dei amore et nostro ita et clerum et populum Belvacensem (epist. 263) pro temeritate interfecti hominis tractare studeatis, ut et innocentia non gravetur, et temeritas incauta per subreptionem diabolicam concitata non superbientium ultione feriatur, sed pœnitentium virga corrigatur. Non enim decet, sicut dictum est, regiam moderationem æquo modo tractare subjectos [*et* erectos, *ms. c.*], ne sub specie correptionis subrepat furor crudelitatis, et immoderatus terror dispergat in omnem ventum populum

(*a*) Intelligit decretum, cujus prologus habetur inter has epistolas sub numero 283.

(*b*) Nunc primum editur; habetur etiam in fine antiqui cod. S. Vict. Est autem ejusdem planæ argumenti cum sequente epist. 26; conferatur cum epist. 157, quæ ad Belvacenses scripta est.

(*c*) Ecclesia enim Belvacensis suspensa erat a divino servitio, epist. 264.

hactenus dilectum, a quo potest regia majestas [*al.* regia potestas] præ cæteris urbibus Galliarum honestum habere servitium. Quod si in hoc non acquiescit consilio meo et precibus meis vestra sublimitas, hoc saltem a majestate vestra impetrare satagit humilitas mea, ut consilium vestrum communicetis ecclesiasticis et honestis personis, quæ absque malevolentia et amore ultionis velint et valeant sanum dare vobis consilium, non ad dispergendum et conterendum populum, quod crudelitati ascribatur, et post tempus factum vestrum pœnitentia comitetur. Si qua vero adversus decanum vel clerum vobis est controversia, moneo et consulo, ut unamquamque personam juxta ordinem suum examinari faciatis, et sub judicibus ecclesiasticis causam cujusque terminetis. Ita enim regia majestas in nullo minuetur, et cuique personæ suum jus conservabitur. De divino autem servitio, a qua mater (epist. 266) Belvacensis Ecclesia suspensa est, consilium sanum mihi minime videtur, quia iste rigor alibi minime servandus est, nisi ubi culpa sacrilegii, vel violatæ pacis aliter vindicari non potest (epist. 50). Valete.

EPISTOLA CCLXV.

LUDOVICO, *Dei gratia dulcissimo et serenissimo Francorum regi, temporali domino suo*, Ivo, *eadem gratia Carnotensis Ecclesiæ minister, in eo vivere et regnare per quem reges regnant.*

Suggestum est excellentiæ vestræ quod clerici Carnotensis Ecclesiæ jus præpositorum suorum minuant, et quod longo usu possederunt eis auferant. Unde suadeo serenitati vestræ, ne credatis omni spiritui, maxime sua quærenti, et non quæ sunt Jesu Christi. Non enim minuitur aliquid de jure præpositorum vel aufertur, sed apostolica auctoritate interdicuntur eis illicitæ angariæ (epist. 271), et pauperum vexationes, quas non tantum clericis, sed nec laicis licet exercere vel exigere. Quod cum ex relatione clericorum more ecclesiastico perventum sit ad aures apostolicas, ne illicitæ angariæ amplius in pauperes ecclesiasticos fiant, papa (Paschalis) sub anathematis vinculo prohibuit (epist. 271), et quod prohibuit scripto firmavit. Non potest igitur decretum apostolicum inconsulto apostolico vel a me, vel ab aliqua persona, sine periculo ordinis sui destrui, mutari vel minui. Unde flexis genibus cordis supplico excellentiæ vestræ, ut super admonitione vestra congruas mihi et Ecclesiæ detis inducias, donec transacto fervore canicularium dierum possint legati Carnotensis Ecclesiæ ad sedem apostolicam mitti, et permittente sede apostolica conservata justitia et remota pauperum oppressione, sine periculo Ecclesiæ vestra voluntas adimpleri. Interim autem rogo et moneo regiam majestatem vestram, ut cum Ecclesia pacem habeatis, nec de peccato alieno peccatum vestrum cumuletis. Decet enim regiam majestatem regiam viam tenere, nec cupidorum ambitionibus aures aut linguam inclinare (*a*). Sciatis enim quia **114** de jure præpositorum nihil volo minui, ubi eis justitia et quieta possessio legitime poterit suffragari. Valeat et vivat per longa tempora virtus et gloria vestra.

EPISTOLA CCLXVI.

CONONI, *Dei gratia Prænestino episcopo et sanctæ sedis apostolicæ legato*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, obedientiam et salutem.*

Sicut visito præsentiam vestram per legatum et litteras, sic visitarem propria persona, nisi adhuc detineret me ex longa infirmitate contracta debilitas. In primis itaque suggero simpliciter incedenti vestræ sollicitudini, ut non credatis omni spiritui. Suasit enim Hugo filius Gervasii (epist. 261) propter violatam pacem se esse injuste excommunicatum, et terræ patris sui injuste divinum officium esse interdictum (epist. 264), quia dicit ea die qua vocatus erat ad justitiam, se a domino rege suo fuisse detentum. Quæ excusatio adversus pacem violatam apud nos nullius momenti est, quia rex et princeps hanc licentiam dederunt militibus suis, ut absolutam fidelitatem jurarent paci et justitiis pacis infra septem dies, quibus moniti essent se venturos ad justitiam, nisi eos detineret aut proprii corporis invaletudo, aut propriæ personæ violenta detentio, nec rege excepto nec domino. Unde si prætaxatum Hugonem sine satisfactione absolverem, haberent me parochiani mei sicut ethnicum et publicanum, et ille cujus bona diripuit, usque ad novissimum quadrantem totum quod amisit a me repeteret, et de me et de meis quam gravius posset talionem exigeret. De cætero supplico sanctæ sollicitudini vestræ, ut ad terminandam causam quam tertio Kalendas Septembris inter me et abbatem Majoris Monasterii statuistis (epist. 267 et 268), latus vestrum muniatis prudentibus et religiosis personis, quæ nec falli quærant nec fallere, nec pretio vinci nec precibus. In hoc enim monachi confidunt, quod multis multa et magna promittunt. Ut autem hujus rei noveritis veritatem, breviter vobis aperiam, latius vobis dicturus vel scripturus, si Deus dederit opportunitatem. Hæc enim Ecclesia in municipio quod Curvavilla dicitur sita, a fundatore suo in honore sancti Nicolai canonico ordini fuit deputata, et hæc prædicti fundatoris devotio, episcopali auctoritate, et anathematis severitate roborata. Defuncto autem fundatore successor ejus nomine Jerogius ascivit quosdam monachos cæmentarios, quorum monasterio promisit se daturum prædictam Ecclesiam, si muro munirent prætaxatum municipium. Quod audientes monachi Majoris Monasterii, qui in vicina quadam cella morabantur, nolentes habere alterius monasterii monachos sibi vicinos, inconsulta Carnotensi Ecclesia, cujus juris est prætaxata Ecclesia, non tantum canonicali [amonicali, *ms.c.*] jure, sed etiam parochiali acceptis a Jerogio duabus præbendis, Ecclesiam illam contradicentibus clericis loci illius contra jura regia, et ideo regem seduxerant, ut

(*a*) Quia dicebant hoc privilegium Ecclesiæ, factum ait ep. 271.

invaserunt; nec tamen communionem canonicorum, nisi quorumdam assentatorum habere potuerunt. Unde quidam ex illis religiosus et litteratus nomine Robertus, cum quibusdam aliis domnum Hugonem Diensem episcopum adiit qui tunc erat sedis apostolicæ (papæ Gregorii septimi) legatus (epist. 274), et in auribus ejus privatim et publice clamorem de hac invasione ventilavit; qui acceptis litteris a legato domum rediens, prædictis monachis prædictæ Ecclesiæ invasionem per has litteras interdixit. Illi vero infra præscriptum terminum Ecclesiam dimiserunt, et de cætero per triginta et duos annos aut eo amplius absque synodali reclamatione quietam reliquerunt. Nunc vero cum ordinem canonicum non dissipare, sed in melius in ipsa Ecclesia consensu clericorum studerem promovere, monachi dæmoniaca invidia moti voluerunt in alienam messem falcem mittere, et me episcopali jure privare (*a*). Quod vero dicunt hanc Ecclesiam ab antecessore meo (epist. 1 et 2) eis fuisse concessam; quidquid dicant, Carnotensis Ecclesia cujus ipsa membrum est, ignoravit, et quod ibi invaserunt, illo minime reclamante vel adjuvante, amiserunt. Hæc breviter scripsi, ut ad defendendam veritatem arctius vos accingatis, et clericalis ordinis in quo estis (epist. 36), quantum potestis, ruinas relevetis. Valete.

EPISTOLA CCLXVII.

CONONI, *Dei gratia Prænestino episcopo*, IVO, *eadem gratia Carnotensis Ecclesiæ minister, devotam et debitam legatis apostolicis obedientiam.*

Invitavit me sollicitudo vestra ad agendam causam vel per me vel per vicarios meos de ecclesia Sancti Nicolai adversus monachos Majoris Monasterii, quæ sita est in municipio quod Curvavilla dicitur, quam aliquando contra jura Ecclesiastica occupare præsumpserunt. Sed secundum legum tramitem [can. *Vides*, dit. 11], quod ab eis contra leges præsumptum est, præcipiente legato apostolico domno Hugone Diensi episcopo (*b*) per leges dissolutum est. Hanc igitur causam idcirco tractandam suscepi, quia in propria persona me eam posse tractare putavi. Nunc vero quia adhuc equitare vel vehiculum aliquod sustinere non valeo, supplico sanctitati vestræ, quatenus ita sincere tractari faciatis causam istam, ut propter insufficientiam vicariorum nullum præjudicium patiatur absentia mea, sed potius, si necessarium fuerit, secundum tenorem canonum, congruo loco vel tempore exspectetur præsentia mea. Quidquid enim monachi dicant, si præsens essem, probarem irrefragabiliter nihil monachos illos in prædicta Ecclesia habuisse nisi per invasionem, partim clericis de loco suo expulsis, partim comminationibus territis, partim graviter percussis (epist. 268 et 274), nec firmamenta chartarum habere sive de apostolica manu, sive de episcopali, nisi extorta per subreptionem (*c*). Sic ergo in hac causa sollicitudini vestræ providete, ut cum fama hujus rei longe lateque sonuerit, honor sit Dei et sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Valete.

EPISTOLA CCLXVIII.

Episcopis WALONI *Belvacensi*, GULIELMO *Catalaunensi* [al. VUILELMO *Cataldunensi*], GAUDEFRIDO *Ambianensi*, CLAREBALDO *Silvaneclensi*, IVO *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, spiritu sententiæ et pietatis, et zelo justitiæ abundare.*

Cum secundum decretales paginas et scita canonum omnes controversiæ ecclesiasticæ in locis, in quibus ortæ sunt, primo sint **115** discutiendæ, et nisi appellatum fuerit terminandæ, abbas Majoris Monasterii postposito ordine judiciario (epist. 267 et 274), contempta fraterna charitate, et injustum et inordinatum clamorem de me detulit ad sedem apostolicam, qui nullam feceram ei injuriam, imo judicio Ecclesiæ mihi commissæ, præsente Gualterio [*al.* Gautero] archidiacono et Hugone subdecano (*d*) cum pluribus aliis omnem obtuleram justitiam. Unde in auribus domni cardinalis et vestris et totius hujus conventus hanc primitus expostulo injuriam. Qua de re si dilata vel denegata mihi fuerit justitia, ut res non ad ordinem redigatur, longe lateque clamabo dictis et scriptis, quia ægrotanti et impetum monachorum ferre non valenti, infertur violentia. Hæc enim causa præcepto domni Hugonis Diensis episcopi, quondam sedis apostolicæ legati, in concilio Exolidunensi (epist. 181) me præsente et audiente cum quibusdam aliis Carnotensibus clericis præcisa est. Et ideo si in causa non essemus, cum cæteris episcopis canonice judicaremus quia ulterius repetenda non est. Quod autem dico, honestarum personarum testimonio comprobari potest, quæ clamorem canonicorum Ecclesiæ de qua agitur, in pluribus conciliis audierunt, et judicium de removendis ab Ecclesia monachis certissime cognoverunt. Hujus remotionis testis est etiam tricennalis quieta possessio, in qua toto hoc tempore canonici canonicis in prædicta Ecclesia successerunt, nec recedentes nec accedentes aliquam canonicam calumniam a monachis audierunt. Ego quoque toto hoc tricenario nullum clamorem canonicum apud antecessorem meum (Gaufridum, epist. 266), de cujus concessione confidunt, super hoc factum cognovi, et in viginti quinque annis, quibus in episcopatu, vel apud concilia provinciarum, vel generalia aliquando factam audivi. Quidquid ergo monachi dicant, hæc sicut a me dicuntur, si necesse sit [*al.* si necesse fuerit, *ita p.*, *ita ms. c.*], probabuntur. Quibus possem multa addere, sed ista credo ad defendendam justitiam meam prudentiæ vestræ posse sufficere. Ordo autem rerum gestarum diffusius in litteris cardinali missis continetur, quarum

(*a*) De quorum violentia conqueritur ep. 268, et de calumniosis objectionibus epist. 274.

(*b*) Is fuerat legatus in Galliis sub papa Gregorio septimo ex ep. 274.

(*c*) Sequentia addita sunt ex v. c.

(*d*) Sic v. c.; antea, *subdiacono;* subdecani meminit epist. 54 et 204, ut etiam subdecaniæ epist. 182.

exemplar vestræ sollicitudini transmisi, ut ex eis veritas certius possit agnosci. Valete.

EPISTOLA CCLXIX.

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister*, Bernerio [al. Bernero] *Bonævallensis monasterii abbati et fratribus sibi commissis, abundare visceribus fraternæ dilectionis.*

Quoniam divina gratia fratrem præsentium portitorem prævenit in benedictionibus dulcedinis, ut eundo de virtute in virtutem arduas vias Patrum studeat sequi, et post longam cænobiticæ conversationis experientiam solitariæ quietis dulcedine desideret perfrui, et in solitudine mentis (epist. 219) [et cordis] (ep. 256) Dominum dominorum in Sion contemplari, non vobis fraudandus [esse *ms. c.*] a desiderio suo videtur, sed confovendus et promovendus, ut non frigescat, aut tepescat in eo divini amoris tam pia devotio. Monemus ergo ut in hoc boni fratris proposito nulla mentes nostras titillet invidia, neque ejus tanta promotio fraternæ famæ videatur esse diminutio, tanquam placere et se præferre studeat in oculis hominum, qui in hoc proposito soli contendit placere Patri luminum. Unde etsi non est datum omnibus imitari, nolite tamen adversari, neque exstinguere in eo spiritum ardentem et lucentem, et talia desideria suggerentem. Vale.

EPISTOLA CCLXX.

Turgedo, *Dei gratia Abricensium* [al., *Ambricensium;* al. *Abrincensium*] *episcopo*, Ivo, *eadem gratia humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, Paracleti consolatione refoveri.*

Quoniam cum patitur unum membrum debent compati omnia membra, auditis tribulationum vestrarum angustiis, compassus sum et condolui. Certum tamen vobis consilium dare non audeo, quod sine offensione alicujus potestatis vos sequi posse non video. Cogit enim vos ex una parte legatio apostolicæ sedis, ut præceptis ejus obediatis; urget vos ex altera regia potestas, ut resistatis. Cum igitur sibi invicem adversentur præcepta apostolica et regalia, sanum consilium nemo vobis dare potest aliud quam quod Susanna dictante Spiritu sancto sibi dedit: *Melius est mihi incidere in manu hominum quam derelinquere legem Dei mei* (*Dan* XIII), videlicet, ut aut apostolicæ sedis in legatis suis plenarie obediatis, aut principaliter ad sedem apostolicam vicarios vestros mittatis, qui ibi pro vobis satisfacient, et gratiam sedis apostolicæ vobis restituant. Alioquin anathematis vinculum rumpere potestis, solvere [*al.*, solvere autem; *ita ms. c.*] non potestis. In his omnibus ambiguitatibus det vobis Dominus Spiritum consilii et fortitudinis, ut et sana sapiatis, et eadem fortiter impleatis. Valete.

EPISTOLA CCLXXI.

Paschali, *Dei gratia summo pontifici* [*Patri et domino suo* (a)]. Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, integram et devotam pro viribus obedientiam.*

Gratias referimus summæ (*b*) paternitati vestræ, quod per præsentium latorem perspectis litteris nostris, confirmastis optatum privilegium communi clero Carnotensis Ecclesiæ contra rapacitatem præpositorum (epist. 265), ad compescendam oppressionem ecclesiasticorum pauperum (l. II, c. *De episc. et cler.*). Adversus quod duo ex præpositis, quos præsentium lator celsitudini vestræ nominabit, pertinaciter se erexerunt, et regiæ potestati ad diminutionem sui regni hoc privilegium factum esse suggesserunt (*c*), et ita in apostolicam sedem, si animadvertere velit, ad perpetuam infamiam suam graviter deliquerunt. Unde pro ipso clero et cum ipso clero flexis genibus cordis supplico excellentiæ vestræ, quatenus repetitis scriptis decretum vestrum corroboretis, et qua pœna feriendi sint præsentialiter isti apostolici decreti contemptores, manifeste et sine ambigutate verborum, Ecclesiæ Carnotensi cum terribili gladio ex utraque parte inobedientiam feriente dirigatis. Isti enim ad hoc regem (Ludovicum, epist. 565) seduxerunt quomodo voluerunt et valuerunt, ut minaces litteras adversus clerum mihi mitteret continentes cum minis quod bona clericorum sibi accepturus sit ubicunque poterit, nisi privilegium vestrum destruatur, et rapacitas præpositorum in pace concedatur. Has itaque litteras excellentiæ vestræ misi, quibus visis, in suggestores eorum severam **116** sententiam dicetis, quatenus infamiæ semper subjaceant, nisi ii qui hac occasione res suas amiserint, eas ex integro recipiant. Ita enim et oppressionem pauperum relevabitis, et cæteros a simili prævaricatione compescetis. De precariis vero (can. 4, 5 et 6; caus. 10, q. 2), quas jam bis in Carnotensi Ecclesia vetuistis, similiter obnixe precamur, ut nunquam mutetur vestra sententia, sed magis confirmetur; quia quando personaliter accipiebantur, oriebantur inde illicita emptio et venditio inter accipientes, et non accipientes, et fœda contentio, iræ, rixæ æmulationes, inimicitiæ, et multa illicita, quæ radicitus evellenda esse ab Ecclesia sancire debet vestra excellentia. De cætero et ego et clerus celsitudini vestræ supplicamus de hoc præsentium latore, ut si quid adversitatis ipsi causa hujus negotii contigerit, apostolicam manum et vindicem et adjutricem sentiat. Nam cum ante hoc negotium in pace esset, nunc et a rege et a comite Carnotensi sub obtentu aliarum occasionum minis

(*a*) Inclusa desunt in nonnullis, v. c.; sunt ms. c.
(*b*) *Summæ* deest in ms. c.

(*c*) Præpositorum rapina velata nomine juris regii: quibus ne aures inclinet, monet regem epist. 265.

atque odiis circum venitur, nec tamen et se et sua pro Ecclesia et pro pauperibus devote et misericorditer impendere desistit. Deprecamur etiam, si quid de hoc negotio postulaverit quod præsenti paginula non contineantur, ut ipsum tanquam nos in hac re audiatis. Vale.

EPISTOLA CCLXXII.

REGINALDO [RAGINALDO, ms. c.], *Dei gratia Andegavensi* [*Andegavensium*, ms. c.] *episcopo*, Ivo, *eadem gratia Carnotensis Ecclesiæ minister, sic gregem sibi regere creditum, ut non tristis neque gemens cogatur æterno Judici pro eo rationem reddere.*

Cum nobis sacerdotibus ad hoc Dominici ovilis cura commissa sit ut oves nobis commissas per pascua vitæ ducere studeamus, non oportet ut ovem errantem ita ab unitate gregis irrevocabiliter separemus (epist. 279), quatenus eam devorandam luporum faucibus exponamus. Exigit enim cura nobis commissa ut potius ovem errantem per devia sequamur, et cum sacrificatione et cruentatione(*a*) laterum, si necesse sit, per dumeta et spineta nos coarctemus, ut eam ovili suo restituere valeamus. Quæ verba dilectioni vestræ prælibavimus, quia pro quadam parochiana vestra, nomine Mathilde, rogare sollicitudinem vestram ab domno Gaufrido dilecto nobis, cujus consanguinea est, rogati sumus, quatenus errores et lapsus ejus ita misericorditer et discrete attendatis, ut postposita omni simultate, deleto omni rancore, consilium vitæ quærentem non abjiciatis, sed exemplo summi Pastoris, qui peccatricem lacrymantem suscepit (*Luc.* VII), vulnera ejus sanare, et ad viam salutis et honestatis eam reducere studeatis. Cum enim vita Domini Jesu disciplina morum fuerit super terram (epist. 279), tunc recte per vias vitæ incedimus, cum ea vitamus quæ eum vitasse cognoscimus, vel ea facimus [*al.* imitamur] quæ eum fecisse didicimus. Plura diceremus, sed prudentiam vestram multiloquii fastidio onerare formidamus.

EPISTOLA CCLXXII.

CONONI, *Dei gratia Prænestino episcopo, sanctæ sedis apostolicæ legato*, Ivo, *humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, salutem et obedientiam.*

Novit vestra sollicitudo, quia vaccæ quæ arcam portabant, relictis fetibus domi Bethsamis ibant et [tamen, *ms. c.*] cum pro fetibus mugientes retro aspiciebant, non [nec *ms. c.*] tamen a via exorbitabant (*I Reg.* VI). Quod attendere debet sollicitudo vestra, quia licet ab obedientia sedis apostolicæ nulla ratione dissentire velimus, tamen aliquando fraternæ compassionis affectu, pro fratribus in tribulatione positis, sedem apostolicam, vel vicarios ejus compellare compellimur, ut moderato rigore justitiæ amicis et familiaribus nostris aliquod consolationis remedium impetremus. Unde pro Bajocensi episcopo justis de causis nobis amicissimo sollicitum vestræ supplicamus (epist. 270), quatenus excommunicationem in episcopos Northmanniæ intentatam ita in eo temperetis, pro amore Dei et nostro, et cæterorum pro eo supplicantium, ut si episcopale officium ei concedere non potestis, saltem introitum ecclesiæ ad tempus non negetis. Sub alieno enim jure tanquam sub torculari positus(*b*) dolet et gemit se nihil plus posse quam permittitur. Unde iterum et iterum supplicamus, ut apud vos pro eo nostra valeat intercessio, quam a nobis non extorquet nisi sola fraternæ charitatis affectio. Valete.

EPISTOLA CCLXXIV.

PASCHALI *summo pontifici*, Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, cum plena obedientia plena salutis gaudia.*

Causæ, quam inter me et abbatem Majoris-Monasterii coram Prænestino episcopo sedis apostolicæ legato fieri præcepistis (epist. 267 et 268), præpediente corporis infirmitate interesse non potui, responsales tamen meos et litteras meas calumniosis monachorum (*c*) objectionibus obviantes eidem legato vestro et episcopis, quos ad hanc causam tractandam convocaverat. transmisi. Quarum litterarum veritatem cum monachi nullo judiciario ordine infirmare valuissent, nondum aliquo judicio prægravati, vel aliqua in eos data sententia, non confidentia justitiæ, sed causa afferendæ moræ, [absentem et ægrotantem me ad apostolicam sedem invitaverunt (epist. 219), cum ego per responsales meos obstringere me vellem ad ea infirmanda quæ mihi objecerant, et ea judiciario ordine comprobanda, quæ litteris meis injustis eorum objectionibus responderam, si infirmitati meæ indulgeretur locus opportunus et tempus opportunum. Ut autem summam veritatis breviter concludam, noverit vestra sanctitas [sancta paternitas, *ms. cod.*], quia nullam investituram illius Ecclesiæ de qua controversia est, nec in toto, nec in parte habuerint, nisi per invasionem aut subreptionem. Quæ invasio cum ad aures domini Hugoni Diensis episcopi delata fuisset, qui tunc temporis legatus erat papæ Gregorii (septimi, *Regist.* lib. IX, epist. 15 et seq.), missis litteris prædictam Ecclesiam a monachorum invasione liberavit, et canonicis ibidem servientibus apostolica auctoritate quietam reliquit. Ab eo ergo tempore eadem Ecclesia nullam inquietudinem, nullum clamorem legitimum, vel in capitulo Carnotensi, vel in synodo provinciali, vel in consilio generali sustinuit, sed sub suo episcopo clericis vicissim [*al.* viritim] sibi succedentibus per triginta aut eo amplius annos in clericali ordine militavit. Nunc vero cum vellem eorumdem clericorum vitam vel [et] ordinem ad meliorem statum erigere, monachi adversus me surrexerunt, et propositum

(*a*) Sic ex duobus v. c.; male antea, *cum sacrificatione et clarificatione*, seu etiam *confricatione.*

(*b*) Regis scilicet; nam in tribus vett. codd. hæc ep. habet argumentum sequens : *De episcopo qui dolebat et gemebat se nihil plus posse quam a rege permittebatur.*

(*c*) Horum invidiam *dæmoniacam* vocat epist. 366.

117 meum injustis calumnis [*ita v. c., antea* meum multis cal.] impedierunt. Et cum eis nullam justitiam denegassem, præpostero saltu et postposito ordine judiciario ad aures apostolicas injuriosam calumniam detulerunt. Flexis igitur genibus cordis supplico sanctitati vestræ, ut hanc injuriam meam vestram reputetis, et intra provinciam nostram sub judicibus a paternitate vestra ordinatis causam hanc in loco vicino, in quo possim meam exhibere præsentiam, et tractari terminari jubeatis, aut monachos cognito ordine rerum ab injusta calumnia cessare faciatis. Misi itaque paternitati vestræ litteras quas scripsi legato vestro [Cononi, ex epist. 267], et episcopis quos ad hanc causam idem legatus convocaverat, un in eis veritatem quam probare paratus eram in loco opportuno liquide cognoscatis, et ita propulsandæ injustitiæ, et defendendæ justitiæ melius providere valeatis. Quæcunque enim de hac causa ibidem continentur, paratus sum canonice probare, si imbecilitati meæ indulgebatur locus opportunus et tempus opportunum. Consulat igitur beatitudo vestra famæ suæ, ut nullum præjudicium apud vos fieri permittat senectuti et imbecillitati meæ, vel demenbrationem Ecclesiæ mihi commissæ. De cætero obsecro per viscera paternæ misericordiæ, ut si aliquis clericorum Carnotensium aliqua subreptione a vobis impetrare voluerit ut ei geminetur honor ecclesiasticus, non acquiescatis ne prævaricationi imputetur, et perniciosa consuetudo, quæ abolita fuerat redintegretur. Sub eisdem precibus commendo paternitati vestræ Ecclesiam Beati Joannis Baptistæ, et ejusdem Ecclesia abbatem præsentium portitorem, ut quod pro necessitate pusilli gregis sibi commissi postulaverit obtineat, unde religio loci sibi commissi crescat et vigeat. Valete.

EPISTOLA CCLXXV.

CONONI, *Dei gratia Prænestino episcopo, sedis apostolicæ legato*, Ivo, *eadem gratia Carnotensis Ecclesiæ minister, salutem et obedientiam.*

Nuper accepi litteras vestras, continentes excommunicationem eorum qui Nivernensem comitem ceperunt, vel captioni ejus interfuerunt, vel de spoliis ejus aliquam partem acceperunt, vel auxilium in hoc dederunt excepta sola persona Theobaldi [*al.* Tebaldi] comitis, cui inducias usque ad octavas Omnium Sanctorum donastis. Et tamen, nisi interim comitem Nivernensem reddat, ex tunc eum eidem excommunicationi subjecistis. Has itaque litteras Theobaldo [*al.* Tebaldo] comiti legi et exponi feci, ut audito rigore ecclesiastico forte apud se cogitaret, vel Deus ei inspiraret, ut prædictum comitem reddat, et terræ turbatæ, et gravius turbandæ, pacem restituat. Quibus auditis et intellectis miratus est valde quod rex apud judices ecclesiasticos clamorem de eo fecerit (*a*), qui nullam ei, cum dominus ejus sit, justitiam denegaverit. Offert itaque se ad omnem justitiam ante judices pacis eo ordine quo rerum gestarum ordo postulaverit, in omni loco ad quem securus suas possit, et in quo securus suas (*sic*) possit exercere [*al.* exerere] actiones, et probare. exacturus tamen prius injuriam sibi factam, quod præpropere et inordinate milites sui excommunicati sint, qui vel nihil inpactum pacis deliquerunt, vel nullam inde justitiam denegaverunt. Auditis itaque ejus responsionibus consilium mihi fuit ut reverendas personas religioni vestræ transmitterem, qui verba comitis et hac et alia vobis referrent, ut de his cum domino rege tractetis, et inter eum et comitem pacem componere studeatis. Ita enim comes verbis defendit suam innocentiam, et regis et comitis Nivernensis exagerat injuriam, ut justam causam habere videatur, nisi judiciaro ordine et invicibili ratione convincatur. Sciat autem vestra prudentia quia in propria persona me his actionibus præsentassem, si imbecillitas corporis me permitteret equitare, et laborem itineris sustinere. Communicato itaque consilio cum episcopis et judicibus pacis, ita hanc controversiam sedare studete, ut qui ex adverso stat non habeat quod reprehendat et pax Ecclesiarum et quies pauperum in sua stabilitate permaneant Dicit enim comes quod libenter reddet aut recredet comitem Nivernensem, si, auditis ejus rationibus, judices pacis in hoc consenserint, et, dictante justitia, judicaverint. Valete.

EPISTOLA CCLXXVI.

PASCHALI *summo pontifici, Patri et domino suo*, Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, debitum et devotum obedientiæ famulatum.*

Quoniam sedes apostolica omnium pie pulsantium necessitatibus occurrit, ab omnibus filiis suis tribulationem patientibus tanquam ad materna viscera consolationis concurritur, ut ab ea lac parvulis solidus cibus adultis, pro cujusque necessitate ministretur. Unde Eboracensis Ecclesia in partibus occidentis posita, diu pastore desolata, tam per filios quam per familiares suos ad aures matris suæ pie pulsat, ut in tribulatione posita maternæ misericordiæ vicera inveniat. Elegit enim prætaxata Ecclesia venerabilem virum, nomine Tustinum [*fort.* Turstinum, *vel* Turstanum] in achiepiscopum : qui, quantum ad personam pertinet, continentis est vitæ et honestæ famæ, et utilis, quantum humana conscientia de alterius vita potest indicare, sanctæ Dei Ecclesiæ. Hujus consecratio studiose dilata est, propter indebitam consuetudinem, et contra ejusdem Ecclesiæ privilegia, quæ exigit ab eo Cantuariensis Ecclesia. Sed, quia paternæ discretionis est Ecclesiarum contentiones sedare, et pacem inter eas reformare; quamvis ex abundanti facere videamur, paternitati vestræ tamen supplicamus, ut prædictæ Ecclesiæ jus suum defendentis, et manentibus in sua stabilitate apostolicis privilegiis electum ejusdem

(*a*) Pacis violatores excomunicari solebant, ut epist. 61.

Ecclesiæ, in ea dignitaie ad quam vocatus est, prout A dignus est paternæ confirmetis. Valete.

EPISTOLA CCLXXVII.

Ivo, *humilis Carnotensis Ecclesiæ minister*, ALDEBERTO (a) *Cenomanensis Ecclesiæ electo, sinceræ dilectionis munus.*

Quoniam, secundum verba Sapientiæ *meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula blandientis* (*Prov.* XXVII) moneo fraternitatem tuam, ut verba mea non graviter accipias, **118** licet aliquantulum caustica et mordacia, quoniam intendunt correptioni non criminationi, purgationi, non invectioni [*al.* non impugnationi]. Placet equidem mihi temporalis tua provectio, si non sit ab æternitate dejectio, si non illud Psalmistæ in te impleatur: *Dejecisti eos, dum allevarentur* (*Psal.* LXXII). B Audivi enim de te, quæ mihi sunt dolori et horrori. Quæ si vera sunt, non poteris populo præbere regimen, sed augere discrimen. Dicunt enim quidam de majoribus Cenomannensis Ecclesiæ, qui anteactam vitam tuam se nosse testantur, quod ultra modum laxaveris frena pudicitiæ, in tantum ut post acceptum archidiaconum accubante lateribus tuis plebe muliercularum, multam genueris plebem puerorum et puellarum. Tu autem nosti, quod probatæ debeat esse castitatis, qui sublimatur ad fastigium curæ pastoralis. Alioquin post sacrum ordinem lapsus non solum non debet ad majorem gradum conscendere, sed nec in eo in quo lapsus est ordine ministrare. Unde beatus Gregorius scribit Januario episcopo Caralitano (*c.* Pervenit *dist.* 50): « Qui post C acceptum sacrum ordinem in peccato carnis lapsus fuerit sacro ordine ita careat ut ad ministerium altaris ulterius non accedat.» Nosti etiam quod qui in officium pastoris assumitur (*b*) pro peccatis populorum Dei supplicaturus, Dei et hominum mediator efficitur. Dicit autem beatus Gregorius in Moralibus: « In gravibus peccatis quis positus, dum suis premitur, aliena non diluit.» Idem in pastorali: « Cunctis liquet quia, cum is qui displicet, ad intercedendum mittitur, procul dubio irati animus ad deteriora provocatur. » Addunt quoque huic calumniæ prætaxatæ personæ, quod nec earum consilio fueris electus, nec consensu. Quæ omnia si ita sunt, periculosa tibi sunt, dilectissime frater, et infinitum laborem, quantum æstimo, paritura. Unde consule D tibi secundum testimonium conscientiæ tuæ, ut vel honeste et caute cœpta perficias, vel saluti tuæ consulens sponte ipse deficias (*c*). Jucudus enim debet esse defectus, in quo salutis speratur effectus. Vale, et de me quantum de amico per omnia justa et honesta confide.

EPISTOLA CCLXXVIII.

ROBERTO, *Dei gratia Lincholiensis Ecclesiæ episcopo*, Ivo, *eadem gratia Ecclesiæ Carnotensis minister, assumptis pennis columbæ in extremis maris habitare.*

Quanto de remotiori provincia vicinior fuit vestræ munificientiæ parvitatis nostræ memoria, tanto amplior a nobis eidem dilectioni referenda est gratia, quæ memoriam humilitatis nostræ nullo merito nostro præcedente pura mente concepit, aut operis exhibitione probavit. Unde, si qua nobis divinitus collata est gratia, quæ utilis esse possit aut vobis aut vestris, quod voce promit affectus Deo donante in rei exhibitione probabit effectus. Si ergo aliquod servitium nostrum placet benevolentiæ vestræ, per alumnos vestros apud nos morantes, quos tam pro sua honestate quam pro vestra charitate diligimus, nobis scribite, ut illis mediantibus voluntati vestræ pro viribus satisfaciamus, et charitatis vestræ affectum circa nos arctius astringamus. Interim autem mutuas orationum manus nobis invicem porrigamus, quatenus emenso procelloso hujus vitæ salo, in tuto æternitatis portu sedem collocare mereamur. Valete.

EPISTOLA CCLXXIX.

LISIARDO, *Dei gratia Suessionensi epicopo*, Ivo, *eadem gratia humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, discretionis et misericordiæ visceribus abundare.*

Præsentium portitor litterarum ad nos veniens vulnus sum tanquam medico detexit, sed medicinæ remedium tanquam per nos minime curandus non accepit. Dedimus tamen ei consilium, qualis ei utilis esset medicina, et a quo sulubriter expetenda. Objecit itaque verbis meis se hoc totum fecisse, et a paternitate vestra secundum regularem disciplinam se modum pœnitentiæ expetisse; sed impiedente quorumdam simultate se invenisse non remedium curationis sed severitatem sectionis. Unde supplico dilectioni vestræ, quatenus aut eum in Ecclesia cum regularis disciplinæ satisfactione recipi jubeatis, aut ei in alia regulari Ecclesia Deo militandi licentiam impetretis. Non enim conveniens est ut ovis ab ovili suo expulsa luporum faucibus exponatur (epist. 272), et nimia severitate afflicta, abundantiori tristitia absorbetur. Recogitandus est nobis ille bonus pastor qui, cum maleciditur, non maledicebat; cum percuteretur, non comminabatur, sed patientiam sum proponebat nobis in exemplum, cujus vita nobis proposita est ad eruditionem morum (epist. 272). Ad cujus ovile minime pertinebit, qui formæ vitæ ejus imprimi contempserit. Quod si tanquam ovem morbidam eum abjiciendum judicatis, quæ totam gregem contaminet, diligenter examinanda est vobis vita ejus et conversatio ne viventem mortificetis, aut mortuum vivere æstimetis (*Ezech.* XIII). Sed quia non est meum aut Minervæ sapientiam instuere, aut Mercurii facundiam exornare, summa est petitionis meæ, quatenus sic ex misericordia

(*a*) Ita habent duo antiqui codices, non *Hildeberto*, ita ms. 6.

(*b*) In similem sententiam præclare Pet. Bles. epist. 15, ad comitem electum in episc. Carnot.

(*c*) Idem consulit Rogerio epist. 29.

judicium temperetis, ut nec judicium conterat, nec misericordia insolentiam pariat.

EPISTOLA CCLXXX.

LISIARDO, *Dei gratia Suessionensium episcopo*, Ivo, *eadem gratia humilis Carnotensis Ecclesiæ minister, super oves sibi commissas pastorali vigilare custodia.*

Archidiaconus vester filius domni Nivelonis Petrofungensis ad nos veniens cum quibusdam honestis fratribus diligenter consuluit parvitatem nostram, qualiter consultis legibus liberare posset sororem suam de infamia quam ei odiose objicit Suessionensis comes maritus suus. Quibus auditis visum est mihi quod non eam judiciario ordine pulsat, nec ad legitimam purgationem provocat. Dicunt enim instituta legum Novellarum (JUSTINIANUS, Novel. 117. *Ut liceat matri et aviæ*, cap. 15), quas commendat et servat Romana Ecclesia, non prius ad pœnam tradendum vel esse convictum, quem maritus suspectum habet, quod velit illudere pudori uxoris suæ, nisi per tres idoneos testes eum ter contestatus fuerit, ut nullum familiare colloquium habeat cum uxore sua in domo sua vel aliena. Quod postquam factum fuerit, si eos de cætero cum tribus **119** idoneis testibus colloquentes in privato loco invenerit, tunc primum potest eos vel ad judicium provocare, vel pœnam debitam inferre. Alioquin de conjecturis aliquem reum fieri, nec leges mundanæ concedunt nec divinæ, et bene novit prudentia vestra quia inoffensus debet esse affectus accusatorum et testium, ut nihil per simultatem fiat, nec ipse accusator inde reprehensibilis sit unde alium accusat. Quod vero comes eam ad examinationem ferri candentis provocat (ep. 252), quia hoc eam sponte obtulisse testatur, vel ad monomachiam, leges ecclesiasticæ potius hoc prohibent quam jubent. Unde Stephanus Luitberto episcopo Mogontino : « Ferri candentis vel aquæ ferventis examinatione confessionem extorqueri a quolibet, sacri non censent canones ; et quod sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinventione non est præsumendum Spontanea enim confessione vel testium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, commissa sunt regimini judicare; occulta vero et incognita, illius sunt judicio reservanda, qui solus novit corda filiorum hominum. » Inde etiam dicit Nicolaus I papa (ep. 50 ad Car. reg., tom. III Epist. sum. pontif.) : « Monomachiam vero in lege non assumimus, quam præceptam fuisse non reperimus, quam licet quosdam inisse legamus, sicut sanctum David et Goliam sacra prodit Historia, nusquam tamen ut pro lege teneatur alicubi divina sanxit auctoritas, cum hoc et hujusmodi sectantes Deum solummodo tentare videntur.» His et hujusmodi sententiis liquet quia prædictus comes non potest uxorem suam nisi legitimo testium numero de adulterio convincere, præsertim cui nec charitatem conjugii exhibuit, vel vix debitum conjugii reddidit. Possem multa in hunc modum rescribere, sed, quia scienti legem scribo, puto ista sufficere. Vale.

EPISTOLA CCLXXXI.

ANSELO, *Dei gratia Belvacensi episcopo*, Ivo, *humilis Carnotensium episcopus, salutem.*

Audivimus quia canonici S. Petri Belvacensis inferunt calumniam canonicis B. Quintini, qui illam terram absque omni contradictione possederunt tempore domni Widonis episcopi prædecessoris vestri, et subsequentium episcoporum usque ad tempora vestra. Sciatis quod, si certum et conveniens tempus prescriptum fuerit, in quo vobis in capitulo vestro possim me præsentare, paratus sum alicui vice mea facto, probare quod ego interfui capitulo canonicorum vestrorum, et vidi et audivi quia ipsi concesserunt canonicis supradictæ Ecclesiæ terram, de qua locutus sum, perpetuo jure quiete possidendam, nullo contradicente. Videte ergo ne temporibus vestris Ecclesia paupercula possessionibus suis minuatur, non faciente justitiam ad quem ecclesiasticarum rerum gubernatio pervenit Dei providentia, ne nos et alii ejusdem Ecclesiæ amatores cogamur illas sibi injurias ad majorem audientiam deferre. Valete.

EPISTOLA CCLXXXII (*a*).

Ivo *Ecclesiæ Carnotensis minister* (*b*).

Cum ea quæ xenodochiis, ptocotrophiis vel aliis religiosis domibus devotio fidelium (*c*) pro redemptione animarum suarum dare consuevit, ad sustentationem eorum qui ibi (epist. 183 commorantur, non jam in humanis rebus computanda sunt, quia Dei sunt, oportet rectores Ecclesiarum ut ea tanquam divina patrimonia in defensionem Ecclesiæ suscipiant, et exerto gladio spiritus pervasores eorum et distractores tanquam Dei contemptores canonica severitate ferire non differant. Quod ego Ivo Ecclesiæ Carnotensis minister pio affectu considerans, omnia quæ Ptocotrophio [*al.* procot.] quod situm est in Castroduno [*duo v. c.* Castrodumo.] prope ecclesiam Beatæ Mariæ Magdalenæ a fidelibus collata sunt, vel in futurum Deo donante conferenda sunt, in tuitionem sanctæ Carnotensis ecclesiæ et nostram paterne suscipimus, et pervasores eorum atque distractores ante tribunal æterni Judicis terribiliter condemnandos esse denuntiamus, et in hac temporali Ecclesia, sine cujus communione ad illam æternam perveniri non potest, eos a corpore et sanguine Domini et ejusdem Ecclesiæ communione sequestramus, donec resipuerint, et Christi patrimonium reformare humili satisfactione studuerint. Conservantibus autem et idem Christi patrimonium amplificantibus bene-

(*a*) Hæc epistola est absque inscriptione in ms. c. in quo est 213.

(*b*) Sic conceptus titulus in vett. codd., sed non est proprie epistolæ, ut nec quatuor quæ sequuntur. Ideo in calcem libri rejectæ.

(*c*) Horum mentio in l. 19 et 20, *De sacros. eccles.* C. antea, *procot.*

dictio et pax a Domino Jesu Christo, qui, cum dives esset pro nobis pauper et infirmus factus est, ut nos ditaret sua paupertate, et sanaret sua infirmitate.

EPISTOLA CCLXXXIII.

Ivo, *Dei gratia humilis Eccesiæ Carnotensis minister* (a)

Cum de ea quæ religiosis locis devotio fidelium pro redemptione animarum suarum dare consuevit, ad sustentationem eorum qui ibi commorantur, non jam in humanis rebus computanda sunt, quia Dei sunt, oportet rectores Ecclesiarum, ut ea tanquam divina patrimonia in defensionem Ecclesiæ suscipiant, et exerto gladio spiritus pervasores eorum et distractores tanquam Dei contemptores, canonica severitate ferire non differant. Quod ego Ivo Carnotensis Ecclesiæ humilis minister pio affectu considerans, præsentis scripturæ monumento notum facio omnibus orthodoxis Ecclesiæ filiis, tam præsentibus quam futuris, quod Rotrocus nobilis et strenuus Mauritaniæ comes humilitatis nostræ præsentiam adierit, postulans ut consecraremus cujusdam cœnobii cœmeterium, quod situm est super fluvium qui Tiron vocatur, ad usum quorumdam religiosorum monachorum, qui in eodem loco eremiticam vitam ducere elegerant, et monasterium ibi pro loci et temporis opportunitate construxerant. Nos itaque tanti viri piæ petitioni assensum præbentes, prætaxatum locum in usum cœmeterii, ea duntaxat conditione consecravimus, ut nulla ibi de cætero sæcularis potestas aliquas sæculares consuetudines accipiat, nullas exactiones extorqueat. Cui conditioni prætaxatus comes benigne assentiens, rem cumulatius quam peteretur, exhibuit, prædictæ libertati addens, ut quidquid de feudo ejus eidem loco concederetur, eadem immunitate potiretur. Nos igitur ad conservandam tranquillitatem servorum Dei, prædictum locum cum appendiciis ejus ad petitionem prædicti comitis in tuitionem sanctæ **120** Carnotensis Ecclesiæ et nostram paterne suscipimus, et pervasores eorum atque distractores ante tribunal æterni Judicis terribiliter condemnandos esse denuntiamus, et in hac temporali Ecclesia, sine cujus communione ad illam æternam perveniri non potest, eos a corpore et sanguine Christi et ejusdem Ecclesiæ communione sequestramus, donec resipuerint, et Christi patrimonium reformare humili satisfactione studuerint. Conservantibus autem et idem Christi patrimonium amplificantibus benedictio et pax a Domino Jesu Christo, qui, cum dives esset, pro nobis pauper et infirmus factus est (*II Cor.* VIII), ut nos ditaret sua paupertate, et sanaret sua infirmitate.

EPISTOLA CCLXXXIV (*b*).

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister.*

Quoniam dispositiones rerum ecclesiasticarum episcopali curæ faciendas decretorum et canonum paginæ concedunt, oportet ipsos episcopos vigilanter attendere, ut qualiscunque disceptatio sit inter homines ut fidelis quis inveniatur, ipsi sibi bene conscii pio affectu et sincero intuitu disponant quæ disponenda sunt; illis præcipue manum extendentes, qui renuntiaverunt mundi actibus, et nudam Christi crucem nudi secuti sunt. Si enim, ut dicit regula Patrum, « exigente charitate episcopus servus est plebis, non dominus, » multo magis oportet ut eorum quibus mundus crucifixus est, minister sit et servus. Quod ego Ivo, humilis Carnotensis Ecclesiæ minister attendens, notum facio cunctis Ecclesiæ fidelibus, tam futuris quam præsentibus, quod vir religiosus Bernerius Bonævallensis monasterii abbas (epist. 226 et 269) humilitatem nostram adierit supplicans, mediante Gauslino ejusdem locis archidiacono, ut ecclesiam Beati Petri, in Castrodunensi sitam, quam per pecunias a manu laici occupaverant quidam clerici incircumcisi, Bonævallensi monasterio concederemus. Cujus petitioni, quia saluti animarum convenire mihi visa est assensum præbens, præsente et concedente ipso laico Odone nomine, qui eam hactenus occupaverat, prætaxatam ecclesiam Bonævallensi monasterio concessimus eo tenore, ut clerici præbendas suas in vita habeant, si caste vixerint, et in ipsa ecclesia, sicut decet, Deo servierint. Post obitum vero eorum usibus suis monachi eas retineant, illis profuturas qui in eadem ecclesia sub monastica religione Deo servierint. Si autem prædicti clerici criminaliter deliquerint, aut ecclesiæ servire noluerint, episcopali judicio ab ecclesia eliminentur, et præbendæ usibus monachorum mancipentur. Adjecimus etiam ut quidquid hactenus de casamento Carnotensis Ecclesiæ concessione possidentium et præsidentium per annum et diem quiete possederint, de cætero nostra concessione quiete possideant, salvo legum tramite et salvo in omnibus jure Carnotensis Ecclesiæ. Confirmamus etiam eis capellam Sancti Innocentii [*un. v. c.* Vincentii] quæ Carnoti sita est juxta portam Cinerosam, quam dedit ei Hugo vicecomes.

EPISTOLA CCLXXXV (*c*).

Ivo, *Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ minister.*

Quoniam dignum est commendari scripturæ quæ posterorum sunt transmittenda cognitioni et memoriæ, ego Ivo, gratia Dei Carnotensis Ecclesiæ, licet indignus, episcopus, cum consensu et astipulatione fratris nostri Odonis archidiaconi, præcepi in hac describi paginula quod de ecclesia Sancti Nigasii, apud Mellentinum sita, in perpetua haberi volo notitia. Erat autem hæc ecclesia Sancti Nigasii a sæcularibus clericis per manum laici, comitis videlicet Melletensis intrantibus inhabitata et possessa, donec placuit domino Roberto comiti Melletensi cum beneplacito clericorum in prædicta ecclesia intitulatorum, ipsam ecclesiam in meliores usus commu-

(*a*) In ms. c. nullus est titulus, sed in margine habetur : *Privilegium Turonensis abbatis* et est inter epist. 230. Confer epist. 282.

(*b*) Ex tribus veteribus codicibus nunc primum editur.

(*c*) Ex veteribus schedi nunc primum editur.

tare, et ut ibi Deo regulariter serviretur elaborare. Tradidit itaque ipse comes Robertus cum consensu et beneplacito prædictorum clericorum illam ecclesiam Sanctæ Mariæ Beccensis monasterii,ut ab ipso monasterio,secundum quod opportunum sit,monachi in prædicta ecclesia Sancti Nigasii ordinentur, Deoque regulariter famulentur ; hanc autem traditionem a præfato Roberto comite factam,frater Guillelmus Beccensis abbas cum quibusdam sui monasterii fratribus ad præsentiam nostram detulerunt humiliter deprecantes ut noster assensus prædictam donationem corroboraret. Et quia digna videbatur eorum postulatio, salvo jure et reverentia Carnotensis Ecclesiæ, illis sæpedictam Sancti Nigasii ecclesiam concessimus,ut ibi monachos ordinent qui Deo regulariter serviant,et per librum (*a*) ipsam ecclesiam fratri Guillelmo Beccensi abbati dedimus, præsente et assensum dante fratre nostro Odone archiacono, præsentibus quoque Hilduino cantore, Ansello cancellario,Ernoldo archidiacono,Guaslino præposito, Geraldo capellano.

EPISTOLA CCLXXXVII

Non est epistola sed instrumentum fundationis monasterii S. Joannis in valle Carnotensi. Vide infra inter diplomata Ivonis.)

121 EPISTOLA CCLXXXVII.

Ivo, *minimus Belvacensis Beati Quintini presbyter*, Haimerico *bonæ spei fratri, quod pie pulsat sibi patenter aperiri.*

Litteras fraternitatis tuæ nuper accepi ; neque enim domi eram quando ad Ecclesiam nostram perlatæ sunt,Lugdunum profectus occasione cujusdam ecclesiastici negotii. Quærit autem in litteris illis fraternitas tua utrum Dominus noster Jesus Christus in cœna quam fecit cum discipulis ante passionem suam dederit eis corpus suum passibile, cum nos illud de mensa altaris accipiamus impassibile. Ad quam quæstionem si tibi respondeatur, discipulos Christi corpus tale accepisse quale tunc erat, nos vero tale accipere quale nunc est, non video quæ auctoritas contradicat, non video quæ rationis violentia me urgeat : imo,si aliter dicerem repugnantem mihi viderem rationem et auctoritatem. Nam corpus illud quod tunc discipulis suis Dominus commendabat, adhuc fuisse passurum, nemo est qui abnuat ; sicut tu ex auctoritate Dominica in litteris tuis posuisti : « Hoc corpus quod pro vobis tradetur. » Passibile autem fuisse quod passurum erat, quis deneget ? Impossibile vero nunc esse quod suminus, tu ipse bene ex auctoritate Apostoli [*al.* apostolica] confirmasti, quod Christus resurgens ex mortuis « jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (*Rom.* VI). » Quomodo enim si figulus daret mihi vas fictile ante fornacem crudum et infirmum, post fornacem vero redderet idem coctum et firmum et humanæ utilitati commodum, quam utilitatem habere non posset nisi coctum prius esset : sic Christi corpus ante passionem quale erat datum est discipulis passibile, quod per passionem transiturum erat ad impassibilitatem.Nec cuiquam profuisset ad salutem infirmitas illa passibilis corporis, nisi subsecuta fuisset glorificatio impassibilis et immortalis. Quomodo enim posset mihi dicere figulus, Vas quod tibi do ante ignem inutile et infirmum,hoc statim reddam post ignem utile et firmum [*al.* et robustum] : ita Dominus noster Jesus Christus signanter dixit:Hoc corpus, quod pro vobis tradetur,accipite ; et subsequenter adjunxit : *Hoc facite* (*Luc.* XXII). **122** Hoc dixit,non aliud : alterum tamen futurum esse non negavit, quatenus relinqueret intellectui nostro, corpus quod de Dominica mensa sumimus,ejusdem esse substantiæ [*al.* essentiæ] ; quod exemplo suæ transfigurationis et documento suæ auctoritatis præsignaverat suis discipulis futurum esse alterius gloriæ. Nec prætereundum est ad hujus rei discussionem, quod cum dixisset, *hoc facite*, addidit, *in meam commemorationem*. Quæ autem sit illa commemoratio,beatus apostolus exponit dicens : « Quotiescunque enim panem Domini accipimus,et calicem ejus bibimus, mortem Domini annuntiamus donec veniat.» Sicut ergo impassibilis corporis assumptio, Dominicæ mortis præteritæ est commemoratio, sic passibilis illius corporis acceptio, ejusdem Dominicæ mortis adhuc futuræ fuit prænuntiatio.Nec refert quale tunc acceptum fuerit vel modo accipiatur, sed qua utilitate acceptum sit vel accipiatur.Et cum utriusque acceptionis unus finis reperiatur, de qualitate rei quæ sumitur, omnis dubitatio sopiatur. Sicut enim cum esurio panis meus qualis sit non exquiro, mollis an durus, frigidus an calidus : vinum quoque meum cum sitio, non curo sapa sit an carenum (*b*) ; sed hoc attendo, ut ruinas ventris reficiat,et indigentiæ meæ satisfaciat : sic Christi corpus qualecunque sumptum sit a discipulis, vel nunc sumatur a Christicolis, nil mea interest ; tantum utilitati satisfaciat propter quam statutum est a Domino,ut illud populus fidelis accipiat. Item dixisti te hærere in quibusdam verbis beati Augustini (*c*) conantis determinare verba Domini duodecim apostolos instruentis qui remanserant, septuaginta ferme retro abeuntibus. Sunt autem hæc verba : « Non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis ; neque bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt illi qui me crucifigent. Quod sic convenienter intelligi potest, quia ipsum est, et non ipsum. Ipsum quidem materiali essentia,sed non visibili forma. Unde et subditur : Etsi necesse est illud visibiliter celebrari, necesse est tamen invisibiliter intelligi.» Ipsi enim qui recesserunt, putabant quod carnes Domini viventis bestiali more essent in frusta scissuri,et aut elixas

(*a*) Libro porrecto fiebat investitura,ut epist.182.

(*b*) In uno v. c. *sapidum sit acidum* quod glosam olet.

(*c*) Epist. ad Irenæum, et in c. *Non hoc*, dist. 2, De consecrat.

vel assas in verubus comesturi. Quod si nollent, non possent ejus esse discipuli. Nos autem sic immolatum Christum manducamus et bibimus, ut integrum eum ad dexteram Patris manere credamus. Et cum semel in distinctione membrorum suorum, in manifestatione corporis sui se obtulerit hostiam viventem, passibilem et mortalem, quotidie tamen sub velamento panis et vini a sancta Ecclesia immolatur, et non in partes scissum neque cruentum corpus ejus fidelium ore percipitur, et hoc est quod dicitur, *non hoc corpus quod videtis manducaturi estis*. Neque enim quod de altari sumimus, beatus Augustinus verum corpus esse negaret, qui hoc in plerisque tractatuum suorum locis évidenter affirmat. Unde dicit in quodam sermone de verbis Evangelii : « Quod videtis in altari panis est et calix, quod etiam oculi renuntiant ; quod autem fides postulat instruenda, panis est corpus, calix est sanguis. » Et interpositis quibusdam : « Quomodo panis est corpus, vel quod habet calix quomodo est sanguis ? Ista fratres, ideo dicuntur sacramenta,

A quia aliud videtur, aliud intelligitur. » Idem in sermone ad neophytos. « Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce, hoc accipite in calice, quod manavit de Christi latere. » De hac item invisibili corporis Christi assumptione dicit Eusebius Emissenus (*a*) : « Cum reverendum altare cibis spiritualibus satiandus ascendis, sacrum Dei tui corpus et sanguinem fide respice, honora, mirare, mente continge, manu cordis suscipe, et maxime totum haustu interioris hominis assume. » Possem quidem de Scripturis in hanc sententiam plura [*al.* plurima] colligere, sed nunc ista sufficiant fraternitati tuæ. Vale.

CCLXXXVIII.

B *Reverendissimo Patri et domno* O. *Dei gratia abbati Majoris Monasterii sanctoque et in Christi charitate juncto conventui* H. *Pontiniacensis* (*b*), *et* B. (*c*) *Clarævallensis, spiritu ambulare, et quærere semper non pigre faciem Dei Jacob.*

Charitas fratres, etc.

(*Exstat inter epistolas S. Bernardi, n.* 397, *al.* 387.)

(*a*) Homil. 5 et in c. *Quia corpus*, De consecrat., dit. 2.

(*b*) Is est Hugo de Pontiniaco, ad quem exstat S. Bernardi ep. 33.

(*c*) Bernardus, qui cum dicto Hugone scribit ad Honorium papam epist. 46 et 49.

ADDENDA.

S. IVONIS EPISTOLÆ ET DIPLOMATA.

QUÆ IN OPERUM EJUS EDITIONIBUS DESIDERABANTUR.

I.

EPISTOLÆ.

I.

Ad Paschalem II pontificem Romanum, pro cœnobio S. Petri Carnotensis.

Paschali summo pontifici, Ivo, humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, cum debita obedientia quidquid in terrenis et cœlestibus desiderare et sperare potest mens humana.

Cum auctoritate apostolica moniti, et muniti, paci ecclesiasticæ, et quieti monasticæ operam dare debemus, in quibus ad hoc implendum nisibus nostris non sufficimus, apostolicam sedem consulere cogimur, ut eam sentiamus adjuvantem, quam habuimus imperantem, quatenus excellentiæ apostolicæ non incongrue dicamus : « *Da quod jubes, et jube quod vis.* » Quod ideo celsitudini vestræ prælibavimus, quia volumus notum esse sollicitudini vestræ in suburbio Carnotensi situm esse monasterium in honore B. Petri, ab antecessoribus meis fundatum, et de bonis Carnotensis Ecclesiæ, prout facultas ferre potuit, ampliatum in quo aliquando religio viguit, aliquando tepuit, cum, sicut mos est, deficiente integritate prælatorum, subsequi non potuit sanitas subditorum. Sed quia, Deo præveniente, et nonnullo studio nostro cooperante, in prædicto monasterio religionis vigor refloruit, necessariam monasteriis quietem vellemus eidem monasterio provi-

C dere, et ab angariis et gravaminibus, quæ sua quærentes archidiaconi ibi facere moliuntur, penitus liberare ; quod etiam quidam antecessores nostri se fecisse putaverunt, sed libertas illa integras vires non habuit, quia apostolica auctoritate munita non fuit. Postulat itaque prædicti monasterii tota congregatio ut, per mediationis nostræ mediocritatem, idem monasterium cum suis appendiciis sub tutelam sanctæ Romanæ Ecclesiæ suscipiatur ; et libertas, quam prædecessores nostri monasterio, et possessionibus monasterii concesserunt, salvo jure Carnotensis episcopi, apostolica auctoritate roboretur. Quod enim principalis clavis per se clauserit, minor clavis aperire non valebit ; et quod aperuerit, claudere non valebit. Misimus ergo quemdam prædicti monasterii fratrem præsentium latorem, qui

D plenius, et specialius ea quæ liberari et defendi apostolica auctoritate convenit, nominatim determinet : et instrumenta confirmare [*f.*, confirmatæ) libertatis nobis reportet.

II.

Ad Adelam commitissam Blesensem..

(Edidit ex autographo Majoris Monasterii æri incisam Mabillonius, *De re diplomatica*, p. 385.)

I[vo], humilis Ecclesiæ Carnotensis minister, A[delæ] nobili comitissæ salutem.

Semota omni mundana cupiditate, piam vestram intentionem laudato quod ecclesiam S. Martini de Valle, quæ olim monasterium fuit, in antiquum statum reformare desideratis; simulque consulo ut quod pie desideratis, ad celerem effectum caute perducere studeatis, ne antiquus hostis intentionem vestram præpediat et ad desideratum finem pervenire non sinat. Ego enim ad hoc implendum, prout ratio et facultas permiserit, et consilium promitto et auxilium. Valete.

III.

Ad Goffridum Vindocinensem abbatem. — De non reiterenda infirmorum unctione.

(Est epistola vicesima libri II Epistolarum Goffridi Vindocinensis abbatis. — Vide *Patrol.* t. CLVII.)

IV.

Ad Guillemum Rothomagensem archiepiscopum.

(Opp. Guiberti Novigentini, edit. d'ACHERY, append., pag. 689.)

GUILLELMO, *Dei gratia*, Rothomagensium archiepiscopo, Ivo, humilis Ecclesiæ Carnotensis minister salutem et servitium.

De clerico præsentium portitore, qui inordinate et propero saltu, cum non esset benedictus in clericum, et in subdiaconum se fecit ordinari, sublimitati vestræ respondeo, quia, si rigorem justitiæ tenere vultis, nec in acceptis inordinate ordinibus eum ministrare permittetis, nec ad superiores gradus eum A promevibitis. In decretis enim pontificalibus legitur quia, quod contra leges præsumitur, per leges dissolvi meretur. Si autem honesta vita ejus aut utilitas ecclesiastica ita exigit, potestis ei dispensatorie, dato clericatu cum debita satisfactione, eam misericordiam impendere, ut cum sacram ordinationem vos celebrare contigerit, humiliato corde et corpore sacris ordinationibus intersit, non ut reordinetur, sed ut competentibus verbis in acceptis ordinibus confirmetur. De talibus excessibus impendenda misericordia propriam sententiam ad manum non habeo, sed pro simili negotio dispensatoriam Alexandri papæ secundi sententiam vestræ discretioni transmitto. Cujus exemplo munitus, si vobis dignum fuerit habita ratiocinatione potestis et accepta confirmare, et nondum accepta concedere. B Sententiam autem hæc est: « Alexander secundus Rumaldo Constantiensi episcopo: Sollicitudo dilectionis tuæ nos studuit consulere utrum portitor litterarum istarum diaconatus et presbyteratus oficium idoneus sit peragere, necne, cum ad id præpropero cursu, videlicet sine sbdiaconatus ordine, negligentia potius quam superbia, cognoscatur ascendisse. Unde nos consulendo charitati vestræ mandamus ut ab officio sacerdotali eum prohibeas, donec proximo Quatuor temporum jejunio, subdiaconatus ministerium sibi rite imponas, et sic deinceps ad majora officia eum redire concedas. Vale. »

II.

DIPLOMATA.

I.

Charta pro ecclesia Sanctæ Mariæ et Burgomedio.

(BERNIER, *Hist. de Blois*, p. 8, ex archivo monasterii Burgimedii.)

Ego Ivo, Dei gratia Carnotensis episcopus, notum esse volo cuncti Ecclesiæ fidelibus, tam præsentibus quam futuris, quia Adela comitissa, Stephani comitis uxor, divini amoris igne succensa, augmentandæ religionis desiderio inflammata, humilitatem nostram humiliter adiit petens ut libertatem ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Burgomedio, ejus canonicorum et aliorum clericorum eidem ecclesiæ famulantium, nec non eorum servientum, ab Odone comite et Bertha uxore ejus olim factam per antiquitatem aliquantulum imminutam, sed per eam diligentissime reformatam, auctoritate nostræ excommunicationis confirmaremus. D Nos itaque justæ petitioni, justisque desideriis assensum præbentes cum grege nobis commisso, violatores ejus libertatis excommunicamus, et a liminibus sanctæ dictæ ecclesiæ sequestramus, tam eos, quam eorum ad prædictam libertatem infringendam fautores. In infirmitate a presbyteris non visitentur, in hora mortis, corpus et sanguinem Christi non suscipiant, in cœmeterio Christanorum non sepeliantur, æternas gehennæ flammas incurrant, nisi recipientes ad emendationem et C satisfactionem confugerint, et, ut hoc per succedentia tempora firmatum et stabile permaneat, hanc chartam manu propria firmavimus, et manibus prælatorum Ecclesiæ nostræ firmandam tradidimus.

Signum Ivonis episcopi.
Signum Arnaldi decani.
Signum Helduini cantoris.
Signum Wilelmi archidiaconi.
Signum Serani subdecani.
Signum Warini subcantoris.
Signum Anselmi Cantuariensis archiepiscopi.
Signum Fulconis archidiaconi.
Signum Arlonis archidiaconi.
Signum Odonis archidiaconi.
Signum Andreæ archidiaconi.
Signum Hugonis præpositi.
Signum Gerosii camerarii.

Data Carnotis, octavo Kalendas Julii, anno ab Incarnatione Domini 1105, indictione XIII, regnante Philippo rege Francorum, anno regni ipsius XLV.

II.

Charta Ecclesiæ Carnotensis pro Bernardo abbate Tironiensi.

(MABILL. *Annal.* t. V, p. 680, ex arcivo Tironiensi.)

In nomine sanctæ et individuæ trinitatis, amen. Ecclesia Carnotensis cunctis Christi fide-

libus præsentibus et posteris salutem et pacem.

Salvatoris nostri Jesu Christi ejusque Genitricis Mariæ piæ matris nostræ admiranda prodigia et præconia nostris in temporibus accidentia cum silere fas non sit, in lucis notitiam educere volentes, omni posteritati notificamus quod cum tribus continuatis diebus nostrum pluribus visiones quædam, ut nunc perpendimus, æpparuissent : quibusdam agmen apud dulcissimum nostras adiens sedes, aliis vir monachali redimitus habitu miro vallatus candore, ipsos a somno excitans; visiones autem ipsas mirificus et suavissimus sequebatur omnium aromatum odor, quas flagitatim duobus perpensantes diebus, ad extremum quænam hæ visiones essent, cujusque rei gratia concernerent, singulis quibusque nostrum per dies, per momenta, per horas solerter B discutientibus, missa sancti Spiritus celebrata et ejusdem gratia postulata, paulo post nuntiatum fuit adesse domnum Bernardum reverendum Tironensium Patrem, nostro cœtui loqui deprecantem, qui intromissus in nostro capitulo nobis in eo congregatis, proponensque se cum sua congregatione malle in beatæ Mariæ territorio quam principis terreni degere, carrucatam terræ ad cœnobium suæ ædificandum congregationi deposcens, a nobis libenter admissus est. Cognoscentes enim ab nudiustertius habitas visiones, libenter eisdem eorumque successoribus dictam carrucatam concessimus cum omni jurisdictione, jure, districtu, et alia quavis libertate spirituali et temporali, et ita libere et quiete tenendam ab ipsis, sicuti ipsam prius tenebamus. Lætabundi autem eorum adventu, eos, si in carrucata C terræ quam eis in territorio nostro de Garzeis concessimus, monasterium sibi ædificent, libertatibus sequentibus immunimus. Volentes siquidem ipsos in pace tranquillitate foveri, ne mundi crescente malitia super optata per nos pace turbentur; volumus et in perpetuum ipsi monasterio largimur, quod ipsum monasterium et ejus cellæ domus et administrationes præsentes et futuræ, et habitantes in eis præsentes et posteri, soli subsint episcopo Carnotensi, ita quod nec nobis decano et capitulo, nec quibusvis nostris archidiaconis dignitatibus, officiis, vel præbendis suberunt, nec eoram eis in aliquo respondeant, nec per alium quam per Carnotensem episcopum juridictio spiritualis sive in civili in eos exerceatur; sic tamen et sub hac con- D ditione' præmissa a capitulo, archidiaconis, dignitatibus, officiis et præbendis rejicimus et tollimus et episcopo tribuimus, quod abbam Tironensem ad suam synodum episcopus venire vel interesse non compellat, nisi ab eo super aliquibus totum diœceseos ecclesiasticum statum concernentibus noviter ordinandis, consilium et consensum exquirentibus, litteratorie sibi insinuatis et expressatis, vocatus et vocandus exstiterit. Licentius enim ipsum abbam solicitudini et curæ sibi commissæ vacare vellemus. Insuper volentes eos honoribus plus cæteris attolli, quia in territorio nostro degere

A præmaluerunt, volumus et largimur quod Tironensis abbas primo quovis honore primus post episcopum emineat. Ut autem eo magis bonis temporalibus accrescat, quo speramus et optamus eos in domo Domini fructus uberes allaturos, volumus et eis in perpetuum concedimus et largimur, quod in quibuscunque dominiis et territoriis nostris et sub nobis existentibus ipsi libere acquirere possint, et acquisitum in manu mortua libere in perpetuum teneant et possideant, nullaque calumnia per nos vel nostrum aliquem super hoc eis inferri possit. Ab omni autem consuetudine et exactione sæculari ipsi et eorum homines in quibuscunque dominiis et dictrictibus nostris liberi sint et immunes. Ut autem per succedentia tempora hæ nostræ largitiones firmæ eis et validæ permaneant, volumus et largimur nullum ipsis lapsum, nullum in contrarium usum vel possessionem, quin his libertatibus et largitionibus in perpetuum inviolabili gaudeant et uti possint in futurum, his obesse posse; quin imo nos ipsos actus, usus et possessiones vel quasi, ac prescriptiones quascunque secutas ex nunc irritamus et annullamus, ac irritas et nullas, irritosque et nullos decernimus. Volentes hæc decreto legati et quorumcunque superiorum nostrorum in perpetuum firmari, et omnes usus, actus, possessiones vel quasi, et præscriptiones secutus quascunque, præmissis per nos largitis contrarias, per eum et eos irritari et annulari pro in perpetuum, ac irrita ea omnia per quæ contra venirent et nulla decerni. Unde hæc sub nostrorum Ecclesiam Carnotensem facientium nominum subscriptionibus et signis, manibus nostris factis, ipsis religiosis sub sigillorum nostrorum characteribus unanimi omnium voluntate et assensu duximus concedenda, perpetuam firmitatem illatura

Ego Ivo Carnotensis episcopus.

Arnaudus decanus, Gerogius cantor Carnot.

Hugo subdecanus Carnot Warinus succentor Carnot.

Ansgerius archid. Carnot. Walterus archid. in Duno.

Goslenus archid. in Pisciaco. Rambaudus arch. in Droco.

Odo archid. in Bleso. Landricus archid. in Vindocino.

Goffredus præpositus in Northmannia.

Henricus præpositus in Mazeziro.

Jeraudus præpositus in Euvercio.

Hugo præpositus in Ingreyo.

Rodulfus camerarius Carnot.

Stephanus abba sancti Johannis.

Data Carnoti manu Wlgrini cancellarii, tertio Nonas Februarii, anno ab incarnato Verbo 1110, regnante in Francia Ludovico Philippi.

III.

Monasterio Bonævallis, petente Bernerio abbate, ecclesiam B. Petri Castrodunensem concedit.

(Edidit D. d'ACHERY in notis ad Guibertum abbatem, p. 664.)

Quoniam dispositiones ecclesiasticarum rerum, episcopali curæ faciendas, decretorum et canonum paginæ concedunt, oportet ipsos episcopos vigilanter attendere, ut qualiscunque disceptatio sit inter homines, ut fidelis quis inveniatur; ipsi sibi bene conscii, pio affectu et sincero intuitu disponant quæ disponenda sunt; illis præcipue manum extendentes qui renuntiaverunt mundi actibus et nudam crucem Christi nudi secuti sunt. Si enim, ut dicit Regula Patrum, exigente charitate, episcopus servus est plebis, non dominus, multo magis oportet ut eorum quibus mundus crucifixus est minister sit et servus. Quod ego Ivo humilis Carnotensis Ecclesiæ minister attendens, notum facio cunctis Ecclesiæ fidelibus, tam futuris quam præsentibus, quod vir religiosus Bernerius Bonævallensis monasterii abbas humilitatem nostram adierit supplicans, mediante Gauslino ejusdem loci archidiacono, ut ecclesiam Beati Petri in Castro Dunensi sitam, quam per pecuniam de manu laici occupaverant quidam clerici incircumcisi, Bonævallensi monasterio concederemus; cujus petitioni, quia saluti animarum convenire mihi visa est, assensum præbens præsente et concedente ipso laico, Odone nomine, qui eam hactenus occupaverat, prætaxatam ecclesiam Bonævallensi monasterio concessimus, eo tenore ut clerici præbendas suas in vita habeant, si caste vixerint, et in ipsa ecclesia, sicut decet, Deo servierint. Si autem prædicti clerici criminaliter deliquerint, aut ecclesiæ servire noluerint, episcopali judicio ab ecclesia eliminentur, et præbendæ usibus monachorum mancipentur.

Adjecimus etiam ut quidquid de casamento hactenus Carnotensis Ecclesiæ, concessione possidentium et præsidentium, per annum et diem quiete possederunt, de cætero nostra concessione quiete possideant, salvo legum tramite, et salvo in omnibus jure Carnotensis Ecclesiæ. Confirmamus etiam eis capellam Sancti Vincentii, quæ Carnoti sita est juxta portam Cinerosam, quam dedit eis Hugo vicecomes.

IV.

Instrumentum fundationis monasterii S. Joannis in valle Carnotensi

(Ex veteri charta eccles. S. Joan. Valiacensis. — Hoc instrumentum, ut et sequens, exstat inter epistolas Ivonis; edit. Fronteau.)

Quia summi Patris ineffabili misericordia disponente pastoralem curam licet indigni et peccatores, suscepimus, ut assidua cordis vigilantia communi utilitati et saluti animarum diligenter providere studeamus, et ut in vespera nummum recepturi, Dominicæ vineæ circumquaque propagines extendamus, superna gratia nostram [mentem] illustrante, et vero A dilecto nostro quasi per compunctionis foramen manum (Cant. V) promotionis et auxilii ad nos extendente, sæpe et multum cogitavimus, et cogitantes investigavimus, qualiter in hac urbe vel in suburbio aliquam haberemus ecclesiam, in qua devota fidelium concio devotam et Deo dignam canonicam ageret vitam. Nunc igitur tandem Salvatoris nostri Jesu Christi magna et inexplicabilis benignitas, quæ bene clamantibus respondere, digne pulsantibus novit aperire, desideriorum nostrorum diutius non differens efficaciam, B. Joannis Varliacensis ecclesiam, locum scilicet opportunum, et tam sacris institutionibus aptissimum, ut pote a populari strepitu civitatis aliquantisper sepositum, nobis obtulit (*a*), et corda quorumdam fratrum loci ejusdem B beneficia non satis ecclesiastice tenentium sic illustrando præparavit, ut secundum Apostolum, mente excedentes non jam sibi, sed Deo velint vivere, et fieri aliquod initium Dei creaturæ. Ego autem [itaque] Ivo, S. Dei matris Ecclesiæ Carnotensis Dei gratia episcopus, communi consilio et assensu totius capituli primatumque nostrorum, in prætaxata S. Joannis ecclesia canonicos tales esse decrevi, qui proprietate posthabita canonicam habeant vitam juxta B. Augustini institutionem. Et quoniam, sine temporalis boni sustentaculo intenti nequeunt esse divino servitio, illis quæ antea possidebant ad victus stipendia superaddidimus præbendæ unius cujusque fratris de congregatione nostra defuncti sive monachilem vel canonicalem (*b*), habitum suscipientis, seu Jerosolymam, vel in eremum proficiscentis, si præben- C dam dimiserit, vel sæculo renuntiantis, vel metu mortis seu infirmitate, vel pro malo introitu præbendam suam dimittentis, totos reditus per integrum annum, ut in singulis diebus unius integri anni missas celebrent pro anima fratris cum defunctus fuerit. Concedimus etiam ut ecclesia B. Joannis in ecclesia B. Mariæ perpetualiter habeat præbendam, quam habebat abbas Albertus cum canonicam susciperet normam. Dedimus et ecclesiam B. Stephani, et omnia ad eam pertinentia, altare scilicet de Morentiaco cum parte synodi ad altare pertinentis, nec non et ecclesiam de Mundonis villa liberam a synodo et circada, et omni exactione; pariterque servos et ancillas, et terras sive cultas, sive incultas. Concedimus etiam Sanctæ Fidis ecclesiam, et eccle- D siam de Luciaco, et campi partem illius terræ quam ante possidebamus, et omnes consuetudines terræ B. Joannis, illius scilicet villæ, et terram cum oblatis de Osanivilla tam episcopalem quam canonicalem. Terram etiam de Aucherivilla concedimus. Super hæc dedimus junioratum ecclesiæ de Pontegodonis cum omnibus domibus nostris, et totam avenæ farraginem, et totam nostram terram ultra aquam eo tempore incultam, et furnum ejusdem villæ; decimam quoque molendinorum et vinearum. Confirmamus etiam donum altaris ecclesiæ Serni factum a Goslino canonico et præposito Sanctæ Mariæ, et

(*a*) Vide epist. 91.

(*b*) Sic vet. scheda.

donum Vigeriæ de Valeia, et totius terræ de Moncellis cum omnibus consuetudinibus, actum ab Hugone vicedomino hujus civitatis. Confirmamus quoque donum totius terræ Eddevillæ cum omnibus consuetudinibus et feodis : nec non domum ecclesiæ Ardueluth cum omnibus hospitibus, et cum terra ad duas carrucas. Ut autem hoc nostrum charitatis opus per succedentia tempora firmum ac stabile maneat, litterarum memoriæ tradi fecimus, et impressione sigilli nostri atque auctoritate et præsentia Joannis (*a*) et Benedicti Dei gratia cardinalium apostolicæ sedis confirmatum, manibus quoque canonicorum nostrorum cæterorumque fidelium dedimus confirmandum. Si quis ergo aliquam huic canonicæ institutioni calumniam inferre, vel aliud quid adnullare tentaverit, anathemate nostro percussus Deum sibi sentiet iratum; et, nisi digna satisfactione culpam correxerit, pœnis infernalibus deputetur [*f.* deputabitur]. Præterea etiam constituimus, ut si forte abbas supradictæ ecclesiæ defunctus fuerit, vel aliqua canonicali occasione [discesserit], fratres sibi abbatem de eadem congregatione vel alia aliqua regulari, si ibi idoneus inveniri non potuerit, eligant, et ad hanc electionem aliquos sani consilii sibi conjungant. Abbas autem electus in communi capitulo B. Mariæ præsentetur, et ab episcopo recipiat abbatiam, et sicuti alii canonici in ecclesia B. Mariæ suam faciat septimanam.

Ego Joannes cardinal. sanctæ Romanæ Ecclesiæ subscripsi.

Ego Benedictus gratia Dei sanctæ Romanæ Ecclesiæ card. subscripsi.

Ego Ivo Dei gratia Carnotensis episcopus subscripsi. A † Ω.

Signum Ernauldi decani.

Hilduni cantoris.

Guliel. archidiac.

Seranni subdecani.

Garini succentoris.

Ragibaldi canonici, etc.

V.

Charta qua ecclesia de Hanchis Majori Monasterio conceditur.

(Ex veteri Scheda Petavii.)

Ego Ivo Carnotensis episcopus, et Walterius archidiaconus notum fieri volumus tam posteris quam præsentibus quod Willelmus abbas Sancti Martini Majoris Monasterii cum quibusdam monachis suis nostram adiit præsentiam, humiliter implorans quatenus ecclesiæ Beati Martini concederemus ecclesiam de Hanchis quam Paganus, beatæ Mariæ Carnotensis canonicus, tenebat. Prædictus vero Paganus ibi veniens in manu nostra præfatam ecclesiam absolute dimisit. Nos autem domni Willelmi abbatis et monachorum ejus precibus diligenter aurem accommodantes, salvo jure Ecclesiæ nostræ, petitioni eorum gratanter annuimus, et supradictam ecclesiam sicut Paganus eam tenebat, eis habendam et possidendam concessimus, ipso Pagano intercedente et concedente et fratribus ejus Raherio, Goscelino, Guarino, Amarico concedentibus. Idem vero Raherius frater Pagani qui ecclesiæ decimam laicali usurpatione tenebat, minutas in præsentiarum monachis dimittendo concessit decimas, et decimam de culturis monachorum eis concessit habendam post sui discessum. In hoc quoque dono capellam de Hidulphi ponte cum ea parte terræ et aquæ quam eis præsens dimisit, eis perpetuo concessit habendam. Nos etiam sicut præsentialiter nominatim monachis tribuebatur annuimus, ita etiam totum quod in futuro a prædictis fratribus et ab aliis ibi aliquid habentibus promittebatur nominatim habendum charitative concessimus, hæc autem sunt quæ promissa sunt scilicet terra duorum boum et hospitia cum arpennis terræ. Hujus vero doni concessio facta est anno ab Incarnatione 1114, his præsentibus quorum nomina subterscripsimus. Ex parte episcopi et archidiaconi fuit Raimbardus Vindocinensis archidiaconus. Ausgerus Blesensis archidiaconus, Gualerannus canonicus, Rainaldus ejus clericus, Bernerius regularis canonicus, Radulphus reg. canonicus episcopi Camerarius.

Ex parte vero abbatis, Willelmus prior, Petrus Laidet, Gilo et ejus filius, Gilduinus Hugo hospitalarius.

De famulis Analdus camerarius, Paganus camerarius, Laudricus famulus prioris, Gaucelimus, Petrus Burdo, Hubertus Mainbodus.

(*a*) Ad hunc scribit Ivo epist. 87.

VI.

Charta de obedientia et subjectione quam Ivoni episcopo Carnotensi et ejus successoribus debent reddere monachi de Bello-Loco, quibus hac tantum conditione Ivo permisit monasterium construere et consecrare.

(PETIT, *Theodori Pœnitentiale*, tom. II, pag. 597, ex cod. m. s. privileg. Ecclesiæ Carnotensis.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris, et Filii et Spiritus sancti.

Ego Ivo, licet indignus, Ecclesiæ Carnotensis episcopus, notum fieri volo omnibus tunc præsentibus quam futuris, quod dominus Hugo venerabilis abbas Cluniacensis monasterii cum grege sibi commisso, et maxime Fratres de Charitate parvitatem nostram humiliter adierunt, petentes, ut eis concederem fieri, et consecrari monasterium extra urbem Carnotanam in loco, quem Willelmus ad ædificandum monasterium elegerat. Quorum petitio, quia digna impetratione, et multis profutura visa est, assensu confratrum nostrorum beatæ Mariæ in supradicto loco monasterium fieri et consecrari concessimus; ea conditionis lege, ut omnem obedientiam et subjectionem mihi et Ecclesiæ mihi commissæ et successoribus meis, quam monachi circumquaque positi, exhibeant : et jura Ecclesiæ nostræ et ecclesiarum ei concessarum, absque meo consensu et capituli Beatæ Mariæ, et successorum nostrorum invadere non præsumant.

125 FR. JURETUS BEVEVOLO LECTORI SALUTEM.

Ante annos viginti quatuor Ivonis Carnotensis epistolæ e tenebris erutæ in lucem prodierant auspiciis Petri Pithoei jurisconsulti, maximi viri, et propensissimi animi in rempublicam litterariam, cujus singulari beneficio plerasque integriores habueram. Cum autem exemplaria primæ editionis pridem desiderarentur, et de recudendis typographus urgeret, effectum est ut perquisitis atque invicem accurate collatis compluribus vetustioribus membranis, liber redderetur melior et auctior, superior quidem editio laborabat lacunis, pluriumque epistolarum ordo confusus atque præposterus erat, quando posteriores aliquot litteræ Paschali inscriptæ ante vertebant nonnullas quæ ad Urbanum emissæ sunt : cum tamen series temporum palam evincat Urbano successisse Paschalem. Alia ejusdem generis sigillatim commemorare nihil attinet, quæ mutua collatione facile clarescent, quamvis ea parte nondum plane mihi satisfecerim : illa vero perturbata series, non sine priscorum codicum ductu mutata et restituta fuit, quemadmodum etiam eorum fide lineæ et dictiones toto opere interjectæ sunt. Ægre autem ferendum ex tot antiquis membranis nullas hactenus repertas quæ suis numeris undique absolutæ viderentur, aliæ enim plures epistolas complectebantur, aliæ pauciores, easque mendis sæpe scatentes : præterea dissidebant in ordine, ut inde argumentum elici possit, non fuisse primitus digestas ab ipsomet auctore, sed post ejus obitum a studiosis hinc inde collectas : solum exemplar bibliothecæ Regiæ distinctum erat in decem libros, quam partionem cæteri codices minime agnoscunt, neque valde necessaria. Adjuverunt operam manuscriptis communicatis multiplici ac recondita eruditione celeberrimi togati Jac. Augustus Thuanus præses, Ludovicus Servinus advocatus regis in suprema curia, et Nic. Faber : quorum claritudini nihil addit mea nimis jejuna oratio, nec defuerunt membranæ cœnobiorum S. Victoris et S. Germani, item doctissimorum ornatissimorumque Puteanorum et Car. Labbæi ; quidquid autem præstitum est (quod perexiguum esse sentio) si probabitur probis et candidis viris, minus displicebit manum admovisse redintegrando operi Gallici antistitis, ex cujus lectione multa singularia discuntur, quæ a coætaneis scriptoribus non sunt prodita : quare illustrissimus cardinalis Baronius de Ivone merito honorifice loquitur, quem modo « lucernam occidentalis orbis, » modo « decus et ornamentum ac fulgorem Ecclesiæ Gallicanæ » nuncupat : cujus varias epistolas postremis suis annalibus ecclesiasticis inseruit, e quorum fontibus hausit complura observatione scituque digna. Quid enim moramur iniquos rerum æstimatores, qui ob pauculas voces minus Latinas aut elegantes, temere existimant priscos scriptores explodi debere, et ab eorum lectione abstinendum prorsus ? quasi vero non sit pervolutandum omne genus auctorum homini qui rerum cognitione delectatur, et mavult mentem quam linguam instruere. Cæterum non licuit hoc observationum libro ea omnia complecti quæ animo conceperam, quoniam intercurrentia negotia litterali studio contraria coegerunt aures alio dividere : satius igitur fuerit alienæ diligentiæ potiora relinqui. Absit enim ut invidere aut calumniari velim, si quis hæc et similia quæ olim attigimus, reddiderit meliora. Argumenta vero in priore editione affixa fronti epistolarum, hic prætermissa volui, desunt in quibusdam codicibus calamo exaratis, in aliis variant, cum olim uniuscujusque arbitratu componerentur, deinde superflua videntur, quia facilius repeti possunt ex indice rerum ac verborum. Bene vale et his fruere.

126 OBSERVATIONES
AD IVONIS CARNOTENSIS EPISTOLAS.

Ad Epist. I.

A Gaufrido quondam episcopo. Idem Urbanus, epist. 2 ad Richerium, dicit Carnotensem Ecclesiam multas pro isto Gaufrido molestias sustinuisse, et plures querelas inde fuisse delatas ad apostolicam sedem ; quod etiam probatur verbis Gregorii septimi, ubi appellatur Gotfredus, qui in aliis codicibus Galfridus. Verba subjicere operæ pretium est historiæ illustrandæ causa, ex Regesti lib. v, epist. 17 : « Gotfredus Carnotensis episcopus, quia non invitatus et absens judicatus fuerat episcopali officio a nobis restitutus est, hoc quidem tenore, quod causa sua ante legatum nostrum debeat retractari atque diffiniri. » Ejusdem meminit lib. ix, epist. 15 ad H. Diensem episcopum : quæ littera singularis Hugonem ibi significat, ut alii ejusdem Gregorii loci subindicant, itemque Ivo, epist. 274, et Lisiardus in Vita sancti Arnulphi Suessionensis episcopi, cap. 26, qui meminere Hugonis Diensis episcopi et legati Gregorii septimi. Illa igitur epistola 15 dicit Parisiensem episcopum cum Carnotensi episcopo Romam venisse, et clamorem fecisse quod in Carnotensem episcopum

A Hugo præjudicium fecisset, et non canonice accusatum excommunicationis ac depositionis sententiæ subdidisset. Demum jubet ut iis interim Romæ exspectare jussis, ipse aut veniat, aut nuntium mittat. Idem epist. 16 ad clerum et populum Carnotensem, ait ipsum Gotfredum episcopum se purgasse Romæ suspicione Simoniacæ pravitatis, dato sacramento super corpus beati Petri. Tum monet proprio pastori obediant.

Verum mortuo Gregorio, cum postea Gaufridi crimina plane innotuissent apostolicæ sedi, et purgare se non valens virgam pastoralem et annulum reddidisset : Urbanus Gregorii successor, quia nullus dissimulandi locus supererat, eumdem deposuit ut Ivonis scripta probant, qui appellat hunc caprum emissarium, et affirmat damnatum fuisse propter adulteria, perjuria et proditiones per omnem ferme Latinam Ecclesiam publicatas, in epist. 8 ad Richerium. De eodem intelligit quod ait in

B fine epist. 6 pædagogum ab officio pastoris et nomine procul pulsum, jam non habere unde lac et lanas ovium perditarum diripiat, nisi quod in Northmannia præposituram quamdam Ecclesiæ Carnotensis sibi usurpabat auxilio comitis.

127 *Animi vestri voluntatem prævenientes, etc., canonice secundum nostra monita elegistis.* Idem Urbanus infra epist. 21 ad Richerium, dicit se Carnotensibus dedisse licentiam eligendi hunc Ivonem : quemadmodum etiam ipsemet Ivo scribens ad Paschalem papam epist. 104, testatur Galonem in episcopum electum fuisse a clero Belvacensi, præcedente consilio ejusdem papæ. Unde colligitur tunc temporis cum eligendi essent antistites Galliæ, Romanos pontifices solitos intervenire, et clero commendare quos existimarent sibi benevolos atque profuturos.

Ad Epist. III.

Variat inscriptio in manuscriptis, sunt enim qui præferunt : *Commonitio Urbani papæ ad Ivonem presbyterum Carnutensi Ecclesiæ consecratum episcopum.* In aliis est, *edictum* vel *dictum, quod dat pontifex episcopo cui benedicit.* Apud Baronium tomo XI Annal. *dictio sive oratio Urbani papæ ad Ivonem.*

Populus Carnotensis Ecclesiæ. Ita melius ex nonnullis veteribus schedis, quam ut antea, *populus civitatis illius.*

Absque morbo vel macula. Expressa est lectio omnium nostrorum codicum. Idem Bar. edit, *absque morbo et mancha* simulque in ora addita varietas *macula :* dubium an illud *mancha* sit ex aliquo prisco exemplari.

Ad Epist. IV.

Ex charitatis affectu. Sic constanti scriptura in vett. codd., nisi quod in paucis, *Karitatis.* Male in vulgatis aliorum auctorum editionibus inveterata sed erronea consuetudine passim cuditur cum aspirationibus nota, quod hic semel monuisse sufficiet, ne quis sine causa factum putet.

Domnum Gauterium. Quidam codex *donnum :* vox est mediæ ætatis, frequens scriptoribus ecclesiasticis, unde etiam domnionis nomen S. Hieronymo deformatum fuisse volunt, et domnulæ Salviano Massil. in epist. Vide notata infra ad epist. 28.

Ad Epist. V.

Ex utraque linea descendens, nobilitatem generis. Veteres appellabant hanc nobilitatem, æquam prosapiam, ut Cyprianus in Vita S. Cæsarii. « Sanctus ac beatissimus Cæsarius Arelatensis Episcopus, territorii Cabilonensis fertur fuisse indigena. Cujus parentes æqua prosapia, quod est illustre et præcipuum nobilitatis exemplum, præ cunctis civibus suis fide et moribus floruerunt. » Ubi fallitur editor putans locum mendosum esse et adnotans pro *æqua*, legendum *egregia.*

Ad Epist. VI.

Sicut Lugduni. Est vetus exemplar, in quo scriptum *Lucduni,* quod nonnulli probant a Lucii Planci nomine, qui eam urbem incendio consumptam in melius restauravit. Sed alii prisci auctores a luce deductum nomen voluerunt ; qua in sententia Hericus Benedictinus monachus lib. vi De Vita S. Germani Autissiodorensis. « In Lugdunenses æquis processibus arces vexit Arar, Rodano sese sub mœnibus abdens. Lucduno celebrant Gallorum famine nomen impositum quondam, quod sit mons lucidus idem. » Contra nebulæ Lugdunenses et dies matutina caligine obstructi vix meridiano fervore reserari exprobrantur Sidonio Apollinari, cui amicus gratulatur quod aliquando videat solem, quem bibitor araricus raro aspexerat, lib. i, epist. 8.

Ad Epist. VII.

Roscelino. Ita in nostris vett. codd. scriptum a neotericis quibusdam dicitur *Rozelinus,* vel *Rucelinus.* Vetustus et anonymus historicus in fragmento historico Francorum a Roberto ad mortem Philippi primi ; « In dialectica quoque hi potentes exstiterunt sophistæ, Joannes qui eamdem artem sophisticam vocalem esse disseruit, Robertus Parisiacensis, Roscelinus Compendiensis, Arnulfus Laudunensis. » Aventinus lib. vi Annal, Boiorum : « His quoque temporibus fuisse reperio Rucelinum Britannum, magistrum Petri Abelardi novi lycæi conditorem, qui primus scientiam vocum sive dictionum instituit, novam philosophandi viam invenit. Eo namque auctore duo Aristotelicorum, Peripateticorum genera esse cœperunt : unum illud vetus, locuples in rebus procreandis, quod scientiam rerum sibi vindicat, quamobrem reales vocantur ; alterum novum quod eam distrahit, nominales ideo nuncupati, quod avari rerum, prodigi nominum atque notionum, verborum videntur esse assertores. In hisce duobus generibus discidium et bellum civile est. Illius Thomas Aquinas, Italus, et Joannes Duns Scotus, hujus Willelmus Occomensis Anglus antesignani, » etc. Ivo quidem subindicat hunc Roscelinum insanas suas sententias super quibusdam Christianæ fidei articulis defendisse, sed non exprimit quales illæ fuerint. Verum id illustrari potest verbis Anselmi abbatis Becci qui tunc florebat, nam scribens ad Fulconem Belvacensem episcopum (cujus verba profero ex manuscripto exemplari quia nondum edita fuerant) : « Audio, quod tamen absque dubietate credere non possum, quia Roscelinus clericus dicit in Deo tres personas esse tres res ab invicem separatas, sicut sunt tres angeli, ita tamen ut una sit voluntas et potestas, aut Patrem et Spiritum sanctum esse incarnatum, et tres Deos vere posse dici, si usus admitteret, in qua sententia asserit venerabilis memoriæ archiepiscopum Lanfrancum fuisse, et me esse. Quapropter dictum est concilium a venerabili Remensi archiepiscopo Rainaldo colligendum esse in proximo : quoniam ergo puto reverentiam vestram ibi præsentem futuram, volo ut instructa sit quid pro me respondere debeat, si ratio exegerit. » Et paulo post addit : « Quicunque blasphemiam quam supra posui me audisse a Roscelino dici pro veritate asseruerit, sive homo, sive angelus, anathema est, et confirmando dicam, quandiu in hac perstiterit pertinacia, anathema sit, omnino enim Christianus non est, » etc. Quæ verba faciunt ad interpretationem alterius loci ejusdem Anselmi postea facti Cantuariensis archiepiscopi, qui scribens ad Urbanum papam, refert se cum in Becci monasterio esset abbas, præsumptam fuisse a quodam clerico in Francia talem assertionem ; si in Deo tres sunt personæ, una tantum res, et non sunt tres res : ergo Patrem cum Spiritu sancto cum Filio esse incarnatum. Et paulo post addit illum in concilio a venerabili Remensi archiepiscopo Rainaldo errorem suum abjurasse ; audisse tamen postea præfatæ novitatis auctorem in sua perseverantem sententia dicere, se non aliud abjurasse **128** quod dicebat, nisi quia a populo interfici timebat : hac igitur causa Anselmum scripsisse librum De Incarnatione Verbi. Ubi non exprimit concilii locum, sed ex hac Ivonis epistola palam est intelligi debere de Suessionensi.

Ethici tractatoris. Superior editio, *ethnici*, ut habent pauci codices, et ad oram adnotata varietas *ethici*, quæ postrema lectio sequenda, quam plures et meliores libri manu exarati referunt. Pro *tractatoris* autem, male quidam vetus, *tractatoris :* tractatorem enim accipit pro auctore, ut aliquoties solent prisci scriptores. S. Hieronymus adversus Helvidium : « quæ non solum omnes pene Græciæ tractatores in suis voluminibus reliquerunt. » S. Augustinus libro De speculo : « divinorum librorum veterum et novorum catholici tractatores hoc intenderunt. » Cassiodorus in præfatione lib. i De div. lectione : « Tractatores vobis doctissimas indicasse sufficiat. » Sidonius Apollinaris lib. ii epist. ix, de Origene loquens : « sermocinabamur cur a quibusdam protomystarum tanquam scævus ca-

vendusque tractator improbaretur. » Alcimus Avitus lib. De virginitate ad sororem :

Quin et veridici quæ plurima tractatores
Exposuere suis mysteria digna libellis,
Hæc tu cuncta tenens animo sitiente bibisti.

Nicolaus papa primus epist. 42 : « Si enim ipsorum decreto, cæterorum opuscula tractatorum approbantur vel reprobantur. »

Palinodiam scribas. Male vetus codex S. Germ. *palidoniam*, et alter, *psalmodiam.*

Diligi et colligi. Irrepserat in prima editione, *et coli*, sed omnes manuscripti habent rectius, *et colligi.* Simili notione id verbi positum epist. 65, « Ut eum materna pietate colligatis, » et epist. 159 : « Eadem frequenter colligit materna pietate, » et epist. 160. « Intra ovile a quo aberraverat colligatis. » Item epist. 253 : « pios colligit mansuetudine. » Anselmus abbas Becci epist ad Henricum : « Intra gregem in quo lactatus et nutritus est omnino recolligi cupit. » Cæterum Bar. tomo XII Annal., postquam hanc transcripsit epistolam addit huc usque Ivonis epistolam absque salutatione præmissam, vel consuetam bonam benevalendi in fine ipsius imprecationem appositam, quod ad hæreticum scriberet : sed sane in aliquot membranis plures sunt Ivonis epistolæ ad alios scriptæ etiam non hæreticos, in quarum calce similis precatio abest, ut negligentia potius librarii fuisse videri possit, quam auctoris voluntas.

Ad Epist. VIII.

Richerio Dei gratia Senonensi archiepiscopo. Baronius tomo XI Annal. ait constanti animo redargutum fuisse Richerium ab Ivone, qui litteras istas sapientia plenas rescripserit : ex quarum tantum titulo et salutatione instrui ac resipiscere si saperet, valuisset.

Prostratus quisquis Apostolicis voluerit contraire decretis. In tribus vetustis exemplaribus scriptum compendiose, *quisque*, quod valet *quisque*, ut in codd. Remensi S. Vict. et S. Germ. codex Regius habet, *quisquis*, in lib. Serv. *quicunque.* Vetustiores dixerunt quisque pro quisquis, quod plerique non observantes, sæpe mutarunt et corruperunt in auctoribus contra fidem priscarum membranarum. Antiqua inscriptio : « quisque hoc monumentum sive vendiderit, sive donationis causa dederit, inferet. » Æsopus manuscriptus in Vita Alexandri : « Quique te consuluerit, veridicentiæ tuæ non refragatur. » S. Hilarius in fragmento De synodis : « Sed quisque hæc delata non damnat, necesse est eorum sese studiis socium profiteatur. » Tertulianus in carmine de Jona :

Tu quoque, quisque tibi Deus est, dic vota precesque.

Vetus et incertus poeta in epitaphio :

Quisque legis doleas devites talia fata.

Rutilius libro I Itinerarii :

Ut bonus esse velit quisque disertus erit

Paulinus quoque De Vita S. Martini lib. I :

... Tu quisque legens tam vilia temnis
Carmina, dum verba irridens, mirabere facta.

Cumque clericis petentibus et pulsantibus nullum diem consecrationis meæ velletis præfigere. Urbanus supra epist. 2 huic Richerio pariter objicit quod licet ipsomet papa flagitante, tamen Ivoni manum imponere recusasset. In generali autem synodo sub Innocentio secundo Romæ celebrata, cap. 28 relato in cap. *obeuntibus* dist. 63, prohibitum fuerat ultra tres menses vacare Ecclesiam. Leo quoque papa in epist, 82 ad Anastasium episcopum, jusserat nihil moræ aut difficultatis afferre in ordinatione episcopi rite celebranda, ne gregibus Domini diutius deesset cura pastorum, quod etiam relatum in cap. *De persona*, dist. 65. Sed et Stephanus papa olim rescripserat Gualberto Patriarchæ, ut desine-

A ret cujuspiam zelo protelare Lintuardum Cumensis Ecclesiæ antistitem, qui fuerat electus a clero, et expetitus a populo, minatus si protelaret, et interim electus Romam veniret, ab ipso papa fore consecrandum : quod se facturum adjicit, quia prærogativa apostolica possit de qualibet Ecclesia clericum ordinare, quamvis nolit alicujus Ecclesiæ privilegium infringere, qui locus integer refertur ab Ivone decreti parte V, cap. 13, et decurtatus ab eodem epist. 61, et a Gratiano in cap. *nunc vero*, cau. 9, q. 3. Sed et Gregorius septimus in simili causa episcopi Carnotensis, hunc Richerium pridem admonuerat, ut caveret moras adhibere in ordinando illo qui canonice fuerat electus in episcopum, interminatus privationem honoris. Exstant enim in Registro litteræ, lib. IV, epist. 15. Facilis igitur excusatio, si Richerio male affecto et tergiversante, ac nolente suo munere fungi. Ivo Romam profectus a papa consecratus fuerit. Favebat

B **129** enim Richerius Gaufrido exauctorato et discincto ab eodem Urbano propter sua crimina, infatuatus nimirum consilio Parisiensis episcopi, et duorum parilis vecordiæ episcoporum, si verum est quod scribit Ivo ad Urbanum epist. 12, quem sane mentitum non arbitror : negari autem potest quin auctor, si quis alius eo sæculo, canonicæ litteraturæ fuerit peritissimus, qui nihil tale aggressus vel passus fuisset, si vetusti canones repugnassent. Hæc obiter adnotata sunt, quia nonnulli proxime reprehenderunt factum Ivonis, et scripserunt peccasse in jura Gallicanæ Ecclesiæ quæ molitus fuerit transferre in manum pontificis Romani : quemadmodum, inquiunt, eodem tempore Anselmus Cantuariensis archiepiscopus, papæ omnimodis addictissimus, totis viribus conabatur spoliare regem Angliæ jure regalium. Sed longe diversa ratio utriusque. Anselmus enim Anglia excedens vel exsulans, et Romæ ut plurimum degens, tandem pertinaci studio

C effecit ut rex Angliæ (a quo archiepiscopatum habuerat) discederet ab inveterata consuetudine investiendi episcopos sui regni : quod Ivonem tentasse nusquam legitur, qui suo regi plurimum detulit, et investituras Ecclesiarum a principibus factas maluit sustinere concordiæ publicæ gratia, quam schismati causam præbere et adversus regem insurgere ; ut ostenditur epist. 60. Sed et levis suspicio voluisse privare suum metropolitanum Senonensem debito jure consecrandi : quia passim inculcat, sua jura singulis Ecclesiis illibata servari oportere, nec transcendi debere patrum terminos ; quemadmodum liquet ex disputatione adversus archiepiscopum Lugdunensem, papæ legatum, epist. 60 et epist. 61, qua dicit exempla episcoporum aliqua necessitate cogente a comprovincialibus non consecratorum, minime tamen debere præjudicium facere legi et consuetudini communi : quin etiam epist. 12 profitetur se nolle interesse nuptiis Philippi regis cum Bertreda, nisi

D Remensis archiepiscopus earum sit consecrator et auctor, quoniam id competat juri Ecclesiæ Remensis ex antiqua regni consuetudine et apostolica auctoritate. Denique epist. 83 ad episcopos Remensis diœcesis, scribit canonicæ auctoritatis ariete repellendos esse impetus metropolitani, qui in Ecclesiis comprovincialibus absque consensu episcoporum qui eis præsunt, clericos judicabat, vel ab officio suspendebat, et quidquid voluerat imperabat. Hæc si accurate observassent Ivonis reprehensores, poterant minus conqueri. Nulla autem causa est cur quis suspicetur ambitione motum fuisse, ut consecratus ab Urbano liberius episcopatu frueretur. Sæpius enim conqueritur sibi invito et reluctanti nec tale quid cogitanti delatam fuisse dignitatem a Carnotensibus et papa, epist. 25 et 289, quia quidem dicit parum abesse quin propterea maledictis Urbanum persequatur. Cujus quidem dignitatis oneribus se obrui passim deplorat, et ad pristinam mentis tranquillitatem postliminio redire desiderat epist. 17.

Et inde cum virga pastorali a rege mihi intrusa ad Ecclesiam Carnotensem adductus. Hujus virgæ meminit epist. 60, ubi dicit variis modis Ecclesias concedi solitas, manu, nutu, lingua, virga. Et epist. 236 ait multos reddidisse pastorales virgas; et paulo post, laicum non tribuere rem sacramenti in datione atque acceptione virgæ. Alio loco pastoralem baculum appellat, nempe epist. 157. Osbernus in epistola manuscripta ad Anselmum Cantuar. archiep. : « Quid aut ad affectum dulcius, aut ad innocentiam præstantius, quam te ante lectum ægrotantis violenter pertractum, dextram aliorum dextris impudenter de sinu extractam, sinistram ne sororem juvaret fortiter retentam virgam cæteris digitulis pertinaciter occlusis pollici atque indici crudeliter impactam, post hæc toto corpore e terra te elevatum episcopalibus brachiis, ad Ecclesiam deportatum, ibique adhuc te reclamante et importunis minis obsistente, te Deum laudamus esse cantatum ? » Otto Frising. De gestis Friderici I, lib. II, cap. 6, scribit Episcopatum conferri ab imperatore per sceptrum, et cap. 5, regna per gladium, et provincias per vexillum. Hac autem virga significabatur potestas data pontifici. Quibus affinitate rei adjici potest quod Sugerius abbas in Vita Ludovici Crassi et post eum continuator Aimoini hist. lib. V, cap. 50, ait Ludovico Crasso regi consecrato datum fuisse sceptrum et virgam, et per hæc Ecclesiarum defensionem. Honoris etiam signum illa fuit. Inde est quod in palatio regis Gothorum, cura palatii (is erat architectus) solebat incedere cum aurea virga, quemadmodum indicant verba Cassiodori Variar. lib. VII, formula 5. Paulus quoque Diaconus De gest. Longobard., lib. VI, cap. 3, refert Felicem grammaticum adeo fuisse carum regi Heriberto, ut ab illo donaretur baculo auro argentoque decorato. His conjungenda sunt quæ notantur ad epist. 1, 7, de baculo pastorali.

AD EPIST. XII.

Filio uteri vestri consulite. Ita restitui secutus plures et castigatiores membranas; antea cusum, *filio vestro consulite.* Infra hac eadem epist. ut iterum in inscriptione epist. 19, appellat se filium specialem papæ Urbani, ut pariter initio epist. 44, uterinum filium Romanæ Ecclesiæ. Eo significatu vocat cardinales filios uterinos papæ, epist. 53. Fridericus Imperator primus epist. ad Adrianum pontificem apud Radevicum lib. II, cap. 16 : « Decentissimum est sanctam Romanam Ecclesiam, tanquam matrem omnium Ecclesiarum, filios qui sunt fructus ventris aggregare, et aggregatos ad decorem domus Dei per domos et familias distribuere ; quibus etiam nostrum imperium, tanquam ab utero et gremio matris nostræ progredientibus, debeat et velit congruum honorem impendere. »

Altaria a me redimere volunt sub nomine personæ. In nullo exemplari variat ista lectio : ætate Ivonis, hac de re sæpius actum in synodis Gallicanis. Nam in canone septimo synodi Claromontensis, anno Dom. 1094, mense Decembri, apud Baronium tomo X : « Ut altaria congregationibus canonicorum vel monachorum per personas data, mortuis personis libera redeant in manus episcoporum, nisi fuerint illis per eorum scripta vel privilegia confirmata. » Sed et in can. *Quæsitum*, can. I, q. 3, referuntur verba concilii Avernensis sub Urbano papa, in Galliis inolevisse ecclesias vel decimas (quas vulgo altaria nuncupabant) monasteriis datas vendi ab episcopis, et redimi a monachis post mortem vel **130** mutationem clericorum, quos personas vocabant ; quod ibi prohibitum salvo episcoporum censu annuo. Urbanus papa in epistola ad Ingeliannum episcopum Laudunensem : « Quanto familiarius ab Ecclesia Romana diligeris, tanto charius quos ipsa diligit, fovere debueras et amplecti. Idcirco ab infestatione fratrum beati Remigii fraternitas tua cesset, et altare quod in villa quæ Corbiniacus dicitur, iidem fratres habuisse noscuntur, eis restituat. Et si enim personas removi-

A mus, non tamen antiquæ possessionis jus monasteriis abstulimus. In illa siquidem personarum mutatione avaritiæ renovatio, et ecclesiasticarum rerum distractio contingebat. Porro altaria quæ per quadraginta seu triginta annos monasteria possederunt, sicut in synodo constitutum est, immota eis permanere volumus. Nulla igitur de cætero eisdem fratribus de supradicto altari molestiam inferas, salva tua episcopali justitia. » Quæ epistola exstat in codice manuscripto Ant. Loiselli, et nondum, quod sciam, ab aliis edita fuerat. Joannes Salesberiensis Policratici lib. VII, cap. 17 : « Utique et insignis prudentia si quis tot quocunque modo conquirit altaria, ut quasi ritu memphitico quotidianas hostias novis possit altaribus immolare : nolunt tamen sacerdotio dominari, aut servire altario qui de altario vivunt, ne, ut populus arguit, dicam luxuriantur, sed personatus quosdam induxerunt, quorum jure ad alium onera, ad alium referantur emolumenta. »
B Huc etiam spectat quod scribit Goffridus Vindocinensis abbas in epistola 12 libri III, ad Andegavensem episcopum, qui se testatur interfuisse dicto Claromontensi concilio, et interpretatur quid significet altarium redemptio (*Patrologiæ* tom. CLVII, col. 118). Idem in epist. ad G. apostolicæ sedis legatum (Vide *ibid.*, lib. I, epist. 27), qua de episcopo Andegavensi conqueritur : « Decretum illud, inquit, quod idem dominus papa Urbanus in Avernensi concilio statuit contra simoniam, quæ sub nomine vicariorum Dei fieri solebat ab episcopis, annullare machinatur. Redemptionem etiam ecclesiarum quæ in illo magno concilio hæretica pravitas vocata est, ab apostolica sede damnata, licet in pluribus annis non nisi semel per vicarios fieret, nunc sub nomine annui census a simplicitate nostra extorquere conatur. Et quia ego et fratres nostri hoc esse scelus putamus, ideo refutamus, divinum ecclesiis nostris interdixit officium. Ex quibus pendet interpretatio
C verborum Gregorii septimi, lib. IV, epist. 7 ad Hugonem Diensem episcopum : « Illud vero commune malum pene totius terræ, videlicet quod altaria venduntur, et quod iste etiam in officio sui archidiaconatus se fecisse non denegat, ne deinceps fiat, tam huic, quam cæteris omnibus interdicito. » Loquitur autem de Gerardo Cameracensi, et de congreganda synodo episcoporum Franciæ.

AD EPIST. XIII.

Nuptiis quas facere disponebat de Bertreda dicta conjuge comitis Andegavensis. Veteres codices Ivonis Bertredam scriptum exhibent, sed in aliis auctoribus Bertrada appellari solet. Hanc Philippo nupsisse auctor indicat epist. 15, qui etiam variis locis suppresso nomine *reginam dictam* nuncupat, nempe epist. 66 et 68, de hac etiam agitur ad epist. 28 et 144.

Quoniam id competit juri Ecclesiæ vestræ. Post tempora auctoris, quia res pendebat a regum arbi-
D trio hac parte sæpe variatum est. Non enim semper Remis vel a Remensi episcopo uxores regum benedici et consecrari solebant. Chronologus Autissiodorensis ad annum Dom. 1154 : « Hoc anno Ludovicus Francorum rex filiam imperatoris Hispaniæ feminam morum honestate præcipuam accepit in conjugem apud Aurelianis urbem, ibique nuptiis quam solemniter celebratis ab Hugone Senonensi archiepiscopo uncta est in reginam. Quod Sanson Remensis archiepiscopus ægre tulit, dicens sui esse juris ubicunque fuerint reges Francorum et reginæ, eos a se consecrari debere : cum hoc nec approbet ratio, nec suffragetur exemplum. Quod quidem Ivo Carnotensis, decretorum ac legum peritissimus in epistolis suis tam rationibus astruit quam exemplis, dicens, nullo unquam scripto vel exemplo probari posse, Remensem archiepiscopum, regem Francorum extra Belgicam provinciam unxisse aut coronasse. Ac proinde cum eadem potestas sit cujusque metropolitani in metropoli sua, injuriosum videtur

si unus in proprium jus ambiat vindicare, quod multorum constat esse commune. » Idem ad annum 1160 : « Ipsoque anno mortua est regina Franciæ, filia imperatoris Hispaniæ, femina vitæ **131** laudabilis, actibus clara, moribus perornata. Rex vero Ludovicus consilio procerum suorum accepit in conjugem filiam bonæ memoriæ venerabilis comitis Theobaldi, quam postmodum prædictus Hugo Senonensis archiepiscopus Parisius in reginam unxit, ipsamque cum domino suo Ludovico ipsa die præsentibus tribus cardinalibus Othone videlicet et Villelmo Papiensi atque Henrico Pisano in ecclesia B. Mariæ coronavit, et in eadem ecclesia ipsis cardinalibus et multis aliis præsentibus missæ officium solemniter celebravit, quod factum valde displicuit et Remensi archiepiscopo, et ejus episcopis. » Priscus scriptor in Vita. Ludovici regis VIII, loquens de Margareta filia Comitis Provinciæ, ad annum 1224 : « Hanc rex apud Senonensem urbem in uxorem ducens legitimam, ut Francorum dominam et reginam a Gualtero civitatis Senonensis archiepiscopo inungi et regali diademate fecit solemniter coronari. » Guillermus de Nangis in Gestis Philippi tertii, quem Audacem quidam cognominant, agens de Maria filia Henrici ducis Brabantiæ ex filia Hugonis ducis Burgundiæ; « Anno Domini 1275 congregatis apud Pasisios fere totius regni Franciæ baronibus ac prælatis Maria regina Franciæ fuit ibidem per manum Petri tunc Remensis archiepiscopi solemniter coronata et uncta, sicut mos est reginas Franciæ coronari. » Et paulo post : « Ibidem tunc Gillo Senonensis archiepiscopus coram legato Romanæ curiæ domino Simone Sanctæ Ceciliæ presbytero cardinali, qui præsens aderat, querimoniam detulit, dicens quod in præjudicium Ecclesiæ suæ fuerat regina in eodem loco a Remensi archiepiscopo coronata, quia sicut legitur in quadam epistola Ivonis quondam episcopi Carnotensis, ad episcopum sedis Belgicæ quæ est Remis, non pertinet extra provinciam suam inunctio regum, vel etiam reginarum. Sed ex parte regis sic allegatum fuit, quod non erat unde posset conqueri Senonensis archiepiscopus, quoniam capella regis Parisiis exempta erat, et ideo ratione loci ad ipsum inunctio non spectabat. » Epistola autem Ivonis cujus illi scriptores meminerunt, illa est quæ in hac editione exstat numero 189.

AD EPIST. XV.

Et uxorem vestram legitimam intervenisse divortium. Bertam appellat continuator Aimoini hist. Franc. lib. 5, cap. 50. « Rex Philippus suggestione diabolica Bertam reginam repudiavit, et ei suam præsentiam subtrahens, ad castrum quod dicitur Monsteriolum, supra mare situm, quo illam dotaverat, eam destinavit. « Vetus et anonymus auctor in fragmento historiæ a Roberto ad mortem Philippi : « Rex Philippus repudiata Berta matre Ludovici, accepit aliam conjugem Bertradam, etc. » Itaque videndum ne sit error in editione vulgata Lisiardi episcopi Suessionensis, qui coætaneus Ivonis fuit, ubi Bertrada nuncupatur, non vero Berta; cujus verba proferenda sunt quia digna observatione. Ille igitur in Vita sancti Arnulphi episcopi Suessionensis, capite 18, commemorat prædictum illi fuisse ab Arnulpho ut tandem a Philippo marito extruderetur : « Eo abbate ocius instituto derepente advolat supradictus ille Pontius, vesanus monastici ordinis temerator, ducens secum reginam Bertradam, quæ auctoritate regia Geraldum expelleret, et Pontium contra fas in sancti loci administrationem intruderet : id ubi rescivit Christi servus Arnulfus, e cella egreditur, reginam furibundam blanditer appellat, submisse rogat, ut licet regina sit, memor tamen muliebris conditionis, memor divinorum judiciorum, contra leges ecclesiasticas venire formidet, ab injuria tanti viri verecunde sibi temperet : cum autem ea præ regio fastu et tumore viri sancti monita non admitteret, prophetico spiritu dixit ei : Crede A si lubet, o regina fratri Arnulpho imo potius crede Spiritui sancto. Nam si tu fratrem Geraldum hinc ejeceris, Deo vindice, tu quoque ante obitum tuum a regno extruderis, contemptaque et ærumnosa morieris. Eam viri Dei prophetiam, luce clarius est completam esse, quando omnes norunt, reginam illam post annos aliquot regis animum adeo offendisse, ut conciliari prorsus nollet, amotamque a regni consortio, et in pagum Pontium translatam, post diuturnam calamitatem illic plebeio more defunctam et sepultam. » Idem scriptor cap. 27, iterum Bertradam vocat, et illi prædictum fuisse ab eodem Arnulpho narrat nasciturum ex ipsa Ludovicum qui Philippo Francorum regi succederet.

Ut Parisium cum uxore vestra veniam. Ita superior editio, quæ lectio etiam exstat in quibusdam manuscriptis libris ut Thuani, Loyselli et aliorum eamque alibi retinui : at complures libri vetusti uno consensu hoc loco habent, *Parisius*, quod licet vi- B deatur minus convenire regulæ grammaticorum, tamen auctoris sæculo frequens erat eo nomine uti absolute, quod infinitis prope exemplis probari potest, ut Vincentii Bellovacensis, Petri Blesensis, chronicorum, etc. Vetus scriptor in Vita S. Philiberti abbatis Gemmeticensis cap. 9 : « Inciderat quandoque discordia quædam cujus causa propere Parisius se contulit. » Sic habet v. c. Nic. Fabri, ubi editor mutavit, *Lutetiam se contulit*.

AD EPIST. XVI.

Opus est huic patrono. Rex enim infestus erat Ivoni, quia nolebat approbare conjugium illius cum Bertreda pellice, ut indicat epist. 17.

Ut conjugium ejus quod ante factum ratione resistente non laudastis. Hinc elici volunt regem, licet non dissoluto legitimo matrimonio uxoris Bertæ, attamen duxisse Bertredam suam concubinam : postquam scilicet audentior factus est responso Rogerii cardinalis et legati papæ, qui Sylvanectis consultus responderat posse pellicem licite nubere suo adul- C tero : quod probabile est, nam Ivo, epist. 13, cæteros episcopos admonet ut convocati regalibus nuptiis se subtrahant. Nec futilis conjectura hunc legatum corruptum fuisse muneribus, quales illo tempore passim notantur in historiis. Nam et auctor eumdem libere reprehendit, quia solverat anathematis vinculo Simonem Nielphensem, qui vivente conjuge adulteram superducebat, ut probat epist. 18.

Et judicium comprovincialium episcoporum. Bertholdus in Rebus gestis Urbani papæ secundi, anno 1094 : « In Galliarum civitate quam vulgariter Ostionem dicunt, congregatum generale concilium a venerando Hugone Lugdunensi archiepiscopo, et sedis apostolicæ legato, cum archiepiscopis, episcopis et abbatibus diversarum provinciarum XVII Kal. Novemb. in quo concilio rex Galliarum Philippus excommunicatus, **132** eo quod vivente uxore sua alteram superinduxerit. »

AD EPIST. XVII.

D *Caritas cleri.* Antea cusum cum aspirationis nota, *charitas*, sed in antiquis exemplaribus, illa plane abest : quam etiam scripturam toto hoc opere retinui, quamvis aliter vulgo invaluerit.

Quia nuptiis ejus dicto et scripto calumniam quam debui feci. In solo cod. Put, *quia initiis ejus*, sed perperam, quod hic debitam calumniam nuptiis facere dixit, alio loco dicit illicito conjugio contradicere epist. 19, qua quidem agit de eisdem nuptiis Philippi regis cum Bertrada. Calumniam igitur accipit in bonam partem : quomodo canonicam calumniam appellat epist. 268. Contra, pejore significatu, calumniosum conjugium nuncupat epist. 45 : sæpe autem id verbi accipit pro jurgio, sive forensi lite ut epist. 76 : « Veniat ad Ecclesiam cui calumniam fecit; » et epist. 179 : « Si quæ adversus Ecclesiam calumnia est, justitiam habeatis. » Item epist. 184 : « Laicorum adversus Belvacensem Ecclesiam ortam esse calumniam; » et epist. 219 : « Ante metropo-

litanum calumnia eorum dilata; » rursus epist. 229 :« Si inde in parochiam nostram aliqua calumnia emerserit. » Arnulfus episcopus Lexoviensis epist. 32 : « Nuntiatur vero nobis te in Anglia nihil nisi lites et calumnias exercere. » In veteribus instrumentis seu chartis Ecclesiasticis innumera sunt hujusce sermonis exempla : sic calumniatorem pro auctore sive petitore accipit Ivo epist. 212 et 241.

AD EPIST. XVIII.

Absens vero excepto. Quidam cod. *tanquam præsens vero;* alius, *præsens vero spiritu exopto.*

AD EPIST. XIX.

Raro etiam canonicum pensum determinatis horis solvere prævalemus. Quod hic pensum vocat, prisci quidam scriptores cursum appellabant. Cujus nominis ignorantia fecit ut nonnulli loci depravati et interpolati fuerint, quod obiter notare non ingratum erit. Bandomina De vita Radegundis reginæ lib. II, cap. 18 : « Stabat quandoque nocte ante cellulam suam, corde et ore cursum decantans.» Sic habet vetus codex Nic. Fabri. Sed qui edidit illum auctorem, de suo sensu substituit, *corde et ore preces canonicas decantans.* Idem effecit in Wandelberto diacono auctore Vitæ S.Goaris.Nam quo loco idem vetus codex præfert : « Videntes quod quotidie ab ortu lucis cum cursum suum haberet completum, et missas inde celebrans, postea cum perigrinis et pauperibus qui ad se venissent charitatem faceret : » illemet editor obtrusit, « Ab ortu lucis psalmodiæ laudes Christo persolvens et missas inde celebrans; » et mox, pro *charitatem faceret*, substituit, *pranderet.* Deinde ubi sequitur : « In Dei laudibus pernoctans, orta prima luce quod diebus agebat, cursu suo completo, missarum solemnia exorsus implevit, » idem longiore verborum circuitu cudit, « Quod diebus agebat psalmodiæ et orationum vota Deo persolvere cœpit : tum demum ubi id peregit, missarum, etc. » Sane cum Vitas sanctorum ex antiquis membranis in lucem ederet vir ille de ecclesiastica historia optime meritus, consultius fecisset si nihil mutasset. Sed ut ipsemet fatetur, sæpe verba et locutiones limavit et expolivit, nulla tamen mentione facta veteris scripturæ. Quod factum est ut multæ prisci sæculi dictiones ignorentur, quæ antiquariis non ingrati forent, si nonnulli religiosiores fuissent in suis editionibus. Vetus etiam auctor in Vita S. Eligii episcopi Noviomensis lib. I, cap. 10 : « Diu noctuque in ejus camera cum omni studio solemniter canonicum adimplere studebant cursum. » In cujus loci editione ad oram recte scholiastes notat, canonici cursus nomine significari preces horarias sive canonicas. Quare proculdubio glossema est quod inculcavit contextui lib. II, cap. 21, ubi legitur : « Quadam ex causa interdixit, ne cursus, id est, preces canonicæ et sacrificium celebrarentur in basilica quadam. » Non enim ita scripsit auctor. Cæterum quod Ivo conqueritur, ob infinitas publicorum negotiorum occupationes sibi vix licere statutis horis canonicum pensum absolvere, idem facit Hildebertus Cenomanensis episcopus in quadam epist. : « Occursant inimica spiritui meo negotia quæ me sibi totum vindicant, quæ secretum furantur orationum, quæ suis temporibus ecclesiastica defraudant officia, » etc. Quo referri potest quod alii recitant ex Petro Cluniacensi in epist. ad Desiderium Casinensem abbatem de beato Severino Coloniensi episcopo celebris famæ, scilicet post mortem apparuisse clerico ardentem et dixisse, nihil in se ultione plectendum præter hoc,quia dum in aula imperialibus consiliis implicaretur, canonicæ synaxis officia per distincta horarum spatia non persolverit : mane enim omnia coacervans simul tota die negotiis ingruentibus secura libertate vacabat. Ob hanc itaque negligentiam horarum ardoris ferre supplicium : ea narratione quæ multis fabula videtur, potuit idem metuere Rogerius episcopus Saresberiensis qui fuit a secretis Henrico primo regi Anglorum cancellarius,et mox episcopus, vir prudens et integerrimæ famæ : nam occupatus multis sæcularibus negotiis, inter hæc tamen ecclesiastica officia non negligens quotidie omnia mane honeste persolvere solebat, ut expeditius et tutius cæteris posset accedere, uti scribit Willelmus Malmesburiensis monachus De gestis reg. Angl. lib. V. Priscus auctor in Vita sancti Huberti episcopi Leodiensis :« Ipse consuetudo [*f.* consueto] orationum operi constanter insistebat, sacrumque officium,septeno numero dicatum, antequam lux diurna fieret, Domino persolvebat.» Innocentius papa tertius in diplomate de sancto Homobono Cremonensi :« Missæ quoque officium et alias horas cum summa devotione frequentans, ita assiduis orationibus insistebat, ut in certis horis aut incessanter oraret, aut horas ipsas aliquando præveniret : nisi forte ipsum justa causa in aliis operibus misericordiæ detineret. »

Totiens hoc facere conatus est quotiens. Ea scriptura v. c. Antea *toties*, et *quoties.* Quod tamen etiam rectum est : in antiquis autem monumentis eadem scriptura frequens. Veteres enim sæpe *n* inter *e* et *s* posuisse ut mollius id proferrent, alii observarunt.

AD EPIST. XX.

Guerram se facturos. Variant hic codices. Puteani liber habet, *incendium se facturos;* unus manuscriptus Nic. Fabri, *Werram se facturos* quæ scriptura aliis auctorum locis occurrit. Abbas Urspergensis in **133** imp.: « Si liber homo ingenuus ministerialis vel cujuscunque conditionis fuerit, incendium commiserit pro werra propria, pro amico, pro parente,» Ubi aliud exemplar habet, *pro guerra*, et in historia anglica Matthæi Paridis in Vita Willelmi secundi : « Vicinos werris et exactionibus assiduis provocabat. » Idem in Vita Henrici primi :« Werræ leges contra eum ferro simul et incendio constanter exercuit. » Vox minus Latina, sed usitatissima auctoris sæculo, infra epist. 168 : « adversum se guerram facere. »

AD EPIST. XXIV.

Qua laudabiliter functus et tempore prædecessoris tui beatæ memoriæ papæ Gregorii. Hujus nominis septimi scilicet, ut constat ex ejusdem Gregorii epist. 30 et 32, lib. IX. Sigebertus quoque ad annum Dom. 1080, meminit Hugonis Lugdun. archiep. et legati sub eodem papa, et ad annum 1098, notat eadem legatione functum sub Urbano secundo, quem etiam intelligit Ivo epist. 30 et 109, licet illis locis nomen non exprimat. Willielmus Malmesburiensis lib. I De gestis pontificum Anglorum :« Lugdunensis (inquit) archiepiscopus Hugo legatus apostolicus in Gallia, magni nominis et potentiæ, nec religionis egenus. » Petrus Venerabilis abbas Cluniac. lib. I Mirac., c. 22, scribit hunc Hugonem multa morum probitate et religiosa conversatione a papa Urbano cunctarum fere Galliarum constitutum legatum. Cum tamen synodo indicta Placentiæ anno 1095 vocatus non venisset, et legatum cum canonica excusatione illuc pro se non direxisset, ab officio archiepiscopi suspensus fuit a dicto Urbano, ut refert Bertoldus in Chronico. Idem ad annum 1083 notat hunc Hugonem episcopum Lugdunensem, Gregorio septimo necessarium fuisse, non mirum igitur si dictus Gregorius morti proximus hortatus fuerat episcopos, ut eligerent illum in pontificem Romanum, ut scribit Leo Marsicanus chron. Casinensis lib. III, cap. 64 : sed id frustra. Victor autem qui dicto Gregorio successit hunc valde reprehendit, quia pro fastu et ambitione sedis apostolicæ ad quam inhiabat, dolis atque injuriis adversus ipsum ageret, a quo tamen postulaverat et acceperat legationem in partibus Galliarum, itaque Victor jussit ab illius communione abstineri, ut habetur dicti Chron. lib. IV, cap. 71. Sane in hoc Hugone fastum apostolicæ legationis reprehendit Ivo epist. 60, cui

tamen legationem in Galliis deferendam scribit Paschali epist. 209.

Propter langnidum caput. Subintelligit Urbanum, qui tunc temporis conflictabatur cum Guiberto seu Wigberto antipapa, utriusque enim factio potens erat, et vi armata non sine horrenda et publica strage civium Romanorum suas partes tuebatur, modo in hanc partem, modo in alteram fortuna inclinante; quod clare apparet ex Chronico Bertoldi fautoris Urbani, qui ejus historiam per singulos annos digessit.

In regno Italico alter Achab. Epist. 45, dicit regnum Italiæ jamdiu rebelle, tandem in conspectu Urbani conticuisse.

In Gallico autem altera Jezabel. Subintelligit Bertredam pellicem infestissimam Ivoni, quia nolebat applaudere ejus incesto adulterio seu matrimonio cum rege. Ideo dicit in curia Philippi sibi non esse plenam securitatem ob sexum infidum epist. 28, et dictæ reginæ inimicitias adversum se nulla ratione sedatas esse, epist. 50.

AD EPIST. XXV.

Specialis ejus filius. Ita restitutum est fide vett. codd. pro quo antea irrepserat, *spiritualis,* nempe errore nato ex compendio scripturæ qui nævus etiam apud Bar. Sed jam supra epist. 12 correctum pariter, *speciali filio vestro mandate?* hoc sensu appellat se filium uteri Urbani papæ epist. 12; Joannes Salesberiensis Policratici lib. VII, cap. 21, agens de hypocritis religiosis sui sæculi: « Quo sibi plura impune liceant, a jurisdictione omnium Ecclesiarum seipsos eximunt, et efficiuntur Romanæ Ecclesiæ filii speciales, ita tamen ut pro foro rei ubique conveniant, sed tamen conveniri non possint, nisi Romæ vel Hierosolymis. » Sic enim ibi rectissime legunt primitivæ editiones in aliis perperam cuditur, *filii spirituales,* Arnulfus Lexoviensis episcopus epist. 12: « Audita sanctæ Romanæ Ecclesiæ turbatione condolui, quia dolorem matris audire sine compassione non poteram filius specialis: mihi enim dolor ille specialius incumbebat quem ipsa semper hactenus tanta charitate dilexit, tanta familiaritate dignata est, tot beneficiis et honoribus illustravit. » Attamen constat complures exstare epistolas Joannis papæ octavi ad reges emissas, quibus eos nuncupat spiritales filios, ut in tit. epist. 172, 186, 187, 192, 197, 199; sed alio sensu.

Injuriarum adversus eum agerem. Sic castigatum fide v. c. male antea irrepserat, *injurium,* qui error etiam incubat editioni Baronii, qui hanc epistolam refert ad annum septimum pontificatus Urbani.

De sola suspectione proscriptum. Plerique libri habent, *suspicione.* Malui tamen sequi quod exhibent optimæ membranæ Servini, *suspicione,* quia minus tritum et obvium. Eadem vox interpolata multis auctorum locis, ut apud Aquilinum Gaium Vetium Juvencum Evangeliorum lib. I: « Numquid ait Judam talis suspectio tangit? » Ita enim nonnullæ editiones, pro quo in aliis, *suspicio.* Sed et in Paulini Nolani versu ad Ausonium:

Ne qua vel a tacito contractam pectore nubem,
Duceret in sanctum suspectio falsa parentem.

Alii mutarunt, *suspicio.* Terentius in Adria act. III, sc. I: *Qui isthec tibi incidit suspectio?* Ennius apud Nonium.

Severiter suspectionem ferre falsam futilium est.

AD EPIST. XXVIII.

Cum manu militum vobis die quam statueratis occurrerem. Etiam tempore belli, episcopi regni Galliæ idem factitabant; quam in rem insignis locus in historiam Rigordi in gestis anni 29 Philippi Augusti: « Cum omnes barones et episcopi vocati ad hunc exercitum convenissent apud Medontam, et misissent ad mandatum regis homines suos prout debebant in expeditionem illam, Aurelianensis et Altisiodorensis episcopi cum militibus suis ad propria sunt reversi, dicentes se non teneri ire vel mittere in exercitum nisi quando rex ipse personaliter proficiscitur. Et cum nullo ad hoc privilegio se tueri possent, generali consuetudine contra eos faciente, petiit rex ut hoc emendarent. Ipsis autem emendare nolentibus, rex eorum regalia confiscavit, scilicet ea tantum temporalia quæ ab eo feodaliter tenebant, decimas et alia spiritualia eis in pace dimittens. Ipse enim rex Christianissimus semper **134** timebat offendere Ecclesiam Dei, et ejus ministros. Ipsis ergo terram et homines regis interdicentibus, et ad Romanam curiam mittentibus, et in propriis personis accedentibus, domino papa Innocentio tertio consuetudines et jura regni nolente infringere, aut in aliquo revocare, emenda tandem facta, et regi soluta, post duos annos recuperaverunt omnia quæ a rege fuerant confiscata. »

Domnus papa Urbanus. Unus v. c. *dominus.* Observari potest in istis manuscriptis fere semper domnum scribi cum agit de ecclesiasticis, cum de sæcularibus dominum: quod etsi leve, sileri tamen non debuit. Posterioribus enim sæculis vox domini visa est solius Dei propria, quam Tertullianus nolebat tribui imperatoribus: et ex numero Cæsarum paganorum fuerunt qui talem appellationem aversarentur, ut ab aliis pridem notatum. Itaque non recte fecerunt nonnulli neoterici, qui domni vocem tanquam barbaram rejecerunt, ut illius nullum vestigium restaret. Exemplum est in editione Wandelberti diaconi in Vita S. Goaris: « Ut legati domni episcopi nobiscum charitatem faciant: sunt enim in itinere. » Sic habent veteres membranæ. Sed dicto tomo IV, alius de suo capite substituit: « ut nobiscum legati nostri pontificis epulentur. » Et in lib. II Bandominæ de Vita S. Radegundis reginæ, cap. 5: « obtemperat regi domnus Germanus, venit Pictavium, intrat in monasterium, in oratio domnæ Mariæ. » Ille substituit: « Obtemperat regi vir apostolicus Germanus; » et mox, » in oratorio beatæ Mariæ, » Et cap. 14: « Ad oratorium domnæ Mariæ se contulit. » Idem edidit: « Ad oratorium beatissimæ Mariæ Virginis se contulit. »

Torum mulieris quam pro uxore habetis. Addendus locus epist 15; hac autem de re vetustus et anonymus auctor in fragmento historiæ Francorum a Roberto ad mortem Philippi regis: « Rex Philippus repudiata Berta matre Ludovici accepit aliam conjugem Bertradam, filiam Simonis de Monteforti, quæ Fulconi Andegavensi comiti nupserat, cui idem rex eam abstulit, unde multoties a beatæ memoriæ papa Urbano admonitus, nequaquam consensit. » Vincentius Bellovacus Speculi lib. XXVI, cap. 88: « Hic Fulco habuit uxorem quæ, relicto eo, Philippo nupsit regi Francorum; qui amore ejus ita captus est ut illa sibi in omnibus imperaret, cum ipse omnibus imperare cuperet, denique omnium digitis se notari, et ab omni orbe Christiano se excommunicari propter hujus libidinem aliquantis annis passus est. » Sugerius abbas in Vita Sudovici regis: « Deinceps (ait) in diem proficiente filio, pater ejus rex Philippus in diem deficiebat. Neque enim post superductam Andegavensem comitissam quidquam regia majestate dignum agebat; sed raptæ conjugis raptus concupiscentia, voluptati suæ satisfacere operam dabat. Unde nec reipublicæ providebat, nec proceri et elegantis corporis sanitati plus æquo remissus parcebat. Hoc unum supererat, quod timore et amore successoris filii regni status vigebat. » Sic enim obiter ille locus suæ integritati restituendus est fide vet. cod. quia fede depravata est scriptura in libro typis nuper excuso, cum Glabro, Helgaudo et nonnullis aliis. Hanc Bertradam postea rejecit. Adde notas ad epist. 144.

A participatione dominici corporis et sanguinis. Hinc colligi volunt, tempore Ivonis laicos adhuc communicasse sub utraque specie quo etiam spectant verba epist. 63, cum ait corpus et sanguinem Domini fidelibus populis salubriter administrari. Sugerius de Ludovico Crasso: « Cum autem cunctis

admirantibus facta primum peccatorum confessione devotissime corpori et sanguini Jesu Christo communicasset.» Sane apud Baronium tomo X Annal. refertur diploma Urbani papæ secundi ad canonicos beati Martini Turonensis: «Si ecclesiastica quælibet sæcularisve persona contra temere venire tentaverit, a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri alienus fiat. » Idem ad annum Christi 1095 refert canonem 28 concilii Claromontani sub eod. Urbano : « Ne quis communicet de altari, nisi corpus separatim, et sanguinem similiter sumat, nisi per necessitatem et cautelam. » Post quæ verba addit Baronius, id statutum ob recentem damnatam hæresim Berengarianam, quæ per unam tantum speciem satis esse impleri figuram dicebat

Præterea casati Ecclesiæ. Constans scriptura in melioribus archetypis, solus enim codex Put. depravata prisca dictione obtrudit *præterea et causa Ecclesiæ* ; quod in alio est, *quassati*, proprius ad verum accedit. Casatos Ecclesiæ hic accipit pro specie vassallorum. Mentio fit in vetusto lapide Aurelianensi qui adhuc visitur discisus et insertus parieti templi sanctæ Crucis : Ex beneficio S. † per Joannem Episcopum, et per Albertum S. † Casatum factus est liber Lemtbertus teste hac sancta Ecclesia. In legibus Francicis collectis olim ab Ansegisa abbate, et editis Basileæ anno 1557 (quæ capitularia in secundis editionibus vocantur), lib. I, cap. 68 : « Describere faciant quot mansos unusquisque de beneficio habeat, vel quot homines casatos in ipso beneficio : » et lib. IV, cap. 75 : « De vassis dominicis qui adhuc intra casam serviunt, et tandiu habere beneficia noscuntur, statutum est ut quicunque ex eis cum domino imperatore domi remanserit vassalos suos casatos secum non retineat, sed cum comite, cujus pagensis est, ire permittat.» Nomen habuisse videntur a casis. Paulinus Nol. epist. 2 ad Amandum : « Ut in casa Ecclesiæ terrulam qua victum suum procuret, accipiat. » Apud ipsum Ivonem casamenta potentum hominum dici legitur, epist 173, casales etiam alibi memorantur.

Pro pace violata excommunicati sunt, Hujus rei exempla habes infra epist. 61, de sceleratis viarum observatoribus, qualis erat Puteacensis dominus, epist. 211, et de Theobaldi comitis militibus, epist. 235, et Gervasio epist. 266.

In hostem mittere. Id est in exercitum militarem cujus significationis varia exempla in Gallicis scriptoribus. Sugerius in Vita Ludovici : « Collecto mirabili triginta milia militum hoste. » Et eodem lib. « Rogatus vero, non cum hoste, sed domesticorum militari manu fines illorum ingressus ; » addantur loci ex historia Aimoini monachi lib. V, cap. 22 et 27. Vernacula Fallorum lingua vetus Proverbium est : *Si lhost sçavoit que fait lhost, lhost souvent desfairoit.* Idem Sugertus alibi appellat hostium : « His et ta libus rex nusquam securus, nativæ magnanimitatis strenuitate conspicuus, in arcto providus, etiam in hostio gladio cingebatur. »

735 Ad Epist. XXX.

Fulconi Dei gratia Belvacensium Episcopo, in adversis fortitudinem. Ad eumdem scribens epistola proxime consequente, in titulo monet vel optat, ut gravitatis anchora se retineat in sancto proposito quia vero auctores ejus sæculi (quod ipsemet Ivo sæpe facit) solebant suis litteris ejusmodi titulos præfigere rebus aptos et convenientes : hinc duci potest argumentum, Fulconem variis motibus exagitatum fuisse in episcopatu Belvacensi. Cui rei illustrandæ subjiciendi sunt loci ex epistolis Anselmi Beccensis abbatis. Consilium petierat an oblatam dignitatem subiret; respondit Anselmus, tutius esse homini suam infirmitatem semper timenti magnum onus refugere, quam de viribus confidendo humeros facile submittere. Onus igitur recusandum ; quod si, nisi per peccatum declinare non possit, obedienter subeat et sollicite portet. Ea quidem epistola non exprimit A quod sit onus. Sed ex consequentibus litteris, de episcopali dignitate utrosque loqui eruitur : nam Urbanus secundus epistola ad Anselmum abbatem, dicit se Belvacensi episcopo indulsisse quæ in ejus ordinatione injusta videbantur, et curam episcopatus ei invito renitentique injunxisse : demum monet ut episcopo tanquam suo filio adjutor, corrector et consultor assistat. Urbano respondet Anselmus se quidem antea suasisse amico ut curam subiret, et satisfaceret desideriis petentium : sed jam ipsum cogi papam adire, ut ejus auctoritate adversariis possit resistere. Verba hæc sunt : « De dilectissimo nostro episcopo Belvacensi, etc.» *Est tricesima quarta libri* II *inter epistolas sancti Anselmi. Vide Patrologiæ tom.* CLVIII. Sed postea transactis aliquot mensium curriculis, cum idem episcopus multis insidiis appetitus videret se nihil proficere, et in vitæ periculo versari, valde conatus est episcopatu abdicari, Romamque ea causa profectus fuit, ut testatur epi-
B stola dicti Anselmi ad Urbanum (vide *ubi supra*).

Sed Romanus pontifex non acquievit petitioni Fulconis, quem ut sibi utilem noluit abire episcopatu, cujus rei indicium est quia in corpore manuscriptarum epistolarum Anselmi, reperiuntur aliquot litteræ ipsius Anselmi ad Fulconem **136** Belvacensem episcopum, quibus refert se a Beccensi monasterio invitum et nolentem tractum fuisse ad episcopatum Cantuariensem. Ex superiorum autem locorum collatione colligi potest de eodem Fulcone accipi debere quod scribitur in vetusto Chronico Beccensi, et notatu dignum videtur : « Quidam monachus Becci petebatur ad episcopatum Ecclesiæ Belvacensis. Cumque sanctus Anselmus abbas huic electioni assensum præbere nollet, et monachum suum petentibus non concederet, dixerunt petitores : Domne, nos eligimus eum : non se ingerit : quare non vultis concedere quem petimus ? — At ille : Si, inquit, ipse Deus me eligeret, adhuc timerem : quia ipse
C per prophetam elegit Saulem, et per semetipsum Judam traditorem, qui ambo reprobati sunt. » Cæterum superiora valere possunt ad interpretationem epistolæ nonæ Ivonis (quam invenies in fine harum epistolarum num. 289) ad Urbanum Papam : qua quidem dicit episcopum Belvacensem simplicitatis rectæ et laudabilis virum, accusatum fuisse ab invidis, absolutum tamen ab Urbano.

Officii vestri memor mundanam superbiam non armis mundanæ malitiæ. Aliis locis pariter reprehendit episcopos qui sui ordinis immemores, solebant usurpare usum materialis gladii, cum ab Ecclesia vetetur alienum sanguinem fundere, ut ostendit epist. 247. Ipsemet etiam cum esset captivus, noluit armis bellicis liberari, et reddi episcopatui, ut constat epist. 20 : notum est quod ait S. Bernardus de consid. ad Eugenium papam lib. IV, cap. 3, duplicem esse gladium, sed materialem manu militis exerendum, ad nutum sacerdotis et jussum imperatoris. Huc referenda verba prisci historici in lib.
D De vita et moribus et actis omnium principum, qui exstat manuscriptus in bibliotheca Regia. Loquens enim de exercitu Leonis noni papæ adversus Northmannos qui erant in Apulia, hæc notat ad annum 1053 : « Iste primus Romanorum pontificum a beato Petro ad se usque, cum manu armata in bellum processit. Qui quamvis sanctus fuerit, et pio hoc animo egerit, tamen quia id ejus non erat officii, neque hoc illi permissum fuerat a domino qui pati venerat, suosque ut ab aliis magis paterentur quam ut alios persequerentur præmonuerat, ideo exercitus sui multitudo cæsa est ipso prospiciente : non enim Dominus discipulis suis, neque iidem apostoli suis successoribus præceperunt, ut curis sæcularibus velut principes sæculi, materiali gladio Dei populum tuerentur, sed verbo doctrinæ monerent, et piæ conversationis exemplo instruerent. »

Ad Epist. XXXIII.

Nobis convicinitas locorum. In aliis libris, *nobis*

vicinitas. Sed cum in v. c. Put. offendissem scriptum licet mendose, *nobiscum vicinitas;* non difficile fuit insculpere veram lectionem.

AD EPIST. XXXV.

Videte si fidelitatem quam debetis, pleniter exhibetis, si officii vestri munus expletis. Infra epist. 190, pariter meminit fidelitatis quam omnes episcopi Galliarum regi promittebant per manum et sacramentum. Idem epist. 15 profitetur se ex summa fidelitate scribere, non posse nec debere interesse illicitis regis nuptiis. Et epist. 253 ait se ex jure fidelitatis Ludovicum regem rogare, ut Ambianensis episcopi angustiis opituletur adversus pacis violatores. Item in epist. 209 dicit in fidelitate regi facta, præcipue observandum esse utile et honestum, neque præsumendum esse regi dare consilium, quod sit contra fidelitatem, et regni majestatem minuat. Jam autem monuerat episcopos Franciæ, ut in hac causa Philippi regis super incesto conjungio, haberent spiritum fortitudinis cum spiritu consilii, epist. 14. Sed cum tepidi et trepidi essent, objecit illis silentium, et reprehendit quia tanquam canes muti non valebant latrare; in calce epist. 25. Parilem culpam paulo ante eisdem imputarat Gregorius VII papa, regesti lib. II epist. 5 ad Manassem Remensem, Richerium Senonensem, Richardum Bituricensem archiepiscopos, et Adraldum episcopum Carnotensem, cæterosque episcopos Franciæ, qua quidem narrat ejusdem Philippi regis varia et nefanda scelera.

137 AD EPIST. XXXVI.

Litteræ domni papæ quibus dictandis a latere interfuimus. Hic locus depravatus fuerat in plerisque libris. Superior enim editio habuit, *alacri interfuimus.* In membranis Puteani, *alacres interfuimus;* et desuper addita varietas, *vel alacri mente interf.* In v. c. S. Ger., et altero Thuani, *alacri interf.* In libro Regio, *alati.* Sed ex codicibus Fabri et Servini restitui, *a latere,* qua scriptura nil melius ac verius. Ivo enim Romæ non semel moratus fuerat, ut etiam subindicat epist. 27 et 65, fueratque familiaris Urbano papæ, quem hic voluit subintelligi, et in ejus curia versatus, ut ait epist. 211. Simili autem locutione dixit, a latera papæ mitti cardinales, epist. 109, in qua etiam laterales sedis apostolicæ appellat.

Hilarios. Ita plerique v. c. Antea, *Hilariones;* sed illud prius magis respondet et quadrat cæteris nominibus.

AD EPIST. XXXVIII.

Guacelino. Variant manuscripti : « Guatcelino, Gualcelcino, Laucelino, Gualcherino.» Prior editio *Guacelmo.* Willelmus Malbesb. lib. II, de gest. Pontif. Anglor. cap. *de episcopis Wintoniensib.* : « Stigando deposito successit Walkelmus a Willielmo rege datus, cujus bona opera famam vincentia senium a se vetustatis repellent, quandiu inibi sedes episcopalis durabit, » etc. quæ verba etiam habentur dicti historici lib. III De gest. reg. Angl. ubi tamen legitur Walkelinus. In Annalibus Rogeri Houedini parte prima dicitur *Walcelmus.* « Anno (ait) 1098 Walcelmus Wintoniensis 3 Non. Januarii die Dominica obiit. » Sed ibi cudi debuit, *Walcellinus.* Nam Mattheus Paris sub anno 1093 : « Cum ante ordinandi pontificis examinationem Walkelinus Wintoniensis episcopus ecclesiastico more electionem scriptam legeret, Thomas Archiepiscopus Eboracensis quæstus est scriptum rite non esse factum.» Idem sub anno Dominicæ Nativitatis 1098 : « eodem tempore obiit Walkelinus Episcopus Wintoniensis. »

Wentonensium Episcopo. Quidam, *Wintoriensium,* alias, *Guittoriensium.*

Ut orationum manus desideranti mihi porrigas. Sic plane vett. codd. Antea cusum, *munus,* quod etiam defendi potest quomodo dixit epist. 168, manus auxilii, vel munus consilii porrigere. Sed placuit alteram lectionem retinere tot codicibus confirmatam. Ita enim epist. 19 dicit orationis manus extendere, et epist. 207 et 215, mutuas orationum manus porrigere. Item epist. 70 mutuas exhortationum manus invicem porrigere. Paschalis papa secundus in epist. ad Anselmum Cantuariensem archiep., « ut quanto proprius ad Deum passibus virtutum accedis, nobis orationum tuarum manus extendas.» Paulinus Nolan. epist. ad Sebastianum, « orate pro nobis, conserite validas orationum manus, ut superetis multitudinem peccatorum nostrorum. » Ea figura dixit S. Augustinus initio lib. V Confession.: « Accipe sacrificium confessionum mearum de manu linguæ meæ quam formasti et excitasti ; » quod a vetusto interprete sumptum Proverb. cap. XVIII : « Mors et vita in manibus linguæ. » Ubi S. Salonius Episcopus ait metaphorice dictum linguæ manum, ut pennas venti, manus enim linguæ, ipsa verba esse.

AD EPIST. XXXIX.

Pro multa in te benevolentia in monachis Beccensibus. De Abbatia Becci, et primo Abbate Herluino et successore ejus Anselmo videndus Wilhelmus Gemeticensis lib. V De ducibus Northmannis, cap. 9. Anselmus enim monasticum amplexus fuerat institutum in Beccensi cœnobio Northmanniæ anno ætatis suæ 27, in quo Lanfrancus prioris munere fungebatur, cui in præfectura eadem Anselmus successerat, ut refert Edinerus Anglus in ejus Vita.

AD EPIST. XL.

Manegaldo. In priscis schedis Ant. Loiselli hæc epistola inscribitur *Manegaldo magistro.* Ivo indicat philosophandi studio inhæsisse antequam clericali ordini nomen dedisset Puto eumdem esse qui Manigaudus Teutonicus alibi appellatur : vetus et anonymus auctor in fragmento historiæ Francorum a Roberto ad mortem usque Philippi : « Hoc tempore tam in divina quam in humana philosophia floruerunt Lanfrandus Cantuariorum episcopus, Guido Langobardus, Manigaudus Teutonicus, Bruno Remensis qui postea vitam duxit eremeticam. » Nonnullis videtur idem esse cujus mentio fit a Bertoldo coævo Ivonis scriptore in chronico ad annum Dom. 1095, ubi dicitur in Alsatia magistrum Manegoldum de Lutembach mirabiliter reaccendisse religionem ecclesiasticam, jamdudum in illis partibus exstinctam, et apud annum 1093 : « Manegoldus venerabilis præpositus canonicorum apud Marbach degentium ab Henrico rege diu in captione detentus est, quod Urbano faveret, nec schismaticis obediret. » Denique ad annum 1100 in Alemannia venerabilis abbas Manegoldus de monasterio S. Georgii a monacho suo occisus refertur.

Et iterum et iterum vacare. In duobus vett. codd. hæc verba non geminantur, contra consensum aliorum codicum. Et sane alii loci id firmant, ut epist. 132, « Iterum et iterum rogamus ; » et epist. 273 : « Unde iterum et iterum supplicamus.» Pedo elegia de morte Drusi Neronis :

Te clamore vocant iterumque iterumque supremo.

Paulinus Nolanus in carmine ad Licentium,

Hoc tamen et repetens iterumque iterumque monebo.
Ut fugias duræ Lubrica militiæ.

VIRGIL. Æneid. 3 :

Et repetens iterumque iterumque monebo.

Idem in VIII :

...Iterum atque iterum fragor intonat ingens.

AD EPIST. XLII.

Dicerem plurima in aure tuta. In v. c. Ser. **138** *in aure tua* quam lectionem pariter exhibet codex Put., in quo restat vestigium litteræ extritæ, ut indicio sit primitus ibi scriptum, *tuta,* quæ lectio melior est et confirmatur consensu cæterorum. Horatius lib. I, ad 28 :

Quidquid habes age, depone tutis auribus.

Ad Epist. XLIII.

Ut novus rex. De Conrado filio Henrici tertii imperat. qui ad papam Urbanum venit, a quo solutus excommunicatione fuit, hæc verba accipit Baronius tom XI Annal. et refert ad annum sextum pontificatus Urbani, Gull. Malmesburiensis : « Sed æquiori (ut videbatur) causæ affuit malitia Mathildis, quæ oblita sexus, nec dispar antiquis amazonibus, ferrata virorum agmina in bellum agebat femina, ejus suffragio Urbanus thronum indeptus apostolicum, securum per undecim annos actitavit ocium. »

Conterat dominus Sathanam, oro, sub pedibus vestris. Solus codex S. Ger. legit : *Convertat dominus :* sed prior lectio aptior, firmaturque loco S. Pauli in Epist. ad Rom. cap. ult. itemque verbis Ivonis Epist. 236. « Salva (ait) reverentia Romanæ Ecclesiæ celebrare : quæ si ad præsens non potest Sathanam sternere sub pedibus suis : « Arnulphus Lexoviensis in epist. 19 ad Alexandrum papam. » Porro schismata hæc in Ecclesia Romana frequentius accidisse etiam Lateranensis palatii picturæ demonstrant : ubi catholicorum Patrum pedibus, pro scabello schismatici præsumptores adscripti sunt; ubi superborum et sublimium colla sapientia propria virtute conterit et conculcat : quod sane ea ratione factum, ut sanctis Patribus cedat ad gloriam victoriæ testis ascriptio, in qua præsumptores illi vel compressionis pœnam sustinent, vel præsumptionis veniam deprecantur. Unde et sancti Apostolatus vestri cathedra sine scabello esse non debuit : sed nobiliore scabello debuit illustrari. » Sugerius abbas lib. De Vita Ludovici Crassi regis, agens de Burdino antipapa schismatico, qui Romæ jussu Calixti papæ transversus impositus fuit camelo, et caprinis pellibus amictus per forum traductus ; « Ad tantæ ultionis (ait) memoriæ conservationem, in camera palatii sub pedibus domini papæ conculcatum depinxerunt. »

Ad Epist. XLIV.

Cum læsus foris, lædens intus pereat. Præclara castigatio ope vett. codd. cujus loco irrepserat antea *cum Jesus foris, Jesus intus pereat.*

Sit anathema maranatha. Posterior hæc vox deerat in quibusdam libris, quod fortasse factum errore librarii, cui nova et insolens videbatur. Adjecta est fide aliorum codicum. Exstat in epist. Pauli I ad Corinth. cap. 16, et in ea. *Guliarius*, cau. 23, q. 4. In prisco carmine Theodorici abbatis S. Trudonis :

Dic sint maranatha, Deus, hi dic sint anathema. In concilio Toletano relato in prisca synodo Remensi habita Durocortori : « Qui contra hanc vestram definitionem præsumpserint, anathema maranatha, hoc est perditio in adventu Domini sint, et cum Juda Iscarioth partem habeant. » Hac de voce S. Hieronymus epist. 137, ad Marcellam. Baronius etiam Annal. tom. I sub anno Christi 57, rationem reddit cur anathemati adjiceretur.

Ad Epist. XLVI.

Baronius tomo II Annal. hanc refert ad synodum indictam Claromonti apud Arvernos sub anno septimo pontificatus Urbani secundi

Confidentes. Addita vox ex codice manuscripto.

Calliditate ingenioli sui. Solus cod. S. Ger. *ingenii.*

Et venustate linguæ suæ cod. Put., *et volubilitate*, sed præferenda est altera lectio quæ exstat in cæteris exemplaribus. Nempe auctoris sæculo quamvis minus polito, adhuc supererant plerique in Galliis disertæ linguæ viri, qua laude Gallia nunquam caruit etiam testimonio exterarum gentium. Cato apud Sosipatrum Charisium dicit Galliam duas res semper studiosissime persecutam, rem militarem et argute loqui, et S. Hieronymus lib. adv. Vigil. ait Galliam semper abundasse fortissimis et eloquentissimis viris. Fortunatianus quoque in libris artis scholicæ adnotavit gentili Gallorum vocabulo facetos dici solitos pro facundis; quo etiam sensu apud Sugerium abbatem in Vita Ludovici regis Crassi : « Singulariter, inquit, et solus Treverensis archiepiscopus, vir elegans et jucundus, eloquentiæ et sapientia copiosus, Gallicano cothurno exercitatus facete peroravit. »

Regem cum regno ab obedientia vestra discessurum. Hinc in aperto est Francos favisse Papæ Urbano, non autem Guiberto antipapæ, quo spectant verba Bertholdi in Chronico ad annum Dom. 1089, papam litteras Philippi regis Francorum debitam ei subjectionem promittentis suscepisse. Et rursus ad annum 1091 papam in partibus Campaniæ demorantem ab omnibus catholicis debita reverentia cultum fuisse, et a Philippo Francorum rege. Denique ad annum 1094 refert in Galliarum civitate Ostione, generali concilio ab Hugone Lugdunensi archiepiscopo et sedis apostolicæ legato, renovatam esse excommunicationem in regem Henricum quartum, et in Guibertum sedis apostolicæ invasorem, inque omnes eorum complices.

Nisi coronam restituatis, nisi Regem ab anathemate absolvatis. Hic locus eorum adjuvat sententiam, qui asserunt Philippo excommunicato a papa Urbano secundo, interdictum simul regnum Franciæ : quod alii loci firmare possunt, ut epist. 66 ad Hugonem Romanæ Ecclesiæ legatum, qua dicit archiepiscopum Turonensem contra interdictum illius imposuisse coronam regi, et hac arte obtinuisse a rege, ut quidam malæ famæ fieret episcopus Aurelianensis. Quod iterum repetit in calce epist. 67 ad Urbanum ; sed et epist. 84 laudat Joannem cardinalem legatum, qui a communione regis abstinuerat, licet quidam Belgicæ provinciæ episcopi contra interdictum papæ Urbani coronam regi imposuissent, tanquam mortuo præcone justitiam mortuam esse credidissent. Item epist. 144 ad Paschalem papam scribens, ubi agit de reconciliando Ecclesiæ Philippo, dicit terram quæ periclitabatur ejus anathemate, a periculo eruendam. Certe jam antea scribens ad ipsum Philippum epist. 15 aperte profitetur summum periculum fore coronæ regni illius, si duxerit pellicem priusquam generali concilio causa ventiletur. Et paulo post addit, caveat ne cum diminutione regni terreni æternum amittat. Præterea ad dapiferum regis emissa ep. 23 dicit se litteras Urbani retinuisse, quia nolebat regnum adversus **139** ipsum aliqua ratione commoveri. Astipulantur verba continuatoris Aimoini monachi hist. lib. v, c. 1, scribentis regem et totam ipsius terram anathematis vinculo obligatam fuisse a domno papa, cum rex nefandissimo more vitam suam duceret, et nullius admonitione ab eo desistere vellet. Willelmus Malmesburiensis lib. iv De gest. reg. Anglor. cap. 2, agens de concilio Claromontensi sub Urbano secundo : « In eo concilio, ait, excommunicavit dominus papa Philippum regem Francorum, et omnes qui eum vel regem, vel dominum suum vocaverint, et ei obedierint, et ei locuti fuerint, nisi quod pertinet ad eum corrigendum ; similiter et illam maledictam conjugem ejus, et omnes qui eam reginam vel dominam vocaverint, quousque ad emendationem venerint, ita ut alter ab altero discedat. » Idem lib. v in Vita Henrici primi, dicit eumdem Philippum « accedente senio libidine gravem comitissæque Andegavensis specie lusum, illicitis ardoribus defeneratum : quocirca fuisse ab apostolico excommunicatum, cum in villa qua mansitabat, nihil divini servitii fieret ; sed discedente eo tinnitus signorum undique concreparent, insulsam fatuitatem cachinnis exprimebat : « Audis, inquiens, bella quomodo uno effugant, » adeo erat omnibus episcopis provinciæ suæ derisui, ut nullus eos desponsaret præter Willelmum archiepiscopum Rothomagensem : cujus facti temeritatem luit multis annis interdictus et vix tandem per Anselmum archiepiscopum apostolicæ communioni redditus. » Vetus quoque auctor frag-

menti historiæ Francorum a Roberto ad mortem Philippi, postquam dixit Philippum multoties a papa Urbano admonitum nequaquam consensisse, addit a successore Paschali in Gallias missos duos cardinales, qui regem convenientes et obstinatum reperientes, Pictavis adunato concilio totam Franciam pro hac re anathemati subdiderunt. Citatur etiam auctor prisci Chronici cœnobii Sancti Dionysii, adnotantis toto tempore illius excommunicationis in ecclesiasticis actis publicis solitum subscribi, *Regnante Christo*, non autem, *regnante Philippo*. Quod tamen hodie nonnullis commentum monachale videtur : suamque opinionem inde stabiliunt, quia subditi libenter suo parebant regi, et ipsemet Ivo litteris ad eumdem emissis, licet excommunicatum, nuncupat magnificum Francorum regem suumque dominum. Ab hoc in tit. ep. 22 optat sic gubernet temporale regnum, ut non amittat æternum. A quibus titulis (ut inquiunt) prorsus abstinuisset si pontifex Romanus vetuisset obediri Philippo, et desiisset gubernare regnum.

Sed minime novum aut inauditum videri debet si Urbanus et deinde Paschalis excommunicato a se Philippo, regnum interdixisse ferantur. Nam paulo antea Gregorius papa septimus (cui Urbanus successit (jam palam sæpe minatus fuerat se abdicaturum regno eumdem regem propter alia varia flagitia. Verba subjicere visum est e lib. I regesti, epist. 3\ ad Roderium Cabilonensem episcopum, qua invehitur in ipsum Philippum ecclesiarum venditorem et destructorem. « Noverit (*ait*) nos duram inobedientiæ contumaciam canonica austeritate coercituros. Nam aut rex ipse repudiato turpi Simoniacæ hæresis mercimonio idoneas ad sacrum regimen personas promoveri permittet : aut Franci pro certo, nisi fidem Christianam abjicere maluerint, generalis anathematis mucrone percussi, illi ulterius obtemperare recusabunt. » Idem lib. II, epist. 5 ad Manassem Remensem archiepiscopum, Richerium Senonensem, Richardum Bituricensem, cæterosque episcopos Franciæ scribens, de sceleribus dicti Philippi: « Apostolica auctoritate commoniti atque constricti, matrem vestram sanctam Romanam et apostolicam Ecclesiam debita fide et obedientia imitamini, et ab ejus vos obsequio atque communione penitus separantes, per universam Franciam omne divinum officium publice celebrari interdicite. Quod si nec hujusmodi districtione voluerit resipiscere, nulli clam aut dubium esse volumus, quin modis omnibus regnum Franciæ de ejus occupatione adjuvante Deo tentemus eripere. » Idem epist. 18 ad Guillelmum comitem Pictavensem : « Si in perversitate studiorum suorum perduraverit, et secundum duritiam impœnitentis cor [dis] iram Dei et sancti Petri sibi thesaurizaverit, nos Deo auxiliante et nequitia sua promerente, in Romana synodo a corpore [et] communione sanctæ Ecclesiæ ipsum et quicunque sibi regalem honorem vel obedientiam exhibuerit, sine dubio sequestrabimus, et ejus quotidie supra altare sancti Petri excommunicatio confirmabitur. » Hæc Gregorius. Ex quibus constare videtur, Philippo excommunicato ab Urbano et Paschali, interdictum simul fuisse regnum. Quid enim aliud sonant superiora verba Ivonis epist. 66 et 67 de imposita corona regi contra interdictum, et hac epist. 46 de restituenda corona, itemque epist. 144 terram periclitari anathemate ? Probabile est etiam excommunicato principe, nonnullos e subditis recusasse honorem ac obedientiam, alios coluisse et obtemperasse : quemadmodum recente bello civili discissis Gallorum studiis factum vidimus in Henricis tertio et quarto. Sic componi potest opinionum diversitas. Certe jam ante excommunicatum Philippum, alii reges Francorum cum toto regno censura papali affecti fuerant, ut Robertus filius Hugonis, de quo supradictus auctor in fragmento historiæ Francorum a Roberto ad mortem Philippi : « Idem vero rex (*ait*) in uxorem sibi assumpsit matrem Odonis comitis, Bertam nomine, qui eodem tempore puerulus fuerat : illa autem commater ejusdem fuerat regis. Idem namque rex ipsius filium de sacro susceperat lavacro. Quod agnoscens papa Gregorius, totam Franciam anathemate percussit. Porro rex amore ejusdem mulieris plus justo detentus, nequaquam eam dimittere voluit, donec Omnipotens per se corrigere eumdem regem studuit. Dum enim de eodem rege eadem mulier concepisset, credens se pariturum filium, peperit monstrum. Quæ res regem perterruit, et librum repudii eidem mulieri dare compulit. Quo facto absolvi cum toto suo meruit regno. » Sed et Aimoinus lib. De Vita S. Abbonis abbatis Floriacensis cap. 11 refert Abbonem rogatu regis Roberti Romam profectum, quia Gregorius comminatus fuerat se toti regno Francorum anathema invecturum, quod Arnulfus Remorum archiepiscopus, absque justa audientia sede sua privatus, custodiæque mancipatus fuisset. An vero Romanus pontifex debuerit aut potuerit excommunicare reges Francorum, et simul regnum interdicere, a doctioribus disputatum est. Illud tantum addatur quod Rigordus narrat in Gestis Philippi Augusti, cum anno Dom. 1199 Petrus cardinalis convocato concilio apud Divionem, regnum regis Franciæ sub interdicto posuisset, neque detulisset appellationi nuntiorum regis ad sedem Romanam : regem vehementer iratum fuisse, quia episcopi sui regni qui huic concilio interfuerant, interdicto consenserant. Itaque ipsos episcopos a propriis sedibus expulit rebusque suis exspoliavit.

140 *Relinquatur, non est meum*. Quidam codex distinguit, hoc modo : *Relinquetur? Non est meum.*

Ab unitate matris suæ. Additur in nonnullis, ecclesiæ, sed ex glossa ut apparet. Similis locus epist. 98 et 124.

AD EPIST. XLVII.

Widonis regis dapifero. Vox *regis* nunc primum addita est fide vett. codd. quorum etiam nonnulli habent *regio ;* male in prima editione deerat. Videtur autem intelligi de dapifero regis Franciæ, quia hac epistola agitur de causa Philippi et pellicis, Alius autem fuit dapifer Normanniæ, ut indicat titulus epist. 27. In eo dignitatis nomine allusit Hildebertus episcopus cum dicit in quadam epist. ex dapifero regis factum esse dapem diaboli. Elegans autem est reprehensio S. Bernardi Clar. in epist. 78, ad Sugerium abbatem S. Dionysii, de quodam clerico diacono, sic sublimato honoribus ecclesiasticis ut nec episcopis inferior videretur : sic implicato militaribus officiis, ut præferretur ducibus. Ex cujus verbis quia notio illius dignitatis aulicæ colligi potest, nonnulla deflorare juvat. « Par satis utrobique abusio, sine quod diaconus mensæ regiæ deputetur ministerio, sine quod regis dapifer mysteriis altaris inserviat. Quis sane non miretur, imo et detestetur, unius esse personæ et armatam ducere militiam, et alba stolaque indutum in medio ecclesiæ pronuntiare Evangelium, tuba indicere bellum militibus, et jussa episcopi populis intimare?» Et paulo post : « Cum sit archidiaconus, decanus præpositusque in diversis ecclesiis, nihil horum tamen tam eum, quam regis delectat vocitari dapiferum. » Et deinde subjicit : « Ipsum certe quod gestat in capite signum, plus regius decet fastus quam famulatus, itemque regale fastigium magis armis quam psalmis innititur, » etc.

AD EPIST. XLVII.

Quiesce. Abest uno v. c.

Legatur ex quo. Variat lectio apud Gratianum in ea. Legatur, cau. 23, q. 2. In nonnullis membranis habetur, « nec legitur ex quo est religio Christiana, vel certum datur exemplum ; » in aliis, « nusquam legitur ex quo est rel. Chr. » *etc.*

AD EPIST. XLVII.

Perturbatione cassare. Ita quatuor antiqui codices,

cui lectioni accedit mendosa scriptura cod. S. Germ. *cessare*, vulgata editio, *quassare*, ut etiam quidam calamo exarati libri. Sed *cassare* rectius est, et id verbi frequens auctori, ut epist. 39, 62, 87, 155 et 209 : differentiam notat Nonius Marc.

AD EPIST. XLIX.

Gaufridi exepiscopi. Antea cusum, *episcopi*, quomodo legitur in nonnullis membranis. In aliis compendiose *episcopi.* Codex Regius perperam obtrudit, *exempli.* Sed in manuscripto Nicolai Fabri, et altero S. Victoris *exepiscopi.* Hunc enim dicit exepiscopum, quia depositus fuerat ab Urbano papa, ut indicant epist. 1 et 2 : supra ea forma olim dictos exconsules, expræfectos, et exquæstores, et alia complura notius est quam ut exemplis probari debeat.

Mellis facerem. Ita tres manuscripti ; in duobus aliis, *Meldis :* Male solus codex Put., *melius facerem.*

AD EPIST. L.

Aplicueris. Variant lectiones : Antea cusum *a Picueris*, ut habent nonnulli scripti codices. In aliis *a Pitueris*, in ora alterius *a Jemeris*, in quibusdam *a Plicueris :* et simul adjecta glossa sequens : « Villa in Beotia quæ Gallice dicitur *Puviers*, vel *Bluviers.* »

De veteri querela quam habet adversus Senonensem Ecclesiam Lugdunensis Ecclesia. Infra, epist 54, dicit primatum Ecclesiæ Lugdunensis irrationabiliter refutari a sede Senonensi. Sunt testimonia quibus constet Senonensem archiepiscopum fuisse olim primatem Galliæ. Chronologia Autissiodorensis ad annum 1002 : « His diebus domnus Sevinus Senonensis archiepiscopus obit. Hic Romæ per manum Joannis papæ archiepiscopale pallium quo antecessores ejus infulati sunt, et primatum Galliæ suscepit. » Gregorius autem papa septimus confirmavit primatum Ecclesiæ Lugdunensis epist. 34 lib. VI.
141 Huic epistolæ subjicitur alia ejusdem Gregorii directa coepiscopis Rothomagensi, Turonensi et Senonensi, in eamdem sententiam ut archiepiscopo Lugdunensi ex antiqua Patrum auctoritate primati a se confirmato obedientiam præstent : ubi etiam rationem et originem diversorum in Ecclesia graduum declarat. Sed hanc exscribere nil attinet. Repetatur e tomo tertio Epistolarum summorum pontificum, libro sexto Registri Gregorii papæ septimi, epist. 35. Guillermus Brito Armoricus Philippidos lib. XII, de hoc primatu agit his versibus :

Et Lugdunensis, quo Gallia tota solebat,
Ut fama est, primate regi, causasque referre
Difficiles, ut ibi lis ultima litibus esset.
Nec mittebatur Romam lis ulla, nisi quam
Lugdunense forum per se finire nequisset.
Cujus honoris adhuc memor est epigramma sigilli,
Quique monetatus datur ad commercia census,
Sacratique patres quos suffraganeus illi
Ordo lege dedit subici metropolitana.

Itaque non immerito dicit S. Bernardus Clarævall. epist. 174 ad canonicos Lugdunenses, inter Ecclesias Galliæ constare Lugdunensem hactenus præeminuisse sicut dignitate sedis, sic honestis studiis et laudabilibus institutis.

Locis quibus morantur divinum officium interdicat. Hic observandus est mos illius sæculi, quo divinum officium solebat interdici locis illorum qui pacem publicam violabant ; cujus etiam rei testimonium habetur epist. 263, ubi Belvaci suborto clericorum tumultu adversus regis Ludovici ministros, cessatum a divinis. Et epist. 264 dicit hunc rigorem minime servari debere, nisi ubi culpa sacrilegii et violatæ pacis aliter vindicari nequit. Idem, epist. 94, postulat a Paschali papa ut jubeat ecclesias tam civiles quam suburbanas claudi, si quis privilegium et libertatem concessam Carnotensis Ecclesiæ infregerit. Item epist. 121 dicit a clericis Carnotensibus instanter peti ut in civitate Carnotensi, et per totum episcopatum interdicat divinum officium donec illis res ablatæ restituantur. Sed plerisque visa est stupenda magis facti atrocitas, cum toto passim regno
A unius ob noxam publicæ religionis munera prohibebantur a summis pontificibus. Gregorius septimus lib. III, epist. 5, ad episcopos Franciæ, ubi agit de sceleribus Philippi primi regis : « Et ab ejus vos communione penitus separantes, per universam Franciam omne divinum officium publice celebrari interdicite. » Willelmus quidem Malmesburiensis De gestis regum Anglorum, lib. IV, testatur, excommunicato eodem Philippo, cessasse divinum servitium in villa qua mansitabat cum sua pellice Bertreda, cujus verba latius relata sunt ad epist. 46. Aymoinus, lib. De vita sancti Abbonis Floriacensis abbatis, cap. 12 : « In eo sane privilegio et inter alia continetur, ut episcopus Aurelianensis, nisi invitatus, Floriacum nequaquam adeat cœnobium, neve unquam quilibet pontificum eidem monasterio divinum interdicat officium, etiamsi tota Gallia ob populi peccata anathematis feriatur vindicta. » Auctor chronologiæ Altissiodorensis : « Anno Domini
B 1200 erat in toto regno lugubris Ecclesiæ facies, quia nulla celebrabantur in ecclesiis sacramenta vel divina officia præter viaticum et baptisma. Nec modo in ecclesiis, sed et monasteriis cessatum est a divinis. Negabatur mortuis sepultura, Erat igitur ubique per regnum mœstitia circumfusa, cum hic Ecclesiæ silerent organa et ora canentium Dominum clauderentur. Octavianus Ostiensis episcopus a domino papa legatus in Franciam, regnum absolvit, regem ad hoc inducit ut reginam quam expulerat in regnum reducat ; non tamen cum debito honore susceptam, nec thoro redditam maritali. » Intelligit autem de Philippo Augusto qui reginam Ingeburgen uxorem abdicaverat et Mariam pellicem superduxerat. Idem, paulo post : « Tota Anglia gravissimo subjicitur interdicto, et tam in monasteriis quam in ecclesiis cessantibus quibuslibet privilegiis organa lætitiæ divino sunt suspensa silentio. »

AD EPIST. LIII.

C *Quod clericum illum quem in die vestri introitus secundum morem vestræ civitatis nostra exhortatione de carcere liberastis.* Pro *vestræ*, quod habent vett. codd., male antea irrepserat *nostræ*. Hic autem locus observatione dignus. Nam etiam hodie episcopi Aurelianensis civitatis illum morem retinent, quem ferunt fuisse confirmatum placito Burdigalensis curiæ anno 1522. Sed unde manarit origo sub obscurum est. Videtur fluxisse ab antiquissima illa consuetudine qua episcopi frequenter apud sæculares judices intercedebant pro reis et carcere detentis, ut vel mitius punirentur, vel liberarentur : qua de re alibi fuse dictum est. Priscus auctor in Vita S. Aniani episcopi Aurelianensis ita scribit apud Surium tomo sexto sub die 17 Novemb. : « Cum jam communibus omnium suffragiis episcopus electus esset, ab Agrippino viro illustri et militum magistro petiit ut eos omnes quos carceres vinctos detinerent liberos abire pateretur. Recusabat ille, nescio
D quid causæ prætexens ; sed cum vellet in templum precandi causa ingredi, ab alto decidit lapis in caput ejus, diramque ei plagam imponens, multum ex eo sanguinem expressit. Sensit illico ea causa id accidisse, quod sancti episcopi preces rejecisset. Mittit ergo, jam a famulis reportatus in domum suam, qui episcopum vocent ; mors enim propter nimiam sanguinis fluxionem impendere videbatur. Venit episcopus, manu sua vulneri crucis signum imprimit, sanguis sistitur, redeunt vires prope jam deplorato ; aperiuntur carceres, et exeunt miseri, beati episcopi Aniani intercessione in libertatem vindicandi. » Legitur etiam regem Angliæ voluisse vinculis nexos liberari in favorem Anselmi, postquam electus fuit in archiepiscopum Cantuariensem. Qua de re Osbernus in quadam epist. ad eumdem Anselmum, cujus particulam profero ex antiquo exemplari, quia non hactenus evulgata : « Quid namque insignius ad te eligendum ostenderet Deus, quam ut tu promovereris, regem triumphis nobilem,

severitate cunctis formidabilem lecto decubuisse, ad mortem usque ægrotavisse : te autem promoto statim eumdem respiravisse, convaluisse, atque ex fero et mitissimum pariter ac mansuetissimum redditum fuisse ? Quid, inquam, aut ad divinas laudes magnificentius, vel ad humana spectacula gaudentius, quam quod in tua electione, exclusis omnibus transactæ tempestatis afflictionibus, omnia ad proprii juris possessionem, veluti jubileo termino cucurrerunt, dum vincti ad expeditionem, carcerati ad lucem, captivi ad libertatem, oppressi dirissimis exactorum furoribus redierunt ad erectionem ? Omnia hæc te loquuntur, tibi famulantur, tuis meritis adscribuntur. » Priscus auctor in Vita sancti **142** Eligii Noviomensis episcopi, lib. II, cap. 15, narrat Eligium venisse in civitatem Biturigum, ubi complures ob fiscalem judicem interfectum vincti tenebantur : appropinquante autem sancto viro januas carceris divino nutu confractas fuisse, seras dissipatas, omniaque compeditorum soluta vincula. Tum illum dedisse consilium reis ut ad basilicam sancti Sulpitii confugerent. Ubi cum omnia ostia sibi obserata viderent, repente ostium patefactum fuisse : cumque milites persequerentur fugitivos, et manu injecta ferro iterum alligarent coram altari, orationibus Eligii confractas catenas in terram cecidisse, militibus magno metu perculsis, et veniam facti deprecantibus. Similia exempla repeti possunt ex historiis sanctorum. Ac probabile est religiosos et faciles principes honori atque sanctitati veterum antistitum aliquoties indulsisse privilegia solvendorum reorum, levioris tamen culpæ. Verum ut longissima ætate omnia depravari solent, verendum est ne nonnulli postea plausibiles indoctæ et nimium credulæ plebeculæ narrationes commenti fuerint, quibus innixi personale beneficium latius extenderent, et gratia licentius abuterentur, impunitate trifurciferis præstita. Cujus generis multi hodie censeri volunt privilegium seu pravilegium quod vulgo appellant S. Romani Rot. super quo gravissima suborta contentio, et agitata in concilio regis. Nullum enim popularis fabulæ de dragone et reo indicium subest in Vita sancti illius episcopi ab antiquo et fideli auctore scripta, et novissime divulgata a doctissimo politissimoque jurisconsulto Rigaltio, quem veri et justi amor ad id impulit.

Curiæ traditum. Infra, epist. 66, objicit archiepiscopo Turonensi quod clericos sibi adversantes tradi curiæ faceret clandestinis delationibus. Quibus locis videtur accipere curiam pro foro sæculari ; ut clerici ibi pœnam subirent judicio laicorum. Sic enim curiam distinguit ab Ecclesia epist. 23, ubi dicit se responsurum in Ecclesia pro negotiis ecclesiasticis, et in curia pro curialibus. Item in epist. 137 curiam vitandam esse in causis clericorum : quemadmodum etiam Hildebertus episcopus Cenom. ait in epistola quadam, reos tormentis afficere, censuram esse curiæ, non Ecclesiæ. Et in eumdem sensum posteriore sæculo canonistæ id verbi detorserunt in cap. Novimus, extra de verbor. signif. quod brachio sæculari tradi vulgo dicitur. Cum autem ætate Ivonis mutata reipublicæ forma jampridem in Galliis desiissent esse antiqui decurionum ordines, non potuit dicere clericos tradi curiæ illo significatu et sensu quo vetustiores pontifices Romani, quorum tempore curialium ordines adhuc in usu erant. Etenim Fabianus papa in ca. 28, cau. 11, q. 1, « submotus a clero curiæ tradatur, cui vitæ suæ omnibus diebus serviat. » Et Stephanus papa in ca. 8, cau. 3, q. 4, « clericus quia infamis effectus est, a gradu debet recedere, ac curiæ tradi serviturus. » Nempe olim clerici indigni suo officio, et ab Ecclesiæ ministerio segregati, solebant adscribi curiis, ut indicant verba impp. Arcadii, Honorii et Theodosii in l. 39, de episcop. Eccl. et cler. Cod. Theod. Narrat etiam Epiphanius hist. trip. lib. I, cap. 9, a persecutoribus Christianos complures datos curiis, cum tamen curiales origine non fuissent : quod tandem ab imperatore Constantino Magno vetitum fuit. Postea Julianus odio religionis orthodoxæ subtraxit privilegia clericorum, et iterum eos curiæ tradidit, ut refert idem Epiphanius hist. trip. lib. VI, cap. 7, a quo pariter proditum est multos episcopos sub Valente traditos curiæ. Nam loco supplicii, deputabantur curiis, quandoquidem prohibitum sanctione Gratiani, Valentiniani, et Theodosii in l. 108 de Decurionib. C. Theodos., ubi dicunt dignitatem non debere comitari criminosos, sed pœnam. Ejusmodi autem curiales multis gravibus reipublicæ muneribus erant obnoxii, quorum pondere obruebantur : unde plerique talia onera detrectabant. Quo factum est ut quibusdam privilegiis oportuerit munire decuriones ne Curiæ vacuæ relinquerentur magno civitatum damno, quemadmodum liquet ex variis constitutionibus sub tit. de Decurionib. in Codice Theodosiano et Justinianæo.

AD EPIST. LIV.

Cognomine Pejor lupo. Ita omnes nostri manuscripti. In ora libri sui Cujacius addiderat, *lupus pejor lupo*, fortasse fide alicujus veteris codicis. Simile cognomen in notis ad tit. epist. 151.

Districta sacramenta usque ad septem. Antea cusum, *distincta*, sed minus recte ut meliores codices evincunt, et similes loci auctoris epist. 170, « nisi prius districta examinatione probarentur ; » et epist. 225, « districtis sacramentis, et per probatas sex personas ; » et epist. 232, « consuluit tamen diligentissimis et districtissimis examinationibus esse perquirendum. » Constantius, de Vita S. Germani episcopi Autissiod. lib. I, cap. 13, « quem cum districta examinatione discuteret. » S. Gregorius papa in ca. Habet, cau. 2, q. 5. « ad beati Petri sacratissimum corpus districta eorum ex abundanti fecimus sacramenta præbere. » Purgatoria autem sacramenta exigi a presbyteris infamatis, cum tribus, aut quinque, aut septem collegis dicit Ivo epist. 206. Erant illi qui *sacramentales* vocabantur, ut in prisca lege Alemannorum tit. 6, 7, 37, 90, 91 et in lege Bajoriorum tit. 1 et 5, qui etiam *conjuratores* in dicta lege Alemannorum tit. 6, *et compurgatores* in ca. Quoties, et can. Accepimus, tit. de purgatione canonica : male igitur in uno vetere exemplari hac epist. 54 verba illa, *usque ad septem*, prorsus aberant, qua quidem in reliquis exstant. Tale enim istud est ejusdem Ivonis epist. 229, « quinta manu mulieris vel septima purgationem ejus accipiatis. » Hildebertus Cenomanensis episcopus epist. 69 ad Honorium : « Judicatum est decanum si non pro Nicolao, quibusdam moratoriis causis quærente judicium differri : pro Ecclesia tamen quæ eum habebat suspectum debere purgari, atque in septima manu ordinis sui suam jurejurando declarare innocentiam. » Arnulfus Lexoviensis episcopus epist. 95 ad papam Adrianum IV : « Abbati est a nobis adjudicata purgatio, septima quidem manu, trium scilicet abbatum, et trium monachorum sacerdotum notæ opinionis et nominis, quorum juramentis vulneratæ famæ necessarium posset remedium comparare. » In Alemannorum lege tit. 6 legitur « sexta manu jurare. » Et in lege Ripuaria tit. 35 « septima manu fidem facere. » In Frisionum lege tit. 14. « sua duodecima manu objectu criminis se purificare sacramento. » Et paulo post, « duodecima manu perfectorio sacramento se excusare. » Etiam in jure canonico hujusce sermonis plura exempla, ut in tit. de purgatione canonica, cap. 5, dicitur « purgari quarta et quinta manu. » Item in ca. Quoties, cau. 2, q. 5, « tertia manu sui ordinis, et quarta **143** manu abbatum et religiosorum sacerdotum se expurgare. » Ita enim ibi legunt aliquot exemplaria, pro quo in aliis est, « et quatuor abbatum. » Et in can. Requisisti, caus. 23, q. 1, « septima manu propinquorum tactis sacrosanctis reliquiis jurejurando dicere, » ut etiam in cap. Laudabilem et cap.

Litteræ, De frigid. et malefic. Alibi legitur clericum mala fama pulsatum, « sola se manu purgare posse, » apud Ivonem epist. 206. Hoc de more jurandi locus est singularis in prisca lege Alemannorum tit. 6 de juratoribus, ubi forma rei præscribitur : « Ita vero sacramenta, inquit, sic fieri debent, ut illi juratores manus suas supra capsam ponant, et ille solus qui causa requiritur, verba tantum dicat, et super omnium manus manum suam ponat, ut sic eum Deus adjuvet vel illæ reliquæ, et illi manus quas comprehensas habet, ut de illa causa unde interpellatus est, culpabilis non sit. » Manum autem symbolum fidei fuisse veteribus constat. Ideo in concilio Triburiensi, cujus verba relata ea. Si quis, cau. 2, q. 5, ubi agitur de presbyterorum juramento, dicitur : « Manus enim per quam corpus et sanguis Christi conficitur, juramento polluetur? absit ! » Itaque in Capitularibus Caroli Magni, lib. III, cap. 4 et 10 ; itemque lib. v, cap. 125, perjurus jubetur manum perdere.

Hermoldus in Hist. Slavorum lib. I, cap. 29 : « Rudolphus vulneratus in manu dextra fugit Marcipolim, mortique jam proximus dixit ad familiares suos : « Videtis manum dexteram meam de vulnere sauciam. Hac ego juravi domino Henrico ut non nocerem ei, nec insidiarer gloriæ ejus. Sed jussio apostolica, pontificumque petitio me ad id deduxit, ut, juramenti transgressor, honorem mihi indebitum usurparem. Quis igitur finis nos exceperit, videtis, quia in manu unde juramenta violavi, mortale hoc vulnus accepi. » Quibus verbis conjungi debet quod scribit vetus c,, etc.

Vetus et anonymus auctor in Vita Henrici quarti imperatoris laquens de Rudolfo regni invasore : « Magnum mundo documentum datum est, ut nemo contra dominum suum consurgat. Nam abscissa Rudolfi dextera dignissimam perjurii vindictam demonstravit, qui fidem domino suo regi juratam violare non timuit : et tanquam alia vulnera non sufficerent ad mortem, accessit etiam hujus membri pœna ut per pœnam agnosceretur et culpa. »

AD EPIST. LV.

Hugoni. Baron., tom. XI Annal., reprehendit hunc Hugonem, quia imperium nimis importune exerceret adversus Bellovacensem electum, et in hanc rem trahit epist. 30, ad Fulconem.

Districtius judicasse. Quidam cod. *vindicasse*, et epist. 60, « in quibusdam districte judicarent. »

AD EPIST. LVI.

Philippo. Baronius ; tom. XI Annal., refert hanc epistolam ad annum octavum pontificatus Urbani secundi : demum transcripta epistola subjicit multum obesse Ecclesiæ indiscretos ministros, cum præcipiunt interdum absque consilio dura quæ præstari vix possunt.

AD EPIST. LX.

Hugoni Lugdunensi archiepiscopo. Baronius, t. XI Annal., sub. anno Christi 1099, pontificatus autem Urbani duodecimo, adnotat hunc legatum apostolicum in culpa fuisse, qui rem exigeret nimis audacter et importune magno cum imperio, et addit, ministrum improvidum conjecisse statum Gallicanæ Ecclesiæ in magna discrimina. Demum libere fatetur Urbanum papam hujus sui legati verbis stimulatum, vehementer in ipsum Ivonem fuisse commotum quia scilicet prudentia carnis et non spiritus quæ perperam facta sunt a ministris, defendi solent.

Sed si his exactionibus cederet. Ita correctum ex v. c. Antea mendose cusum, *actionibus*. Cæterum idem Bar., offensus quod hic dicitur, investituram episcopatus a rege Galliæ factam nihil officere religioni, scribit reliqua hujus epistolæ verba scabrosiora plane esse, cum de investituris vetitis Ivo nimium abjecte loquatur, imo despecte multa ingerat, quæ nisi corrigerentur ab aliis ejusdem auctoris epistolis, in maximum discrimen adduxisset famam suam et gloriosum nomen, quod ex defensione apostolicæ veritatis sibi dignissime comparaverat.

Investituram de manu regis accepisse. Reperitur capitulum Silvestri Romanæ Ecclesiæ pontificis ex illius epistola ad Nicolaum Ecclesiæ Sanctæ Rufinæ episcopum : « Nulli clericorum præbendas vel ecclesiastica officia nisi manu episcopali, vel manu abbatis, vel regia manu in sancta accipiant Ecclesia : quod si aliter fecerint, sciant stare non posse acceptionem hujusmodi. » Sed posteriores pontifices ne quidem ipsis regibus id licere voluerunt, ut notatum ad epist. 233. Quo etiam spectant verba Paschalis papæ in epist. ad Anselmum, de legatis regis Anglorum loquentis : « Audivimus eos dixisse, quia si rex in aliis bene ageret, nos investituras ecclesiarum non prohibere, nec factas excommunicare : et quod ideo nolebamus cartæ committere, ne sub occasione et cæteri principes in nos inclamarent. Unde Jesum qui renes et corda scrutatur, in animam nostram testem inducimus, si ex quo hujus sanctæ sedis curam cœpimus gerere, hoc immane scelus vel descendit in mentem. » Et paulo post : « Si vero nostro silentio pateremur Ecclesiam felle amaritudinis et impietatis radice pollui, qua ratione possemus apud internum judicem excusari ? Non est laicorum Ecclesiam tradere, nec filiorum matrem adulterio maculare. Jure igitur privandus est patrimonio qui matrem polluit adulteris, nec meretur ecclesiasticæ benedictionis consortium qui eam impia infestatione insequitur. Laicorum est Ecclesiam tueri, non tradere. » Et paulo post : « A sacris canonibus inhibitum, ne principes et sæculares viri investituras non solum non dare, sed nec electioni episcoporum se audeant violenter inserere. » His conjunge quæ notantur ad epist. 190.

Quæ de munificentia regum obtinent Ecclesiæ. Hinc multorum querelæ subortæ, qui ingrati animi notam clero inusserunt. Walthramus episcopus Nuverbugensis in tractatu De investituris episcop. : « Romani pontifices, aliique præsules de rebus et fundis per devotos laicos et laicas acquisitis, et a sæculari potestate confirmatis, struxerunt et ornaverunt ecclesias, et a quibus acceperunt gratiam, non debent eis inferre contumeliam : et si de investituris peccaverunt, exemplo primi Gregorii exhibeantur : quod Paulus dicit : *Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina* (*II Tim*. IV). » Otto Frisingensis episcopus in præfatione lib. VII Chronici : « Non desunt tamen qui dicant Deum ab hoc regnum imminui voluisse, ut Ecclesiam exaltaret. Regni quippe viribus ac beneficentia regum exaltatam et ditatam nemo ambigit Ecclesiam : constatque eam non prius in tantum regnum humiliare potuisse, quam ipso ob amorem sacerdotum eviscerato ac viribus exhausto, non ejus tantum, id est spirituali, sed suo proprio materiali scilicet gladio percussum destruetur, quod judicare vel discutere, supra nostras vires est. Videntur tamen culpandi sacerdotes per omnia, qui regnum suo gladio, quem **144** ipsi ex Regum habent gratia, ferire conantur. »

Leodienses, in epistola adversus Paschalem papam secundum : « Igitur ex verbis istorum et sanctorum Patrum, consulant sibi episcopi regibus et imperatoribus obnoxii ex eorum regalibus acceptis, ne proprio gladio, id est eorum beneficiis, eos interficiant. » Eodem spectant verba Goffridi Vindocinensis abbatis, qui postquam multa disputavit de investituris Ecclesiarum a regibus fieri solitis, concludit Ecclesiam debere cavere in sua libertate asserenda, nedum nimis emunxerit, eliciat sanguinem, et vas ipsum frangat, dum rubiginem de vase conatur eradere : locus prolatus est infra ad epist. 190.

In manu præsidentium, ut ea in quibusdam districte judicarent. Solus cod. Put. *in manu possidentium ;* sed depravato sensu. Nam statim appellat præsidentes, quemodmodum epist. 190 et 191, et 233, quo nomine subintelligit pontifices Romanos, eodem

spectat quod dicitur epist.236, in partibus Germaniarum et Galliarum multos pastorales virgas reddidisse, et per manum apostolicam refutatas investituras recepisse : quod summi pontifices minime fecissent,si in tali investitura hæresim et peccatum in Spiritum sanctum latere cognovissent.Ad hunc autem locum illustrandum, juvabit aliquot exempla colligere ex scriptoribus illius sæculi. Vetus auctor in Vita sancti Ottonis, narrat anno millesimo centesimo secundo, post obitum Ruperti, allatis episcopatus insignibus ad aulam imperatoris Henrici quarti,collatum fuisse episcopatum Baberburgensem Ottoni : qui licet investitus fuisset ab imperatore,tamen actus scrupulo vovit Romam proficisci,ut a papa denuo investiretur,et consecraretur.Verba auctoris digna sunt quæ transcribantur : « Hac ratione atque hoc ordine pontificatus cathedram scandere coactus, ægre quidem et cum multa hæsitatione consensit,propter contentionem illam quæ erat inter regnum et sacerdotium causa investituræ et electionum Ecclesiarum, quas evacuare sibique vendicare plus æquo nitebatur imperialis auctoritas. Rursus autem verebatur,non sine Divinitatis nutu jam tertio sibi offerri episcopatum,eumque si tertio repudiaret,posse in ipsum competere illam senentiam : *Noluit benedictionem et elongabitur ab eo* (*Psal.*CVIII). Inter has ergo angustias positus,quod unum salutare existimabat, ad sanctæ et apostolicæ sedis et catholicæ matris auxilium confugere decrevit. In ipso igitur articulo,cum adhuc in aula imperatoris esset, votum nuncupavit Domino, nunquam se in episcopatu permansurum,nisi consentiente et postulante Ecclesia sua,ipsius pontificis maximi manu et consecrari et investituram consequi mereretur. » Et paulo post sequitur : « Memor autem voti sui,post paucos dies ab ingressu suo in oppidum,priusquam de rebus cæteris quidquam constituerent, nuntios Romam mittit cum litteris ad dominum Paschalem pontificem ejus nominis secundum ; a quo per litteras evocatus, Romam profectus est : quo cum in ipsis Ascensionis Christi feriis pervenisset, nec ibi pontificem invenisset, in Campaniam abiit,et Anagniæ eum reperit.Qui autem cum illo venerant viri honorati, data et accepta salute, pontificem etiam Ecclesiæ Bambergensis nomine salutant, suasque preces et vota pro electo antistite suo subjungunt. Otto vero nihil cunctatus ordinem et modum suæ ad episcopatum evectionis exponit, nihil tegit silentio,pedum et annulum ad pontificis pedes deponit, temeritatis et errati veniam petit,addens tamen non sua voluntate,sed aliena potestate ita factum: postulat adversus seipsum canonicæ censuræ ultionem. Tum pontifex Paschalis admiratus viri summam prudentiam et constantiam,levare eum jubet insignia : ille vero negat,indignumque se protestatur. » Et deinde : « Moxque vale dicens pontifici et ejus curiæ, domum abire cœpit. Ecquid vero faceret? obedientiæ præcepto retrahitur, a comitibus impellitur, atque ita cum tremore et reverentia reversus ad pontificem, in ipsa sacratissima Pentecoste, petentibus Babenbergensis Ecclesiæ legatis, ab ipso pontifice Romano accipit investituram, et cum multo decore et exsultatione totius curiæ, invocato Spiritu sancto,inter missarum solemnia episcopus consecratur. » Hæc ille ut sunt verba concepta in editione Surii. Matthæus Paris : « Anselmus Cantatuariensis,ait,regi quæ Romæ decreta in concilio generali acceperat de investituris Ecclesiarum plano sermone descripsit; quod videlicet nullus Ecclesiarum prælatus, episcopus, vel abbas,vel clericus investituris alicujus ecclesiasticæ dignitatis de manu suscipiat laicorum, unde idem archiepiscopus degradavit abbates quosdam,qui de manu laicorum et data pecunia abbatias obtinuerant. Et quoniam ad jussionem regis quosdam episcopos qui institutiones a rege snsceperant consecrare noluit, vel eis communicare, rex vehementer iratus præcepit Gi-

A rardo Eboracensi archiepiscopo ut eos consecraret. Sed Vuillelmus Giffardus Vintoniensis electus qui consecrari debuit,Girardi sprevit consecrationem : quare regis judicio eliminatur a regno. Reinelmus vero Herefordendis antistes,eo quod a rege institutionem acceperat, ei suum reddidit præsulatum. » Sed in consequente narratione non dissimulat veniam degradatis antistibus factam, media pecuniarum oblatione.

« Anno Domini 1103 Anselmus Cantuariensis archiepiscopus, post multas tribulationes et injurias quas a rege perpessus fuerat,Romam perrexit sicut inter ipsum et regem convenerat, ducens secum degradatos abbates, et Vuillelmum Wintoniensem electum, qui Romam veniens a papa Paschali susceptus est reverenter.Dehinc die pro regiis constituto negotiis, Vuillelmus de Vuarenast clericus et procurator regis Anglorum, causam ipsius in medium tulit ; ac inter alia constanter allegavit, quod B nec ipse pro regni amissione investituras Ecclesiæ amittere velit, et hoc verbis minacibus affirmavit. Ad hæc papa : « Si quemadmodum dicis rex tuus, nec pro regni amissione donationes ecclesiarum amittere pateretur ; scias præcise,coram Deo dico, quia nec pro mei capitis redemptione eas illi impune permitterem obtinere.In his ergo regis negotio terminato, Anselmus archiepiscopus pro episcopis et abbatibus degradatis multa precum instantia dominum papam rogare cœpit ut cum illis misericorditer dispensaret,ut possent amissas recipere dignitates. Tunc sedes clementissima quæ nulli deesse consuevit (dummodo aliquid albi vel rubei intercedat), præscriptos pontifices et abbates ad pristinas dignitates revocavit, et cum gaudio ad proprias sedes remisit. » Hæc ille monachus Albanensis.Willielmus quoque Malmesburiensis in Vita Willelmi secundi loquens de Herberto,qui magnus Symoniæ in Anglia fomes abbatiam episcopatumque nummis C fuerat aucupatus a rege : « Verumtamen,ait, erroneum impetum juventutis abolevit pœnitentia, Romam profectus severioribus annis : ubi loci Simoniacum et baculum et annulum deponens,indulgentia clementissimæ sedis iterum recipere meruit : quod Romani sanctius et ordinatius censeant ut Ecclesiarum omnium sumptus suis potius marsupiis serviant,quam quorumlibet regum usibus militent.» Sed et ex epistolis Anselmi et Paschalis papæ secundi liquet multos episcopos ob investituras et hominia facta regi Anglorum fuisse solutos vinculis censuræ papalis. **145** Idem historicus, De gestis pontif. Angl.lib.II : « Venit igitur rex sublimi tropæo splendidus, et triumphali gloria Angliam invectus, investiturasque Ecclesiarum Anselmo in perpetuum in manum remisit : eodem concedente ut propter hominium regi factum nullus arceretur a benedictione, consecrati sunt ergo Cantuariæ quinque episcopi ab Anselmo.» Sed et ipsimet Anselmo cum fuisset antea consecratus archiepiscopus D Cantuariæ, et hominium fecisset Angliæ regi, papa Urbanus aut culpam remiserat,aut dissimulaverat, quemadmodum constat ex ejusdem Anselmi epistola ad Walterum episcopum Albanensem et cardinalem, cujus super eo facto calumnias diluit.

Nec ista dico tamquam velim adversus apostolicam sedem caput erigere. Baronius hic adnotat, antidotum sequens ab auctore appositum fuisse, quia in deteriorem partem superiora de investituris accepta videri poterant virus habere.Sed æquis rerum æstimatoribus auctoris sententia reprehendi vix potest.Nam et aliis locis ita se adhærere Romani pontificis decreto profitetur, si modo, salva reipublicæ Christianæ concordia,investituræ a laicis fieri solitæ tolli possunt; nimirum illud vetus oraculum semper fixum esse oportet : *salus populi suprema lex esto.*

Me nesciente vommunioni reddidistis. Hac de re pariter reprehendit Fulconem diaconum Paris. epist.112.Ex concilii enim Antiocheni canone sexto,

a proprio episcopo excommunicatus, non prius suscipi ab aliis debuit, nisi a suo receptus episcopo : quod refertur ca. 2 Si quis, cau. 11, q. 3. Imo ab uno excommunicatus, a vicinis quoque excommunicandus erat, ut scribit auctor epist. 765 et 194.

Similis autem conquestio Goffridi Vindoc. Abbatis in epist. ad Radulfum Turon. archiep. : « Super Herduino de Malliaco apud vos sæpissime conquesti sumus, et propter multa gravamina quæ monasterio nostro injuste et violenter fecerat, eum a vobis juste et rationabiliter cognovimus esse excommunicatum: sed absque præcedente satisfactione illum impœnitentem audivimus absolutum. Quod si ita absolvi potuisse creditur, quid peccatum noceat, et quid pœnitentia prosit, non videtur. Nam si vera miseria impœnitentibus negatur, profecto eis qui de peccatis suis pœnitent, falsa beatitudo promittitur. »

Idem epist. ad Hildebertum Cenon. episc. : « Excommunicatus vel interdictus, eo reclamante qui ejus injuriam sustinuit, consequi non debet remedium absolutionis. Quæ cum ita sint, miramur vehementer, **146** qua ratione H. absolutus dicatur, contra quem injuriæ nostræ adhuc clamant, et adhuc queruntur. » Denique hujus rei suspicione purgat suos monachos epist. ad Goffridum Carnotens. episcop. « Quod a fratribus nostris excommunicati vestri suscipiebantur, ei opposuistis. Hoc non a vobis sed ab alio inventum credimus, qui quasi Susannam criminatus testimonium protulit falsitatis. Absit enim a sinceritate fratrum nostrorum tanta Christi injuria, et ecclesiasticæ injuriæ tam detestabilis sepultura. Ipsi enim Dei justitiam sepelire non noverunt. Sed ubi mortuam agnoscunt, suis orationibus conantur suscitare. »

Ad hæc saltim duo. Ita v. c. Put., alii *saltem*. In v c. S. Germ. tantum legitur, *ad hæc duo*. Semel monitum velim, ubi offendi *saltim* in priscis membranis, me retinuisse, alibi non mutasse. Ea de vocula, quæ olim notata, nil opus est repeti.

AD EPIST. LXI.

Hugoni. Baronius, tomo XII Annal., dicit hanc epistolam esse plane egregiam, de comprimendo fastu apostolicæ legationis.

Augustiduni. Quidam libri, *Augustuduni* ; sed in quinque manuscriptis clare, *Augustiduni*, quæ scriptura etiam habetur in plerisque aliorum auctorum membranis. Hericus Benedictinus lib. I Vitæ S. Germani Autissiod. in descriptione Heduæ urbis : « Urbs quoque provectum meritisque et nomine sumpsit. Augustidunum demum cum cœpta vocari, Augusti nomen transfert quod Celtica lingua. » Guillermus Brito Philippidos lib. I notat hanc ab Arturo Romanis subductam, et postea a Rollone Norwego eversam, redactam in nihilum prorsus vix ut vestigia restent.

Rei fieri sponsionis quam metropolitano. Vide notata ad epist. 237.

AD EPIST. LXII.

Secundum rigorem canonicum. Sic plerique veteres codd. Antea *canonum*. Ita dixit canonicas sententias epist. 15, canonicam severitatem epist. 51, et canonicum judicium epist. 101, ut canonicam censuram epist. 162, et canonicam calumniam, atque clamorem canonicum epist. 268.

Legis in qua legitur : Si quos culpatorum regia potestas. Iisdem verbis hanc eamdem refert infra epist. 171, ad Daimbertum. Sed et in suo decreto, parte sexta decima, cap. 344, profert ex libro septimo Capitularium cap. 383. cum tamen in excusis exemplaribus non putem hodie reperiri, ut indicio sit Ivonem usum fuisse codicibus amplioribus : habetur autem in concilio Toletano, duodecimo, cap. 3, quod quidem celebratum fuit sub Ervigio rege; verba subjicere opera pretium est : « Vidimus quosdam, et flevimus ex numero culpatorum receptos in gratiam principum, extorres exstitisse a collegio

A sacerdotum. Quod denotabile malum illa res agit, quia licentia principalis in quo se solvi [*al.* volvi] licentius curat, ibi alios alligat, et quos in suam communionem videtur suscipere, a communione et pace Ecclesiæ eligit separare ; ut qui cum illo convescunt sola sacerdotum communione priventur. Et ideo quia remissio talium qui contra regem, gentem vel patriam agunt, per definitiones canonum antiquorum in potestate solum regia ponitur, cui et peccasse noscuntur; adeo nulla se deinceps a talibus abstinebit sacerdotum communio : sed quos regia potestas aut in gratiam benignitatis receperit, aut participes mensæ suæ effecerit, hos etiam sacerdotum et populorum conventus suscipere in ecclesiasticam communionem debebit, ut quod jam principalis pietas habet acceptum, neque a sacerdotibus Dei habeatur extraneum. » Hic autem culpatorum nomine verum est intelligi excommunicatos, ubi observandum, majoribus visum fuisse nihil officere

B securitati conscientiæ, si quis communicaret excommunicato cui rex communicaret. Quam in sententiam pariter notanda verba Anselmi Cantuariensis archiepiscopi : qui cum pertinaciter repugnaret Henrico Anglorum regi ob jura investituræ, et vetaretur a Paschali papa ne communicaret cum illis qui de manu regis acceperant ecclesiarum investituras ; at tamen fatebatur cæteros posse impune communicare illis quibus rex communicabat, locus est in epist. ad Ernulphum priorem.

AD EPIST. LXIV.

Lugdunensis archiepiscopi institutum. Hujus etiam tacito nomine meminit epist. 30 : fortasse Hugo est, cujus crebra mentio his epistolis, de cujus legatione sæpius repetita in Galliis sub Gregorio septimo, Urbano secundo et Paschali secundo, dictum est ad epist. 24.

AD EPIST. LXV.

Et alia juvenilia desideria. Solus cod. S. Victo-

C ris, *juvenialia*, fortasse pro *juvenalia*, quæ postrema scriptura frequens in membranis veterum auctorum.

Subjectionem Parisiensi Ecclesiæ debitam. Illo sæculo monachi omnem lapidem moverunt ut liberi plane essent a jurisdictione et censura episcoporum : quam in rem propensi et faciles fuere pontifices Romani. Id Ivoni minime gratum, aut legitimum visum, ut hic locus ostendit, et alter epist. 195, ubi refellit exceptiones abbatis Vindocinensis, qui sub prætextu obedientiæ Romanæ, nolebat edere professionem debitam episcopo Carnotensi. S. Bernard. Clar. abbas ad **144** Innocentium papam scribens de Treverensi archiepiscopo, qui monasterium Sancti Maximini recuperare volebat sedi episcopali, repugnantibus licet monachis, dicit illos non tam (ut simulabant) appetiisse libertatem quam fugitasse disciplinam, epist. 179 et 180. Idem in epist. 42 ad Henricum Senonensem archiepiscopum miratur quosdam abbates sub humili habitu et tonsura tam

D superbe sapuisse, ut cum ne unum quidem verbulum de suis imperiis subditos prætergredi paterentur, ipsi propriis episcopis obedire contemnerent, et spoliarent ecclesias ut emanciparentur, et redimerent se ne obedirent. Et paulo post adjicit, libertatem Ecclesiæ quam se quærere dictitabant, libertatem esse omni servitute serviliorem, quæ addicebat illos pessimæ superbiæ servituti. Exstat insignis et memoratu digna historia super contentione monachorum Beati Walerici, qui commentitia finxerunt privilegia cujusdam Romani pontificis, quæ non puduit illos palam exhibere, et jactare in celebri conventu Remensis, ut scilicet comprobarent nulli se subjectos nisi Romano pontifici. Quorum fraudem detexit Godefridus episcopus Ambianensis, cum veste abtersisset atramentum scripturæ recentis. Monachi tamen Romam profecti, largitione munerum quod volebant impetrarunt a Paschali secundo, ut narrat Nicolaus monachus Suession. in Vita dicti

Godefridi lib. II, c. 11 e 14, et 15, qui tamen testatur Paschalem suum postea retractasse judicium, cap. 21, a quo tempore abbatia Sancti Walerici paruit episcopo Ambianensi, ut inquit cap. 24. Junge notata ad epist. 108.

De pace sanctæ Romanæ Ecclesiæ et vestra prosperitate. Hæc dicit propter factionem autipapæ quæ tunc Romæ adhuc vigebat, ut notatum supra ad epist. 24.

Ad Epist. LXVI.

Vanizando dicunt. S. Bernardus Claræv., in epist. 42 ad Henricum Senonensem archiepiscopum : « Nostris necessitatibus detrahitur quidquid accedit vanitatibus vestris ; duo denique mala de una procedunt radice cupiditatis, dum et vos vanizando peritis, et nos spoliando perimitis. » Sic enim puto castigari debere quod vulgo cuditur *vanitando.*

Abbas Burguliensis. Quidam, *Burgoilensis*, vel : « Burgoliensis ad curiam in Natale venisset. » Quidam lib. *in Natali,* curiam hoc loco accipit de regia, quemadmodum epist. 28, et epist. 158, « ad curiam quæ habenda est in Natale Domini, Suessionis, » et epist. 790, « ad curiam suam, quæ Aurelianis in Natale Domini congreganda erat. » Alibi meminit curiæ habitæ Paschali festo epist. 62, nempe solemnes erant conventus a Francorum regibus indici consueti. Turpinus archiepiscopus Rem. lib. De vita Caroli Magni cap. 20 : « In quatuor solemnitatibus per circulum anni, præcipue in Hispania, curiam suam tenens coronam regiam et sceptrum gestabat ; die scilicet Natalis Domini, et die Paschæ, et die Pentecostes, et die sancti Jacobi. » De ejusmodi Gallorum veterum regiis conventibus seu curiis multi historicorum loci collecti sunt ab Hotomano lib. I De antiquo jure regni Gallici, cap. 13 et 14 ; id etiam in usu fuit aliis regibus. Vetus auctor lib. De Vita Henrici quarti Cæs. rex « curiam Moguntinam ad Natalem Domini indixit, invitavit proceres, accersivit multos. » Et paulo post : « Ut causa patris tui Paschalem curiam alibi disponas. » Et mox : « Ubi nobis curia Paschalis habenda fuerat. » Matthæus Paris in vita Willielmi regis Anglor.

Plures et pleniores sacculi nummorum. Glaber Rodulphus Histor. Francor. lib. II, cap. 6, de prælationibus turpi lucro arreptis, graviter illius sæculi Simoniacam labem deplorat. « Jamdudum, inquit, muneribus excæcatis ineptis pene universis principibus, desævit hæc pestis, longe lateque, in ecclesiarum quibuscunque prælatis toto terrarum orbe diffusis, denique omnipotentis Christi Domini gratuitum ac venerabile donum, ad propriæ damnationis cumulum converterunt in avaritiæ lucrum : ideoque hujusmodi videlicet prælati tanto minus ad divinum peragendum opus idonei, quanto constat quia non ad illud accesserunt per aditum principalis ostii. Et licet adversus talium personarum procacitatem multipliciter clamet sacrarum Scripturarum canon, nunc tamen solito multiplicius comperitur fieri in diversis Ecclesiarum ordinibus. Nam ipsi reges qui sacræ religionis idonearum decretores personarum esse debuerunt, munerum largitione corrupti, potiorem quempiam ad regimen ecclesiarum vel animarum dijudicant illum a quo ampliora munera suscipere sperant ; atque idcirco permaxime quique procaces ac turgore superbiæ inflati, sese ultro cuique prælationi ingerunt, minus formidantes incurrere lapsum neglecta pastoralis curæ, quoniam tota solummodo pendet fiducia ex loculis collectæ pecuniæ, non ex perceptæ donis sapientiæ : tantoque amplius adepto regimine student avaritiæ, quanto constat propriam ex illa ambitionem implesse : ac velut idolo sibi pro Deo constituto illi serviunt, per quam scilicet informati ad tale nomen absque merito vel epere proruperunt : A fitque minus cautis deceptoria imitandi forma ; ac perinde vicissim contumax invidentia. » Et paulo post : « Hinc etiam procedunt litigiorum tumultus assidui, oriunturque frequentia scandala ac diversorum transgrediendo convellitur (sic legendum est) tenor ordinum. » Idem historicus lib. V, cap. ult., laudat Henricum regem, qui proposito edicto vetuerat ministerium ecclesiasticum aliquo pretio conquiri, datori atque acceptori cum jactura honoris minatus anathema. Tum refert illum dixisse Gallicanis episcopis Simoniacæ philargyriæ nequitia corruptis : « Sicut mihi Dominus coronam imperii sola miseratione sua gratis dedit : ita et ego quod ad religionem ipsius pertinet, gratis impendam. Volo, si placet, ut et vos similiter faciatis. »

Sustinete interim, donec de isto faciam proficuum meum. Sicut habent omnia exemplaria, ne quis de mendo suspicetur. Eadem voce illius ævi scriptores usi, ut Gregorius septimus lid. VI, epist. 2, Manassæ : B « Ne debeat graviter ferre si studeamus ad tempus pro communi honestate atque proficuo, petita contra utilitatem denegare. » Anselmus Cantuariensis archiepiscopus, epist. ad monachos Beccenses : « Regis gratiam quæ vobis necessaria est, sine omni proficuo, imo cum damno maximo non perdatis. » Hinc autem deprehendi potest Philippi regis inexplebilis auri fames, qui solebat venundare ecclesias, nec sinebat liberas esse electiones, aut electos suffragiis cleri et populi adipisci episcopatum et abbatiam, nisi pecunias conferrent. Lisiardus episcopus Suessionensis in Vita sancti Arnulphi, cap. 9 : « Instigante ambitionis spiritu, Pontius quidam pseudomonachus gradu comparativo non secundum grammaticam, sed juxta Simoniam, **148** a rege Francorum Philippo nomen et sedem abbatis adipiscitur, » ut non immerito Matthæus Paris in Willielmo secundo, dixerit hunc Philippum pecuniæ tenebris excæcatum fuisse. Hanc sordidam C avaritiam variis locis graviter reprehendit itidem Gregorius. Vide Registri, lib. I, epist. 35, ad Roderium Cabilonensem episcopum ; lib. II, epist. 5, ad Manassem Remensem, Richerium Senonensem, Richardum Bituricensem archiepiscopum, Adraldum episcopum Carnotensem, cæterosque episcopos Franciæ.

Idem dicto lib. epist. 32, ad Manassem Remensem archiepisc. inter alia : « Nunc igitur caute et diligenter, ut debes, accipias malum inauditum, scelus detestabile, quod Philippus rex Franciæ, imo lupus rapax, tyrannus iniquus, Dei et religionis sanctæ Ecclesiæ inimicus, Italis et aliarum provinciarum mercatoribus contra Deum et regni sui honorem fecit, et alia quorum ad aures nostras clamores frequentissime venerunt, » etc. Denique lib. VIII, epist. 20, ad eumdem Philippum scribens, illum adhortatur ut justitiæ sit amator, et Ecclesias defendat, pravorum consilia spernat, et electionem D quam Ecclesiæ Remensis clerus et populus tunc facturi erant deposito Manasse archiepiscopo, non impediat, quominus canonice fiat ; et concludit his verbis : « Age igitur, et jam ætate vir factus, in hac re procura, ut non frustra tuæ juventutis culpis perpecisse, nec in vanum te ad emendationem exspectasse videamur. »

Ad Epist. LXVII.

Quædam ibi verba adversa secus quam vellet, sonuerunt. Veteres libri habent etiam, *quædam sibi verba durius quam :* omissa voce *adversa.* Ubi dictio *secus* videtur degenerasse, et altera, *durius*, e scholio irrepsisse, ut fortasse scripserit auctor, *sequius quam vellet.* Sic enim id verbi non semel depravatum fuisse in aliis auctoribus suo loco notatum est exemplis. Huc autem referenda quæ Goffridus scribit Ivoni super causa ejusdem Senonensis electi Daimberti ad Hugonem archiepiscopum Lugdunensem (epist. 18, lib. II) ; ex quibus colligi pot-

est Daimbertum non retulisse parem gratiam Ivoni, simulque offensum fuisse Urbanum papam, quod Ivo locutus fuisset.

149 *Non aurem ei præbeatis.* Fortasse Ivo metuebat Urbanus cum suis palatinis oblatione munerum corruptus, a recto deflecteret. Plerique enim qui in Galliis ambitu vel pecunia intrudebantur Ecclesiis, solebant Romam proficisci ut iisdem artibus favorem sibi conciliarent, quemadmodum indicant verba ipsius Ivonis epist. 87, scripta ad cardinales. Urbanum autem avaritiæ nota minime caruisse, imo venalem fuisse potest confirmari verbis Willelmi Malmesburiensis De gestis pontif. Anglor. lib. I, quo loco agit de legato regis Anglorum Romam misso adversus Anselmum Cantuariensem archiep. . « Ardebat, inquit, aliquid efficere, ut ampliorem locaret apud regem amicitiam : itaque arte, qua peritus erat, negotium conficiens, singulos ambiendo muneribus et pollicitationibus, regi terminum ad festum sancti Michaelis obtinuit. Cunctatus est multum ad id concedendum Urbanus, quod luctarentur in ejus animo Anselmi religio, et munerum oblatio ; sed prævaluit tandem pecunia. Itane omnia superat, omnia deprimit nummus? Indignum factum, ut pectori tanti viri, Urbani dico, vilesceret famæ cura, Dei respectus cederet, et pecunia justitiam præverteret ! Visum ergo est Anselmo, circa tam venalem hominem exspectationem non perdere, sed Lugdunum remeare, sed enim licentiam impetrare non potuit, retinente papa, ut invidiam facti aliquo levaret solatio. Fecit igitur eum manere secum usque ad concilium in patriarchio, deditque ei domum jure hospitii perpetuo. »

Et de inhonesta familiaritate Turonensis archiepiscopi. Hunc solet reprehendere et infamare, ut epist. 66. Sed nomen non exprimit. Suspicari licet fuisse Radulfum, cujus etiam meminit Goffridus Vindocinensis abbas, a quo multa inhonesta et perversa patrari conqueritur in epistola scripta ad Richardum (lib. I, epist. 17), ubi verba, *Turonensem dictum archiepiscopum*, apte conveniunt verbis Ivonis, qui epist. 66 dicit illum irrepsisse in Ecclesiam contra canonicas et apostolicas sanctiones, et in eadem tolerari.

Ut sciatis puerilem fuisse electionem. Hunc paulo ante vocat *puerum*, et epist. 66, *juvenem*. Ejusdem generis est quod epist. 157 reprehendit Dunelmensem episcopum qui duos filios suos vix duodennes episcopatui Luxoviensi intrudi fecerat. S. Bernardus Clar. epist. 42 ad Henricum Senonensem : « Scholares pueri et impuberes adolescentuli ob sanguinis dignitatem promoventur ad ecclesiasticas dignitates, et de sub ferula transferuntur ad principandum pueris, » etc. Idem Bernardus in epist. 290 ad dominum Hostiensem, de Jordane cardinale loquens, qui fœda et horrenda Gallis vestigia reliquerat : « Turpia fertur ubique commisisse, spolia ecclesiarum asportasse, formosulos pueros in ecclesiasticis honoribus, ubi potuit, promovisse, ubi non potuit, voluisse. » Similes abusus deplorat Glaber hist. lib. IV, cap. 5 : « Tunc in sæculari potestate, tum etiam in ecclesiastica religione totius regiminis personæ constiterant in puerili ætate. Propter peccata enim populi contigit tunc illud Salamonicum, quod ait : *Væ tibi terræ, cujus rex est puer* (*Eccle.* x). Nam et ipse universalis papa Romanus nepos scilicet duorum Benedicti aque Joannis qui ei præcesserunt, puer ferme decennis, intercedente thesaurorum pecunia, electus exstitit a Romanis, a quibus exinde frequenter ejectus ac inhoneste receptus nulla potestate viguit. Et ut jam superius taxavimus cæteros tunc temporis Ecclesiarum prælatos, aurum potius vel argentum exaltabat quam meritum. Proh pudor ! » Eadem repetit in fine cap. 5 lib. v.

AD EPIST. LXIX.

Interdixit omnibus sæcularibus clericis. Bertholdus in Chron. ad annum Domini 1095 ait concilium generale congregatum in Galliarum civitate Ostione ab Hugone archiepiscopo Lugdunensi et sedis apostolicæ legato, in quo monachis interdictum ne parochialium sacerdotum officia in parochiis usurpent, sed et in antiquo exemplari Aug. Thuani præsidis, quod sequitur scriptum reperi. Ex synodo Septimana habita apud Arvernam, ita : « In Ecclesiis ubi monachi habitant, populus per monachum non regatur, sed capellanus qui populum regat, ab episcopo constituatur, ita ut ex solius episcopi arbitrio tam ejus ordinatio quam et dispositio, et totius vitæ suæ conversatio pendeat. »

150 AD EPIST. LXX.

Mulierum dæmonialium. Hæc duo verba addita sunt fide veterum codicum, quæ deerant in prima editione.

Religiosis monachis locum illum cum suis possessionibus committere studeatis. Ætate Ivonis plura ejusdem generis exempla in Gallis. Ob similem enim morum turpitudinem, anno Domini 1107, Philippus primus Francorum, rex ejecit sanctimoniales monasterii Sancti Eligii Parisiorum, monachosque Fossatenses introduxit ; litteræ his verbis conceptæ feruntur : « In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Philippus, Dei gratia Francorum rex. Notum fieri volumus universis sanctæ Dei Ecclesiæ cultoribus tam futuris quam præsentibus; quia divina providentiæ clementia et assensu domni papæ Paschalis, monitione quoque et consilio canonicorum sanctæ Parisiensis Ecclesiæ, necnon et consensu nostro, et Ludovici filii nostri, Gualo Parisiensis episcopus ab ecclesia beati Eligii, membro videlicet episcopatus sui, propter intemperantem quam imprudenter agebant fornicationem, moniales (quamvis canonice sæpissime correptas) templum Domini aperte pravo usu violantes, ac correptionis pastoris penitus negligentes, spe melius agendi a præfata domo dejecit. Acceptis itaque domni papæ litteris tunc temporis Parisius venientis, dataque licentia ordinem religionis inibi ponendi, nostra licentia et ordinatione cum filii nostri Ludovici obsecratione, beato Petro Fossatensi, ejusdemque loci Theobaldo abbati præfatam ecclesiam Beati Eligii in cellam duodecim monachorum cum priore suo perpetualiter possidendam concessi et habendam, salvo quidem jure suæ potestatis, et Ecclesiæ Parisiensis, quemadmodum et in ipsius charta determinatum est. Et ut hæc charta firma et inconvulsa permaneat, memoriale istud inde fieri, nostri nominis charactere, et signo Philippi signari et corrobari præcipimus, astantibus de palatio nostro quorum nomina intitulata sunt et signa. »

Signum Hugonis de Creceio tunc temporis dapiferi nostri.

S. Wastonis de Pissiaco, tunc temporis constabularii nostri.

S. Pagani Aurelian. tunc temporis buticularii nostri.

S. Widonis tunc temporis camerarii nostri.

« Actum Parisius, in capitulo Sanctæ Mariæ, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo. Anno regni nostri quadragesimo septimo. Stephanus cancellarius relegendo subscripsit. »

De monialibus Argentolii pariter scribit Gulielmus de Nangiago in Chronologia, circa annum Domini millesimum centesimum vigesimum nonum : « Moniales, inquit, quædam infames, quæ ecclesiam Beatæ Mariæ de Argentolio diu potentia cujusdam sororis Caroli Magni regis Francorum occupaverant, industria Sugerii abbatis Sancti Dionysii in Francia inde expelluntur, et monachis ejusdem loci quorum prius fuerat, restituitur. » Qua de re latius idem Sugerius in Vita Ludovici regis : qui judicio papæ Honorii restitutum fuisse refert.

Idem factum eodem anno de monialibus Sancti Joannis Laudunensis prodit continuator Sigeberti Robertus de Monte : « Lauduni, ait, in ecclesia

Sancti Joannis consilio regis et principum, monialibus quæ male infames erant ejectis, et monachis in eorum locum substitutis, Drogo religione et facundia venerabilis a Bartholomeo episcopo primus abbas ordinatur. » Ejus rei historia latior exstat in prisco exemplari, cujus copiam benigne fecit Marc. Scarbotus advocatus, ex cujus narratione constat fuisse tunc temporis nonnullos insulsi judicii qui Bartholomeum arguerent quod moniales impudicissimas expelleret. Locum ascribere non inutile fuerit :

« Post hæc monasteria, etiam Sancti Joannis Baptistæ, corrigere studuit præfatus episcopus Bartholomeus. Abbatiam, quæ cunctis aliis supra memoratis Landunensis diœcesis cœnobiis fertur antiquior et editior, atque nobilior fuisse : hanc siquidem beata Sallaberga sicut legitur in ejus Vita construxit, et sanctimoniales ibi ponens, earum ipsa prima fuit abbatissa. » Et paulo post : « Tantæ vero dignitatis erat eadem abbatia, ut quandocunque rex Francorum in diebus solemnibus Lauduni coronandus esset, in ipsa præcipue coronam auream portaret, nullum etiam quadrupes animal intra murum seu portam abbatiæ intrare poterat, quod non statim in rabiem et insaniam verteretur. Unde etiam si quando rex vel episcopus aut alii principes ad ipsam abbatiam veniebant, omnes equos eorum extra portam oportebat dimitti, et ipsi pedites ad ecclesiam procedebant. Beatæ Sallabergæ morienti successit abbatissa filia ejus, sancta videlicet Anstrudis, et ita per trecentos fere et eo amplius annos sanctimoniales ibi fuerunt, plurimasque possessiones de donariis regum et principum longo tempore possederunt.

« In diebus vero præfati domni Bartholomei episcopi antiqua religio non parum in eodem monasterio refriguerat : exteriores quoque possessiones paulatim diminutæ erant : sed et nonnulla sinistræ famæ de eisdem virginibus dicebantur. Unde multum contristatus idem pontifex (videbat enim eas frequenter a se commonitas emendationem quidem verbo promittere, sed facto non implere), consilio et auctoritate domni papæ Innocentii, domnique Rainaldi Remorum archiepiscopi, Ludovici quoque regis Francorum ad quem eadem ecclesia proprie pertinere dicebatur, omnes pariter illas sanctimoniales ex illa ejecit.

« Assumens quoque virum religiosum domnum Drogonem cœnobii Sancti Nichasii Remensis priorem, eum ibidem primum ablatem ordinavit, et monachos illic sufficienter ex diversis monasteriis posuit. » Et aliquando post adjicit : « Sed quia quosdam minus peritos, et super hæc detrahentes audivi, et dicentes non debuisse tantam mutationem fieri, nec propter peccata quarumdum sanctimonialium etiam inculpabiles expelli, totamque ecclesiam monachis tradi: maxime cum prædicta nobilis matrona sancta Sallaberga cum filia sua sancta Anstrude de patrimonii sui possessionibus eam construxerint, et sanctimoniales in ea posuerint plurimorumque signorum ostensionibus eam splendificaverint : ad compescendam et reprimendam insipientiam vel simplicitatem eorum, libet pauca divinæ paginæ super simili vel etiam majori mutatione exempla recolere. Nonne plantatio Dei major est plantatione hominis? Et certe de Judæis per David regem et prophetam dicitur : *Vineam de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes et plantasti eam. Dux itineris fuisti in conspectu ejus, et plantasti radices ejus, et implevit terram* (*Psal.* LXXIV), et cætera quæ de ejus confirmatione subjunguntur. Cum ergo lex per Moysen eis data sit, terram promissionis acceperint, reges et prophetas genuerint qui multa miracula fecerunt, perpetuamque **151** eis mansionem ejusdem terræ Dominus promiserit : tamen quia venientem patris familias filium extra vineam ejecerunt et occiderunt dicentes : *Hic est hæres, venite, occidamus eum, et nostra erit hæreditas :* illico Domino proponenti contra se judicium pertulerunt, quod veniens *malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis,* statimque ipsum subjungentem audierunt, *quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus* (*Matth.* XXI). Alio etiam loco Dominus parabolam proponit de arbore fici, ad quam tribus annis continuis veniens et fructum non inveniens jussit eam succidi. Sed intercedente cultore vineæ quarti etiam anni dilationem concessit (*Luc.* XIII). Simili modo domnus Bartholomeus episcopus sanctimoniales illas et per semetipsum et per religiosos viros primo et secundo, tertio quoque et quarto, necnon quinto et sexto anno de correctiene admonens, et nil se proficere videns, secundum præceptum Dominicum utique debuit infructuosam arborem succidere, et vineam Dominicam aliis agricolis committere, qui reddant eis fructum temporibus suis. Quod ipsum dum non solo sensu suo, sed consilio papæ et religiosorum virorum fecit, utique non reprehensione sed laude dignum fuit.

« Nec timendum est cum propter hoc sanctarum feminarum Sallabergæ et Anstrudis quæ eamdem ecclesiam construentes sanctimonialium ordini deputaverunt, iram incurrisse : imo potius credendum est earum precibus talem voluntatem ei divinitus advenisse : talesque abbates a Deo fore destinatos, qui et ejus servitio, et ipsius ecclesiæ relevationi jugiter insistere studeant. In nullo siquidem regni Francorum cœnobio quod ejus duntaxat sit institutionis, majorem religionem vel charitativam hospitalitatem quam in ipso videmus hodie fervere, nisi quod ipse abbas Balduinus in requirendis et retrahendis Ecclesiæ possessionibus, quas sanctimoniales negligenter distrahi permiserant, valde occupatus et quotidiano labore fatigatus nihil magis conqueritur quam se non posse jugiter conventui fratrum interesse, vel ipsis hospitibus humanitatis officium prout vellet impendere.

« Dum ergo ipsæ sanctæ quarum corpora servantur in eadem ecclesia, jugiter die ac nocte vident ibi tam devote divinum officium fieri, silentium et religionem ferventer servari, sacrificium corporis et sanguinis Domini non sicut prius, sed centuplo devotius et frequentius celebrari, religiosos hospites quotidie supervenientes cum charitatis dulcedine suscipi : nonne credendum est eas tam dulci Dei servitio delectari : et dum monachos coram altari transeuntes, et feretris suis submisso capite suppliciter cernunt inclinantes, frequenter eis dicere: *Benedictio Domini super vos* (*Psal.* CXXXVIII); et : *Benedicti vos a Domino qui fecit cœlum et terram?* (*Psal.* CXIII). Quid alii sentiant, ignoro : ego credo et credens ore fidenter pronuntio, sanctas easdem magis talium monachorum quam sanctimonialium quæ ibi tempore domni Bartholomei manebant, divinis officiis delectari : et tam pro illorum quam pro ejusdem episcopi salute Domini misericordiam deprecari. Et sicut David rex psalmos componens dicebat : *Scribantur hæc in generatione altera, et populus qui creabitur laudabit Dominum* (*Psal.* CI); ubi patenter ostendit se non pro Judæis sed pro Christianis eos composuisse : sic et ipsas sanctas credo gaudere, quod ad hujusmodi monachos ecclesia quam construxerunt pervenerit, et ad sustentationem eorum possesiones earum Dominus pervenire concesserit.

« Cum vero superius dictum sit novem abbatias a domno Bartholomeo episcopo constructas esse, quarum nullam invenit: si quis diligenter consideret, hanc vere decimam fore pronuntiabit, quæ ante tempus suum plus quam trecentis annis constructa, sed tempore suo a religionis colore tepefacta, rursum per se divina præstante gratia intromissis monachis noscitur esse restructa et renovata.

Quæ renovatio facta est anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo vicesimo septimo.»Hactenus illud vetus exemplar. Cæterum Nic. Cusanus De concord.cath.lib.III, cap. 8 : « De monialibus et earum custodia cura adhiberi deberet. Nam ille sanctus Bonifacius scribit Ethebaldo Anglorum regi, quod apud Græcos et Romanos quasi blasphemiam Deo irrogasset, qui de hoc reus foret, ut cum moniali concubuisset. » Qui locus, ut id obiter addatur, sumptus est ex Ivone decreti parte VII, cap. 129, qui profert verba Bonifacii martyris Hyleribaldo,sive Hiltribaldo regi Anglorum : « Apud Græcos, ait, et Romanos quasi blasphemiam Deo irrogasset, qui in hoc reus sit, ut proprie de hoc peccato ante ordinationem interrogatus,si reum inventus fuerit, ut cum velata et consecrata nonna concubuisset, ab omni gradu sacerdotum Dei prohiberetur. »

Ad Epist. LXXI.

Naturalibus et legitimis dominis suis de quorum manibus susceperat hæreditaria sua beneficia. Locus observatione dignus, et ad quæstionem feudalem pertinet, ut et alter, epist. 248, qua consulit militi, semper superiori suo domino deferre honorem jure fidelitatis promissæ, quamvis inter illos suborta sit gravis controversia. Nec enim vinculum fidei et honoris dissolvi posse.Quam in sententiam pulchre Anselmus in epistola ad episcopum Wentoniæ (epist. 98 libri III, *Patrol.* t. CLIX).

152 *Ex his unum temperare compulerit.* Ita quidem omnes hic vett. codd., sed in Decreto Ivonis parte XII, cap. 15, ubi idem locus citatur, notatur ab aliis variare exemplaria, habentia etiam, *unum temerare*, vel *unum tentare :* fortasse legendum *unum temnere*, nam ibi sequitur de contemptu. « Cum vero,inquit, noxia promissa complemus, et Dei jussa superbe contemnimus, et proximis impia crudelitate nocemus, et nos ipsos crudeliori mortis gladio trucidamus. » Cæterum in omnibus Ivonis codicibus citatur hic locus ex concilio Toletano nono, capitulo quarto. Sed in ora editi Decreti notatur aliter,nemper ex concilio octavo,cap.2.

Tharasius patriarcha. Citat ibidem Ivo ex actione quarta septimæ synodi.

Ariobaldo. Apud Ivonem dicta parte XII, cap.25, cuditur aliter, nempe *Ariopalto.* Sed præstat integrum locum exscribere,quia minime obvius,et rem magis illustrat : « Honorius papa Hysiaco,patricio exarcho Italiæ. Quorumdam scriptis didicimus quosdam episcopos in transpadanis partibus quædam verba episcopali actui inimica,Petro Pauli filio edixisse,atque monitu impiæ suasionis innuere, asserentes in se perjurii reatum suscipere, non ut Adulubaldo regi,sed potius Ariopalto tyranno consentiret:et quoniam præfatus gloriosus Petrus pravis eorum (si fas est dicere!) sacerdotum respuit suasionibus inclinari, sed magis sacramenta quæ Acono regi, patri prædicti Adulubaldi præstiterat, firmiter custodire ; et quia tantum facinus Deo et piis mentibus est inimicum, ut hi qui hoc ab aliis prohibere debuerant ne fuisset commissum, ipsi potius ut fieret hortati sunt : cum nutu supernæ virtutis vobis laborantibus præfatus Adulubaldus in suum regnum fuerit restitutus,præfatos episcopos in has Romanas partes adjuvante vos Deo destinare dignamini : quia hujusmodi scelus nulla patiemur ratione inultum.»Quæ verba apud unum Ivonem servata Carolus Sigonius inseruit etiam lib. II Historiæ suæ de regno Italiæ, sed non exprimit quo loco vel libro Ivo retulerit. Ubi quoque variat in nomenclatura.Verum nolui recedere ab illa scriptura quam offendi in exemplaribus antiquis. Præstat autem apponere verba ipsius Sigonii, ut historia clarior fiat. Sic ergo ad annum Dom. 623: « Eusebius ad regem Adavaldum magnis de rebus ab Heraclio venit legatus ; is cum apud regem familiariter ageret,sive jussum imperatoris,sive consilium suum secutus, Adavaldo e balneo exeunti poculum specie salutiferum dedit, quo epoto rex desipere ac plane mentis inops esse instituit : alii ungueutis delibutum scripserunt. Quod ubi sensit Eusebius, ipsum et juvenem et amentem impulit, ut propriæ securitatis causa principes Longobardorum e medio tolleret. Cœpta inde cæde, ac jam duodecim e primoribus interemptis,ne malum longius serperet, et quasi lentæ tabis contagione sensim ad singulos perveniret veriti Longobardi, ipsum tyrannum non regem agere criminati sunt, ac postero anno tumultu excito regno cum regina matre Theodelinda exegerunt, atque in ejus locum Arioaldum ducem Taurinatium suffecerunt, cui Gundeberga Adavaldi regis soror erat matrimonio copulata. Quo facto ingens subito in regno est coorta seditio, universis sive sacris sive profanis proceribus in duas partes distractis, atque aut huic aut illi adjunctis.Quippe Arioaldum episcopi transpadani complexi, alios etiam in suas partes traducere contenderunt. Honorius autem pontifex atque ejus hortatu Isaacius exarchus sive Theodelindæ studio incitati,sive Arioaldum,ut Ariana labe infectum aversati,Adavaldum sibi suceperunt defendendum,Isaacius autem ipsum exercitum in regnum reducere est conatus. Honorius autem cum episcopos transpadanos audisset nobilibus magnopere suadere, ut deserto contra jusjurandum Adavaldo se ad Arioaldum conferrent,postero anno ad Isaacium scripsit,ut Adavaldo restituto adversæ factionis episcopos Romam ad dicendam causam mitteret. Eæ litteræ servantur adhuc apud Ivonem. » Hactenus Sigonius.

Ad Epist. LXXIII.

Bernardo Majoris Monasterii abbati. Vetus scriptor in libello De tribulationibus Majoris Monasterii injuste illatis ab archiepiscopo et clericis Sancti Mauritii Turonensis,meminit hujus Bernardi : « Brivatis, ait, quodam assidente concilio fratribus nostris illuc delegatis, domno Bernardo priore, Hilgodo Suessorum episcopo,et Andrea fratre ejus,et Jacobo medico, causa nostra secundum superiores excursus ventilata est : « qui locus latior exstat in not. ad epist. 168, ubi paulo post vocatur *abbas.* Idem aperte confirmat alius vetus scriptor in libello manuscripto,quo quidem agit de restaurato Majore Monasterio post tempora depopulationum Astigni et Rollonis : « Lapsis postmodum annis 90,ab Incarnatione videlicet Domini 1095,anno Philippi regis Francorum 37,et Bernardi hujus monasterii abbatis anno ordinationis tertio decimo, Urbanus secundus papa gloriosus ab urbe Roma veniens, et sola charitatis gratia Gallias invisens, cum in Claromontano concilio in præsentia quingentorum ferme patrum, archiepiscoporum scilicet, pontificum et abbatum, ipsis universis una cum Radulfo [*al.* Rodulfo, ut in notis ad epist. 108] Turonensi archiepiscopo acclamantibus et auctorizantibus privilegia libertatis et immunitatis, quæ ipse papa nobis et cœnobio nostro per manus reverendorum fratrum nostrorum,domni Bernardi Remensis, cognomento Pontii, tunc prioris nostri, domnique Rangerii qui postea presbyter card. S. Rom. Ecclesiæ, ac deinde Regiensis archiepiscopus fuit, et in præfato concilio ut archiepiscopus cardinalis sedit,ab urbe Roma miserat.anno apostolatus sui octavo,idque in octavis festi hyemalis beati Martini, tandem pacis et concordiæ gratia inter nos et Turonensis Beati Mauricii canonicos jam tunc deceunio nos persequi non cessantes,faciendæ. » Et multis interpositis sequitur in eodem libro, in **153** catologo abbatum : « Sextus abbas Bernardus hic requiescit in dextro porticu ecclesiæ a parte inferiori. Hic pro libertate hujus Ecclesiæ multum laboravit, et ab omni archiepiscopali subjectione,apostolica auctoritate,Deo et

beato Martino auxiliante, liberavit.» Et paulo post : « Hic rexit Ecclesiam istam usque ad annum 1136, 13 videlicet annis, et obiit VIII Idus Maii. »

Ab eo qui dicebatur excommunicatus, benedictionem acceperitis. Videtur intelligere Rodulfum archiepiscopum Turonensem, qui fuerat excommunicatus ab Amato, legato papæ : qua de re infra in notis ad epist. 108.

Et subjectionem debitam metropolitanæ sedi ante benedictionem promiseritis. De Suronensi archiepiscopo intelligit : quo etiam pertinent verba epist. 134 et 135. Gregorius autem papa vetuerat episcopos ullam exigere professionem a majoris monasterii abbatibus : tantum permiserat ordinationes et sacrationes accipi a Turonensi archiepiscopo, si tamen catholico, quemadmodum indicant verba prisci auctoris relata infra in notis ad epist. 108. Hic vero observandum Ivonem existimasse futiles et vanas esse illorum opiniones, qui censebant abbates consecrandos nullam debere jurare obedientiam episcopis : qua de re altercatus fuit cum Vindocinensi abbate, ut late tractatur in observationibus ad epist. 195.

Scrutiniis suis et vanis susurriis. Detracta littera typographus in prima editione exhibuerat, *susurris* Sed omnes veteres membranæ habent *susurriis*, qua dictione coævi scriptores usi sunt. Petrus Blesensis epist. 56 ad Richardum Cantuariensem archiepiscopum : « Studiumque omnium fere commune est linguas procaces laxare contra vos in detestandum susurrium, » Idem epist. 40 ad prælatum detractorem regis, « labia incircumcisa in susurrium et detractionem illicite relaxatis. » S. Bernardus abbas Clar. in Cantica sermone 24 : « Videas ambulare seorsum, moxque laxare procaces linguas in detestandum susurrium. » Idem epist. 78 ad Sugerium : « Solamque in personam tuam, non etiam in abbatiam, fraternum susurrium immurmurabunt. » Sic enim veteres editiones ; in recentioribus mutarunt, *susurrum*. Nempe falso putarunt vocem esse mendosam. Denique apud ipsum Ivonem Decret. 10, parte XI, cap. 26, nonnulli libri habent : « Venefici capite damnentur, qui artibus odiosis venenis vel susurriis magicis homines occiderint. »

AD EPIST. LXXIV.

Ad suggestionem æmulorum tuorum de proditione Cenomanicæ urbis nuper facta. Ipsemet Hildebertus in quadam epistola qua conqueritur de tyrannide consulum Cenomannensium, deque incendio et expilatione urbis, refert se citatum fuisse ad subeundum in Anglia judicium, quia turres Ecclesiæ jubente rege dejicere noluisset : « Longum est, ait, enarrare, quam constanti tyrannide rex Anglicus in nos sævierit : qui (temperantia regis abjecta) decrecreverit non prius pontifici parendum, quam ponticem compelleret in sacrilegium. Quia etenim turres ecclesiæ nostræ dejicere nolumus, transmarinis subjiciendi judiciis coacti sumus injurias pelagi sustinere : singularem scilicet molestiam itineris, atque unicam totius humanæ compaginis dissolutionem. Tantis igitur hic agitati turbinibus, ad apostolorum limina decrevimus proficisci, magnum novæ tribulationis arbitrati remedium, si Romanus pontifex nobis et consilio subvenerit et auxilio. » Verum ut tota res apertius explicetur, opus est subscribere narrationem facti e vetere scheda quam studiosus vir communicavit, pertinet enim ad illustrationem hujusce epistolæ. Agens igitur de episcopo Hildeberto: « Bellum gravissimum exortum est inter Henricum primum Anglorum regem, et Heciam comitem Cenomanensem, eo quod idem rex episcopatum calumniabatur, ideoque ordinationi episcopi moliebatur obsistere. Cum autem audisset ordinatum esse, manifestis bellorum incursibus patefecit : cujus incœptis comes Helias cœpit resistere. Quo comperto Fulco comes Andegavensis in civitatem advenit, et consensu civium in munitionibus civitatis custodiam posuit : ibique relicto filio suo ad alia properavit. Interea rex Anglorum videns civitatem suis principis præsidio destitutam, huc accessit : ad colonias accedit, consedit urbem exercitu magno : postea cremavit coloniam. Rex autem videns se esse illusum, cum exercitu suo discessit. Cum autem ad pugnam se præparassent, comperta regis fuga ad urbem sunt reversi. Quo audito comes Helias timens ne Fulco comes Andegavensis proscriptioni ejus intenderet, mandavit ad se episcopum Hildebertum et quosdam ex primoribus civitatis, et cum eis cœpit excogitare quibus modis civitatem regis traderent, ipsumque a vinculis liberarent. Erat enim ipse comes Helias in vinculis regis Anglorum. Timebat enim ne comes Fulco regiis muneribus deceptus cum eo pacem faceret, et tradita civitate ipse perpetuo damnaretur exsilio. Episcopus autem ejus angustiis miseratus, cum eo de ejus liberatione est collocutus. Ipse vero rex paulo post liberum et quietum abire permisit. Rex autem capta civitate et munitionibus impositis in Angliam transfretavit. Quia autem ex clericis invidentes promotioni episcopi, et dolos insidiantes accusaverunt eum apud regem Angliæ, dicentes eum fuisse conscium proditionis, quando comes Helias occupavit civitatem consentientibus omnibus. Unde rex suspectum habens Hildebertum, instanter ab eo exigebat ut turres ecclesiæ dirui præciperet (quibus dicebat sibi damnum illatum fuisse) antequam in Angliam transfretaret. Et ut turres dirueret obtulit pontifici maximum pondus auri et argenti ad ædificationem sepulcri beati Juliani, ut dicebat. Quod ad ignominiam fieri videns episcopus, consilio accepto ad suam reversus est Ecclesiam. Primum detulit plane duo cimbala pretiosa et optimam cappam de pallio, et duas pelves argenteas cum aliis multis ornamentis. Interea præcepto regis valde anxius, de urbis incendio, de domorum suorum destructione, de civium expulsione, de clericorum dispersione mœstissimus, Dei omnipotentis clementiam jugiter precabatur, ut ab Ecclesia et populo iram indignationis dignaretur avertere. Misertus autem Dominus afflictionis illius, indignationem suam ultra quam sperari poterat, mitigavit et facies inimicorum ejus confusione et ignominia replevit, ut canticum eorum verteretur in luctum, et organum eorum in vocem flentium. Nam cum quadam die in silvam rex (*a*) venandi gratia perrexisset, ab uno ex suis militibus (qui secum erant) sagitta percussus interiit. Pacata civitate et hostibus fugatis Hildebertus Romam proficiscitur, quem Paschalis secundus papa recipit attentius, deinde illi in Apuliam Siciliamque progresso universi quasi angelo Dei honorem exhibebant et reverentiam. Rogerius autem dux Siciliæ, audita fama et scientia præsulis, illum in maximo honore et reverentia suscepit, et dedit ei idem Rogerius centum uncias auri ad faciendum opus beati Juliani et ad victum canonicorum decem libras monetæ dedit. Postea vero idem episcopus ad Cenomanicam rediit provinciam. »

Et cum paratus sit ad perficiendam purgationem legitimam, non aliter vult. De qua ad epist. 54 et 229.

Ut non recedas ab ordine. Hoc sæpe consulit **154**
viris ecclesiasticis, ut Daimberto Senonensi archiepiscopo, epist. 241, et Joanni episcopo Aurelianensi epist. 247. Ipsemet etiam dicit se nolle cæteris exemplum esse recedendi ab ordine, epist. 35.

Consulens ut non transgrediaris. Hanc etiam ferri igniti examinationem spontaneam reprehendit in causa uxoris supectæ pudicitiæ epist. 205 et 252, et 280. Attamen videtur approbasse si fieret non incaute, sed præcedente legitima accusatione, et judiciali sententia, dicta epist. 205 et 252. Scilicet propter incredulitatem humanam, si omnino desint alia testimonia, eadem epist. 252. Ideo appellat divi-

(*a*) Loquitur de Guillelmo angl. rege, qui mortuus IV Nonas. Aug. 1190.

num testimonium, epist. 232. Quomodo Arnulfus accusatus in synodo Remensi, cap. 30, « meumque vernaculum episcopis tradam, qui per ignitos vomeres incedens, Deum de te judicare manifestis declaret indiciis. » Sæpe autem definiebatur numerus examinationis. Nam mentio fit novem vomerum ignitorum in prisca lege Anglorum et Werinorum seu Thuringorum tit. 15, de veneficiis, et in Capitularibus Caroli imp. apud Ansegisum legis Francicæ lib. IV, tit. 3. Cæterum Franc. Hotomanus in Disput. de feudis, cap. 41, multa collegit exempla auctorum qui meminerunt hujusce examinationis seu probationis ferri candentis, quæ studiosus inde repetat. Cujus consecrandi formula longe cæteris auctior novissime edita est a Fr. Pithœo veteris doctrinæ callentissimo in suo Glossario ad capitularia Caroli Magni, secundæ editionis, ex Ordine manuscripto Dunstani archiepiscopi Dorobernensis.

Ferventis scilicet seu frigidæ aquæ. Hujus examinis mentio fit in legibus Wisigothorum lib. VI, tit. 1, capitulo 3, quomodo judex per examen caldariæ ferventis causam perquirat; et in legibus Frisionum tit. 3 de Thubda, § 6 et 8, et rursus tit. 14 de homine in turba occiso, § 3, quibus locis appellatur judicium Dei, ut etiam in legibus Francicis lib. IV, cap. de honore Ecclesiæ, quem locum citat Ivo decreti parte sexta decima, cap. 238, ex capitularium lib. IV, cap. 13. Eodem Francicarum legum lib. IV, inter capitula mundana ejusdem Caroli, refertur aliud capitulum 33, quo servus ad aquam ferventem se idoniare dicitur. Adalgerus in synodo Remensi cap. 11 : « Hæc si quisquam vestrum aliter esse putat, meque indignum cui credatur, credat igni, ferventi aquæ, candenti ferro : faciant fidem tormenta quibus non sufficiunt mea verba. » Hincmarus Remorum archiepiscopus in libro quem scripsit contra Hincmarum Laudunensem episcopum nepotem suum, cap. 43, quo loco agit de Nivino qui in sua parochia sanctimonialem corruperat, et de monasterio noctu eduxerat. « De eo vero, inquit, quod dicis me ab illo quæsisse, qualiter famam suam purgaret, non ideo ab eo quæsivi, ut non scirem quia hoc agere non poterat, sed ut vel ita eum ad confessionem et pœnitentiam atque post ad indulgentiam possem compellere, quem voluntarium ad ea non poteram provocare : et quousque illum perduxit, ut si præfati sui homines, quia non liberæ conditionis sunt, aut cum aqua calida, aut cum aqua frigida inde ad judicium Dei exirent; quod inde Deus ostenderet mihi sufficeret; et cum se a ratione convictum atque constrictum vidit, in contumaciam et contumelias prosiluit. » Sic illi, qui vixit sub rege Francorum Carolo Calvo, cujus verba prolata sunt ex prisco exemplari calamo exarata; ex quibus illud etiam exsculpi potest, non alios fere quam servilis conditionis homines ejusmodi examini offerri solitos et firmatur verbis cujusdam concilii Tricuriensis relatis a Gratiano in cap. *Nobilis*, caus. 2, q. 5. Sed et exstat liber manuscriptus ejusdem Hincmari Remensis in causa Lotharii regis (nempe Lotharii primi imperatoris filii, circa annum Christi 855), et Thetbertæ reginæ uxoris, quæ cum vicarium suum ad judicium aquæ ferventis exhibuisset, et incoctus exiisset, restituta fuit thoro regio eodem decreto quo suspensa fuerat ; ubi latissime de hoc purgationis genere tractat. Sed quia longo verborum circuitu tota ea disputatio innotuitur, nil potuit facile et commode excerpi. Si quis autem curiosior fuerit, legat lib. de Antiq. Britan. Eccl. non ita pridem editum, in Roberto 31 Dorobernensi seu Cantuariensi archiep., ubi auctor scribit probationem illam per aquam ferventem vel gelidam, aut per candens et ignitum ferrum, a veteribus Anglis et Saxonibus appellatam fuisse *ordaleum ;* cujus varias species commemorat, et multa in hanc rem colligit quæ transcribere non est propositi Ejusdem commeminit prisca lex Salica tit. 56 de manu ab æneo redimenda. et tit. 76 de antrussione § 1, ubi mentio fit ænei calefacti, ei manus in æneum missæ, in pacto pacis Childeberti et Clotarii regum : « Si homo ingenuus in furto inculpatus ad æneum provocatus manum incenderit, quantum inculpatur furtum componat. » Quamvis autem in usu forent ejusmodi examina, tamen canones ecclesiastici reclamarunt, ut arguit Stephanus papa quintus in cap. *Consuluisti* cau. 2, q. 5, et concilio Lateranensi cap. 10, sub Innocentio tertio, diserte prohibitum ne quis clericus ritum cujuslibet benedictionis aut consecrationis impenderet purgationi aquæ ferventis vel frigidæ, seu ferri candentis ; cujus etiam verba relata sunt in cap. *Sententiam*, tit. Ne cler. vel mon. sæc. neg. se immisc. In quarta etiam additione priscarum legum Caroli cap. 81, interdicitur ne ulterius examen aquæ frigidæ fiat.

In antiquo exemplari Laudunensi refertur exemplum cujusdam Anselmi religiosi, qui thesaurum Ecclesiæ Laudunensis furatus, attamen judicium aquæ subire voluit, ut se innoxium esse probaret. Quæ historia quia nondum (quod sciam) in lucem prodiit, atque conscripta est a canonico Laudunensi coætaneo hujusce Ivonis, videtur non otiosum esse si subjiciantur verba quæ ad rem faciunt : « Generalis, ait, conventus canonicorum et civium convocatur, quid opus sit facto discutitur, et præ omnibus magister Anselmus tunc temporis totius urbis lucerna consulitur. Ille ut divinæ legis peritissimus, continuo Jesue replicat historiam, quomodo scilicet furtum in Jericho nullo sciente factum Dominus jussit sorte perquiri, primo per tribus ; deinde per familias ac domos, ad ultimum sigillatim per viros (*Jos.* VII).

« Instar hujus tam subtilis perquisitionis consulit magister Anselmus, ut tanti facinoris auctor judicio aquæ perquireretur, ac de singulis urbis parochiis unus infans inocens in vase aqua benedicta repleto poneretur, et quæcunque parochia forte culpabilis inveniretur, de singulis domibus ejusdem parrochiæ unus infans in aqua poneretur et quæcunque domus deprehensa fuisset, omnes viri vel feminæ ad eam pertinentes, judicio aquæ se purgare cogerentur. Hoc consilio magistri Anselmi, germanique ejus magistri Radulfi comperto, perterriti cives licet innocentiæ suæ conscii, ad episcopum confluunt, et non longe remotos, sed potius ecclesiæ custodes, et prope templum **155** manentes ad judicium primo debere vocari conclamant. Annuit episcopus, et sex viros de quibus major erat suspicio ad faciendum examen vocat, inter quos etiam ipse solus præfatum Anselmum nominatim compellat, dicens se contra eum exinde moveri suspicione. » Et post pauca subjicit: « Ubi dum servaretur, quadam nocte vas maximum aqua impleri, seque in eo ligatum fecit deponi ; temtare scilicet volens utrum in aqua totus mergeretur an supernataret. Cum vero se sine ulla dilatione vidisset ab aqua receptum fuisse, et ad vasis fundum pervenisse, exhilaratus dixit se nihil ultra timere, sed sponte in aquam ingressurum fore. Quid longius morer ? Venit dies constituta, confluit ad ecclesiam innumera multitudo clericorum, militum et rusticorum diversi sexus et ætatis, juvenes et virgines, senes cum junioribus invocant nomen Domini, ejusque gloriosissimæ Genitricis. Qui ergo primus in aqua positus est, salvus et gaudens exiit ; secundus autem corruit, tertius salvus, quartus inventus est reus, quintus liberatur, sextus idem Anselmus culpabilis invenitur, sicque probavit nihil profuisse quod prius Deum tentaverat ; sed plurimum hanc aquam distare ab ea in qua prius, dum in custodia esset, se deponi fecerat. Mox ergo vinculis religatus, usque thesaurum furatum redderet ab episcopo commonitus, statim publice imprecatus est, ut sic suspendi mereretur sicut Judas qui Deum tradidit, si aliquid ex eo haberet vel furatus fuisset. Videns pontifex quod nihil exhortando posset proficere, Ni-

A colao castellano eum tradidit, præcipiens ei ut torquendo thesaurum reddi cogeret. Ille nudatum terræque prostratum atque ligatum lardo calido fecit perfundi, sed nihil extorquere potuit, » etc. Videtur autem aquæ frigidæ examen fuisse cujus mentio hac historia. Ex fragmento vero epistolæ prisci cujusdam præsulis (nam nomen ibi desideratur) colligi potest examen istud levioris ponderis exstitisse, quia loquens de causis Simoniacorum : « Judicium, inquit, aquæ frigidæ non recipimus, nec eorum testimonium qui eidem morbo consentiunt, sed religiosorum fratrum, qui eidem sceleri studio et voluntate resistunt. Qui tamen testes non per aquam frigidam, sed per ignitum ferrum, vel ferventem aquam sunt acquirendi [*fort.* conquirendi]. Simoniaci non admittuntur ad judicium, si probaliles personæ etiam laicorum, vel feminarum, pretium se ab eis recepisse testantur : nec aliud est pro manifestis venire ad judicium, nisi tentare Dominum. Unde et fallimur multoties in talibus : quia Deus longe est ab B his qui tentant illum. »

Cæterum formulam consecrandæ aquæ calidæ seu frigidæ a me dudum repertam in vetere codice S. Ben. Divion, et typis evulgatam, hic iterum subjicere placuit, ut eorum desiderio satisfiat qui ejusmodi rerum curiositate delectantur. Nam ea facta pro diversitate temporum nunc pietati, nunc errori ascripta sunt.

Benedictio vel exorcismus aquæ calidæ in qua manus ad judicium mittitur.

« Exorcizo te, creatura aquæ, in nomine Dei Patris omnipotentis, et in nomine Jesu Christi Filii ejus Domini nostri, ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, et omne fantasma diaboli, ut si hic homo manum suam in te missurus est innocens unde reputatur, pietas Dei omnipotentis liberet eum : et si, quod absit, culpabilis est, et præsumptuose id te manum mittere ausus fuerit, ejusdem omnipotentis virtus super eum C hoc declarare dignetur : ut omnis homo timeat et contremiscat nomen sanctum gloriæ Domini nostri, qui vivit et regnat Deus per, » etc.

« Domine Jesu Christe, qui es judex justus, fortis et patiens, et multum misericors, per quem facta sunt omnia, Deus deorum et dominus dominantium, qui propter nos homines, et propter nostram salutem de sinu Patris descendisti, et ex Virgine Maria carnem assumere dignatus es, et per passionem tuam mundum in cruce redemisti, et ad inferos decendisti, et diabolum in tenebris exterioribus colligati, et omnes justos, cui originali peccato ibidem detinebantur, magna potentia exinde liberasti : tu, Domine, quæsumus, mittere digneris Spiritum tuum sanctum ex summa cœli arce super hanc creaturam aquæ, quæ ab igne fervescere atque calescere videtur, quæ rectum per eam judicium super hunc hominem nomine illo comprobet ac manifestet. Te, Domine Deus, supplices deprecamur D qui in Cana Galilææ signo admirabili tua virtute ex aqua vinum fecisti, et tres pueros Sydrac, Misac et Abdenago de camino ignis ardentis illæsos eduxisti, et Susannam de falso crimine liberasti, cæco nato oculos aperuuisti, Lazarum quatriduanum a monumento suscitasti, et Petro mergenti manum porrexisti. Ne respicias peccata nostra in hac oratione, sed tuum verum et sanctum judicium coram hominibus in hoc manifestare digneris, ut si hic homo pro hac reputationis causa furto videlicet vel homicidio, aut adulterio vel luxuria, aut pro qualibet causa culpæ modo ad præsens manum suam in hanc aquam igne ferventem miserit, et culpabilis ex hac causa non est, hoc ei præstare digneris, ut nulla læsio vel macula in eadem manu appareat, per quam sine culpa calumniam incurrat.

« Iterum te, Deus omnipotens, nos indigni et peccatores famuli tui suppliciter exoramus, ut sanctum verum et rectum judicium nobis in hoc etiam manifestare digneris, quatenus hic homo ex hac reputatus causa, si per aliquod maleficium diabolo instigante aut cupiditate, vel superbia culpabilis est, in factu vel consensu, et hoc comprobationis judicium subvertere aut violare volens malo confisus ingenio, manum suam in hanc aquam præsumptuose mittere ausus fuerit, tua pietas taliter hoc declarare dignetur, ut in ejus manu dignosci queat quod injuste egit. ut et ipse deinceps per veram confessionem pœnitentiam agens ad emendationem perveniat, et judicium tuum sanctum et verum in omnibus declaretur gentibus, per te, Redemptor mundi, qui venturus es. »

Judicium aquæ frigidæ.

« Cum homines vis mittere ad judicium aquæ frigidæ ob comprobationem, ita facere debes. Accipe illos homines quos vis mittere in aquam, et deduc eos in ecclesiam, et coram omnibus illis cantet presbyter missam, et fac eos ad ipsam missam offerre. Cum autem ad communionem venerint, antequam commmnicent, interroget eos sacerdos cum adjuratione et dicat : Adjuro vos homines per Patrem et Filium et spiritum sanctum, et per vestram Christianitatem quam suscepistis, et per unigenitum Dei Filium et per sanctam Trinitatem, et per sanctum Evangelium, et per istas sanctas reliquias, quæ in ista ecclesia sunt, ut non præsumatis ullo modo communicare, neque accedere ad altare, si hoc fecistis, aut consensistis aut scitis [*al.*, scistis] qui hoc egerit. Si autem omnes tacuerint, et nullus confessus fuerit [*al.*, et nullus hoc dixerit], accedat sacerdos altare, et communicet, separatis illis qui examinandi sunt. Postea vero communicet illos quos vult in aquam mittere. Cum autem communicant, dicat sacerdotos per singulos ante altare: Corpus hoc et sanguis Domini nostri Jesu Christi sit **156** tibi ad probationem hodie, ad laudem et gloriam nominis sui, et ad Ecclesiæ suæ utilitatem. Expleta missa faciat sacerdos aquam benedictam, et deferat eam ad locum examinis [*al.*, et vadat ad illum locum ubi omnes probantur ; *al.*, et pergat ad locum. ***Hæc autem ex aliis schedis restituta sunt***] : cum autem venerit ad ipsum locum, litaniam faciens, omnibus pro eadem causa Dominum deprecantibus, de examinandis bibere de aqua illa benedicta. Cum autem dederit unicuique, dicat : Hæc aqua Domini fiat tibi ad probationem hodie per Dominum nostrum Jesum Christum qui est verus judex et justus. Deinde conjuret aquam ubi mittendi sunt. Post conjurationem autem aquæ exuat illos vestimentis suis, et faciat illos per singulos osculari sanctum Evangelium, et crucem Christi. Et post hæc ipsa aqua benedicta aspergat super unumquemque hominem, et projiciat eos statim per singulos in aqua. Hæc autem omnia facere debet jejunus : neque illi antea comedant qui ipsos mittant in aqua. »

Conjuratio aquæ.

« Adjuro te, aqua, in nomine Dei Patris omnipotentis qui te in principio creavit, qui te segregavit ab aquis superioribus, et jussit deservire humanis necessitatibus. Adjuro te etiam per invisibile et ineffabile nomen Christi Jesu Filii Dei vivi omnipotentis sub cujus pedibus te calcabilem præbuisti, qui etiam in te baptizari dignatus est, et suo baptismate consecravit. Adjuro etiam te per Spiritum sanctum, qui super Dominum in te baptizatum descendit, qui te invisibili sanctificatione sacratam ad animarum purgationem inenarrabile constituit sacramentum: per quam olim et populus Israeliticus siccis pedibus transivit, et ex aqua ferrum quod casu ceciderat, Eliseus divina virtute contra naturam natans, in suo manubrio redire fecit ut nullomodo suscipias hunc hominem si in aliquo culpabilis est ex hoc quod illi objicitur, scilicet aut opere, aut consensu, seu conscientia, vel quolibet ingenio,

sed per virtutem Domini nostri Jesu Christi rejice ex te, et fac illum natare super te quatenus cognoscant fideles Christi nullum maleficium, nullum præstigium divinæ virtuti posse resistere quod non detectum fiat.et omnibus manifestum.Adjuro etiam te per virtutem ejusdem Domini nostri Jesu Christi, ut ad laudem illius cui omnis creatura servit, et cui cœlestis exercitus famulatur clamans,Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, ut nobis adjurantibus et ejus misericordiam obsecrantibus obedias, qui regnat et dominatur per infinita sæcula sæculorum. Amen. »

Hominis conjuratio.

« Adjuro te, homo, et contestor per Patrem et Filium et Spiritum sanctum, et per sanctam et individuam Trinitatem, et per omnes angelos et archangelos, et per omnes principatus et potestates, dominationes quoque et virtutes, et per Dei sedilia, cherubin et seraphin, et per diem tremendum judicii Dei, necnon et viginti quator seniores qui quotidie laudant Deum, et per quatuor evangelistas et per sanctos quoque apostolos, martyres et confessores necnon et per sanstam genitricem Dei Mariam, omnesque virgines, et per cunctum populum sanctum Dei vel per sanctum baptismum in quo renatus es,si tu hoc malum fecisti,ex quo culparis,vel assensum præbuisti, aut bajulasti, aut in domum tuam recepisti, aut inde conscius,aut consentaneus exstitisti, coram omnibus dicito. Quod si diabolo suadente celare disposueris et cupabilis exinde es, evanescat cor tuum incrassatum et induratum, et non suscipiat te aqua incredulum et seductum, ut dicat populus, quia Deus noster judex est, cujus potestas in sæcula sæculorum. Amen. »

« Post conjurationem aquæ exuat illos vestimentis illorum, et osculari sanctum Evangelium et sanctam crucem faciat, et sanctificatis omnibus aqua benedicta cum timore et reverentia Dei Filius de ejus clementiat projiciat in aquam.

« Hoc judicium autem petente domino Ludovico imperatore constituit beatus Eugenius, præcipiens ut omnes episcopi, comites, abbates omnisque populus Christianus qui infra ejus imperium est, hoc judicium defendat innocentes, et examinentur nocentes,neque perjuri super reliquias sanctorum perdant suas animas malum consentientes. »

Hactenus vetus exemplar.

Verum quia v. c. Pet. variat in nonnullis a superiore textu, visum est illius scripturam subjungere, ut conferri possit.

Conjuratio aquæ.

« Adjuro te, aqua, in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te in principio creavit, et te jussit ministrare humanis necessitatibus, qui etiam te jussit segregari ab aquis superioribus.Adjuro te etiam per ineffabile nomen Christi Jesu Filii Dei vivi omnipotentis,sub cujus pedibus mare elementum aquarum se calcabile præbuit: qui etiam baptizari in aquarum elemento voluit. Adjuro etiam te per Spiritum sanctum qui super Domino baptizato descendit, adjuro te etiam per nomen et sanctum individuæ Trinitatis, per cujus voluntatem aquarum elementum divisum est, et populus Israel super illum siccis pedibus transivit. Ad cujus etiam vestigii invocationem Elias ferrum quod de manubrio exierat super aquam natare fecit, ut nullo modo suscipias hunc hominem, N. ille, si in aliquo culpabilis est ex hoc quod illi objicitur, scilicet, aut opera, aut consensu, seu scientia, vel quolibet ingenio: sed fac illum natare super te, et nulla possit esse contra te causa aliqua facta, aut nulla præstigiatio quæ illud non possit manifestare. Adjurata autem per nomen Christi, præcipimus tibi, ut nobis per nomen ejus obedias, cui omnes creatura servit, quem cherubin et seraphin collaudant dicentes : Sanctus,sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum,qui etiam regnat et dominatur per infinita sæcula sæculorum.Amen.

Hominis conjuratio.

« Adjuro te homo ille, per evocationem Domini nostri Jesu Christi, et per judicium aquæ frigidæ, adjuro te per Patrem et Filium et Spiritum sanctum, et per Jesum Christum et per omnes angelos et archangelos, et per omnes sanctos Dei, et per diem tremendum judicii,necnon et viginti quatuor seniores qui quotidie laudant Deum, et per quatuor evangelistas Matthæum, Marcum, Lucam et Joannem, et per duodecim apostolos, et per duodecim prophetas, et per omnes sanctos Dei et per martyres et confessores atque virgines, per principatus et potestate, per thronos et dominationes et virtutes, cherubin et seraphin, et per omnia secreta cœlestia te adjuro, et per tres pueros qui Deum quotidie laudant, Sydrac, Mysac, et Abdenago, et per CXLVII millia qui pro Christi nomine passi sunt, et per Mariam matrem Domini nostri Jesu Christi, et per cunctum **157** populum sanctum Dei, et per illud baptismum quod sacerdos super te regeneravit te adjuro, ut si tu de hac re scisti aut vidisti aut bajulasti, aut in domum tuam recepisti, aut consentiens aut consentaneus exinde fuisti aut si habes cor incressatum et cor induratum, aut si culpabilis inde es, evanescat cor tuum, et non suscipiat te aqua neque ullum maleficium contra hoc prævaleat ; propterea obnixe te deprecamur, Domine fac signum tale ut si culpabilis et hic homo nullatenus recipiatur ab aqua. Hoc autem, Domine Jesu Christe, fac ad laudem et gloriam, et invocationem nominis tui, ut omnes cognoscant quia tu es Deus noster benedictus qui vivis, etc. »

« Hoc judicium creavit omnipotens Deus, quia verum est, et beatus papa Eugenius et dominus H.Ludovicus imperator constituerunt, ut istud faciant omnes homines, episcopi, abbates, comites in omnem regionem et probatum est apud nos, et certum et verum est utique;in hoc autem inventum est ut non liceat homines perjurare in sancta sanctorum Amen»

Hic usque priscus ille codex ; aliam consecrationis aquæ calidæ formulam pridem protulit Aventinus lib, IV Annal.Bajoariorum. Fr.quoque Pithœus, vir clariss., in suo Glossario ad capitularia Caroli Magni secundæ editionis anni 1603, edidit aliam diversam ejusdem generis, cæterisque longe ampliorem ex Ordine Dunstani Dorobernensis Ecclesiæ archiepiscopi, ex quorum omnium collatione facile colligi potest nullam certam illius rei formulam olim præscriptam fuisse, sed præsules singularum Ecclesiarum pro libitu compessuisse.

Ignitique ferri contactum. Solæ membranæ Loiselli, *contractum*, sed perperam. Hidelbertus Cenom. episc., in epist. 17 : « Ex abundanti itaque fuit ad contactum calidi ferri præfatam deducere puellam, tanquam tali probaturam examine cum proprio viro nulla se coeundi miscuisse concordia.Etenim frustra lex adducitur,quæ ad urgentis causæ decisionem minime suffragatur. » Ivo autem epist. 205, dicit cauterio igniti ferri nullum certum præberi argumentum, quia occulto Dei judicio multi nocentes videbantur liberari, et innocentes damnari. Merito igitur ejusmodi probatio tandem prohibita fuit, ut a Stephano papa quinto, in cap. *Consuluisti*, caus. 2, q. 2. et ab Innocentio tertio, in cap. *Ex litteris* de excessib. prelator, et Honorio tertio, in cap. *Dilecti*, de purgat. vulg.Quidni autem præstigiis locus hic esse potuit, cum Strabo referat, Geogr. lib. V in monte Socracte fuisse olim paganis cultam deam Feroniam mirifico sacri genere, cum scilicet afflati ejus numine, nudis pedibus prunas inambulabant nulla tamen læsione ?

Aut cujuslibet popularis inventionis. Paulo post appellat superstitiosas inventiones. Quarum appellatione possunt comprehendi probationes eo tempore usitatæ in rebus occultis et incertis, nempe judicium per crucem, de quo in legibus Frisionum, Capitula-

ribus Caroli Magni, et Formulis Marculfi. Item judicium per corpus ac sanguinem Christi, cujus rei exemplis ab aliis pridem collectis addi potest locus Glabri. Hist. l. v, cap. 1, et Helgaudi. referentis Leotericum archiepiscopum Senonensem hac causa severe fuisse reprehensum a rege Roberto, cum jam tale perversum dogma cresceret. Sane Theod. Balsamo, ad can. 61 synodi sexte in Trulla, testatur sacerdotem quemdam suo tempore accusatum et depositum, quod magna quinta feria panem dedisset multis ut hoc examine rei furti convincerentur. Quemadmodum Acron in istud Horatii, lib. I, epist. 10:

Utque sacerdotis fugitivus liba recuso,

scribit in furti suspicione reos ductos ad sacerdotes paganorum, qui crustum panis carmine infectum darent singulis. Ejusdem delirii sunt formulæ in codicibus monasteriorum, quibus ad detegenda furta jubebatur oratio Dominica scribi in pane et caseo, postea fieri cruces de tremulo, quarum una sub dextro pede alia super caput suspecti viri poneretur; deinde post varias numinis invocationes imprecari, ut lingua et guttur rei alligaretur, ne transglutire posset, sed eorum omnibus tremeret, nec haberet quo requiesceret. Cui rei affinis formula Dunstani archiepiscopi Cantuar. edita recenter a Pithœo in Glossario capitulariorum.

Quia fabricante hæc sunt omnino ficta invidia. Sic habent omnes membranæ, ut etiam Grat. in ca. super caus. 2, q. 4, male in prima editione cusum, *facta.*

Stephanus V papa. Superior editio habuit, *Silvester II papa,* quomodo nonnulli veteres libri, sed Ivo ascribit Stephano epist. 205 et 252. Vixit autem hic Stephanus quintus ante Sylvestrum secundum; ad hoc in castigato Gratiani decreto eadem verba tribuuntur Stephano quinto. Error natus e singularibus litteris. S. V.

Lamberto. Variant codices, *Luitberto, Liberto, Liutberto, Vimparto.*

Ad Epist. LXXVI.

Propter tyrannidem quam in nos exercent. In nos additum est fide vet. cod., deerant enim in prima editione, imperfecto sensu Jam autem epist. 75 dicit se licentiam a papa postulasse excommunicandi Puteacensem dominam, et ejus milites pro interminatis injuriis Carnotensi Ecclesiæ illatis. Quod vero hac epist meminit Hugonis filii, cujus tyrannidem perstringit, conjungi debet cum loco epist. 111, ubi dicit, illum more suorum semper rependere mala pro bonis, nec pudore nec fide detineri a rapinis. Sed et appellatur, *cerastes in semita, et coluber in via,* epist. 211, Aymoinus lib. IV, de mirac. S. Benedicti, cap. 24, meminit hujus Hugonis, loquens de Ludovico, rege filio Philippi: « Rebellaverunt autem contra eum, quidam Francorum proceres opibus et viribus Guillemi regis Anglorum fidentes. Ex quibus Hugo de Puteolo, adversus eum arma corripuit; plures sibi asciscens auxiliatores. Rex vero ejus audaciam compescere cupiens, undequaque militum contrahit manum. » Sugerius abbas S. Dionysii in lib. De vita Ludovici Grassi regis, ejusdem facta scelerata describit, graviterque afflixisse Carnotenses testatur. Verba proponam, sed correcta variis locis ope duorum manuscriptorum codicum, quos benigne communicarant viri clari Paulus Petavius et Antonius Loisellus, quia valde illustrant hanc epistolam, et simul meminerunt Ivonis quem Hugo carcere destinuerat:

« Sicut bene fructificantis arboris gratissimus fructus, aut stipitis transplantatione, aut ramorum insertione odoriferum saporem restaurat: sic et iniquitatis et nequitiæ exstirpanda propagatio de traduce multorum nequam in uno conglutinata tamquam anguis angui inter anguillas stimulans, nativa amaritudine tanquam absintho potat. Cujus instar Hugo Puteolensis vir nequam, et propria et antecessorem

A tyrannide sola opulentus, cum successisset in honore Puteoli avunculo Guidoni (pater enim ejus mira superbia in **158** primordio Jerosolimitanæ viæ arma assumpserat) omni malitia patrissare semen nequam non desistebat: sed quos pater flagellis, patre nequior scorpionibus cedebat. Intumescens quippe quod impune pauperes Ecclesias, monasteria crudelissime oppresserat, eo usque pedem movit unde ceciderunt qui operantur iniquitatem, expulsi sunt nec potuerunt stare. Cum igitur nec Regem omnium nec regem Francorum magni duceret, nobilissimam Carnotensem comitissam cum filio Theobaldo pulcherrimo juvene et armis strenuo agressus, terram eorum usque Carnotum depopulans, rapinis et incendiis exponebat. Nobilis vero comitissa cum filio aliquando, licet tarde et insufficienter, prout poterat, ulcisci nitebatur. Nunquam tamen aut vix Puteolo a miliaribus octo seu decem appropinquabant; tanta erat Hugonis audacia, tanta potestativæ

B superbiæ suppetebat facultas, ut eum pauci diligerent, multi servirent, cum multi ad defensionem, quam plures ipsi etiam ad destructionem, anhelarent. Magis enim timebatur quam amabatur. Cum autem comes præfatus Theobaldus per se parum, per regem multum proficere in Hugonem perpenderet: cum nobilissima matre quæ semper nobiliter regi servire consueverat, ad eum accelerat, ut opituletur multis precibus pulsat, multo servitio ejus opem meruisse repræsentat: Hugonis quædam, patris, avi et atavorum opprobria reportat. Memorare inquiens, domine rex, sicut decet regiam majestatem, opprobrii et dedecoris quod avus Hugonis patri tuo Philippo fœdus perjurio intulit, cum eum multas illatas injurias ulcisci innitentem a Puteolo turpiter repulit, fastu nequissimæ consanguinitatis factiosæ conspirationis exercitum ejus usque Aurelianum fugavit, captum comitem Nivernensem. Lancelinum Baugenciacensem, milites pene centum (*hujus meminit Ivo,* epist 172), et quod hactenus inauditum

C erat, episcopos quosdam carcere suo dehonestavit Addebat etiam improperando, qua causa, qua origine in medio terræ sanctorum constructum ad tuitionem ejus a venerabili regina Constantia castrum non ab antiquo fuerat: quo modo etiam post totum sibi, nihil regi reliquum præter injurias fecerat. Modo si placeret, quia Carnotensis, Blesensis et Dunensis exercitus copia, qua fretus resistere consueverat, non solum deficeret sed et ei officeret, castri subversione, et Pugonis exhæredatione, et paternas et suas ulcisci facile posset injurias. Quod si nec suas nec benemeritorum punire vellet injurias: Ecclesiarum oppressiones, pauperum deprædationes, viduarum et pupillorum impiissimas vexationes, quibus terram sanctorum et terræ accolas dilapidabat, aut suas faceret, aut removeret. Cum igitur talibus et pluribus pulsatus rex, his consulendis diem dedisset, Milidunum convenimus; ubi multi archiepiscopi,

D episcopi, clerici et monachi confluentes, quia eorum terras lupo rapacior devorabat, clamabant, pedibus ejus etiam nolentis accubabant, ut rapacissimum, prædonem Hugonem compesceret: præbendas suas munificentia regum in Belsa quæ ferax est frumenti, servitoribus Dei constitutas, de fauce draconis eripiat; terras sacerdotum, non minus sub sævitia Pharaonis solas emancipatas, emancipare satagat; partem Dei cujus ad vivificandum portat rex imaginem, vicarius ejus liberam restituat, suppliciter implorant. Quorum prece bono animo suscepta, nihil inconvenienter suscipiens, recedentibus prælatis Ecclesiæ, archiepiscopo Senonensi, episcopo Aurelianensi, Carnotensi venerabili Ivone qui tentus fuerat carcere, quem coactus fecerat pingi in eodem castello, multis diebus, consensu bonæ memoriæ abbatis Adæ antecessoris nostri remisit, me Tauriacum cui præeram in Belsa, villam beati Dionysii utilem et annonæ fertilem sed nullo modo munitam. præcipiens ut dum ipse eum adhuc ad causam super

his vocaret, villæ providerem, hominum suorum et nostrorum manu militari pro posse fulcitam, ne eam incendio dissolveret, operam darem. Eam enim muniret, et sicut pater fecerat, castrum inde impugnaret. » Sequitur ibi longa narratio obsessi castri, in cujus fine addidit : « Rex vero non tantum Hugonem Puteolensem exhæredavit, quam etiam castrum Puteoli dirutis mœniis, et effossis puteis tanquam locum divinæ maledictioni patulum subvertens deplanavit. Sed et alia vice longo post tempore cum in gratiam regis, multis obsidibus, multis sacramentis reductus esset; iterata fraude recalcitrans, et docilis Sillam scelerum vicisse magistrum, iterato a rege obsessus, iterato exhæredatus, cum dapiferum ejus Ansellum Garlandensem, baronem strenuum propria lancea perforasset, nativam et assuetam dediscere proditionem non valuit ; donec via Jerosolimitana, sicut et multorum nequam aliorum, ejus omni veneno inflammatam nequitiam vitæ ereptione exstinxit. » Hæc Sugerius. Cæterum continuator Aymoini lib. v, cap. 52, etiam refert a Ludovico Hugonem de Puteleo qui contra cum insurrexerat, debellatum fuisse, et Puteolum subversum ne successione temporum sibi vel hæredibus suis dominus de Puteolo posset resistere.

AD EPIST. LXXVII.

Joanni Messaliæ. Sic etiam cuditur in editione Gratiani recognita in inscriptione can. *Decessorum*, can. 25, q. 2. Sed variat nomen in aliis codicibus habentibus, *Massaliæ*, *Massiliæ*, *Massalæ*.

Sive a divæ recordationis imperatoribus. In uno v.c. truncatis verbis tantum legitur, *sive ab imperatoribus.* Sed in aliis exemplaribus altera lectio sibi constat, quæ etiam confirmatur castigata editione Gratiani in can. *Placuit*, caus. 24, q. 4. Quare jam hoc loco mutatum est quod exhibuit superior editio, *sive a divinæ record.* non quod vitium alat ea scritura ; sed quia illud, *divæ*, plures habeat libros astipulatores, et magis redoleat sermonem antiquorum temporum : quemadmodum in titulo epist. 87. Joannis papæ octavi : « Ludovico glorioso regi filio divæ memoriæ Caroli II imperatoris Augusti. » Idem tit. epist. 91 : « Dilectæ filiæ Angelbergæ imperatrici, divinæ memoriæ quondam domni Ludovici piissimi imperatorio conjugi » Cujus generis multa exempla in libris constitutionum impp. ut, *sub divæ memoriæ Constantio*. In l. I De collat. Donat. vel relevat. possess. Cod. Theod., et *ab exordio imperii divæ memoriæ patris mei*. In l. ult. eodem. tit. Item *secundum legem divinæ memoriæ Gratiani*, in l. XXXV, De episc. eccl. et cler., eod. C. Theod. Alexander papa tertius in rescripto ad Arnulphum Lexov. episcopum : *Divæ ac reverendæ memoriæ Innocentii papæ.* Neque vero solum de principibus Christianis loquentes, eorum memoriam divinam appellabant, sed etiam de desertoribus, et hostibus orthodoxæ fidei, Hinc enim est quod a Valentiniano et Valente Julianus imperator dicitur divæ memoriæ, in l. II De numerar. actuar. C. Theod. pariter ab Arcadio et Honorio in l. VII. De prox. Comit. dipos. eod. Cod. ut etiam a Leone in l. LXI De decurionib. Cod. Justin. quod postremum non esse ferendum dicit Brissonius in Formulis. Sed si verum est quod scripsit Minutius Felix in Octavio, reges consecratos fuisse a paganis, non ad fidem numinis, sed ad honorem emeritæ potestatis: hujusmodi sermo non adeo videri debet insolens. Joannes Salesberiensis in Policr. lib. III, cap. 10, reprehendit principes fidei luce præsignes, quod audeant **169** et gaudeant se divos appellari, *veteri consuetudine*, inquit, *in vitio et adversus catholicam obtinente.* Ad hoc Georg. Cassander in præfatione Hymnorum ecclesiasticorum, improbat recentem usum appellandi divos, quos antiqui sanctos vel beatos nuncupabant, quia nihil intersit inter divos et deos.

Sancimus, prius consulto principe ad resecandam tam præsumptivam factionem, cognoscendam. Antea cusum : *sancimus ut prius*, etc. Apud Gratianum in cap. *De reb.*, caus. 12, q. 2 : Sancimus ut prius consulatis principem ad resecandam tam præsumptivam factionem, et cognoscendum utrum. »

AD EPIST. LXXVIII.

Ad Cluniacense monasterium. Glaber Rodulphus Hist. lib. III, cap. 5, de Regula S. Benedicti agens, dicit illam institutionem jam pene defessam elegisse sibi sapientiæ sedem, et fructificaturam germine multiplici in monasterio Cluniaco, sic nominato ex situ loci a clivo atque humili, vel potius a cluendo, quoniam cluere crescere dicimus, insigne quippe incrementum diversorum donorum a sui principio obtinuit. Goffridus abbas Vindoc., in epist. ad Hugonem, appellat secundum paradisum.

Sine omni repulsione ascenderunt. Antea irrepserat, *sine ulla.* Sed jam collatione facta complurium veterum codicum sibi bene consentientium restituitur, *sine omni.* Nam et multis aliis locis ipsius Ivonis eadem locutio occurrit, nempe epist. 74, et 196, et 281, exempla etiam in aliis auctoribus, ut in Urbani papæ secundi, epist. 1, ad clerum et populum Carnotensem supra initio harum epistolarum. Idem in privilegio cœnobii Cavensis : *Bona ipsa ad ipsum taliter devoluta sine omni sua hæredumque et successorum suorum contradictione liceat percipere.* Et alio loco : *Ut ipsa omnes concessiones et exceptiones per eorum vobis privilegia debeant confirmare sine omni pretio et tædio tarditatis.* Tale istud est Gregorii septimi lib. II, epist. 5 : *Sine omni vestro periculo;* et lib. VII, epist. 12 : *Sine omni formidine.* Petrus Bles. epist. 6 : *Sine omni invidia et depravatione.* Henricus imp. ad regem Celtar. : *Sine omni Christiana communione.* Alia exempla in Arnulphi Lexov. episc., epist. 21, 23, 62, 63.

Guimundus. Al. *Guitmundus.*

Ad episcopatum Aversensem. Ita plures manuscripti ; in aliis est *Avernensem,* quomodo etiam exhibuit prior editio. Sed altera lectio sanior est, hic enim Guidmundus intelligitur episcopus Aversanus qui scripsit tres libros adversus Berengarium et floruit sub Urbano II. Willielmus Malmesburiensis lib. III De gestis reg. Angl. in Vita Willielmi primi de Berengario loquens « responderunt ei libris Lanfrancus archiepiscopus, sed præcipue et fortiter Guimundus prius monachus de Sancto Leofredo Normanniæ, postea episcopus Aversanus Apuliæ, nostri temporis eloquentissimus. »

Sancti Laurentii Aversensis. Sic habent multi codices, quibus accedit liber Put. *Adversensis,* in aliis *Avernensis*, quomodo exhibuit prior editio.

AD EPIST. LXXIV.

Humbaldus Antissiodorensis. Eo modo scriptum nomen urbis in plerisque melioribus membranis, sunt etiam quæ habent *Altissiodorensis*, aliæ *Antisiodorensis*, quod vulgo prævaluit. Jam olim variis modis nomen efferebatur, cujus rei fidem faciunt versus Herici de Vita S. Germani lib. I

Celtica qua medios expergit Gallia tractus,
Quaque est vel terris vel mitior illa colonis
Urbem haud incelebrem Galli posuere priores,
Uberibus glebis, et optimi munere Bacchi
Ac prælabentis jucundis usibus annis
Magnarum quæ se multis componere possit,
Autricus a priscis olim vocitata refertur.
Ætas posterior pinnus et culmina avitis
Mœnibus imposuit duri munimina belli.
Ex augmentatis verso cognomine muris,
Sive sequax usus dicas Antissiodorum,
Seu mutilare velis et dixeris Altiodorum,
Nomine diverso res est cumulatior una.

Hæc ille poeta ante annos septingentos. In Itinerario etiam Antonini Aug. scribitur *Autesiodorum ;* in

editione vero Glabri Rodulphi, lib. II, cap. 8, *Antisioderum*, ubi de Roberto rege loquens rem singularem notat : « Eam obsidione circumdedit, qui diu ibi crebris assultibus fatigatus residens, non adversus eam prævaluit, quæ fertur nunquam fraude vel hoste fuisse decepta. »

AD EPIST. LXXXI.

Papæ Urbani successisse. Bertoldus in Chronico ad annum 1099 :« Romæ venerabilis papa Urbanus hujus nominis secundus, postquam sedem Romanam undecim annos et quinque menses gubernavit, post multas tribulationes, tandem IV Kal. Augusti de hac luce migravit; post cujus obitum dominus Paschalis, qui et Regengerus, in ordine CLXII papa ordinatur, et hoc ex divina revelatione factum ubique divulgatur. Ordinatus autem est a clero et populo, post discessum sui prædecessoris; die decima sexta. » Ubi quod addit de divina revelatione, debet illustrari verbis Dodechini abbatis referentis fabulam de schedula partim pilosa, partim pura, qua significabatur papatus illius tempus placidum et turbulentum.

Quod in eundo facile incurreremus. Baron. tom. XII Annal., sic interpretatur hunc locum :« Nimirum si diceret, ut erat, se Romam pergere ad Paschalem, ab illis retineretur qui faverent ejus inimico imperatori et antipapæ. Si vero negaret se, ut erat, inhærere Paschali, peccatum incurreret haud leve. » Et paulo post addit : « Certe quidem quæ ad pericula spectant, ita ab hostibus vias obsessas hoc tempore Domnizo scribit de Henrico imperatore perduellæ Romanæ Ecclesiæ, atque viam domini Petri faciebat hic hostis custodire, viros spoliare jubens peregrinos.» Hæc Baron. Scribit autem abbas Urspergensis in Chron. anno 1102, Henricum imperatorem publicasse Romam se profecturum, quatenus tam sua quam apostolici causa canonice ventilata, catholica inter regnum et sacerdotium confirmaretur unitas, quæ tot annis scissa permanserat. Non tamen venisse, nec nuntia dignitati apostolicæ subjectionem profitentia misisse, nec hoc latere alterum papam Paschali superponere, si fieri posset, conatum fuisse, nec profecisse. Paulo post scribit : « Inter hæc Wernherus quidam ex ordine ministerialium regis,quæ Marchæ,quæ in partibus Aquinæ præerat, quasi eamdem hæresim resuscitaturus, collectis undicunque per Italiam copiis, corruptis quoque multa pecunia Romanis nonnullis, dum dominus apostolicus Beneventanis immoratur finibus, quemdam pseudoabbatem de Fafara, proh nefas! cathedræ S. Petri imposuit, et ipsum papam Cæsaris sub vocabulo Sylvestri appellari voluit. Qui tamen post paululum turpiter, ut merebatur, a Catholicis eliminatus, vesaniæ suæ præmium male conquisiti pejusque dispersi æris retulit damnum, præter fidei quod amiserat, cæco non doluit corde dispendium. » Eodem spectant verba Dodechini : « Interea Wigbertus Romanæ et apostolicæ **160** sedis invasor moritur, et quia non habuit successorem suæ sectæ, ruit omnis populus ad Paschalem papam, et sic annihilata est hæresis ejus quia hactenus vigebat. » Hæc ille ad annum Dom. 1098.

Anselmus Cantuariorum archiepiscopus in epist. ad Henricum regem Anglorum in schedis manuscriptis : « Hoc tantum dico, quæ apostolicus Paschalis secundum Deum ecclesiastice est electus, et per totam Ecclesiam catholicam jam susceptus et confirmatus. Ille vero invasor de qua fama est, nullam habet electionem, aut susceptionem nisi a filiis diaboli inimicis Ecclesiæ Dei. Quapropter exspectamus ut super illum cadat, si non cecidit, quod dixit Dominus, omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis eradicabitur. »

AD EPIST. LXXXIII.

Habetis enim in heptatico. Plerique veteres codices non præfigunt aspirationis notam huic dictioni, sed et in aliorum auctorum libris scriptum offenditur *heptateuchus*, et *heptatichus*. Hic autem intelligit locum Deuteronomii cap. XXV, cujus verba in hunc modum concepta circumferuntur : *Si habuerint inter se jurgium viri duo, et unus contra alterum rixari cœperit, volensque uxor alterius eruere virum suum de manu fortioris, miseritque manum et apprehenderit verenda ejus, abscides manum illius, nec flecteris super eum ulla misericordia*. Peccatum igitur est memoriæ quod hic Ivo dicit, lapidibus obrui qui manum miserit ad genitale membrum (quod Lactantius Firm. appellat divinum et admirabile Dei opus, lib. De opificio Dei, cap. 13, et decorum atque pretiosum Cassiodorus lib. De anima cap. 16). Nam de sola uxore verba debent accipi, nec lapide cædi, sed truncari manu jubetur. Hujus vero appellationis ratio est, quia solebant veteres Ecclesiastici in unum conjungere et colligare quinque libros Moysis et insimul duos alios sequentes, Josue et Judicum, itaque, heptaticus complectebatur Pentateuchum. Quod si quem locum proferebant ex illis libris, citabant sub nomine heptatici vel heptateuchi. Cujus rei inscientia fecit ut nonnulli auctorum loci depravati et mutati fuerint : quod ex scriptura vet. cod. pridem observavit Marianus episcopus Reatinus in epist. 7 S. Hieronymi ad Lætam, ubi pro *heptateuchum*, alii substituerant *pentateuchum;* et epist. 28 ad Lucinium, *octateucho*, pro *heptateucho;* quemadmodum etiam apud Gratianum in can. *Sancta*, distinct. 15, pro pentateuchum, correctum est, in editione Romana, *heptateuchum*, ex decreto Ivonis. Observavi etiam eodem vitio laborare versum Aratoris apost. Hist. lib. I, c. 17, qui sic vulgo cuditur :

Comprobat Omnipotens tædarum fœdere Mosen
Æthiopam sociasse sibi :

Qui error incubat multis manuscriptis codicibus, ne quis putet nostro sæculo natum. Sed in antiquo optimæ fidei exemplari perspicue legitur, *Comprobat heptaticus :* quam vocem solus Aldus retinuit. Heptateuchi mentio fit ab Eusebio Emisseno hom. in Dominicam septimam post Pentec. et homilia in Lucam, cap. 15, ut etiam a Sidonio Apollinar., lib. V, epist. 15, et Gregorio papa primo lib. VII, epist. 49, et lib. XII, epist. 30, et in cap. *Qualiter*, caus. 7, q. 1. Hincmarus Remensis : *Quæ utraque per se perpetrata in heptatico morte Domino præcipiente mulctantur*. Idem alio loco : *Quod autem in heptatico de zelotipia scribitur*. Henricus de Gandavo lib. De illustrib. Eccles. script. cap. 8, dicit Petrum de Rigam Remensis Ecclesiæ clericum scripsisse metrice Heptateuchum.

AD EPIST. LXXXIV.

Contra interdictum bonæ memoriæ papæ Urbani coronam ipsi regi imposuerint. Philippus jam antea excommunicatus fuerat a papa Urbano in Claromontensi concilio, ut ait Ivo epist. 211. Pœnitens postea absolutus : at ubi audivit Urbanum obiisse, rediit ad consortium pellicis Bertredæ. Qua causa Paschalis successor Urbani misit in Galliam duos cardinales, qui coacto concilio Pictavis, regem denuo excommunicarunt, quemadmodum indicat auctor. dicta epist. 211.

AD EPIST. LXXXV.

Et cum hoc correctum fuerit. Ita castigatum ex vet. cod.; male antea : *Et hoc quod rectum fuerit*.

Quidquid dixerint vobis legati vestri. Ita restitui ex plerisque vet. cod.; antea : *Quam quod dixerint vobis legati nostri*, ut habet unus manuscriptus.

AD EPIST. LXXXVII.

Et veterno ipsius Ecclesiæ morbo. Hæc lectio prioris editionis firmatur consensu variorum manuscriptorum. Sed in aliis exemplaria, mutata dictione, pro *veterno*, habetur, *et veteri*, ut in vet. cod. Servini. Est etiam liber Put. qui refert, *et ne tertio*.

Omni canonica obedientia. In uno cod. : *Omni canonica electione.*

Illitteratum, aleatorem et cæteris hujusmodi lenociniis vacantem. Ita ex melioribus vet. cod. Prior editio habebat : *Alearum ludo tantum et cæteris hujus mundi lenoc. vac.*

Pro voluntate regis Philippi, a quo jam antea varias illatas injurias fuisse Belvacensi Ecclesiæ, testatur papa Gregorius septimus, lib. I, epist. 75, ad eumdem scribens.

161 *Stephanus vocatur de Guarlanda.* Lectionem plurium et meliorum codicum prætuli, tum quod ejus ætatis scriptores meminere parilis cognominis. Nam apud Sugerium, lib. De vita Ludovici Grossi, memoratur alius Ansellus de Guarlanda, dapifer et miles strenuus, et paulo post Ansellus Guarladensis baro strenuus, et alio loco Gulielmus Guarladensis, apud Wilelmum Tyrium, De bello sacro lib. I, cap. 17, Guido de Garlanda Francorum regis dapifer.

AD EPIST. LXXXVIII.

Hilgodum quondam Suessionensem episcopum. Ita cudi debuit, quomodo habent meliores vetusti codices, non autem *Hilgotum.* Nam et in prisco catalogo abbatum a tempore restaurati scilicet non autem conditi Majoris Monasterii, Hilgodus appellatur. Cujus verba faciunt ad interpretationem hujus epistolæ, qua quidem Ivo dicit patrem fuisse electum in monasterio, sed non exprimit nomen loci : « Septimus abbas Hilgodus. Hic privilegia de libertate hujus Ecclesiæ pro qua dominus Bernardus diu laboraverat, data a beato papa Urbano attulit. In Angliam etiam pergens 30 marcas argenti quas annuatim habemus a rege et regina Anglorum et pluralia aquisivit. Hic fuit primum episcopus Suessionensis Ecclesiæ, et postea abbas supradicti cenobii. Hic requiescit in introitu in dextera parte ad altare sancti Antonii. Hic rexit Ecclesiam istam ab anno 1136 usque ad annum 1148 et obiit Idus Octob. » Alius priscus scriptor in libello de tribulationibus Majoris monasterii. « Eo itaque tempore Brivatis quodam assidente concilio, fratribus nostris illuc delegatis, domno Bernardo priore, Hilgodo Suessorum episcopo, et Andrea fratre ejus, et Jacobo medico, causa nostra secundum superiores excursus ventilata est. » Et eodem libello paulo post ejusdem commeminit. »

AD EPIST. XC.

Quia trevia Dei non est communi lege sancita. Germinata littera in quibusdam libris, *treuvia.* Alibi *trehua* vel *treua.* Willelmus Tyrius De bel. sac. lib. 1, cap. 15 : *Ut pax quæ verbo vulgari treuga dicitur, ab omnibus observaretur illibata.* Glaber Rodulphus Hist. lib. V, cap. 1. « Hoc insuper placuit universis, veluti vulgo dicitur, ut treuga Domini vocaretur : quæ videlicet non solum humanis fulta præconiis, verum etiam multorum divinis suffragata terroribus. »

AD EPIST. XCI.

Et præcipue reculas. Sic castigavi fide meliorum codicum, male enim primitus cusum *regulas* quæ labecula etiam incubat multis antiquis membranis. In manuscripto Servini offendi scriptum *regulares.* Auctor autem dixit *reculas* ut epist. 101 : *cujus reculas saisivit,* quo loco unus vetus codex obtrudit, *regulas.* Donatus in vita Virgilii : *Cœmundus sylvis et apibus curandis reculam auxit.* Salvianus De vero Dei jud. lib. V : *Quia transferre illuc reculas atque habita junculas suas familiasque non possunt.* Et paulo post, *spoliati reculis suis.* Ita enim refert editio Paris. anni 1575. Sed Pithœana habet *resculas et resculis,* quod non sine prisco exemplari factum. Idem Salvianus, lib. I, ad Eccles. cathol. : *Cur non bona fide datis a Deo resculiis utimur?* aliis auctores *reiculas* dixerunt. Agobardus in epist. ad imperatorem : « Eum quem occidere aut superare cupit, jussus est ut diligat sicut seipsum ; reiculas illas pro quibus contendit, arbitrari ut stercora. » Sic enim observavi scriptum esse in codice antiquo Pap. Massoni., nam vulgata editio corrupte obtrudit *recusias illas.* In Capitularibus Caroli et Ludovici lib. VII, cap. 192 : *qui reiculam Ecclesiæ petunt a regibus.*

AD EPIST. XCIII.

Daimberto Dei gratia Hieros. In uno exemplari *Lamberto,* quod nomen varie scribitur in aliis auctoribus. Nam apud Willelmum Tyrium De bel. sac., passim appellatur *Dagobertus,* ut lib. IX, cap. 14, et 15, et lib. X, cap. 7, 25 et 26 ; item lib. XI, cap. 14. Item *Dagobertus* apud priscum et anonymum auctorem fragmenti historiæ Francorum a Roberto ad mortem Philippi regis, ubi dicitur papam Urbanum direxisse Hierosolymitanis Dagobertum episcopum Pisanum, virum omni probitate decoratum. Matthæus Paris in Historia Anglica ad annum Dom. 1100 refert favore ducis Normannorum Roberti, et episcopi cujusdam Maturanensis de Calabria in sedem patriarchalem fuisse intrusum Arnulphum quemdam sacerdotis filium et inter pereginos incontinentia et nimia levitate notatum. Sed addit eumdem Arnulphum cita morte interveniente coactum fuisse deponere dignitatem temere susceptam. Post illum autem vacante sede per menses quinque, a principibus præsentibus venerabilem Daibertum in throno patriarchali collocatum. Fuit autem inquit, antea episcopus Pisanæ Ecclesiæ, vir ad plenum eruditus, et in agendis ecclesiasticis a puero enutritus. Wilielmus Malmesb. De gest. reg. Angl. lib. IV, cap. 2, ait se non ambigere papæ Urbani consensum fuisse obligatum in illo constituendo, quia reverendus esset senio, potens eloquio, et pollens marsupio. Folcerus Carnotensis vocat illum pium pastorem, et doctorem egregium, qui malevolorum odiis vexatus fuit, et ab Ecclesia sua ejectus invidia Roberti cardinalis, et Arnulfi sepulcri sancti archidiaconi : in cujus locum Evermarus quidam idiota suffectus. Sed cum ille Romam profectus fuisset, deque Roberto, Arnulfo et clero suo conquestus, Paschalis papa eumdem loco et honori pristino restituit. A. Gul. Tyrio appellatur vir litteratus et prudens, reliogiosus valde, et honestatis amicus, lib. IX, cap. 14. Ejus tamen ambitio notata fuit. Nam multo labore principum capta Hierosolyma, eam sibi resignari fecit cum universis pertinentiis, specioso scilicet religionis colore, Gothefrido duce spoliato, cui nunquam ea conditione regnum auctoribus principibus traditum fuerat, ut alicui personæ ullius præstationis vinculo se obligaret, quemadmodum loquitur idem **162** Tyrius lib. IX, cap. 16. Quare non immerito a Fr. Belleforetio reprehenditur in sua Cosmographia.

Matris nostræ orientalis Ecclesiæ. Urbanus papa sec. in sermone habito in concilio Claromontensi : « Ad defendendam Orientalem Ecclesiam velocius concurrite, hæc est enim de qua totius vestræ salutis emanaverunt gaudia, quæ distillavit in os vestrum divini lactis ubera, quæ nobis propinavit evangeliorum sacrosancta dogmata. » A Daimberto patriarcha, Jerosolyma dicitur, omnium Ecclesiarum singularis mater, et gentium domina, apud Willelmum Tyrium, De bel. sac. lib. X, cap. 4.

AD EPIST. XCIV.

Et episcopatus exutor adjudicetur. Locus restitutus est ope veteris codicis Put. qui solus retinuit veram et sinceram scripturam antea enim cusum fuerat, *et episcopatus emptor ;* quæ depravata lectio etiam habetur in aliis manuscriptis. In libro S. Ger. utraque plane desunt. Hic autem illud observandum, ætate auctoris deposito episcopo, seu mortuo, aut in supremis agente, tam laicos quam clericos solitos fuisse bona illius diripere ; cujus pravæ consuetudinis vestigia restant in can. *Illud.*, caus. 12, q. 2, quod postea vetitum fuit concilio Berdensi relato in can. *Hæc hujus,* et concilio Avernensi in can. *De laicis,* dicta caus. 12, q. 2. Willelmus Malmesburiensis. De gest. reg. Angl., lib. IV, refert in Anglia tempore regis Willelmi primi, post decessum episcopi vel abbatis omnes reditus integre custodiri solitos,

qui postea resignandi essent pastori substituendo; at mortuo illo rege statim omnia mutata fuisse, et reditus fisco regio illatos rapacitate Rannulfi procuratoris, de quo infra in notis ad epist. 153.

AD EPIST. XCV.

In me propter eum. Sic vet. cod.; antea *perpetim.*

Ex prædecessorum. In duobus vet. cod. *de præcessorum.* Est quædam differentia utrorumque verborum. Nam prædecessorum nomen latius extenditur. Cassiodorus, Var. lib. IV, epist. 44 :« Conquestus est casam sui juris ante decessorem prædecessoremque nostrum longua ætate possessum.» Idem lib. VIII, epist. 16 : Nam quod vobis per decessores prædecessoresque nostros temporibus domni avi nostri consuetudo longæva dedit. » Hincmarus Rem. archiep. in epist. ad Nicolaum papam. « Nil petii nisi sicut decessores ac prædecessores mei eo uti in episcopi ordinatione solebant. » Viderit igitur Ant. Contius, qui in præfatione sua ad Codicem Justiniani, inter dictiones quas barbarum sæculum prave inflexisse B dicit, numerat prædecessoris vocem, et addit se nulla addita suæ emendationis ratione ubique rescripsisse decessorem, pro prædecessorem.

AD EPIST. C.

Nec caret nævo consensionis. Ita in omnibus manuscriptis. Sed pro *nævo*, substitutum est *scrupulo*, in can. 3, distinct. 86, ubi hæc verba tribuuntur Joanni papæ octavo, ut etiam in can. 8, can. 23, q. 3, ubi ascribuntur non Joanni, sed Anastasio et Damaso.

AD EPIST. CI.

Cujus reculas saisivit solus cod. Put. *regulus;* simili errore qui supra notatur ad epist. 91. Plures autem membranæ habent, *saisivit,* pro quo quidam codices, *sasivit*, vel *saivit.* Eodem verbo usus epist. 121 : *In vico coriarum saisierunt.* Wilelmus Malmesbur., De gest. pontif. Angl., lib. I. *Rex ergo archiepiscopatum saisivit.* Anselmus Cantuar. archiepiscopus in epist. ad Henricum Anglor. reg. : *Me* C *in Normannia in pacem vestrum suscepistis, et de archiepiscopatu meo me resaisistis.* Idem in epist. ad Ernulfum : *Rex me resaisivit de toto archiepiscopatu.* Willelmus Malmesburiensis De gest. pontif. Angl., lib. I : *Anselmum juberes resaisiri.*

AD EPIST. CII.

In suis capitularibus. Basiliensis editio anni 1557, libro titulum dederat legum Francicarum. Ubi ea statuta exstant lib. I, cap. 78. Sed novissima editio Pithœana anni 1603, rectius inscripsit capitularia, ut nuncupari solent a priscis auctoribus. Eadem appellantur capitula regalia ab Ivone epist. 171, et capitula augustorum ab Hincmaro Remensi archiepiscopo. Locus autem quem hic intelligit Ivo, exstat in iisdem capitularibus dictæ editionis sub cap. 84, in quam sententiam consule Gratianum in cap. *Sacrorum*, distinct. 63.

De obnoxietate parentum. Qui enim servili conditioni obnoxii erant, vetabantur fieri episcopi, cap. D 1, dist. 34, ut nec originarii, cap. 9, et cap. 15, eadem dist. atque quilibet obnoxii, cap. 7, dist. 34, et cap. 15, dist. 54.

AD EPIST. CIV.

Domnum Gualonem virum vita honestum. Exstat epistola Anselmi Cantuariensis archiepiscopi, qua mentio fit hujus electionis (Vide epistolas Anselmi, epist. 69, lib. III, *Patrol.* t. CLIX). **163** Hoc de Galone etiam alia notantus ad epist. 110.

Litteralibusque studiis. Ita plures vet. cod. antea, *liberalibusque.* Hincmarus Remorum episcopus lib. Adversus Hincmarum Laudunensem episcopum : « Permisi te interim tantum ut studio litterali incumberes, de sententia jactitare, donec in maturiori ætate ab illo etiam vitio possem compescere.» Hildebertus Cenom. episc., ep. 36 : « Ex canonicari postulas, tuumque tibi nepotem substitui, moribus insignem, et ad litteralem scientiam coævis excultum disciplinis.» Gregorius septimus lib. IX, epist.

A 2 ad regem Hispaniæ :« De illa autem persona, quæ in archiepiscopum fuerat eligenda, dicimus, licet satis prudens et liberalis videatur, tamen disciplinæ fundamento, videlicet litteralis scientiæ peritia indiget. Quæ virtus, quam sit non modo episcopis, verumetiam sacerdotibus necessaria, ipse satis intelligis, cum nullus sine ea aut alios docere, aut sese possit defendere. »

In cor ejus eliquaverunt : Male solus cod. Put., *eloquerentur*, forte pro *eliquarentur.*

Quod prædictus electus discipulus meus fuerit. Ideo æmulis Ivonis suspectus, quia cum hæc scriberet, nondum reconciliatus erat suo regi Philippo, quemadmodum aperte indicant verba quæ habentur in fine hujusce epistolæ.

Si in regno ejus aliquando fieret episcopus. Ejusdem generis est quod Nicolaus papa reprehendit Lotharium regem, quia non permittebat in suo regno Lothariensi ullum eligi vel provehi ad episcopatum nisi sibi faventem, cap. *Porro*, distinct. 63.

Non vult electioni assensum præbere. Vetusto jure requirebatur consensus regis Gallorum, in electionibus episcoporum et abbatum sui regni, veluti colligitur ex variis locis ipsius Ivonis, epist. 54 et 89. Quin etiam licet aliquando libera esset cleri et populi electio, tamen consulendus erat rex, quod paucis exemplis satis erit indicari. Nicolaus monachus coætaneus Ivonis, in Vita S. Godefridi episcopi Ambianensis, lib. I, cap. 18, scribit Henricum abbatem Novigenti liberam permisisse facultatem eligendi pastoris in sui locum. Tum episcoporum consilio, et Ingelramni comitis castelli Cociaci, decretum fuisse monacho Godefrido hoc onus imponendum, idque relatum ad Philippum regem Francorum, qui tanti viri electione gratulatus, rem jussit accelerari. Et cap. 29, refert eumdem Godefridum postea electum fuisse in episcopum Ambianensium, et missam fuisse legationem ad eumdem Philippum cui erat charissimus et familiaris. Et addit :« Jussit igitur more regio ejus promotionem accelerari. » Sugerius abbas sancti Dionysii, lib. de Vita Ludovici Crassi, testatur monachos illius cœnobii affectos fuisse conviciis et carcere inclusos, quia ausi fuerant sibi eligere abbatem eumdem Sugerium, non prius petita licentia dicti regis, cujus tamen gratiam postea meruit. « Abbatis Adæ decessum denuntiat (inquit) communem de persona nostro pleno conventu factam electionem : sed quia inconsulto rege factum fuerat, meliores et religiosiores, fratrum, milites etiam nobiliores cum obtulissent domino regi electionem, ut assensum præberet, multis affectos conviciis, Aurelianis castello inclusos reportat.» Et paulo post : « Triplici angebar dispendio : utrum contra domini regis voluntatem electionem suscipiens Ecclesiæ Romanæ rigore, et domini papæ Calixti qui me diligebat, auctoritate, matrem Ecclesiam, quæ a mamilla gratissimo liberalitatis suæ gremio dulcissime favere non destiterat, dilapidare et emungere utroque dissipatore occasione mei cum nunquam tale quid affectassent, sustinerem, utrum fratres et amicos pro amore nostro deturpari et dehonestari regio carcere permitterem utrum etiam pro his et hujusmodi eam postponens tantæ improperium repulsæ incurrerem, » Robertus de Monte, in appendice ad Chronicum Sigeberti anni 1141, adnotat orta dissensione inter papam Romanum et Francorum regem Ludovicum : Gallicanam Ecclesiam fuisse conturbatam. Defuncto enim Alberico Bituricensi archiepiscopo, missum a papa Innocentio ejusdem Ecclesiæ pastorem consecratum, sed a rege Ludovico repudiatum, eo quod sine ejus assensu ordinatus fuerat, atque ideo in civitate minime receptum. De quo etiam infra ad epist. 105. Cæterum exstat epist. 282 S. Bernardi Clar. ad Ludovicum regem Francorum, qua dicit nec rationis nec consuetudinis fuisse toties requirere favorem regis, quoties clerici dissentiebant in eligendo pontifice. Satis

enim fuisse semel illos promeritos assensum principis.

Nec electo bona episcopalia dimittere. In hanc rem locus egregius in testamento Philippi Augusti regis, quo profecturus Jerosolymam, Adelæ matri et Gulielmo archiepiscopo Remensi avunculo suo tutelam regni commendavit. « Si forte contigerit sedem episcopalem vel aliquam abbatiam regalem vacare, volumus ut canonici Ecclesiæ vel monasterii vacantis monachi veniant ad reginam et archiepiscopum sicut ante nos venirent, et liberam electionem ab eis petant. Et nos volumus quod sine contradictione eis concedant. Nos vero tam canonicos quam monachos monemus, ut talem pastorem eligant qui Deo placeat, utilis sit regno. Regina autem et archiepiscopus tandiu regula in manu sua teneant, donec electus consecratus sit, vel benedictus : et tunc regalia sine contradictione eis reddantur. » Qui locus exstat apud Rigordum lib. I De gestis ejusdem Philippi Augusti.

Francorum rex Romam in proximum se venturum dicit. Tunc enim flagrante adhuc schismate inter Paschalem secundum et Guibertum antipapam, Philippus cum toto regno adhærebat parti Paschalis, quemadmodum etiam favit Urbano, ut notatum ad epist. 46.

Et ad vomitum, sicut jam contigit, reversus fuerit. Vide epist. 84.

AD EPIST. CV.

Præter quod sacramentum sic rectius ex vet. cod. quam ut antea, *propter quod.* Auctor autem epist. 144, dicit eumdem Galonem licet electum, tamen non posse habere pacifice Belvacensem episcopatum, propter sacramentum Ludovici, fuerat igitur duplex jusjurandum in hanc rem, nempe Philippi regis patris, et filii Ludovici Crassi. Uterque princeps mordicus adhærebat suo sacramento. Huc referri potest non dissimile factum Ludovici regis, qui cum papa inscio principe **164** Petrum ordinasset in archiepiscopum Bituricensem mortuo Alberico : id rex (ut ait Matthæus Paris) in injuriam suæ dignitatis factum vehementer indignans, propositis publice sacrosanctis reliquiis in præsentia multorum juravit quod archiepiscopus præfatus, quandiu ipse viveret, civitatem Bituricam non intraret. S. Bernardus, epist. 221, ad eumdem Ludovicum appellat illicitum maledictumque juramentum, inconsultissime usurpatum contra Ecclesiam Bituricensem : et epist. 223 ad Stephanum Prænestinum episcopum, vocat Herodianum juramentum. Qui pariter in epist. 219, ad quatuor episcopos curiæ, dicit se non excusare regem, quia juraverat illicite, et perseverabat injuste, verum id non voluntate, sed verecundia : « Nam probro ducebatur apud Francigenas juramentum solvere, quamlibet male publice juratum; quamvis nemo sapiens dubitet illicita juramenta non esse tenenda, » etc.

Per quemdam servientem suum. Ita vet. cod., ut epist. 65, 116, 121 et 135.

AD EPIST. CVII.

In finibus terræ. Ut epist. 278, *in extremis maris,* quia penitus toto orbe divisi Britanni Virgilio Eclog. 1. Hericus lib. III de Vita S. Germani Autiss. Britanniam describens :

Extima telluris limbo cinxisse perenni
Oceanum perhibent patrum instrumenta priorum.
Is certe finem quadrato fecerat orbi
Gallica qua rapidi perstringunt littora fluctus.
Insula ni vasto terrarum plurima ductu
Alterius ferme nomen conduceret orbi,
Edicto veterum vocitata Britannia.....

Reginæ angelorum Mariæ. Hæc verba adjecta sunt ex vet. cod. quæ antea deerant.

AD EPIST. CVIII.

Non aliunde exarsisse istam malevolentiam. Nomen A archiepiscopi Turonensis quod hic suppressit, potest suppleri inscriptione epist. 235, ubi appellatur Rodulfus; ex cujus etiam epistolæ lectione, itemque epist. 234 liquet graves et acerbas contentiones tunc temporis incaluisse inter illum archiepiscopum et abbatem monachosque Majoris Monasterii cujus rei obiter commeminit Goffridus Vindocinensis abbas in epistola ad Goffridum episcopum Carnotensem, quæ exstat inter epist. Goffridi Vindocinensis (*Patrol. t. CLIX*). Ubi superbiam illorum monachorum exaggerat, et reprehendit quod proprio suo pontifici derogarent. Hujus autem controversiæ ampliorem narrationem reperi in libello manuscripto vetusti et anonymi monachi supradicti monasterii, qui exstat in bibliotheca Laur. Bouchelli advocati Parisiensis. Verba hæc sunt :« Hostes isti qui nos hactenus afflixerant, non alii fuere quam qui nos custodire debuerant et defensare ut filios et fratres, videlicet Rodulfus (*a*) Turonensis Archiepi- B scopus cum clero suo. » Et mox subjicit :« Difficillimumque et solo auditu intolerabile nobis erat quod ipsi intendebant, nec antecessores eorum præsumpserant, ad mensuram cæterorum diœcesis suæ cenobiorum, ubi indecenti petulantia lascivire solent et sæculari [*vel. cod.* seculari] quod dictu nefas est, ad hoc dedecus majus redigere monasterium unde per multas terras religio exordium sumpserat et augmentum. Illud tamen quod ex qua nescimus consuetudine vel ex quo tempore inoleverit, nisi forsitan pro antiqua loci veneratione et dilectione, ut in monasterio nostro Paschalem archiepiscopus solemniter celebraret stationem, nec patres nostri, nec nos eis hactenus negavimus, cum exinde multa mala etiam usque ad homicidia evenisse doleremus, donec sub concessa licentia exigere ceperunt illicita, et quod ad devotionem antiqua consueverat religio, in derisionem et scurrilitatem moderna eorum subvertit abusio.

C « Cum igitur super omnibus querelis quas erga nos habebant, justitiam pacisque concordiam in quacunque curia vellent offeremus, stomachantibus illis et indigne ferentibus quoniam ad nutum eorum singula non procederent, impatienter egit adversum nos archiepiscopus, et absque ullo Dei et hominum respectu excommunicationem super nos et super locum nostrum præcipitavit, ubique nos diffamavit apud reges et principes, ut ethnicos et publicanos evitandos denotavit, diversarum provinciarum episcopos eamdem ferre super nos sententiam, ut super rebelliones et profanos incitavit. In tantum itaque excrevit eorum indignatio et nostra dejectio, ut senes nostros ipsis ante veneratos regibus, vernaculi eorum arroganter contemnerent, cum eos equis suis detrusos, rebus ablatis, injuriis et contumeliis illatis per paludes ejulando prosequi secernerent. » Deinde sequitur :

« Providentia Dei super hoc periculo consilium et opem requisivimus domini Amati legati sedis apo- D stolicæ et archiepiscopi Burdegalensis Ecclesiæ. Qui afflictioni nostræ valde compatiens, indicavit nobis cassam esse illam excommunicationem, quam super nos archiepiscopus Turonensis et complices ejus intentaverant. Quippe ipse antea eumdem archiepiscopum Rodulfum certis ex culpis excommunicaverat (*conf. not. ad epist.* 73); et in hoc magis nos esse reos constanter affirmabat, quod inobedienti suo quoquomodo obedieramus, et excommunicato suo communicaveramus, quam quod ejus temeritati et pertinaciæ rationabiliter occurreramus. Dataque venia noxæ illius et injuncta pœnitentia interminavit nobis, ne ulterius illi communicaremus, neque ejus obligationem ullatenus servaremus, eumque defensorem et prolocutorem nostrum super hoc ratiocinio ubique prætenderemus. » Et inferius :

« Eo itaque tempore Brivatis quodam assidente

(*a*) Sic appellat in sequentibus; alibi *Rodulfus*, vel *Radulphus.*

concilio fratribus nostris illuc delegatis, causa nostra secundum superiores excursus ventilata est, et diligenter enucleata, sanaque et irreprehensibilis reperta est, et ab omnibus approbata, præsente illo de quo sæpe conquesti sumus Rodulfo Turonensi achiepiscopo et factoribus ejus, qui pudore ipso in facie notabantur quod unde nos obligasse putaverant, obligatiores ipsi et reprehensibiliores judicabantur. » Et paulo post addit : « Huic synodali diffinitioni præfuit domnus Hugo Romanæ sedis vicarius, idem ipse primas Galliarum Lugdunensis metropolitanus, assidentibes ei Auxiensi et Narbonensi archiepiscopis cum multis diversarum provinciarum episcopis et abbatibus. Sed crudelium et insidiantium nobis obstinata et inveterata obturatio, tot sapientium incantatorum molliri non potuit consilio, nec divelli ab odio cui semel conglutinata et confederata fuerit perversæ mentis affectio.

Aliud ergo non multo post consilium Augustiduno celebratum est a supradicto venerabili primate et archiepiscopo domno Hugone, ubi præsente illo infatigabili colluctaneo nostro Rodulfo Turonensi archipræsule, et domno Hoello Cenomanensi episcopo suffraganeo ejus et fautore, multis quoque ecclesiasticorum officiorum administratoribus undecunque adunatis, astantibus eisdem fratribus nostris, quos in priori concilio **165** adnotavimus, cum quibusdam alliis utrarumque partium causæ replicatæ sunt. Quantoque nostra diligentius est perscrutata, tanto certior laudabiliorque est reperta : illorum autem quo magis mota, tanto reprehensibilior est effecta. » Et paulo post de reconciliatis ibidem agens : « Sed ut postea rei probavit eventus, non tam ex vera charitate huic paci consenserunt, quam pro synodali increpatione, et justæ invectionis inexcusabili confusione, quod in corde non habebant, in facie simulaverunt, nam mox ut hinc discessum est, quidquid sancitum fuerat, disruperunt, et inconsuetas adversum nos obtrectationes et insidias, quasi accepto ictu lacessiti, accerbius insurrexerunt. » Et paucis interjectis addit :

« Denique Dolensi colloquio, quod eo tempore habitum est eoram primatibus et legatis sanctæ Romanæ Ecclesiæ, domno videlicet Hugone et domno Amato, dé quibus prædiximus præsentibus quoque Cenomanensi et Pictavensi præsulibus, multisque aliis episcopis et abbatibus, assistente etiam domno abbate nostro Bernardo, et de congregatione nostra quam plurimis fratribus, causis utrinque replicatis repertum est et publico conventu divulgatum Rodulfum archiepiscopum Turonensem qui in facie cum clero suo aderat, ante illam male ab eo super nos illatam sententiam, a domno Amato esse excommunicatum, clarescentibus et propositis culpis, de quibus se excusare si voluit non potuit. Multis præterea sacerdotum conventibus, et principum curiis, in quibus non diffamaverant, impudentiæ eorum et obstinationis ratione congrua restitimus, plerisque qui inductu illorum in nos erraverant, correctionis satisfactionem ad nos deferentibus; illis tamen in errore suo manentibus, et in eorrorem et odium quos poterant adversum nos secum trahentibus. » Postea subjicit :

« Rodulfus archiepiscopus in sententia crudelitatis suæ permanens, cum nos a fundamento exinanire machinaretur, judicio Dei magis ipse exinanitus, et sede sua pulsus, dies suos dimidiare non potuit. Rodulfus Aurelianensem successorem habuit, cujus iste imaginem et potestatem accipiens si quid judicio illius deerat, opprobriis et injuriis quas ex ejus auctoritate nobis inferebat, plenissime exaggeravit. Veruntamen in primordio introitus sui, benignitatis simulabro affectare nos cœpit, infestationem antecessoris sui quam exercuerat in nos vehementer reprehendit, et cum quibusdam senioribus nostris sub fidei suæ testimonio firmavit, quod pacem dilectionemque erga nos et locum nostrum indissolubiliter teneret, de supradictis quæstionibus nihil a nobis exigeret : et si nos privilegium tuitionis a sede Romana impetrare possemus, ipse nobis factor [fautor] et suffragator per omnia existeret. Cur hoc nobis promiserit cum nihil tenuerit, nescimus, nisi forsan quod ordinationi suæ nos nocituros quod non intendebamus, existimaverit. Postquam vero intronizatus et securior redditus est quod in corde gestabat in publico aperuit.

« Agressus est itaque novus hic archiepiscopus opera patris sui renovare ; antiquum infestationis spiritum adversum nos resuscitare, ex illius auctoritate et sua publice nos excommunicatos acclamare, et rebelles pontificum ubique denotare.

« Nos igitur qui a facie ursi evasisse sperabamus, postquam in leonem et catulos ejus periculosius offendisse nos conspeximus, et nec primatum patrocinia, nec episcoporum concilia nobis prodesse sensimus ; coacti tandem tam longa et intolerabili persecutione, ad sinum et alas sanctæ Romanæ Ecclesiæ confugimus : ubi et suscepti et recreati sumus. Unde et privilegium libertatis adversus inferiorum dignitatum incursiones accepimus, primum auctore apostolico, qui prius abbas (*a*) venerandæ religionis præfuit montis Cassini monasterii; deinde a successore ejus piissimo ac semper amplectendo papa Urbano.

« Sed neque hoc silere volumus quod ille idem Rodulfus Turonensis archiepiscopus, qui faciem suam erga nos immutaverat, et initium fœdus dissolverat : cum pallium suum a beato papa Urbano postularet, non ante habere potuit quam ab insectatione nostra cessare, et in assensu tuitionis et libertatis nostræ eidem papæ obedire se præsentibus quibusdam ex fratribus nostris, quos illuc miseramus, spondidit, etc.

« Cum fide sua tenere nos hominem qui teneri non poterat, existimaremus, et quasi labore consummato pervenisse ad requiem gauderemus : rursum incipere, ad sinum apostolicum inundante diluvio recurrere coacti sumus. Utrinque igitur ad concilium Claromontanum convocamur, ubi Rodulfus Turonensis archiepiscopus de nota excommunicationis quam prædecessor ejus super nos injuste injecerat, et ipso communicante et patrocinante nobis apostolico publice confirmaverat, proclamantibus nobis a domno papa appellatus, coram omni concilio se excommunicatos nos appellasse, in quantum reminisci posset denegavit. Quod tamen si unquam ex ore ejus evaserat, plus ex commotione aut indignatione animi, quam ex deliberatione processerat. Cum autem hoc adversus eum protestari legitimarum personarum assertione possemus quod in conciliis suis prædicaverat, et per totam pene intonuerat Galliam tamen satisfactum nobis esse, assensu omnium qui aderant reputavimus, præstantiusque id nobis fore et omni emendatione honestius, illi vero vituperabilius omnes asserebant, publico concilio proprio ore dedicere quod probare poteramus publice eum dixisse. » Deinde subjicit :

« Post hac domnus papa privilegium quod nobis dederat, coram omnibus legi præcepit, concedens archiepiscopo Turonensi Rodulfo et clero ejus, cæterisque omnibus qui fautores ejus esse volebant, imo et aliis qui in neutra parte flectentes soli justitiæ intendebant, ut si quid canonice possent, privilegio et auctoritati Romanæ contradicerent. Cumque illi quos causa gravabat, obstinanter oblatrarent, qui vero sanum sapiebant, justitiæ assentiendo ratione pacifica acclamarent, domnus papa imperato silentio, etc. Auctorizavit privilegium nostrum, sci-

(*a*) Victor papæ, successor Gregorii septimi, de quo in Chronico Casinensi.

licet, ut nullus episcoporum, juxta quod beatus Gregorius prohibet, in domo Majoris Monasterii publicam stationem celebrare audeat, propter servorum Dei inquietudinem: nullus episcoporum ab abbate Majoris Monasterii exigat professionem, nullus episcoporum super domum Majoris Monasterii aut super aliquem monachorum ejus quicunque sit, intentare audeat excommunicationem, præter Romanum pontificem, qui eos in gremium paternitatis suæ propter supradictas necessitates tuendos et refovendos suscepit. Cœtera vero ecclesiasticæ disciplinæ sacramenta accipiant fratres monasterii a Turonensi archiepiscopo, ita duntaxat si catholicus fuerit, et in gratia apostolica fundatus. Sin aliter, sententiam habeant accipienti absque ulla calumnia ordinationes suas et sacrationes a Romano **166** summo pontifice, aut undecunque eis libuerit. » Et paucis interjectis sequitur:

« Hæc distinctio sive constitutio libertatis Majoris Monasterii facta est in concilio Claromontensi, a domno papa Urbano in octavis beati Martini Turonicæ civitatis archiepiscop, anno ab Incarnatione Domini 1093, regnante in Galliis rege Philippo, præsente illo cum quo causam habebamus sæpe dicto Rodulpho archiepiscopo, cum clericis ejus contradicere quidem gestientibus, sed cum rationem dare non possent, ad rationem apostolici inviolabilem obmutescentibus, assistente pariter domno abbate nostro Bernardo, et de monachis nostris domno Rangerio cardinali, qui fuit Regiensis archiepiscopus, etc.

Sequitur in eodem exemplari antiquo testimonium Arnulfi archiepiscopi Turonicæ sedis, ex quo elici potest, necdum post superiora conciliorum edicta, pravas consuetudines desiisse in illo Majori Monasterio, quas hic pontifex paulo apertius exprimit, et prohibere iterum coactus fuit. « Cum, inquit, juxta morem præfatum semel in anno, quarto scilicet Paschalis solemnitatis die quod mihi officii erat acturus, ad eum locum pergerem, qui ideo Majus Monasterium dicitur, quod inibi sanctus Martinus primus Deo deseruisse ac monasticam conversationem instituisse creditur, comperi quædam illic causa adventus mei fieri, quæ loci ipsius habitatoribus exosam magis nostram visitationem redderent quam amabilem. Plerique enim eorum qui mecum tanquam sanctæ celebritatis gratia se venire simulabant, tam ex laico quam etiam ex clericali ordine, adeo totius honestatis obliti erant, ut contemptis quæ Dei sunt, missarumque celebrationibus relictis claustra ipsius cœnobii violenter irrumperent, secretumque monachorum absque Dei reverentia violarent, epulasque sibi in locis divino cultui ordinatis exhiberi consueta redhibitione, fronte pudoris nescio exigerent. Quæ mala in tantum excrevisse cognovi, ut et ex hujus tam inhonesta exactionis occasione quædam sacrilegia et pene homicidia fierent.

« Ego finem his miseriis imponere cupiens statuo, ut hæc quæ prædiximus, a nulla penitus ulterius expetantur vel perpetrentur, sed omnia, ut ait Apostolus cum charitate fiant: quatenus adventus noster ad sancta loca potius dici possit paterna visitatio quam tyrannica deprædatio, vel hostilis incursio. Quicunque ergo illuc mecum venire voluerit, pia ac Deo devota intentione veniat, videlicet ut quæ ad laudem Dei pertinent audiat, quæ salutis sunt animæ inquirat, eligens mentem cibo spiritali reficere, quam inhonestis comessationibus corpus aggravare nullum debitum in loco eodem requirens, nulla temeritate interiores monachorum recessus violare præsumens, nullisque molestiis eorum tranquillitatem concutiens: et ita ad propria reverti studeat, ut suæ visitationis a solo Deo compensationem exspectet, quatenus servi Dei non aliqua nobiscum venientium importunitate molestentur, et visitatio nostra magis sit eis amabilis quam exosa, nullo igitur modo quietem eorum perturbari volentes præsentis auctoritate præcepti interdicimus, ne quisquam successorum nostrorum stationem in memorato cœnobio faciens, inquietudinem aliquam servis Dei faciat, vel facere cupientibus consentiat. Quod præceptum ut irrefragibile perseveret, et a nobis factum certius credatur, nos et plerique fidelium nostrorum qui tunc nobis assistebant, signis propriis inferius adnotavimus, » etc.

Cæterum eodem pertinet quod a quodam Joanne, Majoris Monasterii monacho scribitur in Historia Gaufridi ducis Northmanorum et comitis Andegavorum cujus verba profero ex codice antiquo: « Controversia frequens et plurima inter ipsum comitem et Turonensem archiepiscopum versabatur. Contigit ergo aliquando ipsos palam contendere. Archipræsul itaque felle comoto dixit ad comitem: Quia rebus Ecclesiæ cui Deo auctore præsum, has et has irrogotis injurias, pro certo sciatis quia vos excommunicabo. At comes nil motus, tam voce serena quam facie, quod me, ait, domine præsul injuriarum arguitis, aut purgare crimen, aut emendare convictus non renuo. Porro quas subjungitis minas vestræ excomunicationis penitus non formido. Quo audito episcopus graviter de contemptu quam de injuriis dolens, meam, inquit, sententiam non timetis? Illatas injurias augetis insolentia, et in nostro contemptu divinam majestatem offenditis. Nunquid noster parochianus non estis? Nunquid animæ vestræ curam ut pastor vester habere non debeo? Ad hæc comes subridens, bone pastor, ait, præsto quibus debes, et de illis habeto curam qui tibi commissi sunt. Canonicis porro Beati Martini, et monachis Majoris Monasterii nunquid dominaris? Ego autem et canonicus sum Sancti Martini, et monachus Majoris Monasterii. Ergo refrena jura, cohibe potestatem, et quam mihi sententiam minabaris, super tuos exerce. Sic vir sapiens ei injustam pontificis evasit sententiam et quanti habere Ecclesiarum privilegia comprobavit.

Et omne noxium. Hæc verba cum septem cohærentibus, addita sunt fide veterum membranarum, quæ antea desiderabantur.

In Majori Monasterio publicas missas celebrare, erga monachos imperiose agere, bona monasterii prout libuerit usurpare. In similem sententiam Anselmus abbas Becci scribens ad Urbanum, ut monasterium Beccense aliquo privilegio honoraret: Non enim (ait) ignotum esse puto vestræ excellentiæ, quia plures episcopi non tam gaudent monasteria paterna pietate nutrire, et episcopali cura erudire, quam austera quadam dominatione, et propria voluntate gravare. » Ivo quoque epist. 193, reprehendit Gaufridum Bellovacencem episcopum, quod privilegia monachorum sancti Quintini temeraret, et exactione fatigaret. Gregorius septimus, lib. II epist. 69, ad Cunibertum Taurinensem episcopum, illum arguit quod monachos Sancti Michaelis molestiis afficiat. **167** Attamen ob varios abusus adversus istas exemptiones abbatum ab episcopali jurisdictione indultas sive apostolica auctoritate, sive bullis adulterinis, late disputat Petrus Blesensis archidaconus, epist. 69 ad Alexandrum tertium papam, et S. Bernardus Clar. abbas, De consideratione ad Eugenium papam lib. III, cap. 4, conqueritur nullas vel paucas fuisse Ecclesias quæ plagam istam non dolerent aut timerent, et addit summum pontificem, subtrahendo abbates episcopis, archiepiscopos episcopis, etc., probare se habere plenitudinem potestatis, sed justitiæ forte non item; facere hoc quia potest, sed utrum debeat, quæstionis esse. His addendi loci Joannis Salesberiensis Polycratici lib. VII, cap. 21.

AD EPIST. CX.

Galonem confratrem et coepiscopum nostrum. Edinerus, lib. II de Vita Anselmi Cantuariensis archiepiscopi, testis est se vidisse Romæ hunc Galonem quem Wallonem appellat: « Inter hæc, ait,

venit ad nos Wallo episcopus Parisiensis, vir bene religiosus, et ecclesiasticarum consuetudinum institutionibus ab ineunte ætate imbutus, hic Romæ notus et apostolicæ legationis ministerio functus, familiaritate patris Anselmi potiebatur. » Quamvis autem Ivo hac epistola sedem episcopatus non designet, tamen ex collatione aliorum locorum perspicuum est intelligi debere Bellovacensem ; de quo vide notas ad epist. 104. Recte igitur monet Baron. tom. XII Annal. ad annum Christi 1104, quod hunc Galonem modo Belvacensem modo Parisiensem episcopum appellari vides, nequaquam tamen esse diversum ob diversos episcopatus. Hunc enim primo Bellovacensem consecratum episcopum ; inde persecutione regis translatum in Parisiensem. Electum enim a Belvacensibus testatur Ivo epist. 104 et 105. Sed tamen consensu regis fuisse translatum ab episcopatu Belvacensi ad Parisiensem indicat in fine epist. 144. Ideo inscribit varias epistolas Galoni Parisiensi episcopo, nempe epist. 169, 218 et 243 ; quo etiam spectat locus epistolæ 193. De hoc Galone intelligitur locus epist. 144, ubit dicit Paschalem pontificem verba quædam injunxisse Galoni episcopo super absolutione regis Philippi. Idem postea interfuit coronationi regis Ludovici Crassi, regis Francorum, ut refert continuator Aimoini monachi, Hist. lib. v, cap. 59. Sugerius abbas in Vita dicti Ludovici scribit se coram papa Urbano secundo cum esset in Galliis, contra hunc Galonem multis querimoniis ecclesiam Beati Dionysii agitantem, viriliter stando aperta ratione et canonico judicio satisfecisse.

AD EPIST. CXIII.

Pia tripudatione gaudemus. Ea sanior lectio quam ut in uno prisco cod. *trepidatione.* Similis error latet initio lib. v Roberti monachi Hist. Jeros. « Babylonienses nuntii cum appropinquarent, tantosque tanto gaudio trepidantes conspicarentur, mirati sunt Castigari debet, tanto gaudio tripudiantes. » Sic enim idem dixit lib. IV. « Quantum gaudium et tripudii exsultatio fuit in illa die in castris. » Abbas Urspergensis in Chron. : « Incredibili totius civitatis ac multorum populorum tripudio susceptus, nimis honorifice intronizatur. » Sigebertus in Chron. : « Cum magno tripudio tam cleri quam populi itum est regi Francorum obviam. » Bertoldus in Chron. : « Papa tandem ad apostolicam sedem cum magna gloria et tripudio reversus. » Infinita sunt exempla hujusce sermonis.

AD EPIST. CXVII.

Ita gratanter susceperunt. Sic meliores codices, ut epist. 110, 141, 144, in uno vet. cod. gnaviter. In antea vulgato, graviter.

AD EPIST. CXX.

Etiamsi pensem utrum juste an injuste. Prior editio habuit, *etiamsi præessem,* quomodo nonnulli manuscripti in aliis est, *etiam si possem.* Sed verior visa est lectio codicis S. Germani, *etiamsi pensem.* Pensare pro cogitare frequens, ut epist. 25, 33, 180, 250, et S. Gregorio papæ primo.

AD EPIST. CXXI.

Et per totum episcopatum, divinum officium interdicam. Hic observandus mos illius sæculi, quo divini officii celebratio solebat publice prohiberi, si qui res alieni juris occuparet et invaderet. Quo vero tempore ille mos cœperit non facilis conjectura. Hujus exempla proferri possunt ex Gregorio papa septimo, Registri lib. VII, ep. 16 ad Hubertum episcopum Tarvannensium ; quo loco interdicit omne divinum omnibus canonicis de castro Sancti Pauli (solo Huberto interim usque ad audientiam excepto) et ipsis, et locis eorum, quousque villam cum ecclesia et aliis suis pertinentiis canonice restituerint ecclesiæ Sanctæ Mariæ et Sancti Audomari, et coram Hugone Diensi episcopo de inobedientia et excommunicatione satisfecerint. Idem eodem lib. VII, epist, 18. mandat Wilielmo Auxiensi archiepiscopo, ut Pezanensem abbatem rognat Aureliacensi cœnobio ecclesiam unde lis erat, restituere. Quod si forte spiritu superbiæ induratus acquiescere noluerit, jubet monastsrio illi quod invasum est, officium divinum, et invasori omnem ecclesiæ introitum interdici.

AD EPIST. CXXV.

Daimberto. Mendose quidam codices Umberto. Ad hunc exstant multæ auctoris epistolæ. Chronologia Altissiodorensis ad annum 1096 : *Senonensi ecclesiæ post Richerium præfuit Daimbertus ipsius ecclesiæ vicedominus.* Idem ad annum 1120 : *Senonensi ecclesiæ post Daimbertum præfuit Henricus cognomento Aper.*

AD EPIST. CXXVII.

Respectus est inter me et commitissam usque ad adventum Albanensis episcopi. Sic habent omnia exemplaria quemadmodum paulo post : *Infra ergo hunc respectum non est legitimum vel honestum ut ei quæram aliquod malum.* Idem epist. 134 : *Cum etiam respectus esset inter me et comitissam mediante apostolico.* Vox illius sæculi qua etiam usus est Rigordus lib. De gest. Philippi Augusti regis Francorum, cap. de institutione decimarum : *Respectum habebunt a proximo festo Omnium Sanctorum post diem motionis domini regis, in duos annos.* Et paulo post : *Respectum de debito suo habebit juxta factam ordinationem.* Et mox : « Respectum habebit de debito illo usque ad proximum festum Omnium Sanctorum, præstita quidem bona securitate de pace inde tunc facienda. » Item : « De omnibus debitis unde datur respectus, oportebit ut debito det æque bonam fidejussionem, vel meliorem quam antea dedisset. » **167** Fulbertus Carnot. episc. epist. 65, ad Gauslinum abbatem : *At ergo correctionis vestræ non expers* III *Kal. Octob. ei respectum dedi.* Goffridus Viud. abbas epist. Goffrido episcopo Carnotensi : « Mihi vestra bonitate mandastis quod inter me et illam aut placitandi, aut concordiam faciendi respectum usque ad festivitatem sancti beati accepistis. »

AD EPIST. CXXIX.

Et Ecclesiæ nostræ cataneus. Ita quidem prima editio, quæ lectio exstat in multis manuscriptis, uno excepto, in quo *capitaneus*, et nonnullis videtur decurtata dictio, ut ex *capitaneas*, veteres librarii effecerint *captaneus*, unde postea, *cataneus.* Sane priscus auctor Romoaldus secundus Salernitanus archiepiscopus continuator libri nondum editi De vita et moribus omnium principum, qui hodie servatur in bibliotheca regis Gall., circa finem libri, hac voce usus est : « Et comitissa de Berthenora cum Guillelmo de Markysella, nobili Ferrariensi cataneo, cum magna multitudine militum et peditum ad succursum ejusdem civitatis veniebat. » Capitaneorum autem nomine qui censerentur, habetur in libris fundorum. Ivonis vero tempore jam Ecclesiæ dolatæ regum munificentia, habebant complures vassalos militares. ut indicant verba auctoris epist. 28, ad Philippum regem, qui jusserat Ivonem occurrere stipatum manu militari. Sed et epist. 153, objicit comiti Mellentino quia parvipenderet beneficium Carnotensis Ecclesiæ, quod aliis magnis viris magnum esse videbatur. Ubi beneficium pro feudo militari accipi debet, hæc conjectura est. Alii acutiores rem melius interpretari poterunt.

AD EPIST. CXXXI.

Qui ei legitime incardinatus est adulterare. Palmaria emendatio ducta e tribus manuscriptis, uno bibliothecæ Regiæ, altero S. Victoris, tertio S. Germani. In aliis est, *incarnatus,* quomodo etiam habet prima editio. Cardinales presbyteri erant non tantum in urbe Roma, sed etiam in cæteris, quibus tituli, hoc est parochiæ solebant commendari. In concilio Neocæsariensi cap. 15 : *Ut in eodem loco, nec futuris temporibus baptisteria construantur, nec presbyter constituatur cardinalis.* Hujusce nominis

frequens mentio in epistolis S. Gregorii primi papæ, apud quem cardinalis sacerdos vel pontifex fit, lib. I, epist. 78 et 79. Item cardinalis presbyter constitutus ab episcopo, lib. II, cap. 9, et lib. VII, epist. 71, et lib. VIII, epist. 3, et lib. X, epist. 34. Presbyter quoque dicitur incardinatus, cum est ordinatus, lib. II, epist. 25. Apud eumdem incardinationis mentio fit. lib. I, epist. 81 : *Si a decessore tuo non est factus presbyter cardinalis, abstinendum ab ejus incardinatione.* Vulgatæ editiones Gratiani corruperant id verbi in cap. *Fraternitatem*, dist. 71, ubi referuntur verba dicti Gregorii ad Fortunatum episcopum Neapolitanum, lib. V, epit. 111 : *A nobis petiisse recolimus, ut Gratianum Ecclesiæ Venefranæ diaconum tuæ concederemus Ecclesiæ cardinandum.* Alii substituerant : *Ecclesiæ ordinandum.* Idem in can. *Pastoralis*, caus. 7, q. 1 : *Ut si prædicta civitas continua captivitatis calamitate premitur, in hac, in qua a nobis incardinatus es, deceas Ecclesia permanere.* Agit ibi de Joanne episcopo quem e captivata Lissitana civitate, cardinalem constituerat sacerdotem, cardinales autem pesbyteri et diacones appellati olim, quia primi et præcipuæ auctoriiatis erant. Quod enim principale erat, cardinalis nomine censebatur. Inde est quod Servius Honoratus duobus locis in lib. I Æn., quatuor ventos nuncupat cardinales: ut sanctus Augustinus præcipuos partis Donati cardinales, lib. I De bapt. contra Donat. ; ut Aurelius Cassiodorus Variar. lib. VII, cap. 31, in formula principatus urbis Romæ, memorat principem cardinalem in obsequio regis Gothorum ; itemque Mar. Scotus in Chron. præfectum prætorio Orientis vocat virum superillustrem et cardinalem. Sed et in antiqua notitia utriusque imperii dicitur officium magisteriæ in præsenti potestatis cardinale haberi ; et alio loco, officium magisteriæ per Orientem potestatis cardinale haberi. Cæterum horum cardinalium distincta erant munera, nec ob honorem loci licebat illis in alienam messem falcem mittere : quod indicant hæc verba Paschalis papæ secundi in epist. ad Didacum Compostellanum episcopum apud Baron., tom. XII Annal. : *Ecclesiæ quam regendam disponente Domino suscepisti, jam diu etiam cum pastorem habere videretur pastoris solatiis caret.* Et paulo post : « Cardinales in Ecclesia tua presbyteros, seu diaconos tales constitue, qui digne valeant commissa sibi ecclesiastici regiminis onera sustinere, porro quæ presbyterorum intersunt, presbyteris, quæ diaconoram diaconibus committantur, at in aliena dispendia nullus obrepat. » De cardinalibus lege tractatum Onuphri.

Anathematis gladium exerere. Ita meliores libri, pro quo alii, *exercere.* Quod etsi defendi potest, tamen altera lectio antistat. In aliis auctoribus sæpe illa duo commutentur. Ut in l. V. De collat. fund. patr. in quo *exercenda est vindicta* pro *exerenda.* In l. XII, De curs, publ. Cod. Th. : « Ultio competens exerenda est. » Et in l. XII, De pistor, eodem : « Pœna competens exeratur. » Victor Cartennensis lib. De pœnit. cap. 7 : *Juvr in illum exertum septiforme supplicium.*

AD EPIST. CXXXIII.

Caustica verba vestra. Hæc est lectio primæ editionis, quam postea confirmatam reperi auctoritate et consensu multorum veterum codicum. Sed variat in aliis exemplaribus priscis : Habent enim, austera verba, ut videre est in manuscripto S. Germ. et Nic. Fabri. Ad hoc in ora libri Cujacii adnotata est diversa lectio : castigantia verba, quæ postremæ scripturæ videntur fluxisse a glossis. Quia enim rarius aut obscurius erat dici caustica verba, scioli librarii jam olim locum interpolarunt. Similis autem locutio auctoris epist. 277 ad Aldebertum : *Ut verba mea non graviter accipias, licet aliquantulum caustica et mordacia.*

Graviter animadverti. Duo vet. cod. gravati, forte pro gravate.

A *Cum luce veritatis reverberabitur.* Sic meliores libri. In aliis est, *cum luce veritatis cito reverberata.*

In omni pene Ecclesia Gallicana dominetur. Vetus auctor in Vita S. Eligii Noviomensis episcopi lib. II, cap. 1. *Immaniter* (ait) *Simoniaca hæresis pullulabat in urbibus et cunctis finibus regni Francorum, maximeque a temporibus Brunechildis reginæ.* Ideo S. Gregorius papa epistola ad reges Francorum scripta, admonuerat ut detestabile malum Simoniacæ hæresis ac neophytorum de regni finibus studerent prohiberi. Auctor fragmenti historiæ a Roberto ad mortem Philippi circa annum Domini 1037 : « Leo papa in Franciam venit qui Remis multorum adunavit concilium episcoporum **169** et abbatum, in quo Simoniacam hæresim quæ fere totam resperserat Galliam, anathematis sugillavit gladio, multos humilians quos ea pestis extulerat, et sanctorum Patrum statuta quæ propemodum apud Gallos abo-
B lita fuerant reformans. » Glaber, Hist. lib. V, cap. 5, De extirpatione Simoniaca : « Dignoscens igitur idem Henricus per universam Galliam atque Germaniam Simoniacæ philargyria grassari cupiditatem, coandunari fecit ex omni imperio suo tam archipræsules quam cæteros pontifices, et tale eis intulit colloquium, » etc. Ubi dicitur, graviter reprehensis pontificibus a rege ob hoc spiritale latrocinium, quid responderent non habuisse, quia pertimescebant ob hanc culpam carere propriis sedibus, mox addit : « Cernentes quoque episcopi gravi sese invectione irretitos, misericordiæ operam implorabant. At ipse princeps misericordia motus, tale consolationis pertulit verbum : « Ite, inquiens, et quod illicite accepistis, bene disponere satagite, ac pro anima patris mei qui hac noxa reus vobiscum tenetur, attentius intercedere mementote, quatenus ei indulgentiam hujus facinoris a Deo possitis acquirere, » etc.

Romana Ecclesia laboravit, nec a gremio. Non so-
C lus Ivo, sed plures alii coævi scriptores idem testati sunt. Glaber Rodolfus Hist. lib. V, cap. ult. in colloquio regis Henrici de Simonia agentis : « Patet ergo manifestissime quoniam propter hanc offensam venerunt super filios hominum diversæ clades, fames videlicet atque mortalitas, nec non et gladius Omnes quippe gradus ecclesiastici a maximo pontifice usque ad hostiarum opprimuntur per suæ dam nationis pretium, ac juxta vocem Dominicam, in cunctis grassatur spiritale latrocinium. » Et paulo post : « Et quoniam non solum in Gallicanis episcopis hæc pessima pullulaverat nequitia, verum etiam multo amplius totam occupaverat Italiam, omnia quippe ministeria ecclesiastica eo tempore habebantur venalia, quasi in foro sæcularia mercimonia. » Et in fine capitis addit : « Ipso quoque in tempore Romana sedes, quæ universalis jure habetur in orbe terrarum, præfato morbo pestifero per viginti quinque annorum spatia miserrime laboraverat, fuerat enim eidem sedi ordinatus quidam puer
D circiter annorum duodecim contra jus fasque, quem scilicet sola pecunia auri et argenti plus commendavit quam ætas aut sanctitas, et quoniam infelicem habuit introitum, infeliciorem persensit exitum. »

*Patitur membris Judam proditorem, **Ecclesia Nicolaum fornicatoris laudatorem.*** Sic habent omnia vetera exemplaria quibus usus sum ; attamen Annal. Eccles. scriptor. hunc locum proferens addit asteriscum cum lacuna. hac forma. *Patitur in menbris suis Judam proditorem, ... Ecclesia Nicolaum for. laud.* et ad oram additur *Antiochena*, Sed generaliter dictum illud est ab auctore nec ad solam Antiochenam pertinere, Ivonis contemporanei scriptores subindicant, qui plures alias Ecclesias Nicolaitana labe pollutas testantur. In synodo Romana sub Gregorio septimo anno 1088 : ***Sententia anathematis data est in omnes Simoniacos et Nicolaitas hæreticos, qui in erroris sui secta indurati.***

Petrus Damiani in epist. ad Rodulfum, Vitalem, etc. « Nicolaitarum hæresis quæ vobis nobiscum laborantibus videbatur evulsa, reppullat. Deus vult probare constantiam suorum Ecce qui prius Nicolaitarum et Simoniacæ hæresis laqueis tenebantur, nunc ad perditionis suæ cumulum sunt etiam violato sacramento perjuri, quod tamen in Medionalensi Ecclesia non est novum, quæ semper diversi dogmatis homines habuit, initio ab Auxentio atque Ambrosio inchoato. » Bertoldus ad annum Dom. 1095 loquens de Placentina synodo sub Urbano secundo : « In hac quoque hæresis Nicolaitarum, id est incontinentium subdiaconorum, diaconorum, et præcipue sacerdotum irretractabiliter damnata est, ut deinceps de officio se non intromittant qui in illa hæresi manere non formidant, nec populus eorum officia ullo modo recipiat, si ipsi Nicolaitæ contra hæc interdicta ministrare præsumant. Abbas Urspergensis in Chron. sub an. Dom. 1105 agens de consilio generali celebrato in villa regia quæ Northusum dicitur : *Nicolaitarum quoque fornicaria commistio ibidem est ab omnibus abdicata.*

AD EPIST. CXXXV.

Coacto rigore ecclesiastico. Ita in omnibus vet. cod. quomodo etiam habet prima editio, nec opus est ut quis mutet legatque *coacti*.

Arma ei abstulimus. Jure enim pontificio miles pœnitens armis cingi vetabatur, cap. *Admonere*, caus. 33, q. 2, nec ulterius illa ferre licebat, nisi concilio episcoporum pro defendenda justitia, cap. *Falsas pœnitentias*, de pœnit. dist. 5. In synodo apud Wormaciam tempore Ludovici. imper. ut refert Hincmarus Remorum episcopus : « Quicunque propria uxore derelicta, vel sine culpa interfecta aliam duxerit uxorem, armis depositis, publicam agat pœnitentiam, et si contumax fuerit, comprehendatur a comite, et ferro vinciatur. » Sigebertus in Chron. « Ludovicus imperator a suis desertus ac proditus, et in potestatem filiorum redactus, episcoporum judicio arma deposuit, et ad agendam pœnitentiam inclusus est. »

AD EPIST. CXXXVI.

In omnibus adjutores. In uno v. c. post hæc verba relictum est interstitium aliquot linearum.

AD EPIST. CXXXVIII.

Cum coniventia suffraganeorum. Ita plures codices, in lib. S. Ger. *convenientia*, quæ varietas frequens aliis locis. Vide notas ad epist. 220.

AD EPIST. CXLI.

Cujus odium jam per decennium tolero. Hinc notat Baron. tom. XII Annal. hanc epistolam scriptam ab Ivone, anno Christi 1104, Paschalis autem papæ pontificatu quinto.

Vel circuitu Trecas venire. Hujus concili celebrati a Richardo Albanensi commeminit auctor epist. 258.

AD EPIST. CXLIV.

Absolutionem regis. De qua supra epist. 144, continuator Aymoini Hist. Franc. lib. v, cap. 50, refert Philippum postquam a papa anathematis vinculo obligatus fuit, tandem post plures annos sententiam timuisse, et ad terminum vitæ suæ propinquantem resipuisse, veniaque postulata dimisisse pellicem Bertradam ex qua genuerat Philippum et Florum, et comitissam Tripolitanam. Hæc autem absolutio solemniter facta fuit Parisiis, ut habetur in fragmento priscis auctoris historiæ Francorum a Roberto ad mortem Philippi regis. Nam postquam dixit fuisse illum excommunicatum a cardinalibus Joanne et Benedicto quos Pachalis papa in Gallias miserat, subjicit : « Non post multum temporis idem rex corde compunctus direxit quosdam suorum Romam, spondens papæ pariturum sibi in quibuscunque juberet, tantum ut absolvi **170** mereretur : qui direxit A illi duos honestæ vitæ viros a latere suo, qui eum a vinculo anathematis solverent. Illi Parisiis regem adeuntes, multa optimatum præsente frequentia fecerunt ut sibi injunctum fuerat, in communione videlicet fidelium recipientes, eo tamen tenore, ne Bertradæ ulterius commisceretur, seu cum ea absque duobus boni testimonii viris colloqueretur. Susceperat autem jam ex ea Philippum et quam Tancredus postmodum in conjugium sumpsit.

Cæterum postquam anathemate solutus fuit Philippus, sub finem curriculi vitæ monachalem habitum sumpsisse a nonnullis dicitur, tanquam præteritæ ætatis noxas ea specie aboliturus : quod etiam pellex Bertrada præstitit. Id enim aperte sonant verba Willielmi Malmesburiensis De gest. reg. Angl. lib. v : « Philippo interea nulla mora insanæ temulentiæ satietatem fecit, nisi quod extremo vitæ tactus morbo, monachicum apud Floriacum accepit habitum. Pulcherius et fortunatius illa (Comitissam B Andegavensem paulo ante vocat) quod ætate et sanitate integra, nec specie rugata apud Fontem Evraldi sanctimonalium appetiit velum. Nec multo post præsenti vitæ vale fecit : Deo forsitan providente, non posse delicatæ mulieris corpus religionis laboribus inservire. »

Rex clamitans inculcabat. Ita suppletum est fide vett. codd.; huc autem referri potest factum Regis Philippi Augusti in parili causa. Cum anno 1201, ille Ingeburgen uxorem suam in qualemcunque gratiam recepisset, et superductam Mariam ad tempus a se separasset : « Convocatum est concilium. Suessionis ab Octaviano et Joanne de Sancto Paulo presbytero cardinali apostolicæ sedis legatis, cui interfuit rex cum archiepiscopis, episcopis et totius regni principibus, tractatumque fuit per 45 dies de matrimonio Ingeburgensis reginæ confirmando vel separando. Post varias autem et multas disputationes jurisperitorum, rex longæ moræ tædio affectus, C relictis ibi cardinalibus et episcopis, cum Ingeburge uxore summo mane ipsis insalutatis recessit : mandans illis per nuntios suos, quod uxorem suam secum ducebat sicut sua nec separari tunc ab ea volebat. Quo audito solutum est concilium, stupefactis cardinalibus et episcopis qui ad divortium faciendum convenerant. Et tunc Joannes de S. Paulo cum nimia erubescentia penitus recessit. Octavianus autem in Francia remansit, et sic Philippus rex hac vice manus Romanorum evasit. » Hæc Rigordus in gestis XIX anni Philippi.

AD. EPIST. CXLVI.

Sed quia translationes episcoporum necessitate urgente. Supra fine epist. 144, rogat Paschalem papam, ut Galonem episcopum de Belvacensi episcopatu transferri jubeat in Parisiensem. Canonum autem jure translationes episcoporum improbantur, ut sedes non mens mutetur; qua de re agitur in D can. *Mutationes*, cap. *Temporis qualitas*, cau. 7, q. 1, et in decretalis Gregorii lib. I, tit. 7, de translatione episc. Innocentius tertius graviter reprehendit cardinalem apostolicæ sedis legatum quia motu proprio præsumpserat transferre Trojanum episcopum de Trojana Ecclesia ad Panormitanam, ut est in cap. 3 nisi, de officio legati. Zonaras tomo tertio refert Agapetum Romanum pontificem improbasse translationem episcopi factam sine causa a Justiniano. Sic Eugenius tertius noluit confirmare translationem episcopi Guiemari Sicensis, qui electus fuerat a Friderico ut præesset Ecclesiæ Magdeburgensi, uti retulit Otto Frinsig. lib. II, cap. 8, ubi dicitur eas tranlationes debere præveniri multo ampliore concordia cleri et populi quam alias electiones; et reprehenduntur nonnulli episcopi Germaniæ qui attendebant quod terreno principi placuerat. Sed mortuo Eugenio imperator ab Anastasio successore obtinuit facti sui ratihabitionem cum

pallio, non sine quorumdam scandalo, qui ne unquam id fieret, imobiliter fixum Romanos tenere a proprio ipsorum ore audierant. Unde non solum in sæcularibus, sed et in ecclesiasticis negotiis disponendis auctoritas principis plurimum crevit, ut scribit idem Otto dicti lib. II cap. 10. Paschalis quoque secundus Jordanem Mediolanensibus concessit, et Grossolanum unde fuerat translatus, restituit, quia translatio videbatur in animarum et corporum damna conversa. Auctor abbas Uspergensis in Chron. ad ann. Dom. 1116, exempla tamen episcoporum jam olim translatorum habentur apud Socratem Hist. Eccles. lib. VII, cap. 36, Theodorum Balsamonem in interpretatione, cap. 15 synodi Nicenæ, et Burchardum decretorum lib. I, cap. ult. Ipsumque Ivonem in præfatione sui decreti, sive epist. 188. infra. Huc referenda verba Anselmi Cantuariensis archiepiscopi. « Henrico suo charissimo domino, gratia Dei regi Anglorum et duci Northmannorum, Anselmus archiepiscopus fidele servitum cum orationibus. Mandavit mihi dignatio vestra per electum episcopum Wintoniensem, ut sibi scriberem utrum domnus Herveus episcopus Bancornensis possit constitui episcopus in Ecclesia Luxoviensi. Hoc utique facile fieri non intelligo. Sicut enim nullus episcopus sacrari debet alicui Ecclesiæ sine assensu et consilio archiepiscopi et aliorum episcoporum totius provinciæ; ita qui sacratus est episcopus, non potest constitui in alia provincia episcopus canonice sine consilio et assensu archiepiscopi et episcoporum ejusdem provinciæ cum auctoritate apostolica; nec sine absolutione archiepiscopi et episcoporum provinciæ in qua sacratus est. Quæ absolutio fieri nequit sine magna et communi consideratione, et consilio eorum sine quibus consecrari sicut dixi, non possit. Omnipotens Deus dirigat vos in hac et in aliis actionibus vestris. Amen. » Integram exscripsi e priscis membranis, quia nondum typis evulgata fuerat.

AD EPIST. CXLIX.

In Ecclesia Luxoviensi. Ea scriptura sibi constat in priscis membranis Ivonis, ut etiam epist. 153, 154, 157, ne quis fortasse putet fuisse culpam typographi, quod jam in prima editione ubique legatur, *Luxoviensi*, pro quo hodie passim scribitur *Lexoviensi*, ad differentiam monasterii *Luxovii*; quod quidem nonnulli putant olim appellatum fuisse *Lussedium*, ex duobus locis vetusti auctoris. lib. I de Vita S. Eligii Noviom. episcopi, cap. 21, apud Surium, qui (ut hoc obiter) tribuit illam Audoneo Rothomagensi præsuli cognomine Dadoni; cum tamen ex cap. 8 et 12 colligi possit diversum auctorem exstitisse. In aliis scriptoribus etiam illa vetus scriptura manet, ut apud Anselmum Cantuar. in epistola ad Henricum : « *Utrum posset constitui episcopus in Ecclesiæ Luxoviensi.* » Petrus Venerabilis Luxoviensem quoque episcopum vocat.

AD EPIST. CLI.

Odonem olim fratrem, nunc vero hostem. Hæc conquestio super Odone confirmato a Gaufrido Belvacensi episcopo, locum dat conjecturæ ut ille sit quem Anselmus Cantuariensis in epist. nondum evulgata ad Gonherium, scribit canonicos **171** dicti beati Quintini Belv. voluisse removere a sua prælatione, non quidem temere, sed ob multas rationes, et illi substituere hunc Gonherium quamvis invitum; quem propterea adhortatur ne contemplationi deditus velit refugere honorem. Gonherii alibi meminit Ivo ut pariter Gaufredi Belvac. de quo conqueritur epist. 193, quia infrangibat privilegia dicti monasterii Sancti Quintini.

AD EPIST. CLIII.

Ranulfus Dunelmensis episcopus. Quidam libri *Ra-*

A *nulfus.* Hujusce perditissimi latronis mores improbos Anglici historici uno consensu damnant, ut justissima causa Ivo qui illum noverat, scribat epist. 154, qui de Rannulfo bona prædixerant, mutare debere laudem in vituperium. Willielmus Malmesburiensis paulo post. initium lib. IV De gestis regum Anglorum, loquens de Willielmo secundo : « Cum defecisset (ait) quod daret, inops et exhaustus ad rapinas convertit animum. Accessit avidæ menti fomes cupiditatum Ranulfus clericus, ex infimo genere hominum lingua et calliditate provectus ad summum. Is si quando edictum regium processisset, ut nominatum tributum Anglia penderet, duplum adjiciebat, expilator divitum, exterminator pauperum, confiscator alienarum hæreditatum. Invictus causidicus, et cum verbis tum rebus immodicus, juxta in simplices ut in rebelles furens (*a*) subinde cachinnantibus quibusdam ac dicentibus, solum esse hominem qui sciret sic agitare ingenium, nec aliorum
B curaret odium, dummodo complaceret dominum, hoc auctore sacri Ecclesiarum honores mortuis pastoribus venum locati. Audita namque morte cujuslibet episcopi vel abbatis, confestim clericus regis admittebatur, qui omnia inventa scripto exciperet, omnesque in posterum reditus fisco regio inferret. Interea quærebatur quis idoneus in loco defuncti substitueretur, non pro morum sed pro nummorum experimento, dabaturque tandem honor, ut ita dicam, nudus, magno tamen emptus, hæc eo indigniora videbantur, quia tempore patris post decessum episcopi vel abbatis, omnes reditus integre custodiebantur, substituendo pastori resignandi : eligebanturque personæ religionis merito laudabiles, at vero pauculis annis intercedentibus omnia immutata. Nullus dives nisi nummularius, nullus clericus nisi causidicus, nullus presbyter nisi (ut verbo parum Latino utar) firmarius. Cujuscunque conditionis homunculus, cujuscunque criminis reus statim ut de lucro regis appellasset, audiebatur, ab
C ipsius latronis faucibus resolvebatur laqueus, si regale commodum promisisset, » etc Idem initio. lib. V. scribit. « Occiso Willielmo, Henricum electum regem statim per Angliam edictum misisse, injustitias a fratre et Ranulpho institutas prohibuisse, et ne quid gaudio abesset, Ranulphum nequitiarum fæcem tenebris ergastularibus inclusum fuisse. » Idem lib. III, De gestis Pontif. Angl. inter cætera sic scribit : « Is est Ranulphus, quondam regis Willielmi capellanus, ex quo ambiguum genere, lingua et calliditate provectus ad summum, et totius regni procurator effectus. » Et mox. « Quibus artibus fretus episcopatum Dunelmensem meruit. Venit ergo Dunelmum, et primum quidem timidius se agebat, sanctum verens offendere, qui fertur peccantium severus in primis correptor esse. Sed uno et altero delicto commisso nec vindicato, eo processit ut reum si quando ad ecclesiam sancti confugeret, abstrahere non dubitaret, ausus scelus omnibus
D retro annis inauditum. » Rogerius Hovedenus, Annal. parte priore, in Willelmo juniore : Rex Anglorum Willielmus junior de Northmannia rediit Angliam, et in Pentescosten Londiniæ curiam suam tenuit, ac Rannulfo, quem negotiorum totius regni exactorem constituerat, Dunelmensem episcopatum dedit, quem Thomas Eboracensis achiepiscopus ibi mox consecravit. » Et paulo post addit : « Multis Northmannis diabolus in horribili specie se frequenter in sylvis ostendens, plura cum eis de rege et Ranulfo et quibusdam aliis locutus est; nec mirum. Nam illorum tempore fere omnis legum siluit justitia causisque justitiæ suppositis, sola in principibus imperabat pecunia. Denique eadem tempestate nonnullis regiæ voluntatis magis quam justiæ obedientibus, Ranulfus contra jus ecclesiasticum, et

(*a*) Aliter legitur apud eumdem, lib. I. *De gestis Pontif Angl.* : subinde ridente rege ac dicente solum esse.

sui gradus ordinem (presbyter enim erat) ad censum primitus abbatias, dehinc episcopatus, quorum Patres a vita discesserant, noviter accepit a rege, et in singulis annis persolvit ei non modicam summam pecuniæ. Cujus potentia tam vehemens exstitit, et parvo tempore adeo crevit ut placitatorem ac totius regni exactorem rex illum constitueret. Qui tanta potestate adepta, ubique locorum per Angliam ditiores ac locupletiores quosdam rerum terrarumque ablatione multavit, pauperiores autem gravi injustoque tributo incessanter oppressit, multisque modis et ante episcopatum, et in episcopatu majores et minores communiter afflixit. Et hoc usque ad regis ejusdem obitum. Nam eo die quo occisus periit, Cantuariensem archipræsulatum. Wintoriensem et Saresberiensem præsulatum in sua manu tenuit. » Idem historicus paulo post, in Vita Henrici primi: « Anno milleno centeno primo Dunelmensis episcopus Ranulfus, Kal. Febr., de custodia calliditate maxima evasit, mare transiit, Robertum comitem Northmannorum adiit, eique suasit ut Angliam hostiliter adiret, » etc. Matthæus Paris in historia Henrici primi: « Tenuit autem eo tempore rex in custodia Ranulphum Dunelmensem episcopum, hominem perversum, et ad omne scelus paratum, quem frater ejus rex Willielmus episcopum fecerat Dunelmensem, et regni Anglorum subversorem. Qui cum regi jam dicto nimium esset familiaris, constituerat eum rex procuratorem suum in regno, ut evelleret et destrueret, raperet et disperderet, et omnia omnium bona ad fisci commodum comportaret. Sed mortuo rege iniquo, et Henrico coronato, de communi consilio gentis Anglorum, posuit eum rex in vinculis, a quibus cum custodibus suis pecunia corruptis evasisset, transfretavit clam in Northmanniam et sua exhortatione ducem Robertum commovit in regem fratrem suum. » Idem historicus dicit obiisse anno Dom. 1133. Cæterum in epistolis Anselmi Cantuariensis archiepiscopi mentio fit Ranulfi episcopi a rege Angliæ in episcopatum restituti, et postea variis facinoribus accusati apud papam Paschalem II. quod putant referendum esse ad hunc Ranulfum. Verba hæc sunt ex interrogatis Anselmi : « Anselmus. Ranulfus de quo vestrum olim petii consilium, a rege restitutus est in episcopatum. Si ergo vobis placuerit, inquirite vitam ejus ab episcopis nostris qui nunc ad vos venerunt, ac de eo archiepiscopo ejus et mihi primati ejus consulite. Paschalis. Ranulfi episcopi causam, quandoquidem juxta præceptum nostrum in cathedram propriam restitutus est, indiscussam præterire non patimur. Ejus enim facinora gravissima ad sedem apostolicam multorum sunt relatione perlata. Volumus igitur ut apud præsentiam vestram in episcoporum conventu, quæ de eo ad nos scripta sunt, pleniter pertractentur. Discussione habita, nisi se septima sui ordinis manu expurgare potuerit, mox cum litterarum nostrarum testimonio transmittatur ad nos. Si autem de conscientia sua trepidans ad examen nostrum pervenire noluerit, per experientiam vestram ab Ecclesia quam occupat expellatur, et in ea juxta canonicas sanctiones episcopus subrogetur. »

172 Ad Epist. CLIX.

Ut prædictum regem sanis consiliis informes, et leges ecclesiasticas. Hujus comitis Mellentini, qui multum valebat gratia apud regem Anglorum, Henricum primum, mentio fit a Willielmo Malmesburiensi, lib. v De gestis reg. Ang., cujus verba hæc sunt : « Rex Angliæ, Romanos prudentiam Northmannorum mirari et prædicare coegit. Et ut nihil cumulatæ pompæ deesset, adolescentulos clarissimi generis, filios comitis de Mellento, ut contra cardinales de dialectica disputarent, subornavit; quorum tortilibus sophismatibus cum pro vivacitate rationum obsisti nequirent; non puduit cardinales confiteri, majori occiduas plagas florere litterarum peritia, quam ipsi audissent, vel putassent in patria.

A Itaque hæc collocutio hunc finem meruit, ut pronuntiaret apostolicus, nihil Anglorum regis causa justius, prudentia eminentius, facundia uberius. Horum puerorum pater erat comes de Mellento Robertus (ut dixi) filius Rogerii de Bellomonte, qui Pratellum cœnobium Northmanniæ construxit, homo antiquæ simplicitatis et fidei, qui crebro a Willielmo primo invitatus ut Angliam veniret, largis ad voluntatem possessionibus munerandus, supersedit, pronuntians patrum suorum hæreditatem se velle fovere, non transmarinas et indebitas possessiones vel appetere, vel invadere. Hic duos filios habuit : Robertum istum et Henricum. Henricus comes Warwicensis, dulcis et quieti animi vir, congruo suis moribus studio vitam egit et clausit. Alter astutior et pro moribus ad versutiam cordis, præter paternitatem hæreditatem in Northmannia, et ingentia prædia in Anglia, castellum quod matris suæ frater Hugo filius Gualeranni tenuerat, Mellentum nomine, a B rege Franciæ nundinatus est pecunia. Qui cum superiorum regum tempore spe sensim pullulante in gloriam procederet, hujus ætete summo provectu effloruit, habebatque ejus consilium, quasi quis divinum consuluisset sacrarium. Jamque non immerito assecutus æstimabatur, quod esset ævi maturus ad consulendum, suasor concordiæ, dissuasor discordiæ, et prorsus ad quod intenderet, pro viribus eloquentia citissimus persuasor. » Et paulo post addit : « In placitis propugnator justitiæ, in guerris provisor victoriæ; dominum regem ac severitatem legum custodiendam exacuens, ipse non eas sequens, sed proponens, expers in reges perfidiæ, in cæteros ejus persecutor. » Et longe post eodem lib. refert comitem de Mellento in causa fuisse, ut Henricus primus Anglorum rex diu altercatus fuerit cum Paschali papa super usu investiturarum, « quia allegabat multum regiæ majestati diminui, si omittens morem antecessorum non investiret electum per baculum et anC nulum. » Exstat in vetusto codice bibliothecæ S. Victoris Paris. Anselmi Cantuariensis episcopi epistola ad Ernulfum in eamdem rem. « Domnus papa (de Paschali secundo loquitur) nuper mandavit comiti de Mellento salutem et benedictionem suam, hac videlicet conditione, si libertati Ecclesiæ voluerit favere, cui hactenus visus est resistere; sin autem, ab introitu ecclesiæ tantum illum arcebat, sicut fecerat prius de illo, et de aliis complicibus ejus consiliariis regis, in litteris illis quarum exemplar misi vobis. Sed quoniam idem comes promisit mihi se conaturum ut rex papæ præceptis obediat, permisit ei introitum ecclesiæ a quo detinebatur. » Idem Willielmus Malmesb. lib. II De gest. pont. Angl. de eodem Henrico rege loquens : « Ille qui sua prudentia consilio Mellentini comitis Roberti jam in omnibus defæcatus maturuerat, consilia salutaria dignanter accepit. » Ivo meminit Roberti Mellentini comitis epist. 45, et Melletensis epist. 285.

D *Ad aliam Ecclesiam transeat, et velut quadam mæchatione.* Sic rectissime in melioribus codicibus, pro quo in aliis, *quadam machinatione*, minus apte: mœchationis enim nomine voluit intelligi bigamiam in hoc episcopo Ranulfo, qui duarum Ecclesiarum episcopus fieri malis artibus nitebatur. A canonum veterum conditoribus Ecclesia vel patrochio appellatur uxor episcopi vel presbyteri, ut a Callixto papa in cap *Sicut*, caus. 7, q. 1, et sponsa presbyteri in Remensi concilio relato cap. *Sicut unaquæque*, caus. 21, qu. 3, ubi scribitur Ecclesiam non posse dividi inter duos, quia est uxor et sponsa Christi, non scortum. Ivo etiam, epist. 131, dicit adulterari sponsam et cubile sponsæ ascendi, de presbytero loquens qui suam repudiarat Ecclesiam, et illam recuperare volebat vivente altero, qui legitime illi incardinatus erat, vel (ut habent quidam codices) incarnatus erat. Idem Callixtus concubitu Ecclesiæ frui dicit, dicto cap. *Sicut*, caus. 7, q. 1. Ivo de eodem Ranulfo agens epist. 153. « Eliminetur, inquit, de Luxoviensi

Ecclesia,ut digamia non admittatur. » Sed et affirmat neminem fieri episcopum duarum Ecclesiarum epist, 66. Sicut plures Ecclesiæ uni episcopo committi non posse scribunt Sozomenus, Hist. Eccles., lib. VI, cap. 15, Ruffinus, Hist. lib. I, cap. 6, et Epiphanius hæresi 68. Apud Luithprandum Ticin., lib. IV, cap. 3, exstat insignis locus de Manasse episcopo Arelatensi, qui abusus auctoritate et exemplo Petri apostoli et Marci evangelistæ, ab Hugone tunc temporis rege Italiæ suscepit episcopatum Ecclesiæ Tridentinæ, Veronensis et Mantuanæ. Ex justa autem causa unus idemque episcopus potest habere duos episcopatus, ut ex Gregorio relatum in cap. *Relatio*, et cap. *Illud*, caus. 21, q. 1.

Bona severunt. Placet magis ista lectio aliquot manuscriptorum, quam altera, *bona senserunt*, etsi defendi potest. Bona enim serere dixit eo modo quo alii sermonem disseminare.

Ut leges frangant, sed distortores legum. Prima editio obtruserat, *sed doctores legum*, quam lectionem cum mendosam videret esse Baronius,pro distortores,substituit *fractores*, ut videre est, tom.XII Annal., ubi profert hunc locum. Restitui, *distortores*, secutus fidem et consensum priscarum membranarum, quod sincerum esse liquet.

AD EPIST. CLVII.

Accepto pastorali baculo. De episcopali agi, tota epistolæ series ostendit. Baculus autem inter symbola pontificiæ dignitatis recensetur. S. Bernardus Clar. in sermone de baptismo : « Sicut in exterioribus diversa sunt signa, variæ sunt investituræ secundum ea de quibus investimur.Verbi gratia, investitur canonicus per librum,abbas per baculum, episcopus per baculum et annulum simul. Sicut, inquam, in hujusmodi rebus est, sic et divisiones gratiarum diversis sunt traditæ sacramentis. » Qui in libro Sententiarum cap. 3, dicit episcopum habere virgam in manu ut mites lenius corripiat,baculum ut duros et improbos acrius arguat,cumque necesse fuerit,anathematis sententia feriat.Priscus et innominatus auctor vitæ S. Romani episcopi Rothomagensis : « Fit itaque inter palatinos proceres de viro sancto communis assensio,qui omnes unanimiter regi consulunt,ne grex Christi suo fraudetur desiderio, sed divina protinus ad effectum ducatur electio. Quo rex gratulatus consilio, convocatis tam episcopis quam abbatibus baculum illi contulit pastoralem.Intronizatur ergo pontificali apice,» etc. Qui locus palam arguit antiquissimi juris usum quo Galliæ reges investiebant antistites sui regni. **173** Nam ille Romanus claruit sub Ludovico et Clotilde, circa annum 623. Exstat memorabilis historia apud Glabrum Rodulphum, lib. v, cap. 1 de Roberto rege Francorum, cui abbas cujusdam monasterii equum optimum dederat,ut sibi illius amicitiam conciliaret. Dumque præfatus abbas accersitus fuisset,ait ei:« Depone baculum regiminis pastoralis,quem credis largitione mortalis hominis debere gestari.Quem cum a se projecisset, suscipiens illum rex,imposuit dexteræ imaginis Salvatoris, valde inquiens abbati,et suscipe illum de manu omnipotentis regis,nec sis ultra pro eo debitor alicujus mortalis, sed libere utere eo,ut decet culmen tanti nominis; at ipse gaudenter illum suscipiens,plurimis de tali facto alacritatem contulit, ac dehinc cum omni libertate viguit »Vetus fragmentum historiæ a Roberto ad mortem Philippi, de Hildebrando et Henrico imp. : « Exigebat quoque idem papa ab eo dimitti dominationem omnium sui imperii ecclesiarum, ne cui baculum pastoralem donaret juxta quod in antiquorum statutis continetur Patrum.Quod ille facere renuit; hæc fuit justior causa excommunicationis. » Waltramus episcopus in tractatu De investituris : « Pure et integre servanda est antiqua constitutio,ne pusilli Christi scandalizentur,nihil enim refert sive verbo, sive præcepto, sive baculo, sive alia re quam in manu tenuerit,investiat aut inthronizet rex et imperator episcopum ; quo die consecrationis veniens annulum et baculum ponit super altare, et in curam pastoralem singula accipit a stola et auctoritate S. Petri. Sed congruum magis est, quod per baculum,qui est temporalis et spiritualis,præcedens investitura per regem,in fundis et rebus Ecclesiæ contra tyrannos et raptores quieta et pacifica reddit omnia.»Exstat miranda historia apud Matthæum Paridem in Vita Willielmi secundi, de Wlstano episcopo Wigornensi, qui ab adversariis impetitus, baculum seu virgam episcopalem noluit reddere, nisi tumulo regis Edwardi, a quo vivente acceperat : quæ quidem ibi affixa, nullius postea manu avelli potuit, nisi ipsius Wlstani tali miraculo Deo comprobante,justissime baculum episcopalem antea illi concessum a rege fuisse.Innocentius papa tertius concedit patriarchæ Constantinopolitano uti baculo ad similitudinem aliorum pontificum in cap.*Cum venisset*, de sac.unct.,quo quidem loco addit papam Romanum non uti baculo, tum propter historiam, tum propter mysticam rationem.Ea autem ratio petenda est ex Othone Frisigi chron. lib. III, cap. 15 ; Durando in Rationali, et Jordano, liber De imperio et electione. Quamvis, ut obiter id notetur,dubitari possit an usquequaque verum sit quod ait ille Innocentius pontificem Romanum non uti baculo.Etenim Luithprandus Ticinensis in fine lib. VI, De reb. per Europam gestis, refert quemdam Benedictum papam, exauctoratum fuisse,sibique abstulisse pallium et ferulam pontificalem, et eam Leoni reddidisse, quam idem Leo fregit. Quod etiam confirmat Rhegino. Chron. lib. II. his omnino verbis : « Leo apostolicus coadunata multorum episcoporum synodo,eumdem Benedictum Romanæ sedis invasorem, judicio omnium ab invaso gradu deposuit, et pontificale pallium quod sibi imposuerat,abscidit,ferulamque pastoralem manu ejus arreptam,coram omnibus in frusta confregit, et ad preces imperatoris, diaconatus ei tantum gradu uti concessit. » Quibus locis ferulam idem significare quod baculum seu virgam, indubium est. Alibi pedum appellari videas ut a prisco et anonymo auctore Vitæ S.Ottonis episcopi Babebergensis et apostoli Pomeranorum, cap. 3 : « Per id tempus(ait) imperatores ecclesiarum investituras conferebant,et quoties episcopus aliquis decessisset e vita,Ecclesia cui præfuerat, pedum et annulum ad imperatorem transmittebat,ab ejus aula petens sibi dari episcopum.Itaque multi nobiles et præstantes viri, cognati et filii principum, imperatoris aulam sequebantur, capellanorum ei ministerium exhibentes, spe alicujus episcopatus obtinendi. » Et paulo post, loquens de Ottone imperatore : « Annulum episcopi, ejus digito apposuit,pedum tradidit, et ita investitum legatis attribuit.» His conjungenda sunt quæ de virga pastorali notata ad epist. 8.

A comite Northmannorum. Hunc locum interpretantur de Roberto qui devictus et in vincula conjectus fuit a fratre Henrico Anglorum rege, totaque Northmannia simul subjugata, de quo Eadmerus in VitaAnselmi Cantuar.,et Willelmus Malmesbur.lib. II, De gest.pontific.Anglor.,ubi scribit illum fratris regnum sollicitavisse, et mentitum minus habilem ad gubernandam rempublicam pro lenitate ingenii.

AD EPIST. CLVIII.

Quod est inter Constantiam filiam prædicti regis et comitem Trecassinum. Soluto hoc matrimonio, HugoTricassinus comes aliam sibi uxorem sumpserat,quemadmodum colligi potest ex verbis Ivonis epist.245,et hac de re ita scribit Andreas,vetus auctor et ineditus, in Historia Francorum, lib. III : « Philippus defuncto tutore suo Balduino comite consilio Roberti Frisionis filiam Florentis ducis Frisionum Bertam in uxorem, ex qua Ludovicum et filiam Constantiam genuit : quæ cum adulta esset, usque ad nubiles annos nupsit Hugoni Trecassino comiti,a quo postea disjuncta propter consanguini-

tatem nupsit Boadmundo, principi Barriensi, viro magnanimo et strenuo, » etc. Ejusdem meminit Sugerius in Vita Ludovici Grossi, cujus verba quia depravata sunt in vulgata editione, obiter hic ex vet. cod. castigabuntur. « Boadmundi ad partes istas adventus causa fuit, ut nobilissimam domini Ludovici designati sororem Constantiam moribus facetam, persona elegantem, facie pulcherrimam matrimonio sibi copulari quibuscunque modis quæritaret. Tanta etenim et regni Francorum et domini Ludovici præconabatur strenuitas, ut ipsi etiam Sarraceni hujus terrore copulæ terrerentur. Vacabat domina, comitem Trecensem Hugonem procum aspernata, nec decentem sponsum iterata copula appetebat. Callebat princeps Antiochenus, et tam donis quam promissis copiosus, dominam illam celeberrime sibi copulari Carnoti, præsente rege et domino Ludovico, multis astantibus archiepiscopis, episcopis et regni proceribus devote promeruit. »

Eorum instinctu moneo. Ita melius ex vet. cod. quam ut antea : « Dum ergo hæc voluntas ita fervens est eorum, moneo. »

AD. EPIST. CLIX.

In concilio Turonensi. Bertoldus in chron. adnotat ab Urbano secundo hanc synodum celebratam anno 1096.

Subreptum domno papæ Urbano. Scite S. Bernardus Clar. in epist. 247, ad Eugenium papam : « Interest quis, et in quo fallatur. Quanto vestra potestas et dignitas major, tanto ea quæ vobis forte subreptio fit, non modo periculosior, sed et turpior est, præsertim in Ecclesiasticis causis. » Idem epist. 178, ad Innocentium papam : « Hoc solet habere præcipuum **174** apostolica sedes, ut non pigeat revocare quod a se forte deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum, res plena æquitate et laude digna, ut de mendacio nemo lucretur, præsertim apud sanctam et summam sedem. »

Urbano ut monasterium Sancti Mauri. Petrus Diaconus in Chronico Casin. lib. IV, cap. 18, hac de re agens : « Idem præterea pontifex pro negotiis ecclesiasticis Gallias, ut supradiximus, ingressus, in Turonensi concilio ubi ipse præsidebat, monasterium Sancti Mauri in Glannafolio (a) a Fossatensium monachorum abstractum tyrannide, pristinæ dignitati libertatique restituit, sub magistro tantum Casinensis cœnobii perpetuo mansurum. » Hæc ille monachus Casinensis ; vetus autem scriptor miraculorum beati Mauri levitæ et abbatis, cap. 3, commemorat edictum Ludovici imper. quo statutum fuerat ut rectores Fossatensis cœnobii semper curam agerent monasterii Glannafolii. Verba hæc sunt : « Rorigo denique venerabilis comes, ne per succedentia tempora locus ipse habitatorum fortasse negligentia a rectitudine regularis tramitis exorbitaret, præceptum imperialis edicti, a serenissimo imperatore Ludovico ex sacro promeruit scripto, quatenus rectores Fossatensis monasterii semper providentiam de eodem loco habentes, instantiam sollicitudinis suæ tam loco quam congregationi vigilanti cura in omnibus adhiberent, tales videlicet suæ congregationis eis magistros et præpositos ordinando fratres, quorum nutu et regimine cuncta illis perficienda et interius et exterius studiose disponerentur. Quod qualiter tempore Ingelberti ablatum, ignique crematum fuerit, melius reticendum quam proferendum putamus. »

AD EPIST. CLX.

Gemmeticensis monasterii. Variant alii codices, in quibus est, *Gemetensis*, quod minus apte scribi videtur. Vetustus auctor in Vita S. Philiberti abbatis, Gemmeticum appellat, situm in pago Rothomagensi, et constructum ait sub Francorum rege Clodoveo, sicque nuncupatum, quia instar gemmarum, multivario decore florum et arborum sit conspicuum ; ut etiam Thomas Walsingham in hypodigmate Neustriæ, quia velut gemmæ in annulo, sic rutilat situ loci et fructuum ubertate. Wilhelmus Gemeticensis cœnobita De ducibus Northmannis lib. I, cap. 6 aliam nominis rationem profert, quia pro suis offensis illuc gemunt qui in flammis ultricibus gemituri non erunt. Celeberrimum fuisse monasterium indicat quod scribit idem Thomas, nongentorum monachorum numero excrexisse. Et Wilhelmus plurimos episcopos, et nobiles laicos, spretis sæcularibus pompis, colla jugo ibi subegisse. Sed addit paganorum incursu postea per triginta annos, subversis domibus, cubile ferarum fuisse.

AD EPIST. CLXIII.

Illam administraret obedientiam. Anselmus Cantuar. in epist. ad Ernulphum : « Propter tenendam aliquam potestatem quam dicimus obedientiam. » Gregorius septimus, lib. VI, epist. 21 ad canonicos Lugdunenses : « Obedientias Ecclesiæ, cæteraque beneficia, quæ sine communi consensu fratrum acquisierat, in manus nostras sponte renuntiavit. »

AD EPIST. CLXIV.

In manu Romanæ Ecclesiæ legati nullo cogente. Intelligit Brunonem Signinum episcopum de quo ad epist. 166 ; hujus autem rei mentio fit a Goffrido Vindocinensi abbate, teste oculato, cujus hæc est epistola ad Ivonem Carnot. episcopum, et S. Mariæ capitulum : « Hanc esse virtutem cognovimus veræ justitiæ, amicum non debere juvare mendacio, nec inimico in veritate deesse. De depositione domni Goffridi abbatis, et de promotione domni Mauricii qui contra nos dum injustas exercuit inimicitias, et parum fructuosas sibi egit querelas ; sicut vidimus et audivimus, veritatis testimonium perhibemus. Vidimus itaque domnum Goffridum in præsentia domni Brunonis, Romanæ Ecclesiæ tunc legati, abbatiam suam relinquere, et domnum Mauricium in abbatem propria voce eligere, eumque electum et suis manibus deductum in locum, quem ante ipse tenuerat, collocare. Hoc vidimus, coram Deo et hominibus testificamur palam ita factum fuisse. Sed si quid aliter actum est in occulto, confitemur nos prorsus ignorare ; fieri enim potuit ut aliud lingua domnus Goffridus pronuntiaret, et aliud occultaret in pectore. Sed quidquid Blesis nobis præsentibus super hac causa factum exstitit, in quantum cognoscere potuimus, domno Mauricio ut credimus, non obesset, si nihil aliud impediret. »

Talibus motionibns imponere. Ita meliores vetti ; codd. antea *monitionibus*, qui error insidet plerisque membranis. Sunt etiam quæ habent, *nostris admonitionibus*. Motiones accipit. ut epist. 197, *mortifera commotio prodiit*, et epist. 336, *de qua tantus est motus*.

AD EPIST. CLXV.

Samsoni Wigornensis Ecclesiæ episcopo, Willielmus Malmesbur. lib. IV De gestis. pontif. Anglor., cap. de episcopis Wigornensibus : « Wlstano successit Samson, canonicus Bajocensis, non parvæ litteraturæ vir, nec contemnendæ facundiæ, antiquorum homo morum. Ipse liberaliter vesci, et aliis dapsiliter largiri. Innoxius ad monachos, nisi quod eis Westberiam abstulit, ubi Wlstanus monachos posuerat, et privilegio sanctitatis suæ muniverat. Illud Samson diripuit nec multis post annis in eadem villa qua culpam commiserat excessit. » Matthæus Paris in Historia Anglorum, in Willielmo secundo, circa annum Chr. 1097 : « eodem anno (ait) Anselmus Cantuariensis archiepiscopus consecravit Samsonem in episcopum Wigorniensem Londonis, in ecclesia Sancti Pauli, die Dominica, decimo septimo Kalendas Julii. »

AD EPIST. CLXVI.

Humbaldo eadem gratia Antissiodorensis. Ad eumdem scribit epist. 241, quo tamen loco quidam co-

(a) Est in diœcesi Andegavensi.

dex variat, et Gumbaldum appellat. Vetus chronologia monachi Antissiodorensis ad annum Dom. 1096: « Antissiodorensem Ecclesiam post Robertum rexit Humbaldus, qui eamdem Ecclesiam multis beneficiis et ornamentis intus et exterius decoravit, multiplicavit ædificiis, honoribus insignivit. Ecclesiam sane beati Petri, sanctique Eusebii Canonicorum regularium esse constituit. Vitæ vero tam honestæ fuit ac sobriæ ut ex quo episcopus factus est, sese a carnibus, abstineret, leguminis ei comestio sufficeret, nec vinum nisi parum biberet. Qui tandem Jerosolymam profectus, inter redeundum navi periclitante submersus exspiravit in fluctibus. » Et ad annum 1114 notat cœnobium Pontiniacense fundatum esse sub Umbaldo venerabili episcopo, tunc Antissiodoro præsidente.

Bruno Signinus episcopus apostolica legatione. Hunc pariter papæ legatum in Galliis fuisse confirmat epistola mox sequente. Ejusdem meminit Sugerius, lib. de Vita Ludovici Grassi regis, ubi depravatum est nomen, cum *Brusoniganus* mendose **175** cusum fuit. Sed fide veterum codicum restituendus est locus hoc modo: « Astitit etiam ibidem Romanæ sedis apostolicæ legatus dominus Bruno, Signinus episcopus, a domino Paschali papa ad invitandam et confortandam sancti sepulcri viam dominum Boamundum comitatus, unde plenum et celebre Pictavis tenuit concilium, cui et nos interfuimus. » Abbas Urspergensis in Chron. ad annum Dom. 1116, « Bruno autem Signinus episcopus altius exorsus est. » Goffridus Vindocinensis abbas in ep. ad Ivonem Carnot. episc. relata supra ad epist. 164, ejusdem meminit.

Simplicitate vel duplicitate sua subterfugeret. Antea cusum fuerat, *vel calliditate sua:* quæ scriptura etiam exstat in plerisque membranis, nec mutassem nisi priscus codex Nic. Fabri monuisset. Habet enim scriptum, *duplicitate*, quo verbo pari significatu solet uti variis locis ut dubium non sit, illud *calliditate*, e quadam glossa in cæteros libros irrepsisse. Sunt tamen alii vetusti libri a quibus absunt utraque verba, *calliditate* et *duplicitate*, sed imperfecto sensu. Exempla autem quibus castigatio confirmari et illustrari debet, hæc sunt: nempe epist. 63, duplicium ineptias vocat, et epist. 133, duplicitatem falsorum fratrum; ut epist. 164, perturbatorum duplicitatem. Item epist. 199, opponit palliatam duplicitatem veritati simplici. Item epist. 200, desiderat rugam duplicitatis ecclesiæ reduci ad simplicitatem. Denique epist. 245, duplicitatem et mollitiem vitiorum dicit. Fulbertus Carnotensis episcopus epist. 7, ad Leoterium Senonensem archiepiscop.: « Tendendum ad portum cœlestis patriæ. Noli ergo tute ipsi tibi bithalassum dubietatis ac duplicitatis in corde tuo miscere. Simplex est enim via Domini, et qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter. » Urbanus papa sec. in cap. 46, *Excommunicatorum*, caus. 23, q. 5. « Pœnitentiam eis indicito congruentem, qua divinæ simplicitatis oculos adversus se complacare valeant, si forte quid duplicitatis pro humana fragilitate in eodem flagitio incurrerint. Sanctus Bernardus, serm. 82, in Cantica: *Sed perseverat nihilhominus in omni anima cum originali duplicitate generalis simplicitas, ut de collatione confusio augeatur.* » Joannes Salesberiensis Policratici, seu De nugis curial. lib. VI, cap. 24: « Asserit enim in Romana Ecclesia quamdam duplicitatis esse radicem, et fomentum avaritiæ, quæ caput est omnium malorum. » Vetustus auctor in libro De unitate Ecclesiæ conservanda: « Christus exhibuit sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, nec per duplicitatem rugam; quia et per justitiam est munda, et per simplicem intentionem tersa. »

AD EPIST. CLXVIII.

Militi in beneficium. Eodem sensu id verbi accipit epist. 71, 143, 168 et 208.

Quia alodium erat. Vox feudalis, qua inter cæteros sæpe utitur Goffridus abbas Vindoc., ut in epist. ad Paschalem papam: « Antecessores monasterium fundaverunt, et beato Petro in patrimonium et alodium proprium cum rebus ad ipsum pertinentibus obtulerunt. » Itaque se appellat alodiarium Ecclesiæ Romanæ, in epist. ad Girardum: « *Domno Girardo laudabilis vitæ episcopo, sanctæ Romanæ sedis legato, frater Goffridus ejusdem sedis alodiarius et servus.* » Idem in epist. ad Cononem: « Cononi vitæ laudabilis episcopo, sanctæ apostolicæ sedis legato, frater Goffridus ejusdem sedis alodiarius et servus, dilectionem, et totius dilectionis servitium. Vindocinense monasterium, alodium beati Petri et patrimonium quid libertatis vel immunitatis, seu dignitatis nunc usque habuerit, et usque in finem sæculi Deo patrocinante habebit. »

Judicatumque est, quia hæc causa sine monomachia terminari non poterat. Observa judicio episcoporum visum fuisse litem militum debere terminari singulari certamine. Attamen legibus ecclesiasticis jam tunc temporis illud potius prohiberi quam juberi dicit epist. 280. Ideo epist. 247, reprehendit Ecclesiam Aurelianensem quæ suo judicio constituerat diem peragendæ monomachiæ inter duos milites altercantes. Hæc olim vocabatur Dei judicium, ut in Bojariorum lege, tit. 2, de Ducibus; et Longobardorum tit. 2, de scandalo. Luithprandus rex in suo edicto, tit. de monomachia, dicebat se non posse vetare istam impiam legem propter consuetudinem suæ gentis. De qua nihil amplius dici licet, cum alii plures in hoc argumento laboraverint. Tantum adjiciantur duo testimonia auctorum sæculi Ivoniani nondum in lucem editorum, ex quibus colligi potest, etiam inter clericos et monachos, ejusmodi singularem pugnam in usu fuisse. Goffridus Vindoc. abbas in epist. ad Petrum Sanctonensium episcopum: « Audivimus, dilectissime Pater, Rainaldum Chesnellum clericum vestrum cum domno Guillelmo monacho nostro duellum cœpisse, nullum tamen ex sua parte vel ex parte monachi testem habuisse. Quod quia sæculi leges nulla ratione fieri permittunt, et sacri canones omnino ne fiat interdicunt, humiliter vos rogamus ut quod in episcopatu vestro ab ecclesiasticis viris contra ecclesiasticas regulas præsumptum dignoscitur, vestra auctoritate irritum fiat et corrigatur, ne forte perversa consuetudine prævaleat hominum iniquitas canonicæ æquitati, et sic, quod absit, subdatur veritas falsitati. Si vero Rainaldus vester claves sanctæ Ecclesiæ agitare, et Romanorum decreta pontificum, quæ inter ecclesiasticos viros monomachiam penitus inhibent, annullare conatur, contra ejus inflatos conatus humilitatem Romanæ Ecclesiæ quæ inflata crepare, et superba premere novit, appellamus. » Vetus historia canonici Laudunensis de quodam Anselmo Beesso religioso cui thesaurus ecclesiæ Laudunensis servandus tradebatur: « Non exiguam partem (inquit) furtim discerpens, aurifici cuidam vendendi causa tradidit, prius ab eo accepta fidei sponsione quod nulli se hujus rei fuisse auctorem propalaret. Sed cum idem artifex aurum illud sive lapides Suessionis venderet, nutu Dei canonici Laudunenses supervenientes, auri sculpturas recognoverunt: et statim quærimonia facta præfatum aurificem a judice comprehendi fecerunt. Ille comprehensus atque perterritus, ab Anselmo sibi ea tradita fuisse confessus est. Unde Laudunum reductus, et contra Anselmum hæc negantem duelli certamine congressus, protinus superatus et victus est, forsitan, ut multi putarunt, pro fidei violatæ reatu, quia promiserat eidem Anselmo, quod eum non detegeret. Pro hac ergo victoria Anselmus nimis elatus, quia sibi conscias erat et se furtum fecisse, et tamen adversarium superasse, multamque laudem ab hominibus qui se innocentem esse clamabant, acquisiisse, ad majora securus perpetranda provocatur, plurimisque terris ac vineis ditatur. »

Vide tractatum Agobardi antiqui Lugdunensis archiepiscopi ad Ludovicum imp. quo invehitur **176** in monomachiam, dicitque inde contigisse multos judiciorum perversos eventus.

Ad Epist. CLXXI.

Et basilei, id est, fundamentum populi. Sumpsit ex Isidoro, Origin. lib. IX, cap. 3. Nicolaus Papa I Carolo regi : « Nisi enim vos qui in regali sublimitate positi estis, tanquam ingentis fabricæ bases vestro sudore mundum quodammodo portassetis, nequaquam Græco sermone βασιλέων vocabula sortiremini. » Hanc etiam vulgarem opinionem sequitur Nic. Cusanus, De conc. cath. lib. III, cap. 4.

Non sunt a nobis graviter exasperandi : sed ubi sacerdotum admonitionibus non acquieverint. Locus observatione dignissimus : quam in sententiam pulchre Leodienses in epistola scripta circa annum Dom. 1107 adversus Paschalem secundum papam : « Igitur ex verbis istorum et sanctorum Patrum, consulant sibi episcopi regibus et imperatoribus obnoxii ex eorum regalibus acceptis, ne proprio gladio, id est eorum beneficiis eos interficiant. Si quis denique respectu sancti Spiritus Vetus et Novum Testamentum, gestaque revolverit, patenter inveniet quod aut minime aut difficile possunt reges et imperatores excommunicari, secundum etymologiam nominum illorum, et juxta determinationem excommunicationis et adhuc sub judice lis est. Admoneri quidem possunt, increpari, argui a timoratis et discretis viris ; quia quos Christus in terris Rex regum vice sua constituit, damnandos et salvandos suo judicio reliquit. » Hildebertus Cenom. episc. in epist : « Verum apud serenissimum regem opus est exhortatione potius quam increpatione, consilio quam præcepto, doctrina quam virga. His ille conveniendus fuit, his reverenter instruendus, ne sagittas suas in sene compleret sacerdote : ne sanctiones canonicas evacuaret, ne persequeretur cineres Ecclesiæ jam sepultæ : cineres in quibus ego panem doloris manduco, in quibus bibo calicem luctus. De quibus eripi et evadere, de morte ad vitam transire est. Inter has tamen angustias, nunquam de me sic ira triumphat, ut alicui super Christo Domini clamorem deponere vellem : seu pacem ipsius in manu forti et brachio Ecclesiæ adipisci. Suspecta est pax ad quam non amore, sed vi sublimes veniunt potestates : ea facile rescinditur, et fiunt aliquando novissima illius pejora prioribus. Alia est via qua compendiosius ad eam Christo ducente pertingam : jactabo cogitatum meum in Domino, et ipse dabit petitiones cordis mei. Ipse est in cujus manu corda regum cerea sunt. Quocunque sibi placet, eo solus inclinat, alterat in quam vult formam Si invenero gratiam in oculis ejus, gratiam regis vel facile consequar, vel utiliter amittam. »

Ad Epist. CLXXII

Dicebat se prius esse revestiendum. Probabile est Vindocinensis abbatis appellatione subintelligi Goffridum, qui tales querelas, licet in diversa facti specie, solet ingravare in manuscripto exemplari. Nam epist. ad hunc ipsum Ivonem, conquestus de clericis Carnotensibus, addit : « Cum de re nostra a nobis diu et juste possessa et injuste ablata, secundum sacros canones investiti fuerimus, si postea de nobis conqueruntur, quod justus judex, quod divina lex faciendum judicaverit, non recusamus, » Idem in epist. ad Ranulfum Sanctonensem episcopum, ait se terminum judicio præfixum nolle suscipere, nisi prius ex integro investitus fuerit. Quæ amplioribus verbis repetit in epist. ad G. episcopum : « Si quis dicit non ad judicium causæ, sed ad judicium investituræ exspoliatum posse vel debere vocari, claves sanctæ Ecclesiæ agitare, et leges catholicæ et apostolicæ sedis violare conatur, quibus prohibitum est ne quilibet exspoliatus vocetur ad judicium, sive in aliquo judicetur, quoniam inane esset et vacuum eum ad judicium vocari qui in nullo judicari con-

A ceditur. » Et paulo post testatur, papam Urbanum in Arvernensi concilio super hoc definitam, et ab omnibus qui aderant episcopis et abbatibus laudatam dedisse sententiam : Ut quicunque sine vocatione et judicio exspoliarentur, etiam sine vocatione et judicio investirentur. Et alia consequente epistola refutat eumdem episcopum qui sua expositione magis præbebat occasionem exspoliandi vestitos, quam investiendi exspoliatos. Gregorius septimus, lib. VI, epist. 25, ad Arnaldum abbatem : « Indignum quippe est, et a canonicis institutis nimis alienum ducimus, causam, quæ ventilanda est, ad examen debere deduci, nisi de rebus in lite positis, ille qui vim patitur, prius fuerit revestitus. » S. Bernardus, epist. 45, ad Ludovicum regem, de Parisiensi episcopo loquens : « Idem episcopus per manum omnium religiosorum se ad justitiam offert : si tamen prius (quandoquidem eadem ipsa justitia videtur exigere) res ei suæ ablatæ restituantur. »

B Apud Ivonem decreti parte quarta, referuntur decreta Zepherini, Felicis, Eusebii in eamdem sententiam. Quibus adjungendi canones collecti a Gratiano sub caus. 3, q. 1, et capitula in decretalibus Gregorii sub, tit. de restit. spoliator. Qua parte memorabile est quod scribit vetustus auctor in lib. De conser. unit. Eccles., ubi agit de causa Henrici quarti imperatoris, quem episcopi Saxoniæ et defensores Hildebrandi papæ de regno Saxonico expulerant, deque celebrato postea conventu, ut ea concertatio libris non gladiis conficeretur. Refert enim postulatum fuisse ut imperatori saltem concederetur uti eo jure, quo concessum erat uti vel infimæ in Ecclesia personæ ; tum palam lectum fuisse capitulum ex decretis Romanorum pontificum, quod nemo exspoliatus possit accusari, et judicari et excommunicari, antequam omnia sibi ablata ex integro restituantur. Addit omnes adversæ partis episcopos ita fuisse confusos, ut non haberent quid ad

C hæc responderent, manente apud Ecclesiam Dei victoria.

Ad Epist. CLXXIII.

Postquam crucem acceperat. Vox, *crucem*, addita est fide veterum codicum quæ antea deerat, truncata verborum sententia. Nempe in Hierosolymitana expeditione illius sæculi injunctum fuerat ut vivificæ crucis salutare signum vestibus imprimerent, et in humeris illius sibi portarent memoriam, cui ad nostram redemptionem properanti factus est principatus ejus super humerum ejus. De quo etiam illud Isaiæ : Levabit Dominus signum in nationibus, etc., ut dicit Gulielmus Tyrius, De bello sacro lib. I, cap. 16, Petrus Diaconus, Chron. Casin. lib. IV, cap. 11, ait signum sanctæ crucis super scapulam dextram impressisse vestibus. Carni etiam, id est fronti impresserunt. Bertoldus, in Chron. ad annum 1096 de Urbano secundo loquens : « Omnes quoque qui se ad hoc iter devoverunt, signo crucis seipsos in ves-

D tibus notare fecit : quod **177** etiam signum in ipsa carne notatum apparuit ; unde et a quampluribus. Dei ordinatione et inspiratione ipsum iter inceptum fuisse credebatur. » Robertus monachus, lib. II : « Cumque requireret quod signum gestarent peregrinationis, didicit quod aut in fronte, aut in scapulis dextris signum ferebant sanctæ crucis. » Neubrigensis Hist. Anglor., lib. III, cap. 22, characterem Dominicum accipere dicit, et signum Domini, et signum Regis regum. Ideo crucifer exercitus dicitur abbati Urspergensi in Chron.

Recredita redemptio. Sic omnes codices, ut epist. 275 : *Quod libenter reddet aut recredet comitem Arvernensem.* Goffridus Vindocin., in epist, : *Si caperentur, reddi aut recredi faciebat.*

Dominum suum diffiduciasset. Ita plane vetusta exemplaria, pro quo antea typographus ediderat *diffiduasset.* Alii auctores *diffidare* dicunt. Sed etiam altera dictio recta est, qua jam usus ipsemet Ivo, epist. 22, ad Philippum regem, *me diffiduciastis.*

Matthæus Parisi n Prologo Hist. Anglor.: « Ipsum a regni solio depulit diffiduciatum. » Abbas Urspergensis, in constitutione Frederic I: « Sancimus etiam ut quicunque alii damnum facere aut lædere ipsum intendat, tribus ad minus ante diebus per certum nuntium suum diffiducient eum. Quod si læsus diffiduciatum se fuisse negare voluerit. » Alibi Ivo dicit fiducias præbere regi, et absolvere a fiduciis et sacramento regi factis epist. 71. Robertus monachus, De bello Hierosolym. lib. II: *Hanc illi fiduciam juravit, et imperator acquievit.* Est autem qui scribit, *diffiduciare*, barbaram esse dictionem præ altera, *diffidare*. Sed si a fide deduci potuit *diffidare*, eadem ratione licere debuit a fiducia dici *diffiduciare*.

Diffiduciasset, et prædam ejus prior cœvisset. Huc spectat querela Cusani, lib. De concordia cath. cap. 31: « Hodie videmus (ait) aut confusionem maximam in ordine judiciario, aut penitus nullam justitiam; honor honore distinguitur a jure. Et occupare etiam maxima dominia nobiles licite se posse dicunt, ubi possessorem nihil juris habuisse neque habere concedunt. Per vilissimum diffidationum modum honorem salvari putant, et vi post ipsam intimatam diffidationem, ex quacumque conficta aut nulla causa qualitercunque rapta palam aut occulte, licite credunt possideri, etiamsi bona Ecclesiæ aut clericorum forent. O præsumpta audacia contra omnes leges et jura! o iniquissimum judicium distinguens honestum a justo, affirmans injustum honore p ossideri. » Et cap. 34, consulit statui legem ne ulli liceat ex quacunque causa alterius bona occupar, aut damna inferre per diffidationes: sed omnia fieri judicum auctoritate, qui etiam repressaglias econcedere possint contumacem.

Et ad forisfaciendum. Ea constans scriptura in manuscriptis. Urbanus papa sec., in diplomate privilegii concessi Petro abbati cœnobii Cavensis: *Ut et de ipsis hominibus liberam curiam et forisfacturas omnes sine ullo bajulo vel ministro habeatis.* Idem: *Si aliquis forisfactum fecerit per quod ipsa ad munus reipublicæ de jure possent applicari.* Matthæus Paris, in Henrico primo: « Si quis baronum vel hominum meorum forisfecerit, non dabit vadium in miseria pecuniæ suæ, sicut faciebat tempore patris vel fratris mei, sed secundum forisfacturæ modum. » Anselmus Cantuariens. in epist. ad Henricum reg: « Audio quod vestra excellentia vindictam exercet super presbyteros Angliæ, et forisfacturam exigit ab eis quia non servaverunt præceptum concilii. » Aliis locis *forifacere* scribitur, ut apud Dodechinum abbatem, in appendice ad chron. Maria Sc.: *Prædia judicio proscriptorum a rege, si juste forifactoribus abjudicata fuerint.* Alibi etiam *forefacere* et *forefactorem* dici videas. Rigordus, lib. III, De gestis Philippi Augusti: *Et forefacta quæ proprie nostra sunt, ibi scribentur.* Idem paulo post: *Ut audiant forefacta baillivorum nostrorum.* Guillielmus Nangiacus, lib. De gest. Philippi: *Et ab ipsis burgensibus quidquid antea clericis forefecerant, fecit ipsis celeriter emendari.*

Veridicis assertionibus. Ita vet. cod., male antea *assensionibus.*

Falsificares. Sic omnes vet. cod. pro *falsas ostendere.*

Dicentes novam esse institutionem de tuitione ecclesiastica impendenda rebus militum Hierosolymam proficiscentium. Dovam appellat, quia eo sæculo cœperat in usu esse, auctore papa Urbano secundo, cujus hæc sunt verba in concione habita in concilio Claromontensi apud Willelmum Tyrium, De bell. sac. lib. I, cap. 15: « Interim vero eos qui ardore fidei ad expugnandos eos laborem istum assumpserint sub Ecclesiæ defensione, et beatorum Petri et Pauli protectione, tanquam veræ obedientiæ filios recipimus, et ab universis inquietationibus tam in rebus alienis quam in propriis statuimus manere securos. Si vero quispiam molestare eos ausu temerario præsumpserit, per episcopum loci excommunicatione feriatur, et tandiu sententia ab omnibus observetur, donec et ablata reddantur, et de illatis damnis congrue satisfiat. Episcopi vero et presbyteri qui talibus forsitan non resisterent, officii suspensione multentur, donec misericordiam sedis apostolicæ obtineant. » Est etiam hic canon ejusdem Urbani in eodem concilio: « Placuit omnia bona eorum qui Hierosolymas pergunt, semper et ubique salva esse in pace et tregua, quousque redierint. » Idem postea factum a Gregorio papa apud Gul. Neubrigensem, Hist. Angl. lib. III, cap. 20: « Bona quoque ex quo crucem acceperint, cum suis famulis sub sanctæ Romanæ Ecclesiæ, nec non archiepiscoporum et episcoporum atque aliorum prælatorum Ecclesiæ protectione consistant, et nullam de his quæ in susceptione crucis quiete possederunt, donec de ipso cum reditu vel obitu certissime cognoscatur, sustineant quæstionem: sed bona eorum integra interim maneant et quieta. » Idem vero Tyrius testatur dicti libri I cap. 16, plerosque Hierosolymam tunc temporis petiisse, ut suos creditores, quibus multorum debitorum pondere tenebantur obligati, declinantes eluderent.

Ad casamenta eorum. Hæc vox etiam exstat infra epist. 284. S. Bernardus epist. 39. ad principem Theobaldum: « Nostrum quoque ac vestrum pariter episcopum, id est Lingonensem, abundantiori ut decet honore suscipiatis, et de casamento quod tenetis, homagium quod debetis reverenter ei et humiliter offeratis. » Pro beneficio seu feudo sumi indicat locus Fulberti episcopi in epistola de forma fidelitatis apud Ivonem, decretorum parte XII, cap. 76, ubi postquam exposuit ea sex quorum semper meminisse debet qui domino suo fidelitatem jurat, addit: « Ut fidelis hæc nocumenta caveat justum est, sed non ideo casamentum meretur. Non enim sufficit abstinere a malo, nisi fiat quod bonum est. Restat ergo ut in eisdem sex supradictis consilium et auxilium domino suo fideliter **178** præstet, si beneficio dignus videri vult, et salvus esse de fidelitate quam jurat. Dominus quoque fideli suo in his omnibus vicem reddere debet? Ubi scripsi, *casamentum*, pro quo vulgata editio habet, *cassamentum*, et in ora, additum est, *causamentum;* sed utraque vox corrupta. De casatis quædam notantur ad epist. 28.

AD EPIST. CLXXVI.

A concilio Trecensi Baron., Annal. tom. XII, ad ann. Christ. 1107, pontificatus Paschalis secundi octavum, diversum facit hoc concilium ab illo cujus mentio fit ab Ivone, epist. 258, quandoquidem antea fuerat celebratum per Richardum cardinalem in Gallia legatum. Vult enim concilium cujus mentio fit hac epist. 176, tertio a superiori anno celebratum per ipsum Paschalem. Sugerius in Vita Ludovici Crassi, testatur Paschalem venisse Trecas, et celebrasse concilium universale. Chronologia monachi Altisiod. anno 1107: *Paschalis papa concilium celebravit apud Trecas.* Abbas Uspergensis in Chron. ad ann. Dom. 1107 hujus meminit, dicitque Paschalem circa Ascensionem non modicum apud Trecas habuisse concilium: ubi inter multa quæ pro tempore et necessitate corrigenda correxit, sententiam promulgavit juxta prædecessorum suorum decreta, de libera pastorum electione, et de coercenda laicorum præsumptione in ecclesiasticas dignitates. Addit imperatorem Henricum misisse legatos ad papam causa investiturarum,

Quam onus episcopi hoc tempore subiturum. Scilicet propter gravissimam rerum publicarum perturbationem. Quare ipsemet Ivo expertus quantum tunc temporis esset periculum prælatorum (ut ait epist. 13 et 33), sæpe optavit exonerari sarcina pastorali plena amaritudinis fastidiosæ, quemadmodum indicant verba epist. 17 et 25. Hac causa Hilgotus episcopus Suessionensis episcopatui renuntiasse dicitur epist. 88. Eodem tempore Fulco Belvacensis

episcopus Romam profectu fuit ut episcopalibus infulis exueretur, de quo ad epist. 30.

AD EPIST. CLXXX.

Vos ita esse obligatum. Ita omnes vet. cod., antea *obligatos.* Sed illius locutionis multa exempla in hoc scriptore, ut epist. 8, 30, 75, 86, 95, 134, 124, 209.

AD EPIST. CLXXXVI.

Prout possumus temperamus. Cudi debuit, *ad tempus prout possumus temperamus*, ut habent vet. cod. Th. et Lois., itemque editio Ivonis in decreto.

Communicant excamunicatis, sive illos qui communicant cum eis qui. Hæc novem dictiones nunc primum insertæ sunt fide et consensu plurium membranarum, confirmantur lectione Ivonis superiori loco. Bertoldus autem, in Chronico ad annum 1089, adnotat papam Urbanum hanc sententiam a prædecessore suo Gregorio promulgatam confirmasse adversus Guibertum antipapam, Henricum imperatorem et cæteros illius partis. Idem, ad annum 1094, adnotat magnam fuisse difficultatem in devitatione excommunicatorum, si non (inquit) papa Urbanus sententiam quodammodo temperasset, et multos more sui prædecessoris Gregorii de excommunicatione seclusisset. Denique ad annum 1100: « Jam multum pene ubique sententia excommunicationis cœpit tepescere, ut etiam quidam religiosi. qui usque ad hoc tempus in illa causa erant ferventissimi, a catholicis discederent, et inter excommunicatos promoveri non timerent. » Itaque hac ratione motus Sigebertus Gemblacensis monachus de abusu mutuarum excommunicationum qui illo sæculo invaluerat inter dictum Gregorium, Urbanum, et Guibertum, et utrorumque fautores, sic scripsit ad annum 1088 : « Hinc in Ecclesia scandala et in regno augescunt dissidia, dum alter ab altero dissidet, dum regnum et sacerdotium dissentit, dum alter alterum excommunicat, alter alterius excommunicotionem, aut ex causæ, aut ex personæ præjudicio contemnit : dumque alter in alterum excommunicandi auctoritate magis ex suo libitu, quam ex justitiæ respectu abutitur, auctoritas illius qui dedit potestatem ligandi ac solvendi omnino despicitur. » Quod igitur hæc epistola Laurentius monachus monasterii charitatis requirit consilium Ivonis de ratione vitandæ excommunicationis, probabile est referri debere ad causam Philippi Francorum regis, qui adhuc innodatus erat vinculo censuræ pontificis Romani, de qua superius dictum est. Nam multi Galli utriusque ordinis a communione illius se suspenderant, eorumque qui illi communicabant. Quod facile colligi potest ex verbis vetusti auctoris librorum De unitate Ecclesiæ conservanda adversus dictum Gregorium septimum. Qui licet regis nomen non exprimat, non alius tamen intelligi potest quam Philippus : « Notum est enim his qui experti sunt, præcipue autem his qui divisionem Ecclesiæ doluerunt, qualiter multi non solum laicorum, sed episcoporum atque clericorum sive monachorum, habentes quidem zelum Dei, sed non secundum scientiam (sicut ait Apostolus) suspenderunt se ac segregaverunt a communione totius orbis Ecclesiarum, quotquot communicant nostri temporis regi Francorum et imperatori Romanorum, ipsique exigentes a nobis, non nos ab ipsis, verentur nobis communicare, vel in colloquio, vel in pacis osculo, vel in orationis studio. » Ut vero existimentur inquisita ab illo monacho pertinere ad excommunicationem regis, suadent etiam verba Ivonis, qui dicit tales disputationes non esse scripto commendandas, ne, si divulgatæ in multorum manus incidant, plus obsint indiscretis quam prosint discretis.

AD EPIST. CLXXXIX.

Murmur Remensium clericorum. Sugerius lib. de Vita Ludovici Crasi, et ex eo continuator Aimoini monachi, lib. v, cap. 50, postuquam dixit Ludovicum

A Aurelianis coronatum fuisse, addit : « Necdum post celebrationem divinorum festivas deposuerat exuvias, cum subito mali nuntii bajulatores a Remensi Ecclesia assistunt, litteras contradictorias deferentes et auctoritate apostolica, si tempestive venissent, ne regia fieret unctio interminantes, dicebant si quidem primæ regis coronæ primitias ad jus Remensis Ecclesiæ pertinere (sic legendum est apud Sugerium) et a primo rege Francorum quem baptizavit beatus Remigius, Clodovæo hanc prærogativam illibatam et inconvulsam obtinere, si quis eam temerario ausu violare tentaverit, anathemati perpetuo subjacere. Ea si quidem occasione archiepiscopo suo venerabili et emerito viro Viridi Rodulfo, qui domini regis, eo quod absque ejus assensu electus et inthronisatus fuerat sedi Remensi, **179** gravissimas et periculosas incurrerat inimicitias, pacem impetrare, aut regem non coronari sperabant, qui quia intempesti venerunt, ibi muti, ad propria loquaces B redierunt : aut si quid dixerunt, nihil tamen utile retulerunt.

Pro communi utilitate regni et sacerdotii. Observa ordinem verborum. Quia enim in hac regis consecratione potissimum vertebatur causa totius regni, ideo priore loco regnum nominat, et ecclesiam posteriore. Quod ne sine judicio factum a prudente episcopo putes, duobus aliis locis hujusce epistolæ eumdem ordinem servavit. «Pro integritate regni et pro tranquillitate ecclesiarum, quantum potuimus, prævalere studuimus.» Et longe post : « Quia si consecratio regis differretur, regni status et Ecclesiæ pax graviter periclitatur. » Idem epist. 55 : « Quem pro pace regni et Ecclesiæ consensu in episcopum eligat.» Ejusdem generis est quod ait epist. 214 : « Videmus enim scissum regnum et sacerdotium. » Item epist. 238 : « Nulla fuit divisio inter regnum et sacerdotium. » Et paulo post : « Regni Francorum pax et summi sacerdotii nulla subreptione dissolvatur. » C Et deinde : « Cum regnum et sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mundus. » Sed et in epist. 239 ad Ludovicum regem scribens super futuro illius matrimonio : « Sicut (inquit) utilitati vestræ, ita stabilitati regni, et paci Ecclesiarum providere debetis. » Denique alibi sæculare judicium priore loco nominat, secundo ecclesiasticum, ut epist. 229. Celebre est illud Optati Milevitani episcopi lib. III : « Non enim respublica est in Ecclesia, sed Ecclesia in republica, id est in imperio Romano. »

Erant enim quidam regni perturbatores. Ex eorum numero fuit Wido seu Guido de Rupeforti, cujus meminit Sugerius paulo ante illa verba consecrati regis; causamque reddit : « Præfatus itaque comes Wido de Rupeforti, quem æmulorum machinatione matrimonium quod contrahebatur inter dominum designatum (de Ludovico Crasso intelligit) et filiam suam consanguinitate impetitum, divotio solutum D in præsentia domini papæ fuerat (loquitur de Paschali secundo, qui tunc temporis erat in Galliis) rancore hujus concepto scintillam tenuem commotos pavit in ignes, Nec minus dominus designatus in eum zelabatur : cum subito Garlandenses se intermiscentes, amicitiam solvunt, fœdus defœderant inimicitias exaggerant. Nactus itaque occasionem bellandi designatus dominus, eo quod Hugo de Pompona miles strenuus, Castellanus de Gornaco castro super fluvium Matronæ sito, mercatorum in regia strata equos ex imperato rapuit, et Gornacum adduxit : ejus contumelia præsumptionis pene extra se positus Ludovicus, exercitum colligit, castrum subita obsidione, ut victuali carerent opulentia, velocissime cingit. Hæret castello insula grata amœnitate pabulorum, » etc. Qui locus paulo latius ascriptus fuit qui castigatur fide manuscriptorum codicum ; depravatus enim est in vulgata editione. Idem historicus paulo post narrata consecratione, meminit Guidonis turbatoris : « Præfatus itaque Guido

Rubeus filiusque ejus Hugo Cruciatensis [Greciacensis], juvenis idoneus, armis strenuus, tam rapinis quam incendiis aptus totiusque regni turbator celerrimus, rancore animi cumulato pro amici castri Gornaci erubescentia, a regiæ excellentiæ derogatione non cessabant, etc.

AD EPIST. CXC.

Domnum Rodulfum. Sic in omnibus Ivonis manuscriptis. Apud Sugerium lib. de Vita Ludovici Crassi, et continuatorem Aimoini, Hist. lib. v. cap. 50, *Rodulfus* scribitur, et additur cum Ludovico rege gravissimas incurrisse inimicitias, quod absque hujus assensu electus et inthronizatus fuerat sedi Remensi. Robertus de Monte, in Chron. ad annum Dom. 1114: « In Remensi metropoli post Manassem illustrem virum, exturbato Gervasio Radulphus successit, qui Viridis cognomen habuit. » Lisiardus in Vita S. Arnulphi Suessionensis, cap. 36, meminit hujusce Rudolphi Viridis Remorum archiepiscopi, ut etiam Nicolaus monachus in Vita Godefridi Suessionensis episcopi, lib. III, cap. 24. Petrus quoque Venerabilis ait eum fuisse thesaurarium ecclesiæ Remensis antequam episcopus fieret.

Per manum et sacramentum eam fidelitatem regi faceret. Utrumque pariter conjunxit epist. 182: « Ipsi igitur quamvis mei homines essent et per sacramentum. » Adalgerus presbyter in cap. 11 synodi Ecclesiæ Gallicanæ habitæ Durocortori Remorum sub Hugone et Roberto Francorum regibus: « Ut hoc factum sub specie honesti tegeretur, manus et sacramenta simul Carolo præbuit. » In diplomate Ludovici Crassi anni 1137, concesso Gaufrido Burdegalensi archiepiscopo et suffraganeis: « In episcoporum et abbatum suorum electionibus canonicam omnino concedimus libertatem, absque hominii, juramenti seu fidei per manum datæ obligatione. » Nimirum manus erat symbolum ac testimonium majoris arctiorisque fidei. Qua causa metropolitanus Turonensis archiepiscopus cum exigeret a majoris monasterii abbate ut data dextera confirmaret plenam obedientiam quam ore promiserat, abbasque repugaret, Ivo rescripsit non esse majorem obligationem manus quam oris, epist. 234. Sed hac parte studiosi observent, auctoris sæculo gravissimam contentionem subortam fuisse inter imperatores, reges, aliosque laicos super fidelitate præstanda a ministris Ecclesiæ per manum, ipsoque hominio, cum tamen id longissimo usu receptum esset. Nam ut vetera principum jura in desuetudinem abirent, nonnulli subtiliores cœperunt inclamare, piaculare scelus esse, si sacerdotes in manibus laicorum fidelitatem promitterent, et rationes commenti fuerunt, quæ si validæ sint ac irrefragabiles, an vero coloratæ ei furcatæ, alii judicabunt. In synodo Claromontensi sub Urbano secundo, can. 17: « Ne episcopus vel sacerdos regi vel alicui laico in manibus ligiam fidelitatem faciat. » Sic enim refert Baron., ex vel. cod. tomo XI Annal., sub anno Christi 1095. Rogerius Hovedenus Annalium parte I, anno 1099: « Urbanus papa tertia hebdomada Paschæ magnum concilium tenuit Romæ in quo excommunicavit omnes laicos investituras ecclesiarum dantes et omnes easdem investituras de manibus laicorum accipientes, nec non omnes in officium sic dati honoris consecrantes. Excommunicavit etiam eos qui pro ecclesiasticis honoribus laicorum homines fiunt, dicens nimis excecrabile videri, ut manus quæ in tantam eminentiam excreverunt, ut, quod nulli angelorum concessum est, Deum cuncta creantem suo signaculo creent, et eumdem pro salute totius mundi Dei Patris obtutibus offerant, in hanc ignaviam vel stutitiam detrudantur, ut ancillæ fiant earum manuum quæ diebus ac noctibus obscœnis contactibus inquinantur, sive rapinis ac injustæ sanguinis effusioni addictæ maculantur. Et ab omnibus est acclamatum: Fiat! fiat! et in his cousummatum est concilium. » Sugerius, lib. de Vita Ludovici **180** regis agens de controversia investiturarem inter Paschalem papam et imperatorem, postquam dixit Treverensem archiepiscopum nomine Henrici imper, allegassæ papæ, inveterato jure præsules Ecclesiarum post electionem annulo et virga investiri ab imperatore, et illi fidelitatem et hominium facere, subjicit: « Super his ergo dominus papa consulte oratoris episcopi Placentini voce respondit Ecclesiam pretioso sanguine Jesu Christi redemptam et liberam constitutam, nullomodo ancillari oportere. Si Ecclesia eo inconsulto prælatum eligere non possit, cassata Christi morte ei serviliter subjacere: si virga et annulo investiatur, cum ad altaria ejusmodi pertineant, contra Deum ipsum usurpare. Si sacratas Dominico corpori et sanguini manus laici manibus gladio sanguinolentis obligando supponat, ordini suo et sacræ unctioni derogare. » Quæ quidem verba obiter castigata sut fide veterum membranarum, quia in vulgata editione mendosa circumferuntur.

Volebant igitur nullum fieri principi sæculari seu laico hominium ac jusjurandum fidelitatis in investitura beneficii. Cujus rei primus auctor dicitur Gregorius, et videtur illi tribuendum esse quod reperitur in antiquo manuscripto codice qui penes Aug. Thuanum: « Ut clericus a laico nunquam justificetur, nec pro terra nec pro aliis rebus quas ab illo teneat, nec sibi hominatum faciat; sed omnino quæ ab eo tenet, sibi antequam ullam patiatur injuriam, dimittat. Sin autem, gradum suum perdat. » Cui quidem capitulo nudum nomen Gregorii præfixum est. Sed probabile de septimo accipi debere, cum ille palam extulerit quod alii inusitaverant (ut ait Gulielmus Malmesburiensis) excommunicans electos qui investituras Ecclesiarum acciperent de manu laici. Successor Urbanus idem statuit et, postea Paschalis secundus, cujus hæc sunt verba: « Paschalis episcopus sanctæ sedis Dei venerabili fratri et coepiscopo Anselmo Cantuariorum. Nuper in synodo apud Lateranense consistorium celebrata, Patrum nostrorum decreta renovavimus, sancientes et interdicentes ne quisquam omnino clericus hominium laico faciat, aut de manu laici ecclesias vel ecclesiastica dona suscipiat. Hæc enim Simoniacæ pravitatis radix, dum ad percipiendos honores Ecclesiæ sæcularibus personis insipientes homines placere desiderant. » etc. Ea ratione gravis contentio inter Paschalem et regem Angliæ suborta fuit. Wilielmus Malmesburiensis, De gestis pontificum Anglor. lib. I, loquens de Henrico rege et eodem Anselmo: « Verumtamen cum rex more antecessorum suorum ab archiepiscopo hominium interrogaret, et ille pro excommunicatione Romæ facta differret, missis Romam ab utraque parte nuntiis, jubetur interim regi hominium facere, vel absolutis morarum nexibus regno excedere. Quin potius, respondit ille, inspiciantur apostolicæ litteræ, et quod tenor earum continet, fiat. Redierant enim jam Roma nuntii, et casso labore semitam triverant, quod Paschalis papa sententiam antecessoris sui invicto robore tuebatur. Quid ad me de litteris apostolicis, ait rex? Jura regni mei nolo amittere. » Cui simillimum est quod refert Radevicus. Hist. lib. II, cap 30, de Friderico primo imperatore, cui cum cardinales legati papæ Adriani dictitarent (quod inter durissima capitula numerat idem historicus) episcopo Italiæ solum sacramentum fidelitatis sine hominio facere debere domino imperatori, respondisse Fridericum: « Episcoporum Italiæ ergo quidem non affecto hominium, si tamen et eos de nostris regalibus nihil delectat habere. Qui si gratanter audierint a Romano præsule, Quid tibi et regi? consequenter quoque eos ab imperatore non pigeat audire, Quid tibi et possessioni? » Quæ postrema verba sunt sancti Augustini, et prolata ab Ivone epist. 60, ut probet licite posse episcopos investiri a principe bonis temporalibus.

Hujus hominii frequens mentio in epistolis dicti Anselmi, manuscriptis scilicet, quarum testimonia proferenda, ut tota hæc disputatio melius intelligatur. Cum igitur Paschalis præcepisset Anselmo ut nullam haberet communionem cum illis qui de manu regis Henrici investituras ecclesiarum acceperant, rescripsit Anselmus regi : « Ut autem ita vobiscum sim sicut antecessor meus fuit cum patre vestro, facere non possum, quia nec vobis homagium facere, nec accipientibus de manu vestra investituras ecclesiarum, propter prædictam prohibitionem me audiente factam, audeo communicare. » Idem in epist. ad Ernulfum priorem : « Hoc autem scitote, quia voluntas mea est ut, adjuvante Deo, nullius mortalis homo fiam, nec per sacramentum fidem alicui promittam. » Et paulo post addit : « Si quis exegerit ab aliquo monacho ecclesiæ nostræ sacramentum aut fidei alligationem, aut pactum aliquod quod contra ordinem sit, propter tenendam aliquam potestatem, quam dicimus obedientiam, considerate et in quantum possibile est, et in quantum scitis avertite malitiam. » In alia ejusdem Anselmi epistola ad Paschalem sunt quædam interrogata ad hanc rem pertinentia : « Anselmus. Si nullus clericus debet fieri homo laici, et aliqua beneficia aut possessiones non ecclesiasticas debet tenere de laico, nec laicus vult dare nisi fiat suus homo, quid fiet ? — Paschalis. Liberam esse Ecclesiam Paulus dicit. Indignum est igitur ut clericus qui jam in Dei sortem assumptus est, et etiam laicorum dignitatem excessit, pro terrenis lucris hominium laico faciat: ne forte, dum repetitur servitii sæcularis obnoxius, vacet, aut gravetur Ecclesia. Scriptum est enim : « Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus. » Quod Apostoli verbum (ut hoc obiter inseratur) David Scotus Bancornensis episcopus fautor Henrici quarti olim dicebat non adversari cupiditatibus pontificum per laicos investitorum, quia non sit sæculare negotium si clericus hominium laico fecerit. Quod frivolum appellat Wilelmus Malmesb., De gest. reg. Anglor. lib. v. Illemet Anselmus in epist. ad episcopum Gundulfum : « Consilium quod petitis quid vobis faciendum sit, si dominus meus rex et ego non concordamus, in litteris prioris breviter mandavi. Hoc tantum ad præsens dico : nullæ minæ, nulla promissio, nulla astutia a religione vestra extorqueat aut homagium, aut jusjurandum aut fidei alligationem. Si quid horum aliquis exegerit, hæc sit responsio : Christianus sum, monachus sum, episcopus sum, et ideo omnibus volo fidem servare secundum quod unicuique debeo. Quidquid aliud vobis dicatur, his verbis nec addatis quidquam, nec minuatis quod ab hac sententia discedat. Hoc ipsum de me dico, nec super hoc aliquid addere, vel de his minuere, adjuvante Deo, volo. » Denique scribens ad Hugonem Lugdunensem archiepiscopum : « Tota difficultas (ait) causæ inter regem et me jam in hoc maxime videtur consistere : quia rex, quamvis de investituris ecclesiarum apostolicis decretis **181** se vinci, ut spero, permittet : hominia tamen prælatorum nondum vult, ait, dicam, quatenus in hoc suæ voluntatis impetret ab ea licentiam. Quam si adeptus fuerit, dubito quid me facere oporteat, si aliquis religiosus electus homo regis pro episcopatu vel abbatia fieri respuat. Durum enim mihi videtur ut hoc illi præcipiam per obedientiam : et si non fecero, videbor irreligiosis hoc facere volentibus laxare accedendi indigne ad dignitates audaciam. De illis quoque qui jam investituras prohibitas acceperunt, et de his qui eos sacraverunt, puto quia rex postulabit ut in hoc permaneant quod illicite præsumpserunt. » Hactenus ille. Post longas autem contentiones acquievit Paschalis ut princeps hominia retineret. Sic enim Wilielmus Malmesb. De gestis pontif. Angl. lib. II : « Directi Romam legati controversiam tot annis agitatam singulari probitate sedarunt. Concessit siquidem papa ut rex ho-

A magia de electis acciperet, sed nullum per baculum et annulum investiret. » Alio loco idem historicus scribit plurimo Anselmi ad urbem itu et reditu effectum fuisse, ut rex indulgeret pontifici investituram annuli et baculi, retento tamen electionis et regalium privilegio.

Suntautem ex superioris sæculi scriptoribus qui probaverint jure investituras fieri a principibus, et ab illis exigi hominia antistitum, inter quos Theodericus a Nyem. Waltramus quoque episcopus Naumbergensis circa annum Dom. 1109 adstruxit, postquam a regibus et imperatoribus Ecclesiæ dotatæ fuerunt feudis, et jura illorum translata in episcoporum dominium, congruum ac necesse fuisse ab eis exigere homagia, sacramenta, obsides ut in hostium irruptione reges scirent cui suas civitates credidissent. Tandem concludit in omnibus regnis servanda esse jura et consuetudines in episcopis investiendis, qualia sunt antiqua. Nicolaus quoque Cu- B sanus De concordia catholica lib. III, cap. 29, audacter asserit non solum puras investituras fuisse attractas ab imperatore per Romanum pontificem, sed etiam tantum pecuniæ corrogatum, aut per Alemanniam omnes se gravatos et destructos conquererentur : adjicit rabidum appetitum ambitiosis episcopis ita inesse ut de temporalibus omnis cura sit, de spiritualibus nulla. Non fuit, inquit, ista imperatorum intentio, non volebant spiritualia a temporalibus absorberi. »

Fidelitatem regi faceret quam prædecessoribus suis. De forma fidelitatis quam quis suo domino jurabat, scripsit olim epistolam Fulbertus Carnotensis episcopus, cujus pars relata ab Ivone Decreti parte XII, cap. 76, et a Gratiano in cap. *De forma*, caus. XXII, q. 5. In synodo Ecclesiæ Gallicanæ habita, Durocortori Remorum exstat libellus Arnulfi episcopi his verbis conceptus : « Ego Arnulfus, gratia Dei præveniente Remorum archiepiscopus, pro- C mitto regibus Francorum Hugoni et Roberto me fidem purissimam servaturum, consilium et auxilium secundum meum scire et posse in omnibus negotiis præbiturum, inimicos eorum nec consilio nec auxilio ad eorum infidelitatem scienter adjuturum. Hæc in conspectu divinæ majestatis, et beatorum spirituum et totius Ecclesiæ assistens promitto, pro bene servatis laturus præmia æternæ benedictionis. Si vero, quod nolo, et quod absit ! ab his deviavero, omnis benedictio mea convertatur in maledictionem, et fiant dies mei pauci, et episcopatum meum accipiat alter. Recedant a me amici mei, sintque perpetuo inimici, » etc. Hæc fuit illius professio libellaris cum metropoli Remorum donatus est, ut scribit Girbertus archiepiscopus Remensis in apologia ad Wilderodum episcop. A continuatore Aymoini monachi Hist. lib v, cap. 24, refertur aliud juramentum episcopi Lauduni clavati, sed minus absolutum : « Hincmarus Laudunensis episcopus amodo et de- D inceps domino seniori meo Carolo regi sic fidelis et obediens secundum ministerium meum ero, sicut homo suo seniori, et episcopus per rectum suo regi esse debet. » Quod juramentum etiam habetur in libro Hincmari Remensis archiepiscopi adversus eumdem Hincmarum Laudunensem. Philippus Augustus in diplomate Atrebat. anno 1203 : « Canonici prædictæ Ecclesiæ libere poterunt eligere, non requisita a nobis, vel a successoribus nostris licentia eligendi : sed electum suum confirmatum nobis præsentabunt, ut nobis fidelitatem faciat, sicut alii episcopi nobis facere consueverunt. » Cæterum dubitari nequit factitatum a regibus Gallorum quod ab imperatoribus scribit Cusanus De concordia cath. lib. III, cap. 28 : « Erat, ait, imperatorum consuetudo facile accusationes fractæ fidei et perjurii admittere, ut fidelitas per quam solum persistit imperium nunquam negligentia parvipenderetur. Pœna vero erat privationis fidem non servanti. »

Affinitate hujusce argumenti liceat adjicere, a multis jam olim reprehensum fuisse factum Hildebrandi, qui, excommunicato imperatore Henrico, eadem manu populum solvit a vinculo debitæ fidelitatis. Vetustus enim et nobilis scriptor qui Vitam illius Henrici elegante stylo composuit ea de re loquens . « Quin etiam et hoc addidit, absolvit omnes a juramento qui fidem regi juraverant, ut contra eum impelleret absolutio,quos fidei tenebat obligatio. Quod factum multis displicuit, si tamen cui displicere licet quod apostolicus fecit. » Sigebertus cœnobita Gemblacensis in Chronico apertius id arguit : « Nimirum, inquit, ut pace omnium bonorum dixerim,hæc sola novitas, non dicam hæresis, necdum in mundo emerserat, ut sacerdotes illius qui dixit regi apostata,(*a*) et qui regnare facit hypocritam propter peccata populi, doceant populum quod malis regibus nullam debeant subjectionem, et licet eis sacramentum fidelitatis fecerint, nullam tamen debeant fidelitatem, nec perjuri dicantur qui contra regem senserint : imo qui regi paruerit pro excommunicato habeatur : qui contra regem fecerit,a noxa injustitiæ et perjurii absolvatur. » In eamdem sententiam pluribus disputat priscus auctor librorum De unitate Ecclesiæ, cujus, verba sunt : « Manifestum est supra dictum papam Hildebrandum injuste pariter et indigne posuisse hanc notam vel Zachariæ vel Stephano, religiosis utique pontificibus Romanæ Ecclesiæ,ut alicujus horum exemplo, vel illius sacræ Scripturæ testimonio posset absolvere a juramento,quo fidem juraverant regi suo vel principes,vel milites reipublicæ. Qui enim solvit pactum, nunquid effugiet ? » Et longe post, hunc in modum scribit falsi arguens pontificem in narratione historiæ : « Quorum neuter,ut certo scimus. Francigenas a juramento fidelitatis suæ quam alicui promisissent regi, absolvit, sicut Hildebrandus papa scripsit et prædicavit, ut tali exemplo deciperentur principes regni : quasi ipse posset absolvere eos a sacramento fidei quam juraverant regi suo in nomine Domini, intendens eum perinde privari a regno atque deponi. Quod cum per hos XIV, aut eo amplius annos frequenter tentatum sit,ad effectum tamen pervenire non potuit, » etc. Locus autem ubi id scripsit **182** Gregorius,exstat apud Ivonem decreti parte quinta,ex epistola ad Herimanum Metensem episcopum. Apud quemetiam refertur capitulum Gregorii sexti absolventis a sacramento fidelitatis illos qui excommunicatis adhærent. Item Urbani secundi qui milites juratos Wigoni comiti excommunicato absolvit sacramentis. Sed et Guibertus antipapa Henricum imperatorem absolvisse ab observatione juramenti quod olim Gregorio papæ præstiterat,legitur in Chronico Casinensi lib. III, cap. 69,

Sed sola intentione acquirenda libertatis. Dubium videri potest an intelligat de generali libertate Ecclesiarum, an de solius pontificis Romani. Sane in illa tunc temporis vexatissima controversia investituram inter papas et reges, illi persuasum esse volebant se moveri solo amore libertatis Ecclesiæ, non autem inhiare privatis commodis. Paschalis enim secundus in Epist. ad Henricum primum Angliæ regem : « Grave nobis est quia id a nobis videris expetere quod omnino præstare non possumus. Si enim consentiamus aut patiamur investituras a tua excellentia fieri, et nostrum procul dubio et tuum erit immane periculum Qua in re contemplari te volumus, quid aut non faciendo perdas, aut faciendo conquiras. Nos enim in prohibitione hac nihil amplius obedientiæ,nihil libertatis(*editio habet* liberalitatis)per Ecclesias nanciscimur, nec tibi debitæ potestatis aut juris subtrahere quidquam nitimur, nisi ut erga te Dei ira minuatur, et sic tibi prospera cuncta contingant. » Quæ epistola exstat

A apud Willelmum Malmesbur. De gest. reg. Angl. lib. V. Sed et illemet Paschalis objiciebat imperatori Henrico Ecclesiam sanguine Christi redemptam liberamque constitutam jam denuo ancillari,si princeps investituras sibi retineat, ut ex Sugerio paulo ante relatum fuit.Goffridus Vindocinensis in epistola ad Paschalem :« Fide,castitate ac libertate vivit ac viget Ecclesia : quæ si non habet, languet et separatur a vita.Nam fide fundatur, ornatur castitate, libertate tegitur.Sed,cum laicam investituram quæ secundum traditiones sanctorum Patrum hæresis comprobatur,non contradicit sed præcipit,cum corrumpitur ipsa muneribus,cum sæculari potestati subjicitur, fides,castitas et libertas ei simul auferuntur,et quæ vitam non habet, nec immerito mortua creditur. » Idem epist.ad Leonem cardinalem de eadem investitura loquens :« Nam rex et Romanus pontifex cum unus contra alium, alter pro regni consuetudine, alter pro Ecclesiæ libertate erigitur, regnum illam B consuetudinem obtinere nec potest nec poterit, et Ecclesia suæ libertatis amittit plurimum.» Ivo quoque fine epist.236 dicit illam abscindendam pro libertate Ecclesiæ et honestate : sed adjicit,salvo pacis vinculo et sine periculo schismatis,si fieri potest. Illemet quoque Goffridus illa superiore epistola : « Habeat Ecclesia suam libertatem,sed summopere caveat ne,dum nimis emunxerit,eliciat sanguinem, et, dum rubiginem de vase conatur eradere,vas ipsum frangatur. Hoc est præcipuum discretionis membrum ne quis qualibet actione Ecclesiæ a Satana circumveniatur. Tunc enim a Satana quis circumvenitur, quando sub specie justitiæ illum per nimiam tristitiam perire contingit, qui potuit liberari per indulgentiam. »

Petimus ergo flexis genibus cordis. Similis plane locus exstat apud Arnulfum Lexoviensem episcopum in epistola quam scripsit ad papam Alexandrum : ubi agit de causa Cantuariensis archiepiscopi, cui C post varias contentiones rex Anglorum bona restituerat ad honorem Dei et Ecclesiæ, salva nimirum regni sui dignitate. Addit nuntios Alexandri hac clausula offensos : et tandem prudenter consulit,ne hoc prætextu papa sinat a suis conturbari statum publicum.« Postmodum,inquit, revocato consensu, verbum conservandæ in futurum regiæ dignitatis, admittere noluerunt, ea quæ disposita fuerant exsequi recusantes : cum archiepiscopi, episcopi, abbates, religiosæ personæ, optimates regni qui aderant, pro bono tantæ pacis multis precibus instititissent : quoniam in observatione regiæ dignitatis nullatenus videbatur nobis libertas aut dignitas ecclesiastica prægravari. Siquidem dignitas ecclesiastica regiam provehit potius quam adimit(male vulgo ibi casum, quam adjuvat)et regalis dignitas ecclesiasticam conservare potius consuevit,quam tollere libertatem. Etenim quasi quibusdam sibi invicem complexibus dignitas ecclesiastica et regalis D occurrunt: cum nec reges salutem sine Ecclesia,nec Ecclesia pacem sine protectione regia conservant. Genibus itaque pietatis vestræ quanta devotione possumus advoluti suppliciter obnixeque deposcimus ne sapientia vestra,quasi litterarum apices et conceptiones verborum,potius quam rem ipsam duxerit amplectendam : sed secundum datum a Deo vobis spiritum discretionis. Id agite,ne causa unius in multorum et fere innumerabilium perniciem convertatur,quia ad bonum pacis quandoque magis proficit mansuetudo gratiæ quam severitas disciplinæ.» Hæc Arnulfus. Cæterum Baronius Annalium tomo XII, postquam superiorem Ivonis epistolam exscripsit,addit Paschalem papam annuisse post factum petitis, quod faciendum penitus contradixisset, et in suam sententiam citat rationem epist. 260.

Sufficiat patri verbum pro verbere. Priscus et anonymus auctor in Vita Henrici quarti cæsaris : «Quid multat ? condonavit filio tam pœnam quam culpam.

(*a*) Alludit ad locum Job. cap. XXIV.

et hoc fuit illi injuriam filii vindicasse, paterna lenitate filium corripuisse, juxta illud Comici : « Pro « magno peccato filii, paululum supplicii satis est. »

AD EPIST. CXCII.

An fieri Sarabaitas. Ita etiam paulo post appellat, neque veteres codices hic variant in ea scriptura. Sic quoque nuncupantur a Joanne Salesberiensi polycratici lib. VII, cap. 23. in Regula Sancti Benedicti cap. 1. Alibi *Sarabattæ* vel *Sarabatæ* scribitur, ut duobus locis apud Priscum auctorem librorum De unitate Ecclesiæ conservanda adversus Hildebrandum.

AD EPIST. CXCV.

Accepi litteras tuas palpantes et pungentes. In vetusto codice manuscripto exstant complures epistolæ istius Goffridi Vindocinensis abbatis, quibus conqueritur de Ivone (vide *Patrologiæ* t. CLVII).

183-184 AD EPIST. CC.

Daimberto. Sic plurimi v. c. : male antea *Lamberto;* ad hunc enim Daimbertum archiepiscopum Senonensem exstant multæ auctoris epistolæ.

Sponso suo immaculatam exhibere possimus. In uno v. c. auctioribus verbis habetur : *Sponso suo non habentem maculam turpitudinis vel rugam duplicitatis exhibere possimus.* Sed superflua esse quæ sequuntur satis arguunt, itaque inculcare nolui.

Nitro et sapone. Eo modo meliores libri, male alii *intro sapore.* Non dissimilis locus apud S. Cyprianum epist. 76 ad Magnum : « Neque enim sic in sacramento salutari delictorum contagia, ut in lavacro carnali et sæculari sordes cutis et corporis abluuntur, ut sapone et nitris, et cæteris quoque adjumentis, et folio et piscina opus sit. » Ita enim legere libros omnes admonet Pamelius, qui tamen in hac lectione sibi non satisfacit, et ex conjectura pro *nitris et sapone*, emendat, *aphronitris.*

AD EPIST. CCIII.

Et res basilicarum. Ita plures manuscripti, in aliis est *et res ecclesiarum,* quod et glossa manasse videtur. Basilicas enim pro ecclesiis sumi tot veterum auctorum exempla comprobant, ut audiri non debeant qui scripserunt differre hæc verba, et nomine basilicarum significari templa nondum consecrata.

Si quem defraudavi. Unus v. c. *defrudavi.*

AD EPIST. CCIV.

Et morbo qui dicitur sacer ignis. Ita meliores veteres libri : male in aliis quibusdam, *et morbo qui dicitur sacrilegium.* Sigebertus in Chronico adnotat, anno Domini 1095, multos sacro igne accensos fuisse, membris instar carbonum nigrescentibus. Abbas Urspergensis id latius exsequitur, et invisibilem ignem vocat, additque ea causa complures Gallos Hierosolymitanæ militiæ nomen dedisse. « Francigenis occidentalibus, ait, facile persuaderi poterat sua rura relinquere. Nam Gallias per annos aliquot nunc seditio civilis, nunc fames, nunc mortalitas nimis afflixerat. Postremo plaga illa quæ circa Nivalensem sanctæ Gertrudis ecclesiam orta est, usque ad vitæ desperationem terruerat. Erat autem hujusmodi. Tactus quisquam igne invisibili, quacunque corporis parte, tandiu sensibili, imo incomparabili tormento, etiam irremediabiliter **185** ardebat, quousque vel spiritum cum cruciatu, vel cruciatum cum ipso tacto membro amitteret. Testantur hoc hactenus nonnulli manibus vel pedibus ac pœna truncati. » Hunc ignem mortiferi ardoris nomine intellexit Glaber Hist. lib. v, cap. 1, sub anno millesimo quadragesimo primo. « Deinde quoque occulto Dei judicio cœpit desævire in ipsorum plebibus divina ultio : consumpsit enim quidam mortifer ardor multos tam de magnatibus quam de mediocribus atque infimis populi. Quosdam vero truncatis membrorum partibus reservavit ad futurorum exemplum. » Sacri vero ignis mentio fit Plinio lib. XXVI, cap. 11 ; Columellæ lib. VII, cap. 5, et Cornelio Celso lib. V.

AD EPIST. CCVI.

Hildeberto Dei gratia Cenonam episc. Hæc lectio tot veterum librorum consensu firmatur ut merito debeat præferri, et rejici altera, *Lamberto.* Sunt autem variæ litteræ Ivonis ad hunc Hildebertum, cujus memoriam renovare placet collectis hinc inde testimoniis. Vetus scheda. « Venerabilis Hildebertus ex Lavardensi castro mediocribus, sed tamen honestis ortus parentibus a domino Hoelo Cenomanensi episcopo factus magister scholarum, deinde archidiaconus, et post decessum domini Hoeli in ejus loco est substitutus. Hic itaque moribus placidus et modestus, primo initio sui episcopatus satagebat restaurare ea quæ antecessorum suorum negligentia vel destructa vel amissa fuerant, infatigabili studio. » Anonymus cœnobita S. Mariana Autissiodorensis in Chronologia ad annum Dom. 1007 : « Florebat hoc tempore Hildebertus prius Cenomanensis episcopus, deinde Turonis archiepiscopus, vir scientia perspicuus, et tam in versificando quam in dictando gratiam peculiarem adeptus. Indicant hoc diversa ejus opuscula quæ metrice edidit, et epistolas quas ad diversos direxit, quæ omnia miro modo commendat et elegantia sensuum, et lepor brevitasque verborum. Unde quidam de eo sic ait.

Inclytus et prosa, versuque per omnia primus
Hildebertus olet prorsus ubique rosam.

Hanc ille. Willelmus Gemeticensis lib. v. De ducibus Northmanniæ, cap. 9, de Anselmo loquens : « Confutaverat enim Græcos in Barrensi concilio, negantes Spiritum sanctum a Filio procedere. Unde sumpta materia rogatu Hildeberti Cenomanorum episcopi hunc librum composuit. » Sic enim ibi restitui debet nomen illius, quia in Vulgata editione mendose cuditur, *Ideberti.* Willelmus Malmesburiensis De gestis reg. Anglorum, lib. III, eumdem nuncupat prædicabilem episcopum, cujus doctrinam dicit posteris esse exemplo, qua instituit quomodo vivi debeat. Goffridus Vindocinensis abbas appellat virum religiosum, et post metropolitanum, in provincia primum, ad quem etiam multas scripsit epistolas a sancto Bernardo abbate Clarævallensi vocatur vir totius reverentiæ, epist. 123, et sacerdos magnus et excelsus in verbo gloriæ in titulo epist. 124, et in contextu ejusdem epist. columna magna Ecclesiæ. Est autem historicus qui novissime scripsit hunc Hildebertum, quia liberrime reprehenderat tyrannidem summi pontificis, et depravatissimos mores Romanæ curiæ, fuisse Romæ detentum carcere, et male tractatum, citatque in eam rem Ranulfi Polychronicon. Mihi vero nondum contigit legisse Ranulfum. Sed quod idem historicus adjicit, verosimile esse duos episcopos contemporaneos ejusdem nominis (quos æquivocos veteres dixerunt) quorum unus Cenomanensis episcopus, alter Turonensis archiepiscopus, non est ut admitti oporteat. Quandoquidem refellitur testimonio Chronologiæ Autissiodorensis paulo antea relato, et Platinæ, qui scribit Honorium papam secundum mirifice extulisse ingenium Hildeberti, quem deinceps Turonensem archiepiscopum creavit, quod plurimum heroico elegiacove carmine valeret. Stabilitur etiam verbis illius veteris schedæ quæ subjicientur majoris fidei causa. « Guillebertus Turonensis archiepiscopus moritur, et in sede et in loco illius Hildebertus Cenomanensis episcopus apicem est sortitus, concedente Ludovico Grosso Francorum rege, anno Dom. 1129. Tandem 15 Kal. Januarii, id est 18 Decemb. anno Dom. 1136, in senectute bona obdormivit in Domino, et sepultus est Turonis in ecclesia Sancti Mauricii : rexitque Ecclesiam Turonensem annis septem, et mensibus sex, et Ecclesiam Cenomanensem annis viginti duobus, et fuit vita ejus quasi octoginta annorum. » Hoc de episcopo etiam agetur infra ad epist. 277.

Sola se manu purgare. Tale est quod dicitur *manu*

sua jurare in feudis lib. II, tit. 27, § *Si rusticus. Et manu propria singula cum sacramento idoneum se facere*, in Capitularibus Caroli Magni lib. I, cap. ult. Arnulfus in synodo habita Durocortori Remorum cap. 30 : « Postquam peroravero, mea dextera ita esse sacramento firmabo. » Sanctus Bernardus epist. 235 : « Nisi decanus quod objectum ei fuerat, propriæ manus juramento repelleret. » Hujus moris mentio fit in decretis pontificum : ex quibus etiam colligi potest locum habuisse in causis levioribus, non autem criminalibus. Vetus compilator sub tit. De purgatione subditorum adversus prælatos sequentia tria testimonia profert. Sylvester papa : « Sola manus sua contra testimonium appellatus se jurejurando, si crimen non est, purgabit. » Felix papa : « Si quis episcopus vel archidiaconus quempiam sacerdotum ex aliqua accusaverit occasione, oportebit sacerdotem sola manu, præsente accusatore, se purgare. Si quidam ex criminali causa eum accusaverit, manu septima adversus magistrum suum, præsente semper accusatore, se oportuerit defendere. » Augustinus : « Si quis sibi subdito quidquam maculæ objicerit, oportet illum excusare absque ulla alia assertione, sola manu sua, nisi sit criminalis causa quam oportet quanquam subditum tertia manu excusare. »

Cum tribus, aut quinque, aut septem collegis. Vetustissimus hic mos fuit reos jurare cum multis aliis, quos ideo conjuratores appellari notatur ad epist. 57. Priscus auctor in Vita S. Eligii episcopi Noviomensis lib. III, cap. 51 : « Vir quidam agrum Ecclesiæ sancti episcopi apud Calvomontem situm, sibi rapaci cupiditate vendicare voluit, sed obsistebat ei Sparnus, ejus Ecclesiæ abbas. Res ad palatium regis relata est, pronuntiatumque a rege ut, si abbas in sacro loco jurare vellet agrum esse Ecclesiæ, eum ipse retineret. Sed abbas maluit virum pertinacem jurare suum esse agrum, et non Ecclesiæ. Lata igitur sententia est ut vir ille cum multis aliis juraret. Sic enim apud Francos in more positum est. Verum abbas aliis omnibus remisit juramentum, ne alterius flagitio implicarentur. Solus ille agri usurpator procerum sententia jurare jussus est. » Abutebantur autem nonnulli illo more jurandi, cum juratores sibi invicem tanquam ex compacto colluderent, quemadmodum liquet ex epistola **186** Hincmari Remorum episcopi ad coepiscopum Joannem : « Qualiter de infamato presbytero ex auctoritate majorum tenemus, tuæ dilectioni mandamus, et sicut sanctus Gregorius decrevit : si mala fama ex similitudine per parochiam de presbytero exierit, et accusatores ac testes legales defuerint, ne contra Apostolum, infirmorum corda de mala fama presbyteri percutiantur, et ne vituperetur ministerium nostrum, neque securiores presbyteri existentes licentius in peccatum labantur, secundum decreta majorum cum denominatis sibi vicinis presbyteris septem, quos scimus nolle perjurare, sacramento famam suam purget. Si autem denominatos a nobis sibi presbyteros ad famam suam purgandam habere nequit, et alios secum ad jurandum conduxerit : quoniam experti sumus quosdam ad invicem conspirasse, ut reputati mutuo in sua purgatione jurent, sicut et presbyteri pleni iniqua cogitatione adversus Susannam conspiraverunt : presbyteri qui in purgatione infamati sacerdotis se una cum eo ad jusjurandum offerunt, examinationem judicii per advocatum infamati presbyteri recipiant, ut in sacramento se Deo non perdant, sicut quosdam hinc jam revocatos comperimus. Invocatio autem super eum qui ad judicium exit, talis habetur : quod ipse presbyter talem accessum et frequentationem ac cohabitationem et actionem contra sacros canones non habuerit, unde mala suspicio et inconveniens sacerdoti fama merito posset exire. » Sic ille, uti verba sunt concepta in vet. cod. Thuani, nam ejus capitis particula tantum relata est ab Ivone Decreti parte VI, cap. 420, et a Gratiano in cap. *Si mala*, caus. 2, q. 4. Sed et Smaragdus in lib. De pressuris ecclesiasticis (*Patrologiæ*, t. CII), parte prima improbat eam conjurandi consuetudinem, dicitque adinventam ut in sacerdotes Dei liberius malevoli sæviant, quando cogunt accusatum uti defensione quam implere minime valeat, vel quæ illum jure officii omnino impediat.

AD EPIST. CCVIII.

Hominium facere abbati. Sic veteres membranæ; in uno tantum cod. *hominatum*, quomodo habuit primitiva editio : qua etiam dictione usus Gregorius papa : « Clericus a laico unquam justificetur, nec pro terra, nec pro aliis rebus quas ab illo teneat : nec sibi hominatum faciat, » etc. Quæ verba habentur in prisco libro calamo exarato, sed non exprimit quis Gregorius sit. Dixerunt etiam *hominiscum*, ut in veteri instrumento recognitionis factæ per Rostagnum de Montepesato, domino P. archiepiscopo de castro de S. Nazario, anno 1226, regnante Ludovico rege, mense Junii : « Manibus juro vobis fidelitatem et hominiscum facio. » Ipsemet auctor epist. 241 ad Humbaldum, dixit per hominium cogere, qua voce plures illius sæculi usi. Sed et *homagium* plerique dixerunt.

AD EPIST. CCIX.

Hujus conjugii paranymphus estis. Ea lectio multorum codicum. Sic epist. 200. Paranymphorum in conjugiis olim adhibitorum frequens mentio, ut a S. Ambrosio lib. IX, epist. 70, et S. Augustino De Civit. Dei lib, XIV. Item Evaristo papa in cap. *Aliter*, caus. 30, q. 5, et in concilio Carthaginensi IV, relato in cap. *Sponsus*, dicta caus. 30, q. 5. Item in legibus Longobardorum tit. De vi publ. et a S. Bernardo lib. III. De consider. cap. ult.

AD EPIST. CCXI

Excommunicatus est rex a domino papa Urbano in Claromontensi concilio. Bertoldus in Chronico ad annum Dom. 1094, refert in concilio celebrato ab Hugone Lugdunensi in civitate Galliarum Ostione excommunicatum fuisse hunc Philippum ; cujus verba prolata sunt supra ad epist. 16. Idem ad annum proxime sequentem dicit Urbanum papam celebrasse synodum Placentiæ, ad quam Philippus rex Galliarum legationem suam direxit, seque ad illam iter incœpisse, sed legitimis soniis (sic enim obiter corrigo quod vulgo cuditur, *sociis*) impeditum fuisse mandavit ; unde inducias sibi usque in Pentecosten apud dominum papam synodo intercedente impetravit. Subjicit idem Bertoldus ad annum 1095 : « In Galliis ad Clarummontem generalis synodus a domino papa in octava Sancti Martini congregata est, in qua XIII archiepiscopi cum eorum suffraganeis fuerunt, CCV pastorales virgæ numeratæ sunt. In hac synodo dominus papa eadem statuta quæ et in præterita synodo Placentina confirmavit. Insuper et Philippum regem Galliarum excommunicavit, eo quod, propria uxore dimissa, militis sui uxorem sibi in conjugium sociavit. Ibi etiam aliam synodum in tertiam subsequentis quadragesimæ hebdomadam Turonis celebrandam denuntiavit. » Willelmus Malmesburiensis De gest. reg. Angl. lib. IV ad annum 1095, agens de eodem papa : « Tunc legitimis uxoribus exclusis, multi contrahebant divortium, alienum expugnantes matrimonium ; quare in his et in illis erat confusa criminum silva, ad pœnam quorumdam potentiorum designata sunt nomina. Qua de re actum in concilio Claromontano, in quo etiam Philippus rex Gallorum cum sua pellice Bertrada excommunicatus. » rex Galliarum **187** jamdudum pro adulterio excommunicatus, tandem domino papæ dum adhuc in Galliis moraretur satis humiliter ad satisfactionem venit, et abjurata adultera, in gratiam receptus est, seque in servitium domino papæ satis promptum exhibuit. Dominus papa bene dispositis rebus in

Gallia, post reconciliationem regis Galliarum, et post multa concilia, tandem in Longobardiam cum magno triumpho et gloria repedavit. »

AD. EPIST. CCXII.

Et in legibus Theodosianis, si aliquis unam rem. Nulla exemplaria vetera hic variant, observandum tamen est hæc verba quæ citat, esse Aniani prisci interpretis codicis Theodosiani ad Paulum, Sententiar. lib. v, tit. 2, eo modo Gratianus relictis verbis ejusdem Pauli citat verba istius Aniani in cap. *Propter*, caus. 2, q. 6, quamvis nomine suppresso: cujus rei ratio est, quia prisci librarii solebant ut sæpius, solas interpretationes exscribere, ut indicio sunt aliquot membranæ codicis Theodosiani, in quibus prætermisso legum ampliore contextu, sola supersunt Aniani scholia ; quibus etiam scholiis subscriptiones adjectæ sunt habentes consulum nomina; ita fucum faciebant lectori minus cauto. Cujus generis codicem habuisse Ivonem, cum hæc scriberet, vero simile est.

AD EPIST. CCXIV.

In tanta scissura, in tanta procella. Cujus causam præbuit Gregorius septimus, et magno scandalo erat toti mundo, ut ait Sigebertus in Chronico ad annum Dom. 1111. Quam vero justa et urgente ratione Ivo defleat tale dissidium, melius clarescet verbis prisci auctoris lib. II De unitate ecclesiæ conservanda. « Hildebrandus papa, *inquit*, sic divisit etiam sacerdotia quemadmodum Ecclesiam Dei, atque rempublicam imperii : Quoniam partes inde segregavit sibi; inter ipsum namque et inter regem Henricum graves ortæ sunt atque inexorabiles discordiæ, papa plurimum adnitente ut rex deponeretur a regia potestate pariter et dignitate : rege vero contra nitente, ut defenderet se ab hostium suorum circonventione, qui pro parte ejudem papæ certantes quærebant eum opprimere. Exinde divisa est Ecclesia, et divisa sunt Ecclesiæ sacerdotia, atque omnia scandalorum orta sunt genera: exinde crevit grave et diuturnum bellum, et non solum civile bellum, sed plus quam civile bellum et factæ sunt absque divino pariter et humano respectu vastationes ecclesiarum et cædes hominum : inde etiam corruptæ sunt divinæ pariter et humanæ leges, sine quibus non subsistit vel Dei Ecclesia, vel imperii respublica : et exinde violata est fides et publica et catholica : exinde etiam illa crevit injustitia, ut pro veritate falsa testimonia, et pro fide catholica abundent perjuria, ut postquam bello leges siluere coactæ, » etc., Idem paulo post.: « Sed jam facta divisione imperii simul et sacerdotii surrexit rex adversus regem, gens adversus gentem, episcopus contra episcopum, populus contra populum. Exinde vero quantæ cædes factæ sint hominum, quantæ destructiones ecclesiarum, quanta etiam rerum confusio exinde facta sit in omni Ecclesia, indigere videtur tragœdia magis quam historia. » Henricus quartus imp. in epistola ad Coloniensem archiepiscopum; « Vide ne oppressæ Ecclesiæ te subtrahas, sed regno et sacerdotio condoleas : quo utroque sic ut hucusque Ecclesia est exaltata, ita nunc heu ! humiliatur viduata. Nam unus dum utrumque sibi vindicavit, utrumque dissipavit, nec in uno profuit, qui in neutro prodesse voluit, nec potuit. » Et paulo post : « Hanc Dei ordinationem qualiter Hildebrandica insania confuderit, tuipse nosti, si scire voluisti. Nullum ejus judicio licet esse sacerdotem, nisi qui hoc a fastu suo emendicaverit. » Willelmus Malmesburiensis lib. v De gest. reg. Angl. testatur isto schismate statum Ecclesiæ conturbatum fuisse plus quam quinquaginta annis.

Sed et dispensationis modus, qui nulli sapienti displicuit. Huc pertinet fragmentum vetusti cujusdam Romani pontificis sed incerti : « Per multos jam annos regni Teutonici latitudo ab apostolicæ sedis unitate divisa est, In quo nimirum schismate tantum periculi factum est, ut quod cum dolore

A dicimus, vix pauci sacerdotes, aut clerici catholici in tanta terrarum latitudine reperiantur. Tot igitur filiis in hac strage jacentibus, Christianæ pacis necessitas exigit, ut super hos materna Ecclesiæ viscera aperiantur. Patrum itaque nostrorum exemplis et scriptis instructi, qui diversis temporibus Novatianos, Donatistas, et alios hæreticos in suis ordinibus susceperunt, præfati regni episcopos in schismate ordinatos, nisi aut invasores aut Simoniaci, aut criminosi comprobentur, in officio episcopali suscepimus. Idipsum de clericis cujusque ordinis constituimus, quos vita scientiaque commendat. » Eodem spectant verba Paschalis papæ secundi ad interrogata Anselmi Cantuariensis archiepiscopi. « Anselmus. Sæpe necesse est aliquid de apostolicis et canonicis statutis pro compensationibus relaxare, et maxime in regno in quo fere omnia sic corrupta et perversa sunt, ut vix ibi aliquid omnino secundum statuta ecclesiastica fieri possit. Peto ut per

B licentiam vestram possim quadam prouf mihi discretionem Deus dabit, temperare quod petii a domno papa Urbano, et ipse posuit in mea deliberatione. Paschalis. Dispensationis modus, sicut beatus Cyrillus in epistola Ephesinæ synodi loquitur, nulli unquam sapientum displicuit. Novimus enim sanctos patres nostros et ipsos apostolos pro temporum articulis, et qualitatibus personarum dispensationibus usos. Quamobrem nos de religione et sapientia tua diu longeque spectata nihil penitus ambigentes, tuæ deliberationi committimus, ut juxta datum tibi divinitus intellectum, cum Ecclesiæ cujus præpositus es tanta necessitas expetit, sanctorum canonum decretorumque difficultatem opportuna et rationabili valeas providentia temperare. » Quibus etiam conjungenda sunt verba Godiffridi Vindocinensis abbatis ad Calixtum papam : « Dispensationes aliquando in Ecclesia faciendæ sunt, non quidem amore pecuniæ, vel quolibet humano fovore, sed

C pia et misericordi intentione. Tunc enim a pastore Ecclesiæ dispensatio pie et misericorditer fieri creditur, cum aliquid minus perfecte ad tempus fit ab illo, vel fieri permittitur, non voluntate sua, sed aliorum necessitate, ne in ipsis videlicet fides Christiana periclitetur. Sic igitur facienda est dispensatio ab Ecclesia, ut semper fidei nostræ veritas instruatur, et si quid aliter ad horam factum fuerit vel promissum, opportuno tempore corrigatur. » Et aliquanto post: « Possunt etiam et debent fieri dispensationes quibus Ecclesiarum et monasteriorum consuetudines immutentur, sed ubi postponitur minus bonum, ut quod est melius instituatur, » etc., quæ habentur in manuscripto exemplari. Videnda sunt quæ bellissime disputat S. Augustinus epist. 5 ad Marcellinum, ubi dicit mutata temporis causa, quod recte antea factum fuerat, postea recte non fieri nisi mutetur.

AD EPIST. CCXV.

Thomæ Eboracensi archiepiscopo. Inscriptio variat

D in priscis exemplaribus, in quibus partim legitur *Tustanno*, partim *Theomæ*, quod postremum habet prima editio, et fortasse hinc nata est diversitas, quia in aliquot vetustis membranis **188** prima tantum littera signatur, T., quam aliis postea varie interpretati sunt. Sed et infra epist. 276 memoratur ab Ivone Tustannus sive Tustinus electus Eboracensis archiepiscopus. Auctoris vero ætate duo Thomæ fuerunt præfecti Ecclesiæ Eboracensi, scilicet Thomas ille a quo Henricus primus Anglorum rex coronatus est : cui paulo post mortuo successit Gerardus, et Gerardo mox defuncto subrogatus Thomas dicti Henrici concellarius, anno Dom. 1108, ut refert Matthæus Paris in Vita illius Henrici Qui etiam notat hunc Thomam Eboracensem archiepiscopum obiisse anno Christi 1113, eisque Turstanum successisse. Ad hunc exstat epistola Anselmi Cantuariensis archiepiscopi (epist. 149, lib. II). Sed et habetur alia Anselmi epistola ad eumdem Thomam

quæ aperte confirmat quod paulo ante dictum est, duos eodem fere tempore fuisse Eboracenses episcopos qui Thomæ dicti sunt (epist. 155. lib. III.

In tenebris barbaræ nationis. Paschalis papa secundus eamdem gentem Anglicam appellat barbaram in epist.ad Anselmum archiepiscopum Cantuariensem: » Deo autem gratia,ait,quia in te semper episcopalis auctoritas perseverat, et inter barbaros positus, non tyrannorum violentia, non potentium gratia, non incensione ignis, non effusione manus, a veritatis annuntiatione desistis. » Idem in alia epist. ad ipsum Anselmum:« Quod ergo tibi super his in barbaris regionibus disponendum, ex ipsius præcepti poteris collatione distinguere. »

AD EPIST. CCXVIII.

Matrimoniales tabulas sibi composuit. Quod hic de canonico Parisiensi, idem de quodam prælato Ecclesiæ Senonensis scribit epist. 200, qui præter duo scorta, pellici matrimoniales tabulas fecerat, unde colligi potest tunc temporis in Ecclesia Gallicana difficile fuisse continentiam clericis persuadere, et multos exstitisse uxoribus alligatos. Nam et auctor epist. 186 respondet presbyteros uxoratos non esse a communione suspendendos,nisi publice convictos vel confessos,Nicolaus monachus lib. II,cap. 8 de Vita S. Godefridi episcopi Ambianensis (ad quam exstant epistolæ Ivonis):«Sanctitatis et pudicitiæ custos adeo præclarus et studiosus ubique exstitit,ut infames clericos vel impuro matrimonio copulatos non solum a suo consortio, sed etiam a chori ingressu constanter arceret. Eam ob rem multis convitiis ab illis proscindebatur,multis appetebatur insidiis. » Et lib. III, cap. 15: « Aderat cum aliis etiam quidam e clero, ex eorum grege, quos supra diximus, impuro conjugio pollutos,quibuscum multum beato episcopo negotii fuit,ut corrigentur. » Chronologia Autissiodorensis ad annum Domini 1119: « Guido Viennensis archiepiscopus Stephani Burgundionum comitis germanus, in papatum eligitur, et ab eo concilium a prædecessore indictum Remis celebratur, ubi excommunicati sunt Simoniaci universi, et qui exigunt pretium pro sepultura,vel chrismate, vel baptismo; uxorum quoque et concubinarum contubernia presbyteris, diaconibus, subdiaconibus ibi sunt penitus interdicta. »

Et salutaribus episcoporum præceptis obedire contemnunt. Hujus rei exemplum in epistolis Anselmi Cantuariensis ad Ernulphum nondum vulgatis,ubi licet rex Angliæ præcepisset,ut presbyteri Ecclesias et feminas haberent sicut tempore patris sui et Lanfranci archiepiscopi, Anselmus contra per totam Angliam jussit omnes sacerdotes qui feminas tenerent,privari Ecclesiis et omni ecclesiastico beneficio. Idem alia epistola ad dictum Ernulphum et archidiaconum Cantuariensem, excommunicavit eosdem presbyteros qui superbe contempserant jussionem prohibitarum feminarum. Qua de re Matthæus Paris in Hist. Angl.

Quam pro lege habendam censet auctoritas pertinaciter et superbe. Hæ novem dictiones nunc primum adjectæ sunt auctoritate veterum membranarum, quæ hactenus deerant.

AD EPIST. CCXIX

Ut Cypriani verbis utar. In exemplari Reg. hujus epistolæ exordium tale est: « Si quid de me adversum me perlatum est ad sedem apostolicam,oportet ut pro me subsequatur cum legato charta non fallax, quæ objectis respondeat, et innocentiam meam defendat. Nuper enim litteras accepi, » etc.

Qui nec auditus fuerat, nec vocatus. Hac parte fœda labes in membranis, qua etiam prima editio deturpata. Habent enim pluscula verba frustra ex precedentibus repetita et inculcata prisci librarii oscitantia: quæ ideo tolli debuerunt.

189 *Qui audiebat missam catechumenorum,* Multi v. c. *cathicuminorum.* Hujus missæ usus vetustissimus,cujus mentio in concilio Carthaginensi quarto cap. 84 relato in cap. *Episcopus* de consecrat., distinct. 1, et in concilio Ilerdensi relato in cap. *De his qui*, caus. 35, q. 2 et 3. S. Augustinus serm. 38 De tempor.: « Ecce post sermonem fit missa cathecumenis. Manebunt fideles,venietur ad locum orationis.»Hincmarus Remorum episcopus in lib. manuscripto adversus Hincmarum Laudunensem episcopum, cap. 24:« Utile tibi foret illa quærere quæ ad tuam et commissorum tibi salvationem debueras bajulare:scilicet quomodo in regulis sacris debeas intelligere, quia quidam jubentur usque ad missam catichuminorum manere in ecclesia, quidem autem sola intra ecclesiam fidelium oratione jungi sacræ mysteriorum celebritati, a dominicæ autem mensæ convivio segregari. »

Ut causam quæ semel decisa est, propter cupidorum et malivorum delationem non iteretis. Hæc verba nunc primum addita sunt ex aliquot priscis libris.

Appellant non confidentia justitiæ, sed pro dilatione sententiæ. Sic rectius ex v. c. quam ut antea, *sed prolatione sententiæ.* Tale est quod ait epist. 172 abbatem Vindocinensem sedem apostolicam appellasse non confidentia justitiæ, sed causa afferendæ moræ.Ibidem epist.180 conqueritur de nimia appellationum licentia ad sedem apostolicam, ob vexationem, rerum expensam,et incertum negotiorum exitum. Ea etiam de re agit S. Bernardus lib. III De consider. ad Eugenium papam, cap. 2. Quo loco docet quis modus sit adhibendus in appellationibus ad sedem Romanam. Vetus et frequens fuit hæc querela episcoporum Gallicanæ Ecclesiæ,cujus generis habetur epistola Hildeberti Turonensis archiepiscopi ad Honorium papam:qua quidem inter cætera dicit, moratoriis et superfluis ejusmodi appellationibus plantari in horto domini toxicum mortis, quo subventus afflictorum moritur,pontificalis vigior elanguet,justitiæ parcimonia in nihilum revertitur,incrementum autem suscipit ubertas delictorum.

AD EPIST. CCXX

Sine conniventia cleri alienet. Variat hic lectio in exemplaribus. Sunt enim quæ habent, *sine convenientia*, ut apud Gratianum in cap. *Sine*, caus. 12, q. 2. Vulgati libri referunt, *absque omnium conniventia et subscriptione clericorum*: ubi Contius jurisc. notat in suo Cod. legi *convenientia*,quod postremum probat, et prius illud rejicit. In Ivonis autem Pannormia tit. De alien. rer. eccles.(ubi canon ille refertur) legitur *sine collaudatione*, ut apud Burchardum Decreti lib. III, cap.170 Sed conniventiæ vox pro consensu tot locis reperitur, ut temere mutari non liceat. In can. obeuntibus, dist. 64: *Quod absque consensu eorum et conniventia factum fuerit, in ritum habeatur.* Hincmarus Remensis lib. adversus Hincmarum Laudun:*Cum conniventia clericorum subscribere.* S. Bernardus epist. 163: *Viri illi in quorum conniventia res posita est.* Arnulfus Lexov. epist. 21: *Donec posset quod mente concepit, assensus vestri conniventia confirmasse.* Willielmus Tyrius De bel. sac. lib. x, cap. 7: *Quem eadem Ecclesia de communi omnium conniventia sibi præfecerat.* Eodem significatu apud ipsum Ivonem epist. 138, 163, 195, 220, 250.

AD EPIST. CCXXIII.

In quodam falso cœmeterio corpora excommunicatorum sepulturæ tradunt. Quia nimium frequentes erant episcopales censuræ, et sæpe ob leviores causas, non mirum est si tunc temporis excommunicationes contemnerentur, et sepulturæ interdictio insuper haberetur.Quam in rem exstant variæ conquestiones Goffridi Vindocinensis abbatis in manuscripto exemplari unde verba tranferam.In epistola igitur ad hunc Ivonem qui interdixerat divinum officium in castello, et banno leugæ comitis Vindocinensis:« Pauperum corpora sepelieri concessistis, quod nos abnuere nec possemus nec audemus.Sed

salva vestra pace et reverentia dicimus, si insepulta remanerent pro Ecclesiæ justitia, non ideo animæ minus, haberent de gloria. Et quia a sanctitate vestra pauperibus sepultura conceditur, sub nomine pauperum a sepultura jam nullus excluditur. » Sequitur alia ejusdem epist. ad eumdem Ivonem : « Noverit, charissime Pater, vestra dilectio, in castro Vindocinensi dictos illos regulares beati Georgii canonicos, in Ecclesia Beati Petri apertis januis contra interdictum vestrum solemniter festivitatem celebrasse, aliosque ejusdem castelli clericos quemdam Burgensem defunctum et cum defuncto justitiam quasi defunctam sepelientes, publicis processionibus sepulturæ tradidisse. De qua Ecclesiasticæ justitiæ sepultura, quæ contumaciæ studio acta dinoscitur, et de hujusmodi sepulturæ vindicta vestræ sublimitati nostra humilitas aliquid scripsisset, si monachus unus sufficeret de inobedientia clericorum accusare multitudinem, nec præsumptuosum videretur tantæ discretionis docere pontificem. Illud tamen perpendat vestra dilectio, quod si tanta justitiæ injuria patienter portatur, verendum est ne sancta Ecclesia hac occasione de statu suo plurimum perdat, et suæ honestatis et ordinis intolerabilem jacturam patiatur. » Et paulo post : « Nam quis ex divitibus contra interdictum vestrum sepeliri, et non sepelitur ? Pauperibus autem qui culpam non habent, sepultura negatur. Potentibus aperiuntur ecclesiæ, impotentes per quos quod male actum est corrigi non potest, ab ecclesiis excluduntur, » etc. Idem in epistola ad Raunulfum Sanctonensem episcopum : « Illud etiam quod in Haimerico de Rancone a vobis actum est, non tacentes. Haimericus siquidem propter multa mala quæ nobis fecerat, a domino papa et a vobis fuerat excommunicatus, et in ipsa excommunicatione justo Dei judicio peremptus est, et ideo exstitit a cœmeterio alienus. Postea vero precibus uxoris illius, et pretio, ut quidam dicunt, corruptus, excommunicato excommunicatum illum sine satisfactione absolvendo communicastis, et præsentibus fratribus nostris, per quos injuriæ nostræ in auribus vestris resonabant, quæ adhuc resonare non cessant, corpus ejus sepulturæ ipsemet tradidistis. Auctoritate tamen sanctorum canonum firmiter tenemus, et nullatenus dubitamus, quia quibus vivis non communicamus, nec mortuis communicare debemus : et qui aliter fecerit, si laicus est, debet et ipse excommunicari : si clericus, cujuscunque dignitatis vel ordinis sit, debet penitus degradari. Valete, et quæ dicta sunt, sapienter advertite. » Hæc latius ascripta, quia pertinent etiam ad epist. 62. Qua quidem Sanctio episcopus Aurelianensis consilium petit quid agere debeat in causa clericorum, vel monachorum qui contra interdictum missas celebrarant et mortuos sepelierant. Quod de excommunicatis intelligit.

AD EPIST. CCXXIX.

Xisti et Leonis exemplo. Purgationis Xisti tertii papæ meminit Nicolaus papa in cap. *Nunc autem*, dist. 21, et Anastasius Bibliothecarius in Vitis pont. Verba ipsius Xisti relata sunt a Gratiano **190** in cap. *Mandastis*, caus. 2, q. 4. Purgationis Leonis papæ testimonium exstat apud eumdem Grat. in cap. *Omnibus*, caus. 2, q. 5, ubi dicitur habuisse duodecim episcopos in sua purgatione. Monachus Sangalensis in Vita Caroli Magni : « Leo, inquit, assumens evangelium Domini nostri Jesu Christi posuit super caput suum, et in conspectu Caroli ejusque militum, assistentibus etiam persecutoribus suis in hæc verba juravit : Sic in die magni judicii sim particeps evangelii sicut immunis sum criminis falso mihi ab ipsis objecti. » Alter monachus Sancti Eparchi Engolismensis in descriptione Vitæ ejusdem Caroli, itemque alius incertus scriptor Annalium Pippini, Caroli Magni et Ludovici ad annum 1300, tradit id factum Romæ coram omni populo in Basilica Beati Petri, cum evangelium portans Leo ambonem conscendisset. Juramentum dicti Leonis refertur a Buchardo Decret. lib. I, cap. 198. His junge not. ad epist.

AD EPIST. CCXXXI.

Qui se propter epilepsiam curandam eunuchizavit. Varia erat hujus loci scriptura in codicibus manuscriptis, habentibus *epileusiam*, *epilesiam*, *epylensiam* sive *epilemsiam*. Meliores *epilepsiam*. Huc autem pertinet quod in cap. *Ex parte*, tit. De corp. vitiat. ordin., dicitur ab Innocentio tertio presbyterum qui ne in lepram incideret, de consilio medici, virilia sibi fecit abscindi, liberam habere facultatem exsequendi sui ministerii. Nam et Aetius scribit lib. XIII, cap. 125, castratos hoc lepræ morbo non laborare. Theodorus autem Balsamo ad apostolor. can. 23, refert plurimos homines paulo consideratiores, qui suos castraturi erant, ad Ecclesiam accedere solitos, et morbum et testiculorum abscisionem aperire. Idem ad cap. 1 : « Nicenæ synodi testatur se nullum vidisse suo tempore sacris initiatum, cui propter morbum permissum erat ut castraretur, licet multi hoc synodice expetierint. »

AD EPIST. CCXXXII.

Circa maritalia loca. Hæc tria verba deerant primæ editioni, quæ adjecta sunt auctoritate et consensu plurium membranarum.

Hugoni Gratianopolitano episcopo. Antea cusum *Gratiopolitano*. In aliquot editionibus Gratiani, ubi hoc rescriptum Urbani exstat habetur inscriptio hujusmodi : « Urbanus secundus Gratiano Neapolitano episcopo ; » sed perperam, quod etiam recte castigatum in novissima editione. Monachus Autissiodorensis in Chronico ad annum 1078 : « Hoc anno S. Hugo Gratianopolis episcopus fit, ubi per annos 52 virtutum exemplis incomparabiliter floruit, » etc. Sigebertus Gemblac. meminit illius Hugonis, et Gratianopolitanum pariter episcopum appellat. Agens enim de Brunone Carthusiæ fundatore circa annum Domini 1084 : « Hujus, ait, sancti propositi cooperator et æmulator beatæ memoriæ Hugo Gratianopolitanus episcopus, ab eodem Brunone habitum monachicum sumpsit, cunctisque ibi habitantibus insigne exemplum præbuit. » Robertus de Monte in Chronico ad annum Dom. 1132 : « Obiit vir sanctus Hugo Gratianopolitanus episcopus, cujus religiosam vitam conscripsit Guigo prior Carthusiæ, quæ non longe a Gratianopoli. »

AD EPIST. CCXXXIII.

Patrum Gregorii et Urbani. Vox *patrum*, addita ex aliquot v. c. ; intelligit autem Gregorium septimum qui et Hildebrandus dictus est, cujus est hic canon in synodo Romana : « Quoniam investituras Ecclesiarum contra statuta sanctorum Patrum a laicis personis in multis partibus cognovimus fieri, et ex eo plurimas perturbationes in Ecclesia oriri, ex quibus religio Christiana conculcatur, decernimus ut nullus investituras episcopatus, vel abbatiæ, vel ecclesiæ de manu imperatoris vel regis, vel alicujus laicæ personæ, viri vel feminæ suscipiat. Quod si præsumpserit, recognoscat investituram illam apostolica auctoritate irritam esse, et usque ad dignam satisfactionem excommunicationi subjacere. » Urbanum autem idem statuisse indicant verba Willielmi Malmesburiensis De gestis pontif. Angl. lib. II, de Urbani concilio loquens : « In hoc concilio papa cum omnibus sententiam excommunicationis vibravit in laicos investitores Ecclesiarum, et investitos a laicis, et in taliter investitos consecrantes, et in illos qui pro Ecclesiasticis honoribus laicorum homines fiunt. » Quodquidem concilium Romæ habitum fuit circa annum 1098, ut præter cæteros notat Thomas de Walsingham in ypodigmate Neustriæ. Citantur etiam hi canones ex concilio Claromontensi cui interfuit ipsemet Urbanus : « Ut nullus ecclesiasticus aliquem honorem a manu laicorum accipiat. » Item : « Interdictum est ne reges vel alii principes aliquam investituram de ecclesiasticis ho-

noribus faciant. » Ivo supra epist. 60 dicit se audivisse reges ab Urbano exclusos fuisse a corporali tantum investitura. Hic autem videtur non esse prætermittendum quod liberrime testatus est. Onuphrius ille, Italorum doctissimus in libro quem scripsit de Vita ejusdem Gregorii septimi : « Superiore illo suo decreto non tantum imperatorem Henricum quartum, sed et omnes reges Latinos et Occidentales petitos fuisse, deinde episcopos et universum clerum Galliarum, Germaniæ et Italiæ : majestatem quoque et dignitatem imperii Romani eversam : quodque longe pejus erat, ea fundamenta jacta quibus illius potestas omnino labefactabatur. »

Schismaticam judico. Idem in fine epist. 236 ait hæreticum esse laicum qui putat in datione et acceptione virgæ se posse tribuere sacramentum. Joannes Lugdunensis archiepiscopus dicit investituras exteriores per laicos factas, non satis proprie hæresis nomine censeri ; defendere tamen fieri debere, hæresim esse, infra epist. 237. Exstat in codicibus manuscriptis Jac. Sirmundi, tractatu Goffridi abbatis Vindocinensis ad Petrum Leonem cardinalem, de ordinatione episcoporum, et de investitura laicorum, ubi disputat eam esse hæreticam (Vide *Patrol.* t. CLVII, col. 214).

191 *Quibusdam litteris mihi scripsit se coactum.* Infra epist. 236 dicit Paschalem idem scripsisse aliis episcopis. Quo spectant verba Anselmi Cantuar. archiepiscopi in epist. ad Paschalem : « Misi sanctitati vestræ in hoc anno post Pentecosten litteras per Bernardum servientem domini Petri camerarii vestri, quod rex Angliæ conqueritur quod sustinetis regem Teutonicum dare investituras Ecclesiarum sine excommunicatione, et ideo minatur se sine dubio resumpturum suas investituras, quoniam ille suas tenet in pace. Videat igitur prudentia vestra sine dilatione quid inde agere debeatis, ne quod tam bene ædificastis, irrecuperabiliter destruatur. Rex enim noster diligenter inquirit quid de illo rege faciatis. » Anselmo respondit papa his verbis : « Porro quia in eis litteris significasti, scandalizari quosdam, quod regem Teutonicum dare investituras Ecclesiarum toleramus, nec tolerasse aliquando, nec toleraturos scias. Exspectavimus quidem ut ferocia gentis illius edomaretur. Rex vero si in paternæ nequitiæ tramite perseveraverit, beati Petri gladium, quem jam educere cœpimus, procul dubio experietur. » Hæc autem ex manuscripto exemplari desumpta sunt, quia hactenus inedita.

AD EPIST. CCXXXV.

Radulfo Dei gratia Turonum archiepiscopo Gregorius septimus meminit Rodulphi Turonensis archiepiscopi lib. II, epist. 19 et 20 ; item lib. IV, epist. 5. Goffridus quoque Vindocinensis abbas, Radulfi Turonensis archiep., qui suo sæculo vixerit, mentionem facit in epistolis, cujus etiam locus prolatus est supra ad epist 67. Duo autem hujusce nominis exstitisse Ivonis ætate, quorum unus alterius proximus successor fuerit, testatur disertis verbis priscus auctor monachus Majoris Monasterii, cujus narratio habetur in observationibus ad epist. 108. In cujus etiam membranis aliquoties scribitur, Radulfus et Rodulfus, ut pro eodem sumi debeat. Sic enim qui Rodulfus Viridis Remorum archiepiscopus a nonnullis dictus est, ab aliis Radulphus appellatur, ut notatum est supra ad epist. 190.

AD EPIST. CCXXXVI.

Titulus hujus epistolæ alius et simplicior fuit in priore editione : « Joanni primæ Lugdunensis sedis archiepiscopo, Ivo Ecclesiæ Carnotensis minister salutem. » Talem enim repereram in priscis membranis quibus tunc temporis usus fueram. Jam vero restituitur ea forma qua conceptus in codice S. Vict. et altero Regio, in quibus episcoporum nomina sic

A diserte expressa. Est autem probabile compositam ab Ivone quod stylus satis arguit. Sic jam supra epist. 79 suo quatuor aliorum episcoporum nomine scripsit epistolam ad Philippum Trecassinum ; quemadmodum etiam apologiam pro coronatione regis Ludovici **192**, suo et cæterorum episcoporum nomine, epist. 189.

Apud Ansam celebrandum. Solus cod. S. Germ. *Ausam*, sed male ; nam et Joannes archiepiscopus Lugdunensis infra epist. 237 *Ansam* appellat.

Si ea quæ ad cathedram pertinent, recta præcipiant, ea vero minime faciant. Prior editio habet, *ea vero quæ contra cathedram faciunt, minime faciant.* In v. c. Ser. aliter : *Ea vero quæ ad jus cathedræ pertinent minime faciant ;* ubi verborum superflua repetitio.

Salvo vinculo pacis corrigere volumus. Antea cusum, *salvo vinculo corrigere vel*, quod imperfectam habebat sententiam ; itaque Bar. qui tomo XII Annal. B hanc epist. transcripsit, addit, *vinculo charitatis.* Paulo ante Ivo *vinculum pacis* appellat duobus locis.

De remissis Germanico regi investituris fecisse videtur. In uno exemplari tantum legebatur, *de remissis regi investituris.* Sed in aliis codicibus vox *Germanico* exstat, sine qua sensus subobscurior. Hac eadem epistola paulo ante Teutonicum appellat : « Quod si ait papa adhuc in Teutonicum regem debitam severitatem non exercet. » De eodem intelligit, cum epist. 233 dicit papam quibusdam nefandis scripta nefanda permisisse ; quo loco pariter agit de investituris a laicis factis. Hæc autem est controversia quæ illo sæculo luctuosissimas et atrocissimas tragœdias excitavit in orbe Christiano, cujus originem et seriem si quis forte desiderat, non inutile fuerit e puris fontibus haurire, prolatis et compositis invicem historicorum coætaneorum testimoniis, ut apertius intelligantur quæ ab Ivone scribuntur C tota hac insigni epistola, Willelmus Malesburiensis De gest. reg. Angl. lib. III in Willielmo primo : « Imperator Alemannorum Henricus(*a*) filius Henrici (de quo supra memoravimus) iratus contra papam quod excommunicationem in eum propter investituras Ecclesiarum promulgaverat, cum exercitu veniens Romam obsedit, Hildebrandum expulit, Guibertum (*b*) Ravennatem introduxit. » Et paulo post exprimit quis fuerit primus auctor ac incentor hujus contentionis : « Alexandro ergo defuncto, *inquit* successit Hildebrandus, Gregorius septimus dictus. Hic quod alii inusitaverant(*sic habent editiones, quod quidam mutat in* mussitaverant) palam extulit, excommunicans electos qui investituras Ecclesiarum de manu laici per annulum et baculum acciperent. Unde Henricus imperator Alemannorum fremens quod sine sua conscientia talia præsumeret, illum, ut prædixi, post undecim annos Roma deturbavit Guiberto inducto, nec multo post lethali morbo papa ictus. » Sigebertus in Chron. ad ann. Dom. 1111 : « Henricus D rex Romam vadit propter sedendam discordiam quæ erat inter regnum et sacerdotium, quæ cœpta a papa Gregorio septimo, qui et Hildebrandus nominatus est et exagitata a successoribus ejus, Victore et Urbano, et præ cæteris a Paschali, magno scandalo erat toti mundo. » Willielmus Tyrius De bello sacro lib. I, cap. 13, agens de eodem Gregorio : « Inoleverat consuetudo, præsertim in imperio, quod defungentibus Ecclesiarum prælatis, annulus et virga pastoralis ad dominum imperatorem dirigebatur. Unde postmodum unumquemlibet de familiaribus et capellanis suis (*c*) investiens, ad Ecclesiam vacantem dirigebat, ut ibi pastoris fungeretur officio, non exspectata cleri electione. Quod dominus papa contra omnem fieri honestatem considerans, et jura in eo facto conculcari ecclesiastica perpendens, semel secundo ac

(*a*) Hujus nominis quartus.
(*b*) Appellat Wigebertum abbas Ursp. in Chron. ut etiam Dodechinus in appendice ad Mar. Scot.
(*c*) Qui erant filii principum, ut not. ad epist.

tertio eumdem imperatorem commonitum cum revocare non posset, vinculo anathematis innodavit. Quod factum nimis indigne ferens imperator, cœpit Ecclesiam Romanam persequi, et domino papæ Guibertum Ravennatem archiepiscopum virum litteratum et locupletem nimis, suscitavit adversarium, etc. » Gregorio septimo successit Victor paucorum dierum, qui et ipse prohibuit investituras Ecclesiarum fieri a laicis, ut refert vetus scriptor Chronici Casinensis. Post Victoris obitum successor Urbanus secundus, habito Romæ concilio circa annum Domini 1098, easdem pariter vetuit, ut notatum supra ad epist. 233. At, defuncto Urbano, contentio longe atrocior exarsit. Matthæus Paris De gestis reg. Anglor. in Henrico primo: « Anno Domini 1112, facta est contentio Romæ inter papam Paschalem et Henricum imperatorem hac de causa: imperator uti voluit privilegio antecessorum habito annis trecentis sub Romanis pontificibus sexaginta, qui licite dederant episcopatus et abbatias per annulum et baculum pastoralem. Econtra consebant Romani pontifices, nec posse nec debere, » etc. Quæ verba etiam exstant in Sigeberti Chronico ad annum Dom. 1111. Willielmus Malmesb. lib. v De gest. reg. Anglor.: « Cum Urbano papæ Paschalis successisset, rursus quæstio de investituris Ecclesiarum, rursus bella, rursus lites agitari, neutris partibus loco cedentibus. Imperator omnes episcopos et abbates regni sui quod citra montes est, fautores habebat; quia Carolus Magnus pro contundenda gentium illarum ferocia omnes pene terras Ecclesiis contulerat: consiliosissime perpendens, nolle sacri ordinis homines tam facile quam laicos fidelitatem domini rejicere. Præterea si laici rebellarent, illos posse excommunicationis auctoritate et potentiæ severitate compescere. Papa ultra montaneas Ecclesias suæ rationi subjecerat, parumque suscipiebant urbes Italiæ Henrici dominium, servitio putantes se exutas post Conradi fratris ejus interitum. Qui a patre relictus Longobardiæ in regem apud Aretium obierat diem. At vero Henricus antiquis Cæsaribus in nullo virtute dejectior, post pacatum regnum Teutonicum, præsumebat animo Italicum, rebellionem urbium subjugaturus, quæstionemque de investitura suo libitu decisurus. » Hæc ille.

Sugerius autem testatur Paschalem papam venisse ad partes occidentales, « ut regem Francorum, et filium regem designatum, et Ecclesiam Gallicanam consuleret super quibusdam molestiis, et novis investituræ ecclesiasticæ querelis, quibus eum et infestabat, et magis infestare minabatur Henricus imperator. » Et paulo post: « Equidem deliberatum est Romæ, propter Romanorum conductitiam perfidiam, de præfatis, imo de omnibus quæstionibus tutius regis et regis filii et Ecclesiæ Gallicanæ in Francia, quam in urbe, disceptare naufragio. » Sic enim obiter illa verba castiganda fide vet. codd., quia misere depravata sunt in editione vulgata. Unde etiam oblata occasione cætera verba quæ ad hanc contentionem faciunt, proferam multis modis emendata, ut interim locus Vulgatæ editionis suo nitori restituatur, donec Sugerii Historia recudatur integrior. De adventu igitur papæ in monasterium B. Dionysii loquens: « Occurrunt, *inquit*, ei ibidem rex Philippus et dominus Ludovicus filius ejus, gratanter, et votive amore Dei majestatem regiam pedibus ejus incurvantes, quemadmodum consueverunt ad sepulcrum piscatoris Petri reges submisso diademate inclinari: quos dominus papa manu erigens, tanquam devotissimos apostolorum filios ante se residere fecit: cum quibus de statu Ecclesiæ ut sapiens sapienter agens familiariter contulit; eosque blande demulcens, beato Petro, sibique ejus vicario supplicat opem ferre, Ecclesiam manu tenere, et sicut antecessorum regum Francorum Caroli Magni et aliorum mos **193** inolevit, tyrannis et Ecclesiæ hostibus, et potissimum Henrico imperatori audacter resi-

A stere. Qui amicitiæ auxilii et consilii dextras dederunt, regnum exposuerunt, et qui cum eo Catalaunum imperatoris legatos occurrere festinent, archiepiscopos, et episcopos, et abbatem S. Dionysii Adam eum quo et nos fuimus, conjunxerunt. Ubi cum dominus papa aliquantisper demoraretur, ex condicto ipsi imperatoris Henrici legati non humiles, sed rigidi et contumaces, cum apud S. Memmium hospitia suscepissent, relicto inibi cancellario Alberto, cujus oris et cordis unanimitate ipse imperator agebat, cæteri ad curiam multo agmine, multo fastu, summe phalerati [*al.*, falerati] devenerunt. Hi siquidem erant archiepisc. Treverensis, episc. Alvertatensis, episc. Monasteriensis, comites quamplures, et cui gladius ubique præferebatur dux Welfo, vir corpulentus, et tota superficie longi et lati admirabilis et clamosus: qui tumultuantes magis ad terrendum quam ad ratiocinandum missi viderentur. Singulariter et solus Treverensis archiepisc. vir elegans et jucundus [*al.*, jocundus] eloquentiæ et sapientiæ copiosus, Gallicano cothurno exercitatus facete peroravit, domino papæ et curiæ salutem et servitium ex parte domini imperatoris deferens, salvo jure regni. Et persequens de mandatis: talis est, inquit, domini nostri imperatoris pro qua mittimur causa. Temporibus antecessorum vestrorum sanctorum et apostolicorum virorum magni Gregorii et aliorum, hoc ad jus imperii pertinere dinoscitur, ut in omni electione hic ordo servetur antequam electio in palam proferatur, ad aures domini imperatoris perferre, et, si personam deceat, assensum ab eo ante factam electionem assumere: deinde in conventu secundum canones petitione populi, electione cleri, assensu honoratoris proferre: consecratum libere nec symoniace ad dominum imperatorem pro regalibus, ut annulo et virga investiatur, redire, fidelitatem et hominium facere. Nec mirum; etenim civitates et castella, marchias, telonea [*al.*, thelonea], et quæque imperat, dignit. nullo modo aliter debere occupare. Sic hæc dominus papa sustineat, prospere et bona pace regnum et ecclesiam ad honorem Dei inhærere.

« Super his ergo dominus papa consulte oratoris episcopi Placentini voce respondit: Ecclesiam pretioso Jesu Christi sanguine redemptam et liberam constitutam, nullo modo iterato ancillari oportere: si Ecclesia eo inconsulto prælatum eligere non possit, cassata Christi morte ei serviliter subjacere; si virga et annulo investiatur, cum ad altaria ejusmodi pertineant, contra Deum ipsum usurpare: si sacratas Dominico corpori et sanguini manus laici manibus gladio sanguinolentis obligando supponant ordini suo et sacræ unctioni derogare. Cumque hæc et his similia cervicosi audissent legati, teutonico impetu frendentes tumultuabant, et si tuto auderent, convicia eructarent, injurias inferrent. Non hic, inquiunt, sed Romæ gladiis terminabitur querela. Verum papa quam plures viros approbatos et peritos ad cancellarium misit, qui eum super his composite et placide convenirent, et audirent, et ad pacem regni eum operam dare, obnixe exorarent. Quibus recedentibus dominus papa Trecas venit, diu submonitum universale concilium honorifice celebravit, et cum amore Francorum, quia multum servierant, et timore et odio Teutonicorum ad S. Petri sedem prospere remeavit. Imperator vero secundo fere recessionis ejus anno, collecto mirabili triginta millia militum hoste nullas nisi sanguine fuso gaudet habere vias; Romam tendit, mire callens pacem simulat, querelam investiturarum deponit, multa et hæc et alia bona pollicetur, et ut Urbem ingrediatur, quia alter non poterat, blanditur; nec fallere summum pontificem et totam Ecclesiam, imo ipsum Regem regum veretur. Unde quia audiebant tantam, et tam perniciosam Ecclesiam Dei sopitam quæstionem, æquo aut plus

æquo Romani Quirites tripudiant, clerus supreme exsultat, et quomodo eum honorificentius, et elegantissime recipiant exhilarati decertant. Cumque dominus papa episcoporum et cardinalium togata cum opertis albis operturis equis constipatus turma, subsequente populo Romano occurrere acceleraret : præmissis qui tactis sacrosanctis evangeliis ab eodem imperatore juramentum pacis, investiturarum depositionem susciperent, in eo qui dicitur Mons gaudii (*a*) loco, ubi primum adventantibus limina, apostolorum beatorum visa occurrunt, idipsum iteratur. In porticu vero mirabili et universali Romanorum spectaculo, manu propria imperatoris et optimatum triplicatur juramentum. Exinde infinite nobilius quam si Africana victoria potito arcus triumphalis arrideret, cum hymnis et laudum multiplici triumpho, domini papæ manu sacratissima diademate coronatur more Augustorum, ad sacratissimum apostolorum altare præcinentium clericorum odis, et Alemannorum cantantium terribili clamore cœlos penetrante celeberrima et solemni devotione deducitur. Cum ergo dominus papa missas gratiarum agens corpus et sanguinem Jesu Christi confecisset, partitam Euccaristiam [*al.* Eucharistiam] in amoris impartiabilis confœderatione et pacti conservatione obsidem mirabilem Ecclesiæ devovens suscipiendo imperator communicavit. Necdum dominus papa post missam episcopalia deposuerat indumenta, cum inopinata nequitia, ficta litis occasione furor Teutonicus frendens debacchatur, exertis gladiis velut pleni insania discurrentes, Romanos tali in loco jure inermes aggrediuntur, clamant jurejurando ut clerus Romanus, omnes tam episcopi quam cardinales capiantur, aut trucidentur, et quod ultra nulla potest attingere insania, in dominum papam manus impias injicere non verentur. Luctu inexplicabili et dolore præcordiali tam nobilitas Romana quam ipse populus luget, faucionem (*b*) licet sero animadvertunt. Alii ad arma currunt, alii sicut stupidi fugiunt, nec inopinato hostium bello nisi cum trabes de porticu deponentes, eorum ruinam suam fecerunt defensionem, evadere potuerunt. Præfatus autem imperator pessimæ conscientiæ et facinorosi facti perterritus cruciatu urbem quantocius exivit, prædam a Christiano Christianis inauditam dominum videlicet papam et cunctos quos potuit cardinales et episc. adducens, civitate Castellana loco natura et arte munitissimo se recepit : cardinales ipsos turpiter exuens inhoneste tractavit, et quod dictu nefas est, ipsum etiam dominum papam tam pluviali quam mitra cum quæcunque deferret insignia apostolatus, non veritus in Christum Domini mittere manum superbe spoliavit, multasque inferens injurias, nec eum, nec suos multo dedecore affligens dimisit, donec ad præfati pacti solutionem, et exinde facti privilegii redditionem coegit. Aliud etiam de manu domini papæ ut deinceps investiret subrepticium privilegium extorsit : quod idem dominus papa in magno concilio trecentorum et eo amplius episc. judicio Ecclesiæ nobis audientibus conquassavit [*melius* concassavit], et perenni anathemate in irritum reduxit. Verum si quærit quis quare Dominus ita tepide fecerit, noverit quia Ecclesia percusso pastore et collateralibus languebat, et pene eam tyrannus ancillans, quia non erat qui resisteret, tanquam propriam occupabat. Cui certum facto dedit experimentum, quod cum fratres Ecclesiæ columnas ad tuitionem et Ecclesiæ reparationem quomodocunque solvi fecisset, pacemque Ecclesiæ qualemcunque reformasset, ad

A eremum solitudinis confugit : moramque ibidem perpetuam fecisset, si universalis Ecclesia et Romanorum violentia coactum non reduxisset. Verum Dominus Jesus Christus redemptor et defensor Ecclesiæ suæ nec eam diutius conculcari, nec imperatorem impune ferre sustinuit. Qui etenim nec tenti, nec fide obligati fuerant, causam Ecclesiæ fluctuantis suscipientes, domini designati Ludovici suffragio et consilio in Gallicano celebri concilio collecta Ecclesia imperatorem tyrannum anathemate innodantes, mucrone beati Petri perfoderunt, » etc. Hæc Sugerius.

Sed quæ trium septimanarum violenta Paschalis captione conventio extorta fuerat, postea enervata fuit concilio celebrato anno 1112, pontificatus papæ XII, ut scribit Willelmus Malbesb. De gest. pontif. Angl. lib. V. Damnatum enim fuit **194** investituræ privilegium, quod a pravitate privilegium potius vocarunt. Sic enim ea vox cuda debet apud dictum B Wilielmum, quam lectionem confirmat locus Ottonis Frinsing. Chron. lib. VII, c. 14 ; hocque concilio Romæ habito renovata sunt et confirmata decreta Gregorii VII et Urbani III, adversus investituras laicorum. Unde commotus imperator Henricus, an. XVII pontificatus Paschalis, iterum Romam contendit, acrius in illum ulturus. At cum interea Paschalis obisset, et Gelasio illius successore mox expulso ac mortuo, Guido electus papa (qui Calixtus dictus est) statim ipse concilium Remis celebravit, quo rursus prohibitæ investituræ laicorum, simulque (nisi resipisceret) imperator anathemate involutus.

Tandem evenit ut imperio multis modis attrito, imperator videns a se regnum paulatim deficere, exemplum patris sui mente revolvens, metu anathematis urgeretur, ut ait Gotfridus Viterb. Chro. parte XVII, et Otto Frinsing. Chro. lib. VII, c. 16. Quare mollita animositate receptus in communio- C nem sedis Romanæ, ecclesiasticas investituras per annulum et baculum remisit Calixto. Cui vicissim Calixtus concessit, ut electionibus episcoporum et abbatum Teutonici regni assensum præberet, et ab illo electus regalia per sceptrum reciperet, quemadmodum scribunt idem Wilelmus Malmesb. lib. V, et abbas Urspergensis ad annum Dom. 1125. Quæ verba faciunt ad interpretationem loci Ottonis Frinsing. De gest. Friderici imp. I, lib. II, c. 6. Qui etiam Chronici lib. VII, c. 16, refert cavillum Romanorum, qui dicebant privilegium datum imperatori, ut electi non prius ordinarentur quam regalia de manu ejus per sceptrum susciperent, soli Henriso datum pro bono pacis, non tamen successoribus. Sic igitur tandem sedatus et veternus morbus qui Ecclesiæ statum conturbaverat plus quam quinquaginta annis.

Sunt autem alii veteres scriptores qui meminerunt hujusce contentionis inter Paschalem et Hen- D ricum, ut abbas Dodechinus in appendice ad Chron. Mariani Scotti, et Martinus Polonus in Vita Paschalis. Ejus quoque rei testimonia reperta in vetustis membranis pridem evulgavi, quorum auctoritate alii usi sunt : quæ quia pertinent ad interpretationem et illustrationem hujusce Ivonianæ epist. 236, iterum subjicere placuit :

Epistola Joannis Tusculani (*c*) *episcopi, de captione Paschalis papæ, Richardo Albano episcopo missa.*

« JOANNES Dei gratia Tusculanus episcopus agens vices domni Paschalis papæ vincti Jesu Christi, venerabili fratri RICHARDO Albano episcopo in Domino salutem.

« Quoniam sicut ait Apostolus, unum corpus

(*a*) Vide Petrum Diaconum, lib. IV, Chron. Casinensis cap. 39.

(*b*) Sic habet unus v. c. alter *fauctionem*. In editione Sugerii, *sanctionem*. Omnes mendose ; fortasse leg. *factionem* vel *fictionem*, quia paulo ante dixit : *ficta litis occasione*.

(*c*) Hic episcopus, fidelium animos ad opem Ecclesiæ ferendam nunquam excitare litteris destitit, ut ait Petr. Diacon. in Chron. Casin. lib. IV, cap. 41.

sumus in Christo, et si patitur unum membrum, A cætera membra compatiuntur, quæ de capite nostro et de tota fere Ecclesia gesta sunt, fraternitati tuæ significamus. Cum igitur Henricus Theutonicorum rex Suturum [*al.*, Sutriam, *vel* Sutrium] pervenisset, legatos quosdam Romam direxit, qui jurejurando firmaverunt domini papæ Paschalis legatos secure ducere ac reducere, et regem ipsum sacramento firmare omnem Ecclesiarum investituram penitus abdicare, obsides etiam dare, ne ad hoc flagitium iterum rediret, et res ecclesiasticas et regalia ac beati Petri patrimonia libera et quieta omnino dimittere, obsides etiam dare pro securitate cum ad coronandum eum ad beati Petri basilicam exiret. Postea ex parte Ecclesiæ a laicis viris firmatum est, si ista quæ promissa sunt jam dictus rex observaret, quod domnus noster eum benigne susciperet, et ei diadema regni imponeret, et coronatus si vellet urbem intraret. Pro transitu B etiam pontis obsides accepit, pro quibus sacramentum exhibuit, quod in ipso die dominico si pontem transiret, eos in liberam nostrorum restitueret potestatem. De his igitur omnibus sacramentis ex utraque parte peractis et obsidibus datis, cum ad coronandum eum ad ecclesiam beati Petri papa exiret, postpositis sacramentis et dimissis obsidibus eum in ipsa ecclesia cum episcopis et cardinalibus et multis Romanis violenter cepit, et in captione arctissima detinet. Romani vero post alterum diem collecti in hostes Ecclesiæ impetum facientes de porticu fugere compulerunt interfectis multis de suis, et perditis equis, tentoriis, pecuniis, et infinita supellectili. Post hæc omnes unanimes contra eum juraverunt uno animo, una voluntate pugnare. Tu igitur prudenter vigila et quanto amplius necessarium conspicis, tanto magis elabora, et matrem Ecclesiarum omnium adjuvare ne desinas. Orationes pro liberatione domni nostri, imo pro ipsa Ecclesia ubicunque potueris fieri facias. Vale. Hoc autem C factum est anno Domini 1111, indictione quarta pridie Idus Febr, in basilica S. Petri apostolorum principis, die Dominica ante caput jejunii. »

« Hoc modo reconciliatio inter Paschalem papam et Henricum imperatorem facta est.

Juramentum imperatoris.

« Ego Henricus liberos dimittam quarta vel quinta feria proxima domnum papam Paschalem, et episcopos et cardinales, et omnes captivos et obsides qui pro eo et cum eo capti sunt, et liberos produci faciam inter portam Transtiberinæ civitatis, nec ulterius capiam, aut capi faciam eos qui in fidelitate domni papæ Paschalis permanent; et populo Romano et Transtiberinæ insulæ civitati pacem et securitatem servabo tam per me quam per meos; et in personis et in rebus qui pacem mihi servaverint. Patrimonia et possessiones S. Rom. Eccl. quæ abstuli restituam, et cuncta quæ habere debet, more antecessorum meorum recuperare et tenere D adjuvabo bona fide, et domno papæ Paschali obediam, salvo tamen honore regni et imperii, sicut catholici imperatores catholicis pontificibus Romanis. Hæc omnia observabo bona fide, sine fraude et malo ingenio. » Isti sunt juratores ex parte imp. Henrici : Fredericus Coloniensis archiepisc. Gebehardus Tridensis episc. Bruno Spirensis episc. Bruchardus Monasteriensis episc. Albertus cancellarius, comes Herimannus, comes Berengarius, Fredericus comes Palatinus. Item Fredericus comes, Bonifacius marchio, Albertus comes de Blandriaco, Godefridus comes, Warnerius marchio.

Concessio papæ de investituris episcopatuum.

« Domnus papa Paschalis concedit domno imperatori Henrico et regno ejus, privilegio suo sub anathemate et confirmabit et corroborabit, episcopo vel abbate libere electo sine Simonia assensu imperatoris, quod dominus imperator eum annulo et virga investiat. Episcopus autem vel abbas ab imperatore investitus libere accipiat consecrationem ab episcopo ad quem pertinuerit. Si quis vero a clero et a populo eligatur, nisi ab imperatore investiatur, et a nemine consecretur, et archiepiscopi et episcopi libertatem habeant consecrandi ab imperatore investitos. Super his etiam domnus papa Paschalis non inquietabit regem Henricum, nec ejus regnum et imperium.

195 *Sacramentum ex parte papæ*

« Domnus papa Paschalis non inquietabit domnum imperatorem Henricum, nec ejus regnum de investitura episcopatuum et abbatiarum, neque de injuria sibi illata et suis in personis et bonis, neque aliquod malum reddet sibi vel alicui personæ pro hac causa, et penitus in personam imperatoris Henrici nunquam anathema ponet, nec remanebit in domno papa quin coronet eum sicut in ordine continetur et regnum et imperium officii sui auxilio adjuvabit pro posse suo. Et hæc adimplebit domnus papa sine fraude et malo ingenio. » Hæc sunt nomina illorum episcoporum, et cardinalium qui præcepto domni papæ Paschalis privilegium et amicitiam sacramento confirmaverunt domno imperatori Henrico. Petrus Portuensis episcopus. Centinus Sabiniensis episcopus. Robertus cardinalis sancti Eusebii Bonifacius cardinalis Sancti Martini. Anastasius cardinalis Sancti Clementis. Gregorius cardinalis apostolorum Petri et Pauli. Gregorius cardinalis Sancti Chrysogoni. Joannes cardinalis Sanctæ Potentianæ. Risus cardinalis Sancti Laurentii. Ramerus cardinalis Sanctorum Marcellini et Petri. Vitalis cardinalis Sanctæ Balbinæ. Dinzo cardinalis Sancti Martini. Theobaldus cardinalis Joannis et Pauli. Joannes diaconus Sanctæ Mariæ in schola Græca. Leo diaconus Sancti Vitalis martyris. Abbo diaconus Sanctorum Sergii et Bachi.

Privilegium Paschalis papæ quod fecit imperator Henrico de investituris episcopatuum et abbatiarum.

« Paschalis episcopus, » etc. *Vide in Paschali II ad an.* 1118.

Epistola Paschalis papæ, damnans privilegium quod Henricus per vim ab eo extorserat, Guidoni archiepiscopi Viennensi missa.

« Paschalis episcopus, » etc. *Vide ibid.*

Excommunicatio concilii Viennæ celebrati a Guidone archiepiscopo de Henrico imperatore facta.

« Investituram episcopatum et abbatiarum et omnium ecclesiasticarum de manu laica, sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritatem sequentes, hæresim esse judicamus. Scriptum illud seu privilegium quod a domno Paschali papa violenter Henricus rex de investituris, de anathemate in persona sua non sponte extorsit, in virtute S. Spiritus damnamus, atque irritum esse, et nullius beatæ memoriæ judicamus fieri. Henricum Theutonicum **196** regem, qui simulata pace Romam veniens, post data sacramenta domno papæ Paschali, vitæ, membrorum, malæ captionis, refutationis investiturarum, eumdem domnum papam in sede apostolica ante corpus beati Petri, post osculationem pedis, oris et faciei, proditione, perjurio et sacrilegio, velut alter Judas, cum cardinalibus, episcopis archiepiscopis, et multis Romanorum nobilibns tradidit, et cœpit, et raptum in castra insignibus apostolicis exuit, et indigne atque inhoneste et irrisum tractavit, et ab eo supradictum nefandissimum et detestabile scriptum violenter extorsit, excommunicamus, anathematizamus et a gremio sanctæ matris Ecclesiæ sequestramus, donec his omnibus abrenuntiatis plenam satisfactionem eidem Ecclesiæ exhibeat. »

Rescriptum Guidonis archiepiscopi ad domnum papam Paschalem de confirmando concilio quod Viennæ celebratum est.

« Domno sancto et dulcissimo patri Paschali,

Guido Viennensis archiepiscopus, et apostolicæ sedis legatus et cæteri omnes episcopi et abbates qui Viennensi adfuimus concilio debitam subjecti nem et obedientiam, Sanctæ pietatis vestræ mandata osequentes, » etc. *Vide in Paschali* II.

Filiali charitate excusamus : non enim prævaricator est legis. Paulo ante jam dixit, necessitate non voluntate propter vitandam populi stragem istud factum a papa, ad illustrationem hujus loci maxime faciunt verba abbatis Urspergensis in Chronico ad annum Domini 1116, ubi agit de concilio celebrato Romæ sub Paschali ut retractarentur quæ de investituris paulo antea concesserat Henrico imp. : « Tunc apostolicus causam concilii et animi sui intentionem his verbis exposuit. Postquam dominus de servo suo fecit quod voluit, et me populumque Romanum tradidit in manus regis : videbam quotidie passim fieri rapinas et incendia, cædes et adulteria. Hæc et hujusmodi mala cupiebam avertere ab Ecclesia et populo Dei, et quod feci pro liberatione populi Dei feci. Feci autem ut homo, quia pulvis sum et cinis. Fateor me male egisse, sed rogo vos omnes, orate pro me ad Deum, ut indulgeat mihi. Illud autem malum scriptum quod in tentoriis factum est, quod pro pravitate sui privilegium dicitur, condemno sub perpetuo anathemate, ut nullus unquam sit bonæ memoriæ : et rogo vos omnes ut idem faciatis. Tunc ab universis conclamatum est, fiat, fiat. Bruno autem Signinus episcopus altius exorsus est : Gratias agamus omnipotenti Deo qui dominum papam Paschalem qui præsenti concilio præsidet, audivimus proprio ore damnantem illud privilegium quod pravitatem et gæresim continebat. Ad hæc quidem cavillatorie subjunxit. Si privilegium illud hæresim continebat: qui illud fecit, hæreticus fuit. Joannes autem Cajetanus ad hæc commotus, Signino respondit : Tunc hic et in concilio nobis audientibus Romanun pontificem appellas hæreticum ? Scriptum quod fecit dominus papa, malum quidem fuit, sed hæresis non fuit. Et alter quidam adjecit. Imo nec malum dici debet, quia si liberare populum Dei, bonum est, quod dominus papa fecit, bonum fuit. Sed liberare populum Dei bonum est auctoritate evangelii, qua præcipimur animas quoque pro fratribus ponere. Ad hæc patientia domini papæ horrendo hæresis nomine pulsata, expergefacta est, et manu silentium indicens, dissidentium clamores et murmura tali ratione compescuit. Fratres et domini mei audite : Ecclesia ista nunquam habuit hæresim, imo hic omnes hæreses conquassatæ sunt,» etc. Vide notata ad epist. 233.

Jam igitur, lector, habes compendium totius historiæ de controversia investiturarum inter Pontifices Romanos et imperatores, quæ horrendo schismati originem dedit, unde pendet interpretatio aliquot locorum Ivonis, qui epist. 214 ad Brunonem deflet dissidium Ecclesiæ et regni quod suo sæculo contigerat, cujus etiam commeminit epist. 238 ad Paschalem papam, qua illum admonet, caveat ne suscitet in regno Galliarum schisma quod erat in Germanico adversus sedem Romanam.

Ubi ergo sine schismate auferri potest, auferatur : ubi **197** *sine schismate auferri non potest.* Ita suppletus est defectus ex vett. codd. Sanum autem hoc consilium Ivonis. Eodem spectant verba Goffridi abbatis Vindocinensis in epistola ad Petrum Leonem Romanæ Ecclesiæ cardinalem. Nam postquam multa disseruit adversus investituras a laicis factas (quæ relata sunt, infra in notis ad epist. 233) tandem concludit, quasdam esse investituras laicis permittendas ut vitentur publica schismata.

Sive apud eos qui foris sunt, eadem ipsa sunt. Sic habet v. c. quæ non frustra dicuntur ab Ivone. Tunc enim flagrante schismate Gregori septimi, Urbani, et Paschalis, et Henrici imp. erant nonnulli addictissimi papæ qui asserebant inefficacia plane esse sacramenta partis adversæ. Id testatur Bertoldus in Chronico ad annum Dom. 1091, qui Guibertistis et Henricianis contrarius, refert Bernardum Constantiensem magistrum scholarum, scripsisse pro judicio dicti Gregorii adversus sacramenta extra Ecclesiam a schismaticis usurpata. Sed nimio zelo ductum alicubi modum excessisse. Negavit enim omnino, ab eis et ab eorum communicatoribus sacramenta posse confici, ita ut ab illis ordinatos si resipiscant, iterum ordinandos censeret cum tamen ea opinio repugnet Nicæno concilio et Africano, item sententiis Augustini, Anastasii papæ, et Gregorii primi. Demum concludens Bertoldus : « Idem venerabilis Bernardus, inquit, in ista, sicut et beatus Cyprianus in rebaptisationis sententia, non pertinaciter contra Ecclesiam egerunt, sed utcunque, nimium contra schismaticos zelantes, aliquantulum regulam ecclesiasticam excesserunt. » Bernardi autem illius epistola ad Adalbertum scripta recenter in lucem prodiit.

AD EPIST. CCXXXVII

Joannes primæ Lugdunensis, etc. Sic restituta fuit inscriptio fide et consensu aliquot veterum codicum. Superior editio habuit, *Joannes primæ Lugdunensis sedis archiepiscopus Ivoni Ecclesiæ Carnotensis episcopo.* S. Minus recte inscridebatur soli Ivoni. Hic enim Joannes respondet epistolæ superiori 236 quæ quidem emissa fuerat nomine Daimberti archiepiscopi Senonensis et aliorum coepiscoporum. Porro in uno vetere codice bis scriptam inveni a prisco librario oscitante. Nam cum ille primo scripsisset, *Joannes primæ Lugdun.*, etc., post aliquot paginas immemor scripsit, *Hugo primæ Lugdun.* Utrumque autem stare non potest et videtur jam mortuus fuisse Hugo archiep., sed et in alio prisco libro prima nominis littera tantum designata habetur. *I. primæ Lugdunensis*, etc.

Siquidem cum prima Lugdunensis provincia, Lugdunensis provincia sit, nihilominus. Hic quoque locus restitutus est duorum codicum auxilio, quorum verborum repetitio clariorem lucem addit sententiæ, quæ alioquin in prima editione et aliis priscis codicibus obscure concepta fuerat hunc in modum : *Siquidem cum prima Lugdunensis provincia sit, nihilominus secunda.* In vetere autem codice Thuani : *Siquidem cum prima Lugdunensis providentia Lugdunensis providentia sit.* Sed in ora manu prisca ibi correctum *provincia* pro *providentia*, Triplex autem *provincia Lugdunensis* memoratur in itinerario Antonini.

Nisi forte et omnes episcopos in eadem emunitate comprehendi volueris. Sic omnes nostri vett. codd. Cujacius adnotaverat in ora sui libri, *in eadem enormitate*, puto potius ex prisco libro quam ex conjectura. Sed id verbi in nullo exemplari reperi, habent enim pari consensu, *in eadem emunitate*, in quorum tamen uno ad oram libri librarius jam olim notaverat emunitatis verbo significari violentiam : verum illa notatio plane inepta et insulsa. Scripsit igitur auctor *emunitate.* Hic enim archiepisc. respexit ad hæc **198** verba epist. 236 : « Nec nostro nec ullius hominum probantur subjacere judicio : unde constat nos esse immunes, si facta eorum oris gladio ferire formidamus.» Emunitatem igitur dixit pro immunitate. Qua voce plerique veteris sæculi scriptores usi. Ivo epist. 133 *pro emunitate claustri.* S, Gregorius in can. *Cum devotissimam*, cau. 12, q. 2, *pro violata emunitate illud emendare noluerunt.* In legibus Ripuariæ titulo 67 : « Nisi emunitas regis hoc contradixerit. » In concilio Aurelianensis capite 10 apud Burchardum lib. III, cap. 90 : *Quia hæc pro emunitate habentur.* In concilio apud Theodonis villam cap. 2 apud eumdem Buchardum lib. III, cap. 94 : « Quia hæc in antiquis canonibus pro emunitate tenentur, nemo

abstrahere audeat. » In concilio Triburiensi cap. 20 (relato etiam a Gratiano in cap. *Si quis*, cau. 17, q. 4) : *pro emunitate nongentos solidos componat*, et cap. 30 : *quidquid pro emunitate violata emendandum est, altario solvatur.* Item in concilio Mediomatr. cap. 2 : *pro emunitate* 1400 *solidos episcopo componat.* Denique in Capitularibus Caroli Magni lib. v, cap. 24 : *Ut latrones de infracta emunitate a judice ipsius immunitatis in comitis placito præsententur.* Frustra igitur hæc dictio nonnullis suspecta est.

Ambrosii qui Theodosium imperatorem ob suam culpam excommunicavit ? Nunquid incusas Gregorium septimum qui regem Henricum. Otto Frinsingensis epist. in Chronico lib. vi, cap. 35, loquens de eodem Henrico quarto, affirmat nusquam inveniri quemquam regum et imperatorum ante hunc a Romano pontifice excommunicatum, vel regno privatum : « Nisi forte quis, ait, pro anathemate habendum ducat, quod Philippus ad breve tempus a Romano episcopo inter pœnitentes collocatus, et Theodosius a beato Ambrosio propter cruentam cædem a liminibus Ecclesiæ sequestratus sit. » Vetustus auctor lib. i, De unitate Ecclesiæ conservanda, apertius reprehendit eumdem Gregorium sive Hildebrandum, qui ut statueret et confirmaret partium suarum schismata, proferebat illam historiam, sed respondet Gregorium abuti exemplo, et longissime discedere a facto sancti illius pontificis. Nam Theodosium leniter quidem fuisse coercitum ecclesiastica disciplina ; non tamen Ecclesiam divisam ab Ambrosio, vel soluto fidei sacramento separatos principes et milites reipublicæ ab imperatoris sui consortio simul et obsequio ; quod novo more fecerat Gregorius ; qui solverat statuta sub anathemate confirmata a multis Romanis pontificibus de investiendis episcopis per reges et imperatores. Neque enim tale quid tentaverat Ambrosius, quando etiam pro studio hæreticorum Valentiniani imperatoris, matrisque ejus Justinæ minis atque verberibus pulsabatur. Hæc et alio plura persequitur ille auctor, quem nonnulli putant fuisse Venericum Vercellensem ; alii Sigebertum monachum Gemblacensem, alii alium.

Utinam pro voluntate nostra contegi pateretur. Hoc ideo dicit quia Paschalis papa quodam scrupulo religionis tactus, verebatur suum factum retractare. Nam, ut in privilegio investituræ a se concesso legitur, testatus fuerat Henrico imperatori cum illum coronaret, se dare corpus Domini in confirmationem veræ pacis et concordiæ inter utrosque. Imo etiam, veluti dicit Sugerius, partitam Eucharistiam in amoris impartibilis confœderatione, et pacti conservatione obsidem dederat. Quin etiam imprecatione usum fuisse refert Petrus Diaconus in Chronico Casinensi lib. iv, cap. 42. « Cumque ad hostiæ confractionem venisset : partem ipse sumens, reliquam imperatori tradidit dicens : sicut pars ista vivifici corporis divisa est, ita divisus sit a regno Christi qui pactum istud rumpere ac violare tentaverit. » Sed et postquam captivus in tentoriis privilegium illud concessit, tædio affectus in eremi solitudinem secessit, moramque perpetuam ibi fecisset, si non Romani violentia coactum reduxissent, ut ait idem Sugerius. Wilelmus quoque Malmesburiensis lib. v, De gest. pontif. Angl., dicit multas a Romanæ Ecclesiæ ministris passum fuisse injurias, quia objiciebant illum sublimasse imperiali benedictione Henricum tyrannum, et sacrilego privilegio donasse. Addit præcipuos instigatores fuisse Guidonem vel Vidonem archiepiscopum Viennensem (qui postea papatum obtinuit) et Girardum Engolismensem, legatum in Aquitania ; qui duo cæteros coepiscopos irridebant ad exinanienda quæ Paschalis concesserat. Itaque non tam præcipiente quam connivente Paschali, habitum est postea Romæ concilium ut privilegium retractaretur. Non A igitur absque ratione Ivo refragabatur voluntati hujus archiepiscopi Lugdunensis satagentis concilio provinciali Gallicano dissolvi factum Paschalis. Timebat enim veranda papæ deridenda exponere, ut inquit epist. 237.

Verumtamen synodum in Galliis habitam fuisse monet idem Sugerius, cum scribit domini Ludovici designati suffragio, in Gallicanæ Ecclesiæ celebri concilio imperatorem tyrannum anathemate innodatum, et mucrone beati Petri perfossum. Deinde Gallos regno Theutonico applicantes, adversus illum commovisse partem regni maximam. Wilelmus quoque Malmesb. De gest. reg. Angl. lib. v, ait omnem Galliam ecclesiastici zeli vigorem intentasse in Henricum, nec dissimulasse exsecrari. Sed illi non exprimunt an privilegia investituræ a Paschali concessa Henrico, condemnata fuerint, an vero tantummodo vis illata pontifici.

Intestabilis magister navis. Ea est lectio omnium B nostrorum codicum. Attamen in annalibus ecclesiasticis quibus hæc epistola inseritur, depulsa vetere et sincera scriptura, substitutum est, *detestabilis.* Nihil mutari debuerat. Sallustius in Jug. : *improbus intestabilisque videtur.* Lepidus consul apud eumdem in lib. Histor. : *si pejor atque intestabilior fuerit.* Tacitus lib. xv Annal. : *incusat ultra intestabilem et consceleratum.* Nonnulli etiam ea parte depravarunt versum Marii Victoris lib. iii in Genesim. Nam ubi primitiva editio.

Ut taceam magici scelus intestabile monstri,

quomodo etiam habetur in manuscripto : contra subrogarunt, *magici scelus exsecrabile monstri.*

Sed et forsan formidas quod jura tui præsulatus annulari velimus. Hæc decem verba nunc primum reducta sunt auctoritate priscorum codicum, quia fugitiva deerant in prima editione. Nicæno autem concilio statutum erat sua privilegia singulis Ecclesiis servari debere, quam in rem multi canones C relati a Gratiano sub cau. 25, q. 2. Ivo etiam constanter retineri voluit, ut indicio est epist. 60, qua profitetur se nec velle nec debere cedere de tantillo jure suæ Ecclesiæ. Et epist. 61 dicit metropolitanæ sedis et coepiscoporum illius jura non esse usurpanda. Idem epist. 83 metropolitanum absque consensu singulorum **199** coepiscoporum, non debere quidquam moliri quod fiat injuria vel violentia dignitati episcoporum. Goffridus Vindocinensis abbas in epist. ad Ranulfum Sanctonensem episcopum : « Iterum, inquit, contra archiepiscopum qui in parochia vestra vobis inconsulto multa jam agit, et adhuc agere conatur, ex pharetra beati Julii papæ sagitta dirigitur hoc modo : Si quis metropolitanus episcopus, nisi quod ad suam solummodo propriam pertinet parochiam, sine consilio et voluntate omnium comprovincialium episcoporum aliquid agere in provincia tentaverit, gradus sui periculo subjacebit, et quod egerit, irritum habeatur et vacuum. » Chronologus D quoque Autissiodorensis ad annum Dom. 1081 refert defuncto Meldensi episcopo ab Hugone Diensi episcopo et apostolicæ sedis legato, apud eamdem urbem concilium habitum fuisse, et Robertum ecclesiæ Resbacensis abbatem ordinatum episcopum. Quod Richerius Senonensis archiepiscopus sine suo assensu et præsentia fieri indignans, Robertum excommunicavit, et alium episcopum ordinavit atque subrogavit. Sed et Glaber Rodulphus monachus Cluniacensis Hist. lib ii, cap. 4, ubi agit de monasterio Lucacensi exstructo a Fulcone comite Andegavensi, quod Hugo Turonum archipræsul in cujus diœcesi constitutum erat, sacrare distulit, nisi prius Fulco restitueret prædia et mancipia quæ injuste diripuerat matri ecclesiæ sedis sibi commissæ. Cumque Fulco Romam pergens multa auri copia obtinuisset a Joanne papa, ut misso Petro cardinali postulata Fulconis intrepide explerentur, addit verba sequentia : « Quod utique au-

dientes Galliarum quique præsules, præsumptionem A sacrilegam cognoverunt ex cæca cupiditate processisse, dum videlicet unus rapiens, alter raptum suscipiens, recens in Romana Ecclesia schisma creavissent. Universi etiam pariter detestantes, quoniam nimium indecens videbatur, ut is qui apostolicam regebat sedem apostolicum primitus ac canonicum transgrediebatur tenorem : cum insuper multiplici sit antiquitus auctoritate roboratum, ut non quispiam episcoporum in alterius diœcesi istud præsumat exercere nisi præsule, cujus fuerat, compellente seu permittente. » Et paulo post ita caput concludit : « Licet namque pontifex Romanæ Ecclesiæ ob dignitatem apostolicæ sedis cæteris in orbe constitutis reverentior habeatur, non tamen ei licet transgredi in aliquo canonici moderaminis tenorem. Sicut enim unusquisque orthodoxæ Ecclesiæ pontifex, ac sponsus propriæ sedis, uniformiter speciem gerit Salvatoris : ita generaliter nulli convenit quidpiam in alterius procaciter patrare episcopii B diœcesi.

Ex quo amicitiam et familiaritatem Lugdunensis ecclesiæ recuperasti. Hic locus argumento esse potest, jure censeri ad Daimbertum archiepiscopum Senonensem scriptam fuisse istam epistolam. Dissidium enim fuerat inter illum et Hugonem archiepiscopum Lugdunensem, quia Daimbertus ante consecrationem suam nolebat profiteri obedientiam Hugoni ; ideo Hugo impediebat illius consecrationem, ut indicant verba Ivonis epist. 60 et 65. Sed et fuerat contentio altera de primatu inter utrosque archiepiscopos, monente eodem Ivone epist. 50. Baronius autem postquam transcripsit et inseruit hanc Lugdunensis archiepiscopi epistolam suis annalibus, addit verba sequentia : » Ipse Ivo nihil respondisse reperitur, imo (quod in aliis hactenus non fecisset) adversarii epistolam perire nolens, cum suis consuit, ut cum eis perpetuo servaretur, indicans illam dignam memoria sempiterna. » Hæc ille, C sed aliis videtur studiosum aliquem post mortem Ivonis has potius collegisse epistolas.

AD EPIST. CCXXXVIII.

Semper fuit obnoxium. Quid obnoxium Latinis significet, notat Aulus Gellius lib. VII, cap. 17, et Ivo epist. 102 obnoxietatem accepit pro quadam specie servæ conditionis. Hic vero obnoxium nil aliud significat quam Gallorum spontaneum et propensum animum in amicitiam et favorem Romani pontificis. Cujus rei veritas ne altius repetatur, satis erit proferre aliquot exempla sæculi Ivoniani. Guibertus de Urbano secundo loquens : « Commeatum destinavit facere in Franciam, Apostolicæ nempe sedis pontificibus ab antiquo consuetudinarium fuit, si quam sint passi a finitima gente molestiam, auxilia semper expetere a Francis. » Sugerius abbas tribus locis id confirmat in Vita Ludovici Crassi. Refert enim hunc Paschalem secundum D propter conductitiam Romanorum perfidiam, venisse in Galliam, ut auxilium supplicaret a Philippo rege, ejusque filio Ludovico adversus Henricum quartum, cujus verba prolata in not. ad epist. 236. Idem de papa Gelasio loquens : « Ad tutelam et protectionem serenissimi regis Ludovici et Gallicanæ Ecclesiæ compassionem sicut antiquitus consueverunt, confugit. » Denique de Innocentio agens : « Tutum et approbatum elegit personæ et Ecclesiæ post domini defensionis asilum, regnum nobilissimum Francorum. » Sane ipsemet Sugerius dicit Francos qui nec tenti nec fide obligati erant, causam Ecclesiæ Romanæ et Paschalis papæ suscepisse adversus Henricum imperatorem, cujus verba prolata sunt in notis ad epist. 236. Gregorius autem septimus lib. VIII, epist. 20 ad Philippum Francorum regem scribens : « In hoc te tuæ salutis amicum sollicitumque demonstras, si apostolicam benevolentiam sicut Christianum regem decet, assequi et obtinere desideras. » Et in fine epistolæ : « Maxime enitere, ut beatum Petrum, in cujus potestate est tuum regnum et anima tua, qui te potest in cœlo et in terra ligare et absolvere, tibi facias debitorem. »

Clericos Tornacenses ad apostolicam sedem venisse petituros. Robertus de Monte in appendice Chronici Sigeberti ad annum Domini 1147 : « Ecclesia Tornacensis quæ per annos circiter 600 a tempore beati Medardi sub episcopo Noviomensi sine proprio fuerat sacerdote, hoc anno proprium episcopum cœpit habere. » Sic enim in vulgatis editionibus cusum est, sed alibi variatum est in numero annorum sexcentorum, ut scriptum a prisco et incerto auctore qui tempore Ivonis vixit, fuitque canonicus Lauduni clavati : « Idem Anselmus cum cœnobio Sancti Vincentii fere decem et septem annis præfuisset, et pro utilitate cœnobii cum germano suo domno Galtero ipsius loci monacho Romam profectus fuisset, a clericis Tornacensibus qui jam quadringentis annis proprio episcopo caruerant, mirabili eventu Deo ordinante ibi repertus, in episcopum eligitur, et a domno papa Eugenio invitus et reluctans, obedientiæ vinculo constrictus pontifex consecratur : sicque per eum Tornacensi Ecclesiæ antiqua dignitas restituitur, anno ab Incarnatione Domini 1145, dominica *Lætare Jerusalem*, rediens ergo a Roma, et cum magna processione Lauduni susceptus, nolens priores filios Vincentii monachos 200 relinquere orphanos, unum ex eis scilicet Balduinum ætate juvenem, sed moribus gravem loco suo abbatem eis constituit, et a domno Bartholomæo episcopo fecit ordinari ; sicque Tornacum ad regendum ovile sibi commissum tetendit. » Quod autem supra citatus Robertus dicit, a tempore beati Medardi Tornacenses caruisse proprio episcopo, id apertius fit Verbis Fortunati presbyteri antiqui scriptoris in Vita S. Medardi episcopi Noviomensis, cap. 18 : « Cum ergo ecclesiam, quam Noviomi construxerat, felicissime gubernaret, et suos quosque prout diximus, ad æternam remunerationem confortaret : sanctum Eleutherium, Tornacensis Ecclesiæ pontificem, quem ipse in infantia sua futurum esse prædixerat episcopum, hominem contigit exuere. Post cujus lugubres exsequias, cum de pontificis electione invicem dissererent, peracto triduano jejunio, et solemnibus hostiarum victimis Deo devote oblatis, subita sancti Spiritus inspiratione inflammati, unanimiter sanctum hunc pontificem Medardum elegerunt. Pontificali demum, metropolitani scilicet et comprovincialium suorum evictus auctoritate, regisque ac procerum assensu plebisque coactus incessabili acclamatione, vix consensit ; et unanimi pontificali videlicet ac regali auctoritate comprovincialium episcoporum, tempore Hormisdæ papæ, sub sancto Remigio, tunc temporis Rhemorum archiepiscopo, assensu regis et curialium ac utriusque plebis acclamatione tandem suscepit, et ut utrique ecclesiæ cathedralis semper honor maneret, benigne concessit. »

Quin possit sedes apostolica parochiarum amplitudinem minorare, aut brevitatem dilatare. In duobus v. c. *parochiarum multitudinem minorare.* Huc autem pertinet quod S. Innocentius in sua decretali epistola ad Alexandrum Antiochenum episcop. dicit, divisis imperiali judicio provinciis ut duæ metropoles fiant, et duo metropolitani episcopi debeant nominari : non tamen ad mobilitatem necessitatum mundanarum, Dei Ecclesiam commutari, honoresque aut divisiones perpeti quas pro suis causis faciendis duxerit imperator, qui locus habetur in cap. *Lege*, dist. 10. Sed et in concilio Carthag. II (relato in cap. *Felix*, cau. 16, q. 1) : « Placuit ut diœceses quæ nunquam episcopos habuerunt, non habeant, et quæ aliquando habuit, habeat proprium. » Gratianus in Argumento, cap. *Et temporis*, cau. 16, q. 1, adnotat posse papam duos episcopatus in unum redigere, et unum in duos

dividere, quo specta cap. *Quod translationem*, De officio legati. Vetus et ineditus auctor in libello manuscripto De tribulationibus et angustiis Majoris Monasterii, compositus ætate Ivonis, agens de privilegio quod illi monasterio concessit Urbanus secundus in concilio Claromontano, anno 1093, ut eximeretur a censura Turonensis archiepiscopi : « Dominus, inquit, papa imperato silentio erectus in pedes, coram omni concilio ex auctoritate apostolica et decretis pontificalibus concionatus est, licere sibi facere ex uno episcopatu duos, et ex duobus unum similiter,et abbatias cæterasque congregationes dictancte ratione æquitatis, quolibet modo sibi melius videretur, aut coadunare posset aut disjungere,et quidquid in dominium et patrimonium sanctæ Romanæ Ecclesiæ suscipere vellet,nullus ejus auctoritati obviare posset. Quæ et a prædecessoribus suis facta ostendit, et ipse in præsenti concilio nullo contradicente fecit. Dum ergo tali ratiocinio vere sapientissimus papa omnium ora conclusisset, ex auctoritate Dei, et beati Petri apostoli omniumque apostolicorum et sua, nodo indissolubili firmavit, et auctorzavit privilegium nostrum, satisfaciens omnibus præter quos invidiæ et iracundiæ furor exagitabat,quia talem qualem prælibavimus,faciendi quod vellet haberet potestatem.» Theodorus Balsamo ad finem cap. 16 synodi Carthaginensis,tradit in potestate imperatoris fuisse episcopatus in metropoles erigere, et a suis metropolibus alienare, et de novo episcopos et metropolitanos constituere : quia nec canonibus nec legibus subjicitur. Quæ pariter repetit in interpretatione can. 38 synodi sextæ in Trullo; quo dicitur ordo ecclesiasticus consequi civiles ac publicos typos, ubi per typos accepit jussa imperatoris, quæ etiam scribit ad can. 12 Chalced. synodi. His conjungi debet Novella Justiniani de privilegiis archiepiscopi Justinianæ primæ, et quæ collegit Burchardus Decreti cap. 33 et 34 ex concilio Toletano 13, cap. 4, et ipse Ivo decreti parte quinta cap. 144, cujus quidem concili auctoritate definitum fuit irritum esse Wambæ Hispanorum, vel ut alii legunt, Gallorum regis factum, qui contra canones in villulis novam episcopo sedem erexerat. Episcopi enim non debent constitui in castellis nec modicis civitatibus ac vicis, ne vilescat nomen episcopi., can. *Episcopi,* cum seqq. distinct. 80.

AD EPIST. CCXLI.

Comes per hominium suum vos cogit. Antea cudebatur, *per domnum suum.* Variat scriptura in aliis codicibus. Habent enim, *per hominem suum*, ut codex.S.Germ.Utrumque mendosum est. Restitui igitur *per hominium suum*,quomodo exhibent membranæ regiæ bibliothecæ : et sane sensus arguit eo modo legi oportere. Jam autem supra epist. 208 hominii nomine usus est, de quo verbo Hotomanus in commentariis feudorum. Vetustiores autem dicebant homagium, quod indicant verba Alberti Krantii Wandaliæ lib. III, cap.39:» Apud Cæsarem immenso auro in satisfactionem et hominio, quod nunc vocant homagium, præstito immunitatem coemit. » Alio significatu quam solet in materia feudorum, videretur sumi a Roberto monacho Histor. lib. II : « Requisivit a nostris ut sibi principes exercitus facerent hominium, id est securitatem pacis, et ipse conduceret eos per desertas regiones quas ingressuri erant, » et paulo post : « Fecerunt igitur ei cum sacramento hominium tali conditione, ut tandiu duraret quandiu ipse perseverasset in sacramento suo et promissione. »

Hoc et Julius papa Sic ex v. c. antea cusum *Julianus.*

Vel cincti judicis sententiæ subjiciatur. Nunc primum hic locus suo litori restituitur,nam antea editum, *vel laici judicis*, quod licet probari et retineri possit, maxime cum quidam alii prisci codices tali lectioni astipulentur: tamen indubium est id a glossographi manu hactenus irrepsisse. Voluit enim interpretari qui significaret vox *cincti* : quæ quod minus protrita et vulgaris erat, facile potuit degenerare ac mutari. *Cincti* autem plane legitur in antiquis menbranis regiæ bibliothecæ, item Thuani, Servini et Fabri, eamque lectionem confirmant argumenta epistolarum quæ præfiguntur initio veterum librorum. « Quod apostolico judicio decisum est non esse retractandum, nec de causis ecclesiasticis a cincto judice **201** judicandum.» Ubi in v. c. Servini legitur *accincto.* Parili nævo deturpatus fuerat locus ejusdem Ivonis epist. 237, ubi restitui fide prisca, « Faciant hæc cincti judices qui ad malorum vindictam gladium materialem portant.» Pro *cincti*, superior editio ibi referebat *cuncti.* Sylvester papa in suis decretis : « Nemo clericus, vel diaconus, vel presbyter propter quamlibet causam intret curiam, nec ante judicem cinctum causam dicere præsumat, quoniam omnis curia a cruore dicitur et immolatione simulacrorum. » Sic enim citatur ille locus a prisco auctore in libro De unitate Ecclesiæ conservanda, et ab ipomet Ivone Decreti parte VI, cap. 334. Sed apud Gratianum in can. *Nullus clericus* cau. 11, q. 2, ubi pars eorum verborum relata est vetus et elegantior scriptura passim mutata fuit : nam pro *cinctum*, subrogarunt male *civilem.* Cinctorum autem appellatione intelligebantur laici potestatem consecuti; itaque lusit in ea voce Sidonius Apollinaris lib. V, epist. 7 ad Thaumastum : « Hi sunt qui invident reverentiam clericis, originem nobilibus, concessum prioribus congressum æqualibus, cinctis jura, distinctis privilegia. » Quæ verba ut pluscula alia consequentia ejusdem epistolæ perperam tributa sunt a neotericis autoribus Catologi testium veritatis, Hildeberto Cenomanensi episcopo, sive etiam archiepiscopo Turonensi ; qui quidem fragmentum illud evulgarunt tanquam novum,necdum antea in lucem editum : imo etiam supposito nomine Romanorum, initio dicti fragmenti præfixerunt : « Romani sunt quos timent et timentur. » Quæ res fucum fecit napero historico, alioquin valde diligenti et erudito, qui cum id hausisset ex turbidis rivulis, non animadvertit particulam esse epistolæ Sidonii,qui longe antiquior fuit Hildeberto. Neque vero stylus Hildeberti convenit.Adhuc in iisdem catalogis parilii errore cuditur, *cunctis jura*, pro, *cinctis.* Illemet Sidonius lib. I, epist. 7 : *Prius cinctus custodia quam potestate discinctus.* In Constitutionibus imperatorum crebra mentio fit cinguli administratorum. Cassiodorus in istud psal. XXIX : *Præcinxisti me lætitia,* « Perpende verbum, inquit, præcinxisti. Cingulum significat quod ad judicis pertinet dignitatem.Nam cuncta potestas in ipso vocabulo noscitur constituta. Sic enim cinctum dicimus judicem quando ejus fasces honoresque declaramus. « S.Augustinus lib. De verbis Domini, tract. 19, et refertur in cap. *Militare.* cau. 23 q.1 : « Non enim de his tantum militibus Scriptura loquitur,qui armata militia detinentur : sed quisquis milititiæ suæ cingulo utitur dignitatis suæ miles ascribitur. Atque ideo hæc sententia potest dici, verbi gratia, militibus, protectoribus, cunctisque rectoribus. » Marcellus papa in cap. *Nullus*, cau. 11, q. 1 « Magistratus qui hoc jubere ausus fuerit amissione rerum et cinguli plectetur.»Eorum exemplo clerici sibi vindicarunt cingulum honoris et militiæ cœlestis, quod ad hanc emendationem nihil pertinet.

AD EPIST. CCXLII.

Quos potius contra. Verba sequentia addita sunt ex v. c. quæ antea desiderabantur.

Fœdus nuptiarum vitiaverit. In uno v. c.Pith. *initiaverit.* Fortasse non male, nam et dixit infra epist. 245 : « Duxisti uxorem quod lex naturæ initiavit. »

AD EPIST. CCXLIV.

Et in statum rectitudinis justitiæ lance reformari.

Sic Vulgata editio, quam firmant plerique vett. codd. Auctor epist. 24 : « Perversorum temeritas et audacia rectitudinis statum labefactare conatur,» et epist. 26 : « Ne te a rectitudinis tuæ statu dejiciat.» In uno autem vetusto exemplari nempe regio, legitur aliter, *et in statera rectitudinis*. Ac fortasse respicere videtur ad hæc verba sancti Gregorii Moralium lib. xx, parte iv, cap. 6, quæ etiam referuntur in can. 10, dist. 45 : « Omnis qui recte judicat, stateram in manu gestat in utroque penso justitiam et misericordiam portat, ut justo libramine quædam per æquitatem corrigat, quædam vero per misericordiam indulgeat. »

Ad Epist. CCXLVII.

Faciant hæc cincti judices qui ad malorum vindictam gladium materialem portant. Latebat hic vitium quod sine ope priscarum membranarum facile deprehendi non poterat. Vulgata enim lectio habebat, *cuncti judices*, ut etiam nonulli prisci codices. Sed cum in tribus manuscriptis perspicue legatur, *cincti judices*, nulla amplius dubitatio est quin multo rectius id sit, huic scripturæ accedunt variæ lectiones. Unus codex habet *accincti*, alter *succincti*. Tertius *xcinti*, quod postremum exhibet vetus liber S. Victoris. Emendationem vero palam confirmat locus epist. 241 : « Vel cincti judicis sententiæ subjiciatur, ubi pro *cincti*, hactenus legebatur *laici*. »

Officii quod postposuimus Ita restitutum ope v. c. Antea eusum, *quod proposuimus*. In uno v. c., *quod posuimus*.

Capite deorsum posito, et pedibus erectis thymelicorum incessum imitabimur. Alias in v. c. *temilicorum*, sed exemplari Servini aliter legitur *temulentorum*, quod videri potest fluxisse a manu prisci glossographi, cui incognita vox *tymelicorum*, qui erant scenici artifices. Ex vestigiis atramenti paulo recentioribus non obscurum est in dicto exemplari Servini primitus scriptum fuisse, *tymelicorum*, sed postea interpolatam scripturam. Simili autem sensu dixit S. Augustinus in cap. 3, cau. 32 q. 6 : « Ubi melius vivit mulier quam vir, capite deorsum pendet domus. »

Ad Epist. CCL.

In oculis apostolicæ majestatis. Solus codex Serv. habet, *in oculis divinæ majestatis*, sed minus apte. Solet enim auctor dicere apostolicam majestatem, sive majestatem papæ, ut epist. 8. 147, 157, 159, 201, 238, quemadmodum etiam alii coævi scriptores. Joannes Salesberiensis Polic. lib. vii, cap. 21 : « Nec ego apostolicæ majestati et regiæ arbitror reluctandum. » S. Bernardus epist. 268 ad papam Eugenium : « Alii vereantur majestatem in vobis, et tremulis labiis ac digitis quod ad rem pertinet, vix ad id unquam longis ambagibus anfractibusque perveniant. Sic Arnulfus episcopus Lexoviensis scribens ad papam Adrianum tribuit illi *majestatem* epist. 8, ut et Alexandro papæ epist. 26, 27, 45, 64, qui *majestatis apostolicæ fastigium* vocat epist. 21. Idem Arnulfus appellat *majestatem archiepiscopi* epist. 15, et *cardinalis* epist. 65.

Sed non sunt. Alias, *si non sint.*

Pulso ad thronum justitiæ ; cum ratio exigit, cum pia præsumptione pulso ad. Hac omnia verba adjecta sunt fide et consensu manuscriptorum, quæ antea deerant.

Post mortem bonnæ memoriæ Anselmi achiepiscopi Cantuariensis, Ecclesia pastore viduata. Locus hic illustrandus est verbis Willielmi Malmesburiensis lib. i De gestis pontificum Anglorum : « Postquam venerandæ memoriæ Anselmns lutei **202** corporis nodos evadens, huic vitæ valefecit, vacavit archiepiscopatus pleno quinquiennio. Hoc toto spatio cum rex (*intelligit Henricum primum*) admoneretur ut matris suæ Ecclesiæ viduitati consuleret, mitti responso differebat : optimos fuisse archiepiscopos quos pater fraterque misissent : se nolle a parentum felicitate degenerare. Quorcica magno scrutinio debere agitari A consilium, ut cum poneret archiepiscoporum, qui vel æquis passibus virtutum antecessores suos consequeretur, vel æmularetur proximis.» Et paulo post agens de Radulfo Rofensi, cujus mentio fit hac Ivonis epistola, refert ab electoribus dictum fuisse : « Dicatur quod nullius vulneret conscientiam. Satis superque alienæ gentis homines fuisse archiepiscopos : abundare patriæ linguæ viros, qui referant Lanfrancum scientia, religione Anselmum exhibeant, pannis utrumque. Esse Radulfum Roffensem episcopum, qui fama æquet antiquos, humuli affabilitate vincat et veteres et novos. Si genus explores, spectabili Normannorum prosapia oriundum : si vitam inquiras, nulla etiam infamia perstrictum. Solum esse cujus religionem nec livor carpere possit quod discreta sit. Si scientiarum litterarum rimeris, totas exhausit Athenas : si eloquentiam exigas, melleo quodam lapsu ex ejus ore fluit oratio : cui accedit genialis soli, id est Cænomanici, accuratus et quasi deB pexus sermo. Hæc meruerunt suffragia, ut continuo mutata sententia rex in eorum voluntatem transiret. Actum quinto die post exactum quinquennium a morte Anselmi. Radulphus apud Sagium, quæ est abbatia Normanniæ, primo adolescentiæ flore monachum se devoverat, coalescentibusque virtutum incrementis primo subprior, mox prior, postremo abbas fuerat, etc.» Idem paulo post addit de ejus obitu a paralysi : « Obiit xii Kalendas Novembris, anno ix patriarchatus, Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo vicesimo secundo. Hunc habuit finem Rodolfus religione impar nulli, peritia litterarum magnifice pollens, affabilitate certe facile omnium primus. Qui fortunarum amplitudine nihil plus acquisierit, nisi ut plus benefacere posset quibus vellet. Quanquam ad æstimationem vulgi tan tum ejus decedebat gloriæ, quantum accedebat fortunæ. Cæterum nullius delicti suspicione vel levi notabilis, nisi quod ad risus et jocos inclinatior erat, C quam vel dignitatis vel gradus interesse videretur. Sed quæcunque faciebat bono utique animo vir ille faciebat, de quo quidquam sinistrum suspicari, contra religionem est niti. » Hæc ille.

Obnixe postulantes. Ita meliores codices, ut epist. 141 *obnixe rogo*, et epist. 271 *obnixe precamur*, in quibusdam est, *obnoxie post*, quod non apte quadrat, non enim pallium istud episcopis concedi moris erat, nisi summis precibus a summo pontifice peteretur. Itaque quod hic auctor dixit *obnixe postulare*, alii dicunt *fortiter et instanter*, ut S. Gregorius primus lib. vii, epist. 5 : « Prisca consuetudo retinuit, ut honor palli nisi exigentibus meritis causarum, et fortiter postulanti dari non debeat.» Vetus auctor rituum ecclesiasticorum sive sacrarum cerimonialium SS. Romanæ Ecclesiæ, lib. i, sectione 10, cap. 5, testis est illum cui concedebatur pallium, his usum verbis : « Ego N. electus ecclesiæ N. instanter, instantius et instantissime peto mihi tradi et assiD gnari pallium de corpore beati Petri sumptum, in quo est plenitudo pontificalis officii. Hæc ille, ubi multa de usu pallii commemorat; atque inter cætera refert, in lege gratiæ antiquum esse illud Ephod (id est pallium) quod a Lino post Petrum secundo Romano pontifice institutum, et in singularis potestatis privilegium nostris præsulibus datum fuit. Rupertus Tuitiensis lib. i De div. offic. c. 27 scribit Maternum a beato apostolo Petro missum Treverensi ecclesiæ hæreditatem pallii suis successoribus dereliquisse. Videtur autem nonnullis hic mos potius acceptus a verbis Agnelli episcopi Ravennatis, qui refert imperatorem Valentinianum subjecisse episcopo Ravennatensi quatuordecim civitatum episcopos, atque eum adornasse pallio confecto ex lana candida quo soli imperatores tunc temporis utebantur.

Dignitatem ei pallii concedatis. Gregorius papa septimus regesti lib. i, epist. 24 ad Brunonem Vero-

mensem episcopum, dicit antecessorem decreto nisi præsenti personæ non esse concedentum pallium. Itaque monet illum Romam veniat, ut illud accipiat. Urbanus papa secundus apud Platinam, scribens archiepiscopo Mediolanensi: « Litteris tuis exorati, inquit, cum apostolicæ sedis benedictione pallium fraternitati tuæ mittimus, quod quidem dignitatis genus nulli ante te, nisi præsenti, concessum est. » Sed jam longe antea etiam absenti, nec petenti datum fuisse indicant verba Gregorii papæ primi lib. VII, epist. 5 ad Brunechildam reginam: « Extra hoc autem quia ab eo qui uti desiderat, directa ad nos hoc sibi largiri speciali petitione non poposcerat, et ante causam nullo modo præbere sine ejus postulatione debuimus: maxime quia et prisca consuetudo retinuit, ut honor pallii nisi exigentibus meritis causarum, et fortiter postulanti dari non debeat: nos tamen, » etc. Glaber quoque Rodulphus Hist. lib. V, cap. 5, ubi agit de dissensione Lugdunensis præsulatus, refert pontificem Romanum misisse Odiloni abbati Cluniacensi pallium et annulum, et imperasse ut fieret Lugdunensis archiepiscopus: quod tamen vir religiosus suæ humilitatis propositum attendens omnimodis renuit, pallium et annulum reservans futuro pontifici. Cæterum huic Radulpho Roffensi archiepiscopo Cantuariensi Paschalis papa secundus misit pallium per legatum Anselmum, nepotem ex sorore sancti Anselmi archiepiscopi decessoris, ut refert Willielmus Malmesbur. lib. I De gest. pontif. Anglor. Illud notandum, veteres tanti fecisse dignitatem hujus rei, ut S. Bernardus Clar. in epist. 246 ad papam Eugenium scripserit, se tolerabilius habuisse sibi interdici missarum celebrationem quam Bituricensi archiepiscopo usum pallii.

AD EPIST. CCLIII.

Miserias suas et angustias quibus a violatoribus pacis vexatur. Quod hic scribit Ivo, lucem et interpretationem mutuatur a verbis Nicolai monachi in Vita hujusce Godefridi Ambianensis episcopi lib. II, cap. 30, 31, 34, et lib. III, cap. 2, 3, 4, 5. Cujus verba diffusiora in compendium redigo. Cum hic episcopus peregre profectus reverteretur Ambianum, secum duxerat Adamum ejus civitatis principem, ac tunc militum præsidio destitutum. Cumque Adamus moneret aliud iter esse capescendum, quia sibi metuebat ab hoste atrocissimo Guermundo Pinquinaci vicedomino, responderat episcopus comitem securum esse debere, quia Guermundus sancte nuper juraverat se pacem bona fide servaturum, honoremque habiturum episcopo suo temporali domino. Forte mox accidit ut Guermundus multo stipatus equitatu viantibus occurreret, et confestim viso Adamo districtis ensibus illum appeteret, equo deturbaret. Id cernens episcopus, ab equo desilit, toto
203 corpore super Adamum incumbit, porrigit jugulum, et exclamat, quibus furiis impulsus Guermundus se præsente tale facinus audeat; quin etiam cervicem objicit, precatus ne quid moliatur adversus Adamum. Territis episcopi comitibus et fugientibus, Adamus, injectis catenis Pinquiniacum abducitur; quem episcopus flens et ejulans, comamque vellens, solus sequitur, se ejus proditorem, tantæque calamitatis auctorem clamitans. Ubi Pinquiniacum ventum est, cæteris intromissis episcopus stare foris cogitur. Redit igitur ad civitatem, rem refert clero et populo, captivitatem domini sui Adami, et injuriam præsulis deploranti. Itaque episcopus plectit anathemate Guermundum, et ecclesias regionis infidi domini claudi jubet. Inde crebræ vastationes agrorum, pagorum depopulationes, et templorum incendia; quibus mire afflictus episcopus miserum se dicebat qui in ea tempora incidisset. Nec flecti poterat Guermundus ut Adamum captivum dimitteret, quamvis intercedente rege, regnique principibus. Tandem episcopus putans nova humilitate se molliturum duritiem cordis insani subditi regente hieme cilicio indutus, nudis pedibus iterum venit Pinquiniacum, A et medio foro humi prostratus, pedes tyranni amplexus, lacrymans precabatur ut Adamum suum rediret. Sed ille ignominiose repellit episcopum, injuriis affectum et irrisum. Hæc igitur ratio est, cur Ivo obnixe rogat Ludovicum regem, ut lacrymabiles Godefridi conquestiones audiat, quo postea distringat gladium in vindictam malorum, qui pacem impune violaverant.

Faciat itaque gladius regalis officium suum ad vindictam malorum. Sugerius in Vita Ludovici Crassi, agens de illius coronatione: « abjectoque sæcularis militiæ gladio, ecclesiastico ad vindictam malefatorum eum accingens diademate regni gratanter coronavit. » Eleganter Hildebertus Cenomanensis episcopus in epist. ad H. Sagiensem episcopum, de duplici gladio loquens: « Apte profecto inventus est uterque apud discipulos Christi, quia alhuc uterque ostenditur in membris corporis Christi. Membrum enim Christi, rex; membrum Christi B sacerdos. Scienti loquor, nosti gladium regis, nosti gladium sacerdotis. Gladius regis, censura curiæ: gladius sacerdotis, ecclesiasticæ rigor disciplinæ. Hoc evangelistam figurasse legisti dicentem: Domine, ecce gladii duo hic. Si esset qui in gladio regni liberaret me; non peteretur educi gladius sacerdotii propter me. Cæterum vides quia jam potestas sine causa gladium portat: in vagina conditus est, pellibus mortuorum animalium tectus est. In Christum Malchus, in vasa templi Balthasar impune manus extendit. Nemo est quem zelus domus Domini comedat: nemo est qui cum Moyse minetur et dicat: inebriabo sagittas meas sanguine, et gladius meus devorabit carnes, » etc.

AD EPIST. CCLIV.

Qui nunc tandem impetravit a principe suo rege Anglorum, ut posset in propria persona. Tunc temporis non licebat antistitibus Anglicis Romuleam urbem proficisci, nisi prius licentia petita a rege. C Cujus rei ratio redditus a nonnullis, quia verebantur principes ne si, libere regni fines subditi emigrarent, sub alieno cœlo mutarent animos, et ab exteris depravati multa innovarent contra receptas patriæ leges. Willielmus Malmesburiensis De gestis pontif. Anglor. lib. I de Anselmo Cantuariensi archiepiscopo agens, « Hæc, ait, communicaturus cum papa, rogavit licentiam peragendi Romam, bis terque frustra. Intelligo enim, aiebat rex, licentiam interdicendam, cum eum nullo gravi peccato sciam onerari, cujus a Roma petat absolutionem, nec egere illius loci consilio, cum ei nullius scientiæ, desit copia. Magis certe dixerim, Urbanum Anselmi cedere sapientiæ, quam Anselmum Urbano indigere. Quod si pertinacius cœptis institerit, omnem archiepiscopatum in meum fiscum redigam. Transgreditur enim promissa sua, quibus fidem suam astrinxit omnes consuetudines servaturum regni mei. Insolitum est quippe mihi, ut quisquam procerum meorum eat Romam, nisi meo potissimum missu. » Inter arti- D culos sive constitutionis capita quæ proponebantur ab Anglorum rege Thomæ archiepiscopo Cantuariensi: istud numeratur ab Eduardo in illius Vita cap. 6. « Quod non liceat archiepiscopo et episcopo exire de regno, et venire ad vocationem domini papæ sine licentia regis. » Sane idem olim observari solitum in regno Francorum facile colligitur ex epistola Hincmari archiepiscopi Remensis ad Adrianum papam II: « De eo quod pusillitati meæ vestra rescripsit sublimitas, ut eumdem Hincmarum (intelligit Laudunensem episcopum nepotem) et alios tres episcopos omnium episcoporum regni domini Caroli vicem ferentes, ad synodum Romam mitterem; vestra sciat auctoritas, quia nec prædictum Hincmarum, nec etiam quemlibet episcopum diœceseos Remorum, minime autem aliarum provinciarum episcopos, nisi dominus rex præceperit, Romam vel in aliquam partem mea commendatione mittendi habeo potestatem, nec ipse ego ultra fines regni sui

absque illius scientia progredi valeo, sicut missis vestræ sanctitas coram Odone venerabili episcopo, et Ansegiso religioso presbytero et abbate, quibus nostræ causæ sunt cognitæ, dixi, « Gregorius autem septimus reprehendit regem Anglorum, qui vetabat antistites Ecclesiarum sui regni Romam proficisci. Sic enim lib. VII, epist. 1 ad Hubertum Romanæ Ecclesiæ subdiaconum. « Multa sunt unde sancta Romana Ecclesia adversus eum queri potest: nemo enim omnium regum etiam paganorum, contra apostolicam sedem hoc præsumit tentare quod is non erubuit facere, scilicet ut episcopos, archiepiscopos ab apostolorum liminibus ullus tam irreverentis et impudentis animi prohiberet. Unde volumus ut eum nostra vice prudentia tua studeat admonere, quatenus honorem quem sibi a subditis suis graviter ferret non exhiberi, sanctæ Romanæ Ecclesiæ non tantopere laboret imminuere, et debitas gratias agendo gratiam beati Petri procuret acquirere. »

In propria persona sedem apostolicam visitare. Hujusce moris tenax fuit Gregorius septimus. Nam lib. VI, epist. 30 ad Lanfrancum Cantuariorum archiepiscopum, dicit se stupere ac minari, cur ex illo tempore quo papa factus est, ad illum proficisci non multum curaverit. Non enim debuisse metu regis Anglici, aut cujusdam personæ superstitioso amore a conspectu papæ retrahi. «Quatenus, inquit, de his et aliis negotiis præsentialiter conferre, atque utilitas Ecclesiæ de nostro colloquio augmentum valeat, Deo fervente, percipere. » Et lib. IX, epist. 20 ad eumdem Lanfrancum) sic enim suppleri potest lacuna editionis vulgatæ) arguit illum quod licet sæpe apostolica legatione fuisset invitatus Romam venire, etiam pro fidei et religionis Christianæ comprobatione, tamen aut superbe negligenter abusus patientia **204** Gregorii distulisset, nec etiam canonicam excusationem prætendisset. «Non enim, ait, labor aut difficultas itineris te sufficienter excusat, cum satis notum sit multos longe remotos, licet corpore invalidos et infirmos, et a lectulis vix valentes surgere, tamen beati Petri amore flagrantes ad ejus limina vehiculis, properare. » Demum minatur ab omni officio episcopali suspendendum fore, nisi postposita occasione vel inani formidine, infra quatuor menses inobedientiæ reatum emendare non ulterius negligat. Sed et lib. IX, epist. 1 irascitur W...(*a*) Rhotomagensi archiepiscopo, quia apostolorum limina visere tanto tempore parvipendisset, cum ab ipsis mundi finibus gentes noviter conversæ ad fidem, annue ad illa venirent. Imo quoque legatos papæ qui propius erant, audire non multum curaret: quoque dignitatis præclarius insigne, pallium, ab apostolica sede pro more acquirere postponeret. Demum concludit, nisi culpam emendet, cariturum jure ordinationis et consecrationis.

AD EPIST. CCLV.

Unctionem vero quam semel accepisti, non æstimo repetendam. Ejusdem sententiæ fuit Goffridus abbas Vindocinensis, cujus est epistola in manuscripto exemplari. « Ivoni Carnotensi præsulit frater Goffridus salutem a Domino, et a se debitæ servitium. Sicut consuetudines monachorum beati Benedicti regulæ concordantes laudamus: sic eas quas sanctus Benedictus nec docet nec præcipit, et quæ a ratione penitus discrepare videntur, laudare non possumus. Sunt enim quædam apud monachos institutiones quas ratio nullatenus admittit, nec sanctorum quilibet Patrum invenit, sed insipientium consuetudo hominum instituit; has in monasteriis quidem monachi sibi pro lege vindicant: et cum Christus dixerit, ego sum veritas, nec dixerit, ego sum consuetudo; pro sua tamen consuetudine legem veritatis immutant. Et ut cætera taceamus, in hoc ut nobis videtur, non mediocriter errant, quod unctionem infirmorum cum a sancta catholica et apostolica sede sacramentum vocetur, et cum nullum sacramentum iterari debeat, iterandam putant. Unctionis utique sacramentum beatus Innocentius papa adeo magnum dicit, quod pœnitentibus, quibus cætera sacramenta negantur, nulla ratione putatur posse concedi. Quid tamen super hoc magnitudo vestræ discretionis sentiat, et quid tenendum doceat, scire desideramus: quia quamvis ista et ratione et auctoritate esse vera non dubitemus, eo tamen vestræ auctoritatis decreto firmari volumus et rogamus. » In eodem exemplari subjicitur postrema pars hujusce epistolæ Ivonis. Alio loco illemet Goffridus De sacramenti iteratione sic scribit: « Ibi reiteratur sacramentum ubi idipsum iterum datur, quasi quod prius datum est, postea posse dari credatur. Verbi gratia, si aliquis baptizatus, iterum in aquis baptismatis mergeretur ea intentione ut ab originali et aliis peccatis solveretur. Aliter enim non rebaptizatur, etiamsi multoties aliquis aquis baptismatis submergatur. Ubi vero propter aliud et aliud datur, non iteratur sacramentum, sed tribuitur ad virtutis argumentum. Quamvis enim prius in vertice et postea in fronte homo chrismate ungatur, non tamen iteratur chrismatis sacramentum: quia, ut supradiximus, propter aliud et aliud fit. Sicut et baptismus minime iteratur, etiamsi multoties post baptismum aquis baptismatis aspergamur. Inunctio infirmorum, magnum sacramentum est, et ideo nulla est ratione iterandum. Sicut enim cætera sacramenta per apostolos Christiana religio suscepisse creditur, ita et istud suscepisse ab apostolica traditione minime dubitatur. Omne autem sacramentum a Spiritu sancto per doctores sanctos, in quibus ipse loquitur, iterari prohibetur, et idcirco videlicet ne medicina sancta vilesceret, et minus utilis esset: quæ tanto magis salubrius est quanto minus contemptibilis invenitur. »

AD EPIST. CCLVIII.

Trecis ab eodem legato concilium celebratum est. Hujus rei meminit auctor epist. 141, et Nicolaus monachus Suessionensis in Vita S. Godefridi episcopi Ambianensis lib. I, cap 30: « Eo tempore Richardus cardinalis, et apostolicæ sedis legatus, apud Trecenses celeberrimum habuit conventum episcoporum, abbatum, et Galliæ procerum. » Diversum est concilium apud easdem Trecas habitum a Paschali papa, de quo supra epist. 176..

AD EPIST. CCLXIII.

Si laicorum pedibus colla supponatis. Goffridus Vindocin. abbas in epist. ad Gaufridum Carnotens. episcop. agens de lite Ecclesiæ suæ cum comitissa Vindocinensi: « Omnino enim justum est, et sacris canonibus, sicut ipse melius nostis, penitus obviare videtur, ut ecclesiastica causa sæculari et peregrino judicio terminetur, et quod vos et vestros facere decet, aliis etiam ecclesiasticis personis concedatur. Hoc si fieri posset, Ecclesia vestra damnum pateretur, et sui juris et honoris perderet plurimum. Ecclesiæ etenim vestræ gloriam alteri dare, nec sanctitatis genus, nec religionis membrum. Hoc etiam bene nostis, dilectissime, quod sæculares homines sua consuetudine sanctæ Ecclesiæ auctoritatem conantur annullare: et cum eis in modico occasio cujuslibet consuetudinis contra ecclesiastica jura conceditur, hoc deinceps omni tempore sibi vindicare nituntur. Si quis hoc facit contra suam Ecclesiam, mundialem suscitat rixam: et cum aliquando aliter facere voluerit, sæcularis tempestas non patitur. » Idem ad Calixtum papam: « Quando vero Ecclesia sæculari potestati subjicitur, quæ ante domina erat, ancilla efficitur, et quam Christus Dominus dictavit in cruce, et quasi propriis manibus de sanguine suo scripsit chartam libertatis amittit. »

AD EPIST. CCLXVI.

Cononi Dei gratia Prænestino episcopo. Ita habent

(*a*) Fortasse legendum *Willelmo*.

meliores codices ; ad eumdem scribit tres alias epistolas. In ejus nomine non semel erratum,ut in vulgato Chronico Roberti de Monte qui continuator est Sigeberti. « In civitate Belvacensi, ait, a Conone sedis apostolicæ legato concilium celebratur. » Pro *Canone*, editum,*canonice*. Confirmat locus Nic. monachi in Vita S. Godefridi episcopi Ambianensis lib. III, cap.9 : « Interim Conon cardinalis, pontificis maximi legatus, et Radulphus Remorum archiepiscopus apud Bellovacum synodum celebrant. » Hujus etiam meminit Sugerius lib.De vita Ludovici Crassi, cujus loci verba quia sunt corrupta in Vulgata editione, hic proponentur castigatiora. Agens autem de Thoma Marna homine perditissimo, qui pagum Laudunensem, Remensem et Ambianensem diabolo ei prosperante (ut loquitur) dilapidaverat, subdit. « Cujus intolerabili fatigata molestia cum sederet Belvaci generali conventu Gallicana Ecclesia, ut in hostes veri sponsi Jesu Christi, hic etiam judicii primordia,et damnativam incipiat promulgare sententiam,venerabilis sanctæ Romanæ Ecclesiæ legatus Cono Prænestinus episcopus, innumerarum pulsatus molestia querelarum, Ecclesiarum, pauperum, et orphanorum, devexationum tyrannidem mucrone beati Petri, anathemate scilicet generali detruncans, cingulum militarem ei, licet absenti, decingit ab omni honore, tanquam sceleratum, infamatum, Christiani nominis inimicum, omnium judicio deponit. » Ibi cusum est *Beliaci*, pro *Belvaci* : et *Ceneprestinus*, pro *Cono Prænestinus*. In Chronico abbatis Urspergensis ad annum Dom. 1116 et 1119 appellatur Cuno : ubi adjicitur illum excommunicationis suæ sententiam in Henricum imperatorem dictasse Jerosolymis, et postea in Græcia, Ungaria, Saxonia, Lotharingia, Francia quinque conciliis confirmasse. Vetus chronologus Autissiodorense. **205** « Anno Domini 1115 tria concilia celebrata sunt in Gallias a Conone sedis apostolicæ legato, primum Remis, secundum Belvaci, tertium Catalauni. » Quæ verba pertinent etiam ad illustrationem loci epistolæ Guidonis archiepisc. Viennensis prolatæ infra in notis epist. 236. Exstant Goffridi Vindocinensis abbatis epistolæ inscriptæ Cononi, vitæ laudabilis episcopo,sanctæ apostolicæ sedis legato. Willielmus autem Malmesburiensis lib. I De gest. pontif. Angl. scribit hunc Cononem, cum legatione fungeretur in Galliis,non fuisse facilem cujus verba prolata ad epistolam 273.

Et terræ patris sui injuste divinum officium interdictum esse. Hujus pœnæ exempla in epistolis Goffridi. Nam scribens Ivoni Carnotens. episcop. : « Gratias agimus quod comitem Vindocinensem pro causa nostra ad rationem mitti fecistis,et quia quod inique gesserat corrigere neglexit, ejus castello et castelli banleugæ (*a*) divinum officium abstulistis. » Et post pauca rationem hujus pœnæ explicat : « Unum tamen utile nobis, imo valde necessarium esset : pro quo vobis tanquam patri filii humiliter supplicamus : quatenus genus pietatis quo pastor Ecclesiæ cum necessitas exigit, impius pro domino fieri debet(genus enim pietatis est ut beatus Hieronymus dicit, impium fieri pro domino) ita in comitem et in omnem terram ipsius, zelus vestræ rectitudinis propagaret,totum videlicet cujus comitatum a divinis officiis segregans,et ipsum districtioris justitiæ vinculis alligans, ut universa plebs quæ nostram injuriam, et ejus malitiam non ignorat, et cui illius iniquitas multum displicet,nec major justitia displiceret, hinc occasione accepta proclamaret in eum : et sic, quoniam Dei amore ab injusta actione spontaneus non vult desistere, clamore simul et timore hominum desisteret. » Illemet tamen Goffridus ipsum Ivonem redarguit quod id ausus fuisset in monasterium Vindocinense, quod vocat allodium Romanæ Ecclesiæ, et ideo se non obtemperasse dicto palam profitetur. « Cum in majorem Ecclesiam nostram manum mittere non potestis,nec audetis, in cæteris quæ in episcopatu vestro sunt nostris Ecclesiis divinum officium,non quidem satis juste, abstulistis. Et quia vestra auctoritate hoc injuste actum dignoscitur, auctoritate Romana quæ omnium perversæ auctoritati est contraria, in ipsis Ecclesiis a fratribus nostris privatim et publice cantabitur. Sancta et irretractabili Romanorum pontificum licentia nobis conceditur,ut si interdictum in ecclesiis nostris a quolibet episcopo injuste factum exstiterit, nullatenus a nobis observetur. » His conjungenda sunt quæ notantur ad epist. 50.

Accipit quosdam monachos cementarios, al. *cœmentarios*. Goffridus Vindoc. in epistola ad Hildebertum Cenomannorum episcop. : « Joannem cementarium esse monachum Ecclesiæ nostræ, et ab ipsa Ecclesia sæpius per inobedientiam recessisse firmissime scitis. » Et alia ad eumdem epistol. : « Joannem cementarium monachum quidem, sed non habentem charitatis cementum, quoniam proprii loci deseruit obedientiam, et suæ professionis fidem irritam fecit. »

Ad Epist. CCLXVIII

In concilio Exolidunensi. Quia hoc loco dicit Hugonem Diensem episcopum et apostolicum legatum interfuisse concilio, palam est debere intelligi concilium celebratum anno 1081. Sic enim scribit auctor Chronologiæ Autissiodorensis : « Anno Domini 1080 magnus terræ motus cum gravi terræ mugitu factus est VI Kalendas Aprilis,prima hora noctis. Sequenti anno apud Exoldunum castrum,quod est in Bituria situm, celebratum est concilium. Anno autem altero defuncto Meldensi episcopo, venerabilis Hugo Diensis episcopus et apostolicæ sedis legatus, apud eamdem urbem concilium habuit, et Robertum Ecclesiæ Resbacensis abbatem episcopum ordinavit. »

Ad Epist. CCLXXI.

Patri et Domino suo. Hæc quatuor verba desunt in aliquot manuscriptis, sed confirmantur exemplis titulorum epist. 250, 244, 238. Joannes Salesberiensis Polycratici lib. VI, cap. 24,Adrianum papam alloquens : « Omnes applaudunt tibi, Pater omnium vocaris et Dominus, et capiti tuo infunditur omne oleum peccatoris. Si ergo pater es, quare a filiis munera et retributiones exspectas ? Si Dominus, quare Romanis tuis timorem non incutis, et temeritate repressa, eos ad fidem non revocas ? »

Quando personaliter accipiebantur. Martyrologium Ecclesiæ Carnot. de ipsomet Ivone loquens : « Minoratas omnes hujus Ecclesiæ et **206** precarias in communes redegit usus, et eas in posterum personis distribui, tam suo quam apostolico privilegio vetuit. » De personis dictum ad epist. 12.

Ad Epist. CCLXXIII.

Excommunicationem in episcopos Normanniæ intentatam ita in eo temperetis. Fortasse hic locus interpretandus ex verbis Willelmi Malmesb. lib. I De gestis pontif. Angl. : « In principio regni Henrici, ait, venerat in Angliam ad exercendam legationem Guido Viennensis archiepiscopus, qui postea apostolicus fuit : tunc Anselmi, nec multo post quidam Petrus, omnesque reversi nullo effectu rei, grandi præda sui,Petrus maxime, quod omnes eum incendere caverent, qui esset filius Petri Leonis, summi Romanorum principis. Crebra ergo ad Angliam commeabat legatio Romanorum insidiantium imbecillitati Radulphi. Sed effugabantur omnes cautela Henrici. Nolebat enim ille in Angliam præter consuetudinem antiquam recipere legatum, nisi Cantuariensem archiepiscopum : illique libenter refringebant impetum propter violentiam denariorum. At non ita facilis flecti Cono legatus in Gallia omnes

(*a*) Sic habet optimus v. c.

episcopos et abbates Normanniæ suspensionis nota implicuit, quod tertio vocati ad concilia sua non venerant. Super quo habito tractatu, missus Romam Radulphus archiepiscopus et Herebertus Norwicensis, ut suo labore tantam legatorum confusionem digererent. »

AD EPIST. CCLXXIV.

Responsales tamen meos. Sic in v. c. ut etiam paulo post. Vicarios appellat epist. 267, quæ est ejusdem plane argumenti. Horum responsalium crebra mentio in scriptoribus antiquis, maxime Gregorio primo papa, qui eorum munus satis subindicat, cum dicit diaconos transmissos ad imperatorem pro responsis ecclesiasticis faciendis, epist. lib. II, indict. 11, cap. 91 et 92 ; item lib. VII, epist. 5 et 6.

In clericali ordine militavit, eo modo castigata verba auctoritate veterum codicum. Male enim cusum antea fuerat, *judiciali ordine.*

Omnium pie pulsantium, Ita melius ex v. c. quam ut antea, *o. pene puls.*

Ab omnibus filiis. Verba hæc cum novem proxime sequentibus addita sunt fide eorumdem v. c., quæ imperfecta sententia deerant in edito.

Turstinum in archiepiscopum. Prima editio habet *Turstinum.* Sed postea in aliis exemplaribus offendi varie scribi nomen. Rogerus de Hoveden Annalium parte prima in Henrico primo appellat Turstinum. « Turstinus, ait, regis Capellanus ad Eboracensem archiepiscopatum die Assumptionis sanctæ Mariæ eligitur Wintoniæ. » In cujus editione notatur, alias legi, *Torstanus.* A cæteris appellatur *Turstanus* vel *Turstannus.* Matthæus Paris in Vita Henrici primi Anglorum regis : « Anno Domini 1113 rex Henricus dedit archiepiscopatum Cantuariensem Rodulpho Londoniensi episcopo, et illum per annulum et baculum pastoralem investivit. Obiit eodem anno Thomas Eboracensis archiepiscopus, et ei Thurstanus successit. » In vetustis membranis Ant. Oiselli jurisconsulti, quibus continentur nonnullæ epistolæ Hildeberti episcopi Cenomanensis, appellatur *Rus tinus,* sed vitio librarii pro *Turstinus.* Hildebertus profitetur se Turstini amicum, et rogat ne falso rumori credat, quo dicebatur velle Romam proficisci nomine Cantuariensis archiepiscopi adversus ipsum Turstinum.

« Turstino Dei gratia venerabili Eboracensi electo, suo charissimo amico Hildebertus humilis Cenomannorum sacerdos, non facile de amico diffidere. Sicut Seneca testatur, » etc. *Vide in Hildeberto infra, ad an.* 1134.

Quæ exigit ab eo Cantuariensis Ecclesia. Sic v. c. prima editio *Cantuariensis.* Hujus autem contentionis ratio est, quia Eboracensis nolebat subjici Cantuariensi, quæ querela sæpe renovata, ut indicant Anglici historici. Matthæus Paris in Willelmo conquæstore : « Anno Domini 1072, apud Windleshoram ex præcepto Alexandri papæ, rege etiam Willielmo annuente, in præsentia Huberti Romanæ Ecclesiæ legati, ventilata est causa de primatu Ecclesiæ Cantuariensis super Ecclesiam Eboracensem . Ubi tandem antiquarum auctoritatibus **207** scripturarum probatum est, et ostensum, quod Eboracensis Ecclesia debeat subjacere Cantuariensi, et ipsius archiepiscopo, ut primatis totius Britanniæ dispositionibus, in omnibus quos ad Christianam pertinent religionem, fideliter obedire. Ita quod si archiepiscopus Cantuariensis concilium tenere voluerit, ubicunque sibi utile visum fuerit, Eboracensis archiepiscopus cum omnibus suis suffraganeis et subjectis clericis, sui præsentiam exhibeat, ejusque canonicis dispositionibus obediens existat, benedictionem etiam episcopalem ab ipso debet accipere, et ei canonicam professionem addito juramento præstare. Huic igitur constitutioni consenserunt rex præfatus et Lanfrancus archiepiscopus Cantuarensis, et Thomas archiepiscopus Eboracensis, cum prædicto cardinali et omnibus episcopis et abbatibus regni. » Itidem sub dicto anno 1113 : « Orta est autem inter Rodulfum Cantuariensem et Thurstannum Eboracensem archiepiscopos magna dissensio, eo quod Eboracensis subjici noluit archiepiscopo Cantuariensi de more, sicut ejus antecessores facere solebant. Causa autem sæpe coram rege et domino papa ventilata est, sed nondum sine debito terminata. « Et paulo post subjicit : « Anno Domini 1113, consecratus est Rodulfus Cantuariensis archiepiscopus Cantuariæ, ab Anselmo domini papæ legato, quinto Kalendas Julii, et pallium ab eo suscepit. Et eodem die idem archiepiscopus Theophilum Wigorniensem et Bernardum Menevensem antistites consecravit. Deinde post dies paucos : cum Turstanus, Eboracensis delectus, ab archiepiscopo Cantuariensi maneretur, ut more solito benedictionem ab eo susciperet, et sibi obedientiam faceret, et Ecclesiæ Cantuariensi, respondit, se benedictionem ab ipso suscepturum libenter, sed professionem quam exigebat, se nullomodo facturum. Quod audiens rex Henricus, protestatus est manifeste, quod nisi Ecclesiæ Cantuariensi, juxta morem antecessorum suorum faceret quod debebat, ipsum Eboracensi episcopatu cum benedictione funditus cariturum. Sicque ab archiepiscopo Cantuarensi interposita appellatione, ne ab alio quam a se consecrationem acciperet, ab invicem recesserunt. » Idem paucis interjectis ad annum Dom. 1119 de Callixto papa loquens : « Hic Remis concilium tenuit, ad quod rex Henricus quosdam Angliæ et Normanniæ episcopos destinavit. Turstannus quoque Eboracensis electus, illuc veniendi a rege licentiam impetravit, interposita fide, quod benedictionem ab eo non reciperet. Qui ad concilium veniens, Romanos (sicut mos est) in suum favorem largitatis beneficio transtulit, et per eos, ut a papa consecraretur, impetravit. Quod ut regi Anglorum innotuit, omnem ei locum suæ dominationis interdixit. » Idem post pauca, sub anno Domini 1125 : « Quo utique anno disceptarunt Willielmus Cantuariensis, et Turstannus Eboracensis archipræsules de primatu, quis eorum esse dignior videretur. » Mox addit : « Anno Domini 1127 rex Henricus ad Nathale tenuit curiam suam apud Windeleshoram : ubi cum Turstannus Eboracensis archiepiscopus, in præjudicium Willielmi Cantuariensis archiepiscopi regem vellet coronare, judicio omnium repulsus est et lator crucis ejus quam in capellam regis ante se deferri fecerat, extra capellam cum cruce ejectus est. » Hunc autem Turstannum obiisse dicit anno Dom. 1139.

Verum quæ de hac controversia Scripsit Willielmus Malmesburiensis, digna sunt plane quæ referantur, ut historia rei clarius innotescat. Si autem lib. III De gestis pontificum Anglorum : « Successit Thurstanus prædicandæ constantiæ clericus, qui cum post aliquot annos acceptæ electionis professionem Radulfo archiepiscopo Cantuariæ facere nollet, volente rege ultro archiepiscopatu cessit. Sed clericorum suorum monitu postea Romam profectus hanc epistolam meruerat : »

« Paschalis episcopus servus servorum Dei Henrico illustri regi Anglorum, salutem et apostolicam benedictionem. Audivimus electum Eboracensem virum sapientem et strenuum sine judicio ab Eboracensi Ecclesia sequestratum, quod nimirum divinæ justitiæ et sanctorum Patrum institutionibus adversatur. Nos quidem neque Cantuariensem Ecclesiam minui, neque Eboracensem volumus præjudicium pati, sed eam constitutionem quæ a beato Gregorio Anglicæ gentis apostolo inter easdem ecclesias constituta est, firmam censemus illibatamque servari. Idem ergo electus ut justitia exigit, ad suam ecclesiam omnimodis revocetur, Si quid autem quæstionis inter easdem ecclesias nascetur, præsentibus utrisque partibus in nostra præ-

sentia pertractetur. » Hac epistola fretus Turstanus sedem suam repetiit libens. Augebatur in dies dissidium inter eum et Radulphum archiepiscopum, quia Radulphus nullis delinimentis, nullis minis adduci potuerat ut ei manus imponeret, nisi professionem faceret, nec Turstanus id se facturum pro capitis periculo pollicebatur. Successore ergo Paschalis papæ Gelasio citra montes venienti, ambo statuerunt occurrere causarum patrocinio adfuturi. Sed mors apostolici non diu prolongata tardavit eorum impetum, donec Callixtus, qui ei successerat, Remis ad celebrandum venit concilium. Eo Turstanus impiger contendit pollicitus regi nihil se contra decus Ecclesiæ Cantuariensis moliturum. Quod mox ut oportunum vidit, oblitus effregit, ab apostolico contra omnes consuetudines majorum, benedictionem episcopalem suscepit. Præcesserat sane Turstanum ad papam legatus regis, idemque frater Radulfi Sefredus postea Cicestrensis episcopus, denuntiaturus papæ ne ullo modo Turstanum aut ipse sacraret, aut ab aliquo, nisi a pontifice Cantuariorum secundum antiquum morem sacrari permitteret. Et si contra hoc ipse apostolatus sui jure niti vellet, certus existeret quia nec pro amissione coronæ suæ propositum suum in hac causa mutaret. His respondit apostolicus : « Ne putet rex me, de quo agit negotio, aliter acturum quam ipse velit. Neque enim voluntas mea unquam me tulit, ut Cantuariensis Ecclesiæ dignitatem, cui tot præclari patres ut pene toti mundo notissimum est, præsederunt, quoquo modo humiliem. » His blanditiis persuasus legatus reditum maturavit. Post cujus discessum apostolicus Romanorum jussis obnoxius, qui in amicitiam Turstani transierant, eum sacravit palam illud interdicente Joanne archidiacono. Cantuariensi, responditque ei apostolicus : « Nullam **208** injustitiam Ecclesiæ Cantuariensi volumus facere. Sed salva justitia et dignitate illius, quod proposuimus exsequimur. » Frivolum id audientes judicaverunt, cum dissideret factum a dicto. Hoc audito, rex Turstano interdixit omnem dominationis suæ terram, quam severitatem nec tunc voluit diminuere cum eum apud Gisortium præsens appellasset apostolicus, asserens se de fide, qua se rex obligatum esse dicebat, cum auctoritate beati Petri soluturum. Quod cum frustra fuisset, tunc quidem rex impacatus remansit. Sed sequenti anno cum jam præfatus papa in sede apostolatus corroboratus, liberius quæ vellet disponeret, misit epistolam qua jubebatur ut aut Turstanus episcopatu suo potiretur, aut rex anathemate, et pontifex Cantuariensis suspensione sacerdotalis officii plecteretur. Hic metus coegit regem cœptis desistere ; receptus est Turstanus in sede. Ita ille quamvis Radulfus et successor ejus Willelmus multa conarentur, multa effunderent, omnes eorum allegationes instantia sua dissolvit, et irritas fecit. » Hæc Wuillelmus Malmesburiensis, qui etiam alio loco aperte indicat Romanos callidis artibus antea fovisse istiusmodi contentiones. Nam lib. I De gestis pontificum Anglorum, cap. De archiepiscopis Dorobernensibus, sub finem, profert verba epistolæ ipsius Paschalis papæ scriptæ ad Angliæ episcopos, et Henricum regem super hac causa Radulphi, ubi inter cætera concludit : « Dignitatem quam per beatum Augustinum suscepit Ecclesia, et quam sanctæ memoriæ frater noster Anselmus jure ac possessione legitima tenuisse cognoscitur, nos profecto nullatenus minuimus, sed in eodem statu esse Cantuariensem Ecclesiam volumus, ut authentica ejus privilegia juxta canonum sanctiones nullis perturbationibus violentur. » Subjicit autem historicus : « Hic si papa expresse dixisset, has et has dignitates habuit Ecclesia Cantuariensis, et easdem illi confirmo, absolvisset litigium, controversiis imposuisset modum. Sed dicens. Quæcunque authentica habet, nos nullatenus imminuimus, indeterminatam rem ut erat, reliquit in medio. » Quibus postremis verbis convenit quod dixit S. Bernardus epist. 42 ad Henricum Senonensem archiepisc., Romanos sui sæculi non valde curasse quo fine res terminarentur, quia valde diligebant munera et sequebantur retributiones. Cæterum, qui plura desiderat super controversia illarum Ecclesiarum, legat quæ scripsit idem Wuillelmus Malmesb. lib. III De gest. reg. Angl. in Wuillelmo primo.

Prout dignus est. Hæc addita ex v. c.

AD EPIST. CCLXXV.

Et regis, et comitis Nivernensis exaggerat injuriam Hæc septem verba quæ deerant in prima editione, nunc adjecta sunt fide membranarum. Huc autem referendum est quod scribit Joannes monachus Majoris Monasterii, in prisca historia Gaufridi ducis Normannorum et comitis Andegavorum : « Comes Theobaudus vir illustris, quo suo in tempore in regno Francorum ditior opibus, fide præstantior, æquior censura nullus exstitit. Sub hujus itaque dominio comes Nivernensis et Hugo cognomento Cenomannicus sese infestabant Quos ut suos homines comes Theobaudus ad jus in curia sua sæpius invitabat. Porro Nivernensis ille, ut superior, hostem potius viribus obtinere quam ad jus descendere volens, comitis Theobaudi curiam subterfugiebat. Dum igitur lentis et jugibus inimicitiis utrimque certatur, comes ille Nivernis volens ad unguem hostem conterere, regem Francorum et Eduensem episcopum, utrumque cum copioso exercitu super eum adducit. Nec minus ille cum quanta militum peditumque manu valet, in hostem procedit. Tribus igitur exercitibus congregatis, rex, præsul, comes, Hugonem obsident in castro Cona (*a*) dicto. Spes nulla penitus evadendi cum vallato undique castro ab hostibus nullus posset ingredi, egredi nullus. In arcto itaque constitutus Cenomannicus ad comitem Theobaudum legatos transmittit discrimen suggerens, flagitans auxilium. Nec mora, vir proprius quia mora periculum esset, suos homines jussu, affines precibus conducit pariter et amicos. Quos inter et præ cunctis Andegavorum comitem Gofredum obnixius orat, postulat confidentius, de cujus nimirum auxilio fiducialius præsumit. Nec cunctatus ille ut semper promptissimus in subveniendo amicis, pollicetur opem, fidem coarctatur. Selectos itaque comites et probatos militia CXL, sibi concopulat, satellites CCC, cum his tantum properans. Juncti ergo pariter comes Theobaudus et Andegavus noster obsesso Cenomannico festinant succurrere. Quorum adventum fama prævolante rex Francorum audiens, sano sane consilio sedem solvit, liuquit obsidionem, ad comitem Nivernensem odium inimici ad fugam paululum efficit tardiorem. In quem persequendum Gaufredus comes invehitur ; comite Theobaudo occupato in reliquis. Tum vero videns virum illustrem sicut dignitate socios, sic præcedere probitate, pictos leones præferens in clypeo, veris leonibus nulla erat inferior feritudo ; consecutus igitur fugientes modus ei fuit absque modo in hostem desævire. Ad primum velut quoddam militiæ fulmen primus eos penetrat, socii subsequuntur, hos detruncat gladio, illos impetu sternit : nemo illæsus effugit subsequentem. Quid plura ? necatis quampluribus cæterisque fugatis ipsum Nivernensem comitem consul capit, captumque reddidit comiti Theobaudo. Talibus insignis virtutibus tantisque probitatis clarus consul noster Gaufredus, sicut humanus erat, et dulcis misericorditer, sic probis et fortis et animosus virili-

(*a*) In territorio Antissiodorensi oppidum dictum Cona, ait Goffridus, de Vita S. Bernardi lib. IV, cap. 4

ter; unde consequens est quod vere suum erat,
Parcere subjectis et debellare superbos. »
VIRG. *Æn.* VI, 853

AD EPIST. CCLXXVII.

Aldeberto Cenomanensis Ecclesiæ electo. Antea cusum *Hildeberto*; nescio an culpa typographi, an quod ita scriptum invenerit in sua vetere membrana quisquis hanc epistolam primæ editioni adjici curaverat. Desiderabatur enim in illis veteribus libris quibus tunc temporis usus **209** fueram. Novissime cum incidissem in priscum codicem S. Vict. eamdem reperi in calce epistolarum Ivonis, sed tamen diverso electi nomine. Habet enim non *Hildeberto*, sed *Aldeberto*, quam scripturam confirmat aliud exemplar calamo exaratum; idque in varietate et dissimilitudine scripturæ visum est jam potius sequendum, ut suus honor reddatur memoriæ Hildeberti Cenomanensis episcopi. Nam conditor Annalium ecclesiasticorum, tomo XII, ex verbis hujus epistolæ reprehendit mores Hildeberti; tum quod etiam B scripserat epitaphium poeticum in laudem Berengarii magistri sui hæretiea labe notati: quod quidem elegans et integrum exstat apud Wullielmum Melmesb. lib. III De gestis reg. Angl., nimirum secutus lectionem vulgatæ hactenus editionis, potuit Hildebertum impudicitiæ coarguere: adeo magni momenti res est incidere in libros certæ fidei. At duplex ratio retractandæ sententiæ. Prima quod in illis veteribus archetypis, ut dixi, Aldebertus diserte nominatur, non Hildebertus. Altera quod exstant præcedentes epistolæ ad Hildebertum jam Cenomanensem episcopum, quæ suo ordini restitutæ fide aliquot priscorum codicum, subindicant hanc posteriorem vix posse eidem recte inscribi. Hildebertus vero inter optimos et laudabiles sui sæculi episcopos numeratur, de quo latius in notis ad epist. 206. Quis autem fuerit iste Aldebertus mihi hactenus ignotum.

Licet aliquantulum caustica et mordacia. Illemet C Annalium scriptor dicto loco hanc totam epistolam transcribit, et lacunam cum asterisco proponit hoc modo, *licet aliquantulum *.... et mordacia*, et ad oram ibi additur forte legendum, *aliquantulum sint ipsa mordacia*, sed lectio nostrorum codicum plane sincera est, nec quidquam vitii alit, similis enim locutio epistola 133 ad Richardum.

AD EPIST. CCLXXVIII.

Roberto Lincolniensis Ecclesiæ episcopo. Hujus mentio fit ab Henrico Hunrindoniensi histor. lib. VI: « Junior Willelmus sexto anno regni sui dedit Roberto cognomento Bloet cancellario suo episcopatum Lincolniæ: quo non erat alter forma venustior, mente serenior, affatu dulcior. Promisit quoque rex se pravas leges emendaturum, et in domo Domini pacem positurum. Sed ex quo sanus fuit, pœnituit eum, et solito pejor factus est, condolens igitur quod episcopatum Lincolniæ non vendiderat, cum archiepiscopo Eboracensi calumniatus est Ro- D bertum episcopum, quod urbs Lincolniæ, et provincia Lindessæ archiepiscopo eidem subjacere debuissent. Nec potuit causa terminari, donec Robertus quingentas libras regi pro libertate Ecclesiæ suæ

A pepigerit. Quod regi quidem Simoniæ, præsuli vero justitiæ deputatum est. » Quæ habet etiam Matthæus Paris in Willelmo secundo, sub anno Domini 1092, nisi quod paulo aliter in extremis verbis. « Sed hoc (ait) primo regi pro Simonia, post vero pro justitia repulatum est. » Rogerus Hovedunus Annalium parte prima, notat hunc præsulem obiisse morbo subitaneo, cum esset in comitatu regis Henrici primi Anglici, decima die Januarii anno 1112. Willelmus Malmesburiensis lib. IV. De gestis pontif. Anglor., cap. de Episcopis Lincolniensib., refert id accidisse cum regio lateri adequitaret, additque vixisse in episcopatu paulo minus annis triginta, hominemque fuisse hilarem et parum gravem, negotiorum sæcularium scientia nulli secundum, ecclesiasticorum non ita.

AD EPIST. CCLXXX.

Petrofungensis, alias, *Petræfungensis*, *Petræfingensis*, *Petræfuntensis.*

AD EPIST. CCLXXXV.

Per manum laici, quod contra canones fieri dicit epist. 131 et 219.

Et per librum ipsam Ecclesiam. Confer locum epist. 182, ubi dicit se investituram subdecaniæ facere voluisse porrecto libro. S. Bernardus in sermo. de baptismo: « Investitur canonicus per librum. » In vetusto exemplari sub tit. De revestimento præbendæ exstat formula Gelasii papæ his verbis: « Frater, in nomine Domini ego te revestio per hunc librum et per istum panem de hac præbenda, jussu nostri prælatoris et jussu canonicorum istius Ecclesiæ, » etc.

AD EPIST. CCLXXXVII.

Hæc epistola cum ab auctore scripta fuerit antequam fieret episcopus Carnoti, videri poterat ob rationem temporis non autem pontificiæ dignitatis collocanda in fronte operis. Nam in vulgatis exemplaribus inscriptio præfert scriptam fuisse ab Ivone presbytero beati Quintini Belvacensis Tamen in nullis vetustis codicibus præfigitur initio harum epistolarum. Imo plane deest in plerisque. Variat autem titulus. Nam in antiquo exemplari collegii Navarrici habetur: « Ivonis Cartonensis episcopi ad Haimaricum abbatem Aquacinensem, de corpore et sanguine Domini. » In veteri quoque scheda Ant. Loiselli duplex epigraphe. Prima: « Epistola Ivonis Sancti Quintini Belvacensis præpositi ad Aimericum monachum tunc Atrebatensem, postea abbatem Aquicenti de corpore et sanguine Domini. » Secunda: « Ivo minimus Ecclesiæ Belvacensis beati Quintini presbyter, Haimerico bonæ spei fratri, » etc. Alibi scribitur *Aquiscincti*, ut in epist. 65 S. Bernardi ad Alvisum abbatem. Aquicinensis Ecclesiæ mentio fit a Sigeberto in Chronico ad annum Dom. 1100 Robertus monachus hist. Hierosol. lib. VII, Aquiscingensem appellat, si modo recta est ibi scriptura. « Aquiscingensis cœnobii (ait) indefessus adjutor in omnibus fuit. »

Sapa sit an carenum. Hæc lectio vetus firmatur verbis Bernardi Bonævallensis abbatis lib. II de Vita S. Bernardi cap 1: « Panis ibi opicus pro simila, pro careno sapa, pro rhombis blera, pro quibuslibet deliciis legumina ponebantur. »

JOAN. BAPT. SOUCHETI

D. THEOLOGI, ET CARNOTENSIS ECCLESIÆ CANONICI

IN IVONIS EPISTOLAS NOVÆ OBSERVATIONES.

210 *Cum multa Juretus, vir antiqui moris studiosissimus, in observationibus suis ad Ivonis Carnotensis episcopi epistolas, vel consulto prætermiserit, vel neglexerit, aut certe homo alieni soli, et cui patriæ historiæ*

notitia deerat, quædam non noverit, quæ forte lectori non injucunda erunt, addere cogitavi, ut, si fieri posset, pauca ad plenam ipsarum lucem desiderarentur. Prætermisit enim sponte vir doctissimus et neglexit, ut fatetur ipse, epistolarum omnium synopses, quas cum expeterent plurimi, ipsorum satisfecissem votis, ni ms. codicum, atque Petri Pithæi viri de re litteraria optime meriti, qui Ivonis epistolis suas præfixerant, aspernata, seu non satis probata, remorata esset auctoritas. Quid enim inter canoros olores perstreperet raucidus anser? sed et facilis Ivonis dictio, textus adeo planus et nitidus Œdipo non eget, neque face quæ mentem auctoris illustret. Quare quibus conscriptæ fuerint epistolæ illæ, aut personis, aut annis, quod ejus fieri potuit, enodare tantum studui, eoque ordine quo delineatæ sunt aut missæ digessissem, ni membranis adversantibus et alium exigentibus detulissem. Eum siquidem invertere nec volui, nec debui, ut staret suus antiquitatis honos, et illibata majorum dispositio. Veneranda enim ubique decessorum memeria, a qua recedere nefas arbitror. Neque de Jureti gloria aliquid demere ejus addendo lucubrationibus, intentionis unquam meæ fuit; sed tantum ut notulæ quas mente suas legendo conceperam, appendices ipsis forent, et Ivonis elucidandi tabellis lumen aliquod adferrent. Ea de re, ne in labores ejus ingressus invidiam mihi parerem, a Patrum, aliorumque auctorum citationibus, quas ipse Juretus, vel in textus margine, vel in observationum suarum corpore delibasset, aut annotasset, abstinui; omissa tantum addidi. Id vero laboris haud proprio impellente judicio (quod mihi semper suspectum fuit) sed amicorum hortatu, seu imperio, quibus opellam meam, aut studium denegare vix potui, aggressus sum. Quæcunque illæ sint ἀνάγραφαι, rudes prodeunt. Prælo enim currente, morbo conflictante, et occupationibus quotidianis distrahentibus, limam addere et polire non volui. Boni igitur æquique consulat lector, et si quid quod animum delectet in ipsis invenerit, gratiam habeat; si quid nimis depressum et humile, benignus ignoscat. Ea enim est hominum conditio, seu potius infirmitas, ut plura nesciant quam addiscere possint, et omnibus placere, paucis vel nullis datum est.

AD EPISTOLAM III.

In præcedenti editione epistolam hanc ad calcem rejecerat Juretus, utpote sibi tardius transmissam, et maxima epistolarum parte jam excusa, ut ipse ad marginem annotaverat: sed quia vere est hujus loci, ideo eam hic inseruimus loco tertiæ epistolæ, quæ sane non est epistola sed oratio aut commonitorium papæ ad episcopum quem consecravit, ut notat Baronius tomo undecimo Annal, et ut videre est in ordine Romano qui hunc habet titulum: « Qualiter episcopus debeat ordinari. » Sed fusius quam sit apud Ivonem. Præclaræ autem sunt ibi admonitiones ad episcopum qualiter se gerere debeat et lectu dignissimæ, sed quia fusissimæ sunt nec hujus loci, ideo ad ordinem Romanum lectorem remittimus. Quia vero hæc oratio in omnibus tam mss. quam excusis codicibus sub nomine orationis vel commonitorii vel dictionis Urbani papæ ad Ivonem, etc., habetur, eam consulto reliquimus mutato solum epistolæ nomine in orationem: sicque nec Ivonis epistolarum numerum ac seriem, nec Jureti notarum ordinem ullo modo interturbavimus.

AD EPIST. IV.

Abbati Majoris Manasterii Bernardo. Electum fuisse illius cœnobii abbatem post Bartholomæum constat anno 1083 computando a Paschate more Gallico, ex textu, *de dedicatione ecclesiæ Majoris Monasterii* (sic enim habet editus codex) in cujus initio hæc leguntur: « Anno ab Incarnatione Domini 1095 sexto Idus Martii, luna XI, epacta XXIII concurrentibus 11, qui est annus Philippi Francorum regis 37 **211** et Bernardi hujus Majoris nostri Monasterii abbatis ab ordinatione sua annus 13, Urbanus secundus papa gloriosus, etc., anno apostolicatus sui octavo, id est, in octavis festi hiemalis B. Martini, tandem pacis et concordiæ gratia inter nos et Turonenses beati Mauricii canonicos, jam tunc decennio nos persequi non cessantes, faciendæ, monasterio nostro ab eodem visitato, ipsoque ab exiguitate nostra pro tempore, competenter satis, ut decuit, excepto, et apud nos diebus septem non sine multis expensis repausato, sive refrigerato, octava demum adventus sui die, qui est terminus in prima fronte paginæ annotatus, dedicavit Deo in honorem S. Crucis, et beatissimæ Dei genitricis, perpetuæque Virginis Mariæ, ac SS. apostolorum Petri et Pauli: necnon et B. Martini, majorem basilicam nostri hujus Majoris Monasterii. » Quod confirmatur instrumento in cartulario illius asceterii folio centesimo octuagesimo descripto, quod est: « Notitia de rebus quas dederunt et vendiderunt Michael et Almarus pater ejus apud Castrum fractævallis. » Ibi enim habetur: « Notum sit omnibus quod anno dedicationis basilicæ Majoris Monasterii ab Urbano papa factæ, etc., venerunt ipsimet ambo fratres Rotbertus Michael et Almarus ad Majus Mo-

A nasterium, et in capitulo nostro acceperunt societatis nostræ beneficium, tempore domni abbatis Bernardi, anno ordinationis ejus decimo tertio, » etc. Cum autem illa epistola sit prima in ordine, primam aut secundam earum quas ad diversos scripsit Ivo fuisse arbitror circa 1090.

Domnum Gauterium quondam monasterii Bonævallis abbatem. Bernerii prædecessorem, quem recte ad suum monasterium revocandum censet, cum absque sui episcopi licentia illud deserere non licuerit. Conciliis namque Agathensis can. 52, Parisiensi VI, can. 34, Meldensi can. 50, et Venetico in Armorica celebrato c. 5, diræ intentantur in clericos et monachos absque litteris commendatitiis seu formatis episcopi sui evagantes: « Clericis aut monachis, habet canon, sine commendatitiis epistolis episcopi sui, licentia non pateat ambulandi, aut evagandi, et in omni loco ad quem sine epistolis episcopi sui (ut dictum est) venerint, a communione

B habeantur alieni. » Ita etiam conc. Aurelianense I, c. 19: « Abbates, inquit, pro humilitate religionis, in episcoporum potestate consistant. Et si quid extra regulam fecerint, ab episcopis corrigantur. » Quod totidem verbis Ansegisus lib. VI Capitular., c. 137, refert. Simile quid legitur in Aurel. II, c. 21, ubi dicitur quod « abbates qui episcoporum præcepta despiciunt, ad communionem nec penitus admittantur, nisi contumaciam, humilitate suscepta, deponant. » Formatarum autem seu commendatitiarum litterarum hæc erat formula, ut in membranis antiquis reperio: « Reverentissimo, atque amantissimo N. præsuli, N. Ecclesiæ, N. præsul, multimodas in Domino salutes. Vestræ, religiosissime Pater, noscat sanctitatis industria, præsentem N. nomine (hic qualitas inscribenda est, nempe diaconi, subdiaconi, etc.) apud diœcesim nostram detentum ibique sacris litteris imbutum, ac bona fama conversatum. Nunc autem postulavit nos, uti

C eidem commendatitias litteras fieri juberemus; cujus votis, et desideriis annuentes, secundum canonicæ institutionis promulgatam auctoritatem, hos nostræ humilitatis apices ei concessimus. Humiliter igitur vestram obsecramus magnificentiam, uti præfatum N. in illa Ecclesia pro æternæ retributionis augmento ad sacri N. ordinem misericorditer promovere condignemini. Et ut nemo eum auctoritate canonica a vobis possit repetere, et ne huic epistolæ, quam mos Latinus Formatam appellat, aliqua fraus falsitatis interesse videatur, secundum Nicænum concilium annotavimus in supputatione prima Græca elementa Patris et Filii et Spiritus sancti, hoc est π, υ, α, quæ elementa octogenarium quadringentesimum et primum significant numerum. Petri quoque apostoli primam litteram Π, quæ octoginta significat, nostri quin etiam nominis primam; vestri quoque secundam, accipientis tertiam; civita-

tis etiam vestræ quartam, indictionis insuper præsentis numerum. Addidimus etiam et nonagenarium et nonum numerum, quod secundum suæ idioma linguæ significat ἀμήν. » Zosimus autem papa epistola 5, quæ est 1, ad episcopos Galliæ decrevit, ut si quis ex qualibet Galliarum parte sub quolibet ecclesiastico gradu Romam ire contenderet, vel alio terrarum ire disponeret, a metropolitano Arelatensi formatas acciperet, quibus sacerdotium suum, vel locum ecclesiasticum quem haberet, scriptorum ejus attestatione perdoceret, alioquin se sciret ab Ecclesiæ communione esse discretum. Quod epist. 5 ac 9, vel etiam 6, alias 11, ad Patroclum Arelatensem episcopum confirmat : sicut et Vigilius papa ad Auxanium Arelatensem episc. 2. Plures illarum formatarum formulæ videri possunt apud Sirmundum tom. II Conc., pag. 663, et deinceps, Translationes vero monachorum ab uno in aliud monasterium. 2. Vernense conc. c. 10. solis episcopis tribuit, « Ut monachi, qui veraciter regulariter vivunt, fert concilii textus, ad Romanam sedem, vel aliubi vagari non permittantur, nisi obedientiam abbatis sui exerceant. Et si talis causa evenerit, quod absit, quod ille abbas sic remissus, vel negligens inveniatur, ut in manus laicorum ipsum monasterium veniat, et hoc episcopus emendare non potuerit, et aliqui tales monachi ibidem fuerint qui propter Deum de ipso monasterio in alterum migrare velint, propter eorum animas salvandas, hi per consensum episcopi licentiam habeant qualiter eorum animæ possint salvari. »

AD EPIST. V.

Adelæ nobili comitissæ. Henrici Stephani Carnotensis comitis uxori.

Regius in excellentia vestra sanguis. Quod originem ipsa Adela duceret a Guillelmo primo Anglorum rege, et Mathilde Balduini Flandrensium comitis filia illius uxore, quæ neptis erat ex sorore Henrici primi Gallorum regis. Quod ita Ordericus Vitalis lib. III eccles. Hist. exponit : « His temporibus (inquit) Willelmus Normanniæ dux, probitate et potestate valde crescebat, cunctisque vicinis suis liberalitate et magnificentia supereminebat. Hic generosam Mathildem Balduini Ducis Flandrensium filiam, neptem scilicet, ex sorore Henrici regis Francorum conjugem accepit. » Et libro IV, de eadem Mathilde loquens, scribit : « Hæc consanguinea Philippi Francorum regis erat, et ex regibus Galliæ ac imperatoribus Germaniæ originem ducebat, eximiaque tam generis quam morum nobilitate eluebat. Egregio marito edidit utriusque sexus optatam sobolem Robertum, et Ricardum, Willelmum Rufum, et Henricum, Agatham, et Constantiam, Adelizam, Adelam, et Ceciliam, » etc. **212** Quod autem Adela nupserit Henrico Stephano Carnutum comiti, idem auctor testatur lib. V : « Stephanus, inquit, Blesensis palatinus comes cum Guillelmo rege firmare volens amicitiam, requisivit ab eo in conjugium Adelam ejus filiam, quæ consultu prudentum a patre illi concessa est, » etc. Idem habet Guill. Gemeticensis monachus lib. VIII hist. Norman., cap. 34. Quo vero anno hæc scripta fuit epistola non satis apparet, hanc tamen anno 1090, in lucem editam puto.

AD EPIST. VI.

Girardo dilecto sibi. Quis fuerit Girardus ille, scitu admodum difficile est, cum nudum nomen tantum habeamus. Si tamen conjectari licet, illum fuisse canonicum regularem San-Quintinianum Ivonis familiarem, et qui postea S. Lupi Trecensis abbas exstitit, existimarem, ad quem hanc epist. scripsit ipso pontificatus initio.

Instrumentum etiam nivei candoris ad ordinandos capillos, etc. Pectinem eburneum intelligit, discriminando capillo aptum, non tantum ad domesticum et communem usum, sed etiam ad sacrum, ut enim observat Durandus lib. IV Rationalis diu. offic., c. 3, A mos fuit antiquitus episcopis, ut, caligis et sandaliis impositis, caput pectinarent. « Tertio, inquit, pectinatur caput. Nam per capillos, superfluæ cogitationes et curæ terrenæ sollicitudinis : per caput, mens et intentio, quæ cunctis animæ actibus, sicut caput cæteris membris supereminet, significantur. Congrue igitur pectine capilli complanantur et ordinantur, et evulsi separantur, ad notandum quod tunc specialiter mores componere et superfluas cogitationes a se repellere debet, juxta illud propheticum : « Auferte malum cogitationum vestrarum, » atque mens ipsius prævia discretione separari, quietari et purgari a terrenis sollicitudinibus, et virtutibus ordinari debet. Pecten enim propter ordinatam in incisionibus divisionem, discretionem significat, qua intentio animæ adornatur, sicut capilli capitis pectine. » Eadem est mens Ivonis hac epistola cum scribit : « Credo prudentiam tuam munusculo hoc quasi quodam monitorio vigilan- B tiam meam excitare, ut studeam inordinatos populorum mores diversis exhortationum modis componere, atque habito discretionis moderamine ad debitum ordinem revocare. » Artemidorus tamen lib. *De somniorum explicatione,* c. 6, pectini comparat tempus dura omnia dissolvens atque corrigens, quasi hoc munere Girardus Ivonis animum ad omnia mala, quæ ei vel ex adversario Gaufrido episcopatu exuto, vel ab ejus avunculo Parisiensi antistite et regni cancellario, ipso rege, et metropolitano Senonensi, qui depositi præsulis partes tuebantur, æque ferenda inflectere vellet.

In Normannia præposituram quamdam. Hanc præposituram Ricardus Normanniæ dux circa annum 1017 Ecclesiæ Carnotensi contulerat, ut ex donationis instrumento planum est, cujus pars quæ ad institutum spectat ea est : « Regnante Domino Jesu Christo in perpetuum, anno Incarnationis ejus post mille decimo septimo, indictione XV, et Roberti C regis Francorum anno 26, ego Ricardus marchio Normanniæ, et. Notum esse volo omnibus qualiter Ecclesiam S. Dei genitricis Mariæ Carnotensis esse non tulerim meæ largitatis expertem, tum opitulandi gratia, quam apud Deum præ omnibus habet : tum injuriæ causa non modicæ, quam in vicinia ejus graviter exercueram, etc. Dono itaque pari voto et communi favore filiorum, necnon affinium meorum, et de jure meo, in propriam ditionem, Dei cujus omnia sunt, et S. Mariæ Carnotensis perpetualiter habenda transfundimus donatione directa; videlicet in Ebroacensi comitatu Ebrardi villam totam cum ecclesia, et decimam venationis de silva, quæ dicitur Bortis ; et in eodem pago ecclesiam solam de Hawilla : et in Lisiuno, ecclesiam solam de Bonavilla, et in eodem territorio Anglicam villam totam cum ecclesia ; et ecclesiam de S. Juliano cum duobus membris. Hæc itaque dona, etc., tradidimus omni consuetudine nostra, vel inquietatione penitus D dimissa, » etc.

Auxilio insulsi comitis terræ illius sibi usurpat et devastat. Expulso ab Ecclesia Carnotensi Gauffrido pontifice hujus nominis primo in Normanniam secessit, ubi Guillelmi Ebroicensis comitis patrocinio fretus, quæ præposituræ erant facultates dilapidabat. De isto Guillelmo videndus Ordericus Vital. hist. Norm. lib. II, ad 1108. Ex quibus statim post initum Ivonis pontificatum scriptam epistolam censeo, cum Goffridus exepiscopus Carnotensis, quem caprum emissarium vocat Ivo, in Normanniam exauctoratus cesserit, ut ex epist. hac constat.

AD EPIST. X.

Virginibus in Dunensi monasterio S. Aviti Deo dicatis. Hoc monasterium haud procul a Castroduno sanctimonialibus erectum est ante annum 1045, cum eodem Wanelo S. Martini Turonensis thesaurarius quasdam suæ possessionis res de beneficio Carnotensis episcopi, ecclesiæ S. Aviti in sanctimonialium ibidem Deo famulantium usus, cedat, ut ipse

in tabulis cessionis ab illo factæ agnoscit. Cujus autem ordinis ab initio fuerint, non liquet, cum id temporis quam sibi volebant abbates et abbatissæ præfigebant regulam, vel saltem quæ ab episcopo observabant dabatur. Alii enim S. Cæsarii Arelatensis archiepiscopi, et S. Cæsariæ sororis ejus, S. Columbani, S. Benedicti et aliorum quæ magis arridebat, amplectebantur. Nunc vero Benedictinam profitentur, deposito schemate antiquo, et novo induto. Circa 1092 hanc missam puto. A

Ad Epist. XII

Reverendissimo Patri Patrum Urbano, hujus nominis secundo. Hic natione Gallus, ut habet Onufrius, oppido Castellionis, quod est in diœcesi Remensi, domnus Otho appellatus, ex canonico regulari Lateranensi monachus Cluniacensis factus, tum episcopus Ostiensis a Gregorio papa VII creatus, tandem, Victore III Romano pontifice fato functo, Terracinæ in Campania IV Idus Martii anni Domini B millesimi octuagesimi octavi, electus est et consecratus. Sedit annis XI, mensibus 4, diebus 18. Obiit autem Romæ in ædibus Petri Leonis IV Kal. Aug. 1099, et ad S. Petrum situs est. Hanc vero misisse epistolam Urbano Ivonem contendit Baronius anno 1093, num. 8, quod non probo. Scripta enim videtur statim atque Roma rediit Ivo, quem in suum cœtum nolentes admittere Richerius Senonensis metropolita suffraganeique ipsius, concilio Stampis coacto, dignitate exuere conati sunt, sed ad pontificem provocatione eorum impetus fregit, ut ex cartulario monasterii Vindocinensis carta 170, quæ Ivonem testem producit anno 1091, indict. 14, feria 6 hebdomadæ paschalis, ipsum **213** Roma rediisse saltem hoc anno probatur, quo synodus illa Stampensis congregata est, statimque posthac epistola scripta.

Altaria a me redimere volunt, vel decimas addit Juretus in Notis, quas vulgo altaria nuncupabant, C quod expungo. Non enim decimæ, sed ecclesiæ quibus decimæ dabantur, altaria vocabantur. Cum autem Ivonis sæculo ecclesias vel a se conditas, vel sui juris, plerique congregationibus et monasteriis offerrent, vel etiam venderent libere possidendas, venditionem illam redemptionis nomine palliabant. Ita enim Chronicon Mauriniacense: « Mordebat autem (inquit) abbatis et aliorum quorumdam fratrum conscientiam quod antecessores nostri ecclesias, ac decimas quasdam, non solum donis, verumetiam pecuniis acquisierant. Neque enim tunc in initio scilicet constitutionis hujus ecclesiæ quæstio de Simonia sic ventilata erat, sicut posterorum diligentia factum est. Sed si quid ecclesiasticum a sæcularibus hominibus emeretur, non emptio, sed redemptio vocabatur, » etc. Huic malo, ne longius serperet, manum admovere cupientes episcopi ad quos jure communi omnium suæ diœcesis ecclesiarum ordinatio et potestas spectat, ex synodo Aurelianens. I, cap. 19, D Cabilonensi c. 10, et aliis passim, nonnunquam ipsas ecclesias monachis ea lege concedebant, ut quoties illarum vicarii (quos personas vocabant) mutarentur, certam pecuniæ summam a synodatico et cathedratico quæ prælatis debentur aliam et diversam penderent, quæ redemptio altaris etiam dicebatur. Hanc vexationem quæ Simoniam sapiebat, sustulit Arvernense concil. ut habetur 16, q. 7, can. 2 *Congregato*. Verum cum post synodum prælati pro redemptione illa, annui census pensitationem exigerent, quæ taliia dicitur, Paschalis II, Urbani successor abusum illum omnino præscribere volens graviter Ivonem Carnotensem et Ranulfum Santonensem episcopos increpat quod ab exactione hac non abstinerent, ut ex ejus epistola ad ipsos directa quæ in Vindocinensis monasterii cartulario asservatur, planum esse potest, quæ cum ad institutum plurimum faciat, referre non abs re erit; sic autem se habet:

« Paschalis episcopus, servus servorum Dei, Venerabilibus episcopis Ivoni Carnotensi, et Ranulfo Sanctonensi, salutem et apostolicam benedictionem. Juxta sanctorum canonum sanctiones, » etc. *Vide in Paschali II ad an.* 1118. Illud eo magis miror in Ivone, quod hac in epistola cum consuetudinem hanc tanquam pravam in antecessoribus reprehendat, et super illius exactione summum pontificem consulat, *Videat meliora probetque, deteriora tamen sequatur*, ut est apud Senecam in Medea. Renovatum est præterea decretum in concilio Pictavensi, a Joanne et Benedicto S. R. E. cardinalibus, Paschalis legatis, can. 6, ut videre est tom. VII Concil. part. I, pag. 533, et altero ibidem concilio sub iisdem can. 9, pag. 540. » Ejusdem argumenti est epistola 12, lib. III Goffridi Vindocinensis abbatis ad Ulgerium Andegavensem episcopum. Cum tenues essent ecclesiarum facultates et redditus sicut ex concilio Nicæno cap. 41 episcopi singulis annis patriarcham aliquo subsidio quod charitativum donum vocabant, juvare tenebantur, quo pro dignitate sustentaretur: ita et bresbyteri episcopum. Quare Justinianus cod. *De episc. et cleric.* lib. XVI, meminit cujusdam capitationis a quibusdam clericis persolvendæ ecclesiis quæ erant in potestate episcopi. Unde cum in hanc rem non semel, seu ab episcopis, seu ab iis qui illibentes suum juvarent episcopum, peccatum esset, concordiæ ac benevolentiæ mutuæ gratia factum est, ut in quibusdam diœcesibus episcopi vacantium parochialium ecclesiarum unius, seu primi anni fructus et oblationes quos « deportus » dicunt, sibi vindicarint, parte aliqua archidiaconis **214** concessa, cum ad eorum curam sollicitudo parochiarum et ordinatio pertineant, ut habet Isidorus epistola ad Ludifredum Cordubensem episcopum; atque ita ecclesiæ totius diœceseos prisca illa redemptione altarium solutæ. Nam, ut est apud Chopinum lib. III *De sacra politia*, tit. 3, num. 3, sicut militaria ac profana beneficia quæ militibus ob fidem et obsequium data sunt, in causam caducariam incidunt ultimi clientis obitu, patronique eo casu primi anni fructus suos pro clientelaris fundi renovatione, ac instauratione faciunt: ita sacri beneficii caducarium annum cedere commodo benefici collatoris debere dicunt, adeo ut, titulario morte absumpto, episcopus aut archidiaconus caducarios ejus anni proventus percipiat. Tota Neustria id exacte servatur, alibi non ita, sed pro variarum ecclesiarum consuetudine. Forte scripta hæc epist. 1092.

Ad Epist. XIII.

Rainaldo reverendo Remorum archiepiscopo. Rainaldum Contractum intelligit sancti Martini Turonensis olim thesaurarium, qui Manassi successit, et ab Hugone Diensi episcopo, Gregorii septimi legato in Lugdunensi synodo anno 1080 consecratus est. Hanc autem epistolam ab Ivone Rainaldo scriptam censet Baronius anno 1093, num. 13. Ego sequente, cum eo tantum anno Bertradam, de qua in textu agitur, Philippus Francorum rex uxorem duxerit, coronamque regiam imponi fecerit, ut recte observavit Juretus ad epist. 16, sub finem. Neque diu superstes fuit Rainaldus, cum anno 1095, Attrebati IX Kal. Februarii obierit, ut scribit Robertus in archiepiscopis Remensibus, num. 45.

Ad Epist. XVI.

Walterio seu Gualterio Meldensium episcopo. Hic est Galterius hujus nominis secundus, qui a Richecherio Senonensi archipræsule, contra Robertum ab Hugone olim Diensi, tunc Lugdunensi primate, et apostolicæ sedis legato ordinatum, promotus est, ut habet Odorannus Sancti Petri Vivi Senonensis monachus.

Rogerius Romanæ Ecclesiæ legatus. Nullum eo tempore hujus nominis apostolicæ sedis invenio legatum; Hugo siquidem Lugdunensis, de quo supra, Ivone postulante epistola 12, in Galliis legatione

functus est, post quem Richardus Albanensis cardinalis, deinde Cono. Quando igitur hic Rogerius? Cardinalem tantum eum vocat Ivo epist. 18.

Hoc vero vobis consulo. Ex his hanc epistolam post initium Philippi regis cum Bertrada conjugium, seu potius contubernium, scriptam esse, asseri potest atque adeo anno 1094, aut 1095.

AD EPIST. XVII.

Quod monui iterum moneo ut aliquem substituatis loco meo. Quamvis Ivo episcopatum Carnotensem esset adeptus, non propterea curam cœnobii sancti Quintini Belvacensis deposuit, renitentibus hujus ecclesiæ canonicis, ad quod hanc scribit epistolam ut alium sibi præficiant. Quod tandem obtinuit, ut ex epist. 31 et 32 planum est; scripta est autem hæc circa 1092, cum anno 1093 præfecturam ejurarit omnino, Odone sibi substituto.

AD EPIST. XVIII.

Quod Simonem de Melfa. Perperam de Melfa, quod ex punctis male dispunctis accidit, legendum est enim de *Nielfa*, oppido haud procul a Monteforti ab Almarico, dicto, cujus Simon ille, de quo hic agitur, erat dominus, ut est apud Ordericum Vitalem lib. XII Histor. ecclesiast. : « Illic, inquit, Simon de Parona, et Simon de Nealpha, Guido cognomento Malusvicinus, et Petrus de Maulia nepos ejus; Guillelmus quoque aculeus (qui omnes erant nobiles diœcesis Carnotensis) aliique fere ducenti pugiles de Francia, Galeranno comiti militabant, » etc. Chronicon quoque Mauriniacensis asceterii lib. I ejus meminit, dum scribit: « Ecclesias de Stampis veteribus, id est Sancti Martini, Sancti Albani, Sancti Medardi dedit nobis rex Philippus, et litteris regalibus dationem hanc confirmavit, et Ludovico regi designato filio suo, ut idipsum concederet, præcepit; qui Ludovicus assumptis secum Emmaurico Montis-fortis domino, et Simone Nealphæ in capitulum nostrum venit, participium beneficiorum nostrorum humiliter petiit et accepit. » Scripta autem fuit hæc epistola circa 1095.

AD EPIST. XIX.

Quem absolvi a me postulatis. Non hic de absolutione sacramentali loquitur Ivo; sed de facultate aut licentia abeundi a monasterio, aut loco : ut videre est epistola 78 sequente. Sic quando superior alicujus ordinis inferiorem suum dignitate exuit, verbo « absolvo, » utitur, quasi diceret: solvo te vinculo quo alligatus eras præfecturæ tuæ, et restituo te pristinæ libertati. Quo anno scripta fuit epistola, incertum ; sed si quid conjectura valet, eam 1094, vel 1095, ex his quæ in ipsa leguntur, in lucem editam puto.

AD EPIST. XX.

Adversus vicecomitem, Hugonem videlicet Puteacensem dominum et vicecomitem Carnotensem qui Philippo Francorum regi gratificaturus, quod Ivo ipsius adulterium cum Bertrada Fulconis Andegavensis comitis conjuge verbis et scriptis improbaret illum carceri mancipatum diu tenuit, ubi multa incommoda perpessus est usque ad penuriam panis, ut loquitur Hildebertus Cenomanensis episcopus, epistola 100. Hanc epistolam assignat Baronius anno 1095, num 21, cui facile assentior, cum ipso anno Philippo regi propter adulterium suum cum præfata Bertrada in synodo Avernensi Urbanus II aqua et igni interdixit.

AD EPIST. XXI.

Hoelo Cenomanensium episcopo, Hildeberti decessori, de cujus mira ad Cenomanensem episcopatum promotione, ita scribit Ordericus Vitalis lib. IV Historiæ eccles. : « Defuncto Ernaldo Cenomanorum episcopo, Guillelmus rex (Anglorum) dixit Sansoni Baiocensi cappellano suo : Cenomanensis episcopatus sedes suo viduata **215** est antistite, in qua, volente Deo, te nunc volo subrogare. Cenomanis a canina rabie dicta, urbs est antiqua, et plebs ejus finitimis procax et

A sanguinolenta ; dominisque suis semper contumax et rebellionis avida. Pontificales igitur habenas tibi tradere decerno, quem a pueritia nutrivi, et amavi sedulo : et nunc inter maximos regni mei proceres sublimare desidero. Sanson respondit : Secundum apostolicam traditionem oportet episcopum irreprehensibilem esse. Ego autem in omni vita mea sum valde reprehensibilis; omnibusque mentis et corporis ante conspectum deitatis sum pollutus flagitiis, nec tantum decus contingere possum pro sceleribus meis miser et despicabilis. Rex dixit : Callidus es, et perspicaciter vides, quod tu rite peccatorem te confiteri debes : fixam tamen in te statui sententiam nec a te statutum convellam, quin episcopatum suscipias, aut alium qui pro te præsul fiat, porrigas. His auditis gavisus Sanson ait : Nunc, Domine, mi rex, optime locutus es, et ad hoc agendum adminiculante Deo me promptum invenies. Ecce in capella tua est quidam pauper clericus, sed nobilis et bene B morigeratus ; huic præsulatum commenda in Dei timore, quia dignus est (ut æstimo) tali honore. Regi autem percunctanti quis esset, Sanson respondit: Hoelus dicitur, et est genere Brito ; sed humilis est et revera bonus homo. Mox jubente rege Hoelus accersitur ignarus adhuc ad quid vocaretur. Cumque rex juvenem in humili habitu macilentum vidisset, despexit ; et conversus ad Sansonem dixit : Istene est quem tantopere præfers ? Sanson respondit : Etiam, domine. Hunc sine dubio fideliter effero, hunc mihi, meique similibus jure præpono. Mitis est et benignus, unde magis præsulatu dignus. Pro macie corporis non sit contemptibilis. Habitus humilis gratiorem eum assignat sapientibus. Ad exteriora tantum non respicit Deus ; sed intuetur ea quæ latent intrinsecus. Rex igitur prudens sapientis verba intente præcepit, et sagaciter examinare cœpit. Diffusas autem cogitationes suas in se reversus rationis ligamine paulatim restrixit, nominatumque C clericum statim ad se accersiit, eique curam et sæculare jus Cenomanensis episcopatus commisit. Decretum regis clero insinuatum est, et præfati clerici bonæ vitæ testimonium ab his qui noverunt, ventilatum est. Pro tam pura et simplici electione devota laus a fidelibus Deo reddita est, et electus pastor ad caulas ovium suarum ab episcopis et reliquis fidelibus, quibus hoc a rege jussum fuerat, honorifice perductus est. At ille non minus obstupuit in tam subita promotione ad præsulatum, quam David reprobatis a Samuele primogenitis fratribus in provectione ad regnum. Sic Hoelus Cenomanensium præsul factus est, et pontificali schemate per XV annos sancte perfunctus est. Episcopalem basilicam in qua corpus S. Juliani confessoris primi Cenomanorum præsulis requiescit, et alia bona opera Ecclesiæ Dei necessaria condere cœpit, et pro temporis opportunitate, quæ cœpta erant perficere studuit. » Hanc epistolam scriptam fuisse Hoelo contendit Baronius anno 1095, num. 23, quo Hoe- D lus ipse sacrarum S. Juliani exuviarum elationem celebravit, et labente anno, aut vertente sequente obiit, ut ex Orderico ubi supra colligi potest.

AD EPIST. XXIII.

Widonni domini regis dapifero. Guillelmum vocat Baronius ad annum 1095, num. 13, quod et agnoscit Juretus dum antea Willelmo cusum fuisse scribit, qui error ex membranis contigisse potest, quæ non expresso nomine, primam tantum ipsius litteram præferunt W. quam alii Widonem, Willelmum alii interpretati sunt : sic quisque suo sensu in litteras lusit. Huic opinioni calculum adderem, cum Willelmus de Garlenda post Anselmum fratrem huic officio præfectus fuerit. Ita enim Chronicon Mauriniacensis monasterii lib. II : « Rex etiam Francorum Ludovicus et Adelais uxor ejus et Willermus dapifer qui senescallus appellatur. » (Hunc Ordericus lib. II Histor. ecclesiast. principem militiæ Franco-

rum vocat),ni pontificatus Ivonis reluctaretur tempus. Ab anno siquidem 1090, quo incœpit,ad 1115, quo desiit Ivo, nullum Guillelmum dapibus regiis præfectum lego. Willelmus enim ille de Garlanda,de quo supra, Anselli fratris dignitatem excepit tantum anno 1118, ab Ivonis funere tertio, et post eum Stephanus ipsorum quoque germanus, ut ad epist.87 dicemus. Rectius igitur Widoni legendum censeo, cum Wido Rubeus dictus, Rupisfortis in Aquilina dominus, ea dignitate functus sit Philippo I et Ludovico Crasso Francorum regibus,usque ad annum 1110, quo in cartulario S. Martini Campensis, fol. 76, Ansellum de Garlanda in carta ejusdem Ludovici regis de servis B. Martini, dapiferum primum video. Widonem vero dapiferum tunc temporis fuisse nemo inficias ibit, qui Crassi gesta a Sugerio Sandionysiano abbate descripta vel minimum legerit : « Huc accessit, inquit ille, quod Guido de Rupeforti vir peritus, et miles emeritus, præfati Guidonis Trusselli patruus, cum ab itinere Hierosolymitano famose, copioseque rediisset, regi Philippo gratanter adhæsit:et quia antiqua familiaritate jam et alia vice ejus dapifer exstiterat, tam ipse quam filius ejus dominus Ludovicus agendis reipublicæ dapiferum præfecerunt.» Et paulo infra: « Erat siquidem in eadem turri uxor præfati Guidonis, et filio domino Ludovico desponsata, quod cum auribus dapiferi Guidonis insonuisset, « etc. Dapiferum ergo Guidonem seu Widonem cum videamus (et Baronius ibid. num. 17, consentiat) et tempus congruat,ipsi Widoni Ivonem scripsisse planum est, sed quo anno magis incertum, nisi cum Baronio id anno 1095, sub anni finem post Claromontense concilium scriptam sentiamus, antequam Wido Hierosolymitanum iter aggrederetur.

AD EPIST. XXIV.

Nihil habeo quod dicere velim illustrandæ huic epistolæ, nisi quod me Baronius monuit scriptam fuisse anno 1094. Tu vide num. 5.

AD EPIST. XXV.

Hanc scriptam fuisse contendit Baronius anno 1094, num. 23 et 24. Ego 1095. Nam si, ut ipsemet tradit, epistola 20 scripta est eodem anno, num. 21, cum in hac Ivo se proposuisse dicat ad relevandas quotidianas cruces adire Urbanum II summum pontificem,et se quotidie ad bestias pugnare, quibus verbis, quas passus fuit injurias ab Hugone Puteacensi cum in se, tum in rebus Ecclesiæ quas deprædatus est, satis denotat ipsam nisi post acceptas illas vexationes scriptam fuisse,quis non videt?

216 AD EPIST. XXVI.

Gualterio abbati Fossatensis monasterii. Rectius *Welferio*,ut habent quidam codices apud Fossatense monasterium,et in abbatum Fossatensium serie Guelferius legitur. Est autem Fossatense monasterium in castro Bagaudarum ad Matronam fluvium olim a S. Bauboleno, divi Columbani discipulo, curante Bledegisilo Parisiensis Ecclesiæ diacono, et impensas Clodoveo II rege subministrante, conditum circa annum Dom. 650. Nunc autem sæculari toga donatum,Parisiensi episcopatui unitum est. Quo anno scripta fuit hæc epistola, non liquet.

AD EPIST. XXVII.

Eudoni Northmanniæ dapifero. Erat, ex Oderico Vitali, lib. III, Turstini, cognomento Halduc,filius, et in pago Constantino divitiis et potestate inter Northmanniæ proceres, ut ejusdem verbis utar, eminebat.

Neophytorum hæresim. Eadem est quæ Nicolaitarum, quæ maxime vigebat illo sæculo, ut ex Ivonis epistola 149 planum est.Nicolaitarum autem dogma hoc fuit, ut clericos cujuslibet ordinis nuptialibus fœderantes esse conjugiis assererent, quemadmodum ex beati Petri Damiani S. R. E. cardinalis et episcopi Ostiensis epistola 6 libri primi, ad Nicolaum II pontificem, constat.Verum melius eam exprimit idem auctor apud Baronium tomo XI ad annum 1059, num. 46. cum scribit : « Nicolaitæ, autem dicuntur clerici qui contra castitatis ecclesiasticæ regulam feminis admiscentur. Qui plane tunc fornicatores fiunt, cum fœdi commercii copulas ineunt; tunc Nicolaitæ jure vocantur, cum hanc lethiferam pestem velut ex auctoritate defendunt. Vitium quippe in hæresim vertitur,cum perversi dogmatis assertione firmatur.»Quod autem iidem sint Nicolaitæ cum neophytis, ex Orderico Vitali probo, qui lib. V suæ Histor. ecclesiast. de his ita loquitur : « Tunc quippe in Neustria post adventum Northmannorum in tantum dissoluta erat castitas clericorum,ut non solum presbyteri,sed etiam præsules libere uterentur thoris concubinarum, et palam superbirent multiplici propagine filiorum ac filiarum.Hujusmodi mos inolevit tempore neophytorum qui cum Rollone baptizati sunt, et desolatam regionem non litteris, sed armis instructi, violenter invaserunt. Deinde presbyteri de stirpe Dacorum litteris tenuiter edocti parochias tenebant, et arma ferentes, laicalem feudum militari famulatu defendebant.Tandem Bruno Lotharingus,Tullensis episcopus,Romam ascitus est, Deoque dispensante Leo papa factus est, etc.In Gallias anno Dominicæ Incarnationis 1049, venit, ecclesiam S. Remigii Remorum archiepiscopi Kal.Octobris dedicavit,etc. Tunc ibidem generale concilium tenuit,et inter reliqua Ecclesiæ commoda quæ instituit, presbyteris arma ferre,et conjuges habere prohibuit.Exinde consuetudo lethalis paulatim exinaniri cœpit. Arma quidem ferre presbyteri jam gratanter desiere, sed a pellicibus adhuc nolunt abstinere.»Scribebat autem hæc Vitalis Ivonis ævo. *Nicolaitæ* vero dicebantur, sed improprie, a Nicolao, ex septem diaconis uno,cujus Apocalypseos liber meminit;et *Neophyti*, quod ipsorum hæresis incœpisset a neophytis et in fide adhuc rudibus.Epistolam autem hanc anno 1194 vel non longe post scriptam fuisse conjicio ex his quæ sub finem ipsius continet, nempe quod mense Novembri cum Urbano summo pontifice,quem sane sub his verbis (*De ipso vero papa de quo quæsisti*) intelligit,et mense Januario ibidem eumdem dimiserit, ubi adhuc morabatur et adversariis Romanæ Ecclesiæ,quantum Deo donante,prævalebat,obluctabatur;quæ hoc anno contigisse ex his quæ ex Bertholdo, rerum inspectore, Baronius refert num. 1, colligere licet.

AD EPIST. XXVIII.

Ut apud Pontesium vel Calvum-montem cum manu militum vobis die quam statueratis, occurrerem. Tota hujus collectionis militum causa legitur apud Order.Vital.Histor.eccles.lib. VIII, ad annum 1094 : « Tunc nimia, inquit, guerra inter Guillelmum Bretoliensem et Ascelinum Goellum orta est,cujus occasio talis est : Guillelmus,frater Goelli juvenis, miles, cuidam apud Paceyum injuriam mulieri fecit. Unde conquerenti, Guillelmus Bretoliensis, ut justum principem decuit,de contumaci adolescente legitimam rectitudinem tenuit.Ascelinus igitur iratus est contra dominum suum quod publice placitare cogeret fratrem suum. Non multo post arcem de Ibreio ingeniosa fraude illi subripuit, et Roberto duci Northmannorum tradidit,a quo ille ingenti pondere argenti dato,redemit.Postmodum inter illos pro hujusmodi furto immanis simultas fervit, et uterque alteri nocere concupivit. Mense Februario,Ascelinus Ricardum de Monteforti, et familiam Philippi regis sibi ascivit,et Guillelmum dominum suum contra se ad pugnam venientem audacter excepit, vicit et comprehendit, et exercitum ejus, captis quibusdam militibus, fugavit, etc. Sequenti anno Guillelmus,inquietudine stimulante,guerram iteravit, et munitionem in cœnobio monachorum, quos Rogerius de Ibreio in honore S. Mariæ con-

struxerat, militibus suis constituit. Porro Goellus, A qui arcem tenebat, copiam militum conduxit ad cœnobium, quod tunc spelunca latronum, proh dolor? effectum fuerat, appropinquavit, et æstivis ardoribus circa Pentecosten torrentibus acriter impugnavit, ignem injecit, et edacibus flammis basilicam et ædes monachorum cum supellectili sua comsumpsit, etc. Guillelmus autem Bretolliensis fugiendo vix evasit, ultionemque de tantis injuriis summo nisu concupivit. Dives herus, intrinsecus nimio dolore punctus, irascebatur quod homo suus contra se tanta vi grassabatur : et vires ejus per tres annos redemptionibus captivorum, spoliisque pagensium nimis augebantur. Tandem Philippo regi Francorum DCC. libras pepigit, et Roberto duci Northmannorum aliisque pluribus ingentem pecuniam promisit, si fideliter sibi adminicularentur, et hostiles copiæ subigerentur. Igitur quadragesimali tempore rex Franciæ et dux Northmanniæ Brehervallum obsederunt, ibique fere duobus mensibus B laboraverunt. Illuc presbyteri cum parochianis suis vexilla tulerunt, et abbates cum hominibus suis coacti convenerunt, » etc. Huc vocatus Ivo non adfuit propter quas allegat rationes. Tunc enim, et longe postea, episcopi et abbates regem ad bellum cum armata militum manu sequi tenebantur, ut ex allatis auctoritatibus a Jureto in notis ad hanc epistolam, et iis quæ habet Sirmundus in Concil. Gall., patet. Ex his autem epistolam hanc Philippo **217** ab Ivone missam vertente anno 1096, puto.

AD EPIST. XXX.

Fulconi Belvacensi episcopo. Hic fuit Lancellini Belvacensis filius qui ex Beccensi monacho ad episcopales infulas evectus est; repugnante licet Anselmo ejus abbate qui nona suarum Epistolarum, ei scribit 1094, cum esset ipse ad Cantuariensem Majoris Britanniæ primatiam postulatus, et consecrationi proximus quæ eodem anno, Dominica qua in Ecclesia C cantatur *Populus Sion*, id est Adventus I, contigit ex ejus epist. ad Gaulfridum Parisiensem episcopum. Quo etiam tempore Ivo Fulconi suam misit. Cum enim variis criminibns apud S. P. Urbanum Fulco insimularetur; ut patet ex epistola ab eodem Urbano illi directa quæ apud Louvetum lib. IV Belvacensis Historiæ, c. 21 legi potest, de ejurando beneficio cogitavit, et adnitente pontifice Anselmi precibus dimisit Rogero ipsi succedente.

AD EPIST. XXXIII.

Lamberto Atrebatensi episcopo. Diu unitæ fuerant Cameracensis et Atrebatensis Ecclesiæ ; hoc episcopo disjunctæ fuerunt anno 1094, ut est apud Georgium Colvenerium in serie episcoporum Cameracensium Chronico Cameracensi et Atrebatensi præfixa vel 1095, ut scribit Jacobus a Meyero Annal. Flandr. lib. IV statim initio, ubi sic præfatur : « 1095, Urbanus secundus infensus Cameracensibus, quod Cæsari Henrico Ecclesiæ rebelli, cœtuque piorum moto, favissent, Atrebates ab eorum D civitate subtraxit, ac peculiarem illis præfecit episcopum Lantbertum Morinorum archidiaconum. » Ferreolus Locrius, in Chronico Belgico ad eumdem annum 1094, hanc Ecclesiarum discissionem amplius explicat dicens : « Anno 1094, Cameracensibus de episcopo post Gerardi II, obitum assumendo varie disceptantibus, Urbanus secundus Pont. Max. iisdem infensus, quod Henrico IV, imperatori Ecclesiæ Romanæ proscripto hosti, faverent, Atrebatibus peculiarem annuit episcopum, misso isto diplomate.

« Urbanus episcopus, servus servorum Dei, clero et populo Ecclesiæ Atrebatensis, salutem et apostolicam benedictionem.

« Atrebatensis Ecclesia » etc. *Vide in Urbano II, Patrol.* t. CLI.

Molanus in Natalib. SS. 5 Febr., Sigebertus, Iperius, tabulæ Ecclesiæ Atrebatens., etc. Quibus statim addit : « Anno 1095, Lambertus patria Gisnensis, Lilæ in D. Petri Cantor, et Tervanensis archidiaconus, vir spectatæ eruditionis et virtutis, primus Atrebatensis Ecclesiæ ab illo cum Cameracensi divortio, episcopus, invitus licet, assumitur, Romamque a summo pontifice advocatus, solemni admodum pompa consecratur, fitque totius Remensis provinciæ legatus. Inde acceptis ab eodem pontifice variis privilegiis, ad ovilis sibi commissi regimen concedit, atque divisis urbis suæ parœciis, omnium cumulatissime satisfacit votis, » etc. Quæ stylo prolixiore prosequitur, visu aut scitu non indigna. Ex superioribus tamen elicitur epistolam hanc post annum illum 1095 scriptam fuisse.

AD EPIST. XXXV.

Nihil ad hanc epistolam observo, nisi quod Baronius ad an. 1095, num. 14, scriptam esse scribit, quod non abnuo, cum hoc anno apud eumdem Locrium Dominica qua canitur *Oculi mei*, quæ est quarta Quadragesimæ, concilium Remis, cujus meminit Ivo in epistolæ syngraphe, celebratum fuisse inveniam, Raynaldo metropolitano cum suffraganeis præsidente.

AD EPIST. XXXVI.

Petro Pictavensi episcopo. Id est Petrus hujus nominus II electus 1086, quo Pictavis sedente, multæ exstiterunt querelæ adversus Cluniacenses ascetas, qui cunctis ferme beneficiis inhiabant, et opima quæque sacerdotia sibi vindicare satagebant. Monachi S. Petri Carnotensis in ipsos quæstionem de Sancti Dionysii Nongentensi a Rotrodo Wellorum seu Perticensium comite recens fundato in concilio Augustodunensi (quod anno 1094, celebratum esse ab Hugone Lugdunensi Urbani legato tradit Berthaldus), moverunt, nec obtinuerunt, ut est in chartulario illius cœnobii. Goffridus etiam Grossus in Vita beati Bernardi primi Tyronensis abbatis hujus Petri Pictavensis synchroni sect. 24 et 28, præfatum Bernardum scribit a Cluniacensibus in jus vocatum, pro Sancti Cypriani Pictavensis Ecclesia, cui ejusdem Petri nutu præsidebat, quam suæ ditioni debere esse subditam asserebant ; et quia hic auctor nondum in lucem integer prodiit, quid de ipso conflictu retulerit, subjiciam : « Bernardus igitur, inquit, ex integro resumens laborem, ne gravioris fortunæ ictibus succumberet, metuens peccare, si propter desidiam, aut negligentiam suam Sancti Cypriani monasterium suam amitteret libertatem, iterum Romam veniens supra dictum papam (Paschalem II) rogavit, ut utriusque partis causas attente discuteret, et justum judicium faceret. Quod ille facere subterfugiens, imperavit ut aut Ecclesiam Cluniacensibus subderet, aut nunquam in illa abbatis officium exerceret. Porro vir Dei postquam pro certo cognovit, quod in Romana curia nihil proficeret, **218** nec apostolicum a suæ voluntatis decreto flecteret, sublimioris curiæ audientiam appellare compulsus est. Quæ quamvis apud mortalium prætoria inveniri nequeat, unde tamen hanc expeti oporteret Bernardo non latebat. Zelo igitur justitiæ accensus, illud Salomonis secutus : « Justus ut leo confidens absque terrore erit, » domnum papam, et omnes illius in hac re complices non præsumptuosa audacitate, sed libera magnanimitate in extremi judicii examine ante Judicem judicum nullis ignorantiæ tenebris falli, aliquibus se muneribus corrumpi nescium, constanter intimavit. Papa autem tanta vocis audita libertate, præ indignatione virum Dei a se discedere jussit: dehinc consiliarios suos quid super hac re sibi foret agendum requisivit. Illi autem unanimiter responderunt quatenus cum tanta hominis sanctitate ante Judicem omnium de causæ hujus controversia disceptare non esset securum, nec alicujus disceptationis contra ipsum se participes ullo modo fore concedunt: imo communi consideratione decreti, justum esse astruunt, ut sua illa dignitas restituatur, et de illato labore et injuria ab illo venia postuletur. Joannes vero atque Benedi-

ctus, duo cardinales, qui præsentes aderant, virtutum illius magnifica præconia, quæ in Aquitania noverant, audiente apostolico propalabant, talemque nunc illum Romanis prædicabant, qualem in Pictavensi concilio, ubi pro justitia paratus fuerat pati martyrium, ipsemet viderant. Apostolicus autem tanti viri perfectione cognita, animum ab indignatione compescuit, et ut in concilium remearet, mandavit. Quo ingresso, ut pro se loqueretur concessit, et ut licentius ab omnibus audiretur, silentium indixit. Vir autem Domini sic cœpit : Vestræ sublimitatis excellentiam, reverendissime papa, deprecor, ut me pauca, nec a veritate discrepantia dicturum paulisper sustineat. Jam ab annis præcedentibus hoc vestra paternitas, et quamplures qui huic sacro conventui intersunt, vitæ et sapientiæ suæ merito multo honorabiles viri, hoc etiam non nesciunt, quatenus S. Cypriani Ecclesia, quæ nostræ parvitatis regimini commissa est, multorum annorum curriculis sua utens libertate, in magna religione floruit, antequam Cluniacense monasterium esse cœperit. Nunc vero Cluniacensis abbas, juxta Isaiæ vaticinium, ad uxorem meam hinnire non desinit, et mihi qualicunque abbati, tamen velut archi-abbas superba tyrannide dominare appetit : et quod nostra Ecclesia, ut ancilla sibi famuletur, sua regnet et imperet efficere satagit. Quod genus ambitionis novum et inauditum (nam ab illo exordium accipit) nisi in suæ stirpis radice amputetur, multam virulentæ prolis propaginem emiserit, corruptionisque immensæ seminarium, si oriri permittatur, pullulaverit, etc. His luculenter peroratis, vir sanctus tacuit. Apostolicus autem causæ Cluniacensium monachorum assertoribus, ut dicerent, imperavit. Sed hi, quia veritatis non habentis angulos argumenta, quibus S. Cypriani Ecclesiam suis legibus debere esse subditam, invenire nequeunt, per ambages palliatas ambitiosis circuitionibus plenas, commenta quædam fingere incipiunt, quæ dum justitiæ regulis penitus dissentire conventus qui aderat, intellexit, S. Cypriani monasterium liberum ab illis esse astruit. Hocque judicium apostolicus confirmans, sancto viro abbatis officium, quod interdixerat, reddidit, atque multis precibus hoc ab illo obtinere voluit, ut cardinalis sacerdotii dignitatem susciperet, et Romæ secura ecclesiasticarum causarum negotia tractaturus, remaneret. » Hæc ille, cui astipulatur Ord. Vit. lib. VIII suæ Hist. eccl. his verbis : « Circa hæc tempora Bernardus Quinciaci (id est S. Cypriani) abbas, Pictavense solum reliquit, quia præfatum monasterium, quod hactenus liberum exstiterat, Cluniaco subjugare noluit. Et quia sicut scriptum est : *Justus ut leo confidit.*, in Romana synodo contra Paschalem papam pro libertate litigavit, ipsumque quia plenarium sibi rectum non fecerat, ad divinum examen provocavit, cujus formidandam animositatem papa reveritus est, ipsumque ut secum ad Romanæ tutelam Ecclesiæ commoraretur precatus est. » Quod vero ad Petrum attinet, apud præfatum Gofridum ejusmodi elogium ipsius reperio : « Quæ dum agerentur, Pictavensis urbis episcopatum regebat venerabilis Petrus episcopus, qui postea exsilium pro justitia usque ad mortem sustinuit ; cujus vitæ sanctitas mirabilis exstitit, ut post ipsius obitum miraculorum attestatione patuit. » Scriptam epistolam anno 1094, quo in vivis degebat Petrus, censeo.

AD EPIST XXXVIII.

Guacelino. Obiit ex Rogerio de Hoveden Dominica, Non. Januar. anno 1098. Quare hanc epistolsm ante hunc annum scriptam fuisse asseri potest.

AD EPIST. XXXIX

Anselmo. Cantuariensi archiepiscopo et Angliæ primati, cui statim post ejus inaugurationem Ivo hanc epistolam scripsit.

Monachis Beccensibus contra Molismenses. Quale fuerit illud dissidium prorsus ignoro, nisi fortasse pro quibusdam parceriis in archidiaconatu Pisciacensi sitis, quæ ad Beccense monasterium spectant, et de quibus inter illos poterat esse controversia emerserit. Non enim ex hac, sicut nec ex superiori epistola facile colligere licet. Tunc autem Beccense et Molismense monasteria celebritate famæ florebant, hoc a Roberto Cellæ in insula Germanica Trecensis diœcesis monacho in Campania, et Lingonensis diœcesis : illud Rothomagensis diœcesis ab Herluino, qui nomen imposuit 1034 conditum, quod dicitur propterea Beccum Herluini : de quibus videndi Guillelmus Gemeticensis lib. VI Hist. Northm. c. 9 ; et Order. Vit. lib. III. V et VIII, p. 460, 549 et 711.

AD EPIST. XL.

Fratri Manegaldo. S. Jureti conjectura vera est. Epistola hæc scribi potuit anno 1096, Manegaldo de Lutenbach Marbacensis congregationis præposito. De quo sic Munsterus Germaniæ suæ lib. III : « Distantia medii milliarii a Murbacho, situm est Lutenbacense collegium, quod aliquando fuit Benedictinense monasterium fundatum a quodam comite Lentzburgensi, qui et monasterium Ergoiense fundavit circa annum Christi 998. Deinde anno 1090 fundatum est monasterium Marbacense a D. Burckhardo de Gebisvuyler, et magistro Mangoldo de Lutenbach. » Est autem asceterium illud Marbacense in abbatia inferiore situm.

219 AD EPIST. XLI.

Gaufrido Vindocinensis monasterii abbati. Hunc suis notis ad ejus epistolas notum fecit Sirmundus, plures Ivoni misit epistolas, quæ lib. II leguntur, quarum nullam quæ ad institutum faciat reperi. Est autem Vindocinense monasterium diœcesis Carnotens. Goffridi Martelli Andium comitis Agnetisque ejus conjugis opus, anno 1040 editum, cujus abbates purpura, et S. Priscæ titulo insignes habentur. De quo nos alibi: Quo autem anno hæc epistola scribi potuit, vix sciri potest.

AD EPIST. XLII.

Hugoni D. G. episcopo. Ex Ecclesiæ Suessionens. tabulis sedere cœpit Hugo 1090 et 1103 desiit, quo Aquilæ Hierosolyma rediens e vivis excessit. Ex quo tempus quo scripta fuit epistola conjicere nequeo, quamvis ante 1100 in lucem editam fuisse asserere possim.

AD EPIST. XLIII.

Guillelmum. Sibi adversantur Baronius et C. Robertus in archiflaminum Parisiensium serie : ille dum scriptam epistolam anno 1093, num. 7, asserit ; hic anno tantum 1097, quem sequor. Si enim Guillelmus ille posteriori hoc anno electus est, qui potuit epistola anno 1093 scribi ? Fuit autem Guillelmus Carnotens. canonicus, Almarici Montisfortis comitis filius et Bertradæ Philippi I, Francorum regis pellicis frater, ut ex epist. 54, sequente planum est ; Robertus vero eum Humberti Mauriennæ comitis prolem, Adelaidisque Ludovici Crassi uxoris germanum contendit, quod sane cum his quæ habet Ivo epistola illa cohærere non possunt, cum ibi Parisienses canonici se Guillelmum non elegisse expresse dicant : « Gratia contubernii quod habebat soror ejus cum rege, » etc. Hoc enim de Adelaide Crassi uxore intelligi nequit, cum contubernium non de legitimo matrimonio, sed concubinatu tantum dicatur. Addo Guillelmum electum tantum fuisse anno 1096 ut ex Chartulario S. Martini Campensis colligitur, fol. 37, charta 79 et fol. 87, charta *De altaribus montis Martyrum.* Ibi enim in data annus 1198 pontificatus Guillelmi legitur esse tertius. Denique Ludovicus Adelaidi nupsit anno tantum 1114, ut ex eodem chartulario probatur, folio quippe 78, annus 1116 reginæ Adelaidis secundus dicitur, quo anno Guillelmus in vivis non erat : Fulconi enim Parisiens, decano moriens 1102, aut circirca, dignitatem reliquerat.

AD EPIST. XLIV.

Non epistola hæc, sed potius edictum pontificale, quo diœcesanos ad pacem hortatur Ivo, dici potest.

In concilio nempe Arvernensi, cui subscripsit præsul noster, statutum fuerat, can. 1 : Ut omni die et monachi et clerici et feminæ, et quæ cum eis essent in pace permanerent : tribus autem diebus, scilicet secunda, tertia et quarta, injuria ab aliquo alicui illata, non reputaretur pacis fractio : quatuor autem reliquis diebus, si quis alicui injuriam intulisset, fractionis sanctæ pacis reus haberetur, et prout indicatum esset, puniretur. » Quod decretum factum fuit in gratiam eorum qui vel ad terram sanctam de infidelium jugo solvendam, proficiscerentur, vel saltem ad id facultatum suarum aliquid conferrent. De pace illa sic scribit Tyrius lib. I Hist. c. 15, de Urbano II pontifice loquens : « His dictis finem dicendi fecit, præcipiens iis qui aderant Ecclesiarum prælatis, ut ad propria reversi, cum omni instantia, et debita sollicitudine plebes suas ad idem hortentur, et invitent diligentius. » Et paulo infra : « Ante omnia juxta statuta synodi, fideliter laborantes, ut pax quæ verbo vulgari treuga dicitur, ab omnibus observaretur illabata, ne ire volentibus, et ad necessaria discurrere ullum objiceretur impedimentum. » Cui Alexandri III papæ consonat decretum, quod habetur ext. *De treuga et pace*, c. *Treugas* et *Innovamus*, et can. *Si quis Romipetas et illi qui peregrinos*, 24, q. 3, qui Ivonis dictis conveniunt. Hoc autem statutum, aut pactum, ex Glabro Rudulfo lib. V Hist., primitus in partibus Aquitanicis anno Dom. 1041 editum est, et postea per universum Galliæ territorium firmatum : ut infra ad epist. 168 dicemus. Ex quo decretum anno 1095 vel 1096, post Arvernense concilium publicatum arbitror.

AD EPIST. XLV.

Mellentino comiti. Roberto scilicet Rogerii Bellimontis domini, et Adelinæ Waleranni Mellentini comitis filiæ, genito, qui post Hugonem avunculum Mellenti comitatum obtinuit. Hoc ex gestorum Guillelmi, Northmanniæ ducis libro, et Gemeticensi lib. VII Hist. Northmann. c. 4, addisco, quorum alter his verbis ejus meminit : « Tyro quidam, inquit, Northmannus Rodbertus Rogerii de Bellomonte filius, Hugonis de Mellento comitis nepos et hæres, » etc. Alter vero de Rogerio scribens : « Adelinam, inquit, Waleranni comitis Mellenti filiam uxorem duxit, ex qua duos filios Rodbertum et Henricum magnæ potentiæ postea comites procreavit. Robertus quippe post Hugonem avunculum suum comes Mellentis plusquam 27 annis viguit. » Idem habet Ordericus Vital. lib. VIII Hist. eccles., pag. 709 : « Robertus comitatum de Mellento in pago Wilcassino hæreditario jure post Hugonem Adelinæ matris suæ fratrem possedit, et in Anglia comitatum Legecestriæ cum aliis pluribus, et gazis Henrici regis dono feliciter obtinuit. » Hic autem Robertus Elizabetham Hugonis Magni Henrici primi Francorum regis tertio geniti, et Adelisiæ Veromanduorum comitissæ filiam tori consortem, reclamante licet Ivone ascivit. Ita enim de ipsorum matrimonio loquitur Ordericus qui supra lib. IX et XI Hist. suæ, quorum postremo pag. 805 : « Pulchram quoque, ait, Ysabel regis Franciæ neptem uxorem habuit, quæ geminam ei prolem Walerannum et Robertum peperit, ac Hugonem cognomento Pauperem, et filias quinque. » Cui astipulatur Gemeticensis lib. VIII, c. 40, his verbis : « Eodem anno (nempe 1096, quo scripta est hæc epistola) Hugo Crispeii comes Radulpho et Henrico filiis suis terram suam commisit, et Ysabel filiam suam Rodberto de Mellento comiti dedit et peregre proficiscens (Hierosolymam scilicet), secum nobile agmen Francorum adduxit. »

Horum autem consanguinitas. Gradum in hujusce genealogiæ enumeratione obmisit Ivo, qui sponsos illos parentes a quarto ad quintum profert, cum ambo æquali a communi stirpe gradu nempe quinto, distarent. Sic enim distribuenda est illorum parentela :

260 *Galterius, Albus dictus, ex Adelitia Crispiacensi domina genuit* :

Radulphum Crispiaci comitem : qui ex Gilduini Bretoliensis comitis filia alterum suscepit.

|

Radulphum Crispiacensem comitem, ex quo et Alienorde prima ipsius uxore orta est.

|

Alisia Herberti Viromanduorum comitis uxor, quæ genuit alteram.

|

Alisiam, quæ Hugoni Magno nupsit, et ex eo inter alios suscepit.

|

Elizabeth Roberto Mellentino desponsatam.

N. Roberti comitis Mellentini conjugem, quæ marito peperit Edelinam seu Helenam

|

Edelina seu Helena Hugonis Montisfortis in Neustria domini uxor, quæ ex eo suscepit

|

Robertum qui absque prole decessit :	Hugonem absque liberis defunctum :	Walerannum (*a*) qui ex Oda uxore genuit

|

Adelinam Rogerii Bellimontis conjugem, et Hugonem quæ Adelinæ peperit

|

Robertum, et Henricum, quorum ille Elizabetham duxit.

Et hæc est vera illorum genealogia ; ut apud Nicolaum d'Avanneum in Vita S. Nicatii c. 54 et 55, et Adrianum Morlerium in tabulis genealogicis post Ambianens. antiquitates positis, aliosque qui de Viromandius comitibus scripserunt, videre est.

Septimum gradum excessisse. Loquitur Ivo secundum antiquos canones 35, q. 2, *De affinitate*, *Nullum*, *Progeniem*, *Nulli*, et q. 4 *Consanguinitas*, et q. 5 *Ad sedem apostolicam*, et sequentes.

AD EPIST. XLVI.

Ex Baronio scripta est epistola 1095, num. 9. Ego vero ipsam anno sequente missam reor, cum non nisi post interdictam a summo pontifice cum Bertrada consuetudinem in Arvernensi concilio, (quod mensis Novembris hujus anni decima octava die celebratum fuisse Baronius ipse agnoscit), scriptam ex iis quæ allegat Ivo satis superque constet, nisi statim a celebrata synodo in lucem prodierit.

AD EPIST. XLVII.

Ebrardum nepotem tuum. Ebrardum Hugonis Puteacensis filium intelligit, Guidonis de Rupeforti, ad quem scribit Ivo, ex sorore nepotem. Ita enim Aimoini continuator De gestis Francorum lib. V, c. 46, de ipsis loquitur : « Theobaldus cognomine filans stupa forestarius (regis Roberti) firmavit Montem Lethericum. Ipse habuit unum filium nominatum Guidonem, qui accepit in uxorem dominam de Firmitate et de Gommet. Idem Guido genuit ex ea Milonem de Brayo et Guidonem Rubeum : comitissam quoque Reiteste, et Bonamvicinam de Pontibus : Helizabeth etiam uxorem Joscelini de Cortinaco, insuper dominam de Puisato, » etc. Chartularium vero S. Martini Campensis fol. 109, verso, Ebrardum Hugonis de Putoleo et Agnetis ejus uxoris filium asserit. Ex quo ipsum Guidonis quoque nepotem fuisse colligitur. Inter eos autem qui anno 1096. Hierosolymam profecti sunt, Ebrardus de Puteolo apud Tyrium lib. I Hist. belli sacri c. 17, numeratur, et in Chronico Mauriniacensis cœnobii lib. II, post initium hæc leguntur : « Emit (nempe Philippus I, Franc.

(*a*) Ita vocatur in Cartul. Colomb.

rex) eam ab Ebrardo de cujus feodo pendebat, qui dominus Poteoli habebatur,et Hierusalem proficiscebatur. » Scripta autem est epistola eodem anno quo superior.

AD EPIST. XLVIII.

Remensem metropolim quondam majorem vestram. Fuerat enim Urbanus II, antequam ad summum Ecclesiæ eveheretur apicem, canonicus Remensis, ex Vita S. Brunonis in breviario Remensi.

Manasses. Hujus nominis II, quem Robertus in Remensium serie præsulum Urbani gentilem asserit, utpote Castilloneorum familia prognatum.Electus vero fuit ex eodem Roberto anno 1096, quo et hæc epistola scribi potuit, cum ipsa electionis illius confirmationem postulet Ivo.

AD EPIST. XLIX.

Stephano palatino comiti. Qui Carnotensi quoque et Blesensi comitatu potiebatur. Comes autem palatinus, seu palatii dicebatur, quod in regis palatio, super regis commensales dignitate fungeretur, aut inter ipsos emineret. Hac autem epistola de claustri Carnotensis Ecclesiæ immunitate agit Ivo, ratione cujus inter episcopum et ædis primariæ sodales sacros, et Carnotenses comites lites et jurgia plura emerserunt. Scripta autem hæc epistola, antequam prius Hierosolymitanum iter arriperet comes, quod anno 1096, contigit mense Septembri, ut est apud Fulgerium Carnotensem Balduini Goffridi Lotharingi fratris capellanum, qui in comitatu præsens aderat, libro quem *De gestis peregrinorum Francorum*, etc. edidit et alios hujus temporis scriptores.

De securitate pro qua me invitastis. Securitatem vocat sacramentum seu juramentum, quod antistites Carnotenses in primo suo in urbem adventu, aut ingressu, ejusdem urbis comitibus ad altare S. Candidi, turris seu palatii comitum, præstare solent, quo se nihil acturos ut comitatum amittant, novi præsules profitentur.

AD EPIST. L.

Picueris. Rectius Pitiveris, quod est Wastmensis agri, seu verius Belsiæ superioris oppidum, vulgo, *Piuviers, Piviers et Pitiviers* appellatum.

Guillelmum episcopum ibi elegisse. De eo supra in epist. 43, commentario dictum est, ex qua Carnotensis Ecclesiæ aliquando sodalem fuisse constat. Fuit autem hæc epistola circa 1097 aut 1098 scripta.

AD EPIST. LI.

Sanctioni. Ex decano Aurelianens. factus est episcopus circa 1099, et Senonensis metropolitani permissu apud Nantonis castrum ab Ivone Carnotensi, Willelmo Parisiensi, et Waltero Meldensi episcopis inauguratus, reclamante licet eorum factione, qui Joanni archidiacono episcopatum Aurelianensem ambienti, favebant. Verum vix anno absoluto sedem occupavit, cum Joannis illius arte, ab Hugone Lugdunensi archiepiscopo sedis apostolicæ legato, ab ea deturbatus et ejectus fuerit; ut scribunt Senertius in episc. Aurelianens. serie, **221** Sausseius Annal. Aurel. lib. IX, num. 9 et seq., et Symphor. Guido in Hist. chronol. episc. Aurel, num. 63 v. *Sequens*, ep. 54, quæ tota de Sanctionis ad episcopatum promotione est. Quo autem anno scripta fuerit hæc epistola, nemini dubium esse potest quin fuerit 1099, cum eodem cœperit et desierit.

AD EPIST. LV.

Belvacensis electi. Anselmi videlicet, qui ex Louveto Hist. Belvac. lib. IV, c. 2, et Roberto in Belvacens. antistitum serie, num. 49, hoc anno 1099 electus est, quo etiam hanc epistolam scriptam contestatur Baron., cui non reluctor.

AD EPIST. LVI.

Duo concilia. Nempe Claromontanum, seu Arvernense et Turonense, quæ eodem anno in Galliis celebrata sunt (de Pisano enim nihil ad rem) ex

A eodem Baronio ad an. 1095, num. 53, cui hanc epist. tribuit.

AD EPIST. LVII.

De fratre illo qui ter a vobis fugiens secundum constitutionem monasticæ regulæ ter susceptus fuerat. Non tantum in regula S. Benedicti, c. 29, sed etiam in aliis SS. Patrum; ut Pachomii art. 9, fructuosi Braccarensis episcopi c.20, Magistri c. 64, et similium, monachos fugientes et redeuntes suscipiendos esse dicitur. Discordant tamen in numero. S. enim Benedictus usque tertio tantum recipiendos censet, cum Magistro. Quibus astipulatur S. Bernardus Clarævallis abbas, ea quam ad Petrum Cluniacensem abbatem epistola scribit : « Frater, inquit, si exierit frequens de monasterio, usque in tertium reversus, resuscipiatur ; amplius jam non suscipiatur ; quia talis apud Deum ejus cognoscitur divini servitii fides, qualis apud homines pedum stabilitas. » Petrus vero Venerabilis lib. I, epist.

B 18, Ivoni nostro subscribit, dum fugitivum monachum toties in monasterium admittendum putat, quoties pœnitens regreditur, juxta Christi Domini sententiam, qua parcendum inimicis septuagies septies jubet; hoc est quoties veniam deprecatur. Idem Petrus noster Blesensis astruit, epist. 88, quam Ricardi Cantuariensis primatis nomine, Theoderiensi abbati scripsit : « Quod devote, ait, et humiliter misericordiam petit, quod omni satisfactioni secundum regulam sancti Benedicti se offert ; quod judicium a misericordia non excludit. Misericordiam quam monastici ordinis institutor ad ternarium numerum coarctavit, evangelicæ mansuetudo gratiæ septuagies septies ampliavit. » Societatis Jesu sodales nullum abeuntem, aut dimissum ex eorum congregatione et postea reductum, vel sponte redeuntem, nisi iterum admittunt ; ut ex regulis Provincialis c, 5, num. 46, et ultimo exploratum est, quod illi homines raro ad instituti eorum disciplinam idonei inveniantur.

C *Sed quia sacrilegium quod commiserat.* Forte quasdam res monasterii sibi retinuerat propriosque fecerat, quod maxime monacho prohibetur propter peculiaritatis vitium ascetis omnibus interdictum. Ita enim S. Benedictus in regula c. 33 : « Præcipue, inquit, hoc vitium radicitus amputandum est de monasterio : ne quis præsumat aliquid dare, aut accipere sine jussione abbatis ; neque aliquid habere proprium, nullam omnino rem, etc. Quod si quisquam hoc nequissimo vitio deprehensus fuerit delectari, admonitus semel et iterum si non emendaverit, correptioni subjaceat. » In regula quoque S. Fructuosi cap. 8, peculiaritas abominatio dicitur : « Peculiaritas, ait, aut in utensilibus, aut in vestimentis, aut quibuslibet rebus vilissimis saltem, et abjectis omni modo vitetur, quia abominatio monachis est, et infamium quidquam possidere superfluum, aut reservare proprium, vel occultum, quod non longe ab Ananiæ et Saphiræ

D exemplo segregatur. » Quæ est sententia S. Augustini serm. 27 *De verbis apost.*, ubi de Anania loquens : « Dum ex eo, inquit, quod promiserat partem subtraxit, sacrilegii damnatur et fraudis. Sacrilegii, quod Deum in pollicitatione fefellerit : fraudis, quod integris muneribus portionem quamdam putaverit subtrahendam. » Hunc sequitur Chrysostomus in Acta apost. hom. 12 : « Quare, inquit, hoc fecisti ? (Ananiam alloquitur). Voluisti habere ? Oportebat initio habere, et non promittere : nunc autem postquam consecrasti, majus sacrilegium commisisti. » Œcumenius in eamdem currit sententiam dum Ananiæ peccatum sacrilegium vocat. Quod faciunt Arator lib. I in Acta, Beda, Hugo, Lyranus in cap. V Actorum : Imo et Theodorus Beza cum in hoc caput scribit, num. 2 : « Ananias et Saphira cum hoc prædium Domino consecrassent, postea per sacrilegium partem pretii seposuerunt, ne in Ecclesiæ conspectum veniret :

quod tamen dissimulabant; ita ut ad sacrilegium etiam accederet diffidentia et hypocrisis. » Quare vere sacrilegii sunt monachi, qui proprietatis vitio laborant, cum ex eo quod monasterii facultates, quæ ad Deum spectant,qui usum tantum facti non juris, aut dominium utile, non absolutum, ipsorum præpositis reliquit: tum quod cum paupertatem monachi voverint,peculiaritate voti desertores fiant.Quæ autem pœna maneat monachos, seu cœnobitas proprietati studentes; hæc est, cum ex Ivone hac epistola: tum ex cap. *Cum ad monasterium*, et *De statu monach.* ut a cæteris in morte separentur, communeque sepulcrum non habeant cum aliis fratribus. Quod ita cavit concilium Anglicanum sub Lanfranco Dorobernensis, seu Cantuariensis Ecclesiæ archiepiscopo Londini anno 1075, celebratum his verbis: « Ex regula B. Benedicti, Dialogo Gregorii et antiqua regularium locorum consuetudine,ut monachi ordinem debitum teneant,etc. Si quis vero aliquid proprii sine præfata licentia habere in morte fuerit deprehensus, nec ante mortem id reddiderit,cum pœnitentia et dolore peccatum suum confessus, nec signa pro eo pulsentur,nec salutaris pro ejus absolutione hostia immoletur, nec in cœmeterio sepeliatur. » Imo, si sepultura jam donatus fuerit,effodiendum canones jubent et in sterquilinium projiciendum asserunt. Ita cap. *Cum ad monasterium* supra citatum § 2: « Quod si proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra monasterium in sterquilinium subterretur; secundum quod B.Gregorius narrat in Dialogo se fecisse, » lib. nimirum IV,c.56.Idque dummodo sine scandalo fieri possit, ut habetur ex eod. tit. cap. *Super quodam.* Quare tantæ nequitiæ malum velut gehennæ præcipitium, et quasi iter conducens ad infernum evitet monachus secundum B. Leandri lib. *De institutione virginum*, c. 18, consilium. Videndus Joannes de Turre cremata in Regul S. Bened. c. 97. Quo anno hæc epist. scripta fuerit non constat.

AD EPIST. LVIII.

Congregationi Senonensi B. Stephani, id est canonicorum matricis Ecclesiæ collegio, seu ut vulgus loquitur, Capitulo ædis primariæ, quæ sub S. Stephani nomine dicata est. De urbis vero Senonensis dignitate legendus est Claudius Robertus in Catalogo archiepiscoporum ipsius.

222 *Electum vestrum.* Daimbertum intelligit, qui, Richerio vita functo VI Kal. Januari 1096, a clero Senonensis Ecclesiæ in archipræsulem electus est ex archiclavi et vicedomino. De eo consecrando consulit Hugonem archiepiscopum Lugdunensem Ivo epistola 59 sequente, et epistola 60, ejus prohibitioni defert: ita ut manus ab ejus consecratione continuerit,ut loquitur ipse. Cum autem Daimbertum 1096 electum fuisse dixerimus, quo anno hæc scripta sit epistola nemini dubium esse potest.

AD EPIST. LIX.

A versutia Turonensis archiepiscopi. Radulphi hujus nominis secundi, qui præpositura in ecclesia Aurelianensi fungens, Joannem quemdam ejusdem ædis archidiaconum vulgi rumoribus omnino diffamatum intrudere conabatur, nullumque non movebat lapidem quo Sanctionem episcopum jam consecratum de dignitatis adeptæ fastigio pessum daret; ut epistola 66 et 67 constat. Cum autem fraude dicti Radulphi Sanctio anno 1099 depositus fuerit, hanc epistolam eodem scriptam suspicor.

AD EPIST. LX.

A Puteacensibus. Hugone scilicet patre, Ebrardo, et altero Hugone, Guidone, et Waleranno ejusdem Hugonis prioris filiis qui ipsi Ivoni, nec non Ecclesiæ Carnotensi cui plura subsunt in Beloia oppida et possessiones,damna intulerant multa, ædes campestres diruerant,fruges ipsarum igne et ferro consumpserant, jura episcopatus divertere, et sibi vindicare moliti fuerant, propter quas sibi, et Ecclesiæ suæ illatas injurias, tam ipse Ivo,quam alii episcopi, eos sacris interdixerant. Hugoni autem legato succenset Ivo, quod se inconsulto communioni Ecclesiæ restituisset nulla damnorum, quæ perpessus fuerat, facta satisfactione. In concilio quidem Vernense 1, can. 9 legitur. « Quod si aliquis se reclamaverit injuste sit excommunicatus, licentiam habeat, ad metropolitanum episcopum venire, et ibidem secundum canonicam institutionem dijudicetur, interim suam excommunicationem custodiat. Quod si aliquis ista omnia contempserit,et episcopus emendare minime potuerit, regis judicio exsilio condemnetur.» Ibi ne verbum quidem, quod a metropolitano, vel primate possit absolvi,imo potius quod excommunicationem suam custodiat;quare Ivo justam conquerendi de Hugone legato ansam nactus erat:Hanc vero epistolam anno 1099 scriptam contendit Baronius num. 4. Ego 1096 cum eodem Hugo et Ebrardus Puteacenses Hierosolymitanum iter aggressi sint, et inter proceres legantur apud Tyrium lib. I, c. 7; lib. II, c. 1 et lib. VI, c. 17. Order. Vital. lib. IX et Sugerium in Ludovico Crasso, qui de Hugone alterius Hugonis filio loquens: Pater ejus, ait, mira superbia in primordio Hierosolymitanæ viæ arma assumpserat. » De Ebrardo vidimus supra ad epist. 47, etiam epist. 75 et 76 sequentem.

AD EPIST. LXI.

Secundum consuetudinem Ecclesiæ nostræ, synodum VII Kal. Novemb. celebrare debemus, Bis in anno synodos celebrare Nicæno I, c. 8; Antiocheno 1, can. 18. Regiensi can. 4, Arausicano I, can. 29, aliisque pluribus decretum fuit, ut est apud Grat. 18 dist. *Habeatur et Propter.* Kalendis nempe Martii et Octob. Et quamvis illud in octava synodo abrogatum fuerit,ead. 18 dist. *Quoniam quidem*, in Ecclesia tamen Carnotensi servatus est mos bis in anno synodos celebrandi,Martis, Mercurii, et Jovis intra octavas Pentecostes ab archidiaconis et capitulo Carnotensi, et Mercurii post festum S. Lucæ evangelistæ. Unde hanc epistolam 1099 scriptam colligo, quod eodem anno septimus Kal. Octob. in diem Mercurii inciderit, cum littera Dominicalis illius anni fuerit B.

Vivernensis electi. Guidonis scilicet, non Hervei, vel etiam, ut scribit Sausseius Hugonis, quorum ultimus cum esset ex Autissiodorensi canonico Nivernensis electus, 1103, velletque eum Hugo Lugdunensis primas apud Æduos suæ provinciæ consecrare, obstitit Ivo, quod nullus episcopus extra provinciam consecrari debeat, dist. 64 et 65. Prior autem ex Severtio in Nivernensium episcoporum serie electus fuit anno 1097. De Guidonis igitur electione explicanda est tabella, cum anno 1099 electus fuerit Guido, cui hanc epistolam Baron. num. 22, ascribit, quod non inficior.

AD EPIST. LXII.

Adelitia Puteacensis castri domina. Hugonis Puteacens. uxor, Hugonisque alterius Ebrardi Guidonis et Humbergæ mater, ut ex S. Petri in Valle Carnotens. aganone, fol. 103 et 109 colligo.

Parochiam. Hic parochia pro integra diœcesi usurpatur, ut apud auctores sæpe.

De clericis autem vel monachis Puteacensibus. Intelligit Ivo monachos Majoris monasterii, ad quos Puteacensis cella seu prioratus pertinet, qui, cum ab episcoporum correctione sint immunes suo utebantur privilegio, et interdictum ab Aurelianensi episcopo Sanctione, in cujus diœcesi Puteacum situm est, indictum, observare recusabant.

De Gervasio. Is Castrinovi Thimeriarum dominus fuit in diœcesi Carnutensi, ut ex epistola 261 sequente patet. Hanc autem Ivonem scripsisse anno 1099 planum est, cum Sanctio, cui eam mittit, eodem anno episcopatum Aurelianensem adeptus sit, et eodem privatus.

AD EPIST. LXIII.

Nihil ad hanc epistolam dicere possum, nisi quod scitu certe digna est, et quæ a sacerdotibus et novatoribus legatur, ut illi suum officium agnoscant: hi in alterius præjudicium, quod ad eos non spectat ministerium haud usurpare, addiscant.

AD EPIST. LXIV.

Joanni Aurelianensi electo. Is Radulfi Turonum archiepiscopi, æmulorumque Sanctionis arte, in Aurelianensem, decessore expulso, cathedram intrusus est vertente anno 1099, quo et scripta epistola fama licet discurrente sinistra quod ipse postica Venere abuteretur. Joannes alter Radulfi germanus illud satis ex dictis compertum habetur, et ex Ivone epist. 66, 67 et 68 amplius patebit.

AD EPIST. LXV.

Latiniacensem abbatem. Lagny, diœcesis Parisiensis in archidiaconatu Briæ, ordinis Sancti Benedicti, inter Lutetiam Parisiorum et latinum Meldarum, ad Matronam fluvium. Sanctum Furseum Scotum habuit auctorem: **223** Heribertum vero Campaniæ, seu Trecarum comitem, qui ibidem mortuorum resurrectionem exspectat, restitutorem circa annum 993.

AD EPIST. LXVI.

Abbas Burguliensis. Baldricus scilicet Aurelianis oriundus, qui cum Burgoliensibus nomen dedisset, ejusdem monasterii abbas electus est anno 1083. Natalia Bercosoli cum prælationem ambiret, nec obtinuisset, Dolensi tandem potitus est anno 1108, ut ipsemet in Historiæ suæ Hierosolymitanæ præfatione agnoscit; licet Argentreus Histor. suæ Armor. lib. III, c. 44, post Rodlandi Dolensis episcopi obitum anno 1111, id accidisse narret. Cum tamen certum sit illum post Wigrinum Carnotensis Ecclesiæ cancellarium qui electionem de se factam acceptare recusavit, statim electum. Confer cum dictis ad epist. 176 sequentem. Hujus Order. Vital lib. IX Hist. suæ eccles. sub finem his verbis meminit: « Hucusque venerabilis Baldrici prosecutus sum vestigia, etc. Præfatum seniorem, quem bene cognovi, veneranter honorare decrevi. Hic civis fuit Aurelianensis, monachus et abbas Burguliensis, liberalibus imbutus studiis, et religiosæ meritis vitæ venerabilis. Inde pro religione et sapientia ad gradum Dolensis archiepiscopatus delectione provectus est ecclesiastica. In episcopatu monachatum servavit, et cum monachis prout sors dabat, plerumque habitavit. Indomitis enim Britonibus præerat, quorum perversitatem tolerare non poterat; unde protervos et exleges frequenter deserebat, et in Northmanniam fugiebat, ubi Dolensis Ecclesia super Riselæ fluvium a temporibus sancti Sansonis, Regnante Hildeberto rege Francorum, fundos habebat, et quiete pacificeque possidebat. Ibi scriptis et dogmatibus suis auditores suos ad Dei cultum incitabat, et vicina cœnobia Fiscanum scilicet, ac Fontanellam, atque Gemmaticum, aliaque plura visitabat, et in timore Dei sacris sermonibus confortabat. Tandem in senectute bona defunctus est et Pratellis in basilica S. Petri apostoli ante crucifixum sepultus est. » Die nimirum 7 Januarii 1129, vel etiam 1131, apud Severt. in Dolens. episcop. serie. De eodem Petrus Malcacensis abbas epistola ad eumdem missa sic loquitur: « Felix revera, et Deo amabilis terra Britanniæ tanti sideris illustrata coruscationibus. Exsultat Oriens apostolicorum Patrum doctrinis, ceu gloriosissima palma decorata; lætetur nihilominus et Occidens, primatis tanti titulis insignita. Deponat gens effera genuinam quodammodo feritatem, cursitans ad sui speculatoris mellifluam affabilitatem. Non imputetur ei ulterius fatuitas quædam naturalis, tam sapientissimi antistitis documentis informata. » Quædam scripta posteritati reliquit: Historiam videlicet Hierosolymitanam; Roberti de Arbressello, de quo pluries in his observationibus, A Vitam et gesta; S. quoque Sansonis ejus decessoris acta, et alia quædam quæ vel temporum injuria, vel sequentium incuria exciderunt, aut in situ et pulvere pascendis blattis adhuc delitescunt. Quoad vero epistolam, ipsam lucem vidisse labente anno 1099 vel saltem vertente 1100, ex ipsa facile intelligere licet. Est autem Burgolium monasterium Benedictinum diœcesis Andegavensis tribus leucis Gallicis a Salmuro distans, ab Emma Theobaldi primi senioris dicti Carnotensis comitis filia Guillelmi Pictonum comitis conjuge conditum et opimis reditibus fundatum circa annum Domini 992, ut in ipso fundationis instrumento legi.

AD EPIST. LXVII.

Ecce jam transacto hoc septennio. Hanc epistolam anno 1098 et non 1099, ut est apud Baronium ad hunc annum num. 15 scriptam fuisse ex eo colligo, quod Ivo desinente 1090, inauguratus sit Carnotensis episcopus: ut alibi probo, et non 1092, ut B Baronius et alii contendunt.

AD EPIST. LXIX.

Stirpensis Ecclesiæ præposito. Stirpense, sive S. Petri de Stirpo, vulgo l'Estreppe, cœnobium est canonicorum regularium in diœcesi Lemovicensi.

Lemovicensis episcopus. Forte Guillelmus, Humbaldi ab Urbano dignitate semoti successor, qui tertio sui pontificatus anno, Genevo extinctus est circa 1099, quo forte hæc epistola scripta.

AD EPIST. LXX.

Monasterio S. Faræ. Pharæ monasterium vulgo dicitur *Farmoustier*, quod est ordinis Benedictini diœcesis Meldensis, a S. Fara divi Faronis Meldensis episcopi sorore conditum circa 660. Hanc vero epistolam anno quo supra dum belli sacri causa Adelæ maritus abesset, scriptam C puto.

AD EPIST. LXXI.

Guillelmo glorioso rege Anglorum. Ruffo dicto, hujus nominis tertio Northmannorum duci, Anglorum regi secundo post Guillelmum patrem, qui cum anno 1088 inauguratus sit, saltem ante illum hanc epistolam scriptum fuisse negari potest sicut et post 1100, et adeo anno 1099, missam arbitror. Hanc ad ipsum missam a Carnotensi capitulo epistolam in ms. codice qui penes me est, invenio, quæ ne excidat hic apponam: « G. Dei gratia Anglorum regi A. decanus et Ecclesiæ Carnotens. canonici, ei placere per quem reges regnant Non modica tibi incumbit probitatis necessitas, si patris tui gloriosi atque magnifici regis virtutem, et matris tuæ sanctissimæ, atque excellentissimæ reminisceris prudentiam, quorum mors sicut humano generi incredibiliter damnosa exstitit, ita omnibus in commune incredibilem mœrorem attulit. D Bene tamen est, Dei gratia, quod te superstitem habemus in quo paternæ fortitudinis imago ita repræsentatur, ut parum distet, quin patris identitas magis quam similitudo exprimatur. Hæc ad te scripsimus non mendicando; sed in notitiam tuam venire desiderando, obsecrantes ut nobis dilectionis vicem reddas, non enim erit amor tuus infructuosus, si eum Ecclesiæ matris Dei impendas; quia, sicut apud auctorem suum et filium obtinere meruit specialem dilectionem, ita etiam habet pro quibuscunque voluerit præcipuam interveniendi potestatem. Vale. » Potuit vero hæc epist. mitti 1088, statim post ipsius inaugurationem.

Nivardum de Septolio. De hoc Ordericus Vitalis lib. X eccles. Hist. pag. 767, ad annum 1099 **224** his verbis agit: « Guillelmus rex cum Guillelmo duce Pictaviensum ductu Alinarici juvenis (de Monteforti) et Nivardi de Septolio, » etc. Est autem Septolium oppidum diœcesis Carnotensis et archidiaconatus

Pisciacensis *Septueil* vulgo dictum; quare Nivardum illum Ivo suum parœcianum appellat, quod in sua diœcesi moraretur.

AD EPIST. LXXII.

G. abbati S. Guandregesili. Girardus is fuit, qui Lanfranco suffectus est 1091, et hujus monasterii curam usque ad annum 1125 gessit ex Cl. Roberto in abbatiis Galliæ sub Fontanellæ nomenclatura. Ex quo annus missionis epistolæ hujus vix judicari potest. Quæ de altarium reconsecratione hic scribit Ivo, jam exolaverunt, neque amplius servantur, sive ex consuetudine, sive ex ignorantia.

AD EPIST. LXXIII.

Bernardo Majoris Monasterii abbati. Inter Majoris Monasterii abbates in lib. De gestis episcoporum Turonensium et abbatum Majoris Monasterii, citius reponitur. Ibi enim dicitur: « Hic rexit Ecclesiam istam usque ad annum 1036, tredecim videlicet annis et obiit VIII Idus Maii. » Quod cum vero stare non potest. Bernardus enim ille fuit tantum electus abbas post Bartholomæum, qui VI Kal. Martii anni 1083, vel circa desiit, ut P. ad epistol. 4 annotavimus. Quod ex charta 189 chartularii ipsius monasterii « De beneficiis quæ in Vindocinensi provincia, seu archidiaconatu sita sunt, » patet, cum ibi dicatur annum quo Urbanus papa II, ecclesiam Majoris Monasterii consecravit (qui fuit anno 1096), decimum tertium ejus administrationis fuisse. Hanc autem epistolam circa hunc annum, aut paulo post scriptam fuisse reor, quod de ejus benedictione in ipsa mentionem faciat tanquam de re recenti.

Promotionem abbatis faciat episcopalis benedictio. V. Glossam in Clement. *Attendentes, de statu regular.* Joann. Andr. et Henricum Ostiens. ad cap. *Tuam* 10 *de ætate et qualit. ordinand.*

AD EPIST. LXXIV.

Hildeberto Cenomanensi episcopo. De hoc ita Order. Vital. lib. X Hist. ecclesiast., pag. 770 et 771, scribit ad annum Christi nati 1098: « His temporibus venerabilis vitæ Hoellus, genere Brito, Cenomannorum episcopus defunctus est. Helias autem comes Goiffredum Britonem decanum ejusdem Ecclesiæ ad episcopatum elegit; sed perveniens clerus Hildebertum de Lavarceio archidiaconum in cathedra pontificali residere compulit. » Et paulo infra: « Hildebertus autem post mortem Gisleberti Turonensis archiepiscopi, a clero et populo electus est, nutuque Dei de Cenomannico culmine metropolitanam sedem adeptus est. Hic mansuetus fuit, ac religiosus; et tam divinarum, quam sæcularium eruditionis litterarum studiosus, temporibus nostris incomparabilis versificator floruit, et multa carmina priscis poematibus æqualia, vel eminentia condidit, etc. Eleganter enim et sapienter loquitur de Christo et Ecclesia, de corpore et anima, de gestis sanctorum et virtutibus eorum, de laude virtutum et vituperatione vitiorum, etc. Hic sacer heros fere 35 annis præsulatus officium exercuit, studiisque bonis in docendo et faciendo specialiter institit. Ecclesiam S. Gervasii, ubi corpus eximii confessoris Christi Juliani requiescit multis modis laudabiliter decoravit, » etc. De ipso quoque Hildeberto Baronius ad 1107, num. 14, honorifice satis loquitur, quem consule: hanc autem epistolam anni 1100 initio scriptam esse necesse est, cum eodem die 5. Nonas Augusti Guillelmus Russus de quo hic suppresso nomine agit Ivo et qui proditionis insimulabat Hildebertum in Nova foresta, quæ apud Anglos est, ictu sagittæ interiit, ut Order. Vital. lib. X, p. 783 refert.

AD EPIST. LXXV ET LXXVI.

Joanni Aurelianensium episcopo. Hujus nominis primo non secundo. Id enim quod supra ad epistolam 60 dixi, ut aliter sentiam non patitur, siqui-

A dem Puteacenses pater, mater et filii, ab Ivone diris devoti, anno 1095, ecclesiasticæ communioni restituti sunt ab Hugone Lugdunensi anno 1096, antequam bello sacro nomen darent: imo Ivo ipse Sanctioni Aurelianensium episcopo epistola 6 scribit, se pacem fecisse cum Adelicia Puteacensis castri domina, et suam ei injuriam remisisse. At Sanctio Joanni illi primo suffectus est anno tantum 1099, quo adversus Hugonem Puteacensem Adeliciæ maritum, qui tunc in Syria agebat, cum eo anno Hierusalem a Gofrido Bullonio et Francis capta fuerit, de injuriis sibi ab ipsis illatis conqueri non poterat, vigente maxime treuga Domini, qua cruce signatis et transmarina expeditione accinctis induciæ impertiebantur, ut habetur epistola 168 sequente, nisi dicatur, illis Puteacensibus dominis, Hugone scilicet et Ebrardo, ad sua anno 1099 reversis, ad votum rediisse et novas injurias Ivoni intulisse, quod sane non inficior, cum eodem anno
B Daimbertus Senonensem sedem, Joannes II Aurelianensem occuparent, et Guido Nivernensis dicebatur electus, quod nondum esset confirmatus.

In Arvernensi concilio. Desunt sane plures hujus concilii canones, cum inter eos qui a Baronio vulgati sunt cum ex Lamberto Atrebatensi episcopo, tum ex Franc. Belforesteo, qui eos ex Sandionysiana Bibliotheca descripsit, et aliis, nihil eorum de quibus agit Ivo hic, inveniatur. Canone siquidem 32 editionis Lambertinæ tantum dicitur: « Si quis episcopum ceperit et incarceraverit, perpetuæ infamiæ subjaceat, ulterius arma non exerceat; » et can. 9 posterioris editionis habetur: « Qui manus injecerit in episcopum, vel eum in vincula, aut carcerem duxerit, impius declaretur, et ut legis, cognitionisque Dei expers anathemathe feriatur, atque ab ecclesiæ communione rejiciatur. » Ne verbum quidem de excommunicatione aliorum episcoporum. Fieri tamen potest ut ampliores fuerint concilii hujus
C canones, cum alii citentur a scriptoribus, qui tamen inter vulgatos non reperiuntur, imo non concordant qui in lucem prodierunt, et Ivonem, qui concilio aderat, imponere velle veritati, æstimandum non sit.

AD EPIST. LXXVII.

Hugoni Belvacensis Ecclesiæ decano. Cognominabatur **225** de Gerberoy ex Cl. Roberto in Belvacensium episcoporum serie num. 49, et Louveto hist. Belvac. lib. IV, c. 23.

Adversus episcopum. Anselmum Belvacensem antistitem, qui sedem iniit 1099, et porrexit ad XII Kal. Decembris, quo desiit.

AD EPIST. LXXVIII.

Monachis Dolensis monasterii. Dolense illud monasterium in Bituricensi provincia ab Ebbone toparcha Caroli Simplicis Francorum regis tempore, conditum est, circa 913, ad Augerim vel Indrum
D fluviolum vulgo l'*Indre,* despicabilem visu, sed crebra in multiplices discursus alvei sectione, ac paludum aliquantis in locis ad transmeandum difficilem, ait Aimoinus Floriacensis, qui in Biturigum finibus supra Castram inter Rodulphi castellum et idem Dolense Asceterium oritur. Dolensis vero Ecclesia ab Urbano II S. P. dum in Galliis ageret 1095, dedicata est, quæ cum a segregibus Hugonotis eversa fuisset, monachi illius celebris abbatiæ et S. Gildasii vicinæ sæculari toga donati sunt anno 1623 a Gregorio XV P. M., procurante Henrico Borbonio Condæo principe, qui eo die quo hæc scribebam ab humanis excessit, et annuente Ludovico XIII, Francorum rege, qui canonicorum in S. Martini Castri Rodulfi Ecclesia sodalitium institui permisit, quorum inspaternatus, seu nominationem eidem principi permisit V. CC. Robert. in abbatis Galliarum L. D. V. *Dolense.*

Bernerii quondam Bonævallensis monachi. Bonæ-

vallensis abbatis futuri, qui tunc Dolensis electus fuerat, de quo I ad epist. 147.

De monasterio Crucis. Quod alias dicitur Crux Heltonis vel Madriacense cœnobium, seu etiam Crux S. Leufredi diœcesis Ebroicensis ordinis Sancti Benedicti, quod ibi gloriosus confessor Christi Leudfredus tempore Hildeberti et Hiperici juniorum regum Domino feliciter 48 annis militasse legatur, ut habet Ordericus Vitalis lib. IV Histor. ecclesiast., pag. 524 et seq.

Guimondo. De hoc idem Ordericus ubi supra, sic scribit : «Guitmondus venerabilis monachus cœnobii quod Crux Heltonis dicitur, ubi gloriosus confessor Christi Leudfredus, ut S. regio jussu accersitus Pontum transfretavit, et oblatum sibi a rege et proceribus regni onus ecclesiastici regiminis, omnino repudiavit. Erat enim ævo maturus, et religiosus, ac scientia litterarum eruditissimus, cujus ingenii præclarum specimen evidenter patet in libro de corpore et sanguine Domini contra Berengarium, et in aliis opusculis ipsius. Hic itaque cum a rege rogaretur ut in Anglia secum moraretur, et congruum tempus eum promovendi præstolaretur, secum subtiliter deliberavit, suique votum propositi aliud esse demonstrans, regi respondit. Multæ causæ me repellunt ab ecclesiastico regimine, etc. Admiratus rex cum proceribus suis insignis monachi constantiam supplex, ac devotus impendit ei decentem reverentiam et competenter honoratum, jussit eum remeare in Neustriam, ibique quo vellet suam præstolari præsentiam, etc. Non multo post defuncto Joanne Rothomagensium archiepiscopo, rex et alii plures Guitmundum ad archiepiscopatum elegerunt; sed æmuli ejus, quos idem vituperaverat, ne archipræsul fieret, quantum potuerunt, impedierunt. In tanto viro nihil objiciendum invenerunt, nisi quod filius esset presbyteri. Ille autem ab omni avaritia purgari volens, et inter exteros paupertate promi, quam inter suos dissensiones fovere malens, Odilonem monasterii sui abbatem, reverenter adiit, et humiliter ab illo licentiam peregrinandi petiit et accepit. Porro illitteratus abbas metire nesciebat quantus sapientiæ thesaurus in præfato doctore latebat, ideo desiderabilem philosophum de monasterio suo facile dimisit, quem Gregorius VII papa venientem ad se gaudens suscepit, cardinalem S.R.E., præfecit, et Urbanus papa jam probatum in multis metropolitanum Adversis urbis solemniter ordinavit. Hæc urbs tempore Leonis IX papæ a Northmannis qui primo Apuliam incoluerunt constructa est : et a Romanis, quia ab Adversis sibi cætibus ædificabatur, adversis dicta est. » Haud diu stetit, cum a Rogerio Siculo principe solo æquata fuerit 1135 ex Chronico Beneventano. De Roberto quædam habeo in membranis, sed non ad manum : de uno sufficit, ut cui de alio dicitur, fides adhibeatur.

AD EPIST. LXXIX.

Philippo Trecassino episcopo. Sedit ab anno 1080, vel 1082, ex Camusato in Prompt. antiquit. Trecen. ad 1114, et infra. Synodus autem de qua hic loquitur Ivo, habita est circa 1099, quo anno ad finem vergente, Guido, Nivernensis electus, consecratus est, et hæc epistola scripta.

Sed, quia ad concilium vocatus non venisti, etc. De pœna episcopis ad synodum non venientibus infligenda, habetur 18 dist. cum pervenit et aliis, apud Ivonem lib. IV, tit. 2, c. 3 et 6. Panorm. et parte V, decr. c. 114, sed et apud Ant. Augustinum lib. VI juris vet. pontif. epit. tit. 65.

AD EPIST. LXXX.

Willelmo Fiscanensis monasterii abbati. De eo sic Order. Vitalis lib. III, p. 495 : « Willelmus autem de Ros Bajocensis clericus qui in eadem Ecclesia triplici erat honore præditus, erat enim cantor, et decanus, et archidiaconus, etc., non multo post sæculi pompas sponte relinquens, Cadomensis monachus

A factus est, et inde priusquam unum annum in monachatu proficeret, ad Fiscanensis cœnobii regimen assumptus est, » et lib. XI, pag. 832 de illo loquens: « Hic venerabilis vir, inquit, bonis moribus pollens laudabiliter vixit; et multarum nectare virtutum imbutus a pueritia viguit, et in clericatu, ac monachatu speculum bonorum operum mundo resplenduit. Præfatum vero cœnobium adhuc in monachico schemate neophytus suscepit, fere 20 annis gubernavit, et in multis intus et extra emendavit. » Dicebatur quoque pro decore Puella, ut ipse Ordericus scribit, qui illum Lexoviis 661, Henricus I, Anglorum rex, conventum, seu comitia Northmanniæ procerum indicarat, rederntem, hominem exuisse asserit mense Martio 1107, atque ante aram gloriosæ Virginis Mariæ ecclesiæ Fiscanensis recens ab ipso exstructæ sepultum. Huic Hildebertus Cenomanensis episcopus Epicedium cecinit, quod tumulo affixum adhuc legitur :

B *Pauperibus locuples, et sacri nominis abbas*
Willelmus, solo corpore cultor humi.
Liber ab Ægypto rediens, deserta reliquit,
Jamque Jerosolymam victor, ovansque tenet.
Cum vitiis odium, cum moribus ille perennem
226 *Pactus amicitiam, firmus utroque fuit.*
Luce gravi nimium, quæ sexta præibat Aprilem,
Redditus est patriæ spiritus, ossa solo.

De motione altaris, vel parietum ecclesiæ, utrum iteranda sit consecratio. Ad primam partem quæstionis respondet Innocentius III papa in Epist. ad Nidrosiensem episcopum. « Altare, inquit, in quo tabula cui consecrationi benedictio pontificali ministerio adhibetur, si mota, vel enormiter fracta fuerit, debet non immerito consecrari, » quod sentiunt Sylvester in Summa verbo *Altare*, num. 6 et 7, et verbo *Consecratio*, II num. seu § 7 et 8, et DD. in c. *Proposuit de consecrat.* ; ad secundam respon-
C det Durand. lib. I Ration. div. officii, rubrica de dedic. eccles. circa medium, quem lector videre poterit. Hanc vero scriptam existimo, antequam nova, quam exstruxerat Willelmus qui supra, apud Fiscanum basilica, a Willelmo Rothomagensi archiepiscopo, aliisque quatuor præsulibus XVII Kal. Julii consecraretur et dedicaretur, ut est apud Ordericum loco ultimo cit.: quo anno incertum, nisi is fuerit annus 1100, vel 1101, quo ex iis quæ habent Orderic. lib. V, pag. 568, et Dadreus in historiali archiepisc. Rothomag. Chronolog. Willelmus Rothomagensis obiit, quamvis chronicon S. Stephani Cadomensis eum devixisse tantum anno 1110 scribat. Si enim ut habet Dadreus incœpit Willelmus anno 1079, et rexit secundum Ordericum 22 annis, vita cessisse anno 1101 verum est, atque ita hanc epistolam uno, vel altero ipsorum anno scriptam fuisse conjici potest.

AD EPIST. LXXXI.

D *Paschalis summo pontifici.* Urbani II successori, qui, eo sublato IV Kal. Aug 1099, ut habent Onufrius et Baronius ad annum 1100, num. 1, a Gregorianæ partis cardinalibus XVIII Kalend. Septembris ejusdem anni pontifex maximus Romæ renuntiatus est, et sequenti die coronatus. Is erat natione Tuscus, oppido Blera in comitatu Galliatæ, domnus Reginerius vocatus, professione canonicus regularis Lateranensis, mox Cluniacensis monachus, abbas SS. Stephani et Laurentii extra muros urbis, et presbyter cardinalis S. Clementis a Greg. VII papa creatus. Sedit contra [pseudo] Clementem III, antipapam, an. 18, mens. 5, dieb. 8 : scriptam hanc epistolam fuisse contendit Baronius an. 1100, num. 14, cui facile annuo. Gratulatorio est enim Paschali pro recenti ipsius ad summum Ecclesiæ apicem evectione.

AD EPIST. LXXXII.

Daniel. Forte qui postea abbas Ebronensis (vulgo

Euron) anno 1123 fuit. Est autem Ebronium monasterium ordinis Benedicti in Cenomanis inferioribus Beatæ Mariæ Virgini dicatum ab Hadoindo Cenomannorum episcopo duodecimo, circa 650, regnante Clodoveo III, Francorum rege. Vide Gauffridum Vindocinensem lib. I, epist. 3, et Sirmundum ibi, et ad epist. 20, lib. V.

Ad Epist. LXXXIII.

A metropolitano vestro. Manassæ d'*Affray*, seu Castilloneo Urbani II, nuper e papæ gentili Remensi archiepiscopo, de quo supra ad epist. 48.

Suessionensi episcopo. Vocabatur Augo Nivelonis de Petrafonte frater, qui Hierosolymitanum iter aggressus, Aquilæ obiit 1103, de hoc ad epistolam 42 diximus.

Ad Epist. LXXXIV.

Quod autem Pictavis, aut intra provinciam Aquitanicum concilium celebrare disponis. Huic loco illustrando multum affert, quod Goffridus Grossus in Vita Bernardi Tyronensis abbatis primi scribit, qui liber quia nondum in lucem prodiit, hic subjicere ipsius testimonium non gravabor : « Per id tempus, inquit Goffridus, duo cardinales Joannes atque Benedictus, apostolicæ sedis legatione fungentes ad urbem Pictavim concilium convocarunt, in quo centum quadraginta Patres affuerunt, qui Philippum, regem Francorum, propter Fulconis consulis Andegavensium uxorem, quam in adulterio tenebat, anathematis vindicta percusserunt. Qua excommunicatione comperta, Guillelmus, dux Aquitanorum, qui aderat, totius pudicitiæ ac sanctitatis inimicus, timens ne similem vindictam pro consimilibus culpis pateretur, nimio furore incensus jussit omnes illos deprædari, flagellari, occidi. Quod ministris suis facere incipientibus pontifices et abbates huc illucque diffugiunt, et ut temporalem vitam retinerent, tuta latibula quærere contendunt. At vero Bernardus atque Robertus Abreselensis, qui concilio intererant, fortissimi justitiæ propugnatores, ac totius iniquitatis et injustitiæ expugnatores, ita immobiles, constantesque perstiterunt, ut nec ab incœpto excommunicationis desisterent, sed pro Christo mortem, vel contumeliam pati, gloriosissimum ducerent : et quamvis eis persecutores mortem non intulerint, isti, quantum in ipsis est, martyrium pertulerunt. » Hujus Joannis ad quem scribit Ivo, socii, seu collegæ ejus Benedicti et concilii Pictav. meminit fragmentum veteris exemplaris Floriacensis, Vincentius Belvac. lib. XXVI, Spec. hist. c. 68; Gaguin. lib. VI, statim post initium; Suger, in Crasso, et alii. Celebratum autem fuit hoc concilium anno 1100 ex Boucheto parte III, Annal. Aquit. c. 2, et Chronico Turonensi ad hunc annum. Quare Baronius merito hanc epist. anno eodem scriptam fuisse asserit num. 20.

Ad Epist. LXXXVI.

Stephano palatino comiti. Hanc epistolam suspicor scriptam fuisse ab Ivone Stephano Carnotensi comiti, anno 1110, postquam a Palestina rediit. Bis quippe ad iter Hierosolymitanum se accinxit anno 1096 et 1101. De primo videndi sunt Fulcherius Carnot. De gest. pereg. Francorum c. 1, et Robertus S. Remigii Remensis monachus *Historiæ Hierosolymitanæ*, lib. VI. De secundo Albertus Aquensis lib. quoque *Hist. Hierosol.* VIII, c. 6, et lib. IX, c. 5 et 6 ; necno Guill. Tyrius lib. X, c. 12 et 19, et Matth. Paris in Henrico I, p. 40. Ord. Vit. lib. X, p. 789. quibus locis Stephanum pœnitentia ductum quod Christianis apud Antiochiam obsessis suppetias non tulisset : imo et in maximum famæ suæ dedecus aufugisset, Hierosolymam rediisse 1101 et in Romæ obsidione ab Azoparto Babyloniorum satrapa captum, Joppe capite luisse scribunt.

227 Ad Epist. LXXXVII.

Stephanus de Garlando. Anselli militiæ Francorum principis frater et ipse regis concellarius et dapifer post Ansellum et Guillelmum germanos. Ex Chronico monasterii Mauriniacensis hoc addisco, quod ita habet lib. II, de Stampensi canonicorum sodalitio scribens : « Fovebat, *inquit*, eorum partes Algrinus quidam palatinus, et regalis clericus, et Stephanus cancellarius Anselli dapiferi frater, et privatissimus regis consiliarius, cujus tunc temporis arbitrio, regnum Francorum disponebatur, qui ambo canonici Stampenses erant. » Et paulo post : « Willelmus dapifer, ait, qui senescallus appellatur. Stephanus quoque cancellarius frater cujus consilio tota Francia regebatur. » Quibus, post tres vel circiter paginas addit : « Interea defuncto Willelmo Anselli dapiferi germano, Stephanus cancellarius, de quo supervivente fecimus mentionem, frater amborum Major regiæ domus effectus est. Hoc retroactis generationibus fuerat inauditum, ut homo qui diaconatus fungebatur officio, militiæ simul post regem duceret principatum. Hic vir industrius, et sæculari præditus sapientia, cum multis ecclesiasticorum honorum reditibus, tum familiaritate regis quam sic habebat, ut ei potius a quibusdam diceretur imperare, quam servire, temporali felicitate supra omnes mortales nostris temporibus efflorebat, etc. » Electus autem fuerat Belvacensis episcopus post Anselmi obitum Stephanus ille Garlandensis ; a qua tamen electione, Ivone adversante excidit Walone ejusdem Ivonis suasu cum a melioris famæ, et sanioris consilii clericis electus fuisset, suffecto a summo pontifice, Paschali II, verum repugnante Philippo, Francorum rege, et Crasso ejus filio, dignitatem Walo non obtinuit; sed ad Parisiensem Ecclesiam brevi translatus est; quare hanc epistolam eodem anno quo hæc fiebant, nempe 1103 scriptam fuisse censeo, quamvis reluctetur Baron. ad an. 1101, num. 8. V. epistolas sequentes 89, 92, 95, 97 et 98.

Ad Epist. LXXXVIII.

Domnum Hilgotum quondam Suessionensem episcopum. Ne nomen quidem inter Suessionenses præsules lego, forte quod etectus tantum episcopatum respuerit et monachismum amplexatus est, Ivone nondum ad cathedram Carnotensem evecto, ut ipse hic significare videtur.

Ad Epist. XCI.

Adelæ nobili comitissæ. Carnotensi, de qua jam supra diximus, quam ex mœrore amissi consortis in transmarinis, ut ex dictis ad 86 epistolam patet, interempti, lecto decumbentem solatur Ivo, et ei protectionem cœnobii S. Joannis in valle propter Carnutum a se recens conditi deprecatur. Prima enim ipsius jecerat fundamenta anno 1099 et canonicis regularibus addixerat juxta illud vulgatum ;

Centum, mille minus uno, currentibus annis.
Floruit hic primum locus ordine canonicali.

Ea autem in Ecclesia habet munus orationum, ut ipse Ivo loquitur hac epistola, id est Anniversarium VIII Idus Martii, ut ex Necrologio S. Joannis in Valle patet his verbis: obiit Adela comitissa Blesensis.

Domna Helisendis vicedomninæ. De ea ita Necrologium Ecclesiæ S. Joannis in Valle Carnotensi : « Sexto Id. Julii. Obiit Helisendis vicedomina, cujus consilio et auxilio habet ecclesia nostræ vicariæ partem quæ ad vicedominum pertinebat : villam etiam quæ vocatur Moncelli, atque Ermantarvillam. » Et in cartulario ejusdem abbatiæ legitur 1 p. c. 26, donum Ermantervillæ assentientibus Gauffrido episcopo Carnotensi, et Elizabeth filia ipsius vicedominæ sorore Hugonis vicedomini. Erat autem Helisendis uxor Guerrici vicedomini et mater Stephani etiam vicedomini, qui sæcularibus curis renuntians, abbas S. Joannis in Valle factus est, et postmodum

patriarcha Hierosolymitanus : de quo Tyrius lib. XIII, c, 25. Ipsius etiam Helisendis fit mentio in fundatione abbatiæ Josaphatensis anno 1120, et in Chartulario S. Petri in Valle Carnotensis. Fuit autem altera Helisendis vicedomina Carnotensis Gauffridi de Mellego vicedomini uxor ; sed sæculo integro posterior, ut est in eodem Josaphatensi Chartulario, quod moneo, ne quis in nomine decipiatur. Hanc vero epistolam scriptam puto 1101, vel 1102, postquam Henrici Stephani Carnotensis comitis mors innotuit. De qua Matth. Paris in Henrico I, p. 41.

AD EPIST. XCIII.

Daimberto Dei gratia Hierosolymitano patriarchæ. Arnulfo deposito suffectus est, ex Guiberti abbatis Hist. Hierosolym. lib. VII, c. 13, cum esset archiepiscopus Pisanus et illuc legatus a S. P. missus, quod etiam astruit Willel. Tyrius lib. IX Hist. Hierosol. c. 14 et 15. Hanc epist. assignat Baronius an. 1100, n. 34, ego 1101, cum eo anno Hierusalem Stephanus Carnotensis et Blesensis comes cum pluribus diœcesis Carnotensis militibus (quos parochianos suos appellat Ivo) usque ad sexaginta equitum millia, peditum vero ampliorem numerum, redierit.

AD EPIST. XCIV.

Carnotensis comes pravas consuetudines quas habebant antecessores sui et ipse in domibus et rebus Carnotensis episcopi. Episcopis fato functis Carnotenses comites, seu eorum officiales, quæcunque in episcopis, aliisque domibus remanebant, sui juris asserebant. Ut autem hanc vexationem redimeret Ivo ab Henrico Stephano in Syriam redeunte, jus illud obtinuit, suisque successoribus transmisit. Diplomate sequente firmatur concessio. et quæ essent pravæ illæ consuetudines demonstratur, fert enim : « Ego Henricus comes, cognomine Stephanus, necnon et Adela uxor mea, cum filiis nostris : Notum fieri volumus omnibus S. Dei Ecclesiæ fidelibus, tam laicis quam clericis, præsentibus et futuris, quia Ivo humilis Dei servus, venerabilis Ecclesiæ Carnotensis episcopus, præsentiam nostram adiit, et a nobis obnixe postulavit, quatenus domum pontificalem ; domum scilicet, quam ex lignea lapideam, ex vili reddidit speciosam, ab illa prava consuetudine, quam prædecessores nostri, et nos habuimus in ea huc usque, liberam esse concederemus : ne scilicet episcopis ab hac vita demigrantibus, vel aliqua occasione decedentibus, præfata domus dissiparetur; ne quid ferri, vel plumbi, vel vitri, vel ligni, vel lapidis asportaretur, vel obrueretur, ne a qualibet sua supellectili spoliaretur : Annona quoque **228**, vinum fenum, oves et boves, et cætera animalia, et omnia mobilia, quæ sunt in urbe, sive extra urbem congregata, vel collecta fuerint ante obitum, vel discessum episcoporum a nobis, et a nostris intacta dimitterentur, illis profutura, quibus episcopus reservare, vel donare, seu per se, seu per euchonomum [œconomum] suum decreverit, vel majores Ecclesiæ personæ, si id episcopo aliqua occasione prævento, facere non licuerit. Addidit etiam petitioni suæ, ut exactio quam vulgo *talliam* vocant, quæ, defunctis episcopis vel decedentibus, fieri solet in servientes episcopi, vel rusticos, simili consideratione condonaretur. Nos igitur tanti viri petitionem dignam frustrari indignam esse judicantes, et ecclesiasticas res augmentari potius quam deteri [deteriorari] debere cogitantes, ob remedium animæ patris mei, et meæ, et uxoris meæ, filiorumque meorum, rem prætaxatam a prava consuetudine liberam reddimus ; domum scilicet, et domus ejusdem ferrum, plumbum, vitrum, lignum, lapides, cæteramque supellectilem ; scilicet tabulas, scamna, scabella, vasa vinaria, lectos, necnon coquinas et horrea, granaria, cellaria, torcularia, furnos, furnorumque domos, sive in urbe, sive extra urbem ; silvas, ut non vendantur, nec succidantur, nec dentur. Annonam quoque, vinum fenum, boves et oves, et cætera animalia, omniaque reliqua mobilia, quæ congregata, vel collecta fuerint sive in urbe, sive extra urbem, ante obitum vel discessum episcopi cujuslibet, intacta a nobis et a nostris dimittimus, et nos, et filii nostri Will. profutura, quibus episcopus reservare, vel donare, seu per se, seu per euchonomum [œconomum] suum decreverit, vel majores Ecclesiæ personæ, si id episcopo aliqua occasione prævento facere non licuerit. Concedimus etiam, ut prætaxata exactio, quæ defunctis episcopis vel discedentibus, fieri solet in servientes episcopi, vel rusticorum, de cætero nunquam fiat. Et quia tam benigne ista concessimus ; concesserunt mihi et Adelæ uxori meæ episcopus et congregatio tota canonicorum B. Mariæ, ut per singulos annos anniversaria nostra celebrarentur temporibus suis in Ecclesia B. Mariæ. Si quis ergo prætaxatam pactionem annullare, vel debilitare conabitur, concedimus, quantum in nobis est, ut tam in urbe quam in suburbanis, divinum officium interdicatur, et tanti sacrilegii patratores admoniti, si non resipuerint, usque ad satisfactionem, anathematis gladio severissime puniantur. Si quis autem futurorum episcoporum in domo supradicta turrim, vel propugnacula ædificaverint, turris et propugnacula tantum destruentur, domus autem cum appenditiis suis inconcussa manebit. Ut autem pactum hoc firmum et inconcussum per succedentia tempora permaneat, placuit scripto mandari, et optimatum tam clericorum quam laicorum astipulatione roborari, et sigillorum nostrorum testimonio communiri. † S. Stephani comitis. † S. Adelæ commitissæ. † Guillelmi. † S. Stephani. † S. Odonis [*al.*, Hugonis]. † S. Theobaldi. Testes ex parte comitis et comitissæ, Stephanus Meldensis vicecomes, Galcherius de Montemirabili, Radulfus de Balgensiaco, Guicherius de Castra Ragmaldo, Guermundus de Cassellione, Carnerius Mangoth, Rotrocus comes de Persico, Stepanus vicedominus, Herbertus de Castellione, Paganus de Verziaco, Herveus Belo, Hugo Berbellus, Ansoldus Berbellus, Robertus Bellini, Bernardus Foristerius, Ragmaldus Capellanus, Alexander Capellanus. » De bonis autem episcopi defuncti non subripiendis, V. *Ant. Augustinens.* lib. IV, tit. 83, et lib. XV, tit. 34, per totos titulos.

AD EPIST. XCV.

Catalaunensis episcopus. Hugo, qui Philippo Theobaldi Carnotensis comitis et Aleidis filio successit. Hac enim epistola Philippum satis concessisse liquet. Fuit autem celebratum Pictavis, ex Chronico Turonensi, concilium, anno 1100, Henrici imperatoris 44 et Philippi regis 40.

Quod autem prædictus clericus in duarum civitatum titulari non possit ecclesiis. Hoc statuto fuisse in Claromontano, seu Arvenensi concilio clericis prohibitum refert Mattheus Paris Hist. Angl. in Willielmo II, pag. 15, col. 2, sed et longe ante Vitalianus papa ad Paulum Cretensem episc. epist. 3 id caverat. Renovatum est quoque decretum in conc. Pictavensi, anno 1100, ut ex eodem patet t. VII, Conc. parte I, can. 2, pag. 533.

AD EPIST. XCVII.

Lamberto Atrebatensi et Joanni Tarvanensi. De Lamberte P. ad epist. 33 dictum est : De Joann. Tarvanensi, sive Morinorum episcopo, nihil habeo, nisi quod in sanctorum album relatus est, et sedem suam accupavit ab anno 1099 ad 1127, de quo Meyerus lib. IV Annal. Flaudriæ ad an. 1101. Fuit autem Teroana seu Tarvana Caroli V. imperatoris jussu, anno 1552, funditus deleta vigentibus inter illum et Henricum II, Gallorum regem, bellis, cujus episcopalis sedes trifariam divisa, partim Bononiam (ubi veteribus Gessoriacus portus), partim Audomaropolim et Ipras translata est Quad epistolam, scriptam 1101 vel circa puto.

Ad Epist. XCIX.

Gualoni.S.Quintini Belvacensis abbati,Ivonis; ut epist. 184 et 105, sequente habetur, discipulo et apud eum nutrito et erudito.De hoc autem quod de matrimonio inquirit, videndi sunt auctores qui de publicæ honestatis impedimento scribunt. Confer epist. 144 et 145. Missæ sunt vero hæ tabulæ Gualoni 1102, quo electus fuit, Belvacensis episcopus ex Baron. ad hunc an. num. 8, vel saltem sequente.

Ad Epist. C.

Joanni Aurelianensis Ecclesiæ episcopo. Is est hujus nominis secundus qui anno 1099 Sanctioni expulso suffectus est.De quo Sausseius Annal.Aurel. lib. IX, et ad quem scripta fuit epistola circa 1101 aut 1102.

Altare de Basilicis. Rectus forte de Bazochiis, quæ in Aurelianensi diœcesi sitæ sunt, et ad episcopi Carnotensis jus patronatus spectant, ob temporale dominium earumdem, et loci de Balneolis. Quare minus recte Sausseius in Pullerio Aurelianensi nominationem Ecclesiæ de Bazochiis altis archidiacono Belsiæ in Ecclesia Aurelianensi tribuit, cum in episcoporum Carnotens. chartis, ad eorum nominationem pertinere dicatur.

Ad Epist. CII.

Hanc Baronius anno 1101, num. 12, scriptam fuisse contendit, cui non reluctor.

Ad Epist. CIII.

Sylvanectensis episcopus.Hugo, vel Letoldus, **229** qui Ivonis tempore vixerunt.

Ad Epist. CIV et CV.

Baronius ad annum 1101, num. 8,scriptam censet. Ego vero anno 1103, cum eo tantum Gualo,de quo proxime, electus fuerit Belvacensis.

Gualonem, nempe S. Quintini Belvacensis abbatem,quem refutato Stephano Garlandensi major et sanior cleri pars elegerat; sed altera, minore licet, prævalente, a Philippo rege,ejusque filio Ludovico Grasso, non admissum, quod Ivonis Carnotensis episcopi,cui tunc maxime ob incestas cum Bertrada nuptias, quibus obtinebatur Ivo,infensus erat princeps, discipulus et ab eo enutritus et eruditus, ut hac in epistola legitur, fuisset, et quod æmulorum fraude jurejurando se obstrinxisset rex non passurum quandiu in vivis ageret Gualonem fore Belvacensem episcopum. Quare summo pontifici scribit Ivo,ne tantam injuriam electo fieri patiatur, ni velit omnes futurorum episcoporum electiones irritas, aut Simoniaca labe infectas fore,si in regis arbitrio relinquerentur, et ab eo penderent.

Ad Epist. CVI.

Henrico excellenti Anglorum regi. Henrico scilicet primo, Guillelmi Conquestoris filio. qui Willelmo Ruffo fratre Anglorum rege exstincto,adversus Robertum primogenitum Germanum regno potitus est; ut docet Gemeticensis lib. VIII histor. Northman., c. 10, de quo etiam infra epistolam 118. Hanc autem epistolam Baronius anno 1100,assignat numer. 29; quod verum esse potest,cum ex eodem Gemetic. illo anno Henricus regale diadema susceperit.

Ad Epist. CVII.

Anglorum reginæ Mathildi, cognomento Bovæ, Malcolmi seu Milcolumbi Scotorum regis et Margaretæ Edgari Anglorum principis sororis filiæ natu majori; ut est apud Bucananum hist. Scoticæ lib. VII,et in genealogia ducum Northm.pag.213 Histor. Northman. De illa autem,et de conjuge Henrico,ita scribit Gemeticensis loco ultimo citato: « Ut autem idem rex legaliter viveret,duxit eodem anno Venerabilem Mathildem filiam Malcomi regis Scotiæ et Margaretæ, etc., Nec illud prætereundum, quod a S.recordationis Anselmo Cantuariensi archiepiscopo eadem Mathildis in festivitate Sancti Martini apud Westmonasterium Henrico regi nobilissimo despon-

A sata, et eodem die regali diademate insignita est. » De his vidend. Matth. Paris in Henrico I. Angl. rege ad an. 1101, pag. 40, col. 1. Huic autem eodem anno quo regi conjugi scriptam fuisse epistolam, asseri potest. Confer epist. 142.

Ad Epist. CIX.

Scriptam fuisse epistolam censet Baronius an. 1100, num. 15. Cujus conjecturam firmat Hugonis Lugdunensis archiepiscopi in legatum assumptio, quæ anno 1094 tantum contigit.

Ad Epist. CX.

Anno 1103 tribuit Baronius hanc epistolam numer. 12, ego 1104, cum eo ad Parisiensem episcopatum a summo pontifice translatus est Galo, In Cartulario siquidem Sancti Martini Cmpensis Paris fol. 37, annus 1107, dicitur sedis Walonis tertius et fol. 70, an. 1198, dicitur quartus.

Ad Epist. CXI.

Hæc epistola adversus Hugonem Puteaci dominum B scripta est Daimberto Senonensi archiepiscopo, ut eum a communione fidelium procul semoveret,terramque quam in sua possidebat diœcesi,interdicto submitteret,et Joannem episcopum Aurelianensem, ut idem faceret hortaretur,quod ad vomitum reversus, reditus cum episcopatus,tum Ecclesiæ Carnotensis sibi arrogaret quæ plurimorum quoque erat querimonia adversus præfatum Hugonem, ut in Cartulariis Ecclesiæ Carnotensis folio 1 Bonævallensis folio quoque 1 et Sancti Petri in Valle pluribus in locis legi potest.

Merarivilla. Mervillan esse suspicor diœcesis Senonensis, haud procul a Stampis, quæ tunc Puteacensibus Dominis parebat. In confirmatione tamen Ludovici Crassi Franciæ regis monachis Bonævallensibus eorum quæ decessores Galliæ reges ipsis concesserant Guidonem de Merevilla testem an. 1110, lego, qui illius vici poterat esse dominus.

Ad Epist. CXII.

C *Sed est Carnotensis et aliarum Ecclesiarum*. De aliis Ecclesiis non est quod dicam: sufficit de Ecclesia Carnotensi loqui, quæ summorum pontificum concessione habet, ut injuriatores suos sacrorum amotione puniat et ecclesiastica censura eorum pervicaciam coerceat. Quod ut cunctis exploratum sit, Bullam S. P. hic ascribam.

Ad Epist. CXIII.

Manasses. Is electus fuit Meldensis episcopus ex archidiacono an. 1103, quo forte hæc epistola scripta.

Ad Epist. CXVI.

Discordia seu controversia quæ inter Ivonem, suosque canonicos,et Adelam Carnotensem comitissam movebatur, hæc erat, quod Ivo et capitulum Carnotense immunitatem sui claustri violari quererentur, quodque de non admittendis in eorum sacrum cœtum, libertis, collibertis, et aliis vilibus personis,maxime vero decoctoribus,spuriis et vulgo D natis statutum ediderant; quod tantum invaluit,ut, sublatis servitutis aut libertatis legibus, ultimum adhuc perseveret. Nulli enim ad canonicatum et præbendam Carnotensem aditus patet,qui se ex legitimo matrimonio ortum sacramento non juret, ut infra ad epist. 147 dicetur. Potuit vero scribi hæc epistola anno 1103.

Ad Epist. CXX.

Roberto comiti Pontivensi. Robertum Talvatium **230** Bellismæ dominum intelligit, cui Pontivensis comitatus cum Agnete uxore, Guidonis Pontivi comitis filiæ,dotalitii nominis obtigerat.De quo Guill. Gemetic. lib. VIII, c. 35, et Ordericus Vitalis lib. VIII, p. 675 et 708.

Ad Epist. CXXVII.

Ludovico Dei gratia Francorum regi designato. Vergebat ad extremum Philippus, effetumque corpus lasciviæ dedita prior ætas reddiderat senectuti. Quare cum nec sibi, nec reipublicæ proficeret, aliquot annis antequam hominem exueret, omnem

regni sui curam in filium Ludovicum deposuit, ita enim Sancti Martini Campensis Chartularium fol. 82, in charta Godefridi Ambianensis episcopi de Ecclesia de Liniaco in fine : « Actum in Ecclesia Ambianensi anno 1104 Dominicæ Incarnationis, indict, 12, rege Francorum Philippo, duce exercitus filio suo Ludovico, » etc. Sed apertioribus verbis id habet fol. 66 verso, in charta Huberti Sylvanectensis episcopi, qua ex consensu domini sui Ludovici jam in regem designati confirmat donum Ecclesiæ Sancti Nicolai de Acy, factum a Roberto vicedomino ex consensu Letardi episcopi de cujus feodo erat Ecclesia Sancti Martini de Campis urbis Parisiensis anno 1106, sed et idem expresse scribit Sugerius in Crasso, ubi eum regem designatum (cum Boamundus Ludov. ejusdem Crassi sororem uxorem duxit) vocat, clarius præterea Chronicon Mauriniacense lib. II, cum ait : « Dedit nob. rex Philippus et litteris regalibus donationem hanc confirmavit, et Ludovico regi designato filio suo ut idipsum concederet, præcepit, » etc. Ex quibus et Gillio rerum Francicarum scriptore, anno 1105, vel circa scriptam epistolam puto.

Respectus. Hoc est quod idiomate vulgari dicimus *respit.* Ita etiam Goffridus Vindocin. ep. 24, lib. II : « Respectum usque ad festivitatem S. Beati accepistis, » et apud Sugerium Sandionys. Ab. pluries.

AD EPIST. CXXVIII.

Odoni confratri et compresbytero. Canonico scilicet Fani Quintiniani Belvac. cujus, ni fallor, est epistola frequens ad Ivonem, quam ex membranis veteribus profero : « Excellentissimo suo Patri et domino Ivoni Dei gratia Carnotensis Ecclesiæ episcopo, frater Odo in Dei servorum indignus computari numero salutem et orationes debitas, et in corpore summi pontificis, pontificaliter conglutinari. Charissime mi Pater et domine, vestræ tam reverendæ personæ tam etiam divina quam philosophica instructæ disciplina, meam quantulamcunque Minervam, et si Socratis philosophia disertior, aut Aristotelis peritia subtilior, aut Ciceronis facundia eloquentior supereminueret, vel audere, vel posse scribendo sufficere, haud unquam arbitror. Sed ne ex indignatione forsitan aut magna philosophici, vel magis divini eloquii inopia, labia consuere videar, non equidem præsumptuose, sed de necessariis animæ meæ conquerendo, scribere conabor. Verumtamen non ut vestræ modus eloquentiæ, aut vestræ tantæ gradus doctrinæ, aut vestræ summæ honestas religionis exigeret : verum prout meæ scientiæ modicitas, aut ingenii perspicuitas, aut vobis scribendi necessitas, admonuerit. Placeat igitur paternitati vestræ pupillorum vestrorum continentiæ formam cognoscere. Habemus enim bonum locum, idoneam Ecclesiam, optimum episcopum, libros multos, victum et vestitum : omnia denique quantum præsens postulat negotium (Deo gratias) admodum necessaria, inde Deum nobis benignissimum sentimus. Prælibata igitur exterioræ prosperitate, sciatis, Pater, interiorem languorem quam vehementem. Ecce quippe multis vulneribus casus meorum criminum labe contritus, satis superque habeo dolere, et utinam dolerem; sed non doleo vulneratus. Imo gaudeo mei oblitus. Nolite igitur, quæso, nolite sinere me absque vestris perire medicamentis; imo deprecemini summum medicum, quatenus me vestris intercedentibus meritis oleo misericordiæ infuso, leniat, evacuet, sanumque faciat. Si vero animæ meæ divini spiritus robur augmentaretur, ut decet, sarcinæ nostri laboris indesinenter participaretur. Quod enim sumus, et quidquid fuerimus, vobis totum debemus. Vos enim non parum diligere debemus pro universis bonis, quæ dum apud vos fuimus, piæ charitati vestræ nobis impendere placuit, pro quibus nimirum beneficiis summo Deo vestræque benignæ paternitati, laudes et gratias deferimus immensas. Utinam socios benignos et utiles, A pius et benignus Dominus mihi transmitteret. » Postea vero inter Ivonem et hunc Odonem quidam odii seu dissidii igniculus exarsit, ut ex epist. 151 colligere est, Odone quippe Sancti Quintini Belvacensis abbate facto, quod ejus potuit electioni reluctatus est Ivo.

AD EPIST. CXXIX et CXXX.

Gaufrido Vindocinensi comiti, Grisagonella dicto, qui Mathildem Roberti relictam nonobstantibus ab Ivone propositis impedimentis uxorem duxit circa annum 1105. Charta enim 277 chartularii Vindocinensis sequentia lego : « Omnibus notum esse volumus quod Gaufridus filius Gaufredi comitis, qui Grisagonella vocabatur, calumniam nobis fecit de terra quadam in qua olim boscus fuerat prope villam Dei, quam pater ipsius Gofridus comes nobis dederat, rogatu Mathildis comitissæ matris illius Gofridi, qui calumniam fecit, » etc. Unde Mathildem illam Grisagonellam duxisse indubium est. Quod B autem de consanguinitate affert Ivo inter Grisagonellam et Mathildis priorem conjugem, non ita certum. Ex eodem quippe Vindocinensis monasterii chartulario ipsorum genealogiam aliter se habere cognosco, fol. siquidem 131 II partis invenio Burchardum veterem Vindocinensem et Corbolienzem comitem genuisse Reginaldum Parisinum episcopum, et N. Fulconis Neoræ Andium comitis uxorem. E qua Adelitiam suscepit quæ ab avunculo suo Reginaldo, Burchardo cuidam potenti longius manenti in conjugio tradita est. Huic quatuor filios peperit, quorum primogenitus Burchardus avunculo defuncto Vindocinensi honore et Vastinensi potitus est, verum cum adhuc illos administrare præ ætate non posset, Fulco matris pater tutelam ipsius, honoremque suscepit, quem adulto puero remisit. Ex secunda uxore Fulco Gofridum qui Martellus dictus est, genuerat. Huic ex Henrici I Francorum regis assensu Burchardus ipsiusque mater Wastinensem et Vindo- C cinensem comitatus servandos commiserunt, usufructu tantum sibi **231** retento, Burchardo absque prole e vivis sublato, duplex ille honor Fulconi Anseri vel Anserulo (et Eufroniæ, quam Nifranam vocat Ivo) fratri delatus est, qui ex Petronilla uxore Lancelini Balgenciacensis filia, Burchardum juniorem dictum charta 222, p. 1, genuit, quæ Goffrido Jordano Pruliacensi dicto nupsit. Burchardo defuncto, Vindocinensis comitatus ad Eufroniam et maritum ejus Goffridum Pruliacensem devenit, ex quorum amplexu natus est Gofridus Grisagonella, qui Mathildem Hugonis Castridunensis vicecomitis filiam post obitum Roberti seu Radulphi Belgiacensis accepit uxorem, ut supra diximus et ex dicendis apparebit. Hic vero Radulphus Landrici de Balgentiaco dicitur filius, qui ab altero Lancelino, alias Landrico dicto, Landrici etiam alterius filio, originem ducebat. Qui in his perspicaciores sunt videant quæ ex ipsis eligant. Hæc autem epistola scripta fuit D circa 1103, quo anno vel præcedente, Grisagonella comitatum Vindocinens. Hierosolymis defuncto Goffrido Pruliacensi patre 1104 iniit.

AD EPIST. CXXXII.

Simoniacam hæresim me permittente in Ecclesia Carnotens, publice dominari. Simoniæ crimen id temporis in ecclesiasticis maxime notabatur (et vix aliquem qui ea peste non inficeretur reperire erat) a sua Ecclesia eliminare, quoad ejus potuit Ivo, annisus est ; sed irrito conatu : successor tamen Gofridus de Leugis eam Roberti Arbrescellensis hortatu omnino abegit. Quod ex Andræa Roberti Vitæ scriptore, ejusque socio addisco. Ita enim rem refert : « Quia Simoniaca hæresis, quæ Carnotensem canonicorum basilicam diutissime fœdaverat, concedente Gaufrido episcopo, cujus vita nostra quoque ætate suavissime redolet, atque concedentibus de majore ad minimum ejusdem cœnobii canonicis, in perpetua damnatione per Robertum nostrum exstincta est. Et ut hæc pestis exsecrabilis in eadem ec-

clesia in sempiternum omnino damnaretur, votum quod fecerunt, juramento firmarunt.» Juramentum autem illud tale est, quod ab eo qui præbendæ investituram exspectat, adhuc fit his verbis : « Ego N. canonizandus in ecclesia Carnotensi, juro super istas sanctas reliquias, quod pro ista præbenda, cujus investituram exspecto, non dedi, nec promisi ; nec alius pro me dedit, aut promisit, me sciente, aurum, vel argentum, vel pecuniam aliquam, vel aliud quod per pecuniam aliquam debeat, aut valeat comparari : et si promissum fuerit, per me non solvetur, » etc.

Si qua autem adhuc sunt quæ pro consuetudine antiqua publice exigant decanus et cantor, et alii ministri ab his qui canonici fiunt Intantum prævaluit usus (ne verius abusus dicam) ut ab Ecclesia Carnotens. nunquam eliminari potuerit illa exactio, quam juris, sive laudabilis appellatione consuetudinis palliant, quamque ab iis qui sacro cathedralis templi sodalitio inscribuntur, expetunt ratione examinis quatuor ipsius Ecclesiæ priores dignitates, abusus enim tempore non firmatur, cum ut regula juris habet : *Quod ab initio non valuit, successu temporis convalescere non possit.* De reg. jur. In 6 nemini quippe pro beneficio aliquid, vel minimum, recipere licet, maxime cum sequente bulla caveatur, quæ ita loquitur : « Calixtus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Gaufrido Carnotens. episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Quæ religionis honestate perspecta in Dei Ecclesia statuuntur, inconcussa debent stabilitate servari. Siquidem, frater in Christo charissime, de commissa tibi ecclesia omnem Simoniacam expellere desiderantes pravitatem, assensu decani, præcentoris, subdecani, succentoris, et cæterorum prælatorum Ecclesiæ statuisti, congregatione fratrum idipsum approbante, atque unanimiter postulante, ut nec decanus, nec præcentor, nec subdecanus, nec succentor, nec ulla alia ecclesiastica persona, vel canonicorum quisquam de honoribus ecclesiæ, vel præbendis quidquam exigat, vel accipiat, vel per se, vel per suppositam manum. Nullus eorum, qui canonici fiunt pro præbenda quidquam det, vel promittat, aut per se similiter, aut per suppositam manum, neque post decessum prælatorum, qui nunc in ecclesia vestra vivunt, ullus vel decanus, vel præcentor, vel subdecanus, vel succentor in locum ipsum statuatur, quousque in communi capitulo, liquido juret pro officio suo se nihil dedisse, vel promisisse, quousque etiam juret se pro præbendis nihil exacturum, vel accepturum, aut per se, aut per suppositam manum. Similiter post decessum simplicium canonicorum, qui modo in Carnotens. ecclesia vivunt, nullus in locum eorum canonicus sufficiatur, nisi ante in communi capitulo juret, vel tutor suus pro eo, si ipse infra annos fuerit, se pro præbenda nihil dedisse, aut promisisse, nec per se, nec per suppositam manum. Hanc igitur constitutionem ad honorem Dei et animarum salutem, a fraternitate tua provisam, nos, præstante Deo, auctoritate sedis apostolicæ confirmamus, et ratam in posterum permanere sancimus, etc. Datum Remis per manum Crysogoni S. R. E. cardinalis ac bibliothecarii, IV Non. Novemb., ind. 13, Incarn. Dom. an. 1119, pontificatus domini Calixti II anno I, » etc. Videant itaque quorum interest, qui post hanc bullam aliquid a canonizandis (ut loquuntur) exigere possunt.

Statutum Ecclesiæ Carnotensis de non admittendis ad clerum libertis, etc. Sacramento hoc statutum confirmabant canonici Carnotenses, et antequam e Gallia nostra, volente Ludovico XI Francorum rege, servitus exsularet, nullus ad sodalitium majus cathedralis assumebatur, nisi se liberæ esse conditionis, non libertate donatum aut manumissum, non collibertum, id est, ex libero corpore aut ventre, et servo, aut e contra natum assereret. Cantor enim vel quivis alius ipsius vice, cum canonicorum, cæterorumque Ecclesiæ clericorum, solo decano excepto, ad eum installatio spectet, inquirebat ab eo qui collegio nomen daturus erat, in hæc verba : « Vos juratis super istas sacras reliquias, quod vos estis de legitimo matrimonio procreatus, item quod istis liberæ conditionis, nec istis collibertus, neque filius colliberti, » etc. Cui canonizandus se de, et in legitimo matrimonio natum et liberum hominem esse respondebat ; quod rursum sedente capitulo iterabat, sequente sacramento addito. « Juro etiam bona fide me observaturum cum auxilio capituli consuetudinem hujus Ecclesiæ quæ est de non recipiendis in canonicos seu clericos de toro manumissis, seu manumissorum filiis (exceptis quos Ecclesia Carnotensis scienter recipere consuevit), et de non recipiendis in canonicos, seu clericos de choro, filiis concubinarum. » Et quia dissidia et contentiones pro libertatibus et privilegiis Ecclesiæ tuendis inter Adelam comitissam et capitulum Carnotens. tunc vigebant, **232** huic addebant sacramento : « Item juro quod ego defendam bona fide ; etiam contribuendo in expensis, si opus sit, cum consilio capituli, libertates Ecclesiæ, statuta, consuetudines legitimas, approbatas, ac maxime privilegiatas, et privilegia quibus non est derogatum, et quibus ecclesia in suis negotiis utitur et causis. Item juro quod in negotiis quæ habemus et habebimus contra comitem Carnotens. et Blesens, et suos baillivos, ministros et servientes, et contra alias quascunque personas, præstabo fidele consilium et auxilium bona fide secundum conscientiam meam pro ecclesia Carnotensi, et nunquam scienter contra Ecclesiam, consuetudines, statuta, privilegia, et libertates ipsius : et hoc, si præsens fuero in capitulo, vel absens, cum fuero requisitus. Item juro quod si aliquis canonicus, vel persona Carnotensis damnum, aut injuriam, sine evidenti culpa ipsius, per comitem, aut suos, occasione litis motæ in eum, suos, et nos, consilium et auxilium præstabo, et in prædictis contribuam si necesse fuerit. » Ita vetus codex sacramentorum Ecclesiæ Carnotensis quæ ad hanc illustrandam epistolam, quam 1104, scriptam vult Baronius num. 9 referre non piguit.

Ad Epist. XXXIV et XXXVI.

Guillelmus comitissæ filius. Primogenitus videlicet de quo sic Order. Vital. Hist. suæ lib. V, pag. 575, de Stephano Carnotensium comite et Adela ejus uxore loquens : « Filios quatuor (Stephanus) Guillelmum et Theobaldum, Stephanumque et Henricum ex præfata conjuge genuit. Quorum tres priores sunt potentes consules, et inter maximos Francorum computantur et Anglorum proceres. Primogenitus Guillelmus gener Gilonis de Soleio et hæres, vir bonus est, et pacificus, et sobole pollens atque facultatibus, » lib. II, pag. 110, de Adela verba faciens : « Laudabilis hera, inquit, post peregrinationem mariti, consulatum illius honorifice gubernavit, tenerosque pueros ad tutamen Ecclesiæ sanctæ solerter educavit. Guillelmus enim qui major natu erat, filiam Gilonis de Soleio uxorem duxit, et soceri sui hæreditatem possidens, diu pacifice vixit, laudabilemque sobolem, Odonem et Ranerium genuit, » etc. Ipsius meminimus supra in notis ad epist. 94. Præsens autem circa 1105 scribi potuit

Ad Epit. CXXXVIII et CXXXIX.

Fulco decanus vester eligeretur. Quo anno fuerit electus Fulco in Pa isiensem præsulem, exploratum omnino non est ; tametsi Guillelmo suffectum fuisse non lateat. Si quid tamen conjectura valet, eum circa annum 1100 electum fuisse cum Severtio puto, cum anno 1099 in chartulario S. Martini Camporum fol. 26, charta 58, Guillelmum Parisiensem sedem occupasse legam. At hanc epistolam ante 1104 missam dico, propter subsequentem Walonem seu Gallonem, qui eodem anno finiente Parisiensem episcopatum adeptus est, de quo videndus

idem Severtius in Parisiensium episcoporum serie A num. 65.

AD EPIST. CXLI.

Ricardo Albanensium episcopo, qui tunc in Gallia legatione fungebatur,ut Paschalis summi pontificis vice,Philippum Francorum regem primum excommunicatione solveret, quam(ob turpem quam cum Bertrada adultera consuetudinem habuerat)contraxerat, et seu vere,seu ficte pœnitentem sacris restitueret.Convenerant quidem Remensis et Senonensis provinciæ cum suo metropolitano antistites legati mandato apud Balgenciacum; sed ispis inter se dissidentibus,rege quoque secum male agi conquerente, negotium omne Parisios remissum est, ubi absolutio regis solemniter facta : ut ex Ivone ipso, et hist. Franciæ a Roberto ad mortem Philippi regis fragmento patet.

*Trecas venire valeam.*Duo concilia Trecis Paschale summo pontifice habita. Alterum sub Ricardo ipsius legato 1104;alterum Paschale præsidente 1107. B Hanc autem epistolam prioris tempore scriptam ex dictis arbitror.

AD EPIST. CXLIII.

Ricardus Pratellensis abbas. De eo Ordericus Vitalis lib. VIII Hist. suæ eccles., p. 709,ita loquitur: « Ricardus autem de Furnellis moderno tempore idem monasterium rexit, quem Robertus Tumbalienensis(is fuit Robertus de Monte Sigiberti continuator) ad monachum Bajocis in Ecclesia Sancti Vigoris suscepit.Verum Odone Bajocensi præsule, qui novi cœnobii (Sancti Vigoris) fundator erat, in carcere Guillelmi regis gemente,et Roberto sophista montem Sancti Michaelis de periculo maris ; unde cœnobita erat,repetente,seu potius in Latias partes, ut supra retulit, migrante,nova constructio et imperfecta celeriter dissipata est, et concio fidelium quæ illuc confluxerat de diversis locis, rectore carens,cito dispersa est.Ricardus itaque unus ex illis, C divinis litteris eruditissimus fuit,et in tanta devastatione teneri gregis reliogosos sophistas quæsivit, in quorum contubernio dogmatibus almis inhærens, reverenter habitavit.Ea namque tempestate in Northmannnia florebant Anselmus Beccensis,Gerbertus Fontanellensis, Guntardus Gemmeticensis, aliique plures in templo Dei lucentes lucernæ,a quibus insigniter illustratus, salubris hauriebat ubertatem doctrinæ. Defuncto autem Goisfredo abbate,Ricardus ad regimen Pratellensis abbatiæ electus est : quod Roberti ducis et Henrici regis tempore fere viginti qnatuor annis tenuit, ibique defunctus est. Hic in divinis codicibus apprime studuit,in via Dei per antiquorum vestigia Patrum psallens ab adolescentia cucurrit,famelicisque pueris ænigmaticum panem in domo Domini benigniter fregit, manumque tendentibus alacriter et ubertim distribuit:torpentibus quoque et recusantibus,ut mandarent vim intulit.Commentarium super Genesim Mauritio Sancti Launomari Blesensium eruditissimo abbati edi- D dit, et aliud domno Adelelmo eruditissimo presbytero conscripsit, Flaviacensi, quidem monacho, qui cum Fiscanensibus sanctæ Trinitati reverenter militans, consenuit. Egregio Cluniacensium abbati Pontio eximiam explanationem super Parabolas Salomonis contexuit :aliisque venerabilibus personis Ecclesiasten, et Cantica canticorum, ac Deuteronomium luculenter exposuit,multosque tractatus super obscura prophetarum problemata allegorice,seu tropologice, disseruit.» Est autem Pratellense monasterium, ut ipse Ordoricus loco ultimo allato scribit,in Neustria optimo loco situm prope portum Maris et pontem Adimari, **233** ubi rapide pontum Ridela petit,et in illum meegitur,a Mellentinis comitibus Roberto et Henrico fratribus constructum. Quare nil mirum,si Roberto Mellentino comiti illud commendat Ivo, qui hanc epistolam circa 1104 scribere potuit.

AD EPIST. CXLIV.

Balgentiacum. Quod lambit Liger oppidum decimo ab Aurelia milliario distans, ponte egregio quem nostri reges olim fieri curarunt, intructum : quo antistites Galli absolvendo rege Philippo et Bertrada pellice superinducta convenerant;ut ad epist. 141, supra notavimus. Ibi etiam Ludovici junioris Francorum regis et Leonoræ, seu Alienordis, ipsius conjugis matrimonium diu contractum, et prole firmatum, mutuo consensu dissolutum est,quod bellorum, quæ diuturna adversus Anglos, funesta et exitiosa fuere, initium fuit. Crebris præterea, qui in eo acti sunt conventibus episcoporum et principum aliis temporibus nobile exstitit.

AD EPIST. CXLVI.

Clerus et populus Pariensis Ecclesiæ, voto et voce domnum Galonem Belvacensis Ecclesiæ consecratum in episcopum elegerant. Renitentibus Philippo Francorum rege, Ludovicoque Crasso filio,Belvacensem episcopatum adipisci non potuit,Quare Romam ad Paschalem II summum pontificem profectus, dum illi stomachum deponerent, rancoremque quem adversus ipsum conceperant decoquerent,Galonem in Poloniam misit, unde circa anni finem 1104 rediens, Ivone procurante, pontificeque maximo probante, in Pariensem electus est. Confer præcedentes epistolas 144 et 145, ducentesimamque sexagesimam sequentem cum ista, quæ anno 1104, scriptam fuisse nemini ob supradicta dubium esse potest.

AD EPIST. CXLVII.

Conditionarios. Præter illa quæ supra ad epist. CXXXII, de servis in clerum non admittendis diximus,quædam hic ad majorem dictorum lucem subnectere possumus, servili conditioni obnoxios,etiam servis annumerandos pontificia rescripta volunt dist. 54 per totam. Ut enim ibi dicitur can. *Si quis propter obligationem servilem,* eos reprobabat clerus nec ordinari sinebat nisi prius libertate a suis dominis consecuta. Hoc expresse dicitur can.*Nulli* ead. dist.:« Nulli(habet canon)de servili conditione ad sacros ordines promoveantur, nisi prius a propriis dominis legitimam libertatem consequantur; cujus libertatis charta ante ordinationem in ambone publice legatur : et si nullus contradixerit,rite consecrabuntur. Porro servus non canonice consecratus, postquam de gradu ceciderit, eius conditionis sit, cujus fuerat ante gradum. » Illi autem conditionarii dicebantur, quod alicui tributo servili, vel aliqua conditione, vel patrocinio cujuslibet domus obligabantur, ut eodem can. *Si quis habetur.* Sub hac appellatione comprehendebantur quoque ascriptitii qui nimirum per triginta annos fuerant in solo. *Cod. de agri. et censi.* lib. II, c. *Cum satis,* colonus, inquilinus et similes cod. tit. diffinimus. l. *Originarii* vel servus, l., *Si coloni,* qui, quemadmodum servus fugiens, non præscribunt sibi libertatem longo tempore ; ut c. *De ser. fugit.* lib. I. Omnes originarii quoque qui ab ascriptitiis originem ducebant et nati erant in ipso solo, procuratores, actores et exsecutores seu curatores pupillorum, qui omnes ab ordinibus suscipiendis arcebantur, can, *Magnus,* ead. dist. cum non sui, sed alterius juris essent.Quare cum servos suos et manumissos Carnotensis comitissa in Ecclesiam Carnotensem intrudere vellet,restiterunt canonici, in suum collegium admittere neminem, nisi liberæ et non servilis conditionis foret,allegantes. Quamvis enim manumissi dicerentur, non ideo liberi erant, quod, retento ipsius obsequio,servituti adhuc tenebantur obnoxii et ab ea quando vellet in pristinam servitutem reduci poterant, quod in cleri vergebat opprobrium. Si ex clericis fierent servi,id est in pristinum statum redigerentur.Probrosum quippe clero erat sui ordinis vires in servitutem relabi et vilibus officiis impediri. Quapropter, ne tanta injuria fieret ordini clericali, majoris templi seu matricis ecclesiæ so-

dales statutum conceperunt de non admittendis in clerum libertis, vel collibertis; ut supra ad epistolam 32 et 116 retulimus, ut conditionarios illos omnino ab ordinibus, ecclesiasticisque beneficiis semoverent. Dure tulit decretum comitissæ, et quoad ejus potuit, ut revocaretur, nullum non lapidem movit. Obstabat summi pontificis, illius confirmatio diplomate, seu bulla, quæ adhuc inter Ecclesiæ privilegia legitur; instabant familiæ comitissæ conditionarii qui, de legitimo matrimonio nati, fuerant et regii Fiscalini, id est ex fomilia dominica, ut est apud Marculphum in formulis vel servi fisco addicti, de quibus idem Marculphus de unaquaque villa fiscali, tres homines ex servientibus utroque sexu a servitio relaxentur. De ipsis etiam V. capitul. lib. III c. 16. Fiscalini, inquam, illi instabant fisco addicti, ut de privilegio Ecclesiæ Carnotensi concesso, de non admittendis conditionariis exciperentur, et in eumdem statum in quo erant ante privilegium, redire a summo pontifice juberentur. Intercedebat Ivo apud Paschalem: nec statuti, aut sacramenti per eos nuncupati, quidam Carnotenses canonici solutionem adversabantur, quamvis repugnarent alii, cum illud se sub hac conditione fecisse faterentur, *ut possent instituto suo et pro futura adjicere, et nocitura excipere*, ut loquitur hic Ivo. Addebat minas comitissa, et nova quotidie repulsione exacerbata, damna scandala, iras, rixas, perturbationes moliebatur. Vicit tandem Adelitiæ improbitas, et suorum pervicacia, qui a summo pontifice Paschale II, hoc diploma potius extorserunt, quam obtinuerunt: « Paschalis episcopus servus servorum Dei Carnotensis Ecclesiæ clericis, salutem et apostolicam benedictionem. Indubia veracium fratrum relatione comperimus, » etc. *Vide in Paschali II, sub. num.* 403. **234** Sed nec illud diploma et pontificii arbitrii decretum, motus qui inde exsurrexerant, compescuit, cum ex supremo diœcessis collegio quidam de statuto ab eis in conditionarios et vulgo natos condito, ne latum quidem unguem discedere voluerint. Quod ex supra allatis sacramentis ad epist. 132. Certum est, de solemni juramento quod contra comitem Carnotensem et Blesensem ejusque officiarios, canonici Carnotenses etiam postea faciebant. Perseverat adhuc juramentum de nuptiarum legitima prole in Ecclesia Carnotensi admittenda. De libertis autem et collibertis jam nulla mentio, cum servitutis jugum ab ipsorum capitibus ecclesiastica decreta, regumque et principum sanctiones solverint et excusserint.

Bernerium monasterii Bonævallensis abbatem. De quo supra ad epist. 78. Ex Dolensi autem in Biturigibus abbate, ad Bonævallensis prælaturam evocatus est, Hujus monasterii, quod in Dunensi existit, ordinis Benedictini a Carolo Calvo imperatore, anno Domini 840, constructum est, monachus fuerat, et tandem abbas, cujus rogatu, et Theobaldi comitis Carnotensis et Blesensis, nec non Hugonis Dunensis vicecomitis hortatu, Ludovicus Crassus Francorum rex, omnia quæ a decessoribus concessa fuerant monasterio confirmavit Stampis XVIII Kal. Octobris 1110, ut ex litteris constat. Quædam simultates inter Ivonem et ipsum intervenerunt, quibus componendis multum insudavere Robertus Arbrescellensis et Bernardus Tyronensis anno 1115. Ad ipsum Bernerium exstant Gaufridi Vindocinensis abbatis epist. 14, 15, 16, 17, 18, et 19, libri IV. Quo autem anno scripta est epistola non satis apparet. Verum eam missam 1105 putarem.

AD EPIST. CXLIX.

Guillelmo Rothomagensi archiepiscopo. De eo sic Guill. Gemetic. lib. VII. hist. Norm., c. 26: « Post ipsum, » inquit, Lanfrancum scilicet Cadomensem abbatem, postea vero Cantuariensem archipræsulem.» Willelmus monachus Radbodi Sagiensis episcopi filius Cadomensis Ecclesiæ regimen tenuit, qui et ipse post Joannem metropolitam Rothomagensem archiepiscopatum suscepit. » Fuit autem Cadomensis monasterii recens a Guillelmo I Northmannorum duce et Anglorum rege fundati primus professus et abbas secundus, ac tandem Rothomagensis metropolita quæ ex Order. Vital. lib. V hist. suæ pag. 551, expresse scribit his verbis: « In Cadomensi Ecclesia Guillelmus Radboli Sagiensis episcopi filius Lanfranco successit, quem post novem, ut reor, annos inde rex Guillelmus ad regendam Rothomagensem metropolim provexit. Hic consobrinus. Guillelmi præsulis Ebroicensium filii Girardi Fleitelli fuit, cujus potentia tempore Ricardorum in Neustria maxime viguit: canonicus et archidiaconus Rothomagensis Maurilio pontifici paruit, magisque amore Dei fervens, cum Theoderico Uticensi abbate peregre perrexit, et gloriosum Salvatoris sepulcrum in Hierusalem reverenter adiit. Inde reversus pristinos præcavens labores amittere, mundi lenociniis penitus subtraxit se, et in Beccensi cœnobio divinæ gratanter inhæsit militiæ: Dein cum Lanfranco ad instructionem neophytorum qui in Cadomense Castrum ad servitutem Christi confluebant, protractus est, quorum ipse paulo post Pater et magister laudabilis factus est. » Et lib. V, pag. 568, postquam de Joanne locutus est, addit:

Post hunc Guillelmus, vir nobilis atque benignus.
Catholico plebem tractavit Rothomagensem.

Quibus hæc subnectit: « Hic secundus Cadomensis abbas fuit, et inde tractus, in archiepiscopatu 22 annis tempore Gregorii, Victoris. Urbani et Paschalis paparum floruit. Ipse Guillelmum regem et Mathildem reginam Cadomi sepelivit. » Obiit vero 1110 ex Cadomensi chronico mense Januario, vel Februario; ex ejus epitaphio. Quo anno hæc epistola scripta fuerit, ex eo quod infra de Flammardis refert, anno 1107, scriptam fuisse compertum est.

Flammigeros pueros. Ad ipsorum alludit cognomen. Erant enim Radulfi Flammardi, qui Anglis dicitur *Flamme*, Dunelmensis episcopi filii, qui nova et inaudita præsumptione eos in Lexoviensem Ecclesiam pastore vacuam intruserat, duodennes licet, ipsosque, ut si prior deficeret, alter substitueretur, quasi hæreditario jure sufficere nitebatur. Rem pluribus prosequitur Order. Vital. lib. VIII et X, ex quibus hæc tantum quæ ad illustrandam hanc epistolam faciunt, et cur Guillelmus ille, quem Lexoviensem electum scribit Ivo, præsulum non fuerit adeptus, aperiunt decerpsi. « Non multo post, inquit, Gislebertus senex cognomento Maminotus, Lexoviensis episcopus mense Augusto mortuus est: atque Fulcherius frater Flammardi ejusdem sedis præsul a Guillelmo archiepiscopo mense Junio consecratus est. Hic pene illiteratus ad episcopatum procuratione fratris sui de curia raptus est. Quo dapsilitate laudabilis 7 mensibus potttus, mense Januario defunctus est. Deinde Ranulphus Flambardus, qui in Northmannia exulabat, et Dunelmensi præsulatu carebat pro inimicitia regis, cui restiterat, Luxoviensem pontificatum filio suo Thomæ puero suscepit, et per triennium, non ut præsul, sed ut præses gubernavit. Interea Guillelmus de Paccyo ingenti pretio comiti dato præsulatus præoccupare sategit; sed pro Simoniaca lue prius Rohomagi, postea Romæ condemnatus, temeritatem suam misere luit. Sic fere quinque annis Luxovium rectore caruit, et Dominicus grex pastore dicto carens, lupinis dentibus patuit, donec illi gratia Dei Joannem ad plebis suæ consolationem episcopum designavit. »

AD EAIST. CL.

Concilium a sanctitate vestra celebrandum... Laterani, vel Trecis, quod postremum circa Ascensionis Domini festum celebratum est anno 1107, ex Abbate Urspergensi in chron. quo anno præsentem epistolam scriptam concludo.

235 AD EPIST. CLI,

Gaufrido Belvacensium episcopo. Walonis seu Galo-

nis ad Pariensem cathedram translati, successori, anno 1105, electo quo vel sequente hæc epistola ad eum mitti potuit.

AD EPIST. CLII.

Leodegario venerabili Bituriensi archiepiscopo. Sedem auspicatus est anno 1097, quam ad Martii 31, anni 1120, implevit. Hujus fit mentio in Roberti Arbrescellensis ordinis et monasterii Fontis Ebraldensis institutoris vita, cujus exsequiis cum ursani in sua diœcesi, ubi hominem exuit Robertus, tum Fonti Ebraldi, ubi sepulcrum nactus est, interfuit de illo quippe frater Andræas Roberti actorum scriptor hæc prodidit: « Eadem vero tempestate Leodegarius vir vita floridus et ætate, Bituricensis diœcesis archiepiscopatum tenebat, quem, nisi fallor, inseparabilis dilectio magistro Roberto conglutinabat. Tanto namque, ut reor, amore invicem conjungebantur, ut quod unus vellet, alius vix denegaret. » Cui ex chartulario Font-Ebraldensi fol. 49, addere possumus quæ charta 159, continentur: « Antiquorum, inquit, patrum sancivit auctoritas, ut quidquid Ecclesiis tribueretur, litterarum memoriæ traderetur, ne oblivionis caligine deleretur. Notum sit omnibus tum futuris quam præsentibus, quod eodem die quo magistri Roberti de Arbrescello corpus Dei gratia de longinquo allatum, in loco Fontis-Ebraldi quem Deo auxiliante fundavit, humatum fuerat, non minima religiosarum personarum ad tanti viri funeris obsequium illic congregata fuerat turba, quarum una fuit Leodegarius Bituricensis Ecclesiæ archiepiscopus. » Tanta autem interipsos Leodegarium et Robertum intercessit dilectio, ut secundum cor dilecti sibi Roberti condi supremis tabulis voluerit Leodegarius Ursani, quod est diœcesis Bituricensis parthenonum virginum ejusdem ordinis Fontis Ebraldensis, ut quibus viventibus unum cor fuerat, post mortem concordes dormirent, et quomodo in vita sua dilexerant, in morte quoque non separarentur. Fuit vero præsens epistola ab Ivone missa circa annum 1105.

AD EPIST. CLIII.

Gilberto Ebroicensi episcopo. De eo ita Ordericus Vitalis lib. IV Hist. eccles., pag. 520: « Defuncto, inquit, Guillelmo Ebroicensi episcopo, Balduinus ducis capellanus successit, et præsulatum fere 7 annis regulariter rexit. Quo defuncto, Gislebertus Osberni filius canonicus, et archidiaconus Lexoviensis successit, et episcopatum plusquam 30 annis utiliter tenuit, et res Ecclesiæ multis modis auxit, solertiaque sua emendavit. » Et libr. XII, pag. 840: « Anno ab Incarnatione Domini 1112, inquit, Gislebertus senex Ebroicensis episcopus, postquam in episcopatu 34 annis vixit, in senectute bona IV Kalendas Septembris obiit, et in basilica sanctæ Dei genitricis Mariæ sepultus est, quam ipse perfecit, dedicari fecit, possessionibus, et ornamentis ditavit, clerum ampliavit, et ecclesiastico cultui nocte dieque mancipavit, » etc. Hugonis Lugdunensis archiepiscopi ad Ivonem pro hoc Gisleberto scriptam epistolam in membranis habeo, cujus, quia nondum evulgata, tenorem hic promam: « H. Lugdunensis episcopus apostolicæ sedis legatus, reverendo fratri J. Carnotensi episcopo, salutem. Noverit fraternitas vestra, » etc. *Vide in Hugone archiep. Lugdun.; Patrol., t. CLVII.* Quis autem fuerit ille Ursio, satis non novi, nisi forte Nivelonis de Fractavalle filius, de quibus sæpe conquestus Gofridus Vindocinensis abbas, a Paschale secundo sacris abstinere jussi sunt. Videndæ illius epistolæ 8, 9, 13, 24, 30, lib. II. Hanc autem epistolam Ivoni scriptam anno 1096, fuisse patet, quod eodem Senonensis Ecclesia Richerii obitu vacaret.

AD EPIST. CLIV.

Ranulfus Dunelmensis. Quamvis de ipso quædam supra ad epistolam 149, notaverimus, quoniam A ejus, fere omnes illius sæculi scriptores meminerunt, hæc addere placuit, quibus omnibus magis notus fiat et suis coloribus depingatur. Ex Orderico igitur Vitale lib. VIII et X Turstini cujusdam plebeii Bajocensis presbyteri filius fuit. Mater ejus sortilegiis dedita cum dæmone crebro loquebatur, et, ex cujus nefaria consuetudine oculum amiserat. A puerilibus annis inter pedissequos curiales, cum vilibus parasitis educatus crevit, callidisque tergiversationibus, et argutis verborum machinationibus plusquam arti litteratoriæ studuit. Unde a Roberto dispensatore regio Flambardus cognominatus est, quod vocabulum ei secundum mores ejus, et actus, quasi prophetice collatum est. Grandior factus, juvenis Guillelmi regis Angliæ gratiam promeruit, eumque ut totius Angliæ continentem describeret, illius partitionem denuo faceret, et incolis, sive indigenis, sive advenis quidquid præter præscriptum possiderent, auferret, incitavit. Hinc mali labes. B Nam juvenis **236** rex morientibus ecclesiarum prælatis ipsarum reditus inibat, et cuilibet suorum satellitum parce licet, partem concedebat; reliquum sibi retinens: ita ut uno et altero, verum et lustro aut amplius Ecclesiæ pastoribus orbatæ remanerent. Anselmus Beccensis abbas ad Dorobernensium seu Cantuariensium metropolim evectus, tanto malo mederi studuit, regem, proceresque sæpe, ut ab ecclesiarum facultatibus abstinerent commonuit, nec obtinuit; imo exsilium et diras perpessus est, et regno diu abstinere jussus est. Interim Flambardus Dunelmensis episcopatu potitus, cum regiis satellitibus omnia vastabat in Anglia, et Ecclesiis suis prælatis viduatis inhians, thesauros defunctorum corradebat et fisco attribuebat. Quare summus regiarum procurator opum, et justiciarius factus, proceres quosque Henricum ipsum Anglici regni hæredem futurum aspernabatur, et contractis undique opibus, et ampliatis honoribus, cunctis ad stu- C porem eminebat. Hic nimirum de plebis fece ad supremas regni dignitates evectus, stomachum multis movebat, et omnibus exosus, qui de tanto rerum fastigio pessumdarent, superciliumque cohiberent plures cogitabant. Commodum accidit Ruffi interitus, quo defensore carens, de sublimi potestatis culmine dejectus, in arce Londinensi ab Henrico, Guillelmo de Magnavilla custodiendus traditur. Verum incluso lagena fune a suis immisso turre evasit, et cursorio equo tum celere in Northmanniam vectus, Robertum Henrici adversarium convenit, a quo benigne exceptus et Neustriæ præfectus est. Ea in dignitate diu haud stetit; cum cadente Roberti fortuna, cecidit et sua. Ut erat tamen ingenio acer et callidus arte seu dolo Henricum sibi adversantem demeruit, et pace sibi a principe reddita relicto episcopatu Lexoviensi cui incubabat, et filiis suis servare satagebat ad Dunelmensem reversus est. Nicolaus Harpenfeldius quædam addit quæ scitu non sunt prorsus indigna, ideoque huc referenda. D Sæculo nempe undecimo cap. 28, scribit quod « cum multis apud regem accusationibus impeteretur, nec illis aurem ille daret; Giraldus quidam cum aliis in necem ejus conspiravit. Callido itaque consilio usus, venit ad eum, simulans se missum a Mauritio Londinensi episcopo periculose ægrotante, quodque vehementer illius colloquium expeteret, et ne qua sit in veniendo mora, misisse Mauritium in ripa Tamesis commorantem cymbam suam, in quam Ranulfum ingressum, Giraldus in altum mare duxit, et in navim armatis hominibus oppletam imposuit: jamque de illius nece consultabatur. Quod negotium datum est duobus ex nautis, recepturis in sceleris mercedem pretiosas vestes, quibus induebatur. Sed cum illi forte de partitione illarum non convenirent, cædes in proximum diem dilata est. Exorta interim immani tempestate, omnes de vita periclitabantur: et sedata tempestate, cujusdam ope qui post Giraldum præcipuus erat, Ranulfus tandem

in terram expositus ad terram rediit. Giraldus in voluntarium exsilium abiit. Rex vero Ranulfum in deliciis magis quam antea habuit, et ingenium ejus suis usibus tam accommodum, licet ad summam reipublicæ perniciem, et summam Ranulfi invidiam, atque odium laudabat, et Dunelmensi eum tandem episcopatu amplificabat. Mortuo Ruffo et Henrico succedente, in turrim Londinensem ab eo conjectus est. Unde postea noctu aufugit, et per litteras Robertum fratrem Henricum concitavit, a quo Lexoviensi episcopatu donatus est, qui postea cum exercitu Angliam invasit. Sed pacificatione deinde inita inter regem et Robertum, permansit in episcopatu, ad annum Christi 1128, utque regis gratiam firmius conciliaret, eorumque qui apud regem intimi erant, multa effudit, et gravi Ecclesiam suam exactione premebat : quam tamen nunquam potuit solide recuperare, etc. Triennio post reditum, castellum illud apud ripam Tuvedi fluminis inchoavit. Construxit et insignem pontem ad Uviri fluminis ripas, » etc. De illo etiam Matthæus Paris in Henrico I ; Polydorus Virgil. hist. Anglic., et alii. Scripta epistola 1107.

Ad Epist. CLVII.

Hanc scriptam esse Paschali ab Ivone 1107, contendit Baronius ad hunc annum num. 10. De eo autem quod in terra Northmannorum prostitutam esse ecclesiam scribit, confer hanc epistolam cum notis nostris ad epist. 27, et ad præcedentes 149 et 156.

Ad Epist. CLVIII.

Comitem Trecassinum. Hugonem scilicet, ut recte monet Juretus ad hanc epistolam. Ille autem Hugo Theobaldi Carnotensis comitis, et Adelitiæ Crespiensis filius, Henrici Stephani comitis quoque Carnotensis et Meldensis frater fuit. Comitatibus Trecensi et Barrensi super Albam ex parentum successione potitus est, unde Campaniæ comitis aliquando sibi titulum usurpavit. Desponsavit sibi primum anno 1097, Constantiam Philippi I, Francorum regis filiam, ex qua Odonem et Philippum suscepit, ut ex chartulario monasterii Arvernarensis patet. Verum propter consanguinitatem divortio facto 1104, Boamundo Antiocheno principi Carnuti 1106, nupsit, ut est apud Suger, in Crasso, Order. Vital. lib. XI, p. 817, et alios. Hugo vero Lombardam quamdam super duxit, quam uterum gestantem reliquit et comitatu Theobaldo magno dicto Carnotensium comiti ex fratre nepoti vendito, in Syriam perrexit, ubi, conjuge vivente, militiam Fratrum templi professus est, ut est apud Bernardum epist. 31, et Ivonem epist. 245, sequente. Diu vixit et usque ad extremam senectutem.

Genealogia. Quo affinitatis gradu sese attingebant Hugo et Constantia a communi stipite ex parte parentum, non est facile dicere. Variant siquidem auctores in ea exponenda, ne idem faciam, peritioribus relinquo discutiendum. Scripta autem est epistola 1104, post Trecense concilium.

Ad Epist. CLIX.

Hanc anno 1096 scriptam fuisse contendit Baronius numer. 10; sed qui id dicere possit non video. cum Paschalis tantum IV Kal. Aug. an. 1099, ex Onufrio fuerit electus, et ex iis quæ dicuntur hac in epistola, clarum est non eo anno, sed posteriore missam. Quod autem ad Fossatenses monachos attinet « Beatus
237 Pater Benedictus (scribit Oderic. Vital. lib. VIII historiæ suæ, pag. 712), ut nobis omnibus evidenter patescit, beatum Maurum monasterii sui priorem, quem a pueritia nutrierat, in Galliam misit, et librum regulæ quem ipse vir Dei propria manu conscripsit, et libram panis, heminamque vini per eum Francis destinavit. Hic a Theodeberto rege susceptus, usque ad obitum suum in Gallia permansit, atque Floro regis consiliario adjuvante, cœnobium
A construxit, ibique 140 monachos, in loco qui Glannofolium dicitur, regulariter instruxit. » etc. « Post vero beati Mauri obitum (ut ait Glaber Rodulphus historiæ suæ lib. III, cap. 5) succedente tempore hostium infestationibus expulsi monachi a monasterio cognomento Glannofolio, quod ipse construxerat, sicut in ejus gestis habetur, in Andegavensi territorio, » haud procul a Salmuro ad Ligeris marginem beati viri corpus, seu sacras lipsanas ad Fossatense monasterium detulerunt ibidem asservandas. Quod anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo sexagesimo octavo, Carolo Calvo Francorum rege, et Arura Parisiorum pontifice, accidisse testatur Odo cœnobii S. Mauri abbas præfatione in lib. Vitæ ejusdem sancti. Anno siquidem 845, cum Rorigo comes Glanofolium a barbaris eversum restituisset. Ingelberto Fossatensi abbati submisit, qui assumptis suæ congregationis fratribus, eos illuc direxit et Gauslino monasterio præfecto, Ursmari Turonensis archi-
B episcopi, Ebroini Pictavensis, Dodoni Andegavensis episcoporum sæculo, ibi substiterunt, donec Northmannis Gallias vastantibus, beati Mauri glebam circa 861 ; ne ab impiis hominibus pollueretur, e monasterio averterunt, et per sexennium huc illucque errabundi deferentes, tandem Idibus Novembris 868, ad Fossatense asceterium piam sarcinam deposuerunt, quod a Divi nomine Sancti Mauri Fossatensis abbatia dicta est et adhuc nuncupatur. Hanc vero Glannofolii unionem cum Fossatensi monasterio disjunxit Urbanus papa II, in concilio Turonensi 1096 et Cassinensi attribuit, ut Petrus Cassinensis chronici lib. IV cap, 18 scribit, cujus verba non adduximus, quod apud Juretum referantur. Quod graviter et iniquo animo ferentes Fossatenses monachi, ut sibi restitueretur Glannofolium, Ivonem erga summum pontificem Paschalem II, deprecatorem adhibent, ut ex hac epistola patet, quæ Paschali anno 1106 aut 1107 in Galliis agenti scribi valuit.

Ad Epist. CLX.

C *O. Gemeticensis monasterii abbati.* Orsus sive Ursus nuncupabatur. Ita eum vocat Ordericus Vitalis Historiæ suæ Ecclesiæ lib. X, p. 765 : « Guntardus, inquit, Gemeticensium strenuus abbas apud Clarummontem, dum famosa synodus ibi celebraretur VI Kal. Decembris obiit. In cujus locum rex Tancardum Fiscanensem præpositum subrogavit, qui post aliquot annos orto inter ipsum et monachos probroso tumultu, cum infamia recessit, eique Rothomagensis Ursus ab infantia ejusdem ecclesiæ monachus per annos 20 successit. » Sic quoque lib. XII, pag. 846, appellat, et in abbatum Gemeticensium serie hoc nomine designatur apud Robertum. Quod vero ad epistolam spectat, eam circa annum 1107 scriptam fuisse suspicor. Est autem Gemeticum monasterium ordinis Benedictini diœcesis Rothomagensis. De quo sic Willelmus Gemeticensis monachus lib. II, cap. 6 : « Qui locus jure Gemeticus vo-
D catur, quia pro suis offensis illic gemunt, qui in flammis ultricibus gemituri non erunt. Quidam vero a gemma illum vocatum arbitrantur, quia ut gemma in annulo, rutilat situ, et ubertate fructuum. Hic nempe Clodovei Francorum regis tempore a beato Philiberto, opitulante regina Balthilde constructus, in tanto incremento adolevit, ut in nongentorum monachorum numero ejus quantitas suppleretur. In quo quamplurima multitudo episcoporum, seu clericorum, vel nobilium laicorum spretis sæcularibus pompis, collecta, Christo regi militatura, propria colla saluberrimo jugo subegit, » etc. Verum monasterio a Northmannis in prima irruptione ferro et flamma solo adæquato, Guillelmus II Northmannorum dux restituit, monachisque ad convivendum opima prædia contulit. De quibus idem auctor lib. I, cap. 6, lib. II, c. 9, et lib. III, c. 7, et 8.

Ad Epist. CLXI.

Obedientiam. Obedientiam dicebant veteres monachi, administrationem certi loci, in quem a mo-

nasterio quidam deputabantur,ut ipsius fruges,alio- A sque reditus colligerent, et ad monasterium referrent : has prioratus,seu cappellas nunc vocant,quos etiam prius cellas appellabant. Sic Goffridus Vindocinens. lib. I, epist,9 : « Obedientiam quam me postea viginti quinque millia solidorum redimere oportuit. » Et lib. II, epist. 32 : « Obedentiam nostram adeo deprædati sunt et devastaverunt,quod necesse est monachos qui eam habitant, et cultores ejus,discedere, eamque in solitudinem redigi.»Libro quoque V. epist. 18: « Rogasti itaque, inquit, ut Rainaldum Quartaldum in obedientiam,de qua eum amovimus, remitteremus, » etc. Eodem in eodem sensu verbo utitur Fulbertus noster epist. 1, et epistolæ pontificum passim.Unde et obedientiarii illi dicuntur monachi, qui ad cellas, seu prioratus foraneos mittuntur. Cella autem parvum est monasterium quod alteri subest, et vulgo dicitur prioratus, seu præpositura. De qua sic Lupus Ferrariensis epist.2: «Cellam sancti Jodoci,quam magnus Carolus quondam Alcuino ad eleemosynam exhibendam,peregrinis, commiserat, » etc. Et in additione I ad Capitular.Ludov.imp.tit. 44, scribitur,« ut abbatibus liceat habere cellas, in quibus aut monachi sint, aut canonici, et abbas provideat ne minus de monachis ibi habitare permittat, quam sex. » Deductum est autem nomen ἀπὸ τοῦ κελλίου, id est domo. Quare Moschopulus in schedis : Κέλλιον κοινῶς παρὰ Ἀττικοῖς δωμάτιον, id est, *cella communiter apud Atticos domuncula.*

AD EPIST. CLXIV.

Mauritius. Abbas S. Launomari Blesensis,qui suffectus est Gaufrido dignitatem ejuranti,ut videre est apud GaufridumVindocinencemepist.14,lib.II,quam refert juretus. Hujus meminimus supra ex Order. Vital. ad epist. 143. Obiit autem VI Idus Julii ex Necrologio S. Petri in Valle Carnotensi. Quo anno mihi incertum. Vivebat tamen anno 1106 et 1107, quorum altero hæc scribi potuit epistola.

238 AD EPIST. CCLXV.

Sansoni Vigorniensi episcopo. Ex Bajocensi canonico ad Vigornienses infulas provectus est.Sic enim de eo scribit Nicolaus Harfeldius histor. eccles. Anglic.undecimo sæculo : « Ulstanno autem defunctu, successor per Ruffum regem datus est Sanson canonicus Bajocencis, qui noc doctrinæ, nec eloquentiæ, nec aliarum rerum laude caruit. Vitio ei tamen datum quibusdam,quod ubi Ulstanus monachos apud Westeberiam posuit,illam monachis abstulerit. » De eo quoque ita loquitur Ordericus Vitalis lib. VIII histor. suæ Eccles., pag. 665 : « De discipulis, quos ita nutriebat (Hugo Bajocensis episcopus) fuerunt Thomas archiepiscopus Eboracensis, atque Samson frater ejus episcopus Wigorniensis. »

AD EPIST. CLXVI.

Hanc epistolam scriptam, retur Baronius 1104, num.17.Ego vero 1105,cum Bruno Signinus antistes hoc anno 1104 tantum a summo pontifice in Gallias fuerit missus legatus. Quod ex ipso Ivone planum est,dum æstate præcedente Hugonem Album se coram legato stetisse scribit, nisi Gallicano more annos supputet. Imo nota Sirmundus ad epist.14 lib. II epistolar. Gaufridi Vindocinencis, hanc Brunonis Signigni in Campagnia Italica episcopi legationem incidisse tantum in annum Christi 1106, quod ex eo probare nititur,quod hoc anno in Gallias venisse Bramundum principem Antiochenum, Petrus Diaconus, et Sugerius Sandionysianus abbas scribant. Rectius tamen ex aliis in Gallias Bramundum anno 1105, venisse dicunt quo et Carnuti Constantiam Philippi regis filiam et Crassi sororem duxit uxorem supra ad epist. 158 notavimus : sed et Ord. Vit. lib. II, pag. 817, idem astruit cum ait eo anno mense Martio Bramundum ad Beati Leonardi tumulum qui in Lemovicensi agro celebris habetur,perrexisse et soluto voto post Pascha Constantiæ prædictæ nupsisse. Hugonis autem Albi meminit Sugerius in Crasso his verbis : « Quod videntes nobilissimi viri Engerannus de Bova, Ebalus de Russiaco comes Andreas de Rameru, Hugo Albus de firmitate. »

Waleranno camerario regis. Titulo 18.MagnoCambell. hujus fit mentio in acto, seu instrumento concessionis factæ monasterio SS. Bartholomæi et Maglorii Parisiensis de ecclesiis SS. Petri apostolorum principis et Laurentii archidiaconi et martyris, oppidi Montisfortis a Symone ejusdem loci domino anno 1072, Judith. 10. Ibi enim inter testes legitur Walerannus camerarius, sicut et in Cartulario S. Martini Campensis fol. 75 in charta Philippi regis de Molendino in Magno Ponte,DataAurelianis 1075, in qua Walerannus quoque camerarius ut testis nominatur. Tillio dicitur Guido Valerandus de regibus Franc. eorum choro et domo.

AD EPIST. CLXVIII.

B Baronius hanc epistolam 1104 scriptam fuisse scribit; ego 1106, cum ipso, aut sequente Hierosolymam profectus sit Hugo Puteacensis, de quo hic agitur. Cum Bramundo enim iter Hierosolymitanum est aggressus anno 1106,ut facile ex fragm. histor. Francor.aRoberto ad mortemPhilippi regis colligere licet.Ibi quippe legitur,«quodBramundus,etc.,transito mari in Gallias venit;innumerabilem tam equitum quam militum multitudinem ab eis eduxit,et non solum de Galliis, verum et de toto Occidente, Græcorum imperium perturbare conatus ea videlicet occasione,quoniam imperator semper adversabatur omnibus Hierosolymam tendentibus, etc.Bramundus ergo filiam regis Philippi in conjugem duxit et commeatu tanto exercitui necessario apparato in Bari portu augustum pelagus verno tempore permeans,in adversum littus illæsam navium traduxit classem. Hinc Græcorum pervadens imperium, urbes, municipia, villas et agros devastans,venit Dyr- C rachium,quam obsidione cingens,oppugnabat tempore multo,etc. Dux ergo audiens imperiales adversum se venire legiones,dirigit et ipse ex sui manum validam obviam illis itinere dierum sex. Sabbato igitur sancto pervenere ad radicem montis in quo situm est castrum Corbianum, etc., mane vero facto, quoniam sanctum Pascha erat,communicarunt omnes.Adversarii denique prælio disposito operiebantur illos.ItaqueFranci cum alacritate sese exhortantes, adoriuntur eos. Principabant vero eis Hugo de Puteolo Rainerius Brunus, Philippus de Monte Aureo, Robertus de Veteri-Ponte cum aliis.» Ex quibus colligo, quod si Bramundus post Pascha anni 1105, aut 1106, deponsavit sibi Carnoti Constantiam, anno tantum sequente, qui erat 1106 aut 1107 obsedisse Dyrrachium,et pugnam cum imperatorisGræci copiis ipso die Paschæ anno revoluto commisisse, ex quo iterum eodem anno Hugonem Puteacensem in exercitu fuisse assero.Et ea quæ de Hugone illa et D Ivone Curvævillæ domino hic habentur, intra eumdem annum quo venit in Franciam Bramundus, et ex ea abiit, accidisse necesse est, cum Hugo et alli superius relati, cum ipso in Orientem perrexerint. Ergo anno 1106, vel 1107 non 1104, scriptam fuisse hanc epistolam, cum jam essent in procinctu Hugo et alii, clarum est. Controversiam autem quæ erat inter Ivonem de Curvavilla, vice-comitemHugonem, et Rotrocum Perticensem comitem diremitipse Ivo. Cum enim se ab adversario potente premi videret, potentiorem ei objicere cogitavit; Theobaldum videlicet Carnotensem comitem, cui quæ controversa erant vendidit, ut sequenti instrumento apparet ex Tyronensis monasterii chartulario descripto,cujus tenor sic est : «Ivo de Curvavilla abrenuntians sæculo, dimisit comiti Theobaldo Curvavillam cum omnibus quæ tenebat de feodo ipsius comitis, vel cicecomitis. Pro his dedit ei comes Theobaldus ducentas marchas argenti, et juravit ei se tenere eleemosynas se sciente. Juravit etiam terram tenere

cum consuetudinibus illis, cum quibus Ivo eam tenebat, et quod in terris sanctorum nullas mittet, vel se sciente mitti permittet consuetudines a servientibus suis per castrum Curvævillæ, et quod Roberto de Veteri-Ponte terram reddet cum ipse Robertus prædictam pecuniam ei reddiderit. Et prædicta sacramenta juravit, nec aliis eam reddet a prima Domini Nativitate post hanc conventionem usque ad annum. Et si Robertus non venerit **239** usque ad illum terminum, reddet eam filio Guillermi de Tortaquercu quem habuit de sorore Roberti, secundum jam prædictas de Roberto conventiones. Et si filius defuerit, maritabit unam de filiabus Guillermi, quam habuit de sorore. Roberti uni de hominibus suis cum tota terra illa, cum jam prædictis conventionibus de Roberto. Harum conventionum obsides per fidem dedit comes Gotridum vicecomitem Gastri-Duni. Guillelmum Gohietum juvenem, Guidonem de Galardone, Andræam de Baldimento, Gohierium de Alneto, Girardum Boellum, Gauslinum de Leugis, Hugonem de Castro-Theodorici, homines quoque Everardivillæ per fidem obsides dedit comes, ut si de supradictis conventionibus ipse exierit, cum recto hærede se tenebunt. »

Ut justitia ei fieret quæ debebatur Jerosolymitanis et paci. Glaber Rodulphus lib. IV Histor. suæ. c. 5, de pace illa, sic scribit anno a Passione Domini millesimo, etc. Tunc primitus cœpere in Aquitaniæ partibus ab episcopis, et abbatibus, cæterisque viris sacræ religionis devotis, ex universa plebe coadunari conciliorum conventus, etc., per universos episcopatus indictum est, qualiter certis in locis a præsulibus, « magnatibusque totius patriæ de reformanda pace et sacræ fidei institutione celebrarentur concilia. Quod etiam tota multitudo universæ plebis audiens, lætanter adiere maximi, mediocres, ac minimi, parati cuncti obedire quidquid præceptum fuisset a pastoribus Ecclesiæ, non minus videlicet, quam si vox emissa de cœlo hominibus in terra loqueretur. Terrebat enim universos clades præteriti temporis. instabatque metus ne adipiscerentur opulentiam futuræ ubertatis : erat quippe descriptio capitatim digesta, qua continebantur tam illa quæ fieri prohibebantur, quam ea quæ devota sponsione omnipotenti Domino offerre decreverant. In quibus potissimum erat de inviolabili pace conservanda; ut scilicet viri utriusque conditionis, cujuscunque antea fuissent rei obnoxii, absque formidine procederent armis vacui. Prædo namque, aut invasor alterius facultatis, legum districtione arctatus, vel donis facultatum, seu pœnis corporis acerrime multaretur. Locis nihilominus sacris omnium ecclesiarum honor, et reverentia talis exhiberetur, ut si quis ad ea cujuscunque culpæ obnoxius confugium faceret, illæsus evaderet, nisi solummodo ille qui pactum prædictæ pacis violasset; hic tamem captus ad altare præstitutam vindictam lueret. Clericis similiter omnibus, monachis, et sanctimonialibus, ut si quis cum eis per regionem pergeret, nullam vim ab illo pateretur. » Et infra : « Quod utique in cæteris quæ dubitare poterant, fidem præstabat, quibus universi tanto ardore accensi, ut per manus episcoporum baculum ad cœlum elevarent, ipsique palmis extensis ad Deum Pax, pax, pax, unanimiter clamarent, ut esset videlicet signum perpetui pacti de hoc quod spoponderant inter se et Deum. » Hæc de pace illa. Quidquid autem de ea dicant Sigebertus ad annum 1032 Baldericus Noviomensis episcopus in chron. Cameracensi et Atrebatensi lib. III, cap. 52, totidem ferme verbis et cap. 53 et 54 et Baronius ad an. 1034, num. 2, 3 et 4, tandem a pontifice Urbano secundo propalam fuisse in Claromontana synodo, ut ipsius canone I videre est et ex ipso Baronio ad an. 1095, num. 50 quæ hunc canonem quem, tanquam corollarium prædictorum huc refero, recenset. « Item placuit omnia bona eorum qui Hierosolymas pergunt, semper et ubique esse salva

A in pace, et treuga, quousque redierint. » Imo et in concione illa quam ex Tyrio lib. I c. 15, recitat quamque in Claromontensi concilio habuit Urbanus, illa leguntur : « Nos autem misericordia Dei, et beatorum apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, fidelibus et Christianis qui contra eos arma susceperint, et onus sibi hujus peregrinationis assumpserint, immensas pro suis delictis pœnitentias relaxamus. Qui autem in vera pœnitentia decesserint, et peccatorum indulgentiam et fructum æternæ mercredis se non dubitent habituros. Interim vero eos, qui ardore fidei ad expugnandos illos laborem istum assumpserint, sub Ecclesiæ defensione et beatorum Petri et Pauli protectione tanquam veræ obedientiæ filios recepimus, et ab universis inquietationibus tam in rebus alienis quam in propriis statuimus manere securos. Si vero quispiam molestare eos ausu temerario præsumpserit, per episcopum loci excommunicatione feriatur, et tandiu sen-
B tentia ab omnibus observetur, donec et ablata reddantur, et de illatis damnis congrue satisfiat. Episcopi vero, et presbyteri, qui talibus forsitan non restiterint, officii suspensione multentur, donec misericordiam sedis apostolicæ obtineant. » Et paulo post subjicit : « Ante omnia juxta statuta synodi fideliter laborantes ut pax, quæ verbo vulgari treuga dicitur, ab omnibus observetur illibata, ne ire volentibus, et ad necessaria discurrere, ullum objiceretur impedimentum. Quare merito Ivo hanc pacem justitiam vocat, cum in jus transierit et jure conqueruntur Hugo et Curvævillanus Ivo, quod ad sacrum bellum ituris Rotrodus Perticensis, non Cenomanensis comes, ut scribit Baronius, pacem turbaret, et facultates quæ in protectione Ecclesiæ erant, sibi vindicaret. Confer epistolam 90, ubi de treuvis illa.

Comes Rotrocus. Henrici primi Anglorum gener Mathildem quippe ejus naturalem filiam uxorem
C duxerat, quæ anno 1120 cum fratre Guillelmo Adelino naufragio periit : ex Guill. Gemetic, lib. VIII cap. 29; Orderic Vital. lib. II, pag. 810, et lib. XII, p. 870. Iter Hierosolymitanum cum aliis multis, anno 1096 arripuerat. Unde anno 1100 rediit, ut scriptum reliquit Ordericus lib. XIII, pag. 890 : « Anno, inquit, ab incarnationne Domini 1100 peractis rebus pro quibus Hierusalem ierant optimates, redierunt, et sua, ut justum erat, repertierunt. Tunc Rodbertus Nortmannorum dux, et Robertus Flandrensis, atque Rotro Moritoniensis, allique plures prospere reversi sunt, et affinibus merito congratulantibus sua quique possederunt. » In Charlutario quoque monasterii sancti Dionyiii Nongentensis a Gauffrido ejus parente fundati in *Charta Thebalde Moliscastri* in fine hæc reperiuntur : « Testes Rotrocus comes Mauritianensis, qui de Hierusalem venit, Hugo vicecomes Castriduni, » etc.

Hæc causa sine monomachia terminari non posset et judicium sanguinis nobis agitare non dicebat, Ivo-
D nis sæculo, qui litigabant, si litis **240** argumenta, seu, quod dicunt controversiæ capita probare non poterant, monomachia, seu duello, aut, ut, dicebant, bello, ferri candentis : vel etiam frigidæ seu ferventis aquæ probatione, dirimebant. Quæ quidem omnia in concilio Lateranensi sub Innocentio III, c. 18, prohibita sunt, *Et extra ne clerici vel monachi*, c. *Sententiam.* Decretum habetur ex quo subsequentia cum ad rem nostram faciant, referemus : « Nullus quoque clericus rotariis, aut balistariis, aut hujusmodi viris sanguinum, præponatur, nec illam chirurgiæ partem subdiaconus diaconus, vel sacerdos exerceant, quæ adustionem vel incisionem inducit. nec præcipue quisquam purgationi aquæ ferventis, vel frigidæ, seu ferri candentis ritum cujuslibet benedictionis aut consecrationis impendat, salvis nihilominus prohibitionibus de monomachia, sive duellis antea promulgatis, » De quibus 2 q. 4, *Monomachia*, et de judicio sanguinis Ivo part V., cap.

315, et part. VI, cap. 222, decretum. At vero cum A pluribus Juretus in notationibus suis ad Ivonem de his agat, nihil nos amplius.

Ivo dominus Curvævillæ. Plures fuerunt hujus nominis Curvævillæ (quod est municipium agri Carnotensis, a quo quatuor leucis Gallicis distat) domini. Ille autem de quo hic loquitur Ivo noster fuit secundus Georgii et Philippæ filius ; ut ex tabulis sancti Petri in Valle Carnotensis ad annum 1094 apparet. Virum pium et liberalem fuisse ex eo conjici potest, quod ecclesiam Sancti Nicolai Curvævillæ canonicis regularibus S. Joanni in Valle Carnoti concesserit, terram de Orgevilla haud procul a Pruveto Gilonis Tyronensibus monachis tribuerit, aliaque plura religiosis locis legaverit. De quibus videnda Chartularia illarum abbatiarum et Nota ad epistolam 267 et alias sequentes.

AD EPIST. CLXIX.

Galloni Parisiensi episcopo. Episcopatum Parisiensem auspicatus est 1104, sub anni finem ; ut in B chartulario Sancti Martini Campensis apud Lutetiam fol. 37, recto, et 70 verso videtur. In charta enim donationis Anneti factæ a Waleranno de *Villeperat*, alias de *Villepreux*, assensu Guidonis de Puteaco fratris sui, et Hugonis filii Everardi Puteacensis, scribitur ipsam datam fuisse publice in Capitulo beatæ Mariæ Parisiensis, anno ab Incarnatione Domini 1108, indict. 15, epacta 17, concurrente 3 Ludovico rege regnante anno primo, episcopatus Gualonis anno 4. Et in Chartulario Columbensis monasterii, alia habetur charta ejusdem Galonis data Parisiis in Capitulo beatæ Mariæ anno ab Incarnationis Domini 1106, indict. 14, epacta 14 concurrente 7, Philippo regnante anno 48, episcopatus dicti Gualonis 2, coram Bernerio decano, Adamo præcentore, etc.

Guido fraternarum rerum custos. Hic Guido frater erat Hugonis Puteacensis et vicecomitis Carnoten- C sis, atque Everardi *de Villaperat* domini, ut supra ad hanc epistolam diximus. Quod ex chronico Mauriniacensis monasterii lib. II addisco, in quo hæc leguntur : « Guido etiam vicecomes Stampensium, etc., illius magni Hugonis domini Puteoli, in cujus feodo ecclesia ista fundata est, filius fuit. » Et ex chartulario Sancti Martini Campensis. fol. 28, charta 60, confirmatur. Ibi enim scribitur : « Hujus autem concessionis testes fuerunt Hugo de Puteaco, et Wido frater ejus. » Et fol. 14 verso, charta 31, hæc habentur : « Sciant omnes quod Walerannus de Villaperat dedit ecclesiæ Sancti Martini de Campis, pro animæ suæ requie et parentum suorum defunctorum salute, terram quæ Alnetum dicitur, apud Sanctum Clodoaldum existentem, etc. Hoc donum concessit Wido qui tunc tenebat castrum Puteoli, qui frater Waleranni erat, etc. His ita gestis aliquanto tempore elapso, Hugo filius Ebrardi, ad quem paterno jure prædictum castrum Puteoli pertinebat, quadam die D ad S. Martinum venit, et rogatus a domno Theobaldo priore, et domno Gilduino fratre prædicti Waleranni, concessit donum quod patruus suus fecerat, et accedens ad altare posuit super illud coram positis his testibus Walterio scutario, etc. Et ut hoc donum firmius stare possit, et ecclesia Sancti Martini prædictam terram in pace, et sine calumnia per succedentia tempora possidere possit, Robertus comes Mellentinus donum quod Walerannus fecerat concessit, et sua illud auctoritate confirmavit. De feudo enim illius terra illa erat, et quando illis concessit, hi testes audierunt advocati, Willelmus de Burgo novo, Odo de Morenvillari, Walerannus. Factum est hoc anno incarnati Verbi 1108, indict. I, regnante Ludovico rege Francorum anno primo regni ejus. Walone Parisiacæ urbis episcopo existente. » Ex quibus Hugonem, Walerannum, Widonem, et Gilduinum fratres fuisse, Hugonisque Puteacensis filios quivis intelligere potest.

AD EPIST. CLXXII.

Ulcha, vulgo *Oucques*, archidiaconatus Dunensis et decanatus Belsiæ pagi, diœcesis Carnotensis.

In municipio quod appellatur Montfauni. Illustrandæ huic epistolæ multum facit instrumentum, quod in Vindocinensis cœnobii cartophylacio asservatur, cujus tenor hic est : « Quicunque mente provida sæculi hujus defectuum intuetur varietatem, debet summopere ad semper mansuram anhelare felicitatem, ad quam summa devotione totoque mentis nostræ conamine requirendam, cum multas posuerit multiformis gratia Dei vias, unusquisque secundum fidei suæ mensuram, proprio eas frequentat modo, et alius quidem bona docendo, alius recta faciendo, alius alio quolibet virtutis genere, regni cœlestis iter ingreditur. Inter quos ego Radulphus de Balgiacensi, licet piger viator ; pro data tamen a Deo in bene faciendi facultate, eleemosynarum deportatus vehiculo, semitam vitæ carpere disposui, de rebus itaque et possessionibus pro mea, meorumque salute prædecessorum, dono et concedo beato Launomaro et monachis ejus, terram ad construendum ecclesiam et burgam ædificandum infra oppidum meum, quod Monsfaunum dicitur, ubi hactenus parochialis ecclesia non fuit. Capella vero quæ ibi habetur, matri adjacet ecclesia, quæ in nomine Ufca in honore sancti Joannis fundata est, ubi ex dicto burgo, et toto oppido, omnia parochialia, et omnes **241** oblationes solemnes juxta morem ecclesiasticum deferuntur. Ex jure igitur hujus ecclesiæ, quam beati Launomari et monachorum ejus esse constat, cum eadem capella in oppido meo sita, et ea quæ prædicti monachi possident per manum bonæ memoriæ patris mei Lancelini, spoliatis inde Blesensibus monachis. Vindocinenses monachi prædictam non sine invasione subintraverunt capellam ; Et exinde orta est controversia inter dictos monachos in Carnotensis ecclesiæ curia, Ivone episcopo præsidente, habita judicii discussione, expulsis Vindocinensibus monachis, Blesensibus est eadem capella ab ipso episcopo cum assensu clericorum, canonico judicio restituta. Unde ego judicium rectum intelligens, et S. Launomari jus recognoscens, præcepto ejusdem episcopi quidquid in supradicta capella possideo, sine aliqua retentione prædicto sancto, et monachis ejus in perpetuum concedo. Quia vero in servitio esse non possumus, et cætera majora sanctæ Ecclesiæ sacramenta, vel officia, pro lege capellæ ibidem celebrari nequeunt, et parochialis S. Joannis procul inde remota est ecclesia, impetrata a jam dictis Blesensibus monachis, accordato præfati pontificis ad ædificandum intra terminos ejusdem parochiæ prope jam dictum oppidum, aliam opportuniorem ecclesiam, terram eis ad hanc, et burgum suum, sicut prædictum est, construendum secundum terminos metarum, tribuo. Omnes autem quoscunque potuerunt ibidem hospites retinere, præter oppidi mei habitatores, retineant, sintque illi ab omni penitus consuetudine liberi et immunes, excepto quod me in Campale, si necesse fuit, prælium præcedente, sequentur. Quod si glandibus et pascuis porcorum, boscus quæ (*sylva longa* dicitur) abundaverit, omnes porci monachorum, et hominum suorum, et ibi habitantium, et aliorum ubicunque habitent, liberum habeant per eamdem silvam sine ulla pastinatici exactione. Hæc omnia sicut hic descripta sunt, tali tenore concedo, quatenus insuper dicta nova ecclesia omnia sacramenta et officia, quæ ad parochiam pertinent, de cætero celebrentur. Testium autem qui his interfuerunt ista sunt nomina. Ex parte mea Arraldus mala terra, Gajuldus, Garnerus Bisol, Baillivus præpositus, Thomas capellanus, Gaufridus cancellarius. Ex parte monachorum Bartholomæus, Girardus de Doraco, Petrus cubicularius, Joannes de Luco, Leodericus Major. Signum Radulphi, Signum Macheldis uxoris suæ. »

Ad Epist. CLXXIII.

Ejusdem argumenti est cum epist. 168 et 169 præcedentibus.

Ad Epist. CLXXIV.

Pro anima fratris vestri religiosi regis. Edgari videlicet Scotorum principis, qui absque liberis decessit 1107, ut ex historia Scotica Buchanani lib. vii, clarum est. Ex quo hoc, vel sequente anno hanc epistolam scriptam arbitror.

Ad Epist. CLXXV.

Concilii a vestra paternitate indicti. Trecense intelligit ex epist. sequente, quam anno 1107 Paschali qui concilio præfuit, Ivonem scripsisse Baronius asserit num. 3.

Ad Epist. CLXXVI.

Wigrinus Ecclesiæ nostræ cancellarius. Nempe Carnotensis ecclesiæ, qui cum a Dolensi capitulo in præsulem electus esset 1107, non acquievit, sed electionem abnuens, procurante Ivone in prima statione mansit, suscipiente Baldrico Burgoliense abbate, quam respuerat dignitatem, de quo tomo VII Conc. parte i, pag. 540, impressionis Parisiensis Morelli 1636.

Ad Epist. CLXXVII et CLXXVIII.

Gaufrido Belvacensium episcopo. Hunc minus recte præfert Waloni Claud. Robertus in Belvacensium episcoporum serie, cum ex ipsomet Gaufridus hic cœperit tantum anno 1105, quo Walo jam ex Belvacensi ad Parisiensem episcopatum transierat. Baronius ad an. 1107, num. 4, epist, 178 eodem anno scriptam censet, quo et superiorem puto.

Ad Epist. CLXXIX.

Truces Turci. Turcus et Turca apud id sæculi auctores indifferenter usurpantur. Ita enim apud Albertum Aquensem Hist. Hierosol. lib. i, c. 22 : « Folkerus, inquit, Carnotensis vir nominatissimus in terra sua, apud Nicæam in Turcorum congressu occubuit ; » et lib. v, cap. quoque 22 : « Constituitur a Balduino in civitate Sororgiæ cum centum probis et bello assuetis militibus contra Turcos, » lib. iv de Gestis Francorum, et aliorum Hierosolym. c. 10. *Solimanus*, Solimani veteris filius, dux Turcorum dicitur. In historia præterea Roberti S. Remigii Remensis monachi lib. vi : « Innumerabilia Turcorum agmina prospexit. » Guillelmus etiam Tyrius lib. vi Hist. suæ Hieros. c. 22 : « Turcæ cognito Christianorum adventu prostraverant, » et ita communiter.

Ad Epist. CLXXX.

Radulfus de Balgenciaco. Lancelini ejusdem loci domini filius de quo nos superius ad epist. 172, et infra. De Lancelino autem hæc in chartulario cœnobii S. Trinitatis Vindocinensis, charta 227, reperio. « Lancelinus castri Balgentiaci dominus homo quantum quidem ad natalitium spectat, generositate, parentum nobilitate clarissimus : quantum vero ad propriæ virtutis laudem, tam militaris strenuitatis potentia, quam rei familiaris honesta sollicitudine procurandis, industria famosissimus, Ecclesiam in suburbio castri sui, a quibusdam fidelibus inchoatam, perfecit, et a Rainerio Aurelianensi pontifice dedicare fecit, in memoriam S. Sepulcri, eamque S. T. [Sancti Trinitati] donavit. Hanc calumniati sunt canonici S. Lifardi de Balgenciaco, quod sita esset infra illorum cœmeterium. Calumniam sedavit Lancelinus apud Magdunum præsente eodem episcopo; et inde perrexit Romam ; cumque rediisset, obtinuit ab iisdem canonicis, ut particulam illam cœmeterii S. T. concederent. S. Radulfi filii Lancelini de Balgentiaco Ancelinus de Bellomonte (qui erat Lancelini de Balgentiaco frater ex chart. 288). Actum apud Balgentiacum anno 1081, indict. iv, firmatum vero a canonicis iv Idus Junii prope Ecclesiam S. Firmini in platea publice. » Et circa finem dicti chartularii legitur : « Concessio Radulphi de Balgentiaco apud Pictavium urbem 1098. Symonis domini Balgentiaci, Adenordis uxo-

A ris ejus, Lancelini fratris Symonis, de nundinis S. Beati, et Lancelini apud Balgentiacum, in præsentia domni **242** Roberti abbatis, eo in palefrido suo sedente anno 1150. » Numeratur vero Radulphus inter proceres qui ad bellum sacrum profecti sunt anno 1096, apud Guill. Tyrium lib. i suæ Historiæ cap. 17, et inter eos qui partes Theobaldi Campaniæ, et Carnoti comitis adversus Ludovicum Crassum sequebantur ; ut est apud Suger. Sandionysianum abbatem, qui inter alia hæc scribit : « Hac eadem causa Radulfum de Balgentiaco cum conjugem germanam cognatam regis, Hugonis magni filiam haberet, » illexit. Et paucis interjectis : « Carnotenses, Dunences, et Brienses, suffragio Rodulfi Balgentiacensis nullo opposito arcebantur. » E quibus viri præstantia et nobilitas assequi potest. Scriptam tabellam 1108 puto, vel circa.

Ad Epist. CLXXXI.

Vigeliacensis. Alias Vezeliacensis. Est autem Vi-
B zeliacum, seu Videliacum locus diœcesis Arduensis, in quo Ecclesia B. Mariæ Magdalenæ sacra, ipsius sanctæ peccatricis cineribus celebris, quæ a Joanne VIII papa, dum ad Trecense concilium pergeret, dedicata fuit. Ibidem aliquando sanctimonialium cœnobium condiderat Girardus Russilionis dominus, quod Benedictini instituti ascetis postea cessit, et tandem canonicis ; illis sæculari toga donatis.

Belvacenses monasterii S. Luciani. Ordinis quoque Benedictini, quod a fundamentis erexit Childebertus, Francorum rex, sed cui ultimam manum imposuit Chilpericus successor ipsius.

Buglensis ecclesia. Rectius Bullensis, seu de Bullis diœcesis Belvacensis, et decanatus Brithuliensis, cujus prioratus a Vizeliacensi ecclesia, seu collegio movet. Hujus epistolæ elucidationi plurimum confert tabula restitutionis ecclesiarum et castri de Bullis abbatiæ S. Luciani, apud Louvetum Historiæ
C Belvacensis, lib. iii, cap. 17, cujus tenor hic est : « In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis : Ego Wido Belvacensis urbis Dei gratia præsul. Ad omnium incitamentum bonorum nostris acta temporibus, fidelium notitiæ manifestare curavi. Unde cum domnus Hugo comes de Domno-Martino, pro Ecclesiis de Bubullis (quas injuste tenuisse fatebatur) nostram adiisset præsentiam, quam salubrius ejus animæ consulere potuimus nos consuluisse credimus. Sanctus namque martyr Lucianus easdem ecclesias, cum omni ipsius castri integritate, et dono Childeberti regis, et Constantini Belvacensis episcopi sibi concessi, dudum possederat ; sed postmodum barbarorum incursione, et impiorum, id est Hastengorum, pervasione, cuncta perdiderat. Quod ego pertractans, ut injuste ablata, et perverse retenta S. martyri redderet, illico consului, persuasi, qui nostri consilii jussis obtemperans, domnum Theobaldum, monasterii S. Luciani abbatem adiit,
D suam, suorumque injustitiam antecessorum, recognovit, et ipsas ecclesias laudantibus canonicis, quos ibi posuerat, jussu nostro et concessu clericorum nostrorum, cum omnibus appendentiis suis sancto Martyri reddidit. Idem autem abbas cum ex nostræ admonitionis jussu cum quibusdam monachorum suorum denominatum castrum adiisset, et præcepto nostro, et ipsius comitis redditione; ut dictum est, ecclesias recepisset, quomodo eas S. Lucianus possederat, volens habere, super hoc sibi fieri scriptum, et nostræ auctoritatis sigille confirmari proposcit : cujus postulationi gratanter acquiescentes, hanc ei chartulam sigilli nostri impressione firmavimus. Ego Wido Belvacensis episcopus hanc chartulam fieri jussi, et manu propria subscripsi. Ego Theobaldus abbas subscripsi. Ego Hugo comes subscripsi. Actum in civitate Belvacens. an. Incarnationis Dominicæ 1075, regnante rege Philippo, indict. xiii, epacta i. » Scripsit autem hanc epistolam Ivo anno 1108, vel circiter.

Concilio Exoldunensi. Isouldun Gallice. Quo vero anno habitum sit illud concilium, apud actores non inveni, nisi forte fuerit de quo in chartulario S. Dionysii Nongenti Rotroldi agitur. In notitia de concilio Augustodunensi ita inscribitur *et Seldumense* dicitur pro *Exoldnnense*. Sic enim fert instrumentum : *ad aliud concilium quod fuit Selduni* (non *Seldulium;* ut legit Brius Hist. comit. Alenc. et Pertic. lib. III, cap. 4) *perrexit.* Chartularium quippe ejusdem cœnobii, quod penes me est, ita scribit. Actum concilium illud inter Senonense et Meldense, quæ anno 1080 habita sunt, indictum sit, eo anno celebratum fuisse necesse est. Id ex tabulis ipsis apparet quæ anno decimo quinto post, Augustodunense concilium coactum fuisse astruunt, quod ex Bertoldo et aliis, an. 1094, congregatum fuisse constat. Quod vero ad epistolam spectat, eam circa 1105 aut 1106 scriptam, reor, cum iis annis Richardus Albanensis episcopus (ad quem ipsam Ivo dirigit) legatam in Galliis agebat.

Ad Epist. CLXXXII.

Porrecto libro investituram subdecaniæ facere vellem. Libello ut plurimum beneficiorum minorum id temporis, ut pedo aut baculo majorum investitura flebat, atque ipsorum ejuratio. Sicut enim in accipiendis beneficiis libellum sumebant : in ipsis dimittendis, deponebant, seu libellum reddebant. Vide infra ad hanc notam et huc refert. Illius ceremoniæ meminit Ivo in instrumento concessionis prioratus S. Nicasii de Mellento, quod inter epistolas annumeravit Juretus num. 285; et Goffridus Vindocinensis lib. I, epist. 6. Ibi enim de Pagano ex abbate S. Albini Andegavensis scribens : « Me præsente, inquit, in capitulo suo inter manus Andegavensis episcopi cum regula S. Benedicti abbatiam penitus ante dimiserat. » Cui lucem præfert Sirmundus in Notis eo, quo ex chartulario ejusdem monasterii S. Albini profert testimonio quod ita habet: « De hac igitur eleemonysa, ego ipse Samson cum regula S. Benedicti, cum qua Ecclesiæ beneficium ab abbate, et fratribus memorans acceperam, memoratos investivi abbatem et conventum, et eamdem regulam super altare. B. Albini detuli ob memoriam perpetuæ firmitatis. » Aliquando etiam sola corporis inflexione, seu inclinatione beneficium patronis remittebant. Moris quoque temporis illius fuit, ut etiam cum profanam aliquam possessionem Ecclesiis conferrent, glebam illius terræ, cultellum, baculum, aut aliquid aliud in investituræ signum super illius ecclesiæ altare deponerent, quod *Scotulio,* apud auctores dicebatur. Innocentius IV, sum. pont , docet **243** epist. ad archiep. et capitul. Lugdunens. et guberno, extra *c. exsultatis de consuetudine.* Hujusce cæremoniæ exempla varia habentur in ecclesiarum tabulis, et in Chartophylacio Ecclesiæ Carnotensis plures adhuc videntur cultelli quibus donationum instrumenta alligata sunt. Et in chartulario quod est in Camera compotorum ecclesiæ supradictæ charta 186 legitur : « Ego Robertus de Carnoto miles. Notum facie quod ego devotus Carnotensis ecclesiæ filius concessi, et dedi in eleemosynam canonicis ejusdem ecclesiæ redditus xx solidorum apud Rouas et x solid. apud Domnam Mariam, etc. Unde ad majorem hujus rei notitiam imposterum faciendam, ego in supradicta ecclesia ad altare B. Virginis Mariæ humiliter accedens, donationem prædictam prius in Capitulo factam recognovi, et cultello super idem altare manu propria posito, et oblato, multis hæc videntibus, et audientibus confirmavi, » etc. Quod in pluribus quoque chartis chartularii Vindocinensis monasterii habetur, ut fol. 195, 209, 222 et 282, et aliis. Sed et ligno investituram super altare posito fieri ex eodem chartulario patet, in Auctoramento Rainaldi Burgundi de Credonensi ecclesia et in concessione feriæ Sancti Beati facta Roberto Vindocinensi abbati a Simone de Balgentiaco, in chartulario quoque S. A Petri in Valle Carnotensis legitur fol. 50. *De vanno Bermervillæ.* Odo comes palatinus et Carnotensis vannum illud eidem monasterio *Savinæ ramusculo super altare S. Petri apostoli posito*, concessit. Est apud S. Martinum de Campis instrumentum quo Henricus Ludovici Crassi regis filius abbas beatæ Mariæ Stampensis præbendam monachis dicti loci in eadem Stampensi ecclesia assignat, eo ordine quo dominus Albertus Cantor in illa obtinebat. »Quam, inquit, in manibus meis per panem et librum reddidit, et ego consequenter similiter per panem et librum in manibus. Ven. Theobaldu prioris de campis eam seposui. » Cæremonia autem illa de investiendis canonicis Carnotensibus per libelli traditionem, adhuc eadem in Ecclesia perseverat.

Hugo nepos decani. Ad hunc Richardus Albanensis in Galliis legatus sequentem scripsit, et ad Ernaldum ejus avunculum epistolam, quæ in membranis apud me existentibus invenitur: « R peccator B Albanensis Ecclesiæ qualiscunque minister apostolicæ sedis licet indignus servus et legatus amicis suis charissimis E. decano Carnotensis ecclesiæ et Hu. nepoti ejus salutem. Quia multum de vobis confidimus, et in causis vestris si necesse fuerit libenter de vobis adesse volumus, familiariter et fiducialiter preces vobis dirigimus, et de vestro, sicut de amicorum nostrorum, consilio et auxilio certi sumus. Ea itaque certitudine freti, rogamus fraternitatem vestram ut amico nostro charissimo domino Roberto ita de præbenda sua subveniatis, ut ex hoc cognoscat quantus sit inter nos, et vos fervor charitatis. Ad simile enim opus servitii vestri, paratos nos invenietis, si quando vobis necesse fuerit. »

Ad Epist. CLXXXVI.

Monasterium Charitatis. Cluniacensis ordinis et diœcesis Antissiodorensis, cui ut ecclesiam, seu cellam in Carnotensi diœcesi obtineret eo in loco qui C parvus Bellua locus dicitur, primo, vel altero ab urbe lapide, Ivo episcopus concessit, de quo monasterio videndus Coquilleus in Historia Nivernensium comitum.

Ad Epist. CLXXXVIII.

Radulpho venerabili Remensium archiepiscopo. Si ita est hanc epistolam anno 1108 scriptam fuisse, vel post, certum est, cum eodem tantum Remensem sedem Radulphus adeptus sit.

Ad Epist. CLXXXIX.

In consecratione Ludovici, regis Francorum. Baronius hanc epistolam scriptam fuisse anno 1106, num. 44, contendit. Ego, 1108, post Crassi inaugurationem. Qui enim posset Ivo de consecratione regis ipsius loqui antequam inungeretur? At ex auctoribus melioris notæ auspicatus est regnum Ludovicus Crassus anno 1108, ex quo hanc epistolam hoc anno, non superiore scriptam præsumi poD test.

Ad Epist. CXC.

Domnus Theobaldus Beati Martini Parisiensis prior. Ad eum Paschalis II, S. P. II Kal. Maii, indict. XV Incarnationis Dominicæ, anno 1108, scribit Bulla data apud Sanctum Dionysium in Francia habeturque in collectione chartularum prioratus Sancti Martini Campensis.

Expulso invasore Gervasio, pacem restitueret et domnum Radulphum ejusdem Ecclesiæ metropolitanum in gratiam suam receptum, eidem Ecclesiæ præesse concederet. Radulphus qui *Viridis* dicebatur, Remensis archiepiscopus, Crassi gravissimas et periculosas, quod absque ejus assensu 1108 electus Remensis et intronizatus fuisset, incurrerat inimicitias, pro quibus conciliandis ejusdem ecclesiæ clerici legatos miserunt qui inaugurationi regi Aurelianis designatæ sese vice illius ecclesiæ opponerent. *Primæque regis coronæ primitias ad jus Ecclesiæ per-*

tinere Remensis dicerent, ut est apud Sugerium in Crasso, et Aymoini continuatorem lib. v, cap. 45: « Et a primo Francorum rege quem baptizavit, Clodovæus hanc prærogativam illibatam, et inconvulsam obtinere. » Quam qui ausu temerario violari tentaret, anathemati perpetuo subjicerent. Exsulabat tunc Radulphus ille, Gervasio Hugonis comitis Rethelii, et Melisendis de Monteleherico filio sedem ipsius interim occupante. Pro Radulpho summo pontifici Paschali scribunt Ivo, et Theobaldus Sancti Martini Campensis prior, qui tandem ejusdem in propriam cathedram restitutionem obtinuerunt, id docente Roberto de Monte supplemento ad Sigibertum anno 1114 : « In Remensi quoque metropoli, inquit, post Manassem illustrem virum, exturbato invasore Gervasio, Radulphus successit, qui Viridis cognomen habuit. » De quo videndus etiam Order. Vital. lib. VIII, Historiæ suæ Eccles., pag. 699, qui eum non Manassi, sed Raynaldo successisse dicit. Certior tamen est Roberti sententia cum ad eumdem Manassem, qui immediate Raynaldo suffectus est, Ivonis epistola 185 exstet. Hanc autem non nisi ex iis quæ in ipsa leguntur, scriptam esse 1114 præsumo.

244 Ad Epist. CXCII.

Monachis Columbensibus. Columbæ, sive Columba, monasterium est ordinis Benedictini in agro Carnotensi primo a Nogento Eramberti, seu regis lapide situm, quod a Rogerio Odonis secundi Carnotensis comitis ex conjuge prima, seu secunda filio, Franciæ cancellario, et Belvacorum antistite inchoatum, et ab Olderico Aurelianensi episcopo ejus ex sorore nepote, præfectum est anno 1028, Roberto, Francorum rege secundo, regni habenas moderante ; ut ex tabulis fundationis hujus asceterii; quas alibi retulimus, certum est. Quo anno scripta fuerit epistola, satis non liquet.

Ad Epist. CXCIII.

Ecclesia S. Quintini. Belvacensis scilicet.

Guido Belvacensis episcopus. De hoc videndus Louvetus in Hist. Belvac lib. IV, c. 14.

Ad Epist. CXCIV.

Raginaldus Canardus. Lupævillæ dominus, a quo denominationem accepit pagus ille, qui vulgari idiomate *Louville-la-Chenard*, nuncupatur, qui, cum sit diœcesis Carnotensis, Raginaldus ille ab Ivone Carnotensi, parœcianus ipsius vocatur.

Ad Epist. CXCV.

Carnotensis ecclesiæ professionem refutasse. Professionem, seu Juramentum de obedientia episcopis Carnotensibus, et ecclesiæ exhibenda, edebant quotquot in Carnotensi diœcesi degebant abbates; ut in antiquis episcopatus Carnotensis codicibus et ecclesiæ monimentis legere est. Solus Vindocinensis ex speciali Romanæ Ecclesiæ privilegio hac lege eximebatur et adhuc exemptus est. Angebat Ivonem privilegium, illudque egerrime ferebat, quod ex chartulario monasterii Vindocinensis, ut cuique innotescat, promo :

« Clemens episcopus, servus servorum Dei, Gaufrido Andegavorum comiti ex Agneti comitissæ, conjugi ejus, salutem et apostolicam benedictionem. Quotiens, filii, » etc. *Fide in Clemente II, Patrol. t. CXLII.* Hac autem epistola videtur respondere Ivo ei quam ad eum scripserat Goffridus Vindocinensis, quæ secunda est lib. II epistolarum ipsius, ut ex ipsius lectione patet.

Ad Epist. CXCVII.

Guillelmo Majoris Monasterii abbati. Inter illius asceterii archimandritas non recensetur Guillelmus; sed ejus loco reponitur Gaufridus *de Conan*, de quo plura in libello *De gestis archiepiscoporum Turonensium et abbatum Majoris Monasterii*, pag. 112 et sequentibus.

Ad Epist. CXVIII, CXCIX et CCII.

De Præpositura Sodobrii. Quæ ad collegium Sancti Martini Turonensis spectat in agro Blesensi, et dicitur *Prévoté de Syeure.*

Ad Epist. CCIII.

Basilicarum. Basilicæ dicebantur ecclesiæ Majores, quæ a regibus, vel principibus ædificabantur, seu etiam quod regi regum et omnium, Deo ibi sacrificia offeruntur. De qua re pluribus Stephan. Durant. De ritibus Ecclesiæ, lib. I, c. 1, num. 9 et seq.

Lisiurdo Suessionensi. De Crespeio *de Crespy* dicto, qui anno 1108, ad Suessionensis Ecclesiæ præsulatum ex proposito ipsius electus est. Quod ex chartulario Sancti Martini Campensis, fol. 82, constat in quo describitur **245** charta ejusdem episcopi de ecclesia de *Lerniaco* ab eo monachis Campensibus data, consentiente Crispei comitissa, et Radulpho ejus filio, anno 1123, indict. I, regnante rege Francorum Ludovico, anno regni illius 16, episcopatus vero dicti Liziardi 15. Si enim anno 1125 erat quintus decimus Liziardi, annus 1108 primus illius necessario fuit, quo, vel sequente, hæc epistola scripta fuit.

Ad Epistolam CCIV.

In duos ecclesiæ nostræ prælatos. Ernaldum scilicet decanum, et Fulconem subdecanum, cui postremo favebat rex Ludovicus; ut ex sequente tabula ad Ivonem scripta liquet, quam in membranis meis reperi, et sic habet : « L., Dei gratia Francorum rex, I. Carnotensium episcopo, totique sanctæ Carnotensis ecclesiæ capitulo, sal.. Audito quia Arnaudus decanus, atque F. subdecanus clericus noster, ac familiaris amicus invicem adversantur, procul dubio credat dilectio vestra, quia valde nobis displicet, et ultra quam credatis, moleste ferimus. Cognito namque per ordinem quomodo, vel quemadmodum res agatur, videtur nobis, et universis etiam sapientissimis personis, quibus nos ipsi suggessimus, patet, quoniam F. damnose tractatur, et injuriose. Quocirca rogamus dilectionem vestram : imo summopere precamur, quatenus querelam quæ inter illos habetur ad honorem, et proficuum domni Fulconis gratia nostri studiose difiniatis, quemadmodum de amore nostro curatis et honore. Quod si feceritis, ad quodcunque vobis placuerit, nos juxta voluntatem vestram paratos invenietis. Si vero non in hoc tantillo audire neglexeritis, certum teneat discretio vestra, quia nos ad iracundiam provocantes, ultionis nostræ sententiam quoquomodo sustinebitis. Ad hoc siquidem vos esse sollicitos volumus, ne super hoc ulterius si placet vobis, quærimoniam audiamus. Quod si fieret, damnum ipsius in quadruplum redimere curaremus. Vale, alioquin præfatum Fulconem clericum nostrum in curia vestra vobis rectitudinem secuturum offerimus. » Ivo judicii invidiam a se repellere potens, summum pontificem consulit hac epistola, ut quid agere debeat, rescribat, dilationem sententiæ non patitur Fulco, et ideo adversus Ivonem regi sequentem mittit : « L., Francorum regi, invictissimo domino suo charissimo Fulc. præpositus (non moretur lectorem quod præpositum vocet; plures si quidem eadem in ecclesia tunc obtinebant dignitates) sal., Sciatis, domine mi charissime, quia quidquid episcopo nostro mandastis pro nobis, non pro nobis, sed contra nos est, et propter mandatum vestrum pejor nobis factus est, quam antea fuerat. Qui cum posuisset nobis diem juris agendi, infra diem positum litteris suis a cardinali quæsivit, et impetravit, ut eum cardinalis commomeret, et commonendo præciperet, ne nobiscum causam ageret. Accusavit enim nos ei dicens, quod regem adiissemus, regem in rebus ecclesiæ nostræ manum mittere fecissemus, itaque vos orasse, et ad vestrum auxilium, et consilium confugisse, nunc nobis nocere. Nunc enim nobis jus et negavit, et negat, et Romam

invitos nos trahit, et invitat : Hoc autem sciatis, quia multa sunt in ecclesia nostra privilegia, quæ assensu et auctoritate regis Francorum, et reginæ facta, et confirmata sunt. In hoc autem novissimo privilegio, nec ulla mentio vestri facta est. In quo regni vestri,et coronæ detrimentum,et dedecus intelligi potest. Val.. Quidquid autem vobis mandet, sciatis in rei veritate,quia nil nisi malum quærit,et omnia pejora mavult quam emendari, et sedari. » Hæc ex membranis,quibus abunde subdecanum illum secius de Ivone plurimum ab aliis laudato,sentire et ei male affectum fuisse patet. Hanc vero epistolam circa 1109 vel 1110 scriptam puto.

AD EPIST. CCX.

Odo Cameracensis episcopus. Aliis dicitur Odoardus Aureliæ natus, qui ex abbate Tornacensi, ad hanc sedem evectus est. De quo Molanus in Natal. SS. Belgii 9 Octobris.

AD EPIST. CCXI.

Generatio autem sic est. Eam aliter refert Jacobus Meyerus lib, IV Annal. Flandr. ad an. 1110 : « Balduinus, inquit, filius Roberti comitis Flandriæ accepit uxorem filiam Alani comitis Britanniæ.Conon episcopus Prænestinus in præsentia Paschalis papæ hoc modo recitavit consanguinitatem inter Balduinum comitem et uxorem ejus filiam Alani Nannetensis, seu Britanniæ comitis.Constantiæ Gallorum regina uxor Roberti regis et Ermengardis comitissa Avernensis sorores fuerunt. Ex Constantia Adela comitissa Flandriæ. Ex Ermengarde,altera Ermengardis comitissa. Ex Adela Robertus Frisio comes Flandriæ. Ex Ermengarde Berta comitissa. Ex Roberto Frisio alter Robertus Frisius. Ex Berta Hauvisis Nannetensis comitissa. Ex Roberto II,Balduinus. Ex Hauvise comes Alanus. Ex Alano ista virgo uxor Balduini. » Idem quoque habet Pet. *d.Oudeghersl* Annal. Flandr. cap. 59,et Jacobus Marchantius quoad lineam Flaudrensem. Ego vero alia ratione eos consanguineos in sexto gradu fuisse reperio.Fulco quippe bonus Audium comes ex uxore sua Eheberga Gauffridum Grisam tunicam, seu ut dicunt grisam gonellam,quod est vestimenti genus, cujus nomen adhuc Occitani retinent, et Blancam Guillelmi Arelatensis et Phocensium principis conjugem suscepit.Gaufridus ex Adela uxore Fulconem Nerram Audium quoque comitem et Ermengardim Conani Armoricorum ducis uxorem, Blanca Constantiam Roberti regis uxorem peperit.Fulco Nerra ex Adela priore conjuge, Adelam uxorem Goffridi Castrilandonis domini,seu Wastinensis comitis ; ut vult Bourdigueus Annal. Andegav parte II,cap.38, vel ut Odo monachus in Vita Burcharii Corbeliensis comitis scribit,Burchardi illi genuit.Ex Roberto rege et Constantia. Adela Reginaldi Nivernensium comitis primum : deinde Balduini Flandrensis uxor orta est. Ex Adela Wastinensi seu Corbeliensi et Vindocinensi domina. Fulco Rochinus alias dictus Auser, seu Auserulus prodiit, **246** sicut ex Adela et Balduino Flandrensi Robertus Frisius ; Fulco Rochinus non ex Petronilla uxore quæ Lancelini Balgenciaci Toparchæ filia fuit, ut voluit Bourdigueus Annal. Andegav. parte II, cap. 39, et Argentreus Hist Armor. lib. III, cap. 43. Sed ex Ermengardem Borboniorum domini filia alteram Ermengardem comitissam Redonensem Alani Fergentii secundam tori consortem genuit. Robertus Frisius ex Gertrude Saxonica alium Robertum Frisium juniorem dictum suscepit.Fergentia Britanniæ Armoricæ comiti Ermengardia Redonensis comitissa Agnetem peperit. Robertus Frisius ex Clementis Calixti II, summi pontificis sorore : vel nepte,Balduinum securiferum seu securiculum Flandriæ regulum suscepit,qui Agnetem illam matrimonio sibi junxit, quamvis se in sexto cognationis gradu a primario stemmate per stirpem attingerent, ut ex his quæ supra deduximus nemo dubitare potest.Qua vero tempestate in vivis agebat Ivo, nuptiæ inter

A agnatos et a communi capite descendentes usque ad septimum gradum vetabantur. Hanc autem epistolam post annum 1110 scriptam ex Meyero colligo, Nullos vero Balduinus ex Agnete liberos reliquit, cum ab ipsa Paschalis papæ jussu divertisset, ob vinculum cognationis. Confer cum hac epist. 128.

AD EPIST. CCXIV.

Brunoni primæ sedis Belgicorum episcopo. Hic fuit Bruno Engilberti successor,qui Trevirensem cathedram ab anno 1101 ad 1123 occupavit.Ipsum autem vocat Ivo primæ sedis Belgicorum episcopum,quod Augusta Trevirorum, quæ Mosellæ imminet, sit Belgicæ prima metropolis : Imo et Galliarum S. Athanasio ad solitarios,aut ut Theofridus Epteonacensis abbas præfatione in florem Sanctorum scribit : *Tripartitæ Galliæ prima metropolis.* Dicitur quoque Ammiano lib. XV, *domicilium principum clarum.*In notitia Imperii : *urbs Galliarum potentissima.* Apud Salvanium lib. VI,de Provid : « Excel-

B lentissima, et opulentissima Galliarum urbs, aliis vetustissima » quod a Trebeta Babylonio,Abrahami tempore,duobus ferme annorum ante Christi nativitatem millibus, constructa fuerit. Ipse vero metropolitanus S. Romani imperii elector est, et in regno Arelatensi per Gallias archicancellarius.Bruno autem iste a Sugerio Sandionysiano abbate in Vita Crassi Francorum regis dicitur : « vir elegans et jucundus, eloquentiæ et sapientiæ copiosus, Gallicano cothurno exercitatus. » Coram Paschale II, S. P. oravit pro Henrico III, imperat. an. 1106, ut est apud Baron. ad hunc an. num. 10, quo etiam ab Uspergensi abbate nominatur.

AD EPIST. CCXV.

Thomæ Eboracensi. Eboracum Majoris Britanniæ oppidum Anglis *York*, cujus ecclesiæ Thomas ille, de quo hic agitur, a Willelmo Ruffo, Anglorum rege, præfectus est 1070. Ut est apud Ordericum Vitalem lib. IV Histor. eccles., pag. 516 et lib. V, pag. 548. De eo Nicolaus Harspfeldius sæculo II,

C pag. 271 : « Post Ælredum, Thomas homo Northmannus et Bajocensis canonicus, a rege Guillelmo Eboracensis episcopus designatus est, » etc., quæ ibi vide.Obiit autem Thomas eodem quo Henricus I, inauguratus est anno, ut habetur ibidem. Ex quo epist. hanc suspicor non ipsi,sed sequenti scriptam fuisse. Fuit namque alter Thomas ejusdem sedis antistes, apud eumdem Harspfeldium pag. 394, et de quo Juretus ad hanc epistolam, qui obiit anno 1114, suffecto Turstino Bajocensi clerico qui erat regi a sacris ; ut scribit Order. Vital. lib. XII pag. 858, cui Ivonem scripsisse vero similius est.

AD EPIST. CCXVI ET CCXVII.

Abbatem Blesensem et Bonævallensem. Quorum prior Mauritius, posterior Bernerius vocabantur.De quibus supra ad epistolas 78 et 174 In titulo autem, seu argumento epistolæ dicitur controversiam quæ erat inter illos abbates,fuisse pro Ecclesia Verdensi, cujus nulla mentio in corpore epistolæ, adde quod

D ecclesia illa ad archidiaconum Dunensem, non ad dictos abbates pertineat.

AD EPIST. CCXIX ET CCXX.

De appellationis ordine. Stylus antiquus erat, ut appellans infra quinque,vel saltem decem dies apostolos peteret, Qui sint autem illi apostoli, paucis dicam. Sunt vero litteræ, seu libellus dimissorius quos provocantibus concedit judex a quo provocatur, ut ad superiorem pro gravamine recepto recurrat qui causa cecidit. Præcipue vero in interlocutoriis quas vocant sententiis exiguntur, quarum judex voluit reparare gravamen, et sententiam reformare potest ; cap. *Cum cessante, de appellat, extra,* ideoque litteræ illæ, seu apostoli repositorium,seu mavis reparatorium dicuntur, quod judex se provocantem gravasse, agnoscens, et in schedula provocatoria deductis,gravamen reparat,et provocantem eumdem in statum,quo ante litem erat,restituit,et super provocatione pronuntiabat, *habita in forma,*

quibus verbis, sententiam sibi reformandam tradi significabat cum in forma probante foret redacta. In sententiis definitivis non ita progreditur, quibus non nisi provocatione damnum, resarcitur l. *quod iussit*. ff. *de re judicat;* atque ideo frustra apostoli deposcuntur post finale judicium sicut edicto regio anni 1539, art. 117, cautum est. Hæc tamen praxis in Curiis Ecclesiasticorum observabatur, ut in omnibus provocatoriis causis apostolus seu dimissorius libellus a judice a quo, exigerentur, quibus judex an provocationi deferret, an non, declarabat, primum diem prorogabat ad superiorem appellationis secundum locorum distantiam ; ut cap. 1, et 7. *De appellat. in* 6, si secundum, se ulterius progressurum non obstante appellatione et absque ipsius præjudicio pronuntiabat.

247 AD EPIST. CCXXIII.

Audoeno Ebroicensis Ecclesiæ designato episcopo. De illo sic Order. Vital. lib. II Hist. suæ, p. 840 : « Anno ab Incarnatione Domini 1112. Gislebertus senex Ebroicens. episcopus, postquam in episcopatu XXXIV annis vixit, in senectute bona IV Kal. Septembr. obiit, et in basilica sanctæ Dei genitricis Mariæ sepultus est, etc. Sequenti autem anno Anduinus Bajocensis capellanus regis successit, qui eruditione litterarum imbutus, sibi commissis viam Dei regulariter monstravit, et lib. XIII, p. 919. Audinus Ebroicensis episcopus Paschali septimana in Angliam profectus est, ibique sexto Nonas Julii (anno 1139) Melitone in canonicali cœnobio defunctus et sepultus est. Hic in Bajocensi pago ortus, studia litterarum inquisivit, peritiaque liberalium artium imbutus inter doctissimos coaluit, et regi Henrico familiaris effectus, inter præcipuos scribas complacuit. Denique de capella regis provectus XXVI, annis Ebroicensem diœcesim tenuit, clerum, subjectamque plebem ad servandam Dei legem erudivit, ecclesiæque cultum solerter exercuit, et basilicam B. Dei genitricis Mariæ, quæ tempore illo combusta fuerat, e fundamentis reparavit. Rotrocus autem filius Henrici comitis de Warevico Rothomagensis archidiaconus, ad episcopatum ebroicensem assumptus est. Eodem, ut reor, anno Turstinus Eboracensis archiepiscopus præfati Audini frater defunctus est. » Ex quibus hanc epistolam scriptam fuisse non nisi post annum 1113, vel eo saltem facile colligitur.

Guillelmum Carnotensis monasterii S. Petri abbatem. Eustachii successorem, et Vernis, sive Widonis decessorem, quem Ivonis pontificatu vixisse, ejusdem cœnobii actus plures confirmant.

Musivus Vicus. Haud procul a Drocis ad Auræ marginem in diœcesi Ebroicensi situs est et vulgari nuncupatione *Musy* dicitur. Aura autem est rivulus, Galliam a Northmannia separans. Unde versus ille :

Aura, licet parva, Gallorum dividit arva.

Cujus citerior ripa ad Carnotensem episcopatum spectat : ulterior ad Sagiensem et Ebroicensem.

AD EPIST. CCXXIV.

Guidoni Molismensis monasterii abbati. Tertio scilicet, Robertus enim illius Asceterii fundator primus abbas exstitit, post quem Annas, cui Guido iste circa 1114 successit, quo forte scripta tabella. De Molismo autem monasterio, et ejus fundatore Roberto, Legendus Order. Vit. lib. VIII, Hist. pag. 711 et seq.

AD EPIST. CCXXVII.

A civibus Babyloniæ. Videtur hæc epistola scripta cum e vinculis Romanorum Paschalis II, pont. max. liber abire permissus est anno 1112. Eo quippe Matth. Paris Paschalem II, in custodiam conjectum ab Henrico imperatore IV scribit. Quod epistola a Joanne Tusculano Ricardo Albanensi in Gallias legato eodem anno scripta indict. IV Pridie Idus Februarii confirmatur. Romæ enim cum Henricus IV,
A regni coronam de pontificis manu suscepisset, ipsum pontificem nil sibi ab eo metuentem mali cum cardinalibus qui eum comitabantur in vincula conjecit, atque de investiendis episcopis et abbatibus privilegium extorsit, sed libertate recuperata statim privilegium velut Otto Frisingensis lib. VII, c. 14 loquitur privilegium revocavit pontifex et imperatorem diris devovit. Hæc autem Paschalis incarceratio accidit Romæ in ecclesia S. Petri, die Dominica ante caput jejunii. De quibus videndæ Pithœi notæ ad epist. Ivonis 238, sed nostra supputatione 136 et Baron. ad an. 1112, num. 6. Roma autem a beato Petro I epist. I, c. 5 vocatur Babylon propter confusionem, alio prorsus sensu quam Novatores interpretantur. V. Cornel. a lapide in hunc locum, et in Apocalyps. c. XIII et XVII.

AD EPIST. CCXXVIII.

In cinere et cilicio positos, ab introitu Ecclesiæ
B *statuto tempore excludit*. Hæc cæremonia adhuc observatur in Ecclesia Carnotensi, ut feria IV cinerum, pœnitentes ab Ecclesia ejiciantur, et feria LI in cœna Domini in ipsam revocentur. Quæ consuetudo a ritu veteri publice pœnitentium, quibus ipso die, et jejunii introitu satisfactiones pro admissis culpis imponebantur fluxisse indubium est. Canon siquidem in capite, qui est 62, dist. 50 (quem vir doctus perperam concilii Agathensis anno 566, celebrati novum esse scribit ; cum tamen eo in concilio nusquam inveniatur), cæremoniam illam omnino explicat, « In capite, inquit, Quadragesimæ, omnes pœnitentes qui publicam suscipiunt, aut susceperunt pœnitentiam, ante fores ecclesiæ se repræsentent episcopo civitatis sacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram demissis, reos se esse ipso habitu, et vultu protestantes. Ibi adesse debent decani, id est archipresbyteri, presbyteri parochiarum, et presbyteri pœnitentium, qui eorum pœni-
C tentiam, et conversationem diligenter inspicere debent ; et secundum modum culpæ, pœnitentiam, per præfatos gradus injungere ; post hæc eos in ecclesiam introducant, et cum omni clero septem pœnitentiales psalmos in terra prostratus episcopus cum lacrymis pro eorum absolutione decantet. Tunc resurgens ab oratione, juxta quod canones jubent, manus eis imponat, benedictam aquam super eos spargat, cinerem prius mittat. Deinde cilicio capita eorum operiet, et cum gemitu crebris suspiriis denuntiet eis, quoniam sicut Adam projectus est de paradiso : ita ipsi pro peccatis ab ecclesia abjiciuntur, Postea jubeat ministris, ut eos extra januas ecclesiæ expellant. Clerus vero prosequatur eos cum Responsorio scilicet. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, ut videntes sanctam Ecclesiam pro facinoribus suis tremefactam, atque commotam, non parvipendant pœnitentiam. In sacra autem Domini cœna rursus ab eorum decanis, et eorum presbyteris ecclesiæ liminibus repræsen-
D tentur. » Pœnitentis enim status, cinere, et sacco, seu cilicio repræsentatur, ut videre est Esther. c. IV, Thren. c. III et IV, Isaiæ LVIII, Jonæ c. III et psal, XXXV, Concilii 4 Tolet, c. 10, Agathensis c. 15, sed et ad hæc non injucundum fore arbitror referre, quod post Æneam Sylvium. qui Pius II, summus pontifex fuit, Europæ c. 31 et Raphaelem Volaterranum lib. VII scribit Joannes Bohemus lib. III, **248** de Europa, nempe Alberstadii, quod Saxonum est oppidum, id quotannis agi. « Inducitur, inquit, unus aliquis e populo cineritio die, hominum opinione nequissimus. Hunc velato capite, pulla veste sacris admovent, quibus rite peractis, templo ejicitur : ejectus toto jejuniorum tempore nudis calcibus urbem pererrat, divorum templa visitabundus. Sacerdotes illi victum suggerunt, mox in Dominica cœna iterum templo inductus, post olei consecrationem ab universo clero expiatus dimittitur, eleemosyna prius accepta, quam pie offert templo.

Hunc Adam vulgo vocant, quia ut protoplastus ille A omni vacet crimine, per eumque civitas creditur expiata. » Quod autem pœnitentes toto illo tempore Ecclesiam non ingrediebantur, sed pro foribus prostrati humi jacerent, testis est Socrates Hist. eccles. lib. III, c. 11, de Ecebolo Constantin. sophista loquens, qui ad imperatorum ingenia suum accommodans, sub Constantio se ferventissimum finxit Christianum, sub Juliano factus est paganus. Post quem rursus simulavit se Christianum. Nam, inquit ille, « ante portam ecclesiæ se pronum abjiciens, sic vociferatus est : Conculcate me pedibus quasi salem insipidum. » Plura V. apud Sozomenum Hist. eccl. lib. VII, c. 16.

AD EPIST. CCXXXI.

Pontio venerabili Cluniacensium abbati. Erat Merguliensis Phocensis provinciæ comitis filius, qui anno 1109 monachorum illorum pater electus est, et a Guidone Viennensi archiepiscopo, postea Calixto II, pontifice supremo, VII Idus Maii ejusdem B anni benedictus, a quo in purpuratorum societatem etiam allectum 1119 creatione prima, fuisse tradit Robertus in Cluniacensium abbatum serie. Quo fundamento suffultus, nescio, cum apud Onufrium desit, et longe aliter de eo sentiant Order. Vital. lib. XII, p. 871 ; Bar. ad an. 1109, 1114 et 1126 ; Petrus Cluniacensis et Petrus Pictaviensis. Obiit vero 1123, IV Kal. Januarii Cluniaci sepultus in potiore basilica secundum S. Martini altare. Ex quibus epistolam scriptam post ipsum 1109 annum colligo.

De convenientia sacramentorum. Librum hunc non agnosco, ni sit qui sermonum titulo hoc volumine adnectitur. Sunt enim de sacramentis.

AD EPIST. CCXXXIII.

Henrico abbati Angeriacensis monasterii. Rectius Augeriacensis. Dicitur enim Augeriacum in Vita S. Joannis Baptistæ, cui asceterii ædes primaria sacra est, a qua monasterium denominationem C sumpsit et vulgo dicitur *Saint Jean d'Angeli.* Est autem monasterium Benedictini instituti in Sanctonibus situm, a Pipino, Francorum rege olim anno 761, videlicet fundatum, quod funditus segreges everterunt. Illi epistolam hanc scripsisse Ivonem tradit Baron. anno 1111, num. 34. Ad eumdem quoque scribit Goffridus Vindocin. abbas lib. IV, epist. 3, 4 et 5, quarum prima eum vitæ venerabilis virum appellat.

AD EPITT. CCXXXVI ET CCXXXVII.

Concilium apud Ansam celebrandum. Locus hic duorum celebratione conciliorum illustris exstat, primi quidem anno 1025, secundi 1111, de quo hic Ivo, et Baron. ad hunc annum 36. Est autem Ansa oppidum in Lugdunensium ac Bellijocensium limite situm, quatuor leucis a metropoli distans, quo a Fluviolo illud irrigante nomen accepit, de quo Papir. Massonius in descript. Franciæ per flumina pag. 13. Illud vero concilium, de quo hic D agitur, sicut et præcedens, provinciale tantum fuit, cujus et prioris acta perierunt ; aut saltem alicubi delitescunt, cum nondum lucem quod sciam, viderint. De his V. Severtium in archiepiscopis Lugdunensibus Buchardo et Joanne, pag. 200 et 231, et in Matisconensibus episcopis, pag. 87, 89 et 91, cætera apud Juretum habentur.

Illum judicamus prorsus hæreticum. Quia in concilio Viennensi an. D. 1112, celebrato can. 1. Investituram omnem rei Ecclesiasticæ de manu laica, hæresim esse judicatum fuerat. Ex his autem quæ hac in epist. leguntur, et quæ S. diximus scriptam fuisse an 1113 censeo.

AD EPIST. CCXXXVIII.

Tornacenses, qui alias Nervii dicuntur, ad Scaldim positi sub Noviomensi episcopo, a S. Medardi tempore permanserunt usque ad annum 1146 quo Eugenius III pont. max. S. Bernardi Clarævallensis abbatis suasione, proprium restituit ut habet Meyerus ad hunc annum.

Causa Milonis et filiæ comitis Stephani. Aliam divortii causam assignat Suger. in Crasso, quam ibi lege. Quo autem anno hæc tabella scripta sit vix scitur, ni fuerit anno 1111.

AD EPIST. CCXXXIX.

Neptem Flandrensis comitissæ. Clementiam scilicet Roberti Frisonis Junioris Flandrensis comitis relictam Calixti II, papæ et Stephani Burgundiæ comitis sororem. Fuit autem illa neptis, Adela Ludovici Crassi Francorum regis conjux Humberti II, Mauriennæ comitis et Calixti atque Clementiæ, sororis filia : vel ut habet Papir. Massonus in ducibus Sabaudiæ Laurentiæ, seu Argidiæ, aut Gillæ Venusini comitis filia ejusdem Humberti uxoris. Videndi Suger. in Crasso, et Paul. Arvil. pag. 98. Hanc vero exaratam epistolam paulo ante Ivonis obitum puto. Cum in chartulario S. Martini Campens. fol. 77, annus 1117, Adelaidis reginæ dicatur tertius, et filio eodem verso, annus 1116 ejusdem primus scribatur. Nupsisse enim ex his Ludovicum Adelæ 1115, planum est, cujus nuptias hanc epistolam præcessisse necesse est.

AD EPIST. CCXLIII.

Domnus Stephanus cancellarius. Stephanus videlicet de Garlanda ; ut semel explicat Ivo epist. 260 et ex pluribus chartis illius temporis et ad epist. 87 dictis patet.

AD EPIST. CCXLV.

Hugoni magnifico et spectabili Trecassinorum **249** *comiti.* De eo jam supra ad epist. 158 diximus, cur hæc addemus bis profectum Hierusalem Hugonem ; ut ex instrumento a Camuzato in Promptuario Antiq. Diœc. Trecen. pag. 286 relato clarum est. Primo quidem 1114, ut ut in chartulario monasterii Cellensis lego charta incipiente : « In nomine S. et individuæ Trinitatis. Quoniam Patrum nostrorum. » Ibi enim dicitur : « Ideo ego comes Trecensis mores Patrum sequens, beneficia, et libertates, quæ Ecclesiæ B. Petri Insulæ Germanicæ, pro redemptione animæ meæ, et prædecessorum meorum contuli, harum litterarum notulis, signare curavi. Omnibus igitur scire volentibus, notum facio, quod quando Hierusalem proficisci vellem, etc. Acta sunt hæc publice Trecis anno Incarnati Verbi 1144, Ludovico rege strenue regni Francorum gubernacula moderante. » Quo etiam anno hanc epistolam scriptam liquet. Secundo inter Hierosolymitanum aggressus est circa annum 1122, ut ex dicto instrumento planum est, quod ita habet : « In nomine, etc. Notum fieri volumus quod D. Hugo excellentissimus comes Tricassinus, dum secunda vice Hierusalem pergeret apud Eduam civitatem, etc. Actum est hoc publice apud Trecassinam urbem in claustro S. Joannis Baptistæ (nunc S. Blasius dicitur) de castello VII Idus Octobr., etc., anno ab Incarnatione Dom. 1122, » etc. Primum autem iter arripuit secunda vivente conjuge, ut ex hac epistola liquet, imo et ipsa prægnante, et partui proxima, ut est apud Pithœum ; sed forte votum probante. Redierat vero 1119, cum eodem anno ab Order. Vital. lib. XII, Hist. suæ ecclesiast. pag. 857 dicatur interfuisse concilio Remensi et a Calixto II, cum turmis militum Moguntunensi archiepiscopo obviam missus fuisse.

AD EPIST. CCLXVI.

Waleranni Brituliensis. Hic e Vicecomitum Carnutensium, seu Puteacensium dominorum originem ducebat, vivebatque Guillelmi II, Anglorum regis tempore apud Order. Vit. lib. III, pag. 485, filius erat Hilduini, sive Gelduini Carnutensis vicecomitis, qui fundator Britoliensis monasterii exstitit diœcesis Belvacensis circa annum 1040 ex Louveto histor. Belvacensis lib. IV, c. 3.

Ad Epist. CCXLVII et CCXLVIII

Radulp . . De Balgentiaco, ut ex epistola sequente constat.

Ad Epist. CCL.

Hanc epistolam scriptis mandatam fuisse contendit Baronius anno 1114, num. 9, cui non reluctor ex infra namque dicendis cum ipso conveniam.

Radulphum Roffensem episcopum. Præter ea quæ habet Juretus ex Harspfeldio hæc addam, qui duodecimo sæculo c. 15, pag. 325, de ipso sequentia scribit : « Henricus (nempe I, Angl. rex) cum jam magna infamia flagrare inciperet, et vereretur ne sempiternas fœdissimæ cupiditatis suæ notas subiret, neque jam posset egregio illo, de quo diximus, simulationis artificio amplius uti, ut eas fugeret, serio de pontifice Cantuariensi in Anselmi locum subrogando cogitare cœpit. Et licet ipsius voluntas in Farisium Abingdonensem abbatem maxime ferretur, totam tamen deliberationem in episcopos rejecit,contestatus eos, electionis suæ Deo accuratam rationem reddituros. Cumque quidam in ea essent sententia, ut aliquem de clero, quique vitæ monasticæ non fuisset initiatus, selegendum cuperent, restitere cæteri et insolens exemplum, exclamare, quod solo Stigando niteretur, qui improbam illius dignitatis ingressionem fediori, et turpiori egressu contaminarit.Nec tamen Farisius arridebat, vel quia nimiam ejus asperitatem timebant,vel quia exterus esset. Ex quo genere etsi in duos selectissimos incidissent non tamen tam sterilem esse patriam dicebant, ut non domi haberent, qui propter summas, summoque pontifice dignas dotes, illi dignitati sustinendæ pares essent. Et inter eos Rodulphum Roffensem episcopum,cujus religiosa et sancta vita, omnis etiam minimæ infamiæ notam semper effugerat. Qui posset propter doctrinæ magnitudinem, de rebus omnibus solide, vereque iudicare, et propter eloquentiam eleganter de eisdem, et ornate dicere. Promptissimis igitur omnium suffragiis Radulphus renuntiatus est Cantuariensis episcopus, post quinquennium a morte Anselmi. Genere Northmannus fuit,et Sagiensis in Northmannia monachus et deinde loci illius abbas, quem ille locum valde sua industria tenuem prius et exilem locupletavit et amplificavit. In magna aliquando cum Roberto Belesmensi, illius provinciæ principe, gratia positus ; a qua postea prorsus excidit, et e Northmannia ejectus est, quod fidem et sacramentum clientelæ contra papæ decretum præstare recusasset. Profugit itaque in Angliam, ubi aliquandiu apud alios commoratus, ad Anselmum, cujus ab adolescentia,consuetudine familiariter usus fuerat, concessit. Qui Gundulpho Roffensi episcopo demortuo, eum postea substituit. Cum jam in episcopum consecrandus esset,aiunt Anselmum Deum accurate rogasse ut prognosticon hujusmodi Rodulpho subjiceret, quo appareret divinum quoque judicium suo respondisse. Replicato itaque Evangelio, is primum se locus obtulit. Erunt similes angelis Dei. Pallium Rodulpho, per Romani pontificis legatum (nepos fuerat ex sorore Anselmi Cantuariensis), delatum est. Advenerat prius in Angliam legationis nomine Guido, et post Anselmum Petrus, At Henricus nullum alium legatum, nisi Cantuariensem archiepiscopum agnoscere voluit. Hac de causa Radulphus cum Hereberto Norvicensi episcopo Romam delegatus est. Qui litteras a Paschali ad episcopos et regem detulere de Cantuariensis sedis prærogativa, quam sartam tectam et immunem prorsus esse voluit. Paschali defuncto, quem nonnisi per nuntios, propter bellum quod imperator adversus eum gessit, convenire potuit, ac deinde Gelasio etiam,quos præsens de dignitatis suæ, contra intercessorem Thurstinum Eboracensem, defensione interpellare cogitarat ; reversus in Angliam ad Calixtum, qui Remis in Gallia concilium cogebat, nuntios eadem de causa ablegavit, etc. Cui cum aliis quibusdam Angliæ episcopis interfuit Thurstinus Eboracensis. Et licet legati Rodolphi benigne audirentur, et de optimo suæ causæ exitu bene sperarent, spe tamen sua frustrati sunt. Calixtus enim contra omnia antiquitatis exempla Thurstinum consecravit,etc. Paralysis Rodulphum reversum graviter infestabat. Qui licet vir esset prudens,gravis,et magni consilii, nimia tamen morbi illius vi magis incitatus, iracundia, si quid præsertim in dignitatis et Ecclesiæ
250 suæ injuriam tentaretur, effervescere solebat, adeo sane, ut cum Windisoriæ Henricus defuncta Mathildi, Adelidi ducis Lotharingiæ filiæ matrimonio copulandus esset,et Rogerus Sarisburiensis episcopus sacra mysteria (quibus celebrandis propter linguæ titubationem et offensionem ineptus Rodulphus videbatur) celebrare quasi ea sibi prærogativa, in sua præsertim diœcesi præ aliis deberetur, tentasset, Rogerum vestibus sacris jam ornatum, illis spoliarit, et Guillelmo Ventoniensi id munus delegarit. Postridie etiam rege ad sacra audienda astante diademate redimito,illud capiti regio (quod illud, se inscio, impositum esset) detrahere conatus est : et detraxisset, nisi partim magno hominum murmure, et strepitu : partim precibus intercedentibus superatus, ab ea se cogitatione abstinuisset. Obiit deinde ad annum Christi 122 supra millesimum pontificatus sui anno nono. » Ex quo colligo : Rodulphum anno 1114, Cantuariensem sedem occupasse, atque ideo hanc epistolam ei missam eodem anno quo Roffæ adhuc præerat. De ipso V. Order. Vital. lib. XI, Hist. suæ, pag. 842, et Matth. Parid. in Hist. Anglic. in Henrico I, quorum postremus illum VI Kal. Maii anni 1114, in Cantuariensem seu Dorobernensem,qui idem est, electum archiepiscopum scribit, Cantuariensium vero archipræsulum tabulæ id temporis scriptæ ipsum anno 1123, ab humanis excessisse tradunt. Dicunt enim : « Anno ab Incarn. D. 1123, Radulphus archiepiscopus XIII Kal. Novemb. obiit : cui Guillelmus Curbulensis canonicus regularis post aliquot annos successit. »

Ad Epist. CCLI.

Iotrensis monasterii. Iotrum, monasterium est Virginum Benedictini ordinis in diœcesi Meldensi ad Matronam, quod condidit Ado S. Audoeni Rothomagensis præsulis frater, ex Aimoino lib. IV, c. 41, et Vincentio Belvacensi lib. XXIII, c. 91.

Ad Epist. CCLIV.

Domno Gaufrido Rathomagensi archiepiscopo. Electus seu nominatus fuit ab Henrico I, Northmannorum duce, et Anglorum rege anno 1111, ex Orderic. Vit. lib. XI, pag. 840 : « Anno, inquit, ab Incarnatione Domini 1111, indict. IV, Goiffredus Brito Cenomannorum decanus a rege Henrico in Angliam ascitus est, et Rothomagensibus pontifex constitutus est. Hic eloquentia et eruditione pollens, clerum et populum catholice docuit, Ecclesiæque Dei XVII annis utiliter præfuit. » Obiit autem ex eodem Vitale lib. XII, pag. 888, indictione VII, VII Kal. Decembris. Quo vero anno scripta fuerit hæc epistola non liquet, sed post 1111 missam asserere licet, et forte anno 1113 aut 1114.

Ad Epist. CCLV.

S. Fusciani. S. Fusciani abbatia est ordinis S. Benedicti diœcesis Ambianensis a Fredegonde Francorum regina condita et fundata, et ab Ingelranno Ambianorum comite restituta circa 1080.

Ad Epist. CCLVII.

Odonem sancti Georgii priorem. Hæc Ecclesia S. Georgii de Gameyo diœcesis Trecensis S. Quintini Belvacensis cœnobio addicta est a Philippo Trecarum episcopo, Ivonis tempore; cujus donationis tabulas referunt, Louvet. in Hist. Belvac. lib. IV, c. 15, et Camuzatus in Prompt. antiq. Trecen. fol. 117, sicut et concessionis præbendæ, in Trecensi Ecclesia fol. 118. Potuit autem hæc epistola mitti anno 1114.

Ad Epist. CCLVIII.

Baronius ad annum 1107, num. 6. Hanc scriptam esse contendit : non contradico, cum eodem anno Paschalis, cui pro Huberto Sylvanectensi episcopo scribit Ivo, Trecis synodum habuerit.

Ad Epist. CCLIX.

Radulpho abbati S. Quintini Belvacensis. Ab Ivone scilicet quarto, qui gravem excepit litem adversus Gerlonem seu Serlonem Sancti Luciani abbatem pro molitura Pistrini Sancti Quintini Belvacensis. Vivebat autem Rodulphus ille et canonicorum regularium S. Quintini cœtui præsidebat ab anno 1105 ad 1136, ex Louveto Hist. lib. IV, c. 15, cujus fortassis anno IX hæc tabella Radulpho Viridi Remensium antistiti ab Ivone missa est.

Ad Epist. CCLX.

Gallone seu Wallone Parisiorum episcopo ut quidam scribunt Cardinalitia dignitate aucto, Stephanus de Garlanda regis cancellarius qui Ecclesiæ Parisiensis cathedræ inhiabat, de eo ad Belvacensem transferendo cogitavit, ut ipse quem Gallo ejuraret præsulatum obtineret. Ea de re Stephanus PP. Paschali apud quem male audiebat, mentem aperuit, quo ad votum non respondente, quid sibi agendum foret consulit Ivonem, commisso Galtero Ecclesiæ Carnotensis archidiacono toto negotio. Obtinuisse vero tandem Galonem ad Belvacensem sedem transferri seque ad Parisiensem evehi asserunt. Quod sane pace eorum non ita esse dixerim. Galonem enim nunquam inter supremi Ecclesiæ senatus Patres allectum fuisse audacter assero, cum Ivo qui ad eum plures scripsit epistolas et Aimoinus seu ipsius continuator qui ejus lib. V, c. 50, meminit, nusquam ipsum nisi Parisiensem episcopum nuncuparunt, deinde Ivo qui Galoni supervixit (e vivis enim abiit Galo 1114, VII Kalend. Martii : Ivo X Kal. Jan. 1115), dignitatem non reticuisset, quæ ad ejus splendorem multum conferebat. At Galonis cardinalis in Gallia legati quem Lutetianum antistitem volunt constitutiones tomo VI Bibliothecæ SS. Patrum Margarinus *de la Vigne* et Severinus Binius parte I, tom. VII. Concil. general. referunt pag. 539, sed nec ipsius sunt statuta : imo alterius cardinalis ejusdem nominis. Quod ex eo probari potest quod Ughellus et quidam alii Galonem Parisiensem episcopum, presbyterum cardinalem a Paschale II creatum contendant. Verum Galo cujus constitutiones hominum manibus teruntur, non cardinalis presbyter, sed tantum diaconus **251** Sanctæ Mariæ in Porticu enuntiatur. Ut prima fronte legentibus occurrit, et quod amplius est non Gallo ab Onuphrio, sed Jacobus Gualla appellatur. Utut sit Gallorum legatum in Gallias lego, sed anno 1216, quo ad Philippum Augustum Francorum, et Joannem Anglorum reges ut eos compesceret, pacemque cum ipsis componeret Innocentius III misit, ut apud Mattheum Parisiensem, videre est pag. 194, sed hic non est Galo Parisiensis. Dicis legatum fuisse a latere quæ dignitas cardinalibus solis competit, legatum fuisse Galonem Parisinum nego : quodque legatio a latere solis Patribus purpuratis hoc tempore conveniret, inficior. Longinus quippe apud Baronium eum tantum apud Polones nuntium cum potestate legati de latere ad Boleslaum missum scribit, apud Gallos nemo. Qui enim legatus fuisset in Gallia cum e Polonia redeunti Lutetianus ei pontificatus obtigit, quo cotentus inter suos vixit, nec unquam in actis publicis (quæ plura legi), legatum se scripsit, aut cardinalem, quod certe non omisisset, cum ad personæ decorem plurimum faceret. Rursus a latere legati dicuntur quicunque vivæ vocis papæ oraculo delegantur, sive sint episcopi, sive capellani (quod aiunt) aut officiales; ut speculator qui est Guillelmus Durandus olim decanus Carnotensis tit. *de legato* Quot sint genera legatorum. § *Lateran.* et Hostiens. in Summa post princip. tradunt, propter reverentiam summi pontificis, cujus fimbriam vestimenti tetigerunt. Nec omnes legati etiam a latere ante Gallonis tempus erant cardinales, 2, q. 6, c *Decretor.*, et : *Si quis episcopus* et Glossa in caput *Excommunicatis extra de officio legat*, et cap. *Ad eminentiam de sententia excommun.* Ut enim annotavit Platus Lib. de cardinalis dignit. et officio c. 32. Callisto secundo pontifice, id est anno circiter 1120, ingens illa et fœda contentio inter imperatores et pontifices, quæ quinquaginta propemodum annis totam Ecclesiam continenter turbarat, tandem trium cardinalium legatornm egregia opera plane sublata est, et quidem cum magna Ecclesiæ dignitate restituto ei jure conferendi beneficia, quod imperatores invaserant Hi autem cardinales lectissimi fuere Saxo e comitibus presbyter, Lambertus Ostiensis episcopus, et Gregorius Paparescus diaconus, quorum quidem hi duo posteriores : Deinde etiam pontifices fuere, alter Honorius II, alter Innocentius II, quoque ejus nominis. Multo vero etiam magis ejusmodi legationes non multo post ab Alexandro tertio frequentari cœptæ. Sed nec Galonem, etiamsi legatione functus fuisset, cardinalem ex eo asserere licet. De stylo et usu quidem Curiæ Romanæ ab eo tempore cardinales soli legati a latere dicuntur cum partem corporis papæ efficiant, argum. can. *Si quis cum militibus*, 6, q. 1, § *Verum.* Subtilior enim est quam vetus glossator Vincentius affert distinctio, quod legati qui non sunt cardinales, dicuntur a latere : qui vero cardinales, de latere, propter quamdam conjunctionem et proximitatem quam habent cum papa. Verum hæc distinctio destruitur per caput 20 : *Ad Eminentiam de sentent. excommunic.* Ubi textus loquens de cardinali, ipsum appellat absque addito, a latere, quasi cardinalatus propria sit a latere legatio, quod tamen ad rem nostram nihil efficit, cum id post Ivonis et Gallonis ætatem contigerit. Non igitur Galo sicut nec legatus, ita nec cardinalis et episcopus Belvacensis, cum episcoporum Belvacens, non tantum series in qua non reperitur, sed ejus occasus qui anno 1114 accidit, repugnent. Potuit forte Stephan. Galardensis, qui apud regem ex Chronico Mauriniacensi omnia poterat, translationem Galonis ad Belvacensem sedem tentasse, sed ipsius mors superveniens omnes Gallandæ conatus elusit, nec Belvacensi, nec Parisiensi episcopatibus donatus (hunc enim Gillebertus, illum Gaufridus obtinuerunt) inanis remansit, et non nisi Gilleberto vita anno 1123 functo, in Parisiensem ex archidiacono assumptus est. Hanc autem epistolam scriptam anno eodem 1114 existimo.

Ad Epist. CCLXI.

Hugoni videlicet filio Gervasii. Gervasius hic erat castri novi in Thimeriaco dominus Carnotensis diœcesis et archidiaconatus Drocensis, quo jure eum suum parochianum Ivo appellat.

Genealogia autem, ut dicitur, sic se habet. Eadem ferme recitatur a Quercitano ad calcem Hist. Northmann. probatque locis citatis. Sed quia in aliquibus dissentit, eam, ut vere habenda est, hic apponam.

252 *Gonnor primo fuit concubina, deinde uxor* A *Richardi I, Northmann. ducis :* ex Gemeticen. lib. VIII, c. 36. *Ex ea vero suscepit*

Richardum II, ut habet Quercetan. Hist. Northman. pag. 2 *et* 213, *qui Juditham, comitis Britanniæ Goffredi filiam, duxit uxorem,* ut scribit Gemetic. lib. V, c. 13. *Quæ ei peperit*

Robertum ducem Northmanniæ post Richardum III fratrem, ex eodem Gemetic. ibid. et c. 17, et lib. VI, c. 3. *Qui ex concubina Harleva, aliis Herletta genuit*

Guillelmum Nothum, ex eodem Gemetic. lib. VI, c. 12, et lib. VII, c. 1. *Hic vero ex Mathilde Balduini Flandrensis comitis filia uxore sustulit,* ut refert Order. lib. IV, pag. 512, et lib. VII, pag. 638,

Henricum I, post Robertum et Guillelmum Rufum B *fratres Angliæ regem et Northmannor ducem qui ex pellice forte Elizabetha Waleranni comitis Meletensis sorore, natus est,* ut scribunt Gemetic. lib. VIII, c. 29, et lib. VII, pag. 638,

N. quæ nupsit Hugoni de Castronovo, nescio an sit Maria quæ in famoso illo naufragio, quo omnis flos Gallicanæ nobilitatis periit, undis absorpta est, ut refert Polid. Virg. lib. II Hist. Angl. sub finem et alii, *cum alias Henrici filias denominatas alibi videam et matrimonio collocatas. Hanc autem nullibi nisi apud prædictum.* Polid. Virg. leg.

Sainfria soror Gonnoris, ex Gemetic. lib. VIII, cap. 36, *fuit uxor cujusdam forestarii e quibus prodiit*

Joscelina uxor Hugonis de Montegommerici, ex eodem Gemeticen. lib. VIII, cap. 38, *quam matrem fecit*

Rogerii de Montegommerici, Roberti de Belismo patris : ex Mabilia vero Guillelmi Talvatii Belismensis domini filia, Rogerus ille filios et filias habuit, inter quas, ex cod. Gemet. l. VII, c. 16,

Mabilio Hugonis de Novocastello uxor, ut est apud Order. Vital. lib. IV, pag. 546, *e qua nata est*

Mabilia, quæ Gervasio nupsit, cui Castellinovi honorem detulit, ut est in chartulario abbatiæ Columbensis pro terra Barleti duarum ecclesiarum. Ipsis autem successit :

Hugo eorum filius primogenitus de quo hic agitur. Ivonis autem sæculo cognatio inter a communi stirpe descendentes computabatur usque ad septimum gradum, ut supra ad epist. 45 notavimus.

AD EPIST. CCLXII.

Hæc epistola quæ legatur digna est, et scripta videtur 1114.

Ernaldum modo monachum vestrum : olim clericum nostrum. Decanum fuisse Carnotensem colligitur ex epist. 7, lib. II. Gaufridi Vindocinensis, C et ex his quæ ad eam annotavit Sirmundus.

AD EPIST. CCLXIII.

Jus præpositorum. Gravabant Capitulum præpositi, et angariis ecclesiasticos inferiores ipsius vexabant. Primarii collegii sodales sacri apud Ivonem de illorum vexationibus conquesti sunt, et rei male gestæ eos insimularunt. Pro ipsis scripsit summo pontifici, qui sequentem bullam ad eos misit præpositorum jurium infirmativam : « Paschalis episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis canonicis Ecclesiæ Carnotensis, salutem et apostolicam benedictionem. Ex venerabilis fratris nostri Ivonis, etc. » *Vide in Paschali ad an.* 1108, *sub num.* 396. **253** Quæ quidem Bulla, cum ad præpositorum notitiam devenisset, adversus Ivonem regem Ludovicum commovere nisi sunt, litterasque seu epistolam ipsius ad eumdem Ivonem obtinuerunt, cui hac respondet. Erant autem tunc in ecclesia Carnotensi quatuor præpositi, Belsiæ videlicet, Nongenti fisci, D Amilliaci et Fontaneti, qui proprio arbitrio res canonicorum administrabant et dilapidabant, quod acerbius ferentes canonici, eos exauctorari, et redditus facultatesque collegii sui in commune reponi curarunt. At vero ne ecclesia in dignitatibus dispendium pateretur, quatuor precarias seu dominia eis suffecerunt, a quibus denominationem qui præpositorum nomen retinuerunt prioribus exactis nacti sunt, hos siquidem mutata veteri appellatione præpositos de Vuogradu seu Jugreyo, de Northmannia de Masengeio, et de Awersio nuncupant. Ex supra dictis autem bulla et epistola hanc habente vere, et jam ad æstivos calores anni 1115 vergente, scriptam puto.

AD EPIST. CCLXVI, CCLXVII, CCLXVIII et CCLXIX.

Cononi Prænestino episcopo. S. S. A. legato de quo Robertus de Monte Sigiberti continuator ita scribit : « In civitate Belvacensi a Conone sedis apostolicæ legato concilium celebratum est. Hic est Cono unus ex illis religiosis qui eremiticam vitam apud Truncum Berenger primo duxerunt, et Arroasiani ordinis auctores exstiterunt, qui ordo usque hodie floret et crescit. » Imo vero Ferreolus Locrius in chronico Belgico ad an. 1090, Aroasiense monasterium quod Gallice dicitur *Erouaige,* in finibus Artesiæ ad Truncum Berengarii a Conone Teutonico apostolicæ sedis legato et cardinale Prænestino (qui idem cum isto est) adhærentur Haldemaro Tornacensi eremita presbytero exædificatum, scribit anno 1090, juxta hos versus,

Anno milleno Domini, deciesque noveno
Norma Berengarii trunco nova cœpit haberi.

Plura de isto monasterio, quod caput viginti sex monasteriorum, seu potius cœnobiorum ordinis canonicorum regularium exstitit, scire cupienti, legendi sunt ipse Ferreolus Locrius ubi supra, Molanus 4 Maii, Gazæus in catal. episcoporum Atrebatensium, Massæus lib. XVI Chronici, et Jacobus de Vitriaco historiæ suæ Occidentalis, c. 23, et alii quos ibidem Locrius citat.

De ecclesia S. Nicolai Curvævillæ. Cum ipsam ab Ivone illius municipii domino obtinuisset Ivo noster, eam canonicis regularibus S. Joannis in Valle Carnotensis, quos fundaverat, concessit. Patet ex litteris, seu instrumento donationis, quas ex chartulario ejusdem abbatiæ parte 2, cap. 39, in publicum edo, quæ ejusmodi tenoris sunt : « Ego Ivo Carnotensis ecclesiæ minister, etc. Notum facio quod Dominus Ivo de Curvavilla nostram adiit præsentiam permotus virtute Spiritus sancti, recognovit humiliter tam se quam suos antecessores injuste, et contra legem Dei tenuisse ecclesiam S. Nicolai de Curvavilla. Post tam salubrem igitur recognitionem quam Spiritus sancti gratia cordi ipsius infuderat, eodem Spiritu inflammatus prædictam ecclesiam in manu nostra dimisit ut de cætero nec ipse, nec aliquis hæredum suorum quidquam inde reclamaret, et pro remissione peccatorum suorum, et animarum antecessorum suorum liberatione, arbitrio nostro ordinandam reliquit. Nos autem in capitulo nostro, omnibus prælatis ecclesiæ nostræ præsentibus, nec-

non cæteris fratribus tam majoribus quam minoribus, cum assensu omnium, assentientibus etiam canonicis prædictæ ecclesiæ S. Nicolai, et idem fratribus devote postulantibus, concessimus ipsam ecclesiam fratribus de S. Joanne regulariter viventibus in usum eorum, et stipendia perpetualiter habendam, etc. Ut autem hæc concessio a posteris nostris firmissime teneatur, verissimaque credatur, duplici sigillo B. Mariæ scilicet et nostro ipsum firmavimus, et subscriptione nostri nominis roboravimus in manibus optimorum virorum roborandam et signandam tradidimus. S. Ivonis Carnotensis episcopi, S. Arnaudi decani, S. Gerogii cantoris, S. Hugonis subdecani, S. Gaucherii archidiac. S. Guarini succentoris, S. Gafleni archidiac. S. Odonis archidiac. S. Laudrici archidiac. S. Aulgerii archidiac. S. Wigrini cancellarii, S. Radulphi camerarii, S. Hugonis præpositi, S. Gaufridi præpositi, S. Fecanni præpositi, S. Henrici præpositi, S. Ebrardi capicerii, S. Carini præpositi, S. Caraceni, S. Haymonis sacerdotis, etc. S. Hugonis, S. Andrææ decani, S. Huberti diaconi, etc. Data per manum Wlgrini cancellarii. Anno ab Incarnatione Domini 1115, indict. VIII. » Majoris autem monasterii ascetæ donationis illius odio, adversus S. Joannis Valliacensis canonicos litem moverunt, sibi prius concessam ecclesiam causantes. Canonicorum quibus ecclesiam contulerat patrocinium suscepit Ivo, et pro eis contra Turonenses monachos summo pontifici hanc epistolam scribit eodem videlicet anno quo præcedentis donationis instrumentum factum est, cum lis illa sit eo posterior, quæ tandem procurante Guillelmo Catalaunensi episcopo, et Pertici comite sopita est III Kal. Decembr. 1119, indict. 12, ut ex eodem S. Joann. chartulario apparet.

Gerogius Curvævillæ dominus. Id ex chartulario S. Petri in Valle Carnotensis certum est, in quo hæc leguntur: « In nomine Domini, Amen. Ego Philippa Curvavillentis, et Ivo filius meus, etc. Memoriæ assignamus, quod bannum quod a prædecessoribus nostris, Ivone scilicet et Gerogio, in villa quæ Pomeriaca dicitur, habebamus etc., concedente domino, et patrono nostro Nivelone, domno Eustachio abbati Carnotensis cœnobii, ab omni inquietudine absolutum dedimus, etc. Hæc ergo acta sunt anno ab Incarnatione Domini 1094, mense Martii, indict. II. Philippo rege regnante. Ivone Carnotensis episcopo præsidente. » Sed ejus quoque meminit Order. Vital. lib. hist. suæ IV, pag. 489, dum de Ernaldo de Escalfrio Willelmi Geroiani filio scribit, qui a Mabilia Talvacii filia, et Rogerii de Montegommerici uxore, de qua supra ad epist. 261 diximus, toxico appetitus, ni præsens antidotum adfuisset, cum morte commutasset vitam. « Deinde, inquit, pestiferas potiones hæc præparavit: ille autem Ernaldo domino suo, et Geroio de Corbevilla, **524** atque Willelmo cognomento Gouet de Montemiralio (unde Perticum Goueti) propinavit. Sic una tabe tres proceres apud Corbevillam simul infecti sunt. Sed Geroius, atque Willelmus, qui ad proprias domus delati sunt, ibique sui curam ad libitum suum exercere potuerunt, Deo effectum remediis medicorum præstante, convaluerunt, » etc. Quo loco mentio fit apparitionis S. Nicolai Ernaldo superius nominato ex veneno decumbenti, factæ, ex qua forte devotio Geroio innata est, ut postea eidem sancto Ecclesiam, de qua hic quæstio, suo in oppido struxerit, fundarit, et dedicari procurarit.

Monachi Majoris Monasterii, qui in vicina quadam cella morabantur. Apud Chuisuæ cellam videlicet Ivonis primi Curvævillæ domini tempore fundatam, ut ex sequente instrumento patet: « Notum esse volumus S. Dei Ecclesiæ filiis tam præsentibus quam futuris, quia cum Guilermus presbyter salutari animæ suæ sollicitudine permotus, in pago Carnoterio in loco qui dicitur Chouina, ecclesiam in memoria SS. martyrum Gervasii et Prothasii construxisset, et circa eam habitationes monachorum conversationi habiles disposuisset, ipsam ecclesiam, et cellas quas ædificaverat, cum omnibus quæ ecclesiæ illi condonaverat, Domino, et S. Martino Majoris Monasterii concessit, domnoque abbati Alberto, cœnobio quod Majus Monasterium dicitur, prælato, in manus contulit, ut orationum et beneficii eorum particeps factus, æternæ sibi remunerationis præmium acquireret, fecit. Cœpit autem idem Guilermus cognomento prædicator, cum prædicto abbate et fratribus Majoris Monasterii hujusmodi compositionem, ut abbas ipse, vel successores ejus, illam cellam pro voluntate sua ad Domini servitium delectos monachos illuc de suis juxta arbitrium suum, et loci facultatem mittant, qui inibi regulariter vivendo Domino deserviant: neque unquam cella illa, vel ecclesia proprios abbates habeat, sed semper abbati Majoris Monasterii subjaceat, qui de suis illis monachis, quos, et quot, et quandiu voluerit, habitare faciat. Horum omnium testes multi sunt, quorum aliqui huic notitiæ ad testimonium, si necesse fuerit, subscripti sunt. Ivo de Curbavilla. Letherius Bursardus. » etc. Quod autem Chuisuæ prioratus fundatus fuerit Ivonis Curvævillæ domini ætate, patet ex confirmatione donationis ipsius monachis Majoris Monasterii per Gelduinum de Bretullio, et filium ejus Harduinum vicecomitem Carnotensem factæ, qui anno Domini 1049 vivebant; ut ex Louveti historia Belvacensi lib. IV, c. 8, constat, qua et ipse Ivo, qui in tabulis concessionis ut testis nuncupatur.

In viginti quinque annis, quibus in episcopatu moratus sum. Ergo viginti quinque annorum Ivonis sedes apud Carnutes fuit. Ergo cum e vivis exierit X Kal. Januar. 1115, anno 1090 sedem ejus incepisse necesse est. Quod ex instrumento quodam quod penes me habeo pro ecclesia S. Nicolai, quæ in claustro ædis præcipuæ Carnotensis sita est, liquet, in cujus data hæc leguntur: « Facta est autem hæc chartula anno ab Incarnatione Domini 1114, ordinationis vero domini Paschalis papæ 16 atque ordinationis domini Ivonis Carnotensis episcopi 15, Regnante rege Galliæ Ludovico regis Philippi filio. » Ex quo et ex his quæ retulimus supra annotatione secunda, hanc epistolam, ante Paschæ anni 1125 festum more Romano, et nostro jam vulgari supputando, scriptam fuisse planum est, quamvis Baronius eam anno 1114 missam num. 11 scribat, qui tamen excusari posset, si supputatione Gallica, qua annus a resurrectione Domini incipiebat, suos annos numeraret.

AD EPIST. CCLXX.

Turgedo Abrincensi episcopo. Ex Order. Vit. lib. IV hist. suæ, pag. 507. Turgisus suffectus est in episcopatu Abrincatensi Michaeli Joannis ad Rothomagensem cathedram evecti, successori, præsulatumque ferme 30 annis tenuit. Et lib. XII, pag. 889, ad annum 1129, indict. VII: « Eodem anno, inquit, Henricus rex (Anglorum I) Jofredo Andegavorum comiti Mathildem filiam suam dedit, quos Turgisus senex Abrincarum præsul pontificali benedictione conjunxit. » Unde epistolam hanc, non, ut scribit Baronius, anno 1094, num. 15, scriptam censeo, cum ex his quæ retulimus, nondum esset Abrincensis pontifex. Si enim Abrincensem occupavit sedem ferme 30 annis, et vixit anno 1129, certe hanc ei ut episc. Abrincatensi scribi non potuisse 1194 verum est, sed tantum sequente, quo Ivo e vivis excessit.

AD EPIST. CCLXXI.

Conferenda hæc epistola cum 265 et his quæ ad illam diximus. Potuit vero scribi eodem anno quo præcedens.

AD EPIST. CCLXXII.

Reginaldo D. G. Andegavensium episcopo. Dictus fuit de Meduana, sive de Martiniaco, Brientii Castri ab eo denominati domini, filius qui ad Remensem

postea transiit 1124, vel circa. Electus vero fuerat Andegavensis post Gaufridum de Meduana, qui ejurato episcopatu ad Cluniacenses se contulit anno 1102. Ita enim Chronicon S. Albini Andegavensis, « Anno 1093 ordinatus est Gaufridus filius Hugonis de Meduana Kal. Decembr. vix 7 annis in episcopatu mansit. Accusantibus namque et conquerentibus plurimis apud papam, quod eo jubente neophytus et pene illiteratus fuisset ordinatus, monitu ejusdem Urbani papæ sedem deserens monachus Cluniaco factus est. Post cujus abcessum ordinatus est Andegavis episcopus Rainaldus prid. Id. Januarii anno 1102. » In alio tamen vetere Chronico ejusdem monasterii S. Albini, cujus excerptum ms. habeo, hæc lego : « 1096 Gaufridus de Meduana ordinatus est episcopus. » Unde mendum in priore data irrepsisse suspicor. Melius enim hoc postremum cum dictis convenit. Quare perperam, meo judicio, Robertus Andegavensium præsulum serie abbatiæ de Rota ecclesiam a dominis Credonensibus fundatam anno 1099 Reginaldum consecrasse scribit. Quo autem anno scripta fuerit hæc epistola non satis constat.

AD EPIST. CCLXXIII.

Pro Bajocensi episcopo. Ricardo Samsonis filio, qui Turoldo successit circa 1109 ex Order. Vital. lib. x, pag. 765 et episcopatum 26 annis tenuit. Obiit vero ex eodem Order. lib XII, pag. 897, anno 1133, ipsa hebdomada Paschæ.

255 AD EPIST. CCLXXV.

Nivernensem comitem. Guillelmum videlicet, qui a Theobaldo Carnotensi comite detinebatur in vinculis, cujus hic verbis meminit frater Andræas in Vita Roberti Arbressellensis, Fontebraldensis monasterii et ordinis institutoris. « Carnotensibus itaque pacificatis, fidelis verbi Domini dispensator, Carnotensem urbem nunquam ad eam postea remeaturus reliquit, conjunctoque sibi Bernardo Tyronii abbate venerabili, cujus societas semper sibi gratissima fuerat ad castellum quod populariter Blesis dicitur, ambo insimul pervenerunt. In eodem vero castello Guillermus Nivernensis religiosus comes incarceratus tenebatur, eo quod Ludovici regis Franciæ partes pro pace tenenda adversus Carnoti comitem ipse tueretur. Hic etiam Guillermus, exigentibus vitæ suæ meritis, utrique charus haberetur » et Order Vital. lib. XII hist. suæ, pag. 859, de eodem Nivernensi comite in hæc verba scribit, Ludovicumque Crassum in concilio Remis coacto sic Calixtum II pontificem maximum alloquentem facit : « Theobaldus comes homo meus est, sed instinctus avunculi sui Henrici scilicet I Anglorum regis, contra me nequiter erectus est. Ejus enim divitiis, et potentia inflatus, in me rebellavit, et infidus mihi atrocem guerram fecit, regnumque meum ad detrimenta multorum conturbavit. Legitimum, bonumque virum Guillelmum comitem Nivernensem, quem bene nostis, remeantem de obsidione castelli cujusdam excommunicati furis (Thomæ de Maria) ubi vere spelunca latronum, et fossa diaboli erat, comprehendit, et usque in hodiernum diem carceri mancipavit. » Et paulo infra : « Inde præfatus heros cum mea licentia pacifice regrediens captus est, et a Theobaldo comite usque hodie retentus est : licet eum multitudo procerum ex parte mea sæpe pro liberatione comitis suppliciter requisierit, et tota terra ejus ab episcopis anathematizata sit. » Hanc vero epistolam paulo antequam hominem exueret Ivo, scriptam esse censeo, cum tertio, vel quarto die ab ejus exsequiis, Robertus Arbrescellensis, et Bernardus Tyronensis illum Guillermum Nivernensem comitem visitarint.

AD EPIST. CCLXXVI.

Turstinum. Eboracensem Archiepiscopum. De quo ad Jureti notas hæc quæ sequuntur licebit addere : Ordericus Vital. lib. XII, pag. 857, de concilio Remis congregato anno 1119, mense Octobri scribens :

A « In ecclesia, inquit, metropolitana synodus celebrata est. Ibi papa XIV Kal. Novembris die Dominico missam cantavit, et Bajocensem Turstinum Eboracensibus archiepiscopum consecravit : privilegioque ne Cantuariensis metropolitæ veluti magistro, sed quasi coepiscopo subjiceretur, donavit. » Prolixiori vero stylo Nicolaus Harspsfeldius controversiam quæ inter Cantuariensem et Eboracensem archiepiscopos movebatur, aperit his verbis quæ lucem huic epistolæ aliquam conferre possunt. « Turstino episcopatum adepto, recruduit vetus illa inter eum et Rodulphum Cantuariensem disceptatio. In qua adeo pertinax fuit, ut a dignitate se potius maluerit abdicare, urgente rege, ut vel abdicaret se, vel Cantuariensi pareret quam Cantuariensi sedi subjici. Postea tamen canonici Eboracenses, nuntiis clam Romam missis, rerum veritate suppressa, graviter apud pontificem Pascalem, quasi Turstinus injuste a sede ejectus fuisset, conquesti, tantum effecere, ut

B scripserit ad regem ut in sede, sine Cantuariensis ecclesiæ tamen præjudicio, cujus dignitatem imminuere nollet, reponeretur. Quod si controversia aliqua inter Cantuariensem et Eboracensem ecclesias superesset, de ea se cogniturum. Ita ille post biennium quam cum rege Northmanniam transmisit, in Angliam rediit. Indicitur deinde synodus Remis in Gallia. Per Northmanniam properat ad synodum Turstinus, ut sua ibi negotia expediret. Cumque venisset ad regem Rothomagi, graviter rex adversus eum indignatus est, quod absque sua notitia et voluntate Angliam reliquisset. Mandat deinde ne prius ad synodum iret quam certius aliquid de pontifice Romano (duo enim eam ad se sedem nefario schismate rapiebant) cognosceretur. Tota Gallia et Anglia Calixto (qui verus et genuinus pontifex erat), imperator et alii Gregorio cuidam adhærescebant. Confluebant jam ad Calixtum Remensem synodum frequentes episcopi, ad quam quosdam e Northmannia Henricus

C amandavit. Adfuere etiam ex Anglia Guillelmus Exoniensis, Ranulphus Dunelmensis, Bernardus Menevensis, Urbanus Londinensis. Litteras rex ad Calixtum misit, quibus rogavit ne Guilielmi Cantuariensis (quem secum e Northmannia, propter ægritudinem retinuit) a synodo absentiam ægre ferret : sed ante omnia ne Turstinum, vel ipse consecraret, vel ab alio consecrari pateretur, nisi prius majorum suorum in præstanda Cantuariensi ecclesiæ obedientia, vestigia sequeretur. Quam Turstinus conditionem si præcise non servaret, sciret Angliam et Northmanniam sibi deinceps ad reditum interclusam. A qua se sententia nulla deinceps ratione inflecti velle constanter affirmat, etsi sibi de regno periclitandum foret, et totius septennii anathema incurrendum. Respondit pontifex Sifredo monacho Cantuariensi, et regis nuntio (quem pontifex jamdiu noverat, et cum quo Sifredus familiariter olim versatus esset) et regis voluntatem, et Cantuariensis ecclesiæ dignitatem magnæ sibi

D esse curæ. Post hæc rogat regem Turstinus, ut liceret sibi cum bona illius gratia, ad synodum pergere. Et tandem licet ægre, nec prius quam ex fide regi data promitteret, quod nihil contra dignitatem Cantuariensis ecclesiæ, et in illius præjudicium admitteret. At ille fidem datam mox fefellit, et rescidit, tantumque per eos qui apud pontificem gratiosi erant, perfecit, ut ab eo, licet Joanne Cantuariensi archidiacono palam renitente, et injuriam Cantuariensi ecclesiæ fieri clamitante (cui pontifex regerebat, se quod ageret, salva tamen illius ecclesiæ dignitate, et sine ulla ejus injuria acturum) initiaretur. Necdum episcopi Angliæ ad synodum advenerant, citissime enim iter Turstinus expedivit, nihilque sibi reliquum ad summam **256** itineris, totiusque adeo negotii celeritatem reliquit. Alii itaque ex exteris episcopis, qui ad synodum convenerant, summo pontifici initianti Turstinum inserviebant. At Hubaldus Lugdunensis archiepiscopus, et si rogatus a pontifice, propter singularem qua dictam ecclesiam proseque-

batur reverentiam, adesse detrectavit. Hæc cum ita ut gesta erant, certa rex auditione accepisset, omnibus suis ditionibus Turstino interdicit: neque a Calixto in colloquio illo, quod apud Gisortium cum eo habuit, licet multis ejus postulationibus (et inter alias quod sine regis consensu, idque in rebus solum tam arduis et difficilibus, ut commode per episcopos expediri nequirent, legatum suum in Angliam deinceps non mitteret) Calixtus assenserit, emolliri potuit, ut eum in gratiam reciperet. Verum enimvero cum Calixtus Cantuariensi postea archiepiscopo sacerdotali officio interdiceret, et regi ipsi anathema (nisi ad sedem restitueretur) denuntiaret, ne cum principibus et episcopis prius deliberata, eorum consilio, et suam cessit, et Turstinus Eboracum rediit, etc. Vitam ad Stephani regis tempora, et ad quintum quo regnavit annum prorogavit, etc, et ante obitum pastorali onere excusso, in quietem et solitudinem, ut imperturbatus Deo vacaret, se contulit, et monachum se apud Pontis-fracti cœnobium Cluniacensium, professus est. » Ex quibus Turstino tantum electo, hanc missam Paschali PP. epist. 1115 colligo.

AD EPIST. CCLXXVIII.

Roberto Dei gratia Lincolniensi. Ordericus Vital. lib. x, p. 765, eum Robertum Bloiet vocat. « Robertus, inquit, cognomento Bloiet, qui senioris Guillelmi capellanus fuerat, eoque defuncto de portu Tolochæ cum juniore Guillelmo mare transfretaverat, et epistolam regis de coronanda prole Lanfranco archiepiscopo detulerat, post mortem Remigii Lincolniensem episcopatum recepit, quem plusquam viginti annis tenuit » Harpsfoldius undecimo sæculo pag. 258, in Lincolniensibus episcopis, ipsum regis Guillelmi Ruffi cancellarium, et ad triginta annos episcopali dignitate functum, apoplexiaque correptum anno 1123 e vivis abiisse, scribit. Quo vero anno præsens epistola in lucem prodierit non video, et in ms. meo deest

AD EPIST. CCLXXX.

Domini Nivelonis Petrofungensis. Ejus mentio fit in Cartulario S. Martini de Campis Pariensis fol. 73 et 109, ubi dicitur Nivelo de Hetrafonte Drogonis de Petrafonte pater.

Suessionensis comes. Quis fuerit ille, prorsus ignoro, ni fuerit Agathæ de Petrafonte conjux Cono Suessionensium comes post Ivonem Nigellensem absque liberis defunctum qui et ipse absque prole decessit.

AD EPIST. CCLXXXI.

Canonici S. Petri Belvacensis inferunt calumniam canonicis B. Quintini. Conquesto Paschali pontifici summo Ivone, de variis, quas adversus S. Quintini Belvacensis canonicos ædis præcipuæ, quæ S. Petri appellatione nota est, sodales inferebant litibus, sequentem epistolam Ansello Belvacensi episcopo Paschalis rescribit, quæ quia hujus illustrationi plurimum confert, ex Louveti Belvacensi historiarum lib. IV, cap. 15, hic refero: « Paschalis, servus servorum Dei, venerabili fratri Belvacensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Sacerdotalis officii, » etc. *Vide in Paschali II.* Cum autem hoc in summi pontificis rescripto Galonis vel Gisleberti Parisiensis episcopi, qui per Gelementum singulare designantur, fiat mentio, quorum ille ut supra diximus VII kal. Martii 1114 vitam cum morte commutavit, hanc tabellam eodem anno, vel præcedente, scriptam puto. Confer cum hac epistola 259.

AD EPIST. CCLXXXII.

Non est epistola, ut recte animadvertit Juretus, qui ideo inter epistolas haud recensere, imo potius expungere debebat; sed privilegium datum Xenodochio Castri-Dunensi, quod ibidem secundum ecclesiam B. Mariæ Magdalenes situm est.

AD EPIST. CCLXXXIII.

Minus recte inter epistolas Ivonis annumeratur, cum sit benedictionis cœmeterii Tyronensis instrumentum, quam anno 1111 vel circiter contigisse arbitror. Deest enim anni nota. Quod tamen non de prima habitatione Bernardi primi Tyronensis abbatis, sed secunda intelligendum existimo. Sic namque Gauffridus Grossus Tyronensis asceta in Vita ejusdem Bernardi: « Sub eodem tempore, inquit, ne militi Christi Bernardo pugna laboris, atque tribulationis deesset, monachi (S. Dionysii de Nogento Rotroldi) quorum jam mentionem fecimus, ipsius terræ quam præfatus consul (Rotrocus) ei dederat, decimas et corpora mortuorum sui juris esse dixerunt. Qua compulsus calumnia, quæ discipuli summo cum labore fecerant ædificia, deseruit, aliudque terræ solum in quo sibi habitare liceret, quærere intendit. Illius igitur celeberrimæ Carnotensis ecclesiæ, in honore semper virginis Mariæ dicatæ, **257** venerabilem episcopum scilicet Ivonem atque canonicos tunc adiit, et ut sibi aliquam portiunculam prædii illius, quod suæ possessiunculæ contiguum habebant, ad monasterium suum fundandum darent, petiit. Erat namque quadam villula prædictorum canonicorum terrulæ, quam consul Dei viro dederat, conjuncta, nomine Gardeya. Hi autem Dei famulum debita veneratione suscipiunt, clementi benignitate exaudiunt, et secundum magnificentiam largitatis, plus terræ quam postulaverat concedunt. Facta siquidem donatione, cartam faciunt, atque domnum Gaufridum ejusdem ecclesiæ canonicum, et ipsius terrritorii præpositum cum quibusdam personis ad ostendendam terram dirigunt. Qui postquam ad prædictum prædium pervenerunt, et decreto capituli, juxta rivulum qui Tyronus dicitur, ad faciendas officinas sui monasterii, terram quam petierat ita liberam, sicuti ipsi tenuerant, tribuunt. Porro quædam matrona regali stirpe progenita. Adela videlicet Blesensium comitissa, eo tempore S. Bernardo latiores terræ amplitudines ad monasterium suum construendum, et loco multo utiliora offerebat, quæ tamen refutabat, mallens cœnobii sui sedem locare sub protectione B. Virginis Mariæ, quam sub advocatione qualiscunque sæcularis personæ, » etc.

AD EPIST. CCLXXXIV.

Instrumentum est concessionis Ecclesiæ S. Petri Castridunensis monasterio Bonavallensi, non epistola.

Confirmanus etiam eis capellam S. Innocentii. Pessima lectio, melior et rectior est *S. Vincentii*, cujus titulus Carnuli adhuc exstat, et ejus mentio habetur in Carta Bonævallensis monasterii a Ludovico Crasso Francorum rege, data Parisiis anno 1122 regni sui 15. De Hugone enim Puteoli domino Carnotensi vicecomite loquens: « Dictus vicecomes, inquit, gratanter accipiens, et monachorum terram pro posse suo defensaturum in fide sua se promittens, ut mala quæ eis fecerat indulgerent affectu propter domum illud quod per manum venerabilis Ivonis Carnotensis episcopi de capella S. Vincentii et domibus suis apud Carnutum Bonævallensi cœnobio jamdudum devote contulerat, » etc.

Juxta portam cinerosam. In acto restaurationis S. Betri Carnotensis ab Agavone episcopo Carnotensi hæc lego: « Reddimus eis itaque terram quamdam a suis antecessoribus priscis temporibus possessam, postea malo ordine subtractam, quatenus illam pleniter possideant, veluti illorum prædecessores eam tenuisse multorum testimonio comprobatur. Ipsa vero terra conjacet infra et extra muros Carnoti civitatis, juxta portam cinerosam. Terminatur vero uno latere, via quæ est exitus civitatis: altero vero latere terminatur terra S. Petri Pictaviensis et S. Amani, etc. Cinerosa autem porta illa dicebatur quod in supplicatione publica, quæ feria quarta cinerum fieri consuevit, populus illac transiens cinere signaretur.

AD EPIST. CCLXXXV.

Non est quoque hæc epistola, sed potius carta

donationis cellæ seu prioratus S.Nicasii de Melleato a Waleranno ejusdem loci comite 1062, vel circa fundati, Beccensibus monachis factæ a Roberto Mellentino comite, assentientibus Odone Pisciacensi archidiacono, clericisque ibidem commorantibus; ut ex Ivone hic apparet. Ex quo corrigendus Nicolaus d'Avanne in libello de Vita et Martyrio S.Nicasii cap. 56 et 57, cum ejusdem divi extructo monasterio Gaufridum Carnotensem episcopum ecclesiam, anno 1067, consecrasse, ibidemque fratrem Robertum de Beaufour Becci monachum primum priorem instituisse scribit. Nondum enim Gaufridus aliquis Carnotensis ecclesiæ infulas receperat, eo anno (ut alibi probo) nec Robertus Mellenti comes Beccensibus ecclesiam illam contulerat. Quod si Gaufridus aliquis Carnotinus præsul aliquem ibi præfecerit priorem, id Gofrido de Leugia Ivonis successori tribuendum est, non alteri, qui a Carnotensis ecclesiæ cathedra anno 1090 deturbatus est atque eliminatus.

AD EPIST. CCLXXXVI.

Inter epistolas Ivonis non est hic actus censendus Est enim charta, seu instrumentum fundationis abbatiæ S.Joannis de Valle in Carnutensi suburbio ab Ivone 1099 factæ, ut supra epist. 91, diximus.

Minoratus. Male, sed *Junioratus*, ut ad vitæ Ivonis calcem. Hi autem erant beneficia, seu præstimonia, quæ junioribus clericis in officii solatium dabantur. Capitularium lib v, cap. 21. eorum fit mentio: « Quicunque ibidem dicitur, judex, aut sæcularis, adversus presbyterum, aut diaconum, aut quemlibet de clero, aut de junioribus absque audientia episcopi, vel archidiaconi, vel archipresbyteri, injuriam inferre præsumpserit, anathema ab omnium Christianorum consortio habeatur. » Quod quidem capitulare ex Antissiodorensi prima synodo, can. 43. (immutatis tamen quibusdam verbis) desumptum est. Unde inter clericos annumerari ipsos videri potest. Quod autem eorum esset officium ex sequentibus patet nempe lectiones in ecclesia legere, et alia quæ ad divinum cultum spectant, exsequi. Quare in concil. Turon. 2, can. 12 et 19, eorum cura archipresbyteris committitur: imo et parœcis, seu curionibus in concilto Vasensi 2, c.1. ubi hæc leguntur: « Hoc enim placuit ut omnes presbyteri, qui sunt in parochiis constituti, secundum consuetudinem quam per totam Italiam satis salubriter teneri cognovimus, juniores lectores quantascunque sine uxore habuerint, secum in domo, ubi ipsi habitare videntur, recipiant, et eos quomodo boni patres spiritualiter nutrientes, psalmos parare, divinis lectionibus insistere, et in lege Domini erudire contendant ut et sibi dignos successores provideant, et a Domino præmia æterna recipiant. Cum vero ad ætatem perfectam pervenerint, si aliquis eorum pro carnis fragilitate uxorem habere voluerit, potestas ei ducendi conjugium non negetur. » Quibus conforme est concilii Matisconensis primi decretum can. 8, quod habetur 11, q. 1. *Nullus clericus*, et caput. 3. *Ut quisque extr. de vita et honest. cleric.* (quod ex eodem vel altero Matisconensi concilio male citatur, cum in utroque desit). In ultimo quippe illorum dicitur: « Ut quisque presbyter qui plebem
258 regit, clericum habeat qui secum cantet, et epistolam, et lectionem legat, et qui possit tenere scholas, et admonere suos parochianos, ut filios suos ad fidem discendam mittant ad ecclesiam, quos ipse cum omni castitate erudiat. » Quare ecclesiæ dos ad minus debebat esse pro duobus, ex Glossa in cap. *Cum sicut extr. de consecr. eccles. vel altar.* Atque ita in pluribus ecclesiis assignabatur redditus pro junioribus clericis, videlicet in minoribus constitutis ordinibus, ut in ipsis commodius ministrare possent, et victum saltem et vestitum haberent; cum qui altari servit, de altari vivere debeat. Quidam vero familiæ suæ illa affectabant præstimonia, seu beneficia, sicut qui in collegiis pro bursariis seu collegiatis quos vocant suæ familiæ, aut certi redditus addicunt loco, quibus exteri excluduntur. Ex multis quæ producere possem exemplis, hæc tantum proferam. In Chartulario Majoris Monasterii de beneficiis in Vindocin. agro sitis, notitia 4, hæc leguntur: « Pateat successoribus nostris, etc., post concordiam quam de Junioratu ecclesiæ de Navolio cum Tedbaldo filio Leterii de Vindocino habuimus, Hamelinum de Langiacis eumdem nobis Junioratum calumniatum fuisse, dicendo: scilicet nos sine auctoramento suo hunc habere non posse, cum ecclesia illa de casamento suo esset. Tedbaldus etiam si quid in ea reclamare poterat, id ab eo in suum habere. Nostræ autem ad hæc referebant litteræ, ita nos quondam cum parentibus ejus de ecclesia illa, et de rebus ad eam pertinentibus concordasse, ut de stirpe eorum nemo postea, in rebus his omnibus, aut in ecclesia quidquam debeat reclamare. At cum ei litterarum non sufficere narratio, sacramento per unum nostrum hominem probavimus; nihil ibi, aut de genere suo alicui contingere de rebus supra dictis, juxta concordiam scilicet quam de his quondam habueramus cum parentibus suis. Ita tandem calumniam dimisit apud Vindocinum, » etc. Quod repetitur etiam ibidem notitia 7 in chartulario quoque S. Petri in Valle Carnotensi, fol. 85, Albertus Hugonis S. Ecclesiæ Carnotensis vicedomini filius, dat S. Petro, ac monachis sibi famulantibus, cum consensu fratris sui Guerici tunc Vicedomini *Junioratum* ecclesiæ S. Leobini de Braico castro super flumen Osanna fundatæ, pro animabus parentum suorum, Arrardo episcopo Carnoti sedente. At clarius Gregorius Turonensis lib. v, cap. 26, historiæ suæ id explicat, cum scribit. « Post hæc Chilpericus rex de pauperibus et junioribus ecclesiæ, vel basilicæ, bannos jussit exigi, pro eo quod in exercitu non ambulassent. Non enim erat consuetudo, ut hi ullam exsolverent publicam functionem. Quia nomen illud *junioratus* antiquatum est, et in usu esse desiit, ne rei penitus aboleretur memoria, prolixior in eo exponendo fui. »

AD EPIST. CCLXXXVII.

Digna sane quæ a curiosis legatur hæc epistola, et a rationes sacramentorum nostrorum sciscitantibus, quamvis sola fides Christiano sufficiat, et quare, vel quomodo in ore fidelis male sonet, ut scribit Cyprianus.

AD EPIST. CCLXNXIX

Quæ sequitur charta, non epistola est, sed instrumentum concessionis Ecclesiæ de Hanchiis et capellæ, seu cappellaniæ de Cidulphi ponte in eadem parochia et diœcesi Carnotensis abbati et monasterio Majoris Monasterii, seu eorum prioratui S. Thomæ de Sparvone.

DIVI IVONIS

CARNOTENSIS EPISCOPI

DE ECCLESIASTICIS SACRAMENTIS ET OFFICIIS

AC

PRÆCIPUIS PER ANNUM FESTIS

SERMONES.

259 SERMONUM ELENCHUS.

SERMO PRIMUS.

De sacramentis neophytorum, habitus in synodo.

Quoniam populus ad fidem vocatus, visibilibus sacramentis instruendus est, ut per exhibitionem visibilium, pertingere possit ad intellectum invisibilium, nosse oportet, Domini, sacerdotes, qui hæc sacramenta contrectant, modum et ordinem sacramentorum, et veritatem rerum significatarum : alioqui dispensatores tantorum mysteriorum sunt tanquam cæci duces cæcorum, tantum ulilitatis inde habituri, quantum capiunt jumenta quæ portant panes ad usus aliorum licet divina gratia non deserat sacramentum, quod per eos operatur sa- A lutem populorum. Attendant ergo Dominicorum sacramentorum dispensatores, quia Ecclesia Christi, quotidie ex gentibus, operantibus eisdem sacramentis, aggregatur : populus acquisitionis, cujus caput est Christus, per fidem generatur : per charitatem in virum perfectum nutritur, spe æternitatis in eadem fide et charitate solidatur : et omnium sacramentorum administrationem ad hunc finem referant,ut intelligant Ecclesiam Dei tanquam domum Dei in fide fundari.DilectionemDei et proximi, tanquam parietes bene sibi cohærentes, superædificari : ejusdem altitudinem, spe æternitatis gloriossimæ cumulari. Hoc corpus Christi, licet nativitatem capitis sui consueto nascendi ordine subsecutum est, tamen hujus capitis nativitatem in B unitate subsecuturi corporis,quædam membra præcesserunt, patriarchæ scilicet et prophetæ, et multi justi,qui prodigiis et præconiis multis,nativitatem capitis consecuti corporis præmonstraverunt. Quod bene ostensum est in Jacobo, interioris populi typum gerente, qui ad ortum festinans, manum præmisit, plantam fratris majoris natu manu tenens (*Gen.* XXXVI) : hoc facto significans quia, reprobato priori populo, cujus typum geberat Esau, nasciturus esset minor populus,Christianorum videlicet, qui benedictionem Dei Patris æterna hæreditate possideret. Illius quippe Patris sacramenta sunt nostra documenta, quibus ille populus tanquam parvulus est lactatus : et circa unius veri Dei cultum, ne post deos vel falsos vel alienos oberraret, occupatus. Unde ab initio sæculi in omni ætate sa- C cramenta Christi et Ecclesiæ celebrata sunt quibus et ille populus nutriretur, et nostræ redemptionis modus insinuaretur. Nam prima ætate Adam de terra matre, sine terreno patre, homo ad eamdem imaginem a Deo sexto die plastamus **260** est (*Gen.* I), et in novissima ætate sæculi, per Christum de terrena matre natum sine terreno patre, homo ad eamdem imaginem Dei reformatus est. Ad ejus rei consonantiam, eadem ætate de latere Adæ, qui erat forma Christi futuri, Eva formata est, (*Gen.* II), et per sanguinem de Christi latere manantem,cum aqua sanctificationis Ecclesia fabricata est. Secunda vero ætate mundi, per octo animas a submer-

sione diluvii per arcam liberatas, eadem Ecclesia figurata est qua in spe octavæ, id est, resurrectionis, per aquas baptismi non sine auxilio ligni salutaris, a submersione exuberantium tentationum liberata est. Tertia denique ætate populus Dei ab Ægyptiaca servitute liberatus, transit mare Rubrum : cedit mare virga Moysis percussum : præbet viam populo Dei, hostes a tergo sequuntur, et submerguntur : et hic repetita est baptismi, per lignum salutiferum consecuti [consecrati], sanctificatio: Nam rubet mare Rubrum, rubet et baptismus, Christi sanguine consecratus. Hostes a tergo sequentes moriuntur, quia peccata præterita per baptismum delentur. Dehinc quarta ætate in illa terrena Hierusalem claruit regnum David, Christi et Ecclesiæ regnum præfigurans : de cujus semine idem Christus natus est, in Ecclesia sua spiritualiter regnans, et eam sibi obtemperantem post tempora gloriose coronans. Inde est quod qui in sabbato sancto sunt baptizandi, quarta hebdomada quadragesimalis observantiæ, quæ continentiæ nobis arma ministrat, et quarta ejusdem hebdomadæ feria, catechizandi et exorcizandi, deferuntur ad Ecclesiam ibi audituri et instruendi, qualiter contra spirituales nequitias sint pugnaturi : sed tamen usque in sabbatum paschale baptismus eorum differtur, hoc attendente Ecclesia, quia qui ad agonem in præsenti vita vocantur, in spe futuræ quietis baptizantur. Sic enim contra visibiles hostes pugnaturi, non ante quam in vita, id est, juvenili ætate, ad militiam eliguntur, ut sicut in hac ætate pugnaturi, validiores ad visibiles hostes repellendos sic ad Chistianam militiam sub typo hujus numeri electi, Christianum agonem viriliter exerceant, et ut coronari mereantur, ab acie non recedant. Post tempora vero regnum Israel, quinta ætate inchoante, propter perversitatem prætaxati populi captivante Babyloniæ rege, transmigravit ex parte idem populus in Babyloniam, et qui confusioni servierat voluntarius, regi Babylonis, quod interpretatur *confusio*, servivit invitus. Post septuaginta annos faciente christo Cyro, reversus est idem populus in Hierusalem, sicut prædixerat Isaias, deinde Jeremias. Quod bene ad statum pertinet Ecclesiæ, quæ post hujus sæculi, quod septenario volvitur numero dierum [tempora quæ septenario volvuntur, post multas], multas angurias, quas passa vel passura est sub regibus hujus spiritualis Babyloniæ, in cœlestem Hierusalem reversura est, ubi visione pacis fruitura est nulli ulterius confusioni servitura. Unde dicit Apostolus : Vanitati creatura subjecta est non volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe, qui et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis hujus in libertatem gloriæ filiorum Dei (*Rom* VIII). Per hæc omnia tempora non defuerunt viri justi futuræ Ecclesiæ membra : non defuerunt cuique tempori congrua sacramenta, tanquam populi nutrimenta. De quibus multa possent recitari, nisi studeremus brevitati. Ad ultimum sexta ætate de virgine natus est Christus, sicut sexta die terra virgine plasmatus est protoplastus. Hic Christus est finis legis, et veritas, complens omnia quæ præcesserant in umbra sacramentorum. In plenitudine temporis, sicut dictum est, natus Christus, crevit, ad virilem ætatem pervenit, tricesimo anno vitæ suæ [ætatis suæ anno, sicut], sicut tradunt evangelistæ, a Joanne baptizatus : non quia indiguit, sed quia ejus vita Christianis disciplina morum fuit. Dehinc elegit apostolos, prædicavit evangelium, crucifixus est, dans nobis exemplum humilitatis et patientiæ; tertia dei resurrexit, in quo membra sua resurectionis suæ spe confirmavit: proxime cœlos ascensurus, discipulos, quid agere deberent, admonuit, dicens : « Ite, docete omnes gentes, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit (*Matth.* XXVIII; *Marc.* XVI). » Hic paucis verbis docentur Domini sacerdotes, » apostolorum successores et vicarii, de quibus dicitur : « Pro patribus tui nati sunt tibi filii (*Psal.* XLIV), » qualiter debeant rudes populos, terreni hominis imaginem adhuc portantes, catechizare : qualiter in novitate vitæ in Christi conformitatem lavacro aquæ in verbo transformare. Hoc ita factum est temporibus apostolorum et martyrum qui in Judæis et gentibus Evangelium Christi viris intelligentibus et quibuscunque personis verbi Dei capacibus annuntiaverunt. Postquam vero Ecclesia dilatata est et congregata [aggregata] in gentibus, nec inter fideles repertus est aliquis adultæ fidei non fidelis, ne parvuli eorum de hac vita ante rationabiles annos exeuntes, alieni remanerent a consortio Christi, provisa est etiam in illis medicina salutis, ut in sacramento fidei baptizarentur, et per alterius fidem reconciliarentur Deo sicut per alterius peccatum alienati erant a Deo. Institutum est itaque ad hoc novum sacramentorum genus ad catechizandos parvulos, exorcizandos, initiandos et demum baptizandos, in quibus pro parvulo audit Ecclesia, et ad interrogata respondet, donec parvulus ad intelligibiles annos perveniat et sacramenta fidei, charitatis et spei, sibi imposita, per se intelligat. De quibus, quid significent, sacramentis, prout Dominus inspirare voluerit, charitati vestræ aliquid dicere proposuimus, ut et ipsi virtutem sacramentorum intelligatis, et auditores vestros docere studeatis.

Notandum ergo prius est, quomodo baptizandus in utero matris Ecclesiæ puer concipiatur, quibus alimentis usque ad nativitatem novi hominis in eodem utero nutriatur. Tria quippe sunt, quibus usque ad indumentum novitavis, baptizandus concipitur, alitur, et usque ad novitatis integritatem provehitur, catechismi scilicet, exorcismi et orationes. Catechizatur ob hoc qui ad fidem vocatur, ut ad quod vocatur, proprio moveatur voluntatis arbritrio. Exorcizatur, ut ab eo diaboli potestas iniqua depellatur. Additur pro eo oratio, ut gratia præveniat et sequatur, quæ vires præbeat libero arbitrio, et per quam procul fiat universa maligni spiritus illusio

Signatur itaque primo baptizandus crucis signaculo in fronte, in pectore, in oculis, in auribus, in naribus, in ore, cujus virtute victus est diabolus, et exaltatus est Christus. Unde Habacuc dixit : « Cornua in manibus, ibi reposita est fortitudo ejus (*Habac.* III). » Hoc ergo signo muniuntur totius corporis sensus, cujus virtute et omnia nostra sacramenta complentur, et omnia diaboli figmenta frustrantur. Sic cum primogenita delerentur Ægypti, populus Hebræorum, signatis postibus domorum suarum sanguine agni paschalis (*Exod.* XII), typo **261** Dominicæ passionis, salvatus est : et populus Ægyptius, quia hoc signo caruit, in primogenitis suis graviter percussus est. Sic apud Ezechielem Hierusalem ab imminente clade liberandam esse promittitur, si Thau, quæ figuram crucis exprimit, in frontibus gementium atque dolentium, id est pœnitentium, signaretur (*Ezech.* IX). Postea datur sal benedictum in os pueri, ut per typum sapientiæ sale conditus, fetore careat iniquitatis : nec a vermibus vitiorum ultra putrescat, se dincorruptus servetur, ad percipiendam plenam Christi gratiam : neque ultra a condimento sapientiæ desipiat, neque retro aspiciat, sicut uxor Lot (*Gen.* XIX). Exsufflatur postea malignus spiritus foras, quod mysteria sacra significant, quando parvulus exsufflatur et exorcizatur. Non enim creatura Dei in infantibus exorcizatur et exsufflatur : sed ille, sub quo sunt, qui sub peccato nascuntur. Nondum per sacrum baptisma renati sunt : sed jam per crucis signum in utero matris Ecclesiæ concepti sunt. Omnia enim chrismata sacerdotalis ministerii crucis figura perficiuntur. Omnia autem sacramenta quæ acta sunt, et aguntur exorcismis, orationibus, insufflationibus, quasi escæ sunt, quæ parvulos reficiunt in utero ut renatos aqua salutis, hilares mater Ecclesia Christo exhibeat. Postea tanguntur ei aures et nares cum saliva. Saliva quippe a capite descendit in os, supernam significans sapientiam, cujus tactu et aures cordis aperiuntur, ad intelligendum verbum Dei, et nares ad repellendum fetorem noxiarum delectationum. Unde ait B. Ambrosius in libro De sacramentis : Quid egimus in sabbato? nempe apertionem, quia sacramenta celebrata sunt apertionis, quia aures tibi tetigit et nares. Quod significat in Evangelio Dominus Jesus Christus, cum ei oblatus esset surdus et mutus, cujus os tetigit, quia mutus, et aures, quia surdus erat, et ait : « Epheta, quod est, adeperire (*Marc.* VII). » Deinde venit sacerdos ad fontem, consecratur fons in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, quibus verbis si aqua salutis consecretur, nec a bono, melius, nec a malo pejus baptismus accipitur. Unde August. in lib. III De unico baptismo : Non est aqua profana, nec adultera, super quam Dei nomen invocatur, etsi a profanis et ab adulteris invocetur : quia nec ipsa creatura, nec ipsum nomen est adulterum. Traditur etiam novæ vitæ auditoribus symbolum fidei, quod per duodecim apostolos ordinatum est,

A et totidem sententiis comprehensum. Postremo parvulus ad baptismum interrogatur a sacerdote : Abrenuntias Satanæ et omnibus operibus ejus et pompis ejus? ut primum respuat errorem, et sic adproximet ad veritatem, ut possit, juxta Apostolum, deponere veterem hominem cum actibus suis (*Ephes.* IV), secundum pristinam conversationem abnegans impietatem et sæcularia desideria (*Tit.* II). Respondet parvulus per ora gestantium, Abrenuntio. Unde Augustinus contra Julianum lib. IV : Quisquis negat per ora gestantium parvulos abrenuntiare et credere, negetur eos accipere baptismum, qui in manibus gestantium reluctantur. Idem in libro De pœnitentia : Parvulis ad consecrationem remissionemque originalis peccati prodest eorum fides, a

B quibus offeruntur, ut quascunque maculas delictorum per alios, a quibus nati sunt, contraxerunt, aliorum etiam interrogatione purgentur. Post abrenuntiationem ungitur catechumenus oleo sacro in pectore, tanquam muniatur adversus hostem invisibilem, ne ei immunda et noxia persuadeat desideria. Ungitur et inter scapulas, ubi est vigor portandi oneris, ut fortitudinem accipiat ad portandum pondus diei et æstus, sicut bonus athleta. Exinde exquiritur ab eo, si credat in Deum Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, et in Spiritum sanctum, unum Deum in Trinitate et in unitate, si confiteatur unam esse sanctam Ecclesiam catholicam, et si credat remissionem peccatorum, et vitam æternam. Hæc omnia si profiteatur se credere, jam incipit in eo mori

C vetus homo, et per fidem vivere novus homo, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis (*Ephes.* IV). In abrenuntiatione prioris possessoris, suadente charitate, jam vult in legitimi possessoris transire domum, in quem jam profitetur se credere, et ab eo æterna præmia exspectare. Jam expurgatum est vetus fermentum (*I Cor.* V) : sed nondum est nova conspersio, nisi sacri fontis sequatur ablutio. Sub responsione igitur trinæ interrogationis, trina mersione catechumenus a sordibus vetustatis abluitur, et novum hominem indutus, triduanæ Domini sepulturæ consepelitur. Unde ait Apostolus : Quicunque in Christo Jesu baptizati sumus, in mortem ipsius baptizati sumus. Consepulti enim ei sumus per baptismum in morte, ut quomodo Christus resurrexit

D a mortuis, ita et nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complatati facti sumus similitudini mortis ejus, simul resurrectionis erimus (*Rom.* VI). Hinc etiam B. Ambrosius in lib. De sacramentis : Interrogatus es, Credis in Deum Patrem omnipotentem? dixisti, Credo, et mersus es, id est, sepultus es. Iterum interrogatus es : Credis in Dominum nostrum Jesum Christum, natum et passum? dixisti : Credo, et mersus es, id est, Christo consepultus es. Qui autem Christo consepelitur, cum Christo resurget. Tertio interrogatus es, Credis et in Spiritum sanctum? dixisti : Credo, et tertio mersus es, ut multiplicem lapsum cogitationis, locutionis, operationis,

aboleret tertia confessio. Hanc sacri baptismatis emundationem in similitudinem mortis Christi celebratam, præfigurabat aqua aspersionis in veteri lege (*Num.* XIX), qua emundabatur qui morticinum tetigerat, ut in castra reverteretur, cui immistus erat cinis vitulæ rufæ extra castra combustæ, hyssopus quoque, coccus, et cedrus. Vitula quippe illa, quia femineus est sexus, fragilitatem, id est, passibilitatem carnis Christi significat. Rufa propter effusionem sanguinis, quæ etiam extra castra ejecta est : quo figurabatur, quia et Dominus passurus, extra civitatem ductus est. Quod vero sanguine ejusdem vitulæ septies aspergebatur tabernaculum et omnia vasa tabernaculi, plenam significat emundationem, quam intus et extra [foris] contulit sanguis Christi. Anima enim constat triplici virtute, corpus vero quaterna elementorum complexione : quæ utraque mundata sunt Christi sanguinis aspersione. Quod vero carnes ejusdem vitulæ, et corium, et stercora conburebantur, hoc significatum est, quia tota humilitas et ignominia passionis, versa est in gloriam resurrectionis : quam bene ignis significat, qui semper ad superiora tendit, et quod assumit, in se convertit. Quod autem hyssopus huic aspersioni admiscetur: hoc significatur, quia in fide mortis Christi peccata mundantur. Unde ait Apostolus : « Fide mundans corda eorum (*Act.* XV). » Hyssopus quippe ideo fidem significat : quia cum sit herba humilis, firmiter hæret in petra. **262** Coccus ideo huic mundationi adhibetur, quia flammeo colore charitatem significat, sine qua mortuum est quidquid fides operatur. Cedrus quoque huic mundationi opitulatur, quæ imputribilis arbor dicitur, et in excelsis montibus radicat, et ideo spem incorruptionis et supernæ gloriæ significat. Horum omnium conjunctio aqua aspersionis consecratur, quia qui mortuum tetigerat, ut dictum est, emundatur, quia qui operibus mortuis, id est, peccatis originalibus liberatur, baptismate sacro in fide mortis Christi et resurrectionis, cum sponsione charitatis et spei baptizatur. Unde Apostolus ad Hebræos : « Si sanguis vitulæ aspersus iniquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis Christi sanguis, qui per spiritum sanctum obtulit se Deo, emundabit conscientias nostras ad serviendum Deo viventi? » (*Heb.* IX.) Notandum est quod dicit, si fuerit mortuus ante purificationem, manere in immunditia, et perire animam illam ex Israel, id est, a consortio populi Dei. Quo quid aliud vult dicere, nisi manere pœnam animæ illi et post mortem, si dum vivit, non fuerit mundata isto sacramento, quo figuratur Christi baptismus? A viro autem mundo dicit hanc purificationem fieri : ubi significantur ministri portantes personam Domini sui, qui est vir mundus. Unde in sequentibus de eo qui conspergit aquam aspersionis, ut lavet vestimenta sua, id est, ut sit mundus mente et corpore. Completis jam baptismi sacramentis, cum baptizatus de fonte ascenderit, sacro chrismate ungitur in vertice, ut cognoscat se promotum esse in regium genus et sacerdotale, id est, ut a Christi consortio vocetur Christianus, et æterni regni sit cohæres, hoc sacramento post aquam [postquam] perfectio sit, quando ad invocationem sacerdotis Spiritus sanctus infunditur. Exinde traditur Christiano vestis candida, ut qui primæ navitatis decorem, vetustatis pannis obfuscaverat, habitu regenerationis gloriæ præferat indumentum. Tegitur etiam post sacram unctionem ejus caput sacro velamine, ut intelligat se diademate regni, et sacerdotali, sicut dictum est, dignitate potiri. Ad ultimum datur cereus accensus in manus baptizati, « quatenus implere doceantur illud Evangelii : Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est (*Matth.* V). » Quod si perseveranter fecerit, non cum fatuis virginibus, exstincta lampade, a janua sponsi repellitur, sed cum prudentibus glorificandus colligetur (*Matth.* XXV). His omnibus supra memoratis sacramentis novus homo in utero Ecclesiæ inchoatur, provehitur, consummatur, et unitati Ecclesiæ aggregatur : unde etiam, si ejus est valetudinis, sacramentis unitatis, id est Christi corpore et sanguine confirmatur. Cum vero ad intelligibiles annos pervenerit, monendus est a presbyteris, et ab his per quorum vocem abrenuntiavit et fidei symbolum accepit, quatenus quæ per aliorum ora promisit, jam studeat corde credere, et proprio ore confiteri, et opere imitari. Unde Augustinus in sermone habito Dominica prima post Pascha : Vos ante omnia tam viros quam feminas moneo, qui filios in baptismo suscepistis, ut vos cognoscatis fidejussores exstitisse apud Deum pro illis, quos de sacro fonte suscepistis. Ideo semper eos admonete, ut castitatem custodiant, justitiam diligant, charitatem teneant : hoc omnibus faciant, quod sibi fieri volunt : auguria non servent : ad arbores et frondes [fontes] vota non reddant : præcantatores aut caragios et sacrilegia aut phylacteria, veluti diaboli venena, fugiant : nec furtum faciant, nec falsum testimonium dicant. Ante omnia symbolum et orationem Dominicam et vos ipsi tenete, et illis quos excepistis, ostendite. Præterea docendus est unusquisque Christianus, ut eum qui se de sacro fonte suscepit, ita diligat sicut patrem : nec filius cum filia, nec filia cum filio patris sui spiritualis conjugium ineat : quod non esset dicendum conjugium, sed potius incestum contubernium. Unde Papa Nicolaus ad responsum Bulgarorum: Est inter fratres et filios spirituales gratuita et sancta communio : quæ non est dicenda consanguinitas, sed potius spiritualis germanitas. Unde arbitramur inter eos non posse fieri aliquod legale conjugium. Hæc et alia similia necessaria et honesta debent nosse Domini sacerdotes, et docere suos auditores, quatenus qui audiunt, eorum ductu recte vivant, et ipsi de bona administratione mercedem accipiant, et non gementes, sed cum gaudio rationem reddant.

SERMO II

De excellentia sacrorum ordinum, et de vita ordinandorum, in synodo habitus.

A Quia Christianam militiam in baptismate professi estis, et arma spiritualia contra hostes invisibiles per manus impositionem accepistis, in castris Domini tanquam gregarii milites aliquandiu militastis, si tamen ea quæ Christiano nomini sunt inimica respuistis, et ea quæ conveniunt, facere studuistis. De Christiana militia, quæ vobis cum cæteris fidelibus communis erat, clericatum elegistis, id est mundo renuntiare, et cum habitu humilitatis, affectum promittere humilitatis, ut illud Psalmistæ merito dicere possetis : « Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum (*Psal.* XXIII). » Non est vestrum primum locum quærere in mensa Domini vestri, nisi qui vos invitavit, dicat alicui vestrum : « Amice, ascende superius (*Luc.* XIV) ; » ut sit ei honor coram simul discumbentibus. Nemo enim ad hoc debet fieri clericus, ut serviat voluptati, studeat curiositati, inhiet ambitioni ; nec aliud quærat, nisi ut Deum hæreditate possideat, quem elegit, et a quo electus est, quando in clericum assumptus est. Hoc enim in Græco nomen clerici sonat, quod de sorte sit Domini, quia et Deus sortitus sit eum, et ipse sortitus sit Deum. Quod clericus sortitus sit Deum, bene dicitur in psalmo, in persona ipsius clerici, cum stigmate clericatus insignitur. Dicitur enim Deo : « Dominus pars hæreditatis meæ (*Psal.* XV). » Et in alio psalmo : « Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Jacob (*Psal.* XXIII). » Quod vero Dominus sortitus sit ipsum clericum, in ipsius clerici tonsione dicitur ex superiori psalmo in persona Domini : « Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi (*Psal.* XV). » Unde qui per clericatus officium aliud quærit quam Deum, nec a Deo electus est, nec Deum elegit, qui in sorte sua creaturam Creatori aut præposuit, aut æquiparavit. Hæc dicentes, non interdicimus vobis hujus viæ necessaria, sed de oblationibus, vel de opere manuum vel de aliis innocentibus artibus conquisita, non de usuris, non de turpibus lucris, non de negotiationibus **263**, vel aliis illicitis artibus compilata. Sic enim tribus Levi, quæ in figuram clericalis ordinis præcessit, partem non habuit inter reliquas tribus, sed vivebat de primitiis, decimis et oblationibus, quas offerebant aliæ tribus. Si ergo et vos de stipe templi vivere disponitis, si extra Deum nihil quæritis, qui, si eo contenti fueritis, erit vobis amplissimum et uberrimum prædium, et salubriter ad clericatum accessistis, quia et vita vestra concordat cum nomine, et professio apparet in opere. Alioquin, si paupertatem et humilitatem, quam præfert habitus corporis, et figura capitis, in corde non habetis, timeo ne cum hypocritis sit pars vestra, et spes vestra ab æterna mercede sit vacua : qui non ut clerici, sed ut acephali in clericali militia sola quæritis lucra temporalia. Ad hoc enim capillos in modum coronæ in summitate capitis raditis, ut et regnum spirituale, quo cæteris præeminetis, tali figura ostendatis, et curæ mortalis illecebras frequenter redeuntes, sic amputetis de corde, sicut crines frequenter resurgentes, abraditis de capite. Residuos autem capillos eo ordine præcidere debetis, ut aures, oculos, et alios sensus capitis liberos reddant : et curam exteriorum non in superfluis desideriis carnis, sed necessariis tantum exercendam agnoscant. Si ergo ad ambulandum in via Dei, sicut prætaxatum est, affecti estis, et clerici vocari digni estis, et ad majora militiæ clericalis officia promoveri. Hæc officia septem gradibus sunt distincta, quia sancta Ecclesia septiformis gratiæ est munere decorata. B Hæc officia in propria persona Dominus noster ostendit, et Ecclesiæ suæ exhibenda reliquit : ut forma quæ præcesserat in capite repræsentaretur in corpore.

In his septem officiis primus gradus est ostiariorum qui possunt discernere inter bonos et malos, dignos et indignos, et admittere in Ecclesia quos sciunt esse dignos, et repellere quos sciunt esse indignos. Istis cura est et introitum Ecclesiæ servare, et res Ecclesiæ pervigili cura custodire. Unde et eis, cum ordinantur, claves Ecclesiæ ab episcopo traduntur, et dicitur eis : Sic agite, tanquam rationem Deo reddituri pro rebus quæ his clavibus recluduntur. Hoc officium Dominus noster nobis initiavit, quando flagello de funiculis facto, « vendentes et C ementes de templo ejecit, et cathedras nummulariorum evertit (*Joan.* II) : » hoc facto significans, quod omnis negotiatio rerum Ecclesiasticarum, ab Ecclesia pellenda sit. Unde et ipse ostiarius prætaxatus dixit : « Ego sum ostium (*Joan.* X) : » per me si quis introierit, ingredietur et egredietur, id est, qui canonice administrationem ecclesiastici regni acceperit, ingredietur, id est, a me recipietur : et egredietur, quia peracta dispensatione sibi credita, a servitute hujus corruptionis liberabitur.

Inde promovetur ad officium lectorum, ut jam ex traditione Ecclesiæ legat in Ecclesia propheticas et apostolicas lectiones. Unde et eis, vidente populo, traditur codex divinarum Scripturarum, et dicitur eis : Accipite, et estote verbi Dei relatores ; D habituri, si fideliter et utiliter impleveritis officium, partem cum his qui bene ministraverunt. Hic quidem, qui ad hunc gradum provehitur, litterarum scientia debet esse instructus, ut et sensum verborum intelligat, vim accentuum sciat, distincte legat, ne confusione pronuntiationis, intellectum auditoribus auferat. Attendat quid sit indicative legendum, quid sub interrogatione, ubi sit in oratione subdistinctio, media distinctio : quia et hæc male servata, intellectum perturbant, et grammaticorum typum ad risum provocant. Auribus enim et cordi consulere debet lector. Hoc officium Dominus noster in propria persona ostendit, quando in medio

seniorum, librum Isaiæ prophetæ aperiens, distincte ad intelligendum legit: « Spiritus Domini super me, ad evangelizandum pauperibus misit me (*Luc.* IV; *Isa.* LXI), » et cætera quæ in eodem sequuntur capitulo : ut hoc exemplo cognoscat lector quia spirituali gratia debet clarere, et sic auditoribus verbum Dei prædicare.

Tertio loco sequitur ordo exorcistarum, qui super catechumenos faciunt sacramenta apertionis, et habent spiritale imperium super spiritus immundos, ad ejiciendos eos de corporibus obsessis. Debet autem habere spiritum mundum, qui spiritibus imperat immundis, ut concordet vita cum officio, et malignum, quem per acceptum officium expellit de corpore alieno, per munditiam vitæ expellat de corde suo, ne medicina quam alii facit, sibi non prosit, et ne dicatur ei : « Medice, cura teipsum (*Luc.* IV), » si per immunditiam conscientiæ spiritum retinet immundum. » Hi cum ordinantur, accipiunt de manu episcopi librum exorcismorum, et dicitur eis : Accipite et habetote potestatem ponendi manum super energumenum sive cathechumenum. Hoc officio usus est Dominus, quando saliva sua tetigit aures surdi et muti, et dixit : « Epheta, quod est adaperire (*Marc.* VII). » Quo exemplo [hoc exemplo] docuit nos, tali sacramento aperire debere aures præcordiorum ad intelligendum, et os ad confitendum : quod fit [quid fit], cum expulso dæmone, verus possessor recipit vas suum. Quarto loco accedunt acolyti, qui Latine dicuntur ceroferarii, quia cereos accensos deferunt dum legitur Evangelium, vel dum offertur sacrificium, non ut tenebras hujus aeris illuminent, sed ob hoc ut sicut visibile lumen manibus gestant, ita opera lucis proximis ostendant, et more lucis errantibus viam in tenebris palpantibus ducatum præbeant. Hoc officium Dominus se habere testatur, in Evangelio dicens : « Ego sum lux mundi : qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ (*Joan.* VIII). » Hi cum ordinantur, postquam edocti fuerint ab episcopo qualiter in officio agere debeant, accipiunt ab archidiacono candelabrum cum cereo : ut sciant se ad accedenda luminaria mancipari. Accipiunt urceolum vacuum ad infundendam aquam in calicem, quo consecrandus est sanguis Christi. Ubi fit commemoratio sanguinis de Christi latere profluentis, et aquæ inde procedentis Quæ duo idcirco in calicem commiscentur, quia Christi sanguine sumus redempti, et aqua baptismi a peccatis abluti (*Joan.* XIV).

Quinto loco ordinantur subdiaconi, qui jam ministerio altaris approximant, quia vasa corporis et sanguinis Christi portant. Unde lex continentiæ eis imponitur, quatenus impleant illud Prophetæ : « Mundamini, qui fertis vasa Domini (*Isa.* LII) ; » id est ut et seipsos exhibeant vasa in honorem, non in contumeliam, et vasa ista quibus ministratur corpus [corpori] Domini, deferant ad altare, et referant ab altari ad Dei gloriam, scilicet ut fugiant omnem carnis immunditiam. Isti ministrant officiis Levitarum, et in templo Domini oblationes suscipiunt a populis. Ad istorum provisionem pertinet, tantum de oblationibus **264** ponere in altari, quantum possit populo sufficere. Ad horum pertinet officium, corporales, pallas, et substratoria lavare, et aquam in baptisterium ingerere [urgere]. Hi cum ordinantur, accipiunt patenam vacuam, et calicem vacuum de manu episcopi. De manu vero archidiaconi, accipiunt urceolum cum aqua, mantile et [aquam amanili et] manutergium, quibus mundare debent manus sacerdos et levita, tractaturi Dominica sacramenta. Hoc officio usus est Dominus, quando facta cœna cum discipulis, linteo se præcinxit : et mittens aquam in pelvim, pedes discipulorum lavit, et linteo extersit. (*Joan.* XIII.) Una significatio est lintei et manutergii, quæ de lino fiunt : et multis castigationibus et ablutionibus ad candorem perveniunt. Linteo ergo pedes pulvere fœdati prius aqua lavantur, deinde linteo exterguntur. Sic cum Psalmista dicimus : « Lavabo per singulas noctes id est per singulas offensiones, « lectum meum (*Psal.* VI), » id est conscientiam meam, in qua sanus quiesco, æger laboro, et cum Apostolo : « Castigo corpus meum, et in servitutem redigo (*I Cor.* IX.) » Eodem modo ministri manus lavant et tergunt ter, cum omnem terrenam concupiscentiam de operibus suis excutiunt.

Diaconorum ordo est in sexto loco, non sine aliquo senarii mysterio, quo, propter sui perfectionem, significatur operum perfectio. Hic ordo in Veteri testamento a tribu Levi habet exordium : præcipit enim Dominus Moysi (*Num.* II, III et IV), ut post ordinationem Aaron et filiorum ejus, rursus tribus Levi ad divini cultus ministeria ordinaretur, et consecraretur Domino, et serviret pro Israel coram Aaron et filiis in tabernaculo Dei, ipsique gestarent arcam, et tabernaculum, et omnia vasa ejus, et in circuitu tabernaculi ipsi castra construerent, et transportando tabernaculum ipsi deponerent, rursus ipsi componerent. A viginti autem annis et supra, jussi sunt servire in tabernaculo, quam regulam sancti Patres et in Novo Testamento constituerunt : quoniam hæc ætas ad portanda onera robusta est, quod illi ordini a Moyse institutum est, quod etiam in Novo Testamento repræsentatur, cum diaconis super sinistrum humerum stola ponitur, et casula in diebus jejunii super eumdem humerum complicatur. Quia quidquid laboris et sustinentiæ in hac vita toleramus, tanquam in sinistra portamus, donec in dextra, id est in æternitate requiem habeamus. Hic ordo in Novo Testamento ab apostolis initium sumpsit, quando, sicut legitur in Actibus apostolorum, septem viros boni testimonii plenos Spiritu sancto ad hoc officium elegerunt, et oratione præmissa, manus eis imposuerunt (*Act.* VI). Exinde apostoli et eorum suc-

cessores decreverunt, ut in omni matrice [*matre*] Ecclesiæ septem diaconos circa aram Christi sublimiori gradu tanquam columnæ altaris assisterent, non sine aliquo septenarii mysterio. In quo significatur ut septiformis gratiæ spiritu præfulgentes, sancti sint corpore et spiritu. Hic enim numerus cum constet quaternario et ternario, quaternarius refertur ad corpus, propter quatuor elementorum in corpore consonam complexionem: ternarius vero ad animam, propter triplicem animæ virtutem, propter quam jubemur Deum tripliciter diligere, id est toto corde, quod refertur ad intellectum; tota anima, quod refertur ad voluntatem; tota mente, quod refertur ad memoriam. Hi sunt septem angeli, quos legimus in Apocalypsi tuba canentes (*Apoc.* VIII): angeli, quia nuntii: tuba canentes, id est alta mysteria de interna aspiratione foris resonantes. Hi sunt septem candelabra aurea, id est lucem Evangelii manibus, id est in operibus præferentia, et ad omnem ignis, id est tribulationis examinationem probata, hi quoque sunt tonitrua septem bestiales mentes terribili comminatione velut quodam terribili tonitru commoventia. Tale tonitru emittebat Joannes Baptista, quando dicebat: « Genimina viperarum, quis dabit vobis fugere a ventura ira? » (*Matth.* III.) Et Dominus in Evangelio: « Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur (*Matth.* VII). » Et in hunc modum plurima. Isti in modum præconis, manifeste admonent cunctos ad orandum, et ad genu flectendum: Isti evangelizant, isti sacramenta dispensant. Sacerdotibus non licet calicem Domini in missa [mensa] tollere, nisi traditus eis fuerit a diacono. Levitæ hostias super altare ponunt: ipsi mensam Domini componunt, ipsi altare mysteriorum [alta mysteria] operiunt: ipsi albis vestibus induti, altari assistunt. Qua in re significatur quam munditiam candoris, quam præferunt in corpore, debeant habere in mente. Tales enim Deum decet habere ministros, qui nullo carnis contaminentur contagio, sed plena mentis et corporis castitate præfulgeant. Quales enim diaconi ordinandi sunt, Apostolus plenissime docet scribens ad Timotheum. Nam cum de sacerdotibus præmisisset, subjunxit: « Diaconos similiter oportet esse irreprehensibiles (*I Tim.* III), » id est sine crimine, sicut episcopos; pudicos, id est a libidine continentes; non bilingues, scilicet ne conturbent pacem habentes; non multo vino deditos, quia ubi ebrietas, ibi libido et furor dominatur; non turpe lucrum sectantes, ne de spirituali ministerio terrena lucra sectentur. Post hæc adjecit: Hi autem probentur primum, et sic ministrent, nullum crimen habentes. Hi itaque sicut episcopi ante ordinationem examinari debent, et si digni inventi fuerint, ad sacrum ministerium sunt applicandi. Hoc officio usus est Dominus (*Joan.* XIII), quando post cœnam proprio ore et propriis manibus sacramenta confecta dispensavit, et quando apostolos dormientes ad orationem invitavit [incitavit], dicens: « Vigilate et orate, ne in-

A tretis in tentationem (*Matth.* XXVI). » Hi cum ordinantur, solus episcopus eis manus imponit, quia ad ministerium [ad sacrificium], non ad sacerdotium applicantur. Ponitur eis orarium ab episcopo super sinistrum humerum, ut per hoc agnoscant se accepisse jugum Domini, quo omnia quæ ad sinistram, id est præsentem vitam pertinent, et premant, et jugo Domini subjiciant. Accipiunt et textum evangeliorum de manu episcopi, per quod intelligant se debere esse præcones evangelii.

Presbyterorum ordo a filiis Aaron sumpsit exordium, qui cum episcopis in pluribus commune habent officium: et qui nunc presbyteri vocantur, tunc sacerdotes vocabantur, et qui nunc sunt pontifices, tunc dicebantur sacerdotum principes. Distat B autem hoc tantum inter pontifices et hujus temporis sacerdotes, quia scilicet solis pontificibus addita est clericorum ordinatio, basilicarum dedicatio, chrismatis consecratio, et manus impositio, et communis super populum benedictio: cum in aliis sacramentis, catechizandi, missam celebrandi, in ecclesia verbum faciendi **265** ad populum, communis utriusque sit dispensatio. Sed summis sacerdotibus ea quæ prætaxavimus, idcirco reservata sunt, ne eadem potestatis auctoritas, ab omnibus vindicata, insolentes redderet, et soluto obedientiæ vinculo, scandalum generaret. Qui autem Græce dicuntur presbyteri, Latine dicuntur seniores, non tam ætate quam prudentia et morum maturitate. Unde dicitur in libro Sapientiæ: « Cani sunt sensus hominum, et senectus C hominis, vita immaculata (*Sap.* IV). » Presbyteri quippe successores et vicarii sunt septuaginta discipulorum, qui præcedebant Dominum Jesum in omnem civitatem et locum quo ipse erat venturus (*Luc.* X). Ita presbyteri, quia adjutores sunt episcoporum, rudes populos initiant, baptizando unitati Ecclesiæ incorporant, et omnibus sacramentis usque ad manus impositionem populo Dei ministrant. Episcopi vero successores sunt apostolorum, qui ex necessitate adjutorium et supplementum sui officii, quo facilius plebes innumeras regere possint, ministerium sibi expetunt sacerdotum. Sicut Moyses in eremo septuaginta viros prudentes elegit (*Num.* XI), quorum consilio et auxilio immensam multitudinem populi Israel facile gubernaret: sive autem sint minoris ordinis, sive summi ordinis sacerdotes, vicem D Christi summi pontificis gerunt, dum populos deliquentes ad pœnitentiam vocant, et orationum suarum medicamento sanant. Unde Apostolus dicit: « Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, et posuit in nobis verbum reconciliationis. Obsecro ergo pro Christo, reconciliamini Deo (*II Cor.* V). » Funguntur itaque, ut dictum est officio mediatoris, dum pro populo Deum interpellant, dum pœnitentes absolvendo reconciliant. Unde oportet, ut sicut mediator Dei et hominum, per hoc quod fuit particeps nostræ mortalitatis, mundum reconciliavit, per hoc quod fuit particeps divinitatis, absolvit: ita utriusque ordinis sacerdotes tanquam boni media-

res, et peccatoribus, compatiantur per conscientiam suæ infirmitatis, et Dei [cum Deo] pacem habeant per eminentiam sanctitatis. «Mediator enim, ut ait Apostolus, unius non est (*Gal.* III). » Quia utrique parti quam pacificare vult, amicus est. Quales debeant esse presbyteri, idem Apostolus scribens ad Titum, ita commemorat : « Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut constituas per civitates presbyteros, quemadmodum ego tibi disposui (*Tit.* I). » Si quis sine crimine est, unius uxoris virum, filios habentem fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim episcopum sine crimine esse. Qua sententia ostendit etiam presbyteros sub episcoporum nomine taxari. Unde et ad Timotheum de ordinatione episcopi et diaconi scribit (*I Tim.* III), de presbyteris vero tacuit, sub nomine episcoporum eos intelligens. Unde etiam tales in Ecclesia presbyteros constituendo esse sicut episcopos, et Apostolus ad Titum loquitur (*Tit.* I), et canones ipsi testantur : Hi cum ordinantur, episcopo eos benedicente, et manum super capita eorum tenente, omnes presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas juxta manum episcopi super capita eorum levant, et Spiritum sanctum super eos qui ordinantur, invocant : hi post invocationem sancti Spiritus, stolam super utrumque humerum accipiunt, quæ in modum sustentaculorum, dextrum latus munit et sinistrum : ut per hoc intelligant se per arma justitiæ a dextris et a sinistris esse munitos ut eos nec adversa frangant, nec prospera extollant. Accipiunt et calicem cum vino, et patenam cum hostia de manu episcopi, quatenus his instrumentis potestatem accipiant placabiles hostias Deo offerendi. Hoc officio usus est Dominus Jesus Christus (*Matth.* XVI; *Marc.* XIV), quando post cœnam panem et vinum in corpus et sanguinem suum commutavit, et ut in memoriam suæ passionis idem facerent, discipulis suis ordinavit. Hoc etiam manifestius et excellentius officium implevit, quando ipse idem sacerdos et hostia, seipsum in ara crucis propter peccata humani generis obtulit, et per proprium sanguinem sancta æterna introiens, cœlestia et terrestria pacificavit. In quo apparet quanta sit excellentia sacerdotalis officii, per quod quotidie in altari Christi passio celebratur, et reus quisque a peccatis conversus Deo reconciliatur. Quibus omnibus de sacerdotali ordine breviter pertractatis, admonendi sunt Christi sacerdotes quatenus sicut excellant ordinis dignitate, sic excellant vitæ sanctitate, ut et plebs eis commissa, eorum disciplinis edocta, grataanter eis obediat, et eorum imitatione de die in diem proficiat.

SERMO III

De significationibus indumentorum sacerdotalium in synodo habitus.

Quia sanctitas ministerii sanctitatem expetit ministrorum, quales ad sacerdotium promoveri debeant personæ, in superiori sermone breviter ex apostolica institutione commemoravimus : sed in quo habitu ordinari vel ad altare accedere debeant illi sermoni non inseruimus. De indumentis ergo sacerdotalibus, vel de pontificalibus diligenter considerandum est quid in moribus sacerdotum significet illa varietas vestium, quid fulgor auri, quid nitor gemmarum : cum nihil ibi debeat esse ratione carens, sed forma sanctitatis et omnium imago virtutum. Sicut enim bona domus in ipso vestibulo agnoscitur, sic Christi sacerdos cultu sacrarum vestium ostendit exterius, qualis apud se esse debeat interius. Iste autem sacrarum vestium ritus per Moysen sumpsit exordium : quamvis Christiana religio plus intenta rebus qum figuris, sacerdotes suos non omnibus illis veteribus induit ornamentis. Inspiciamus ergo prius veterum ornamenta pontificum, vel quo ordine illis utebantur, vel cum ordinarentur, vel cum thymiama oblaturi, Sanctasanctorum ingrederentur. Deinde nostra cum illorum indumentis conferentes, quid simile, quid dissimile inter se habeant, et quomodo etiam in rebus significatis conveniant attendamus. Duo enim Cherubim propitiatorium aspiciunt (*Exod.* XXIII), quia sacramenta utriusque Testamenti ad divinæ propitiationis fidem intendunt, quæ in sacerdotio veteri sub multiplici est sacrificiorum velamine adumbrata : in Novo autem Testamento per unum verum perfectumque est sacrificium completa. In ornamentis itaque utrumque sacerdotum et sublimitas sacerdotii commendatur, et sacerdotum casta dignitas significatur, quatenus per exteriorem habitum discant quales intra se debeant esse, qui vices illius veri summique pontificis gerunt, in quo fuit omnis plenitudo virtutum, quam profitentur exteriora ornamenta membrorum. Sed jam ad id, quod proposuimus, veniamus : et primum qualiter Moyses, **266** Aaron et filios ejus, Domino jubente, ornaverit, et postea induerit, videamus. Sic enim legitur in Levitico : « Et fecit Moyses, sicut præcepit ei Dominus : et convocavit synagogam ad januam tabernaculi testimonii, et applicuit Moyses Aaron fratrem suum et filios ejus, et lavit eos aqua, et vestivit eum tunica, et præcinxit eum zona, et vestivit eum tunica interiore, et imposuit ei superhumerale, et cinxit eum secundum facturam humeralis, et imposuit super eum logion, et super logion manifestationem et veritatem, et imposuit super caput ejus mitram, et posuit super mitram ante faciem ejus laminam auream, in qua scriptum erat nomen Domini (*Levit.* VIII). »

Notandus est ordo verborum. Licet enim de constituendo pontifice præcepisset Dominus, et elegisset, tamen vocatur synagoga. Idcirco enim requiritur præsentia populi in eligendo sacerdote, ut sciant omnes quia qui doctior est ex omni populo, qui omni virtute præstantior, hic eligi debet ad sacerdotium, et hoc cum consensu Ecclesiæ, ne qua postea retractatio, ne quis scrupulus remaneat, sed omnium testimonio commendetur, secundum Apostolum : « Oportet Episcopum bonum habere testimonium ab his qui foris sunt (*I Tim.* III). » Ita plebis testimonio approbatos primo lavat, postea induit.

Moyses quippe in hoc facto typum legis gerit, qui ordinandos sacerdotes prius lavat, antequam induat. Nisi enim quis prius fuerit per legis observationem probatus, non est ad sacerdotium promovendus. Ita vero probatus, induitur tunica quæ apud eos byssina est, apud nos linea. Byssus enim est genus lini candidissimi, et ad summum candorem multa vexatione et ablutione perductum. Significat autem perfectam carnis munditiam, secundum illud quod in Apocalypsi legitur : Byssus sunt justificationes santorum (*Apoc.* XIX). » Hanc munditiam caro sacerdotis ex se non habet, sicut nec linum ex se est candidum : sed, sicut dictum est, multis castigationibus et ablutionibus redditur candidum, ut aptum fiat indumentis pontificum. Forma est sacerdotalis munditiæ, ut, secundum Apostolum, sacerdotes carnem suam castigent, et in servitutem redigant (*I Cor.* IX) : et præcunte gratia, habeant per industriam quod non potuerunt habere per naturam. Hæc vestis Græce ποδήρης, id est talaris, appellatur, quia a collo usque ad talos extenditur : et ita est arcta, et membris corporis contemperata, ut sua forma testificetur sacerdotem nihil habere dissolutum, nihil remissum, sed ad omne opus bonum esse expeditum. Hæc eadem vestis circa renes zona fortius astringitur, ut castitas sacerdotis nullo incentivorum æstu dissolvatur. Quod bene significatur in quatuor coloribus, quibus zona illa variata erat, bysso, purpura, hyacintho et cocco. Quibus coloribus quatuor elementa significantur, quorum complexione natura constat humana, quorum distemperantia fluxus carnis generat, nisi medicinali cohibeatur continentia. Talium enim conjectores naturam, per byssum, quia de terra orritur, terram; per purpuram, quia sanguine cochlearum marinarum tingitur, aquam ; per hyacinthum, quia colorem sereni aeris imitatur, aerem ; per coccum, qui colore flammeo rutilat. significari ignem voluerunt. Quorum, ut dictum est, exuberantia in renibus maxime snperfluos humores, pravi humores illicitos motus generant, qui nisi freno parcimoniæ reprimantur, castitatis dignitas in eis facili impulsu periclitatur. Ubi autem major est pugna, major est adhibenda custodia. Inde est quod inter indumenta pontificalia adhuc circa renes applicantur linea feminalia, non tam ad velandam carnis turpitudinem, quæ jam solitis operta est vestimentis, quam propter signum castitatis conservandæ. Unde et Apostolus dicit : « Honesta nostra nullius egent. Quæ autem inhonesta sunt, his abundantiorem honorem circumdamus (*I Cor.* XII). » Feminalibus non utuntur novi sacerdotii pontifices, quibus est injuncta servandæ castitatis quotidiana necessitas, sicut est quotidie offerendi concessa potestas : cum pontifices umbræ servientes, expleta vice sua, feminalia sua solverent, tempore vicis suæ tamen ea induerent. Reliqua duo, poderis et zona, veteribus et novis sacerdotibus fiunt indumenta communia, quamvis zona nostrorum sacerdotum non sit quatuor intexta

A coloribus, aut propter penuriam materiarum, aut propter absentiam artificum, undecunque tamen sit, et hæc et illa unum gerunt temperantiæ typum. Sequitur quartum indumentum, tunica interior, vel hyacinthina, qua et in Veteri et in Novo Testamento soli utuntur pontifices. Duabus enim tunicis merito induitur pontifex, qui debet de thesauro suo proferre nova et vetera, id est, legem intelligere secundum litteram, quemadmodum ante adventum Christi observabatur, et secundum spiritum, quemadmodum post adventum Christi intelligitur. Unde et secunda tunica interior appellatur vel hyacinthina cujus color cœli serenitatem imitatur, ut per hoc intelligatur quia pontifex plus debet de cœlestibus cogitare quam de terrenis. Rectus quippe ordo est,
B ut primum studeamus munditiæ carnis, per quam veniamus ad munditiam cordis, quæ dos provehat ad intellectum divinitatis; juxta illud : « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (*Matth.* V). » Quinta vestis est superhumerale, quæ Hebraice vocatur ephot [ephod]. Hæc vestis sacerdotalis simul et pontificalis apud nos est ; apud Hebræos vero tantum pontificalis, et apud eos eisdem est variata coloribus, quibus et zona pontificalis, et de qua dicitur in ordinatione pontificis : « Et circumcinxit cum (de Moyse loquens) secundum facturam humeralis. » Humeri quippe fortes sunt ad agenda opera, et portanda onera, quæ ex circumductione humeralis, suis ligaturis constringuntur, quia pontificem et innocentia et operibus justitiæ oportet
C esse constrictum, ut in eo nihil inveniatur dissolutum, nihil remissum. Quod vero significant varii colores in zona idem significant in superhumerali : quia quidquid de terrenis operamur, sive in largitione, sive in restrictione temporalium totum sumimus ex contemperantia quatuor elementorum. Unde est, quod quaternarius decies ductus surgat in quadragenarium, quia elementorum quatuor abundantia legitime dispensata, quod significat denarius, ad verum perducit jubilæum, qui exhibitione acquiritur bonorum operum. Quadragenarius enim numerus partibus suis denominatis quinquagenarium facit. Quo numero in lege (*Levit.* XXV) supradictus jubilæus, id est remissionis annus, exprimitur, veram præfigurans libertatem, quam qui adeptus fuerit nullam timebit alterius servitutem. Huic
D bonorum operum significationi concinit, quod in humerali duobus pretiosis lapidibus **267** insculpta erant nomina duodecim patriarcharum, sex in uno, et sex in altero : quorum alter superpositus erat dextro humero, alter sinistro. Nihil horum vacat a mysterio. Senarius enim propter sui perfectionem, opera justitiæ significat ; momina patriarcharum, memoriam sanctorum quam semper in exemplum bonorum operum habere debemus a dextris et a sinistris, id est in prosperis et in adversis, significant. Et ideo illa nomina in lapidibus scribuntur, quia quod in lapide sculpitur vix aut nunquam inde aboletur. Nec illud vacat a mysterio, quod

pontifex cingitur secundum facturam superhumeralis, quia secundum opera sua unicuique retribuetur (*Matth.* XVI). Quod autem nostrorum pontificum superhumerale non est tot coloribus intextum, nec est tam pretiosis gemmis redimitum, nihil refert, cum Christiana religio veritati serviens, compendiosis figuris idem intelligi faciat, quod vetus observantia sumptuosis.

Postquam pontificis verenda velata sunt suis indumentis, postquam cœlestia jam cœpit meditari, postquam justitiæ operibus ornatus est, postquam utroque cingulo, ut in omnibus fortiter et perseveranter staret, confirmatus est imponitur rationale pectori pontificis, quod Græce logion dicitur, per quod sapientia, quæ in ratione consistit, indicatur. Imponitur rationali manifestatio et veritas. Manifestatio ideo, quia non sufficit pontifici habere sapientiam, nisi etiam possit manifestare quæ novit, et reddere rationem de ea, quæ in nobis est, fide et spe. Veritas vero, quia non debet pontifex de suo corde prophetare, sed ea tantum quæ veritas habet, manifestare. Sunt autem ad invicem concatenata rationale et humerale : quia cohærere sibi invicem debent ratio et opera, ut quod mentis ratione concepimus, opere impleamus. Et notandus est ordo rerum : quia non prius rationale, quam humerale ; quia non prius sapientia quam opera, sed prius opera, deinde sapentia. Unde habetur in psalmo : « A mandatis tui intellexi (*Psalm.* CXVIII). » Et de Domino Jesu dicitur : quæ cœpit Jesus facere et docere (*Act.* I). » Deinde non prius manifestatio, quam rationale : quia nemo docere debet quæ non novit. Huic ordini concordat propheta cum dicit : «Seminate vobis ad justitiam, et metite fructum vitæ, et illuminate vobis lunem scientiæ (*Ose.* X). » In hoc pectoris ornamento duodecim lapides inserti erant, duodecim patriarcharum nomina insculpta habentes : quia sanctorum Patrum exempla pontifex semper debet habere in memoria, et secundum ea moderari facta sua. In duodenario autem numero lapidum potest significari [figurari] apostolica doctrina : quia et ipsi lapides per quatuor ordines sunt distributi, et terni in singulis angulis rationalis positi. Quod apostolicæ doctrinæ bene congruit, quæ fidem Trinitatis per quatuor Evangelia in omni parte mundi prædicavit. Hic ornatus solius erat pontificis, sicut et nunc est apud eos, quibus eo uti concessum est propter distantiam majorum et minorum sacerdotum. Ita ornato pontifice, superponitur capiti ejus mitra, quæ alio nomine cidaris vel tiara vocatur, qua regnum quinque sensuum, quo præeminere pontifex debet, intelligitur. In capite enim usus habetur omnium corporalium sensuum quod cum bene regitur, caput viri, est Christus, decenter ornatur. Et quia caput Christi Deus est (*II Cor.* XI), lamina aurea superponitur cui insculptum est nomen Dei, quod Hebræi vocant Ineffabile : ut per hoc intelligatur, Deum sicut omnium conditorem, ita esse rectorem, et ad honorem et glo-

A riam ejus esse referendum quidquid a Domini sacerdotibus bene fuerit dispensatum. Hæc indumenta octo esse debere constituit Moyses in Exodo; sed in Levitico de eisdem indumentis tractans, de octavo, id est feminalibus, tacuit. Unde Hieronnymus in epistola ad Fabiolam, scribit : « Ubi refertur quomodo Moyses Aaron fratrem suum vestimentis pontificalibus induerit, de solis feminalibus nihil dicitur, hac, arbitror, causa : quia ad genitalia nostra et verenda lex non misit manum, quia ipsi secretiora monstra confessione digna tegere debemus et velare [et confusione digna regere et velare debemus], et conscientiam puritatis Deo judici servare. De cæteris vero virtutibus, fortitudine, justitia, humilitate, mansuetudine, liberalitate possunt et alii judicare : pudicitiam sola novit conscientia, et humani oculi certi B hujus rei esse judices non possunt absque his, qui passim in morem brutorum animalium in libididem feruntur. Unde Apostolus : « De virginibus autem « præceptum Domini non habeo (*I Cor.* VII). » Et in Evangelio cum Dominus de eunuchis voluntariis et non voluntariis ageret, addidit in fine : « Qui potest « capere, capiat (*Matth.* XIX). » Tanquam diceretur. Feminalibus eos vos non vestio, nec impono alicui necessitatem. Qui vult sacerdos esse ipse se vestiat, ipse se castitate muniat. Igitur ipsi assumamus feminalia, ipsi nostra verecunda [verenda] operiamus, non quæramus alienos oculos; ita tegantur genitalia, ut cum intramus Santa sanctorum, nulla appareat turpitudo, ne moriamur. »

Notandum vero est quod minoribus sacerdotibus C neque duplex tunica datur, neque humerale, neque rationale, neque lamina aurea, sed tantum poderis et mitra, et zona, qua stringatur tunica byssina. Funguntur tamen sacerdotio, sed non illa sublimitate, qua funguntur, qui omnibus octo indumentis decorantur. Novi quoque Testamenti sacerdotes non omnibus illis utuntur indumentis, quia nec duabus utuntur tunicis, nec rationali, præter solos pontifices : nulli autem lamina aurea, quia, sicut dicit B. Hieronymus id supra memorata epistola, « quod olim in lamina monstrabatur, nunc in signo crucis ostenditur. Auro enim legis sanguis Evangelii pretiosior est. »

Utuntur autem tunica linea, quæ poderis dicitur, vel talaris, quæ omnium figurat castigationem D membrorum et zona quæ tunicam stringit [succingit], qnæ dissolutam et remissam prohibet esse castitatem. Utuntur et superhumerali, per quod exiguntur opera justitæ a sacerdote, quia non sufficit temperantia, et a malo abstinentia, quæ superioribus duobus indumentis figurabatur, nisi opera justitiæ et misericordiæ subsequantur. Unde et in Psalmo dicitur: Desine a malo et fac bonum (*Psal.* XXXI; *I Petr.* III). Unde ipsum humerali poderi astringitur [affligitur]. Utuntur et stola, quæ alio nomine orarium vocatur, qua vetus sacerdotium non utebatur. Hoc tanquam jugum bobus arantibus vel triturantibus collo juxta humeros superponitur,

ut illud Evangelicum ab eis impleatur : « Tollite A jugum meum super vos, et discite à me, quia mitis sum et humilis corde : jugum enim meum suave, et onus meum leve (*Matth.* XI). » Hæc a collo per anteriora descendens, dextrum latus ornat et sinistrum, ut doceat sacerdotem per arma justitiæ **268** a dextris et a sinistris, id est in prosperis et adversis, debere esse munitum : quod ad fortitudinem pertinet, sine qua cæteræ virtutes facile expugnantur, et minime coronantur. Unde dicit Apostolus : « Patientia vobis necessaria est, ut reportetis repromissiones (*Hebr.* X). » Et in Evangelio Dominus : « Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* XXIV). » Inde est quod stola cum zona poderis quibusdam nexibus colligatur, quia virtutes virtutibus adjuvantur, ne aliquo tentationis impulsu moveantur. His omnibus indumentis B superponitur casula, quæ alio nomine planeta vocatur : quæ, quia communis est vestis, charitatem significat, quæ universis virtutibus superponitur, quia cæteræ virtutes nihil sine ea utile operantur. Unde dicit Apostolus : « Et adhuc excellentiorem viam docebo vos : Æmulamini charitatem (*I Cor.* XII). » Et quam inutiles absque ea sint cæteræ virtutes subsequenter approbatur, cum præcipuas virtutes scientiam scilicet linguarum, distributionem rerum propriarum, ipsum quoque martyrium sine ea nihil esse [valere] confirmat. Et ideo prudentiæ ponitur loco, quia plenitudo legis est dilectio (*Rom.* XIII), et quia mentibus bene compositis, divino cultui mancipatis, frequenter subrepit acedia, oportet ut ad eam frequenter detergendam, diligens C adhibeatur vigilantia, qua ab oculis cordis emergens talis sæpe mundetur pituita. Unde in sinistra manu ponitur quædam mappula, quæ sæpe fluentem oculorum pituitam tergat, et oculorum lippitudinem removeat. Hæc quippe ornamenta, ut dictum est, non sunt ipsæ virtutes, sed virtutum insignia, quibus tanquam scripturis admonentur utentes, quid debeant appetere, quid vitare, et ad quem finem sua facta dirigere. Adjiciendum est supradictis, quia levitæ et suo modo utuntur suprememoratis indumentis, idem significantibus, quod significant in presbyteris. Utuntur levitæ dalmatica, quæ propter sui latitudinem curam proximorum significat, quod significabat in presbyteris casula, quia utrorumque istorum ministrorum, ad implen- D dam dilectionem, eadem debet esse custodia.

Utuntur episcopi et cardinales presbyteri sandaliis, quæ calceamenta sunt prædicatorum. Habent autem ad terram [a terra] soleam integram, ne pes tangat terram. Supra vero constat ex corio, quibusdam loris pertuso, quia Evangelium non debet terrenis commodis inniti, nec omnia evangelica [ecclesiastica] sacramenta omnibus revelari, nec omnibus abscondi. Unde et Dominus discipulis ita dicebat : « Vobis datum est nosse myterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, ut videntes non videant, et audientes non intelligant (*Matth.* III. » Hanc sandaliorum significationem propheta intelligebat, quando dicebat : « Quam speciosi pedes annuntiantium pacem, evangelizantium bona ! » (*Isa.* LII ; *Rom.* X.)

Antequam induantur sandaliis, vestiuntur caligis byssinis vel lineis, usque ad genua protensis, et ibi bene constrictis, per quas significatur, quia debent rectos gressus facere pedibus suis, et genua debilia, id est negligentiis resoluta, roborare, et sic ad prædicandum Evangelium festinare. Unguntur præterea manus presbyteris et episcopis, ut cognoscant se in virtute sancti Spiritus hoc sacramento gratiam consecrandi accipere, et opera misericordiæ erga omnes pro viribus exercere debere. Episcopo vero specialiter caput ungitur, ut intelligat se esse illius vicarium, de quo dicitur in psalmo : « Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis (*Psal.* XLIV). » Accipiunt hac unctione claves regni cœlorum ut quæcunque ligaverint super terram, sint ligata et in cœlis, et quæcunque solverint super terram, sint soluta et in cœlo (*Matth.* XVIII), et quorum peccata detinuerint, sint detenta ; et quorum peccata dimiserint, sint dimissa (*Joan.* XX). His ita de ornatu sacerdotali et pontificali breviter prælibatis, admonendi estis, ut sicut sacramenta profunda audistis, sic ea studeatis et corde intelligere et opere implere. « Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores (*Rom.* I). » Potest enim unusquisque vestrum intra se regale habere sacerdotium et sacerdotales ornatus, si quem abluerit et mundum fecerit legis observatio, et si gratia baptismi et unctio chrismatis illibata permanserit, et si indutus duplicibus indumentis, litteræ scilicet et spiritus, fuerit, et si in his fortiter accingatur, ut sit castus mente et corpore ; si etiam superhumerali operum justificetur, si stola fortitudinis a dextris et a sinistris muniatur, si plenitudine scientiæ, quam planeta significat, cumuletur, potest, inquam, ita ornatus, intra Dei templum, quod ipse est, verum habere sacerdotium. Qui autem nec sacris vestibus induti, nec honestis moribus ornati, ad altare Dei accedere præsumpserint, sicut filii Aaron, Nadab et Abihu, igne alieno, quem offerebant ante Dominum, consumpti sunt (*Levit.* X) : ita isti non divina ordinatione, sed sua præsumptione sacerdotium sibi usurpantes, cum his, qui ad regales nuptias sine veste nuptiali intraverunt, æternis ignibus sunt cruciandi (*Matth.* XXII). Unde dicitur in Levitico : « Et dixit Dominus ad Moysen : Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne intret omni hora in sancta interiora, ut non moriatur (*Levit.* XV,) » Unde ostenditur, quod si inordinate intraret Sancta sanctorum, non præparatus, non indutus sacerdotalibus indumentis, non propitiato sibi prius Deo, morietur, et merito, tanquam qui non fecerit ea quæ oportet fieri, antequam accedatur ad altare Dei. Ad omnes enim nos pertinet, nos omnes instruit lex Dei ut sciamus quomodo debeamus accedere ad altare Dei, et offerre, scilicet ut deponamus vesti-

menta sordida, id est, carnis immunditiam, pravitatem morum, inquinamenta libidinum. Unde et in Exodo, cum enumerasset Dominus vestes, quibus induendus erat Aaron et filii ejus, adjunxit: « Vesties his omnibus fratrem tuum, et filios ejus cum eo, et cunctorum consecrabis manus, sanctificabisque illos ut sacerdotio fungantur mihi (*Exod.* XXVIII). « Sequitur : « Et utentur eis Aaron et filii ejus, quando ingredientur testimonii tabernaculum quando appropinquabunt ad altare, ut ministrent in sanctuario, ne iniquitatis rei moriantur (*ibid.*).» Ex his omnibus colligitur quanta sit dignitas sacerdotalis ministerii, et quanta esse debeat sanctitas ministrorum : quam qui habuerit, sacerdotii merito non carebit. Qui vero non habuerit, et sacerdotii officium usurpaverit, merito cum supra memoratis præsumptoribus interibit. Multa de sacerdotii dignitate, multa de indumentorum sacerdotalium mystica pulchritudine, vitantes prolixitatem sermonis, præterivimus : hoc intendentes, quia ad ædificationem morum, et ad utilitatem audientium ista sufficiunt.

269 SERMO IV.
De sacramentis dedicationis.

Quoniam ad dedicationem præsentis basilicæ hodie devote convenistis, oportet ut quod in his sanctis manufactis fieri videtis, totum impletum esse in vobis cognoscatis. Primo enim manibus patrinorum ad Ecclesiam fuistis allati, et sacerdotibus vel exorcistis ad cathechizandum oblati. Qui dum vos catechizarent, dum Christi legibus initiarent, de massa antiqua prævaricatione corrupta præcidebant : et ipsa fidei professio, et pravorum morum abrenuntiatio, quæ a vobis exigebatur, interiorem parturiebat in vobis novitatem, qua Christi imaginem de cœlo portaretis, renati per gratiam, sicut antea portaveratis imaginem terreni parentis, ex eo geniti per naturam. His documentis instructi, accessistis ad aquam, et fonte salutis abluti estis, ubi, secundum Apostolum, per trinam mersionem Christo consepulti estis, ut quemadmodum ipse semel carne est mortuus et resurgens ex mortuis, jam non moritur, ita vos a peccatis abluti, et prima resurrectione regenerati, morti animæ, id est peccato, non subjiciamini (*Rom.* VI). Deinde oleo sancto uncti fuistis in capite, ut charitas, quæ per Spiritum sanctum datur, semper abundet in corde, secundum illud verbum Sapientiæ : « Oleum de capite tuo nunquam deficiat (*Eccle.* IX).» Unde et Apostolus : « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis *Rom.* V), » Datus est tamen et idem Spiritus, cum aquis salutaribus ablueremini, sed ibi ad præteritorum criminum remissionem, hic vero ad ædificandam in cordibus vestris Dei et proximi dilectionem. Hæc charitas in Christi corpore non præfert indigenam alienigenæ, non nobilem ignobili, non virum mulieri, sed omnes per adoptionem spiritus facit filios, quicunque per eumdem Spiritum clamant : « Pater noster, di-
A mitte nobis debita nostra (*Matth* VI). » In hoc ergo Christi corpore ille solus habetur sublimior, qui fuerit in Dei amore potentior. Accepistis etiam oleum sanctum in pectore, ut vigeret in corde vestro sapientia. Accepistis et in humero dextro, ut in exercitiis bonorum operum indeficiens servetur patientia, neque aliquando noverit sinistra vestra, quid faciat [fecerit] dextera vestra. Quia vero in humeris vigor constat portandi oneris, hujus partis unctione Christi athletæ dedicati estis, ut sciatis vos ad certamen esse vocatos, et per totum vitæ vestræ cursum, contra antiquum hostem publicis et privatis congressionibus esse pugnaturos. Data est vobis ad ultimum vestis candida, caput et membra cooperiens, quæ candore suo figuram præferebat, acce-
B ptæ novitatis, et spem futuræ immortalitatis, ad quam de spe ad speciem venietis, si cum veste candida, id est, vitæ innocentia, ad nuptias regis intraveritis. His ergo sacramentis initiati et confirmati, facti estis templum Dei vivi fundati in fide, superædificati in charitate, cumulati spe de promissa æternitate.

His igitur de spirituali templo Dei breviter prælibatis, nunc ad ea quæ in his visibilibus templis aguntur sacramenta veniamus, et ea latius exponentes, prout Dominus donaverit, cum superioribus conferamus. Primo enim lapides, qui ad hanc fabricam ædificandam comportati sunt, aut de montibus sunt præcisi, aut de locis subterraneis eruti, aut de agris collecti. Adhibita est dehinc cæmentariorum
C manus, quæ tundente frequenter ferro, superjecta regula, scrupulositatem et informitatem lapidum complanaret, et ad debitam quadraturam, qua majores minoribus in paritate comparari possent, artis suæ disciplina perduceret. Videmus hæc in sancto Dei templo spiritaliter impleta, cum vos de omni genere hominum, sublimium, humilium, mediocrium, ad audiendum verbum vitæ convenistis, et cœlestis disciplinæ dolabro fortitudinem veteris vitæ deponere voluistis, ut in Dei ædificio tanquam perpoliti lapides ordinari possetis, ubi jam non aspernaretur nobilis ignobilem, dives pauperem, quem cognosceret secum in cœlis eumdem habere patrem. Addita est etiam complanatis lapidibus, cum in parietibus ad ordinem unius lineæ collocarentur, sicut nostris, cæmenti glutinosa tenacitas, quæ lapides invicem
D constringeret, et ab imposito sibi ordine separari non permitteret, quamvis alicubi major minori suppositus videretur, alicubi vero minor majore premeretur, et hoc in templo non manufacto fieri videmus, cum eos quos congregavit fidei unitas, ligat indissolubilis charitas, ne indignetur major de prælatione minoris ; ne conqueratur minor de correptione [correctione] majoris, cum dicat Apostolus : « Invicem onera vestra portate et sic adimplebitis legem Christi (*Gal.* VI).» Ædificato itaque templo, et quasi in unius lapidis formam cæmento constringente redacto, ut templum Dei nomen et honorem habere mereatur, ad commendandum baptismi sa-

cramentum, per quod in eodem templo novi populi creandi sunt, ipsum templum primum suo modo et suo ordine baptizamus, et deinceps multiplici sacramentorum sanctitate dedicamus. Primo itaque aquam benedicimus, cui et sal admiscetur. Aqua etenim pœnitentiæ figuram gerit, quæ velut aqua, peccatorum maculas abluit : quam tunc benedicimus, cum virtutem pœnitentiæ populis ad fidem venientibus prædicamus. Unde et Petrus quibusdam corde compunctis, in Actibus apostolorum dicit : « Pœnitentiam agitam, et baptizetur unusquisque vestrum (*Act.* II). » Cui admiscetur sal, id est Evangelica doctrina, fluxa auditorum corda suavi mordacitate [moderatione] constringens, et ad conservandam vitæ novitatem sapienter componens. Ista aqua ad quamdam baptismi imaginem gyrando ecclesiam tunc exterius aspergimus, quia ubi more baptizatorum non potest fieri trina mersio, necesse est ut qua possumus sacramenti similitudine trina fiat aspersio. Unam enim habet hanc significationem trina mersio, et trina aspersio, quia quidquid cogitatione, locutione et actione committitur, totum salutari fonte diluitur. Interim autem in circuitu dedicandæ ecclesiæ duodecim sunt accensa luminaria, quibus significantur, quod commendanda sit lucens et ardens apostolica doctrina. Sic cum templum a Salomone constructum, Domino jubente fuisset dedicatum, duodecim duces eadem munera detulerunt, sed ea singuli singulis diebus obtulerunt : hoc significante Spiritu sancto, quod in Ecclesiæ ædificatione doctrina, apostolica, unanimis et concors esset prædicanda, et tamen quæque gens suum prædicatorem **270** sortitura.

Ad singulos vero circuitus accedit pontifex ad ostium basilicæ, clero et populo subsequente, et percutit super liminare virga pastorali, cantando antiphonam : « Tollite portas, principes, vestras, et elevamini, portæ æternales (*Psal.* XXIII ; *Matth.* X ; *Marc.* VI.) » Virga enim pastoralis potestas intelligitur sacerdotalis, quam Dominus discipulis suis contulit, quando eos ad prædicationem mittens, nihil eos in via ferre nisi virgam tantum permisit. Qua virga , sancti sacerdotes et solantur humiles, et terrent superbos, et fueriunt impœnitentes. Quam potestatem a Patre Filius accepit, cum per humilitatem assumptæ humanitatis, cœlestium, terrestrium et infernorum dominatum accepit. Eamdem ergo potestatem Dominus suis largitus est præsulibus, cum Petro et in eo Ecclesiæ principibus, potestatem dedit, dicens : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam : quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis ; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis (*Matth.* XVI). » Cui ergo portæ inferi non prævalebunt, et cui ligandi atque solvendi in cœlo et in terra privilegium traditur, constat quia et cœlo et terræ et inferno principetur. Cum ergo pontifex super liminare futuræ ecclesiæ virga pastorali ter percutit, ostendit quia sibi cœli et terræ et inferi potestas ce-

A dit. Unde et post trinam percussionem ostium aperitur, quia sacerdoti potestatem suam indigne conservanti, pars adversa resistere non potest. Nam ipsa ecclesia, antequam pontifex eam ingrediatur, populi ignorantis, et perfidiæ tenebris inclusi figuram tenet. Hujus populi ignorantis typum gerit, qui intus admonitionem pontificis quasi admirans, interrogat : « Quis est iste rex gloriæ ? » (*Psal.* XXIII.) Imperat autem pontifex dæmonibus seu vitiis, dicendo : « Tollite portas, principes, vestras (*ibid.*), » ut tollant portas suas, quatenus portæ cœlestes, id est virtutes elevantur, per quas introeat rex gloriæ. E contrario portæ mortis sunt peccata. Unde et Propheta gloriatur in Domino : « Qui exaltas me de portis mortis (*Psal.* IX). » Sunt autem portæ, quæ B elevantur in ecclesia maxime tres, id est sacri verbi prædicatio, baptismi gratia, chrismatis honor [unctio], per quas rex gloriæ ad corda eorum qui ad fidem veniunt, intrat. Aperto vero ostio, intrat pontifex cum clero et populo, dicens : « Pax huic domui (*Matth.* X) : » ter, quia Christus mundum ingrediens per assumptionem carnis nostræ parietem inimicitiarum peccatis nostris erectum, destruxit, et pacem inter Deum et hominem, inter terrestria et cœlestia sui adventus mediatione reformavit. Pontifex ergo ecclesiam ingrediens, pax huic domui, clamat, quia sancti doctores hoc intendunt, ut populus qui a Deo discordaverat per peccata, ei reconciliaretur per bonorum operum exercitia. Quod vero, intrante pontifice ecclesiam, clerus, sacerdos et levitæ prostrati in terram, ad Dominum clamant, C pro sanctificatione ipsius domus. Hoc est quod Dominus ante passionem fecit, pro discipulis et cæteris fidelibus orans : « Pater sanctifica eos, quos mihi dedisti (*Joan.* XVII). » Ita enim Paulus tanquam ecclesiam ingressus, cohortatur omnes ad orationem, dicens : « Obsecro primum omnium fieri orationes, postulationes, pro omnibus hominibus, et cætera (*I Tim.* II). »

Pontifex ergo dum in novam ecclesiam, eam sanctificaturus, ingreditur, et statim ad orationem se confert, Apostoli vocem complet, qui primum omnium pro omnibus hominibus orationem fieri monet ; et ita adhuc eorum typum tenet, qui rudem populum docere incipiunt. Inde est quod surgens ab oratione, nondum salutat populum, dicendo : D Dominus vobiscum ; sed tantum ad orationem cunctos hortatur, quia novellus populus necdum sacerdotis salutatione dignus videatur. Orandum ergo est pro talibus, qui nondum initiati sunt, non tamen salutandi sunt, qui non eis consentiendum, vel applaudendum. Unde ipsis prædicatoribus Dominus dicit, « ut neminem salutent in via (*Luc.* X) ; » id est, neminem transitoria appetentem vana spe demulceant. His completis, incipit pontifex de sinistro angulo ab oriente scribere per pavimentum alphabetum, usque in dextrum angulum occidentis ; atque iterum a dextro angulo orientis usque in sinistrum angulum occidentalem basilicæ. Quid autem per al-

phabetum, nisi initia et rudimenta doctrinæ sacræ intelligi convenit ? Unde Paulus ad Hebræos : « Cum deberetis esse magistri propter tempus, rursum indigetis ut instruamini quæ sint elementa sermonum Dei (*Hebr.* v). » Scribit etiam pontifex quasi alphabeti ordinem, cum docet fidei simplicitatem. Nam sicut parvulorum convenit eruditioni, primum litterarum elementa cognoscere, deinde ad syllabas, ac per verba paulatim ad sententiarum [cognitionem pervenire, sic sunt quidam gradus intellectus in eruditione sanctæ Ecclesiæ. Quod vero ab angulo orientali sinistro in occidentalem dextrum prior versus desinit, et rursus ab angulo orientali dextro versus, revertitur in sinistrum occidentalem, duplici figuræ adgaudet. Quarum prima est, quia in tali schemate crux figuratur, ut doctrinæ evangelicæ, qua simplices imbuendi sunt, mors Christi principaliter inferatur. Unde Paulus Corinthiis adhuc rudibus ita dixit : « Nescivi me scrire aliquid inter vos, nisi Christum Jesum, et hunc crucifixum (*I Cor.* II). » Sinister autem angulus orientalis, a quo primus versus incipit populus intelligitur Judaicus, ex quo ortus est Dominus. Pervenit autem usque in angulum occidentalem, quia cum Dominus noster ex Judæis sit ortus, fides incarnationis ejus et mortis, a gentibus est suscepta. Sed cum idem versus ab angulo orientali dextro, revertitur ad angulum occidentalem sinistrum, hoc significari videtur, « cum plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israel salvus erit (*Rom.* XI). » Utriusque ergo populi collectionem illi duo versus significant in unam crucis compaginem. « Hinc est quod Jacob filiis Joseph benedicens, et cancellatis manibus effigiem crucis faciens, dextram manum supra Ephraim junioris, sinistram super caput Manasse majoris posuit (*Gen.* XLVIII), » significans quia populus quondam dexter, in sinistrum vertetur, sinisterque in dextrum.

Quod vero eadem scriptura virga pastorali peragitur, significatur quod iste transitus de Judæis ad gentes, et ea denuo conversio quæ in finem mundi consummanda est, per officium sacerdotum perficietur. Dehinc pontifex ad altiora conscendit, et stans ante altare, Deum sibi in adjutorium invocat, veluti jam incipiens operari. Nam præterita quasi quædam proœmia fuerunt. Dicit ergo : « Deus, in adjutorium meum intende, » et cætera absque [usque ad] Alleluia. Hæc enim vox est in hac vita laborantium, et contra hostes visibiles et invisibiles colluctantium, et ideo Deum in suum adjutorium invocantium. Nedum tamen laudibus Dei alleluia adjungunt, quia adhuc in laboribus et sudoribus se esse conspiciunt. **271** Alleluia enim non hujus temporis laudes, sed æternæ vitæ gloriam significat : unde mos inolevit, ut in diebus Septuagesimæ ante Pascha Alleluia non cantetur, quia sunt dies luctus, et pœnitentiæ.

Pontifex ergo qui cum subditorum imperitia et contradictione adhuc certat, adjutorium quidem Dei postulat, Alleluia nondum cum eis pleniter cantat, A de quorum salute nondum pleniter sperat. Postea vero benedicitur aqua commisto sale et cinere. Et aqua quidem significari populum testatur Apocalypsis, dicens : « Aquæ multæ, populi multi (*Apoc.* XVII). » Sal autem doctrinam verbi divini signat. Unde in lege præcipitur : « In omni sacrificio sal offeres (*Levit.* I) ; » nec auferes sal fœderis Domini Dei tui de sacrificio ejus. Quod est dicere : Non placent Deo illa opera, quæ non condiuntur divina sapientia. Cinis autem reliquias, id est, memoriam signat Dominicæ passionis, quam significabat cinis vitulæ aspersus, ad expiationem populi. Aqua ergo benedicitur, ut sanctificetur. Sal cum cinere miscetur, cum populus ut sanctificari possit divina sapientia [scientia] et fide Dominicæ passionis, instruitur. B Fit autem crux ter super aquam et sale et cinere, cum fidei divinitatis et passionis, fides additur Trinitatis.

Huic ergo misturæ et vinum additur cum aqua. Quæ duo geminam naturam significabant in una persona, divinitatem scilicet et humanitatem. Et est ordo intuendus. Primum pontifex ostium intrat [aperit] ; deinde pro populo orat, post hoc alphabetum scribit ; inde aquam cum sale et cinere benedicit, cui vinum admiscet, quia unusquisque primum sibi per confessionem portam salutis aperit, deinde est sacerdotis pro eo orare, post hoc primordia fidei ei tradere, et quasi catechumenum facere, deinde instrui, qualiter jungi possit corpori sui Salvatoris per sacram doctrinam, docere etiam, quia Christus Jesus Deus et homo, postremo, sacro C fonte purificari. Hoc idem significatum est in exteriori parietum aspersione, sed non ideo hic fieri ad interiorem parietum aspersionem, supervacuum videri debet, quia quidquid in exteriori sanctificatione agitur, superstitiosum est, nisi interiori homine compleatur.

Post hæc tingit sacerdos digitum in aqua, et facit crucem per quatuor cornua altaris. Altare enim Ecclesiæ figuram præfert, quod per quatuor cornua distenditur, quia per quatuor mundi cardines dilatatur. Pro cujus typo Abrahæ dictum est : « Dilataberis usque ad orientem et occidentem, septentrionem et meridiem (*Gen.* XXVIII). » Bene ergo crux de aqua fit per quatuor altaris cornua, ut ostendatur omnem Ecclesiam esse mundandam a sordibus peccatorum D per lavacrum aquæ et fidem passionis. Inde venit ante altare, et aspergit illud septem vicibus. Quo numero significatur plenitudo Spiritus sancti, id est, « spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis, et spiritus timoris Domini (*Isa.* XI). » Aspergitur autem eadem aqua cum hyssopo, quæ herba est humilis, interiora pectoris purgans, et duritiam saxorum radicibus penetrans, cujus aspergine munditiæ fiebant in lege. Significabat autem humilitatem Christi, qui superbiæ nostræ tumores sui sanguinis aspersione sanavit. Aqua ergo cum hyssopo spargitur, cum baptismus Christi sanguine consecratus Ecclesiæ

tribuitur. Circuit autem altare, spargendo eamdem aquam,ut ostendat doctorem non debere otio vacare, sed eorum quos initiaverit mundationi operam dare et ut Dominus mittat angelum in circuitu eorum, qui eos erudiat [eripiat], semper orare.

Circuit dehinc totam ecclesiam et aspergit parietes illius, ut demonstret se omnem curam impendere omni ætati, omni sexui. Facit autem secundo et tertio,ut ostendat eos, qui baptizantur, non solum esse mundandos a peccato cogitationis, sed etiam locutionis et operis.Canitur autem interim psalmus: « Exsurgat Deus (*Psal.* LXVII), » cum antiphona, ut viribus destituantur qui sacramentis fidei adversantur.Cantant etiam antiphonam : « Qui habitat in adjutorio Altissimi (*Psal.* XC), » asserentes nullum a Deo protegi nisi eum, qui de viribus suis nihil præsumens, Dei adjutorium semper imploraverit. Ipse tamen pontifex non debet quiescere, sed quasi conspicuus per mediam Ecclesiam incedere,omnes suo exemplo informare, omnibus sacramenta crucis ac mortis Domini intimare, et cantare, « Domus mea domus orationis vocabitur (*Isa.* LVI ; *Matth.* XXV), » videlicet, ut talem Ecclesiam præparet,quæ non sit spelunca latronum,sed domus orationis ; id est,non fures et latrones,sed qui benedicant Dominum omni tempore ; qualiter versum subsequentem possit libere cantare, « Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te (Psal. XXI). » Hæc tunc bene pontifex agit, cum omnia bona quæ inchoat, per Dei consilium consummari postulat.

Unde his peractis, pontifex se ad orationem confert, ut omnes,qui eamdem domum oraturi intraverint exauditos se esse gaudeant, ut ostendat pontifex se omnium subditorum curam cum Paulo gerere, et eorum memoriam se in orationibus suis frequentare (*II Tim.* I). Completa expiatione, pontifex convertitur ad altare, incipiens antiphonam : « Introibo ad altare Dei (*Psal.* XLII), » cum psalmo,et fundit quod remansit de aqua purificationis,ad basim altaris,quia quod ipse nequit, Domino humiliter committit,purgationem scilicet subditorum,cui ipse tanquam homo cooperari et collaborare potest :interior autem et perfecta mundatio, solius est Dei. Hinc est, quod in sacrificiis veteris Testamenti,sanguis hostiarum vel in cornibus altaris ponebatur,vel ex aliquibus hostiis digito sacerdotis contra Dominum aspergebatur, et quod reliquum erat,ad basim altaris fundebatur. Quia sacerdotum est, quidquid possunt, ad utilitatem gregis sibi commissi facere ; quod autem vires suas excedit, Domino devotissime commendare. Quam formam prius pastor pastoribus reliquit, cum passioni appropinquans, Patri dixit : « Pater, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi (*Joan.* XVII).» Sic et Paulus in articulo vitæ præsentis, quasi ad basim altaris aquam fundens, discipulos Domino commendabat,dicens : Et nunc commendo vos Domibo,et verbo gratiæ ejus. Quod etiam innuit an-

A tiphona,dicit enim se introiturum ad altare Dei, id est ad illud altare,quod significatur per istud visibile ad quod non penetrat oculus carnis sed pura intentio mentis ;et hoc est quod sequitur, « ad Deum qui lætificat juventutem meam (*Psal.* XLII).» Postea extergitur altare linteo : linum enim de terra ortum, magno labore ad candorem perducitur. Ita caro Christi orta de terra, id est B. Maria Virgine, per angustias passionis pervenit ad honorem resurrectionis.Doctor itaque quasi linteo altare detergit, cum imitationem Dominicæ **272** passionis auditorum mentibus imprimit, dicens cum Apostolo : « Christus passus est pro nobis vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia ejus (I *Petr.* III). »

B Dum ergo doctor talia facit,quasi altare madidum labore humanitatis,abstergit linteo Dominicæ imitationis. Deinde fit incensum [offert incensum], quod significat orationis sanctorum, secundum quod Joannes dixit de angelo, quod « data sunt ei incensa multa,ut daret de orationibus sanctorum super altare (*Apoc.* VIII), » quod est in conspectu Domini. Post effusionem ergo aquæ ad basim altaris, extergitur altare linteo, et offertur incensum, quia necesse est ut sacerdos, qui salutem populi sibi commissi Domino commendat, et per afflictionem corporis et per intentionem illud agat piæ intercessionis.

Unde et Dominus,postquam discipulos Patri commendavit,mox subiturus passionem pro ipsis oravit (*Joan.* XVII). Interea mittit pontifex oleum super
C altare in medio altaris crucem ex eo faciens,et super quatuor angulos altaris. Est quidem satis congrue ordo servatus, ut post emundationem per aquam, et reliqua quæ dicta sunt,perfundatur oleo altare,quia et sancta Ecclesia prius aqua mundatur in fonte baptismatis, et sic unctione insignitur per manus pontificis,ut Spiritus sancti in se mereatur adventum.Nam oleum gratiam significat Spiritus sancti (*Rom.* V), quo charitas diffunditur in cordibus electorum ad diligendum Deum et proximum.

Dehinc insignitur altare sacrosancti chrismatis unctione,et interim cantatur antiphona : « Unxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis (*Psal.* XLIV), » ut hac unctione intelligamus plenitudinem gratiæ, quæ præcessit in capite, et postea refulsit
D in corpore, cum misso desuper spiritu, data est apostolis manifesta chrismatum gratia,de qua dicit Apostolus : « Omnes de plenitudine ejus accepimus, gratiam per gratiam [pro gratia] (*Act.* II ; *Joan.*I).» id est,per gratiam fidei diversa chrismata.Hinc est, quod de consecrato altari chrismantur in parietibus illæ duodecim cruces,quæ typum gerunt apostolicum,qui et primitias spiritus acceperunt, et crucis mysterium populis et gentibus manifestare studuerunt.Peracta denique consecratione,albis velaminibus cooperitur altare,quibus et sacramentum intelligitur novitatis, et prænuntiatur, sicut, cum de baptizatis loqueremur dictum est, gloria futuræ

incorruptionis. Hujus enim templi non manufacti tunc vera et plena erit consecratio, cum passibile hoc induerit impassibilitatem, et mortale hoc acceperit immortalitatem, et completum fuerit in corpore, quod jam præcessit in capite.

Unde in psalmo, qui jam intitulatur: In dedicatione domus, ex voce mediatoris tam pro se, quam pro membris suis, ita continetur: «Convertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia (*Psal.* XXIX).» Planctum, dicit mortalitatem nostram, quæ tandiu deflenda est, quandiu peregrinamur a Deo; et differtura nobis visio pacis, qua perfruentur, quibus suave est dolere in doloribus et ærumnis hujus vitæ, et ad æternæ vitæ gaudia suspirare. Hic planctus, hic dolor in gaudium vertitur (*ibid.*), cum ad patriam, a qua nunc exsulamus, peracta peregrinatione, pervenitur. Unde et sequitur: «Conscidisti saccum meum (*Matth.* XXV).» Saccus quippe ex lanis caprarum et hædorum contexitur. Hœdi vero quia petulca animalia sunt, pro peccatoribus in Scriptura ponuntur. Saccus ergo noster conscinditur cum passibilitas et mortalitas humanæ naturæ de peccato veniens, in immortalitem commutatur, et lætitia incommutabilis, de reparata immortalitate commutatur, et hoc est, quod sequitur, « Ut cantet tibi gloria mea (*Psal.* XXIX), » cui suspirabat et flebat miseria mea: « et non compungar (*ibid*), » quia deleto in carne peccato, non punget conscientiam spina peccati, quæ tanto esset in recordatione tristior, quanto fuisset perpetratione jucundior: « Domine Deus meus, in æternum confitebor tibi (*ibid*); » id est, æternas laudes de sempiterna gloria reddam tibi. « Beati enim qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te (*Psal.* LXXXIII).» Huic tam jucundæ tamque festivæ dedicationi gaudens festivusque intererit, qui in hoc templo manufacto, accepta veste nuptiali templum Dei, quod ipse est sanctum inviolatumque usque ad hanc æternam inviolabilemque dedicationem custodierit. His igitur breviter declaratis, fraternitatem vestram commonemus, ut quod aure audistis, corde credatis, et opere implere studeatis, præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO V

Sive opusculum de convenientia veteris et novi sacrificii.

Beneficia, quæ pro salvandorum reconciliatione Salvator in terris exhibuit, longe ante patriarcharum ænigmatibus præsignata, prophetarum visionibus et oraculis prænuntiata, ex parte commemorare proposui; quæ licet Ecclesia Dei suis temporibus annua celebritate recordetur, in quotidianis tamen missarum sacramentis, eadem pia devotione commemorat, ut per fiduciam exhibitorum, fideliter [sedenter], interpellat mediatorem, vel ad impetrandam indulgentiam commissorum, vel ad consequendum præmia meritorum. Hæc, inquam, ex A parte commemorare proposui, quia cuncta colligere et vires meas excedit, et fastidiosis auditorum mentibus non expedit. Quæ autem dicturus sum, ad hoc intendunt, ut mediante ecclesiastica [evangelica] veritate pateat, qualiter conveniant vetera sacramenta cum novis, cum Ecclesia eadem sacramenta qua potest imitatione, ex Evangelica traditione sacro ritu honorat, et testificatur esse præteritum, quod vetera sacramenta prænuntiavere venturum. Colligamus ergo aliqua necessaria de veterum libris, quæ Christum et Ecclesiam præloquuntur, ut cum ea in Christi Nativitate, Passione, Resurrectione, Ascensione, et Spiritus sancti missione completa viderimus, tunc facilius utrorumque sacramentorum concordiam intelligere possimus, B cum quod illa futurum fatentur, hæc prout Dominus instituit, imitentur. Quæ ergo diximus, appositis testimoniis, ostendamus, ut primo umbram cum veritate consonare videamus.« Ac primo veniat Moyses in medium, in rubo succenso, et non combusto, cum Deo loquens (*Exod.* III). » Quo facto figuratur, quia de populo Judaico peccatorum spinis obsito, ille erat exiturus, qui in igne Deitatis, carnis nostræ peccata, quasi rubi spinam acciperet, et inconsumptam nostræ humanitatis substantiam, etiam in ipsa divinitatis flamma servaret. Item apud eumdem virga Aaron, quæ post ariditatem **273** floruit et nuces protulit, (*Num.* XVII), Christus est, qui nullo extrinsecus infuso humore, de carne virginis genitus, amaritudinem passionis in carne tanquam in cortice pertulit, et sanctorum mentes internæ dulcedinis suæ C gustu, tanquam nuclei dulcedine pascit.

Dehinc in libro Judicum, quid in vellere Gedeonis compluto intelligitur (*Judic.* VII), nisi quod psalmus de Christi nativitate prædixit: « Descendet sicut pluvia in vellus (*Psal.* LXXI). » Christum significans virgineis visceribus se cœlitus infudisse sine strepitu, sine carnis corruptione; quippe qui matris viscera non vulneravit, sed mundando sacravit. Hæc de multiplicis futuræ Christi nativitatis velut oraculis, pauca huic opusculo inseruimus. Nunc ad ipsa prophetarum præconia veniamus, præteritis signis, et evangelicæ veritati consonantia, quibus prænuntiatum est, Christum de virgine nasciturum, et novum testamentum, et novum sacerdotium Judæis et gentibus allaturum. Primus D enim Moyses dicit: Prophetam suscitabit vobis Deus ex fratribus vestris: ipsum audietis tanquam me (*Deut.* XVII). » Quod ipse Christus in principio Verbum sit, et Deus apud Deum, testatur psalmus, dicens: « Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi (*Psal.* XLIV). « Et alius psalmus « Verbo Dei cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum (*Psal.* XXXII). » Quod idem Christus Dei Filius, Dei sit sapientia, et de sacramento incarnationis ejus, passionis, et calicis et altaris et apostolorum, qui missi prædicaverunt apud Salomonem legitur in Parabolis: « Sapientia ædificavit sibi domum, et subdidit columnas septem;

mactavit hostiam suam, et miscuit in cratere vinum suum, et paravit mensam suam, et misit servos suos, convocans cum excelsa prædicatione ad craterem dicens : Qui est insipiens, declinet ad me; et egentibus sensu dicit : Venite, edite de panibus meis, et bibite vinum, quod miscui vobis. Derelinquite insipientiam, et quærite prudentiam, et corrigere scientiæ intelligentiam (*Prov.* IX). » Quod Deus venturus esset illuminator generis humani et Salvator, apud Isaiam : « Consolamini, pusillanimes, nolite timere : Deus judicium retribuet ipse veniet, et salvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum audient [patebunt] (*Isa.* XXXV). »

Quodque cum esset a principio Dei Filius, generationem denuo habiturus esset secundum carnem, ita habetur in psalmo : « Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te (*Psal.* II). » Item quod nasciturus esset de virgine, apud Isaiam : « Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel (*Isa.* VII). » Item quod Christus Deus et homo, ex utroque genere sit concretus (1), ut mediator esse posset inter nos et Patrem, apud Jeremiam : « Et homo est, et quis cognoscet eum ? (*Jer.* XVII.) » Item in Numeris : « Orietur stella ex Jacob, et consurget homo de Israel (*Num.* XXIV). » Item ibi, procedet homo ex semine ejus, et dominabitur gentium multarum, et exaltabitur et augebitur regnum ejus. Item apud Isaiam : « Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, evangelizare pauperibus misit me (*Isa.* LXI). » Item apud Isaiam : « Et exiet virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis et replebit eum spiritus timoris Domini (*Luc.* XXIV; *Isa.* XI). » Item in psalmo CXXXI : « Juravit Dominus David veritatem, et non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. » Quod esset in Bethlehem nasciturus, apud Michæam : « Et tu, Bethlehem Effrata, nunquid exigua es in millibus Juda? Ex te mihi procedet qui sit princeps apud Israel; et egressus ejus a principio, a diebus sæculi (*Mich.* V; *Matth.* II). »

In hunc modum multa de veteribus scripturis colligi possunt, quæ temporalem Christi nativitatem præloquuntur, et confirmandæ veritati evangelicæ contestantur. Quod vero in adventu Christi circumcisio carnalis evacuanda esset, et spiritalis successura, Moyses dicit : « In novissimis diebus circumcidet Deus cor tuum et cor seminis tui, ad Dominum Deum tuum amandum (*Deut.* XXX). Item apud Jesum Nave : « Et dixit Dominus ad Jesum : Fac tibi cultellos petrinos nimis acutos, et circumcide secundo filios Israel (*Jos.* II). » Item apud Jeremiam : « Hæc dicit Dominus : Viri Juda, et qui inhabitant

A Jerusalem, renovate inter vos novitatem, et ne seminaveritis in spinis : circumcidite vos Deo vestro, et circumcidite præputia cordis vestri ne exeat sicut ignis ira mea, et non sit qui exstinguat (*Jer.* IV). » Quod lex prior, quæ per Moysen data est, cessatura esset, apud Isaiam : « Tunc manifesti erunt, qui signant legem, ne discant, et dices, exspecto Dominum, qui evertit faciem suam a domo Jacob, confirdens [fidens] ero in eum (*Isa.* VIII). » Quod lex nova danda esset, apud Michæam : « Lex de Sion proficiscetur, et sermo Domini de Hierusalem, et judicabit plurimos populos (*Mich.* IV). » Item apud Isaiam : « De Sion procedet lex, et verbum Domini de Hierusalem, et judicabit inter gentes (*Isa.* I). » Item apud Jeremiam : « Ecce dies venient, dicit B Dominus, et consummabo super domum Israel, et super domum Juda testamentum novum, non secundum testamentum quod disposui patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti (*Jer.* XXXI). » Quod sacrificium vetus expelleretur [evacuaretur] et novum celebraretur, apud Isaiam dicitur : « Quo mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum, dicit Dominus? Plenus sum holocaustomate arietum et pinguedine agnorum, et sanguinem taurorum et hircorum nolui, (*Isa.* I). » Item apud Malachiam : « Non est mihi voluntas circa vos, dicit Dominus, et sacrificium acceptum non habeo de manibus vestris, quoniam a solis ortu usque in occasum clarificatum est nomen meum apud gentes, et in omni loco odores incensi C offeruntur nomini meo, et sacrificium mundum, quoniam magnum est nomen meum apud gentes (*Mal.* XLI). » Item in psalmo centesimo undecimo [CIX] : « Ante Luciferum genui te : Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. » Item in libro Regum dicit Dominus Deus ad Heli sacerdotem : « Suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui omnia quæ sunt in corde meo, faciet, et ædificabo ei domum fidelem et transibit in conspectu Christorum merum diebus omnibus. Et erit qui remanserit in domo veniet adorare in obolo pecuniæ, et pane et vino (*I Reg.* II).

His locutionibus propheticis de Christi nativitate et prædicatione, et apostolorum **274** missione, et sacerdotii mutatione præmissis, addamus aliqua de D eisdem auctoribus prolata, Christi passionem et resurrectionem præloquentia. Inseramus etiam principalia veterum sacrificia, quæ in exteriori tabernaculo offerebantur, in idipsum consonantia, ut deinceps commodius aptare possimus sacerdotio veteri et evangelicæ veritati nostra sacramenta. Primo itaque Genesi morte Abel (*Gen.* IV), mors Christi figuratur : quia sicut ille a fratre majore occiditur in campo, ita Christus caput minoris populi natu, a

(1) Non de naturarum confusione et commistione, quod est nefandum Eutychis dogma, sed de personarum unitate, hæc contra Nestorium accipiantur, ut Christum unam in divinitate et humanitate personam, ex utroque genere concretum esse, hoc est, constare ex divinitate et humanitate, hoc est, Deum et hominem esse, dicere voluerit, inconfusa Dei et hominis substantia permanente.

Judaico populo majore natu occiditur in Calvariæ loco. Item in Genesi, quis per immolationem filii significabatur in Abraham, nisi Pater excelsus? Quis in Isaac, nisi Christus? (*Gen.* XXII) Nam sicut Abraham unicum filium suum et dilectum, victimam Deo obtulit, ita Deus Pater proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum (*Rom.* I), et sicut Isaac ligna sibi portavit, in quibus erat imponendus, ita Christus portavit lignum crucis suæ in humeris, in qua erat crucifigendus (*Matth.* XXVII). Asinus autem, qui in hæc portabat, insensata est stultitia Judæorum, quæ portabat omnia nostra sacramenta, et nesciebat. Sed quid significat aries in vepribus hærens cornibus, nisi Christum, qui et ovis dicitur, cujus caro, intacta divinitate, cruci affigitur? inter spinas enim Judaicorum peccatorum suspensus est. Quem Samson in libro Judicum præfigurabat, qui in Gaza civitate Philistinorum clausus, et diligenti custodia circumpseptus, media nocte portas tulit, et non solum liber exiit, sed etiam montis verticem ascendit? *Gen.* XXII.) Hoc facto quem significabat nisi Christum, qui ante lucem resurgens, non solum de inferno liber exiit, sed et ipsa inferni claustra destruxit, et cœlorum alta penetravit? Quod humilis in primo adventu suo veniret, apud Isaiam: « Domine, quis credidit auditui nostro? Et brachium Domini cui revelatum est? » (*Isa.* LI). Annuntiavimus coram ipso sicut pueri, sicut radix in terra sitienti: non est figura ei, neque claritas; et vidimus illum, et non habuit figuram neque speciem, sed figura ejus sine honore, et deficiens præter cæteros homines: homo in plaga positus, et sciens ferre imbecillitatem, quia aversa est facies ejus, inhonoratus est, et non est computatus.

Hic peccata nostra portat; et pro nobis dolet, et nos putamus esse illum in dolore et in plaga, in vexatione; ipse autem vulneratus est propter facinora nostra, et infirmatus est propter peccata nostra, doctrina pacis nostræ super illum; livore ejus sanati sumus, omnes sicut oves erravimus. Homo a via sua erravit, et Dominus tradidit illum pro peccatis nostris, et ipse propterea quod vexatus est, non aperuit os suum. Item apud eumdem dicit: Non sum contumax, neque contradico, dorsum meum posui ad flagella, et maxillas ad palmas: Faciem autem meam non averti a fœditate sputorum, et fuit Deus auxiliator meus.

Quod ipse sit justus judex, quem Judæi occisuri essent, in sapientia Salomonis dicitur: « Circumveniamus justum quoniam insuavis nobis, et contrarius est operibus nostris, et exprobrat nobis peccata legis; promittit se scientiam Dei habere, et Filium Dei se nominat; factus est nobis in traductionem [contradictionem] cogitationum nostrarum: gravis est nobis ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, et mutatæ sunt viæ ejus. Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo; continet se a viis nostris tanquam ab immunditiis, et præ-

A fert novissima justorum, et gloriatur se habere Patrem Deum. Videamus ergo si sermones illius veri sint, et tentemus quæ ventura sunt illi; contumelia et tormento interrogemus eum, ut sciamus reverentiam illius, et probemus patientiam illius; morte turpissima condemnemus eum. Hæc cogitaverunt, et erraverunt. Excæcavit enim illos malitia ipsorum, et nescierunt sacramenta Dei (*Sap.* II). »

Quod ipse dictus sit ovis et agnus qui occidi deberet, et de sacramento passionis, apud Isaiam, « Sicut ovis ad victimam [ad occisionem] ductus est, et sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum (*Isa.* LIII). » In humilitate judicium ejus sublatum est. Nativitatem autem ejus
B quis enarrabit? Quoniam auferetur a terra vita ejus. A facinoribus populi mei adductus est ad mortem, et dabo malos pro sepultura ejus, et ipsos divites pro morte ejus, quia facinus non fecit, neque insidias ore suo: propterea ipse consequetur multos, et fortium dividet spolia; propterea quod tradita est ad mortem anima ejus, et inter facinorosos deputatus est; et ipse peccata multorum tulit [pertulit] et propter facinora illorum est. Item apud Jeremiam: « Domine, significa mihi, et cognoscam. Tunc vidi meditationes eorum. Ego sicut agnus sine malitia, perductus sum usque ad victimam; in me cogitaverunt cogitatum, dicentes: Venite, mittamus lignum in panem ejus, et eradamus a terra vitam ejus, et nomen ejus non erit in memoria amplius (*Jer.* XI). » Item in Exodo Dominus ad
C Moysen: « Accipiant sibi singuli ovem per domus tribuum, ovem sine vitio, perfectum, masculum, anniculum ab agnis et ab hædis accipietis: et occidet eum omne vulgus Synagogæ filiorum Israel ad vesperam; et accipient de sanguine, et ponent super duos postes et super limen in domibus, in quibus comedent carnes ipsa nocte assatas igni: et azyma cum pigidiis [pigridiis] edent. Non edetis ex eis crudam, nec coctam in aqua, nisi assatam igni. Caput cum pedibus et intestinis vorabitis, nihil derelinquetis ex his in mane, et os non confringetis ex eo: quæ autem relicta fuerint de eo usque in mane, igne crementur. Sic autem comedetis eum: Lumbi vestri præcinti, calceamentaque vestra in pedibus vestris, et baculi vestri in manibus vestris:
D et edetis eum festinanter. Pascha enim est Domini (*Exod.* XII). »

Quod cruci illum fixuri essent Judæi, apud Isaiam « Expandi manus meas tota die ad plebem contumacem, et contradicentem mihi, qui ambulant vias non bonas, sed post peccata sua (*Isa.* LXV). » Item apud Jeremiam: « Venite, mittamus lignum in panem ejus, et eradamus a terra vitam ejus *Jer.* XI). » Item in Deuteronomio: « Et erit pendens vita tua ante oculos tuos: et timebis die et nocte, et non credes vitæ tuæ (*Deut.* XXVIII. » Item in psal. XXI: « Effoderunt manus meas, et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea. »

Quod in passione crucis et signo virtus omnis sit et potestas, apud Habacum : « Texit cœlos virtus ejus,et laudis ejus plena est terra,et splendor ejus ut lux erit : cornua in manibus ejus erunt, et illic constabilita est virtus gloriæ ejus, et constituet dilectionem validam ; ante faciem suam ibit verbum,et præcedet in campos secundum gressus suos (*Habac.* III). » Item apud Isaiam : « Ecce natus est vobis puer, et datus est vobis filius, cujus imperium super humeros ejus, et vocatum est nomen ejus magnæ cogitationis nuntius (*Isa.* IX). » Hoc signo crucis et Amalech victus est ab Jesu per Moysen (*Exod.* XVII).

275 Quod in hoc signo crucis salus sit omnibus, qui in frontibus notantur,apud Ezechielem Dominus dicit : « Transi mediam Hierusalem,et notabis signo thau super frontes virorum,qui ingemunt et mœrent ob iniquitates quæ fiunt in medio ipsorum (*Ezech.* IX). » Item illic : « Vadite et cædite,et nolite parcere oculis vestris, nolite misereri seniores, ac juvenes, et virgines, et parvulos, et mulieres interficite, ut perdantur.Omnem autem super quem signum scriptum est, ne tetigeritis (*ibid.*). » Item in Exodo Deus ad Moysen : « Et erit sanguis vobis in signo super domos ubi eritis, et videbo sanguinem, et protegam vos et non erit in vobis plaga diminutionis, cum percutiam terram Ægypti (*Exod.* XII). »

Quod medio die in passione ejus tenebræ futuræ essent, apud Amos : « Et erit in illa die, dicit Dominus, occidet sol meridie, et obtenebrabitur dies lucis,et convertam dies festos in luctum, et omnia cantica vestra in lamentationem (*Amos* VIII). » Item apud Jeremiam : « Exterrita est quæ parit,et tæduit anima ejus : subiit sol, et cum adhuc medius dies esset, confusa est et maledicta. Reliquos eorum in gladio dabo in conspectu inimicorum suorum (*Jer.* XV). » Item in Evangelio : « A sexta autem hora tenebræ factæ sunt per totam terram,usque in horam nonam (*Matth.* XXVII). »

Quod a morte non vinceretur, nec apud inferos remansurus esset,in psalmo XXIX : « Domine, eduxisti ab inferis animam meam.» Item in psalmo III : « Ego dormivi,et somnum cepi,et surrexi,quoniam auxiliatus es mihi.» Item in Evangelio sancti Joannis : « Nemo auferet animam meam a me,sed ego a me pono eam, et potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam : hoc enim mandatum accepi a patre meo (*Joan.* X). »

Quod ab inferis tertia die resurgeret,apud Osee : «Vivificabit nos post biduum : die tertia resurgemus (*Ose.* VI). » Item in Exodo : « Et dixit Dominus ad Moysen : Descende, et testificare populo et sanctifica illos hodie et cras,lavent vestem suam, et sint parati in perendinum diem : die enim tertia descendet Dominus in montem Sina (*Exod.* XIX). » Item in Evangelio : « Progenies nequam et adultera signum quærit, et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. Quomodo enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, ita erit Filius hominis in corde terræ (*Matth.* XII : *Joan.* II), » Hoc ipsum figuratum est in verbis Jacob,cum benediceret Judæ patriarchæ,hoc modo : «Catulus leonis Juda, ad prædam, fili mi, ascendisti : requiescens accubuisti ut leo et quasi leæna, quis suscitabit eum (*Gen.* XLIX).» Typice catulum leonis,Dominum Salvatorem appellat tanquam leonina ortum prosapia,videlicet regia stirpe progenitum.Bene autem catulus leonis vocatur, cujus natura esse dicitur, ut nascens, tribus diebus dormiat, deinde rugitu paterno excitatus assurgat.Quæ figura pulcherrime arridet Dominicæ dormitioni, qui tribus diebus dormiens,ad Patrem clamat : « Tu autem,Domine, miserere mei, et resuscita me (*Psal.* XL). « Sed resuscitatus ad prædam ascendit quia exspolians infernum justos quosque ad superna tanquam prædam egregiam triumphando evexit. Qui ut leo, et quasi leæna accubavit,quia qui dormire per carnem in sepulcro voluit,quasi leo victor de hostibus triumphavit. Quod autem subjungit : « Quis suscitabit eum ? subauditur, quis nisi Pater ? » (*Gen.* XLIX.)

Quod cum resurrexisset,acciperet a Patre omnem potestatem,et potestas ejus æterna sit,apud Danielem : « Videbam in visu nocte, et ecce in nubibus cœli tanquam Filius hominis veniens, venit usque ad Veterem dierum, et stetit in conspectu ejus, et qui assistebant,obtulerunt eum,et data est ei regia, et omnes reges terræ,et genus [gens] omnis claritatis serviens ei,et potestas ejus æterna,quæ non auferetur,et regnum ejus quod non corrumpetur(*Dan.* VII). » Item apud Isaiam : « Nunc exsurgam, dicit Dominus, nunc clarificabor, nunc exaltabor ; nunc videbitis,nunc intelligetis,nunc confundemini ; vana erit fortitudo spiritus vestri, ignis vos consumet [confundet] (*Isa.* XXXIII). » Item in psalmo centesimo nono : « Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis : quousque ponam inimicos tuos suppedaneum pedum tuorum. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, et dominaberis in medio inimicorum tuorum. »

Quod ipse sit Rex regum,in æternum regnaturus, apud Zachariam : « Dicite filiæ Sion : Ecce rex tuus venit tibi justus, et salvans mites, et sedens super asinum indomitum (*Zach.* IX). » Item apud Isaiam : « Quis nuntiavit vobis, quia ignis ardet ? Quis nuntiavit vobis locum æternum ? Ambulans in justitia, et manus abstinens a muneribus,gravans aurem ne audiat judicium sanguinis, et comprimens oculos suos, ne videat injustitiam : hic habitabit in alta spelunca petræ, fortis panis illi dabitur, et aqua ejus fidelis : Regem cum claritate videbitis (*Isa.* XXXIII).» Item apud Malachiam : «Rex magnus sum ego, dicit Dominus, et nomen meum illustre apud gentes (*Malac.* II).» Item in psalmo secundo : « Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans imperium ejus. » Item in psalmo vigesimo primo : « Commemorabuntur et convertentur ad Dominum universi fines terræ, et adorabunt in conspectu ejus omnes patriæ gentium,

quoniam Domini est regnum,et dominabitur omnium gentium.Ad hæc,quid illa Levitica sacrificia significant nisi Christum passum,resurgentem,cœlos ascendentem, et aspersione sui sanguinis in aqua baptismi populos Novi Testamenti sanctificantem? Quod ut manifestius videatur,nunc ipsa principalia sacrificia, quæ in altari exterioris tabernaculi cremabantur,cum suis expositionibus ad medium deducamus : suo postea loco ea, quæ fiebant in altari thymiamatis,quod erat in interiori tabernaculo,reservabimus, quia sic proposito operi convenire intelligimus. Hostiarum enim diversitates imaginem passionis Christi præfigurabant. Nam postquam ipse oblatus est, omnes illæ hostiæ cessaverunt, quæ in typo vel umbra ejusdem præcesserunt,præfigurantes illud sacrificium, quod unus et verus sacerdos obtulit, mediator Dei et hominum. Cujus sacrificii præmissas figuras in victimis animalium celebrari oportebat propter emundationem carnis et sanguinis : per quam unam victimam fieret remissio peccatorum, de carne et sanguine contractorum, quæ regnum Dei non possidebunt, quia eadem substantia corporalis, in cœlestem commutabitur qualitatem.

Ipse enim in vitulo propter virtutem crucis offerebatur, ipse in agno propter innocentiam ; in ariete propter principatum ; in hirco propter similitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum ; in turture et columba, propter Deum et hominem, quia mediator Dei et hominum in duarum substantiarum conjunctione ostendebatur. Porro in similagine conspersionis credentium per aquam baptismatis **276** collectam Ecclesiam, quæ est corpus Christi,perspicue demonstrabat.Nos autem moraliter munus Deo vitulum offerimus,cum carnis superbiam vincimus ; agnum, cum irrationabiles motus et insipientes corrigimus ; hædum, cum lasciviam superamus ; columbam, dum simplicitatem mentis ostendimus ; turturem,dum carnis servamus castitatem ; panes azymos, dum non in fermento malitiæ ; sed in azymis sinceritatis et veritatis ambulamus. Ignis in sacrificio id significabat, velut absorbens mortem victoria. In eo autem populo hæc rite celebrata sunt, cujus regnum ac sacerdotium, prophetia erant venturi regis et sacerdotis (ad regendos et congregandos fideles in omnibus gentibus, et introducendos in regnum cœlorum,ad sacrarium angelorum, ad vitam æternam. Hujus itaque veri sacrificii vera sacramenta sicut Hebræi celebraverunt, ita sacrilega imitantur pagani. « Quæ immolant gentes, ait Apostolus, dæmoniis immolant, et non Deo (*I Cor.* x). » Antiqua enim res est, et prænuntiativa, immolatio sanguinis, futuram passionem mediatoris ab initio humani generis testificans. Hanc enim primus Abel obtulisse in sacris Litteris invenitur (*Gen.* iv). In exordio autem Levitici, quatuor genera principalium oblationum describuntur, quæ in odorem suavitatis Domino offerri jubentur (*Levit.* v). Id est, primum, vitulum de armentis sine macula ; secundum, agnum de ovibus ; tertium,turturem et columbam ; quartum, similaginem conspersam,azyma oleo uncta,clibano cocta. Reliqua vero sacrificia pro qualitatibus causarum in persona Domini offerebantur.

Primum itaque sacrificium vitulus ex armentis, Christum demonstrabat ex patriarcharum progenie descendentem ; hic aratro crucis suæ, nostræ carnis terram perdomuit,atque Spiritus sancti semen, virtutum fruge ditavit.Iste vitulus sine macula est, quia sine peccato ad passionem ducitur. « Offertur autem non in tabernaculo sed ad ostium ejus, quia extra castra passus est Christus (*Heb.* xiii) ; » per filios autem Aaron sacerdotis offertur sanguis ejus, quod de Anna et Caipha intelligi potest, qui consilium adversus eum facientes effuderunt sanguinem Christi. « Secunda hostia de ovibus agnus oblatus (*Isa.* liii) ; « id est Christus propter innocentiam figuratur.Hic est agnus, qui apud Isaiam in sacrificium adducitur,et ab Joanne omnibus demonstrabatur : « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi(*Joan.* i).» Bene ergo in sacrificio agnus offerebatur, ut innocentiæ et passionis Christi figura demonstraretur.Bene et hædus,quia per ejus mortem, auctor peccati diabolus agnoscitur jugulatus. Tertium sacrificium dicitur turtur et columba. Turturem, carnem Christi esse, manifestum est, Salomone dicente : « Speciosæ genæ tuæ sicut turturis (*Cant.* i). » Columbam, Spiritus sancti habere figuram,Joannes Baptista declarat,dicens : « Super quem videris Spiritum sanctum descendentem sicut columbam,hic est Filius meus(*Joan.* i). » Ac per hoc turturem et columbam, id est carnem Christi Spiritui sancto sociatam,per mysterium passionis, sacrificium Deo in odorem suavitatis.Ista tria sacrificia offert homo, id est Christus Jesus. Quartum autem anima offert ; id est Ecclesia offert sacrificium de simila, Ecclesiæ catholicæ figuram prænuntians, quæ ex convenientibus membris, quasi simila ex multis granis credentium collecta est, et legis et Evangeliorum molam inter litteram et spiritum separat.Per aquam enim baptismatis adjuncta, chrismatis oleo peruncta, sancti Spiritus igne solidata, per humilitatis spiritum Deo hostia placens effecta.Hæ sunt quatuor oblationes,quadriformem Christi et Ecclesiæ habitum demonstrantes.

De juvenca rufa cujus cinerem ad aquam aspersionis, eorumque mundationem qui mortuum tetigerint, proficere lex mandavit, aliqua dicere conabimur,

Evidentissimum enim signum in ea Novi Testamenti præfiguratur, nec satis digne festinantes dicere de tanto sacramento valemus. Primum enim quod ita cœpit de hac re loqui scriptura,quem non moveat, et intentissimum faciat in altitudinem sacramenti : « Et locutus est, inquit, Dominus ad Moysen et ad Aaron, dicens : Ista est distinctio legis, quæcunque constituit Dominus (*Num.* xix). » Procul dubio non est distinctio,nisi inter aliqua duo

vel plura. Nam distinctionem singularitas non requirit, nec distinctionem cujuslibet rei commemoravit, sed addidit, legis; nec cujuscunque legis, assidue quippe in scriptura dicitur de unaquaque re. de qua legitime præcipitur : hæc est lex illius vel illius rei non universalis, quæ continet omnia, quæ legitime præcipiuntur. Hic vero cum dixisset. « Hæc est distinctio legis, » secutus adjunxit : « Quæcunque constituit Dominus, » præcipiendo utique, non creando. Nam etiam nonnulli interpretes : « Quæcunque præcepit Dominus, » transtulerunt : Si ergo hæc est distinctio legis, quæcunque præcepit Dominus, procul dubio magna est ista distinctio, et recte intelligitur, duo Testamenta dicere. Eadem quippe sunt in veteri et in novo : ibi obumbrata, hic revelata: ibi præfigurata, hic manifestata. Nam non solum sacramenta diversa sunt, verum etiam promissa; ibi videntur temporalia proponi, quibus spirituale præmium occulte significetur; hic autem manifestissime spiritualia promittuntur et æterna. Temporalium autem bonorum atque carnalium, et spiritualium atque æternorum, quæ clarior certiorque distinctio est quam passio Domini nostri Jesu Christi? In cujus morte satis constitit non istam terrenam transitoriamque felicitatem a Domino Deo pro magno munere sperandam et optandam, quam quod in unigenito suo Filio, quem tanta illa perpeti voluit, ideo longe aliud a se peti exspectarique oportere, apertissima distinctione declaravit. Hanc igitur passionem Domini nostri Jesu Christi, velut distinctionem duorum Testamentorum, hoc, quod de juvencæ rufæ mactatione narratur, satis congrue præfigurat. « Locutus est enim Dominus ad Moysen et Aaron, dicens : Ista distinctio legis quæcunque constituit Dominus (*Num.* XIX), » ac deinde mandare incipit, hoc adjungens et dicens : « Loquere filiis Israel. » Potest etiam ita distingui, et locutus est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens : Ista distinctio legis, quæcunque constituit Dominus dicens, non quæcunque constituit Dominus creans, sicut cœlum et terram, et omnia quæ in eis sunt, sed quæcunque constituit Dominus dicens, in duobus scilicet Testamentis, ut deinde sequatur : Loquere filiis Israel, et accipiant a te juvencam rufam sine vitio. Juvenca rufa carnem Christi significat; sexus femineus est, propter infirmitatem carnis; rufa est, propter ipsam cruentam passionem. Quod autem ait : Accipiant a te, in ipso Moyse figuram legis ostendit, quoniam **277** secundum legem sibi visi sunt Christum occidere, quia solvebat secundum ipsos Sabbatum, et sicut putabant, observationes legitimas profanabat. Quod ergo sine vitio dicitur hæc juvenca, mirum non est. Hanc enim carnem etiam cæteræ bestiæ figurabant, ubi similiter sine vitio pecora immolari jubentur. Erat quippe illa caro in similitudine carnis peccati, sed non caro peccati.

Verumtamen hic, ubi evidentius legis distinctionem Deus voluit commendare, parum fuit dicere, sine vitio, nisi diceretur quæ in se non habet vitium.

A Quod si repetendi causa dictum est, fortasse non frustratur, quia eam remipsa repetitio firmius commendavit : quanquam et illud non aberret a vero, ut idem additum intelligatur, quæ non habet in se vitium, cum jam dictum esset, juvencam sine vitio, quia in se non habuit vitium caro Christi, in aliis autem habuit, quæ membra sunt ejus. Quæ enim caro in hac vita sine peccato, nisi illa sola, quæ non habuit in se vitium? Et non est superpositum super eam jugum : non enim subjugata est iniquitati, cui subjugatos inveniens liberavit, et [quos subjugatos invenit, et] eorum vincula disrupit, ut ei dicatur : « Dirupisti vincula mea; tibi sacrificabo hostiam laudis? » (*Psal.* CXV.) Super illius quippe carnem non est superpositum jugum, qui potestatem habuit ponendi animam suam, et iterum sumendi eam. Et
B applicabis eam [dabis eam] quidem ad Eleazarum sacerdotem. Cur non ad Aaron, nisi ita forte præfiguratum est, non ad tempus quod tunc erat, sed ad posteros hujus sacerdotii, passionem Domini perventuram! Et ejicient eam extra castra sicut et ejectus est Dominus (*Hebr.* XIII), passurus extra civitatem. Quod autem ait, in locum mundum, ita significatum est, quia non habuit causam malam. Et occident eam in conspectu ejus, sicut occisa est caro Christi in conspectu eorum, qui jam futuri erant in novo testamento Domini sacerdotes. Et accipiet Eleazar ejus sanguinem, et asperget contra faciem tabernaculi testimonii a sanguine ejus septies Hic testificatio est, Christum fudisse secundum Scri-
C pturas sanguinem in remissionem peccatorum. Ideo contra faciem tabernaculi testimonii, quia non aliter declaratum est, quam fuerat divino testimonio prænuntiatum. Et ideo septies, quia ipse numerus ad emendationem pertinet spiritualem. Et cremabunt eam in conspectu ejus. Puto, quia crematio ad signum pertinet resurrectionis. Natura quippe est ignis, ut in superna moveatur; et in eum convertitur quod crematur. Nam ipsum cremare, de Græco in Latinum ductum verbum est a suspensione. Quod vero additum est, in conspectu ejus, id est in conspectu sacerdotis, hoc mihi insinuatum videtur, quia illis apparuit resurrectio Christi, qui futuri erant regale sacerdotium. Jam quod sequitur, et pellis, et carnes, et sanguis ejus cum stercore ejus comburatur, idipsum expositum est, quomodo et cremabitur, et
D significatum est, quod non solum substantia mortalis corporis Christi, quæ commemoratione pellis et carnis et sanguinis intimata est, verum etiam contumelia et abjectio plebis, quam nomine stercore significatam puto, convertetur in gloriam, quam combustionis flamma significat. Et accipiet sacerdos lignum cedrinum, et hyssopum, et coccinum, et immittet in medium combustionis juvencæ. Lignum cedrinum spes est, quæ debet in supernis firmiter habitare, hyssopus fides, quæ cum sit herba humilis, radicibus hæret in petra; coccinum, charitas quod fervorem spiritus igneo colore testatur. Hæc tria debemus mittere in resurrectionem Christi

tanquam in medio combustionis illius, ut cum illo sit abscondita vita nostra, sicut dicit Apostolus : « Et vita nostra abscondita est cum Christo in Deo (*Coloss.* III). » Et lavabit vestimenta sua sacerdos, et lavabit corpus suum aqua, et postea introibit in castra, et immundus erit sacerdos usque ad vesperum. Lavatio vestimentorum et corporis quid est, nisi mundatio exteriorum et interiorum ? Hoc sacerdos.

Deinde sequitur : Et qui comburet eam, lavabit vestimenta sua et corpus suum aqua, et immundus erit usque in vesperum. In eo qui comburit, hos figuratos arbitror, qui Christi carnem sepelierunt, resurrectioni eam veluti conflagrationi mandantes. Et congregabit homo mundus cinerem juvencæ, et ponet extra castra in locum mundum. Quid dicimus cinerem juvencæ, reliquias videlicet interfectionis B et combustionis, nisi famam quæ consecuta est passionem et resurrectionem Christi, quoniam « sunt reliquiæ homini pacifico ? » (*Psal.* XXXVI.) Nam cinis erat, quia velut mortuus ab infidelibus contemnebatur ; et tamen mundabat, quia resurrexisse a fidelibus credebatur. Et quia hæc fama apud eos maxime claruit, qui in cæteris gentibus erant, et non erant de consortio Judæorum, ideo dictum esse existimo, et congregabit homo mundus cinerem juvencæ. Mundus utique ab interfectione Christi, quæ Judeos fecerat reos. Et reponet in locum mundum, id est, honorabiliter tractet, tamen extra castra, quia citra celebrationem Judaicæ consuetudinis honor evangelicus claruit. Et erit Synagogæ filiorum Israel in observationem. Aqua aspersionis, purficatio est. C Postea declarat plenius, quemadmodum ex isto cinere fiebat aqua aspersionis unde mundabuntur a contactu mortuorum, quod utique significat ab iniquitate ejus moribundæ vel morticinæ vitæ. Sed mirum est, quod sequitur : Et qui congregat, inquit, cinerem juvencæ, lavabit vestimenta sua, et immundus erit usque ad vesperam. Quomodo erit ex hoc immundus, qui mundus accesserat, nisi quia et hi qui sibi videntur mundi, in fide Christi se agnoscunt, quia omnes peccaverunt, et egent gloria Dei, justificati gratis per sanguinem ipsius (*Rom.* III)? Hunc tamen vestimenta sua lavare dixit, non etiam corpus suum. Credo, quod illius cineris congregatione, et repositione in hoc loco mundo, si hæc spiritualiter intelligantur, ita jam intrinsecus vult intelligi fuisse mundatum, sicut Cornelius audiens et credens quod D prædicaverat Petrus, ita mundatus est (*Act.* X), ut ante visibilem baptismum, cum suis qui aderant, acciperet dona Spiritus sancti. Verumtamen nec visibile sacramentum contemni potuit : ut ablutus etiam intrinsecus [extrinsecus] lavaret quodammodo vestimenta sua. Et erit, inquit, filiis Israel et proselytis, qui apponuntur, legitimum æternum. Quid aliud ostendit, nisi baptismum Christi quem significabat aqua aspersionis, et Judæis et gentibus profuturum, id est filiis Israel, et proselytis, tanquam naturalibus ramis, et inserto pinguedini radicis oleastro ? Quem autem non faciat intentum, quod post

A ablutionem de singulis quibusque dicitur, et immundus erit usque ad vesperam. Neque hic tantum sed in omnibus aut pene in omnibus talibus mundationibus hoc dicitur. Ubi nescio utrum aliquid aliud possit intelligi, nisi quod omnis homo post remissionem plenissimam **278** peccatorum, permanendo in hac vita, contrahit aliquid unde sit immundus usque ad ejusdem vitæ finem, ubi ei dies iste quodammodo clauditur, quod significat vespera. Deinde incipit scriptura dicere, et exsequitur, quemadmodum immundi facti homines, aqua illa aspersionis purificentur. Qui tetigerit, inquit, morticinum omnis anima hominis immunda erit septem diebus. Hic purificabitur die tertio, et die septimo, et immundus erit. Et hic nihil aliud intelligendum video, nisi contactum mortui, esse hominis iniquitatem. Septem vero dierum immunditiam, propter animam et corpus dictam puto : animam in ternario corpus in quaternario. Quod quare ita sit, longum est disputare. Secundum hoc arbitror per prophetam dictum : « In tribus et in quatuor impietatibus non aversabor (*Amos* I *et* II). » Adjungit autem et dicit : Si autem non purificatus fuerit die tertio, et in die septimo, non erit mundus ; omnis qui tetigerit mortuum ab omni anima hominis, et mortuus fuerit et non fuerit purificatus, id est, ante mortuus fuerit tacto mortuo, quam fuerit purificatus, tabernaculum Domini polluit, exterminetur anima illa ex Israel. Notandum est, quod difficillime reperitur in his libris aliquid evidentius de vita animæ post mortem, fuisse conscriptum. Hic ergo cum dicit, si fuerit mortuus ante purificationem manere in illo immuditiam, et exterminari animam illam ex Israel; id est a consortio populi Dei, quid aliud vult intelligi, nisi manere animæ pœnam etiam post mortem, si, cum vivit, mundata non fuerit sacramento isto, quo Christi baptismus figuratur ? Quoniam aqua aspersionis, inquit, non est circum aspersa super eum qui immundus est; adhuc immunditia ejus in ipso est, adhuc scilicet post mortem. Quod vero supra dixit, tabernaculum Domini polluit, quantum in ipso est, utique dixit sicut Apostolus : « Spiritum nolite exstinguere (*II Thess.* V), » cum exstingui ille non possit. Nam si ex hoc tabernaculum immundum factum vellet intelligi, mundari utique juberet. Postea vero immundos a mortuis operibus, quæ sunt iniquitates, omnes ista mundari jubet. Et accipiant illi immundum, inquit, a cinere ejus exustæ purificationis, et effundent super eum eumdem cinerem aquam vivam in vase, et accipiens hyssopum, et tingens in aqua vir mundus, circumsperget super domum, et super vasa, et super animas, quotquot fuerint illic, et super eum, qui tetigerit os humanum, aut vulneratum, aut mortuum, aut monumentum. Et asperget mundus super immundum die tertio et in die septimo, et purificabitur die septimo et lavabit vestimenta sua, et lavabitur aqua, quam puto spiritualem intelligendam, per significationem, non per proprietatem. Nam sine dubio visibilis erat,

sicut omnes illæ umbræ futurorum. Proinde qui sacramento baptismi recte abluitur, quod illa aspersionis aqua figurabat, mundatur spiritualiter, id est invisibiliter, et in carne, et in anima, ut sit mundus et corpore et spiritu. Quod vero hyssopum dixit aqua aspersionis aspergi, quam herbam supra diximus fidem significare, quid aliter occurrit, nisi quod scriptum est, « fide mundans corda eorum ? (*Act.* xv.), » Non enim prodest baptismus, si desit fides. A viro autem mundo dixit hoc fieri, ubi significantur ministri portantes personam Domini sui, qui vere vir mundus est. Nam de his ministris in consequentibus dicit : Et qui circum asperget aquam aspersionis, lavabit vestimenta sua, id est observabit et corpora. Et qui tetigerit aquam aspersionis, immundus erit usque ad vesperam, et omnis qui tetigerit illud immundum, immundus erit : et anima quæ tetigerit, immunda erit usque ad vesperam. Jam dixi superius, quid mihi significare videatur, usque ad vesperam. Hæc quæ commemoravimus, et alia quæ pro diversis occasionibus in lege offerri mandantur, Christi sacerdotium præfigurantia et res gestas, quas illæ figuræ præloquuntur, Ecclesia compendiosa imitatione repræsentat, cum missarum sacramenta per orbem terrarum quotidiana celebratione frequentat.

Et primo Introitus missæ collectus de psalmis, et [vel] de aliis propheticis Scripturis cum sanctæ Trinitatis glorificatione cantatur, et sequens litania devotam eorum exspectationem repræsentat, qui adventum Christi toto corde desiderabant, et in hac fideli exspectatione differri sibi suum desiderium suspirabant. Qualis fuit Simeon, qualis fuit Anna, et multi alii, quos Deus novit, sed non omnes Scriptura commemorat. Sub hoc sanctorum desiderio, secundum quod prædictum fuerat a prophetis, Christus de Virgine natus est, secundum illud quod in persona ejus dicit Psalmista, ad patrem loquens : « Holocaustum et pro peccato non postulasti, tunc dixi, ecce venio (*Psal.* xxxix). » Quod bene repræsentatur, cum sacerdos Christi personam imitans, choro concinente supra memoratum introitum, procedit ad dexteram partem altaris, in hoc significans mediatorem Dei et hominum, qui de seipso dicit : « Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel (*Matth.* xv). » qui populus tanquam dexter, solus unius Dei cultum tenuerat, nec post deos alienos, quos populus gentilis colebat, tanquam sinistra aberraverat. Post introitum sequitur hymnus angelicus, temporali Christi Nativitati testimonium perhibens, cum et cœlestes cives pronuntiarent se Deum inde glorificasse, et murum inimicitiarum, pace hominibus reddita, cecidisse. Sequitur deinde oratio, adhuc in eadem parte altaris sacerdote morante. Orandum autem esse, inter prædicationis suæ primordia Dominus præcepit, quando congregatis in monte apostolis, tradita Dominica oratione, orandi formam instituit (*Matth.* vi) : Hæc oratio quibusdam generalibus vocibus alias orationis species breviter comprehendit, quibus vel appetimus diligenda, vel vitamus fugienda, vel sanamus commissa. Sequitur dehinc lectio prophetica, vel apostolica, repræsentans discipulorum Christi prædicationem, quos Dominus binos et binos ante se misit in omnem civitatem, et locum, ad quem ipse erat venturus (*Luc.* xx). Post lectionem concinendo respondet chorus, ostendens sacræ lectioni se habuisse [adhibuisse] auditum et affectum [effectum]. Et quia hæc divini muneris esse intelliguntur, sequitur Alleluia, quod interpretatur, *Laudate Deum*, ut impleatur illud apostolicum præceptum : « Qui gloriatur, in Domino glorietur (*I Cor.* i). » Quibus ita suo ordine peractis, transit levita aut sacerdos ad sinistram partem Ecclesiæ, lecturus Evangelium. Quo facto significatur illud, quod Judæis credere nolentibus, apostoli dixerunt : « Primum oportebat vobis loqui verbum Dei, sed quia repulistis illud, et indignos vos exhibuistis ecce convertimur ad gentes (*Act.* xiii). » Adversus gentilitatem ergo, in qua frigus infidelitatis diu regnavit, tanquam in plaga septentrionali, adhuc prædicatur Evangelium, donec introeat plenitudo gentium, et tandem sub Elia et Henoch ad fidem **279** veniant reliquiæ Judæorum. Et hoc significatur, cum sacerdos ob complenda missæ sacramenta, ad dexteram partem revertitur. Post Evangelium profitetur Ecclesia fidem suam cantando symbolum apostolicum, ut ostendat, quantum profecerit per Evangelium. Salutato denique populo, dum sacerdos hostiam [hostia] accipit a ministris, et diversi generis oblationem [oblationes] a populis, offertorium cantatur a clericis. Quam consuetudinem accepit Ecclesia ex eo, quod in libro dierum dedicato templo a Salomone, legitur populum clangentibus levitis et tubis et tibiis et cymbalis, voce et omni genere musicorum (*II Par.* vi), multiplices hostias obtulisse. Ad hujusmodi hostias spiritualiter afferendas, admonemur per Psalmistam : « Afferte Domino filii Dei, afferte Domino filios arietum (*Psal.* xxviii), » id est nosipsos, quos genuerunt apostoli duces gregis Dominici. Et alibi : « Tollite hostias, et introite in atria ejus (*Psal.* xcv). » Offertur autem principaliter a ministris panis et vinum, in corpus Christi sacerdotali benedictione commutanda, quæ primus Melchisedech Abrahæ (*Gen.* xiv), a cæde quinque regum revertenti, legitur obtulisse, hoc significante Spiritu sancto, sacramenta Dominici corporis et sanguinis aliis non esse communicanda, nisi his qui regnum quinque sensuum superaverunt; id est qui se vitiis et concupiscentiis crucifixerunt. Quod bene significatur illo numero vernaculorum, in quo Abraham supra dictos reges vicit, quem numerum thau T littera, formam crucis repræsentans, secundum litterarum supputationem exprimit.

In similitudinem talium oblationum voluit Dominus, ut a parentibus, sub lege factus, in templo offerretur et sacrificium columbarum et turturum pro eo offerretur, quamvis ipse talibus non indigeret, sed per hoc significaret Ecclesiam suam aut per

communes orationes, quas significant columbæ, vel per privatas, quas significant turtures, esse mundandam. Simile quid prænotaverunt vota trium magorum (*Matth.* II), qui Christo nuper nato tria munera obtulerunt: aurum, quo moraliter spiritualis intelligentia declaratur; thus, quo puritas devotæ orationis intelligitur; myrrham, qua carnalis corruptionis mortificatio figuratur [significatur]. Attendendum vero est, quod hæc omnia, quæ ab introitu missæ commemorata sunt, illis sacrificiis congrue comparantur, quæ sacerdotes in exteriori tabernaculo immolabant, quia sicut ab illis contuendis populus non amovebatur, ita hæc omnia in audientia omnium celebrantur. Sed mirabitur aliquis, quæ sit ista comparatio sacramentorum, cum illa vetera fierent de corporibus, nova vero ista fiant in vocibus. Sed in significatis bene conveniunt, quia dispensationem incarnati Verbi, sicut superius dictum est, quam præfigurabant ænigmata rerum, eamdem esse completam commemorant enuntiationes figuratarum vocum. Sive ergo oremus, sive psalmum cantemus, sive lectionem de propheticis, sive de apostolicis, sive de evangelicis verbis proferamus, quod fidei astruat veritatem, vel morum commendet honestatem, quasi vitulum labiorum nostrorum ad altare offerimus, quia mysterium verbi Dei mentibus alta sapientibus, in quibus ignis divini amoris ardet, et caro crematur, aperimus. Unde et ab hoc vitulo quasi corium detrahitur, cum remoto velamine litteræ, spiritualis intelligentia revelatur. Hujus etiam vituli carnes in frusta conciduntur, cum parvulis in Christo lac (*I Cor.* II), infirmis olus, solidus cibus perfectis (*Hebr.* V), secundum apostolicam traditionem, ministratur. Et notandum quod hic vitulus ad ostium tabernaculi testimonii offertur, cum ea quæ lex et prophetæ prædixerunt, in Christi adventu impleta esse et revelata creduntur, qui de seipso ait: « Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur (*Joan.* X). » Ipse est enim clavis David, qui « aperit, et nemo claudit (*Apoc.* III): » claudit, et nemo aperit. Super caput hujus vituli ponunt filii Aaron manus suas, cum Christo, qui caput est Ecclesiæ, omnia bona opera sua Christi sacerdotes attribuunt, de quo dicitur: « Misit verbum suum, et sanavit eos (*Psal.* CVI), » et qui de se discipulis suis dicit: « Sine me nihil potestis facere (*Joan.* V). » Hujus quoque vituli intestina lavantur cum sanæ doctrinæ, quam illa sacramenta celabant, nihil contrarium admiscetur; et pedes, cum ipsius verbi prædicatio, carnalis concupiscentiæ pulvere non fœdatur. Unde ait propheta: « Quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona (*Isa.* LII). » Stercora vero hujus vituli extra castra cremantur, cum sputa, colaphi, et omnis contumelia Verbo Dei illata, ipsa etiam crucis ignominia, in gloriam resurrectionis, remota omni carnali observatione, commutatur (*Rom.* L). Quod bene significatur per ignem, qui quod assumit, in se convertit, et semper ad superiora contendit.

Sicut ante designatum diximus Verbum Domini per vitulum, tanquam aratro crucis corda nostra exarantem, ita ipsum possumus intelligere per arietem, cum Christum ducem nostrum prædicamus, vel cum ejus innocentiam commendamus, juxta illud prophetæ: « Tanquam ovis ad victimam ductus est, et non aperuit os suum (*Isa.* LIII). » Per hædum quoque idem verbum significamus, cum Christum in similitudinem carnis peccati venisse, et pro peccato generis humani oblatum fuisse commemoramus. Per turturem et columbam idem significamus, cum naturam humanam Spiritui sancto in Christo sociatam contestamur. Per turturem quippe merito Christi caro figuratur, quæ gemitum assumpsit nostræ passibilitatis et humanitatis et mortalitatis. Unde et Psalmista: Turtur invenit sibi nidum, id est dispensationem suæ incarnationis in qua pullos fecit (*Psal.* LXXXIII), id est fideles generavit. Per columbam vero Spiritus sanctus intelligitur, qui in specie columbæ super Dominum apparuit. Unde dictum est ad Joannem: « Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem, ipse est qui baptizat (*Joan.* I). » In eodem Dei verbo similaginem offerimus, cum expurgato fermento malitiæ et nequitiæ, populos ad unitatem ecclesiasticam convocamus. Qui dum cathechizantur, quasi moluntur; cum baptizantur, in unum corpus, ut unus panis fiant, adunantur; cum ad agonem instruuntur, quasi clibani decoctione roborantur, secundum illud: « Vasa figuli probat fornax, homines autem justos tentatio tribulationis (*Eccli.* VII). » Et illud. « Fili, accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem (*Eccli.* II). » Tum vero iidem populi, quasi panis oblationis oleo liniuntur, cum per manus impositionem sacro chrismate ad eumdem agonem fortiter tolerandum contra spirituales nequitias confirmantur. Nos quoque si Deo placere contendimus, moraliter hæc omnia Deo offerre jubemur. Vitulum namque offerimus, cum superbiam humilitate superamus. Ovem vel arietem immolamus, cum veram innocentiam conservamus; hædum autem offerimus, cum fetorem luxuriæ, carnis castigatione, et contriti cordis compunctione lavamus; turturem offerimus, cum hujus exsilii ærummas **280** in solitudine mentis deploramus, dicendo cum Psalmista: « Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est! » (*Psal.* CXIX.) Columbam offerimus, cum simplicitatem columbæ miramur, ut nulli machinemur dolos. Panes in clibano coctos offerimus, cum nullis tribulationibus ab unitate Ecclesiæ non dividimur. Panes azymos a sartagine Deo offerimus, cum zelum justitiæ ex misericordiæ visceribus moderamur. Panem etiam in craticula coctum offerimus, cum ob zelum abstinentiæ, jejuniis et laboribus carnem nostram maceramus. Hæc Christi et Ecclesiæ sacrificia, lectiones nostræ de quibuscunque libris historico vel allegorico stylo dictæ commendant: hæc melodiæ cantorum, ad pietatis affectum suavitate canora animos populorum excitantes, resonant: hæc hymni

et psalmi concrepant, et quidquid in officiis ecclesiasticis sive nocturnis sive diurnis, vel in silentio secretorum, vel in audientia populorum frequentatur, non otiose fit, sed totum vel ad ædificationem fidei, vel ad compositionem morum, ab his, qui non serviunt litteræ occidenti, sed spiritui vivificanti, reflectitur. Sunt et aliæ multiplices hostiæ, quæ pro diversis occasionibus offeruntur, sive pro gratiarum actione, sive pro pontificis ordinatione, sive pro lepræ emundatione, sive pro nocturna illusione, quæ similiter hanc unam hostiam, de qua dictum est, figurabant, et fidem ac mores ædificant, quæ ideo multæ erant, et sæpe iterabantur, quia secundum Apostolum, perfectum facere non poterant servientem (*Hebr.* IX) : hæc autem semel oblata, peccata originalia et actualia purgavit, et cœlestia ac terrestria pacificavit.

Qualiter veteris ac novi sacerdotii sacramenta in aperto celebrata conveniant, in supradictis, prout potuimus, breviter ostendimus. Nunc restat, ut ea præcipue, quæ in mysticis orationibus vel operationibus sacerdotes nostri faciunt, qualiter cum his conveniant, quæ pontifices intra sancta sanctorum faciebant, prout Dominus dederit, ostendamus. Ac primo secretæ orationes, quas post offertorium facit sacerdos, in quibus panis et vinum, quæ in Christi corpus et sanguinem Dominicis verbis commutanda sunt, hostiæ vel oblationes, vel sacrificia nominantur, quid cum Evangelio simile habeant, videamus. In Evangelio quippe legimus quod Dominus facta cœna in hortum cum discipulis exivit, et ibi antequam ad eum pervenirent, qui comprehensuri eum erant, remotus a discipulis, eamdem orationem in silentio ter oravit, commiserando miseris Judæis, dicens : « Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste (*Matth.* XIX). » Sed quia ab originali prævaricatione per obedientiam ejus redimendus erat mundus, elegit magis Judæam in sua cæcitate derelinquere [delinquere], quam Dei filios in æterna morte relinquere, secundum illud : « Non salvaretur Ninive, nisi aruisset cucurbita (*Jon.* IV). » Hanc trinam orationem, in qua se paternæ voluntati devovebat filius tanquam arietem in holocaustum, imitabantur pontifices in Veteri Testamento, in die propositionis Sancta sanctorum intraturi, cum etiam vitulus offerebatur pro pontifice, aries in holocaustum, hircus, in quem sors Domini ceciderat, pro peccato populorum, cum sanguis eorum, id est vituli et hirci, inferendus erat in sancta, crematis eorum corporibus extra castra. His omnibus sacrificii generibus Christus præfigurabatur, qui in illa trina oratione offerendum se esse Patri præsentabat tanquam vitulum pro peccato pontificum, tanquam arietem in holocaustum, tanquam hircum pro omni prævaricatione populorum. Expletis dehinc orationibus secretis, admonet populum sacerdos primum salutando ; postea, ut quæ sunt sursum sapiat, et redemptori suo ingratus non existat, exhortando, et ut hæc omnia mediatoris gratiæ ascribat, consulendo. Quod et Dominus Jesus fecisse intelligi commode potest, inter ipsa trinæ orationis intervalla, quando ad discipulos ter veniens, dicebat : « Vigilate et orate, ne intretis in tentationem (*Matth.* XXVI). » Quid est autem vigilare, nisi de suis meritis non præsumere, sed in omnibus ad mediatoris gratiam recurrere ? Et ita dignum esse, ab humana fragilitate fieri salubriter docemur, cum angelos, archangelos, et omnes cœlestes exercitus Deum inde laudare et adorare noverimus, quod beatitudinem suam per mediatoris beneficium se obtinere fateantur.

Inde erat quod duo cherubim alis suis propitiatorium velabant, quia de collatis sibi virtutibus angelicæ potestates Deum honorant, et in propitiatorium aspiciunt, qui ex propitia Dei bonitate excellentiam, quam habent, se habere confidunt. Unde orat sacerdos, ut in confessione sanctæ Trinitatis, laudes nostræ laudibus jungantur angelorum, cum « In nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum (*Philipp.* II). » Quia ergo mediatori nostro, sicut ipse dicit, « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra (*Matth.* XXVIII), » prosequitur sacerdos et rogat Deum Patrem, ut per eum benedicantur oblata mysteria, id est in eam veritatem transferantur, quam gerebant in umbra prædicta illa sacrificia, in die propitiationis oblata. Quia enim illa tria sunt, vitulus, aries, duo hirci, tribus nominibus eorum significata commemorantur, quia dona, munera, sacrificia nominantur, quamvis unum repræsentent sacramentum Dominicæ passionis, quia [qua] pacifica sunt divina et humana. Duo quippe hirci duas significant in Christo naturas : humanam, in qua passus est pro reconciliatione nostro, quam significat mactatus hircus pro peccato ; alteram divinam, quam significat hircus, qui per hominem paratum, id est per seipsum mittitur vivens in desertum illud scilicet, in quo relictis nonaginta novem ovibus, bonus pastor unam venit quærere, quæ perierat (*Luc.* XV). Cum sanguine horum animalium, vituli videlicet et hirci, intrabat pontifex in Sancta sanctorum, et Dominus Jesus per proprium sanguinem, qui prædictorum, animalium sanguine figurabatur, introivit in sancta sanctorum æterna redemptione inventa (*Hebr.* IX), noster quoque sacerdos cum sanguine Christi, id est cum memoria Dominicæ passionis, ingreditur ad sancta mysteria celebranda. Orat Leviticus sacerdos, ingrediens tabernaculum testimonii (*Levit.* XVI), pro se et pro familia sua. Orat Christus pro se, cœlos ascensurus dicens : Pater clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te (*Joan.* XII). Orat et pro familia sua, dicens : Pater serva illos, quos dedisti mihi, in nomine tuo (*Joan.* XVII). » Orat et sacerdos noster incipiens tractare sacra mysteria pro summo pontifice, et sancta Dei Ecclesia, et pro his qui in sublimitate sunt secundum Apostolum, quatenus « quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et sanctitate (*I Tim.* II). » Defert sacerdos Leviticus carbones de altari, in quibus cremantur animalium carnes secum in

Sancta, implens inde thuribulum (*Levit.* XVI). Ascendit summus sacerdos noster in tabernaculum non manu factum, portans secum corpus omni bono odore virtutum refectum [refertum] quas tanquam **281** carbones vivos accepit humanitas ab igne sancti Spiritus tanquam de altari qui cremat carnes mali desiderii. Defert et noster sacerdos secum carbones de eodem altari acceptos, cum memoriam facit apostolorum, et quorumdam martyrum qui per amorem spiritus de mortuis vivificati, et ipsi in se divino ardent amore, et alios suo exemplo student de mortuis vivos facere. Hanc commemorationem sanctorum inter secreta faciendam a Veteri Testamento habemus, præcipiente Moyse (*Exod.* XXVIII), ut Aaron Sanctuarium ingrediens, rationale haberet in pectore, in quo descripta essent nomina duodecim patriarcharum, sculpta in duodecim lapidibus, distributis per ternos ordines in capitibus quatuor angulorum. Qua in re significatur, quod cum fide Trinitatis et doctrina evangelica, in mente sacerdotis semper debet esse memoria præcedentium Patrum, quorum exemplis ad bene vivendum informetur, et patrociniis muniatur. Impositis aromatibus procedebat fumus de thuribulo qui obumbraret oraculum, ne videretur summus pontifex, dum esset in sanctuario.

Legitur et in Apocalypsi de nostro summo pontifice qui fuit Angelus magni consilii, quod, impleto thuribulo de igne altaris, id est habitante in Christi corpore omnipotenti divinitatis, tanta processit ex eo plenitudo, et ascensus virtutum ut excederet omnem humanum intellectum (*Apoc.* VIII ; *Coloss.* II, dicente Joanne : « Non enim ad mensuram dat spiritum (*Joan.* X). » Orante quoque sacerdote nostro dum sacramenta Novi Testamenti celebrat, tanta puritas orationis tanquam fumus incensorum aromatum dirigitur ad Deum, quæ et rationem humanam, et omnem supereemineat intellectum. Orat enim sacerdos, ut oblationem altari superpositam dignetur Dominus facere benedictam, id est, transferat in illam singulariter benedictam, id est ab omni peccato immunem ; ascriptam, id est non noviter institutam, sed veteribus figuris et scripturis assignatam ; ratam, id est non transitoriam, quia vetus hostia irrita facta est, postquam Christus vera hostia in cruce oblatus est ; rationabilem, id est non pecualem, quæ sanguine taurorum non poterat perfectum facere servientem (*Hebr.* IX). Hæc vero hostia nostra rationalis est, quia ipsa eadem et sacrificans est, et sacrificium. Cum enim causam redderet Apostolus quare seipsum Christus obtulisset, subjunxit : « Si enim esset super terram, nec esset sacerdos (*Hebr.* VIII) ; » ac si diceret : Idcirco ipse factus est hostia, quia super terram non fuit æque digna, ita sufficiens ad exhaurienda mundi crimina. Idcirco ipse offerens, quia non esset sacerdos æque dignus, quia lex constituit sacerdotes peccatores, qui primo offerrent pro peccatis suis, deinde pro populi. Peccator ergo sacerdos, qui sibi sufficere non poterat, tam sanctam ho-

A stiam offerre non valuit : sed ipsa sancta et innocens seipsam obtulit, quia voluit. Unde et in Evangelio dicit : « Nemo tollit a me animam meam, sed ego pono eam (*Joan.* X). « Post illa verba communia spiritaliter exponit sacerdos quid petat, scilicet ut illæ corporeæ materiæ fiant nobis corpus et sanguis Christi. Hæc oratio tanquam subtilissimorum fumo aromatum obumbrat propitiatorium, quæ terrestrem materiam et corruptibilem, cœlesti et incorruptibili corpori postulat incorporari. Sed huic divini consilii altitudini sola fides adhibenda est, quæ procedit usque ad interiora velaminis : quæ initium non haberet, si sacramenta quæ continent persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis probare contenderet. Aspergit sacerdos umbræ deserviens, ad orientem versus propitiatorium, sanctuarium et tabernaculum
B sanguine vituli et eodem ritu sanguine hirci immolati : quia idem Christus qui figurabatur per vitulum significabatur et per hircum pro peccato oblatum, aspergit, et Christus ad orientem, id est ad Patrem, a quo ortus est ascendens, ipsum scilicet Patrem, quem aspersione sui sanguinis propitium nobis fecit. Aspergit et sanctuarium et tabernaculum, quia per proprium sanguinem introiens in sancta, pacificavit divina et humana ; quia, sicut dicit Apostolus, « complacuit Patri in ipso instaurare omnia, quæ sunt in cœlis, et quæ sunt in terra (*Col.* I), » id est Ecclesiam, quæ in terris propter inobedientiam primi parentis erat perdita, in cœlis vero propter ruinam apostatæ angeli imminuta. Imitatur sacerdos noster inter sacra mysteria, tanquam intra velum, hanc
C Christi sanguinis aspersionem, quoties sacramenta ipsa ad orientem versus, unde nobis Salvator advenit, typicis vel propriis nominibus nominans, eadem signo crucis consignat.

Quid est enim, inter ipsa mysteria rebus sacratis vel sacrandis signum crucis superponere, nisi mortem Domini commemorare? Unde et Dominus formam consecrandi corporis et sanguinis sui tradens, ait inter cætera : « Hoc facite in meam commemorationem. Quotiescunque hoc facitis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat (*I Cor.* XI). » Commemorata denique aspersione sanguinis Christi verbis Dominicis, sequuntur verba sacramentorum, eamdem sanguinis aspersionem commemorantia, ex voce sacerdotis orationem suam ad Patrem intendentis : « Unde
D et memores, Domine, nos tui servi passionis Filii tui, resurrectionis et ascensionis, offerimus majestati tuæ, » id est oblatam commemoramus per hæc dona tua visibilia, tibi « hostiam puram, » id est sine fermento malitiæ ; » sanctam, » id est tibi consecratam ; « immaculatam, » id est talem qualem significabant animalia, quæ immolanda sine macula quærebantur. Et hanc veri sacrificii commemorationem postulat sacerdos ita Deo Patri fieri acceptam sicut accepta fuerunt munera Abel, Abrahæ, Melchisedech, in quorum oblationibus initiata sunt novi sacerdotii sacramenta, nondum instituto Levitici ordinis sacerdotio. Quid per Abel figuratur nisi Christus, qui

innocens a nocentibus occisus est ? Quid per Abraham, nisi obedientia, qua Patri obediens fuit usque ad mortem ? Quid item per Melchisedech, nisi idem Christus, panem et vinum in corpus suum commutans, et hunc novi sacerdotii ritum discipulis suis commendans ? Nec mirandum est, nec superfluitati ascribendum, si in sacramentis nostris hoc frequenter commemoratur, quod in veteribus umbris non otiose frequenter figurabatur. Post thymiamatis oblationem, post aspersum sanguine vituli et hirci sanctuarium et tabernaculum et altare, mittunt filii Aaron manus suas super caput arietis capri emissarii, et imprecantes ei, mittunt eum vivum in solitudinem, portantem peccata filiorum Israel. Dehinc revertitur summus sacerdos in castra, orans pro domo sua, et pro omni cœtu filiorum Israel. Mittunt quippe manus suas Judæi, veteri umbræ servientes in Christum, id est divinitati ejus, quæ caput humanitatis erat, secundum Apostolum, **282** dicentem : « Caput Christi Deus (*I Cor.* XI) ; » resistentes, imprecati sunt sibi, Christo imprecantes : « Sanguis ejus super nos et super filios nostros (*Matth.* XXVII). » Eum vivum miserunt in solitudinem, qui divinitati ejus nocere non potuerunt, quia ad illam solitariam gloriam quam habet cum Patre, de morte carnis liberum ascendere dimiserunt, per hominem paratum, id est per seipsum, portantem peccata filiorum Israel, id est tollentem peccata mundi, non habentem. Hoc commemorat sacerdos noster, dicendo Deo Patri :« Jube hæc perferri per manus angeli tui in sublime altare tuum.» Quis est iste angelus, nisi Angelus magni consilii, qui propriis manibus, id est singulari dignitate præditis operibus, cœlos meruit ascendere, et in sublime altare, id est ad dexteram Patris pro nobis interpellans (*Rom.* VIII), seipsum sublevare ? Remittitur dehinc summus pontifex in castra, et Dominus dicit discipulis, instruens eos de assumptione sua :« Ego vobiscum sum [omnibus diebus] usque ad consummationem sæculi (*Matth.* XXVIII). « Hoc utrumque sacerdos imitetur. Primum suis precibus levans Christi corpus super omnem cœlestium sublimitatem. Inde quasi rediens ad castra dicit : « Ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum corpus et sanguinem dilectissimi Filii tui sumpserimus, omni benedictione cœlesti repleamur.» Ecce ad memoriam veniunt verba beati Andreæ apostoli, quibus asserit et in cœlis esse corpus Domini, et de altari posse sumi corpus Domini. Cujus, inquit, carnes cum sint comestæ in terris a populo, et sanguis ejus bibitus, ipse tamen usque in tempora restitutionis[resurrectionis] omnium, in cœlestibus ad dexteram Patris integer perseverat et vivus. Si quæris qualiter id fieri possit, breviter respondebo : Quia sacramentum fidei est, salubriter potest investigari ; nisi periculose, non potest.

Inde est quod quidam carnales discipuli recesserunt ab eo, cum dixisset : «Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam (*Joan.* VI).» Putaverunt enim quod erogaturus esset eis corpus suum, vel elixum in lebetibus, vel assum in verubus. Unde et Dominus eos qui remanserant, instruit, dicens : « Si videritis Filium hominis ascendentem, ubi erat prius (*ibid.*). » Ac si diceret : Tunc intelligitis, quia non eo modo quo putabitis, erogat corpus suum, et quia gratia Dei non consumitur morsibus. Unde Augustinus in expositione psalmi quinquagesimi quarti : Donec finiatur sæculum, sursum est Dominus ; sed tamen hic etiam nobiscum veritas est Dominus. Ecce habemus Christum integrum in cœlo per ostensionem carnis, Patrem interpellantem pro nobis : Habemus et corpus integrum in sacramento altaris. In supernis oratio Filii ejus est : « Volo, Pater, ut ubi ego sum, illic sit et meus minister (*Joan.* XVII) ; » hæc oratio est pro familia sua, pro membris suis. Et hoc est, quod legitur summus sacerdos, in castra reversus, lavare vestimenta sua. Christus enim in castris, id est in Ecclesia, lavat vestimenta sua, cum mundat per baptismum vel per confessionem peccata nostra, qui vestis ejus sumus, sicut dicitur per prophetam : «His omnibus sicut vestimento vestieris (*Isa.* XLV). » Lavat et sacerdos, post altitudinem secretorum ad curam inferiorum descendens, vestimenta sua, cum sibi adhærentium populorum luget peccata, et eos Deo reconciliare studet per orationum suffragia, dicens cum propheta :« Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut lugeam interfectos populi mei ? « (*Jer.* IX.) Hæc continent sequentes[frequentes] orationes, tam mortuorum quam vivorum mentionem facientes. Sed notandum quod inter istas orationes adhibentur sanctorum suffragia, apostolorum scilicet et martyrum, quorum exemplis informari, et meritis muniri præsens poscit Ecclesia. Concinit autem veteri sacerdotio ista præcedentium Patrum commemoratio. In duobus enim vestimentis portabat pontifex, sancta ingrediens, patriarcharum nomina in rationali et in superhumerali, quæ colligata erant adinvicem, significante Spiritu sancto, ut sacerdos Christi justitiam et veritatem, quam habet in corde, studeat habere in operatione : pectus enim locus est cordis, humerus vero locus est portandi oneris.

Ad hanc similitudinem inter sacramenta nostra bis habetur sanctorum commemoratio : ut sacerdos noster gesta sanctorum et corde meditetur, et factis imitetur. Facta sanctorum commemoratione, sacerdos de meritis suis non præsumens, orat ut sanctorum meritis assequamur quod nostris meritis non valemus : et hoc tantum per mediatorem qui factus est nobis propitiatio, redemptio et sanctificatio (*I Joan.* XI ; *I Cor.* I). Per quem nobis hæc sacramenta instituta sunt ad medicinam vulnerum nostrorum. Et hoc est quod sequitur : « per quem hæc omnia creas,» id est in aliam essentiam et efficentiam mutas, quam eorum prima conditio habeat et visus ostendat.« Sanctificas, vivificas,» id est sanctitatis et vitæ sacramenta efficis. Sequitur : « Per ipsum est tibi omnis honor et gloria,» id est quia per ipsum cuncta operaris, merito per ipsum, qui etiam ex te est, ab

omnibus super omnia Deus honoraris, et omnium laude glorificaris. « Etcum ipso » est tibi gloria, quia et ipse Filius in operibus quæ per eum facis, sicut coæqualis tecum honoratur, et conglorificatur : « et in ipso » est tibi spiritalis gloria, sicut ipse per columbæ tuæ vocem dixisti : « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui (*Matth.* III, XVII). » In his verbis Ascensionem Domini manifeste commemoramus, in quibus Filium cum Patre honorari pari gloria profitemur. Quibus laudibus tanquam de interioribus ad exteriora procedens, assensum quærit Ecclesiæ sacerdos, dicens sonora voce : « Per omnia sæcula sæculorum. » Supplet populus super orationem ejus locum idiotæ et respondet, « Amen (*I Cor.* XIV). » Hac una participem voce se faciens omnium charismatum, quæ sacerdos multiplici sacramentorum diversitate studuit impetrare, jam ergo quasi mutato habitu, quo utebatur dum sacra mysteria tractaret, mutat vocem : et deinceps tanquam in exteriori æde, quæ restant sacramenta missæ perficit, hortans secum populum ad faciendam Dominicam orationem, qua et sacramentorum consecratio perficiatur et populus ad perficienda eadem sacramenta orando præparetur. Sequitur inde sacramentorum comminutio, quam ex Domini nostri traditione accepimus, qui corpus suum propriis manibus consecratum, fregit, et discipulis suis distribuit. In qua fractione possessionem suam designavit mox futuram, et sigillum veterum scripturarum, sub quo spiritualis intelligentia supersubstantialis animæ panis claudebatur, aperuit. Quod vero idem corpus discipulis distribuit, incorporandam sibi Ecclesiam cœlesti victuram pane figuravit. Hoc et in oblatione summi sacerdotis præfiguratum fuit, qui de fragmentis similaginis oleo conspersæ, mane et post meridiem offerre jubetur, ut **283** interni panis suavitas, quæ mane, id est primitus in littera latebat, post meridiem, id est luce veritatis apparente, credentibus misericorditer gustanda præberetur. Nos quoque non otiose sacramentum corporis Christi in tres partes dividimus, quia et Christi passionem per hoc commemoramus præteritam, quam ille significabat venturam ; et hoc numero tria intelligimus, quibus capitis (id est Christi), et Ecclesiæ unitatem commendamus ; prima enim portione, substantivum Christi corpus figuramus, quod Sabbato quievit in sepulcro, de quo ipse Dominus dicit in psalmo : « Caro mea requiescet in spe (*Psal.* XV). » Et sequentibus verbis suam promittit resurrectionem, et ad dexteram Patris consessionem. « Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usque in finem (*ibid.*). » Secunda portio, quam cum prima in patena ponimus, illam Christi corporis, id est Ecclesiæ partem significat, quæ jam cum capite suo quasi in sabbato quiescit, et unam jam immortalitatis stolam possidet, in qua illum latronem credimus esse, cui in cruce confitenti Dominus dixit : « Hodie mecum eris in paradiso (*Luc.* XXXIII), » et de qua cantat Ecclesia : « Gaudent in cœlis animæ sanctorum. » Tertia portio, quam in sanguine ponimus illam Ecclesiæ partem significat, quæ calicem Domini bibit, id est Christi passionem imitatur, cum apostolis a Domino dictum est : « In me pacem habebitis, in mundo autem pressuram habebitis (*Joan.* XVI). » Facta comminutione sacramenti et completa oratione, quæ subnectitur Dominicæ orationi, communicat sacerdos et ministri, certis [cunctis] diebus fideles populi. In qua re iterum significatur unitas capitis, id est Christi et Ecclesiæ, id est corporis Christi, sicut ipse dicit : « Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo (*Joan.* VI). »

Consideratione trium portionum supra memoratarum, dum sacramenta sumuntur, ter Agnus Dei a choro cantatur. Primo orat Ecclesia agnum non figurantem istum agnum, sed verum tollentem peccata mundi, ut inter ejus membra numeretur, cujus corpori communicat et sanguini, id est, ut adhæreat ei tanquam capiti. Orat secundo eumdem agnum, quatenus societur illi parti corporis Christi, quæ jam cum capite quiescit in pace. Hoc superioribus oravit sacerdos, cum memoratis apostolis et martyribus addidit : « Intra quorum nos consortium non æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus, largitor, admitte. » Tertio orat eumdem Agnum, ut mundi, pressuris non superetur, et malitia, quod superius comprehendebat oratio Dominica : « Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. Amen (*Matth.* VI). » Et hoc ipsam continet Dominicæ orationi connexa oratio. Nihil jam restat de carnibus agni, quod non assumat hæc oratio. Devorat caput, cum seipsam facit ei corpus ; devorat intestina, cum computari vult et concorporari inter intima ejus membra ; devorat pedes, dum illos sibi incorporare studet, qui cum capite laboraturi sunt in terra. Unde in hac tertia oratione, pacem sibi dari poscit Ecclesia. Redit post hæc sacerdos ad dexteram partem altaris, et ibi officium Missæ consummat significans quia « cum plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus erit (*Rom.* XI). » Notandum est quod post contrectata et sumpta sacramenta, sacerdos antequam se convertat ad conventum Ecclesiæ, qui tantæ sanctitatis participatione mundatus esse debuerat, tanquam a contactu immundæ et moribundæ rei manus lavat, et in locum sacrum huic cultui deputatum, ipsa aqua vergitur, quæ omnia sine magnæ rei sacramento fieri non videntur. Ubi mihi occurrit, quod huic facto concinit, videlicet, quod sacerdos in die propitiationis, postquam crematæ fuerant carnes vituli, et hirci extra castra, non ante in castra revertebatur, donec vestimenta ejus et carnes ejus, quæ exteriora et interiora significant, abluerentur. Et tamen ita lotus secundum legem, usque ad vesperam immundus re-

putabatur. Qui enim carnes victimarum extra castra cremabant, Christi passionem extra civitatem factam præfigurabant. Nostri autem sacerdotes passionem, quam illi, ut dictum est, præfigurabant, in celebrationibus missarum factam esse commemorant, et tamen se immundos usque ad vesperam, id est, quandiu vivunt, et tantis mysteriis exsequendis indignos se judicant.

Unde ait beatus Joannes : « Si dixeremus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, et veritas in nobis non est (*I Joan.* I). » Inde et Dominus in Evangelio : « Cum feceritis quæ præcipio vobis, dicite quia servi inutiles sumus : fecimus quæ facere debuimus (*Luc.* XVII). » Idcirco manus lavant, et aquam ablutionis honeste tractant, per quod altitudinem sacramenti honorant, et indignitatem suam tali ablutione commemorant. Ita et sacerdos antequam ad sacramenta tractanda accedat, manus lavat; sicut pontifex Sancta sanctorum ingressus, introitu tabernaculi testimonii manus suas lavabat, et sic ad incendenda aromata veniebat. Hæc munditia exhibetur exterius, sed interius perfici jubetur, quia « omnis gloria filiæ regis ab intus (*Psal.* XLIV). » Non enim lutum manuum nostrarum sacrosancta sacramenta contaminat : sed nos, qui nisi correctis moribus et castigatis actibus ad ea tractanda et sumenda accedamus, non inde medicinam vitæ accipimus, sed judicium mortis incurrimus. Testis est Apostolus, dicens : « Qui indigne manducat et bibit, judicium sibi manducat et bibit (*I Cor.* XI). » Unde satagendum est, ut, sicut exteriora abluuntur inquinamenta manuum, sic interiora purgentur illecebrosa desideria mentium. Sequuntur dehinc orationes, in quibus fit perceptorum beneficiorum commemoratio, et gratiarum actio : quæ duo sunt tanquam cineres vitulæ extra castra combustæ, quos reponit homo mundus ab interfectione Christi in loco mundo, id est, retinet in corde mundo. Extra castra, id est. extra observantiam Judaicam, extra quam fides Christiana enituit. Quibus omnibus expletis, dicit sacerdos vel Levita : « Ite, missa est, « id est, meditatio et intercessio quam ministraverat [insumpserat], consummata est. Possent quæ scripsimus, multis veterum figuris explicari, et multis expositionum diversitatibus dilatari, multis schematum phaleris exornari; sed non fuit propositum nostrum in hoc opusculo ita exsequi, et plantare nemus in domo Domini. Tantum fuit propositum nostrum, convenientiam quærere inter vetus et novum sacerdotium ut quod ibi multplici sacrificiorum ritu præfigurabatur, in novo sacerdotio paucissimis et factu facillimis et augustissimis sacramentorum observationibus completum esse monstretur. Nec nos hæc sufficienter fecisse confidimus de eo, qui per quemdam sapientem dixit : « Pertransibunt plurimi, et multiplex erit scientia (*Dan.* XII), » quia contemporanei nostri vel successores, nostra pia præsumptione provo-

A cati, prout **284** eis Deus donaverit, dicent majores majora, et meliores meliora; et si quid impolitum vel minus perfectum, quantum ad propositum meum, in hoc opusculo invenerint, parcent charitati, quæ forsitan ad unguem dicere non valuit quod voluit.

SERMO VI.

Quare Deus natus et passus sit.

Corrupto peccatis originalibus et actualibus mundo, mundi Conditor secreto et mirabili consilio per mysterium Verbi incarnati ejusdem mundi lapsum voluit reparare : qui eo verbo, quo potuit de nihilo cuncta creare, potuit quæ perdita fuerant reformare : « Ipse namque dixit et facta sunt : ipse mandavit et creata sunt (*Psal.* XXXII.) »
B Hanc ejus potentiam non credimus minoratam, non credimus immutatam, « apud quem non est transformatio, nec vicissitudinis obumbratio (*Jac.* I) : » quo minus esset potens et supiens in reformando, quam fuerat in plasmando (*Luc.* I). Omnipotentis quippe figuli manus, cujus « universæ viæ misericordia et veritas (*Psal.* XXIV), » quæ lutum de terra levatum, rationalis naturæ dignitate sublimaverat, sic voluit ruinam vasis fragilis reformare, ut nec peccatum hominis dimitteret impunitum, quia justus est : nec insanabile, quia misericors est. Si justus tantum esset, cujus sapientia « attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter (*Sap.* VIII), » potuit sua fortitudine adversus seductorem humani generis
C contendere, et ovem perditam ad gregem reductam, suo Domino restituere : sed hoc modo videretur eminentiam tantum ostendisse virtutis suæ, non medicinalem misericordiam impendisse redemptis : nec appareret, quanta charitate conditor creaturam diligebat, a qua se diligendum esse multiplici beneficio expetebat : quatenus miser homo, præcedente gratia, obtineret etiam per meritum, quod ei male merito rependebatur indebitum. Quod ergo Dei sapientia potuit facere sapienter et fortiter, voluit facere suaviter, uniens sibi infirmitatem carnis nostræ, quam primo in se sanaret, et per hanc quasi medicinalem confectionem generi humano sanitatem restitueret : non quod non potuit aliter fieri, quantum ad peritiam et potentiam medici : sed quia non potuit
D commodius antidotum procurari, quantum ad complexionem ægroti. « Quod enim infirmum est Dei, fortius est hominibus : et quod stultum est Dei, sapientius est hominibus (*I Cor.* I). » Hæc conversatio [causa] nobis specialis esse videtur, cur Dei Filius hominem induere voluerit, et inter homines conversari, ut mortalitatem quam a nobis acceperat, moriendo superaret; et naturam nostram supra primæ originis dignitatem reparatam secum ad immortalitatem revocaret, ut eo sequeretur humilitas gregis, quo præcessit celsitudo pastoris. Sic radius solis humorem, quem ad se trahit, exsiccat : ipse tamen virtutem caloris

sui et splendoris nec minorat, nec immutat. Sic ignis materiam quam assumit, in se convertit : naturam vero suam ideo nec mutat, nec minuit. Multo fortius ille ignis, de quo dicitur : « Deus noster ignis consumens est (*Hebr.* XII), mortalitatem nostram et passibilitatem in se assumpsit : et inde gratia sanitatis [sanitatem] totum corpus resumpsit. Mirabile et incomparabile genus medicinæ, propter quam medicus voluit ægrotare : et ægrotos, quibus salutis remedium procurabat, sua decrevit infirmitate sanare. In hoc apparet, quam incomparabili charitate nos dilexerit : quia in eo, quod desertores suos quæsivit, semen Abrahæ apprehendit, errantes reduxit, saucios curavit, nihil sibi addidit : non est inde factus altior, non est factus inde beatior. Tota hæc dispensatio nostræ utilitati consuluit, nostræ saluti militavit, divinæ potentiæ nil contulit. Nam et cum essemus vasa contumeliæ, Omnipotentis figuli manum effugere non potuimus : utebatur vasis iræ, prout volebat, ad manifestationem suæ gloriæ. Sic enim dictum est Pharaoni : « In hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam, et annuntietur nomen meum in universa terra (*Exod.* IX; *Rom.* IX). » Nonne et dæmones, cum ejicerentur a Domino de corporibus obsessis, Dominum glorificabant, quando dicebant : « Quid nobis et tibi, Jesu fili Dei vivi? quid venisti ante tempus torquere nos ? » (*Marc.* I.) Constat ergo ex his et hujusmodi aliis, quia divina virtus nostra reparatione non eguit : sed tamen ea bonitate, qua nos condidit, eadem reformare nos voluit, et ad hoc, medicamen non quam forte potuit, sed quod lenius complexioni ægrotantis competere conspexit, apposuit. Solent quippe medici periti ægritudines, quas curandas suscipiunt, aliquando curare per contraria, aliquando per similia. Hoc fecit Dominus noster Jesus Christus, sua paupertate nos ditans, sua humilitate nos sublevans, sua infirmitate nos sanans, sua morte nos vivificans. Sic ratione medicinæ sicca humidis, humida siccis, calida frigidis apponuntur, et minus fortia contraria a fortioribus contrariis supervenientibus superantur. Simili ratione similia similibus apponuntur, cum secundum quantitatem vulnerum vel tumorum, mensurantur longitudo vel latitudo epithematum. Sic scorpionis carnes oleo coctæ percussionibus medentur scorpionum. Sic theriaca de serpentis carne, confectum morsibus serpentis occurrit et potiones veneno infectas, in potu sumptum expellit. Ad hanc similitudinem medicus noster mortem nostræ carni, de serpente venientem, carnis suæ morte sanavit, et ad immortalitatis suæ speciem in tempore restitutionis complendam, reformavit. Ubi diligentius attendendum est quod mors quæ per lignum venit, per lignum superata est. Et ipsa ligni forma longitudini, et latitudini, et altitudini humani configurata est corporis, quo sicut totum corpus motum est, ut manus ad vetitum extenderentur, ita corpus per omnia membra sua in cruce distenderetur, et totum quod reatu paterni delicti contractum fuerat, hujus emplastri malaxatione consolidaretur. Sed huic medicamento per similia composito admistum est medicamentum factum per oppositum. Nam hic sanavit obedientia, quod ibi corruperat inobedientia : et quod ibi contaminavit gulæ oblectamentum, hic reformavit crucis tormentum. Continetur in hac crucis figura altius sacramentum : quod quanto est altius, tanto est attendendum diligentius. Intelligitur namque in latitudine crucis dilectio proximi quæ non tantum usque ad amicos, sed etiam extendenda est usque ad diligendos inimicos. Intelligitur quoque in ejusdem longitudine longa et perseverans laborum et persecutionum sustinentia, quam patienter ferre debet ad patriam spirans nostra peregrinatio, tam pro dilectione proximorum, quam pro exhibitione omnium bonorum operum. Figuratur simili ratione in altitudine ejus, eminentia spei penetrans usque ad interiora velaminis, ubi **285** visione pacis perfruentur, qui hic a civibus Babyloniæ multipliciter exercentur : donec in libertatem gloriæ filiorum Dei, a servitute corruptionis hujus liberentur.

Significavit hanc latitudinem charitatis Dominus Jesus in cruce, caput ad orientem subrigens, pedes ad occidentem submittens, manus ad aquilonem et austrum extendens, ut adimpleret quod de se ante passionem suam prædixerat :« Cum exaltatus fuero a terra,» id est, cum crucifixus fuero, « omnia traham ad meipsum (*Joan.* XII), » id est convocabo ad me totum mundum. Hoc sacramento crucis, sanctus Elisæus filium Sunamitidis, os ori, manus suas manibus ejus applicans, suscitavit, et vivum matri restituit (*IV Reg.* IV). Ejusdem virtute sacramenti, Moyses in deserto bis silicem virga percussit, et sitienti populo aquam de petra produxit. Bina quippe percussio duum lignorum figurate intelligitur in cruce facta compactio. Bis ergo petra percutitur, cum Christus,de quo dicit Apostolus :« Petra autem erat Christus (*I Cor.* X),» in duobus lignis crucis extensus, lancea perforatur. De hac petra aqua profluxit, cum sanguis redemptionis et aqua baptismatis quibus in novum hominem transformamur, de latere Christi manavit. Præterea inter has crucis dimensiones, solerter attendenda est crucis profunditas,quia profundum est mysterium crucis : in quo multorum, qui sapientes videbantur esse, ingenia defecerunt,qui hoc ausi sunt reprehendere,quod non potuerunt humana ratione comprehendere : videlicet, cur verbum Deo patri coæternum, omnia continens, omnia implens, in assumpto homine totum se incluserit,et tamen totum mundum regere,complere et continere non desierit,non satis considerantes quod valet in minori, multo magis posse valere in majori, cum vox una et tota de ore loquentis prodeat,et tota ad aures multorum perveniat.Qui de hac quæstione scrupulosius disputant,et tanquam clauso ostio ad parie-

tem palpant, audiant primum dicentem Apostolum : A « O homo, tu quis es qui respondeas Deo ? » (*Rom.* IX). Deinde mitescant, et cum pietate pulsent, ut aperiatur eis, et intelligent justum fuisse conditorem in condemnando, et misericordem in redimendo : nec potuisse sanari sine misericordia, quod juste condemnaverat Omnipotentis justitia. Hinc consequenter advertent, cum usque ad captivati hominis paupertatem et crucis ignominiam se humilaverit divina omnipotentia (*Philip.* II), quæ in paradiso reum hominem justa condemnaverit sententia. Cum enim perpetrata a Domino argueretur inobedientia, non se humiliter, ut culpa exigebat, accusavit, sed auctorem superbe accusavit dicens : « Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de fructu, et comedi (*Gen.* III). » Hæc dicendo, se putavit excusatum et B creatorem, mulieris conditorem, quæ ad peccandum virum traxerat, esse inculpatum. Qui si humiliter se accusasset et in auctorem suum culpam non retorsisset, a paradiso non exulasset. Erat autem contra divinam justitiam, si reum impœnitentem in pristinum gradum restituisset, et non usque ad dignum pœnitentiæ fructum qua vellet ratione compelleret. Divina itaque sententia morti est adjudicatus, et cum tota posteritate, quæ de lumbis ejus erat processura, ejectus est de paradiso, et ærumnoso condemnatus exsilio : et qui sine pœnitentia in statum suum redire non poterat, movendus et admonendus erat ad pœnitentiam, ut reformaret voluntarium subdita humilitas [voluntaria et subjecta humilitas], quem corruperat male erecta iniquitas. Non enim conveniens erat, ut invitus traheretur ad C pœnitentiam, qui spontaneus corruerat in pœnam : ne itidem ingratus existeret suæ reformationi, sicut exstiterat primæ conditioni. Provisum est igitur tale medicamentum, quale conveniebat ægroto, quo duritiam tumoris sic emolliret, ut mollefactus, sponte mortiferum virus effunderet, dicente Psalmista: « Effundite coram illo corda vestra (*Psal.* LXI), » id est, per confessionem ejicite de conscientiis vestris omnia immunda. Quod quandiu tardavit facere mundus, tandiu remansit immundus. Ut ergo hoc fieret, misit medicus noster præcones et testes suos ante se legislatores et prophetas, qui corda auditorum ad pœnitentiam præpararent, et ei in tempore gratiæ testimonium perhiberent. Venit ipse medicus in tempore plenitudinis, publice prædicavit causam adventus D sui, factus est doctor medicinæ, dicens : « Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum (*Matth.* IV). » Et item : « Qui credederit et baptizatus fuerit, salvus erit (*Marc.* VI). » Hoc concilium medicinæ acceperunt multi. Contemptoribus placuit adhuc magis sibilus serpentis perimentis, quam persuasio medici redimentis [redemptoris]. Filius vero adoptionis audivit, et obaudivit voci promittentis, qui in paradiso non obedierat præcepto mortem comminantis. Expleta dispensatione doctrinæ suæ, et cæcitate in Israel ex parte perdurante, tandem exhibuit se medicum, et fecit de seipso medicamentum: exibuit se sacerdotem, et fecit seipsum sacrificium, ut compleret ad quod venerat, et probaret quanta dilectione dilexerat eos, pro quibus corpus suum in ara crucis offerebat. Unde et in Evangelio suo ante prædixerat : « Majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis (*Joan* I). » Hinc est quod Apostolus dicit : « Commendat charitatem suam Deus in nobis, quia cum inimici essemus, reconciliavit nos sibi per mortem Filii sui (*Rom.* V). » Et quia naturale est ut homines diligentes se diligant, hac humilitate et charitate humiliata est et liquefacta duritiam undi, ut agnosceret beneficium suæ reparationis, quæ non agnoverat excellentiam suæ conditionis. Unde Psalmista : « Homo cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis (*Psal.* XLVIII). » Postquam vero ad se reversus est, et per dilectionem redimentis, et eruditionem admonentis cognovit de quanta corruisset gloria, et in quanta versaretur miseria, expertus est quod magna indigeret misericordia, et impletum est quod dicit Psalmista : « Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt (*Psal.* XV). » Prædicata est exinde virtus crucis per universum mundum, quæ partibus suis per quatuor mundi partes est extensa, et totum mundum sua malaxatione complexata complevit. Nec jam potuit ex toto mundus esse ingratus, qui tanta fuerat charitate sanatus. Crucifixus noster a morte surrexit, cœlos ascendit, crucem nobis in memoriam suæ passionis reliquit. Crucem reliquit ad sanitatem, crucem reliquit ad sanctificationem. Hoc signo dæmones fugantur, hoc antidoto sanitates perficiuntur ; hoc signum præsidium amicis, obstaculum inimicis. Hujus crucis myterio rudes cathechizantur, eodem mysterio fons regenerationis consecratur : ejusdem crucis signo per manus impositionem baptizati, dona gratiarum accipiunt; cum ejusdem crucis signi charactere basilicæ dedicantur, altaria consecrantur, **286** altaris sacramenta cum iuterpositione [impositione] Dominicorum verborum conficiuntur. Sacerdotes et Levitæ per hoc idem ad sacros ordines promoventur, et universaliter omnia sacramenta ecclesiastica in eis perficiuntur. Qui hoc mare magnum et spatiosum, in quo sunt reptilia, quorum non est numerus, absque naufragio transire dederat, crucem sequatur, crucem teneat, et eam non deserat, donec ad optatum salutis portum perveniat. Hoc cursum nostrum dirigit, hoc ad agonem nos instruit, hoc in luctamine adjuvat, hoc ad victoriam provehit, hoc maleficia destruit : et omnia dæmonum machinamenta ad nihilum redigit. Et quod faciebat in terris corporalis Christi præsentia, hoc facit cum fideli invocatione nominis Christi victoriosæ crucis insignita memoria. Longum est per singula virtutem crucis exponere. Qui vero in angaria, Christi crucem portat, poterit plura de ejus virtute experimento cognoscere, quam possit sermo retexere, vel humana cogitatio comprehendere.

SERMO VII.
De Adventu Domini.

Quoniam præsentium observatione dierum, utrumque Christi adventum celebramus, distiguendum est fraternitati vestræ, quid hac observatione præteritum debeatis credere, quid futurum exspectare, quatenus exspectatio futurorum, per timorem sollicitos vos compescat a malis : præteritorum autem fides, per charitatem non tepescentes confirmet in bonis. Dominum enim jam in forma servi venisse, ut judicaretur, nemo est vestrum qui dubitet : eum in eadem forma venturum ut judicet, nemo est vestrum qui neget. Primus ergo adventus ejus occultus, secundus manifestus. De primo enim adventu ejus ita legitur : « Et homo est, et quis cognoscet eum ? » (*Psal.* LXXXVI). Et in Evangelio : « Lux in tenebris lucet, et tenebræ eum non cognoverunt (*Joan.* I), » et multa in hunc modum. De secundo autem ita habetur in psalmo : « Deus noster manifeste veniet, et non silebit (*Psal.* XLIX). » Primo quidem adventu siluit, non a præcepto, sed a judicio. « Cum enim malediceretur, non maledicebat : cum percuteretur, non comminabatur (*I Petr.* II ; *Isa.* LIII), » et sicut agnus coram tondente se sic non aperuit os suum. Secundo non silebit, cum unicuique reddet secundum opera sua. Ita enim dicturus est eis, qui a sinistris ejus erunt : « Ite, maledicti, in ignem æternum (*Matth.* XXV). » Ita vero his qui a dextris ejus erunt : « Venite, benedicti Patris mei : percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi (*ibid.*). » Primus adventus humilitate et mansuetudine, secundus cum terrore et majestate. De primo enim per prophetam dicitur Ecclesiæ : « Ecce rex tuus venit tibi mansuetus et humilis (*Zach.* I ; *Matth.* XXI). » De terrore secundi ita dicitur in psalmo : « Ignis in conspectu ejus exardeseet, et in circuitu ejus tempestas valida (*Psal.* XLIX), » ut reprobos ad gloriam visionis ejus tempestas procul pellat, quos deinceps ignis exurat [urat]. De hac tempestate scriptum est : « Tollatur impius, ne videat gloriam Dei [*Isa.* XXVI). » De igne autem, cui tradendi sunt reprobi, ita dicit Dominus per Moysen : « Ignis succensus est in furrore meo, et ardebit usque ad inferni novissima (*Deut.* XXXII). » Cum majestate quoque se venturum ad judicium ipse sic dicit : « Cum venerit Filius hominis in majestate sua, congregabuntur ante eum omnes gentes (*Matth.* XXV). » Primo adventu venit impios justificare, secundo venturus est impios condemnare. Primo venit aversos revocare, secundo conversos glorificare. Primo adventu Christus pro impiis indebitæ morti traditus est, secundo impios debitæ morti traditurus est. Primo adventu venit nos intus reformare ad imaginem Dei. Secundo autem « reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ (*Philip.* III). » Sicut enim per primum hominem terrenum, peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors (*Rom.* V), ita congruum erat, ut per secundum hominem cœlestem, homo primum a

A peccato justificaretur, postmodum per eumdem immortalitati restitueretur (*I Cor.* XV). Eo enim ordine quo perierat, eo ordine reparandus erat. Prima quippe mors, prævaricatio ; ex qua generata est secunda, per subtractionem animæ carnis corruptio. Ita ergo prima resurrectio, justificatio ; secunda, in immortalitatem carnis corruptæ, reformatio. Quia vero uterque adventus nostræ restaurationi fuit necessarius, utrumque sub unius temporis observatione sancta venerari consuevit Ecclesia ut, inchoata prioris beneficia recolat cum gratiarum actione : consummata vero futuri adventus bona, cum pia exspectet trepidatione. Idcirco ea quæ de utroque Domini adventu in lege et prophetis et psalmis et Evangelio scripta sunt, his quatuor hebdomadibus specialius
B legendo et cantando recitantur in Ecclesia, ut his quatuor testimoniorum generibus, de perceptis beneficiis ad gratiarum actionem muniamur [moneamur], ad futuram vero sollicitudine non pigra præparemur. Conservamus igitur primam innocentiæ stolam, quam in primo adventu recipimus, ut cum ea ad nuptias patrisfamilias occurrentes, alteram quoque stolam immortalitatis percipere mereamur. Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus : ut quem redemptorem læti suscipimus, venientem quoque judicem securi videamus. « Dies Domini, » sicut ait Apostolus, « quale sit opus uniuscujusque declarabit, quia in igne revelabitur (*I Cor.* III). » In die quippe Domini iste aer terræ vicinus, quousque aquæ diluvii ascenderunt, igne replebitur : per quem transibit omnis resurgens, qui ante
C tribunal Christi præsentabitur. Sicut vero ignis aurum et argentum aut probat, aut purgat : sic ignis iste resurgentium opera perfecta probabit, imperfecta purgabit. Sic enim dicit Apostolus : « Si cujus opus manserit, igne probabitur : si cujus opus arserit, ipse salvus erit, sic tamen quasi per ignem (*ibid.*). » Hæc scientes, charissimi, præparemus nos in [ad] adventum judicis : ut non quod condemnet, sed quod coronet, in nobis inveniat. « Præoccupemus adventum ejus in confessione (*Psal.* XCIV), » plangamus mala quæ fecimus : statuamus judices conscientias nostras adversum nos, quia sicut ait Apostolus : Si nos judicaremus, non utique judicaremur (*I Cor.* XI). » Summus enim Pontifex, qui seipsum pro nobis obtulit Deo Patri, adhuc interpel-
D lat pro nobis ad dexteram Patris (*Hebr.* IX ; *Rom.* VIII) : adhuc reservat peccantibus locum veniæ, qui aversis et non reversis postmodum solum reservat locum vindictæ. Dum igitur tempus habemus, vitemus vindictam prioris vitæ per correctionem [vitæ correptione], quæramus misericordiam per observantiam justitiæ ne postremo adversum nos districtus judex sedeat, qui nunc pius pontifex pro nobis interpellat Jesus Christus Dominus noster (*ibid.*).

287 SERMO VIII.
De Nativitate Domini.

In divinæ miserationis magnitudinem libet aciem

mentis intendere, et quantum rationalis creatura suo debeat Redemptori, ex beneficiorum commemoratione colligere. Primo quidem quia hominem cum non esset, mirabiliter de terra plasmavit, dehinc cum astutia serpentis et fallacia mulieris perditus esset, mirabilius reformavit. In plasmando mira potestas, in reformando mirabilior potestatis apparuit humilitas. Nec enim adeo humana miratur infirmitas, si potens aliquis innumeros servos suæ ditioni servituros potenter acquirat, quam si eosdem fugitivos interim abscondita potestate, minis remissis, indebitæ humilitatis blandimentis revocatos apprehendat. In primo statu conditionis homo desipiens, quia timuit potestatem, non dilexit majestatem: appetivit libertatem, incurrit servitutem: et qui per obedientiam potuit deificari, ex hoc ambiens vanitati meruit subjugari. Benignus ergo conditor nolens perire quod creaverat, in habitu servi conservis apparuit, ut familiari colloquio insinuaret majestatem, excitaret ad charitatem. Facto itaque collyrio de terra et saliva, cæci nati oculos aperuit, quia Dei sapientia, in unitate personæ nostræ naturæ conjuncta in humano genere cæcato a prima origine intellectum, quo Deum cognosceret, et amorem quo agnitum diligeret, reformavit, ut jam multiplici beneficio obligatum eum non amare non posset, cujus tam multa beneficia in se præcessisse cognosceret. In beneficio enim primæ conditionis, sapientia et virtus conditoris enituit: in beneficio autem reconciliationis, quo aversos et male meritos ad se revocavit, pœnas remisit, præmia repromisit, quantum, quod condidit amaret, evidenter ostendit, et sic in iis quos prior dilexerat, ignem sui amoris accendit. Agnovit enim ægrotus medicum suæ salutis affectuosum et peritum, miratus et humilitatem, miratus et sapientiam, dilexit sanitatem. Agnovit quod pretiosum esset antidotum, quod cum fecerat medicus suus ad evadendum morbum tam acutum, tam inveteratum: etiam ingratus esse non potuit, qui tot beneficia sui Redemptoris accepit. Humilitatem quippe agnovit, quia ipse medicus noster infirmitate carnis nostræ tanquam in lecto discubuit infirmantium, ut experiretur quid sanandum infirmis suis esset necessarium. Sapientiam quoque hujus medici novit ægrotus, quia juxta rationem medicinæ, in quibusdam sanitatem contulit ægrotis per similia, in quibusdam morbus evacuavit per contraria. Per similia quidem, quia natus est ut renasceremur; infirmatus est, passibilia nostræ mortalitatis perferendo, ut nos ab omni passibilitate servaremur; crucifixus est, ne nos cruciatibus æternis subjiceremur; mortuus est temporaliter, ne nos in æternum moreremur; suscitatus est, ut ei consuscitaremur: ascendit, ut per suam ad dexteram Patris sessionem secum traheret devoti gregis humilitatem. Si vero quibus contrariis contrarios morbos evacuaverit, attendatur, videmus quia per personam servi nostram reparavit libertatem, per humilitatem suam dejecit antiqui hostis superbiam, per suam obedientiam

A nostram sanavit inobedientiam. Hæc omnia et verbo docuit, et exemplo probavit, ut quæ imitanda proposuit, obedienter impleremus: quæ speranda promisit, sine hæsitatione speraremus. Quantum autem pretium pro nobis redimendis solverit iste medicus. a montibus audiamus. De profundo enim clamat ille mons altus, cui a monte montium commissæ sunt claves regni cœlorum. Non enim corruptibilibus auro et argento redempti estis de vana vestra conversatione, sed pretioso sanguine agni immaculati (*Matth.* XVI; *I Petr.* I). Huic consonat alius mons, a sole justitiæ illustratus doctor gentium: «Empti estis pretio magno, glorificate Deum et portate in corpore vestro (*I Cor* VI). » Agnus iste immaculatus non ille est, qui in veteri sacrificio requirebatur absque

B maculæ varietate de pecoribus natus: sed verus et innocens, de immaculato virginis utero generatus; non ille, cujus sanguine postes tingebantur, sed in cujus fide fidelium frontes crucis impressione signantur; non ille, cujus sanguis sacerdotum manibus fundebatur, sed qui a seipso sacerdote vero pro salute nostra offerendus præfigurabatur. Neque enim æque digna hostia, æque munda potuit inveniri, quæ pro nobis emundandis offerretur, neque sacerdos æque dignus, æque mundus, a quo tam digna hostia digne offerretur. Ipse enim de seipso sic ait: « Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam, et iterum summo eam (*Joan.* X). » Iste agnus sine macula et ruga virginem sibi sponsam sociavit, sicut ibi matrem virginem antea sanctificavit. Unde nativitas, qua temporaliter natus est Christus, non dis-

C similis est nativitati, a qua spiritualiter nascitur Christianus. Sicut enim Christi mater virgo concepit, virgo peperit, virgo permansit, sic mater Ecclesia Christi sponsa, lavacro aquæ in verbo Christianos populos quotidie generat, ut virgo permaneat. In illa carnis integritas, in hac commendatur fidei puritas. Audiamus Paulum amicum sponsi casto amore zelantem sponsam non sibi, sed sponso Ecclesia Corinthiorum sic dicentem: « Æmulor enim vos Dei æmulatione, despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo (*II Cor.* X). » Hic quidem pignore spiritus subarrhata in integritate fidei, in morum honestate, fidei virgo est de spe ad spem producenda, ut ibi plena jucunditate in pleno sponsi amore gaudeat, cujus arces [artes], contem-

D pta omni serpentis seductione, conservat. Quomodo autem matrem carnis suæ sanctificaverit, deinceps audiamus, ut inde lætetur catholicus, immundus confutetur hæreticus. Omnem quippe nævum tam originalis, quam actualis culpæ in ea delevit: sicque carnem ejus sumens, eamdem in divinam munditiam transformavit. Etenim sic ait Scriptura: « Deus noster ignis consumens est (*Deut.* IV; *Hebr.* XII). » Sicut ergo ignis materialis omnem materiam quam assumit, mundans, in se convertit; sic materiale, carnis nostræ quod divinus ignis assumpsit, divinitatis expers esse non potuit, quatenus, quod Deus est per naturam, hoc inciperet habere per gratiam.

Prima etenim humani generis parens, quia serpentinæ persuasionis virtus excepit, duplici maledicto succubuit, ut et cum viro mortem incurreret, et ut filios quos carnis delectatione conciperet, cum dolore parturiret. Hujus maledictionis omnes filiæ Evæ hæredes successerunt, et omnes filios suos sub necessariæ mortis condemnatione genuerunt. Sola hæc mater, quæ non sibilo serpentis, sed angeli nuntiantis verbis credidit benedictionem, quæ utrumque maledictum excluderet, audire promeruit : « Benedicta tu in mulieribus (*Luc.* XIV), » quia nec per concupiscentiam **288** carnis concipies, « nec filium in dolore paries : et benedictus fructus ventris tui (*ibid.*), » ipse videlicet filius qui nec ex sanguinibus, neque ex voluntate viri natus, non necessitate, sed voluntate temporalem subiit, et ab æterna nos morte liberavit. In hac Christi Nativitate Deus homo natus est, ut homines renascerentur dii. In hac inclinatur divinitas, ut sublimetur humanitas. Inclinans se Deus tanquam humilis et fortis adjutor, quasi humerum supponit ad sublevandum, et inter tantam dissimilitudinem corruptibilis naturæ et incommutabilis substantiæ, personam suam utriusque naturæ participem, mediatricem opposuit, quæ per id, quod nobis habet æquale, sublevaret, et tanquam de laterna carnis lippientibus oculis, et solem nisi sub nube videre volentibus, temperati luminis jubar effudit, et ignorantiæ nostræ tenebras illustravit. Miser etenim homo ad imaginem Dei conditus, « cum in honore esset, non intellexit: et « ideo » similis factus est jumentis insipientibus (*Psal.* XLVIII.) » Hæc jumenta fenum, quo alerentur, non habebant: panem suum comedere fuerant oblita, sicut deplorans ait Psalmista: « Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum (*Psal.* CI). » Ideo panis angelorum factus est fenum animalium, id est alimentum simplicium, ut inde lac sugeret parvulus, unde forti cibo pascitur angelus, sicque in virile robur educatus per alimoniam lactis, quandoque pertingat ad internum et æternum gustum divinæ majestatis, id est, quod « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis (*Joan.* I). » Verbum Domini in principio apud Deum contempletur cum angelis, interim per speculum in ænigmate, postea vero manifesta visione. Hic sicut in via, ibi sicut in patria; hic beneficia per medicum nostræ salutis sapienter, fortiter, mirabiliter et misericorditer nobis esse collata gaudeamus. Horum recordatione peregrinationis nostræ labores relevemus, quatenus sic longanimiter militemus in via, ut donarium recipiamus in patria.

SERMO IX.

De Circumcisione Domini.

Dominici Natalis hodie diem celebramus octavum, in quo puer Jesu a parentibus carnis suæ, carnale suscepit circumcisionis sacramentum. « Non enim, sicut ipse ait, legem venerat solvere, sed adimplere (*Matth.* V). » Legem quidem adimplevit, quia de fæce carnalium observationum spiritualem intellectum eliquavit, et quædam ardua præcepta moralia,

A quæ Judæis propter imbecillitatem suam remissa fuerant, in Evangelio præceptis eorum supperaddidit, et ipsas observantias carnales usque ad tempus correctionis carnaliter observavit. Inde est, quod puer a parentibus octava die circumcisus, quadragesimo die ab eisdem cum legalibus hostiis in templo est præsentatus (*Luc.* II). Juvenis etiam ad diem dedicationis, et ad cæteros dies festos Hierosolymis, sicut in Evangelio legimus (*ibid.*), frequenter occurit, et in nullo sacramenta illa legalia refutavit : donec in sancto die cœnæ immolato veteri Pascha, vetus sacerdotium in novum commutavit, quando seipsum convivam et convivium exhibuit discipulis. « Translato ergo sacerdotio, sicut ait Apostolus, necesse erat ut fieret etiam legis translatio (*Hebr.* VII). »

B Et hoc erat tempus correctionis, quando renovandæ erant carnales umbræ, sub quibus natus et usque ad virilem ætatem educatus est Christus. Unde dicit Apostolus: « Postquam venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, natum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret (*Gal.* IV). » Si enim aliquis observatione extraneus, scientibus legem, sacramenta legis exponeret, quis ei auditum præberet ? Recto ergo ordine magisterii, prius voluit auditor legis esse quam doctor : prius eam servare quam ejus sacramenta reservare, ut per vitam et doctrinam suam, ipse esse cognosceretur, cui testimonium dabant lex et prophetæ. Nunc ergo, quia quasdam causas reddidimus quare sub lege natus sit Dominus, de circumcisionis sacramento,

C quam in manibus habemus, quæ Dominus dederit, pertractemus. Octava et circumcisio uni concinunt sacramento. Octava in Scripturis, pro æternitate poni consuevit. Sicut enim septenarii numeri circuitu rerum temporalium volubilitas, ita per octavam, quæ septenario succedit, congrue designatur æternitas. Unde non inconvenienter colligitur, quia sicut præcedenti septem dierum spatio temporalem Christi Nativitatem repræsentavimus, qua venit inter homines hujus exsilii mala perferre, et languenti mundo sua bona conferre : ita præsenti octava, Christi Nativitatem in figura celebramus, quo in assumpto homine transivit de hoc mundo ad Patrem, qua transformata est ejus caro de corruptione in incorruptionem, de mortalitate in immortalitatem. In carne illius jam absorpta est mors in victoria

D (*I Cor.* XV), quam sicut in ea completam certa fide jam credimus, ita in nostra carne futuram certa spe non dubitamus ; ita enim dicit Apostolus: « Si complantati sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus (*Rom.* VI). » Quæ autem sit illa mortis similitudo, audiamus ab ipso : « Consepulti enim sumus ei per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus (*ibid.*). » Hæc mortis similitudo, perfecta est peccati abolitio, novitas vitæ, observatio justitiæ. Hæc ipsa est prima resurrectio in anima, de qua dicit Joannes: « Beati qui habent partem in prima resurrectione, in his

secunda mors, id est æterna, non habebit potestatem (*Apoc.* xx). » Hæc eadem est vera circumcisio, per quam non cutem carnis petrinis cultris exspoliamus, sed veterem hominem, id est veteris hominis similitudinem, Christo conformati, cum suis actibus deponimus. De qua alibi dicit Apostolus: Non enim circumcisio, quæ fit in manifesto, id est, in carne: sed circumcisio cordis, non littera, sed spiritu circumcisio vera (*Rom.* II). Illa ergo exterior, hujus interioris figura est, sicut de Abraham jam per fidem justificato, dicit idem Apostolus, quia « signum circumcisionis accepit signaculum justitiæ fidei (*Rom.* IV). » Bene autem convenit octavæ nostræ, quod circumcisio carnis in ea parte fit corporis, per quam humana mortalitas propagatur. Vera enim circumcisio in nostra octava, id est, in generali resurrectione complebitur, cum corruptibile hoc incorruptione, et mortale hoc immortalitate vestietur. Sicut autem in hac parte carnis jussa est impleri carnaliter, ut significaretur implenda est spiritualiter, sic in reliquis membris corporis implenda est spiritualiter, licet non exhibeatur corporaliter; quatenus, secundum Apostolum, « Non exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato, sed arma justitiæ Deo (*Rom.* VI). » Circumcidimus igitur aures ab illicito auditu, oculos ab illicito visu, nares ab illicito olfactu,
289 os ab illicito gustu, cor ab illicita cogitatione, linguam ab illicita locutione, manus ab illicito tactu, pedes ab illicito incessu, ne, secundum prophetam, Mors intret ad animas nostras per fenestras nostras, (*Jer.* IX). Unde primicerius martyrum Judæis, sensus corporis ab illicitius non observantibus, dicit: « Incircumcisi cordibus et auribus, vos semper Spiritui sancto resistitis (*Act.* VII). » Quoties ergo festivitatem istam annuis recursibus frequentamus, et secundum fidem gestorum, quæ de Christo leguntur, honoremus, ut eadem ad morum justificationem et ædificationem referentes, fidem firmam, charitatem non fictam, spem certam, tam diu teneamus, donec evacuato quod ex parte est, perfectionem nobis promissam comprehendere mereamur. His enim inconcusse manentibus, dissoluta hujus habitationis domo, domum non manufactam, æternam in cœlis habeamus [habebimus].

SERMO X.

De Epiphania Domini.

Hunc Epiphaniorum diem majores nostri tribus de causis sanxerunt haberi solemnem. Quas causas fidelis quisque cognoscit, qui Evangelicam historiam legere vel audire consuevit. De quibus pauca dicenda sunt: quomodo et divino militent honori, et quod nostræ conferant ædificationi. Prima causa contigit, quam hodiernum declarat Evangelium, (*Matth.* II), quando nova stella oriente, ortum veri luminis indicante, Magi in orientis partibus excitati, Hierosolymam venerunt, et inquisito loco nativitatis Christi, præfata stella præeunte, et super domum, ubi puer erat, stante, puerum invenerunt, et
A ei mystica munera obtulerunt, aurum, thus, et myrrham. Primo ad ædificationem fidei nostræ proficit, quod exorta nova stella ortum divini luminis in terris apparuisse nuntiavit, ne se rationalis creatura posset ab ejus agnitione excusare, cui videret etiam elementa servire. Qua in re Judæa minus excusabilis fuit, cum eum non credens, cujus ortum ex Scripturis didicit, magos tanquam primitias gentium videt per præsentia signa commotos adorare, et mysticis muneribus honorare. Isti etenim magi, non necromantici, ut quidam putant, sed gentium erant philosophi, qui usu didicerunt ex signis significata perpendere, et ex circumstantiis rerum, cognatos eventus agnoscere. Unde congrua significatione per aurum, quod regibus in tributum dari solet, regiam
B nati infantis potentiam; per thus quod in Dei sacrificio adoletur, divinam ejusdem infantis essentiam; per myrrham, qua mortuorum corpora condiuntur, mortalem figurare naturam. Hæc tria in Christi fuisse persona, catholica mater [Ecclesia] et credit et prædicat, et in cœlis regnantem non mysticis muneribus, sed auro, thure et myrrha de cordis sui apotheca prolatis honorat et adorat. Aurum etenim Deo offerimus, cum per patientiam probati, in tribulationibus non deficimus. Aurum quippe sicut cum malleis tunditur, producitur: ita pia anima, cum tribulatur, per patientiam ad meliora provehitur: et est ei tribulatio, tunsio; perseverantia, productio. Unde dicit Apostolus: « Tribulatio operatur patientiam, patientia probationem, probatio vero spem (*Rom.* V; *Jac.* I). » Thus quoque ei in ara cordis incendimus, cum
C interno ejus amore flagrantes, per studium compunctæ et lacrymosæ orationis ei placere contendimus. Myrrham quoque de nostri cordis arca proferimus, cum pro ejus amore vigilando, orando, jejunando; et aliis honestis exercitiis intendendo, petulantiam carnis edomanus. Unde in Cantico canticorum dicit sponsa: « Digiti mei distillaverunt myrrham primam (*Cant.* V). » Est quidem myrrha prima, castigatio carnis, cum discretione assumpta, quæ non laudes venatur populorum, sed ad vegetationem transit animarum. Hanc distillabant manus Pauli cum diceret: « Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne cum aliis prædicaverim ipse reprobus efficiar (*I Cor.* IX). » Nunc ista de prima Christi Epiphania, sive ad fidei, sive ad morum ædi-
D ficationem, pro brevitate sermonis dicta sufficiant.

Alia hujus festivitatis est ratio quod Jesus, impleto trigesimo ætatis suæ anno, in Jordanem venit ad Joannem, ut ab eo baptizatus, apertis cœlis, per Spiritum sanctum in columbæ specie apparentem, et Paternam vocem, Dei Filius est declaratus (*Luc.* III). Quibus rebus et de Christi nativitate nostræ fidei veritas approbatur, et de appetendo baptismo, et de ejusdem baptismi utilitate ad fidem venientium simplicitas informatur. Vita etenim Christi, vitam instituit Christiani. Cum ergo credis Christum non solum in se mundum, sed etiam scelerum mundi mundatorem, videlicet baptismi sacramentum a ser-

vo suscepisse, qua ratione quilibet mundus, quilibet sanctus, ne idem sacramentum a conservo susciperet, se poterit excusare ? His enim omnibus necessaria est regeneratio, quorum vitiosa præcessit generatio. Quod quia in eo non fuit, de quo legitur: « Generationem ejus quis enarrabit (*Isa.* XXIII) ? » solummodo propter formam implendæ justitiæ posteris relinquendam hoc sacramentum accepit. Quod vero eo descendente in aquas, cœli aperti sunt super eum, et Spiritu sancto descendente in eum, Filius Dei est appellatus (*Matth.* III), sublimitatem Christianæ gratiæ valde commendat, qui in aquis baptismi et flammeus gladius paradisum nobis intercludens exstinguitur, et paradisi aditus aperitur, et unusquisque baptizatus pignus Spiritus accipiens, per adoptionem Dei filius efficitur.

Tertia hujus festivitatis est causa, quod Dominus anniversaria baptismi sui die, coram positis discipulis suis, bonum conjugale sua præsentia et signorum suorum initio comprobavit, et eo quod in nuptiis aquam in vinum mutavit (*Joan.* II), magnum nobis mysterium commendavit: primo, per miraculi ostensionem, suam discipulis adhuc rudibus insinuavit divinitatem. Mystice vero aqua in vinum in nuptiis mutata, hoc insinuat, quod quando Deus humanæ naturæ sociatus est, et facti sunt duo in carne una, Christus et Ecclesia, tunc lex quæ hactenus carnaliter fuerat observata, per dispensationem humanitatis Christi spiritualiter est intellecta. Nos quoque de futura et insipida veteris hominis vita per hanc Christi et Ecclesiæ societatem translati sumus in filiorum Dei adoptionem. Possent quidem de his plura et prolixiora dici, et Scripturarum testimoniis comprobari ; sed ne prolixitate sermonis onerentur **290** auditores, nunc ista sufficiant. Modestus enim cibum tanto sumit utilius, quanto avidius : et tanto magis est fastidiosus, quanto magis est copiosus. His ergo supradictis, dilectissimi, secundum recordationem gestorum, de Christi divinitate et humanitate fidem nostram confirmemus, et his solemnitatibus, quas temporaliter celebramus, moribus et conversatione congruamus, ut per temporalia festa quæ agimus, pertingere ad gaudia æterna mereamur.

SERMO XI.

In Purificatione S. Mariæ.

Consuetudo ecclesiastica multas ex rebus gestis retinet similitudines, quibus et rerum gestarum repræsentat veritatem, et simplicium corda excitat ad pietatem, ut per ea quæ foris venerantur, ad internorum amorem rapiantur. Hinc est quod ad recordationem Dominicæ passionis in Ecclesia cruces erigimus, quod tempore Ascensionis vexilla, triumphum Christi significantia, in eminentiori loco ecclesiæ, tanquam in arcu triumphali sublimamus, quod sanctorum miracula, vel martyria picturæ imaginatione recordamur. Ex hujusmodi consuetudine hoc inolevit, ut hodierna festivitate fideles populi cum cereis luminaribus ad ecclesiam procedant, et A eadem benedictam missarum solemnitatibus sacerdotibus offerant. Novit enim vestra fraternitas, quod secundum evangelicam historiam Dominus Jesus quadragesima die a nativitate sua, hoc est, hodie a parentibus in templum est delatus, et ibi a sancto Simeone susceptus, et benedictus in templo est præsentatus (*Luc.* II). Hoc hodierna festivitate sancta repræsentat Ecclesia. Sicut enim sanctus Simeo in manibus accepit infirmitatem, sed intus agnovit majestatem, infidelitatis nostræ tenebras interiores illustrantem : sic quisque fidelis hoc sacramentum repræsentans, ceram in manibus portat, quasi carnem fragilem, sed superferri videt lucem, exteriores hujus aeris tenebras illuminantem (*Joan.* IV). Sicut enim caro Christi de mundissimo et B bono odore virtutum referta carne processit, et nec in concipiendo, nec in egrediendo matris integritatem violavit : sic cera quæ hodie gestatur fidelium manibus, de mundis et odoriferis floribus collecta, fructus est apis, virginis videlicet animantis, cujus, sicut legitur, sexum nec masculi violant, nec fetus quassant. Cum ergo eam sub hac significatione portamus, Christum portemus in ore, Christum portemus in corde, Christum portemus in manibus, ut dimissi in pace, cum Simeone sancto salutare Dei videre mereamur. Vultis scire quomodo Christum portetis in ore? Ipse de se dicit : « Ego sum veritas (*Joan.* XIV). » Sit ergo in ore vestro veritas, absit falsitas, absint vaniloquia, et turpiloquia, et erit in ore vestro Christus. Sit in corde vestro charitas, et erit ibi Christus. Sic enim dicit in Epistola sua C Joannes : « Deus charitas est : et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo (*I Joan.* IV). » Sit in operibus vestris innocentia, ut nemini quidquam suum auferatis. Sit justitia, ut cuique quod suum est, tribuatis, et habebitis in manibus Christum. Ipse enim nobis factus est a Deo, et justificatio et justitia (*I Cor.* I). Hunc ergo vobiscum ad ecclesiam apportate, hunc vobiscum reportate: et habebitis Christum vobiscum. Sic enim monet sanctus apostolus Paulus : « Empti estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro (*I Cor.* VI). » Quid est Deum portare ? Imaginem Dei repræsentare, Christum imitari. Hanc imaginem portat innocentia, portat justitia, hanc portat veritas, hanc portat castitas, hanc portat sobrietas, et omnis honestas. D Sicut enim portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cœlestis (*I Cor.* XV). Deponentes ergo veteris hominis lutulenta negotia, abjiciamus opera tenebrarum, et exerceamus nos in operibus lucis, ut videntes opera nostra bona, glorificent patrem nostrum, qui in cœlis est (*Matth.* V). His virtutum ornamentis exornemus domum cordis nostri, ut Deum inhabitatorem habere possimus. Sic enim hodie sub typo sponsæ sancta monetur Ecclesia : Adorna thalamum tuum, Sion, et suscipe regem regum Christum. Admonitio ista, ornamenta desiderat morum, non palliata vestimenta murorum, ut in sanctis moribus castæ mentis amator requies-

cat Dominus, sicut in ornato thalamo delectabiliter requiescit sponsus. Unde etiam in Evangelio (*Luc.* XII), jubemur lumbos præcingere, id est carnis fluxa frenare, et lucernas in manibus tenere, id est, proximis lucis exempla monstrare, ut parati inveniamur convivio cœlestis sponsi interesse, et cum eo sine fine gaudere. Quod nobis misericorditer præstare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui pro nobis dignatus est temporaliter nasci, ut per eum possimus in æternitate renasci.

SERMO XII.

De Septuagesima.

Scientes, dilectissimi, quia quandiu sumus in mundo, peregrinamur a Domino (*II Cor.* v), quotidianis lacrymis oportet nos hujus exsilii mala deflere, et ad æternam patriam toto desiderio anhelare. Sed quia Ecclesia multis honorata sacramentis, hoc publicis conventibus quotidie frequentare non valet, sub typo universi temporis commendati sunt nobis specialiter hi septuaginta dies, quibus recitatione lectionum et canticorum, casum generis humani recolimus, et mortalitatis nostræ dolores attendentes, quotidie doleamus. Unde in introitu hodiernæ missæ sancta Ecclesia per lapsum primi parentis mortem sibi illatam esse deplorat, et in doloribus hujus vitæ ad hæc inferiora detrusæ, dolere se clamat : « Circumdederunt me gemitus mortis, dolores inferni circumdederunt me (*Psal.* XVII). » Ad hoc etiam significandum vocem usitatissimam in Ecclesia, « Alleluia » scilicet, ab hodierna die usque ad Pascha intermittimus, et pro hac Hebraica voce, Latinam, id est, « Laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ, » frequentamus. Sicut enim terrena Jerusalem gerit imaginem patriæ cœlestis : sic vox ista, a supradicta civitate quondam in Dei laudibus frequentata, signat laudes civium supernæ Jerusalem matris nostræ, de quibus canitur in psalmo : « Beati qui habitant in domo tua, Domine ; in sæcula sæculorum laudabunt te (*Psal.* LXXXIII). Dum ergo Latina voce, quia in Jerusalem peregrinatione Deum laudamus, exsilii nostri peregrinationem significamus. Huic significationi septuaginta dierum concordat significatio septuaginta annorum, quibus cives terrenæ hujus Jerusalem sub rege Assyriorum ducti sunt captivi, et in Babylonia servitute detenti : quo tempore Dei laudes **291** patrio more celebrare non poterant, sed exsilii sui mala deflebant. Hoc Psalmista prævidens prophetico more futurum, quasi jam præteritum canebat, dicens : « Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, dum recordaremur Sion. In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra (*Psal.* CXXXVI). » Assur quippe *elatus* interpretatur ; Babylon, *confusio* ; Jerusalem, *pacis visio*. Ergo rex Assyriorum, rex superborum, idem rex Babyloniorum, id est, inordinate viventium rex diabolus est, qui filios pacis, populum ad supernam visionem suspirantem, duro premit jugo servitutis, et quantum prævalet, retardat a reditu et introitu supernæ ci-

A vitatis, de qua servitute dicit Scriptura : « Grave jugum super filios Adam, a die exitus a ventre matris eorum, usque in diem reversionis in matrem omnium (*Eccli.* XL). » Nos ergo in hac servitute detenti, quasi super flumina Babylonis sedemus, dum transitoriis hujus mundi concupiscentiis mentem non immergimus, et tamen flemus, quia miseri sumus, et frequenti desiderio visionis supernæ et æternæ suspiramus. Unde Apostolus dicit : « Omnis creatura ingemiscit et parturit usque adhuc (*Rom.* VIII). » Et nos ipsi primitias spiritus habentes, ingemiscimus, exspectantes adoptionem filiorum, redemptionem corporis nostri. Hæc quidem creatura est anima de corruptione peccati ad imaginem Dei recreata, quæ intra se de vanitate, cui subjecta est, gemens, et more parturientis nimio

B desiderio fit anxia, quod tam diu differtur a patria. Sic parturiebat Psalmista, cum diceret : « Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est (*Psal.* CXIX). » Et ipse Apostolus, qui inter prima Ecclesiæ membra Spiritum sanctum acceperat, adoptionem filiorum desiderans habere in re quam jam habebat in spe, sic parturiebat, cum dicebat : « Cupio dissolvi, et esse cum Christo (*Philipp.* I). » Malorum itaque Babyloniæ tædio fatigati, et supernæ civitatis desiderio afflati, quasi in salicibus organa nostra suspendimus, dum, in mundi cupiditatibus radicatis oppressoribus sæculi nostri, imo contemptoribus divinæ gratiæ cœlestis regni gaudia prædicare dissimulamus, ne margaritas spargere ante porcos, et sanctum dare canibus videamur. Unde captivati

C suis captivatoribus dicunt : « Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena ? » (*Psal.* CXXXVI.) Terra aliena, reproborum est multitudo, ad supernam non pertinens civitatem, quæ more porcorum margaritas, lucidum videlicet Dei verbum, negligendo conculcat, aut more canum contra sanctum Dei, Dei verbum male credendo disceptat. Nunc his de nostra captivitate ex antiqua et moderna significatione prælibatis, cur septuagenarius numerus sub typo universi temporis ponatur, breviter audiamus. Septenario quippe dierum circulo, totum tempus vitæ præsentis evolvitur, quibus nobis decalogi mandata servanda mandantur. Dum ergo decem legis præcepta in hoc vitæ nostræ spatio custodimus, quasi denarium per septenarium

D numerum multiplicamus, et septuagenarii numeri summam implemus. His ergo diebus, quod omni tempore faciendum est, specialius et propensius gemitibus et fletibus operam demus, ut ad patriam nostram, a qua mortifera delectatione corruimus, per amaritudinem cordis et lamenta redeamus. Ibi nunc intermissum « Alleluia » recuperabimus, et cum supernis civibus Deum sine fine laudabimus : quod quinquaginta diebus Dominicæ resurrectionis significamus, dum in uno quoque cantu « Alleluia » frequentamus. Interim ergo lugeamus in via, ut postmodum gaudeamus in patria. Amarescat nobis quidquid dulce est in rebus sæculi præ dulcedine

Dei, et decore domus Dei: quanto quisque præ omnibus diligit, tanto se amplius ad supernam patriam pertinere intelligat. Sic in retorto oculo stadium vitæ præsentis percurramus, ut bravium supernæ vocationis comprehendere valeamus. Quacunque hora in vinea Domini conducti sumus, indeficienter pondus diei et æstus portemus, ut in vespero, diurno denario non privemur. Sic enim Dominus dicit: « Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (*Matth.* x et xxiv). » Non simus stulti viatores, ut obliti patriæ nostræ, exsilium diligamus pro patria, et remaneamus in via. Non simus insensibiles, ut dolore in doloribus passibilitatis et mortalitatis nostræ nesciamus, et in ipsis doloribus medicinæ remedium non quæramus. Solet enim de vita eorum desperari, qui ægrotantes se non sentiunt infirmari. Curramus igitur ad medicum salutis æternæ. Ostendamus ei per confessionem vulnera nostra, intimo clamore ad eum clamet unusquisque: « Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum: sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea (*Psal.* vi) » Ita enim medicus noster propitiabitur iniquitatibus nostris, sanabit omnem languorem nostrum, et replebit in bonis desiderium nostrum.

SERMO XIII.
De Capite jejunii.

Hodie mater Ecclesia filios suos, in quibus detrimentum se sensisse cognoscit, paterna corripit severitate, ut possit eos medicinali parcimonia reformatos materna pietate colligere; invitat saucios ad ostendenda vulnera sua, ne, non ostensa, incurata putrescant: indicit ostendentibus diversa genera correptionum, ut secundum quantitatem vulnerum, adhibeantur congrua fomenta curationum. Audite ergo, filii, matrem vestram, iterum vos parturientem, et imaginem Dei iterum per peccatum deletam iterum reformare cupientem. Audite eam voce angelica vobis clamantem: « Pœnitentiam agite, prope est regnum cœlorum (*Matth.* xxiii *et* xxiv) » Quomodo autem pœnitentiam agere debeatis, Dominus prophetica voce vos admonet, dicens: « Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio et fletu et planctu, et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra (*Joel.* ii). » Præcipitur adversus [*forte* aversis], ut cunctis iniquitatibus suis renuntient, et conversionem suam Deo aliter placere non æstiment, quia non potest fieri ut una pars cordis vestri mundetur Deo, et altera immunda reservetur diabolo. Quomodo autem converti debeatis, subinfertur cum dicitur: « In jejunio et fletu et planctu, » ut exterius carnem castigetis per jejunia, intus autem affligatis mentem per gemitus et lamenta. Subditur: « Et scindite corda vestra » ut intus nihil clausum remaneat quod compunctio cordis non expellat, et oris confessio non aperiat. Hoc est quod canitur in psalmo: « Effundite coram illo corda vestra (*Psal.* lxii), » id est, omnem immunditiam cordis vestri per confessionem evomite, ne tanquam fetidum humorem continentia vasa, remoto operculo, fetorem tantum emittatis, et intus immunditiam retineatis. **292** Non enim coram Deo cor suum effundit qui aperit os suum in confessione, et concupiscentiam malam non aufert a corde. Unde et Dominus conqueritur de hujusmodi: « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me (*Isa.* xxix; *Matth.* xv). » Item, cor suum coram Deo non effundit, cui culpam suam in confessione defendit, qui se non humiliat cum Psalmista, dicente: « Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei (*Psal.* xxxi). » Adversum se quippe confitetur, qui seipsum accusat, et horis vel fato, vel stellis peccatum suum non imputat. Quæcunque a vobis vel occulta suggestione, vel aliena persuasione commissa sunt, sic in confessione aperiantur, ut etiam de corde pellantur, quia tali confessione cuncta lavantur. A manibus ergo procul sint homicidia, ita ut a cordis procul sint odia, quia secundum apostolicam doctrinam, qui odit fratrem suum, homicida est: et omnis homicida non habet partem in regno Christi et Dei (*I Joan.* iii). Qui fornicabatur, jam non fornicetur: qui mœchabatur, jam non mœchetur; quia, sicut ait Apostolus, « Fornicatores et adulteros judicabit Deus (*Hebr.* xiii). » Non quærat etiam aliquis nostrum opportunitatem videndi mulierem quam concupiscat; quia secundum Scripturam: « Qui viderit in mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo (*Matth.* v). » Fornicatio autem generali nomine est omnis voluntaria carnis pollutio, quæ qualicunque modo contrahitur, excepto legitimo conjugio. Qui furabatur, jamjam non furetur (*Ephes.* iv): » qui raptor erat, raptor esse desistat, ne illud maledictum incurrat, quod dicitur: « Væ qui prædaris, quia prædaberis (*Isa.* xxxiii). » Tollantur de ore vestro falsa testimonia, verba turpia et jocosa, quia secundum Scripturam, « falsus testis non erit impunitus (*Prov.* xix). » Et de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii (*Matth.* xii). Absit a vobis invidia, quia invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum (*Sap.* ii). Avaritia nec nominetur in vobis, quæ comparatur idolorum servituti. Nam sicut in idolorum cultura, amatur pro Creatore creatura; sic avarus Deum negligit ut possit retinere vel adipisci pecuniam quam diligit. Non veniat vobis spes superbiæ, quo a Deo recedatis, quia ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem: expulsi sunt, nec potuerunt stare (*Psal.* xxxv). Non seminetis discordiam inter fratres, quia sicut concorditer viventibus fratribus mandavit Dominus benedictionem, sic amatoribus discordiæ æternam intentat maledictionem. Tollite de consuetudine loquendi juramenta, non necessaria, ne frequenter jurando incurratis perjuria, et ad condemnationem vestram, testem adducatis veritatem ad vestram falsitatem. Hæc, fratres charissimi, quæ dicta sunt, cum omni malitia deponite, et tempus vestrum in his hactenus consumptum, vigilando, orando, flen-

do, jejunando, eleemosynas largiendo redimite, et regnum Dei, quod vobis vicinum esse promittitur, his impensis possitis acquirere. Ad hoc enim indulta sunt vobis pœnitentiæ tempora, ut attendentes Dei patientiam, quæ ad pœnitentiam vos adducit, nequaquam thesaurizetis vobis iram in die revelationis justi judicis Dei (*Rom.* II), qui reddet unicuique secundum opera sua (*Matth.* XVI). Attendat quisque quam miser sit, et quam beatus futurus sit, et non formidet in hoc tempore vilia quæque, et dura pro Dei amore sufferre, ut per hoc temporale purgatorium, æternum possit adipisci remedium. « Non enim condignæ sunt, ut ait Apostolus, passiones hujus temporis, ad illam gloriam, quæ revelabitur in nobis (*Rom.* III). » Vobis ergo, qui criminalibus culpis irretiti ad remedium pœnitentiæ confugistis, non indignum videatur quod mater Ecclesia a gremio suo vos abjicit : quia sicut oportuit eam de sua in vobis diminutione tristari, sic oportet eam vestra satisfactione placari, ut post satisfactionem per eam, cui Deus in pastoribus vestris dedit licentiam ligandi et solvendi (*Matth.* XVI), vestro possitis capiti reconciliari, et per ipsum et cum ipso gloriari. Sicut enim patienter tolerat ægrotus, quando in eo putridas carnes urit vel secat medicus, sic æquo animo sunt vobis hæc pœnitentiæ toleranda sacramenta, quod in cinere et cilicio extra Ecclesiam estis positi, quod quasi Satanæ traditi esse videamini : quia hic rubor sequestrationis fit vobis ad interitum carnis, ut Spiritus salvus sit in die vestræ resurrectionis (*I Cor.* V).

SERMO XIV.

De Quadragesima.

Audivit fraternitas vestra ex prædicatione apostolica, quoniam qui dicit se in Christo manere, debet sicut Christus ambulavit, et ipse ambulare (*I Joan.* II). Discat ergo Christianus quomodo ambulaverit Christus, ut ex vita Christi informetur vita Christiani. Discat neophytus quid a baptismo recedens fecerit Christus. Audiat provectus quæ lucis exempla a principio suæ prædicationis discipulis suis ostenderit Christus. Attendat perfectus quod per acerbitatem passionis consummatus est Christus : inveniet enim in capite suo omnes gradus, unde imbuatur, unde provehatur, unde consummetur. Discat ergo neophytus, quia Jesus regressus a Jordane, a Spiritu sancto ductus est in desertum, ibi quadraginta diebus jejunavit, et post jejunium esuriens, tentari se permisit (*Luc.* IV). Abiit in desertum, ut neophytis monstraret exemplum, ne recenter a conversione sua ad publicum prodeant, ne statim officium prædicationis arripiant, ne iterum tumultuosis hujus mundi actionibus se immergant, sed quasi in solitudinem mentis fugientes, solummodo castigandæ suæ vitæ intendant, ibique exspectent eum, qui salvos faciat eos pusillo animo et inquieto. Sic Dominus discipulos suos adhuc rudes, et nondum in tribulatione probatos, a prædicationis suspendit officio, dicens : « Sedete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto (*Luc.* XXIV). » Et per Moysen dicitur : « Non arabis in primogenito bovis (*Deut.* XV), » id est, non prædicabis in principio bonæ actionis. Ideo jejunavit, ut appetitum gulæ nos refrenare doceret, et ab illecebris vitæ temporalis nos abstinere moneret. Sicut enim baptismo non indiguit, quo in se peccatum originale purgaret : sic et ei jejunium non fuit necessarium, quo in se, quæ non habebat, carnis incentiva refrenaret. Tentari voluit, in seipso insinuans quia omni pie vivere inchoanti tentatio non deerit. Sed sicut tentatorem suum in omnibus repulit, sic et nos post concupiscentias nostras non eamus, et a voluntate nostra cohibeamur. Fortitudinem mentis nostræ non resolvat carnis delectatio, non nos retardet curiositas a bono proposito, non nos in sinistram partem deflectat sæcularis ambitio. In quacunque enim **293** tentatione vicit Christus, vincere debet Christianus. Huic mystico jejunio convenit etiam mysticus numerus, quadragenarius videlicet, quaternarii decies ducti multiplicatione collectus, quo intelligatur non tantum nos ab escis corporalibus jejunare debere, sed etiam ab omnibus temporalibus delectationibus abstinere. Quaternarium namque quasi per denarium multiplicamus, dum fragilitatem nostram ex quatuor elementorum connexione, vel ex quatuor temporum varietate confractam ad laboriosam decalogi disciplinam violenter inflectimus. Ideoque sub universi temporis typo, hæc nobis est quadragesimalis observantia commendata, quatenus quod ex multiplici occasione reliquo tempore minus explevimus, nunc sine excusatione reddamus, non tantum in parcitate ciborum, sed etiam in exstirpatione vitiorum, et exercitatione virtutum. Tantum enim valet jejunium sine eleemosyna et aliis operibus pietatis, quantum valet veteri tunicæ insertus pannus rudis, Domino attestante : « Nemo mittit commissuram rudis panni in veterem tunicam, ne major scissura fiat (*Matth.* IX ; *Marc.* II). » Sicut enim pannus novus veterem tunicam totam non innovat, sed aut facta scissura, aut sola novitate vetustatem ejus deformat, sic sola abstinentia ciborum non reddit perfectum hominem, sed notabiliorem facit reliquam ejus turpitudinem. Sentiant ergo jejunium vestrum languores decumbentium, esuries mendicantium, lassitudo peregrinantium, ut quod corpori vestro subtrahitis, necessitate indigentium ministretis. Estote quasi studiosi messores, ut hoc tempore et præteriti anni damna reparetis, et in futurum unde vivat anima vestra præparetis. Sic appetitum gulæ coerceatis, ut etiam verba detrahentia, scurrilia, otiosa et maledica nec ipsi dicatis, nec dicentes libenter audiatis. Hoc tempore ex consensu mulier viro debitum subtrahat, et vir vasculo muliebri honorem deferat, ut secundum principem apostolorum non impediantur orationes vestræ (*II Petr.* III). Nec enim debet quis eo tempore dare operam voluptati, quo per pœnitentiam desiderat a

perpetratis voluptatibus emundari. Quamvis enim Christus mox a Jordane reversus, sicut jam dictum est, hoc jejunium suo exemplo dedicaverit, ideo tamen tempora Paschali festivitati vicina huic observantiæ deputata sunt, ut et populus Christianus caput suum etiam in hoc jejunio pro posse suo imitari studeret, et nos hoc jejunio purificatos dies sanctificatos anticiparet: et valde congruum erat ut post tempus afflictionis succederet lætitia Dominicæ resurrectionis, quatenus post toleratas tribulationes, post superatas tentationes vitæ præsentis, speremus et ipsi nos accepturos gaudia nostræ resurrectionis, quando liberabimur a servitute corruptionis hujus, in libertatem gloriæ filiorum Dei (*Rom.* VIII). Sicut enim genuflexionibus et afflictione hujus temporis nos peccatorum pondere pressos et dura servitute incurvatos significamus, ita solutione jejunii quinquaginta dierum post Resurrectionem, et eo quod stantes oramus, libertatem nostræ incorruptionis, qua possumus imagine præfiguramus. Ergo, fratres, sic interim istam teneamus imaginem, ut illam rem habeamus in spe, et tandem percipiamus in re: quoniam hæc peregrinantibus congrua sunt in via, illa autem expleta militia jam emeritis retribuetur in patria.

SERMO XV.

De Annuntiatione B. Mariæ.

Gaudeamus in Domino, dilectissimi, et licet non quantas debemus, quantas tamen possumus et dominanti, gratias nostri referamus Auctori, ne superabundanti ejus in nos gratiæ reperiamur ingrati. Novum etenim Virginis conceptum nobis festivitas hodierna commendat, quo nostræ reparationis celebrantur exordia, utrumque proponitur divinæ pietatis et potestatis judicium. Si enim rerum Dominus, fugitivos servos reparans, judicium exercere, et non pietatem exhibere vellet, nequaquam vasis luteis hujus fragilitatem, quæ nobis compati, et pro nobis pati posset, indueret: et quamvis hoc ipsum stultum et infirmum, juxta vocem Pauli (*I Cor.* I), videatur gentibus, imo a philosophiæ ratione discentibus secundum leges creaturæ de Creatore judicantibus: quid tamen potentius, quam contra jura naturæ Virgini conceptum dare, et per mortem carnis assumptæ mortalem substantiam ad immortalitatis gloriam revocare. Unde est illud Apostoli: « Quod infirmum est Dei fortius est hominibus (*ibid.*). » Sapientes denique judicamus medicos corporalium ægritudinum, qui noverunt pro qualitate morborum antidota similibus apponere. Quanto prudentior hic medicus, qui venit genus humanum, verbo proportione medicinæ, non tantum in corpore, sed etiam in anima de omni corruptione hujus servitutis liberare? Venit enim in similitudinem carnis peccati, ut per omnia tentaretur pro similitudine absque peccato, quatenus in quo tentaretur et vinceret, vincendi gratiam tentatis de suo tribueret. Opposuit itaque novitatem suam vetustati nostræ, justitiam suam injustitiæ nostræ, obedientiam suam inobedientiæ nostræ, humilitatem suam superbiæ nostræ: quatenus qui superbiendo, inobediendo a florigera sede beatorum decideramus, per ejus humilitatem atque obedientiam reformati quandoque ad paradisi gaudia redeamus: et hoc est, quod ait Apostolus: « Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus. » Stultum enim est visum sapientibus hujus sæculi, quod qui in forma Dei erat per formam servi voluit humiliari, Dominus a servis reprobari, conspui, colaphizari et occidi: sed hæc stultitia facta est nobis a Deo magna et incomprehensibilis sapientia: quoniam vitæ perditæ reparatrix nobis exstitit medicina. Potuisset utique lapsibus humanis alio modo divina subvenire potentia, sed tanquam bonus orator istis modis et auditorum circa se animum parare, et suam apud auditores benevolentiam voluit commendare, quæ minus appareret, si invisibilis omnino permanens, recusasset ab omnibus videri, et inter homines conservari. Interrogamus nosipsos, charissimi, et nobis æterna hæreditate privatis, et in obscurissimo carcere positis, regia vel aliqua competens persona, regio decore deposito, sic nobis condescenderet, ut tanquam unus ex nobis nostræ captivitatis ærumnas toleraret, quatenus opportunitate inventa nos ab ipsa captivitate liberaret: qua ratione posset melius et suam nobis dilectionem intimare, et nostram erga se excitare? Unde per se ipsam Veritas dicit: « Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis (*Joan.* XV). » **294** Simili itaque ratione Dominus noster, medicus noster, liberator noster, descendit ad servos suos, captivos suos, humilis et sublimis: humilis compatiendo, sublimis de servitute diaboli potenter liberando. Quicunque ergo in Christo vocati sumus, hujus tam jucundæ, tam necessariæ liberationis admiranda initia præsenti festivitate nobis ad memoriam revocata, toto mentis intuitu consideremus, toto mentis affectu diligamus, debitis obsequiis honoremus, quatenus de jucundis et admirabilibus principiis mirabiles et jucundos exitus exspectare mereamur. Fit hodie porta cœli virginis uterus, per quam Deus descendit ad homines, ut eis ascensum præberet ad cœlum. Audit enim miraturque beatissima Virgo filium se esse parituram, quæ virilis amplexus penitus se esse sciebat ignaram; sed confortatur ac informatur ab angelo, qua virtute, quo merito posset in ea compleri, quod in aliis mulieribus non patitur natura fieri: « Ne timeas, inquit, Maria: invenisti gratiam apud Dominum (*Luc.* I): » tanquam si diceret: Quod tibi pronuntio, non habet jus naturæ, sed donum est incomparabilis gratiæ. Unde sequitur: « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi (*ibid.*). » Non enim, sicut quidam fatui et erronei cogitant, Spiritus sanctus in ea vicem egit seminis, sed quia tanta ei divini concessa est vis amoris, quæ ita illam mente et corpore inviolatam custodiret, ut nullus ei concupiscentiæ

carnalis æstus prævalere posset : sola meruit eligi, de cujus immaculato corpore corpus immaculatum sibi aptaret, qui ante tempora prædestinatus est Filius Dei in virtute. Unde et eidem beatissimæ Virgini dicitur : « Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei (*ibid*,). » Oportebat utique esse sanctum,quod pro sanctificandis peccatoribus erat offerendum.Decebat quoque ut vitio careret ejus generatio,per quam purganda erat filiorum Evæ vitiosa generatio. Tria enim mala Eva sequacibus suis intulit,videlicet,ut viris subjectæ essent, et in delicto carnalis concupiscentiæ conciperent, et in dolore filios parerent (*Gen.* III). In hoc vero conceptu, nulla carnalis concupiscentiæ delectatio sese admiscuit,ubi maritante foris verbo per auditum Virgo Verbum concepit, et fecundante Spiritu sancto, ejusdem cor Virginis in thalamo virginali divina se sublimitas in unitate personæ,nostræ humilitati sociavit. Hoc splendore Dei Filius concipitur, hac munditia generatur. Nulla potuit fieri tristitia concipienti, nulla difficultas parienti : qui enim lætificare venerat triste sæculum, contristare non debuit ventris hospitium.Sicut ergo omni corruptione caruit iste conceptus, ita,quidquid hæretici garriunt, in concipiendo et pariendo Virginis uterus permansit intemeratus. Quod indubitanter cognoscere potest, et rationabiliter aliis approbare mansuetudo Christiana, transumptionem faciendo de minoribus ad majora,de prioribus ad posteriora. Si enim solis radius crystallum penetrans, nec ingrediendo perforat,nec egrediendo dissipat : quanto magis ad ingressum vel egressum veri et æterni Solis, uterus virginalis clausus et integer perseverat ? Sic ille rubus ardens, et non combustus, in typum virginitatis intemeratæ Moysi sancto legitur esse demonstratus (*Exod.* III) ; sic idipsum præsignans virga Aaron summi sacerdotis, nec succo animata, nec semine fecundata, quod natura non habuit,flores fructumque produxit (*Num.* VIII).Quæ ergo ratio est,ut non credatur Deus hominem posse facere sine viro de femina, qui primum hominem nec de viro fecit,nec de femina ? (*Gen.* I.) Nimirum veram humanitatem testatur conceptus et partus humanus, et veram divinitatem comprobat uterus intemeratus. Continetur in hoc conceptu, fratres charissimi,magnum et mirabile sacramentum,quo deleto prævaricationis chirographo, divina confœderantur et humana,fiuntque duo in carne una Christus videlicet et Ecclesia.Cujus conjunctionis quasi thalamus, uterus virginalis extitit, de quo, discursis novem mensibus, secundum legem parientium, cum uxore sua,id est carne nostra, tanquam sponsus e thalamo prodiens,tabernaculum, id est carnem assumptam in sole posuit (*Psal.* XVIII),quia carnem suam,per quam debellaturus erat hostem,visibilem cunctis exhibuit. Factus est itaque per condescensionem nostræ humanitatis tanquam lac parvulorum,qui in sublimitate suæ divinitatis panis est angelorum. Per carnem enim suximus majestatem.

A Sic nimirum piæ matres lactescentem in se solidum cibum per ubera ministrant indigentiæ parvulorum, fitque in iis per ubera ut jam non egeant uberibus, quando confortati per alimoniam lactis,idonei fiant ad conterendam solidam escam panis. Ita quoque reparator ac nutritor noster longe a se remotos in regione dissimilitudinis alere voluit lacte suæ incarnationis, quo crescere nos faceret ad suavissimum et ineffabilem gustum suæ divinitatis,qui tamen quandiu per spem ambulamus,et non per speciem (*II Cor.* v), nulli quamlibet mundo corde plene conceditur, sed perfecta ejus satietas, cum gloria Domini manifestabitur, in æterna justorum retributione servatur, quia nulla possibile est viatori possidere in peregrinatione,quod ei promittur

B in perventione. Hæc igitur, fratres charissimi, sedula meditatione pensemus, hanc inæstimabilem Dei suavitatem tota mentis aviditate gustemus, considerantes quæ et quanta sint quæ promittuntur in cœlis, ne a bravio supernæ vocationis cursum nostrum revocent ea, quæ cæcis et cupidis mentibus appetenda videntur in terris.Diligamus misericordiam, per quam redempti sumus cum perditi essemus.Conservemus castitatem, cujus amatorem se esse monstravit qui de castæ mulieris visceribus immaculatum sibi corpus aptavit.Conformemur ei, qui vitam suam in terris regulam nobis proposuit Christianæ conversationis, qui primo adventu suo voluit nos intus ad imaginem suam reformare : secundo vero, etiam reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, Jesus

C Christus Dominus noster, qui vivit et regnat per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XVI.

In ramis palmarum.

Qui vult hominem exhibere pefectum,in Christo reperiet omnia documenta virtutum. Inter quas humilitate et patientia se tanquam potentioribus armis accinxit, cum quibus mundum intravit,cum quibus de mundo migravit,per quas mundum subjugavit. His etenim diabolum stravit et nos de ejus potestate liberavit. Cum his fortem armatum **294** alligavit, et ipse fortior vasa quæ in potestate et pace possidebat,eripuit et sibi mundata retinuit (*Matth.* XII). Humilitas fuit, quod inter homines degens, cum publicanis et peccatoribus manducavit

D (*Joan.* IV) ; quod fatigatus ex itinere, a muliere Samaritana potum postulavit (*Matth* IX) ; quod peccatricis mulieris tactum non recusavit (*Luc.* VIII) ; quod discipulorum pedes lavit (*Joan.* XIII). Humilitas et patientia simul,quod corpus suum percutientibus dedit, quod faciem suam a conspuentibus non avertit,quod maledicentes non maledixit,quod etiam usque ad ignominiosam mortem, mortem videlicet crucis, quæ tantummodo sceleratis debebatur, se tandem inclinavit (*Joan.* XIX). Unde per prophetam dicitur : « Et cum sceleratis deputatus est (*Isa.* LIII).» Et in Psalmo : « Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras (*Psal.* XVI). » Hæc arma

serpens ille antiquus non cognovit. Hæc arma per superbiam dedignatus est, et incautus per hæc superatus est. Escam sensit et momordit, sed hamus eum divinitatis aduncavit, maxillam ejus perforavit, et a potestate solita religavit. Accubuit catulus leonis ad vocem patris, cum fortitudine surrecturus, pro humilitate sua nomen, quod est super omne nomen (*Philipp.* II), accepturus. Hunc exaltationis modum, Scribarum et Pharisæorum superstitio superba non credidit : venientem ad se Dominum in humilitate contempsit : superbiam eorum redarguentem, dæmonia ejicientem, miracula facientem tanquam in Beelzebub ista faceret, blasphemavit (*Matth.* XII). Sola eum pauperum turba prosequitur, puerorum innocentia comitatur, quia complectitur innocentia innocentiam, humilitas humilitatem, ac per hac illuminari meretur, ut intus agnoscat majestatem. Sic enim dicit Scriptura : « Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (*Jac.* IV; *I Petr.* V). Tales Domino hodie ad locum passionis suæ venienti occurrunt : hominem humilem super asinam sedentem viderunt, et tamen triumphalem ei gloriam, ramos arborum portando, et per viam sternendo exhibuerunt, laudes ei imperiales cecinerunt (*Matth.* XXI), quia præsago spiritu eum triumphatorem diaboli et mortis, et vitæ largitorem cognoverunt. Hujus turbæ, charissimi fratres, formam repræsentatis, cum virentes ramos arborum post vexillum sanctæ crucis in manibus portatis. Et bene repræsentatis, si quod virore signatur in manibus, semper teneatur in moribus, si non hieme decidat, si non æstate marcescat : ut dicere possitis cum Psalmista : « Benedicam Domino in omni tempore, semper laus ejus in ore meo (*Psal.* XXXIII). » Sed mementote quia non invitantur ad has laudes, nisi pueri : « Laudate, pueri, Dominum, » dicit Psalmista (*Psal.* CXIX). Qui vero sint isti pueri, Apostolus exponit, dicens : « Malitia parvuli estote, sensibus autem perfecti (*I Cor.* XIV). » Et Dominus ad discipulos : « Nisi quis se humiliaverit sicut iste parvulus, non intrabit in regnum Dei (*Matth.* XVIII). » Parvulum seipsum vocat, ad cujus imitationem nos monet humiliari, ut introire mereamur regnum Dei. Non enim sunt membra, quæ non sequuntur caput. Quibus igitur armis diabolum vicit Christus, vincere debet et Christianus. Sicut per humilitatem exaltatus est Christus, exaltari debet et Christianus. Sic enim Dominus dicit : « Qui se humiliat, exaltabitur (*Luc.* XVIII); » et Petrus : « Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore tribulationis (*I Petr.* V), » Humiliavit se Christus pro nobis, humiliemus nos ipso pro nobis. Inclinavit se sicut camelus, subiit onera peccatorum nostrum, transivit per foramen acus, quia pertransiit angustias passionis, ut nos in latitudinem gaudiorum educeret. Humiliemus et nos ad portanda onera proximorum; nemo nostrum sublime sapiat, nec speret in incerto divitiarum, sed deposita quasi struma cupiditatis

A superbiæ, tanquam per foramen acus ingrediatur, ideo arctam et arduam viam aggrediatur. Quod enim his diebus passio Domini in Ecclesia recitatur, quod signa Dominicæ passionis in Ecclesia producuntur, hoc intenditur, ut Dominica passio per hoc ad memoriam revocetur, et fidelium devotio ad compatiendum excitetur, ut ille sanguis digne suscipiatur ab ore fidelium, qui indigne effusus est manibus infidelium. Hoc sanguine agni immaculati utrique postes signentur, id est mentes et frontes, ut corde credatur ad justitiam, ore autem confessio fiat ad salutem (*Rom.* X) : et memoria crucis suaviter inhæreat menti, cujus signum imprimatur et fronti. Ergo, fratres, in hac recordatione Dominicæ passionis Christo digne compatiamur, ut Christo resur-
B genti consuscitari mereamur. Dimittamus debita sua debitoribus nostris, quia ipse Christus, qui ad imitandum nobis propositus est, cum pateretur, oravit pro persecutoribus suis. Sic enim ipse Dominus jubet : « Orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est (*Luc.* VI). » — « Si autem filii, et hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Jesu Christi (*Rom.* VIII). »

SERMO XVII.
De Cœna Domini.

Optatus nobis, dilectissimi, dies emissionis advenit, quod mater Ecclesia membra sua, tanquam putrida hactenus a se projecta, intra societatem commembrorum suorum recipit, quo peccantes filios
C suos pœnitentiæ legibus emendatos, sequestrationis rubore castigatos, ad sacramentum reconciliationis admittit. Et merito hic dies huic sacramento est deputatus, quo Dominus noster Jesus Christus illud, quod pro nobis proxime erat traditurus, corpus dedit discipulis ad manducandum, et sanguinem, quem pro nobis fusurus erat, tradidit ad bibendum. Eo ergo die nullus fidelis extorris debet esse a corpore Christi, quod est Ecclesiæ, quo die medicinam suæ reconciliationis, corpus scilicet et sanguinem Christi, suscepit Ecclesia. Hodie veteris sacerdotii ritus, quo sanguis vitulorum effundebatur, et cinis vitulæ extra castra crematæ aspergebatur (*Num.* XIX) ad emundationem tantummodo carnis, de medio sublatus est, et novi sacerdotii ritus, quo caro Christi extra portam passa, et sanguis Christi pro nobis fusus, emunda-
D tos carne et spiritu sanctificat, veteri sacerdotio subrogatus est. Dicit enim Apostolus : « Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, et posuit in nobis verbum reconciliationis (*II Cor.* V). » Quo ergo die convenientius debent ministri novi sacerdotii hoc reconciliationis celebrare sacramentum, quam eo die, quo ab auctore novi sacerdotii hoc primitus est institutum? Huic etiam reconciliationis sacramento congruit, quod hodie discipulorum pedes lavit, quod hoc discipulis servandum esse mandavit, non quod indigerent lavari, sicut ipse ait (*Joan.* XIII), qui loti erant aqua salutari, sed quia affectus hominum, quibus tanquam pedibus **296**

ad Deum acceditur, vel a Deo receditur, non possunt terreno pulvere non fedari, quos oportet inter mundi turbines, in medio hominum polluta labia habentium et habitantium, et inter lutulenta mundi negotia conversari. Hæc ergo ablutio pedum, mundatio est affectuum, ut si quas de terrena conversatione fedas imagines introrsum traximus, hoc sacramento diluamus. Et pulchre huic sacramento reconciliationis consonat, quod caput, id est Christus, corporis pedes lavat, id est ultima membra sua per officium pastorum sibi reconciliat. Nos enim dicti pastores et veluti capiti viciniora membra, dum pro peccatis vestris oramus, cum pro excessibus vestris lacrymas fundimus quid aliud facimus, nisi quod vobis pedes quibus ad Deum redeatis, abluimus? Cum etiam peccatorum nostrorum [vestrorum] memoria conterriti in oratione nostra de capite lacrymas fundimus, anne conscientias nostras, tanquam pedes immundos, a terreni contactus sordibus emundamus ? Quia ergo vos hodierna die, fratres, ad tam desiderabile sacramentum reconciliationis admittimus, sub Dei miseratione, quantum in vobis est, laborate, ut quod vobis foris per officium nostrum ministratur, id vestris mentibus rei veritate compleatur. Non sitis domus illa scopis mundata, id est, pœnitentiæ sacramentis palliata, ad quam revertitur immundus spiritus, qui inde per confessionem exierat, et inveniens eam vacantem, id est, nulli veræ virtuti operam dantem, ingreditur ibi cum septem aliis spiritibus se nequioribus, id est omnibus superstitionis generibus, et fiunt novissima hominis illius pejora prioribus (*Matth.* XII). Novissima enim eorum pejora prioribus fiunt, quia peccata, quibus in confessione renuntiaverant, occulte committunt, et ea diversis coloribus superstitionis operire contendunt. Hujusmodi hypocritas æquiparat Dominus sepulcris foris dealbatis, et vasis extra mundatis, quæ intus plena sunt fetore et sordibus (*Matth.* XIII). Mundate ergo, fratres, conscientias vestras, ut vasa honesta et apta sitis ad accipiendum corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, per quem redempti estis cum perditi essetis, per quem reconciliamini cum iterum aversi fuissetis, per quem salvandi estis, si intra societatem membrorum Christi inventi fueritis, cui reconciliati estis. Qui enim manducat indigne, reus est mortis Domini (*I Cor.* XI). Qui est qui manducat indigne? Qui capit ore, et non capit corde. Qui non est membrum capitis, nec pars Christi corporis. Hic accipiens corpus domini, pœnas dabit mortis Domini, quia tali pœna plectetur, qua plectuntur qui indigne ad mortem tradiderunt corpus Domini. Manete ergo in Christo, ut Christus maneat in vobis, et digne accedatis in participationem Dominici corporis et sanguinis.

SERMO XVIII.

In die Paschatis.

Cum cæteræ festivitates in recordatione gestarum rerum lætitia spirituali fidelium mentes afficiant, in Christi resurrectione, simili ratione, corda simul lætantur et corpora, quia, Christo resurgente, homo noster interior a morte peccati ei consuscitatus est, et exterior spes suæ resurrectionis probatissimo argumento confirmata est. Merito ergo utrumque lætatur, quia utrumque Christo consuscitatur in re exterior autem in spe. Idcirco hæc solemnitas ad anniversarium diem suum non recurrit, sicut reliquæ solemnitates, in quibus præteritorum tantum sit recordatio, sed huic observantiæ Dominica deputatur et lunæ decursus post plenilunium vicinum vernali æquinoctio. Dominica enim dies quæ octava est, et Dominicam congrue repræsentat resurrectionem, quæ eo die facta est, et nostram præfigurat, quæ post septenariam hujus temporis volubilitatem futura est. Lunæ vero decursus certi mysterii causa huic observantiæ est deputatus, quia, secundum astrologorum inquisitionem, globus lunæ semper dimidius lucet et dimidius non lucet. Luna enim crescente, illuminatur pars inferior; luna decrescente, illuminatur pars superior. Luna quippe in Scriptura sacra typum gerit Ecclesiæ quæ et defectum suæ mortalitatis ex originis necessitate tolerat, et tamen in medio nationis pravæ et perversæ, pro modo intelligentiæ suæ, humanæ ignorantiæ noctem illuminat. Huic innovatæ et cum Christo suscitatæ, per Apostolum dicitur : « Quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram (*Coloss.* III). » Hoc nobis Paschali mysterio insinuatur, hoc lunæ Paschali tempore inferius deficientis, et superius crescentis figura commendatur, ut a tempore innovationis nostræ semper in appetitu terrenorum noster amor minuatur, et supernorum desiderio quotidianis profectibus augeatur. Tunc ergo verum Pascha celebramus, si quod rerum et temporum mysteriis significamus, vita et moribus semper teneamus. Idcirco sanctum Pascha in albis vestibus septem diebus celebramus, ut munditiam corporis et lætitiam resurrectionis semper habere moneamur. Unde per Sapientiam dicitur : « Omni tempore sint vestimenta tua alba, et oleum de capite tuo nunquam deficiat (*Eccle.* IX). » Quod est dicere : Nunquam munditia a corpore, lætitia spiritualis absit a corde. Hoc idem significabatur, cum Judaicus populus post esum agni, septem diebus azymis vescebatur (*Exod.* XXIII). Quod Apostolus in re significata ita interpretatur : « Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus (*I Cor.* V). » Ac si dicat : Ut ad celebrandum verum Pascha et edendam carnem veri Agni et immaculati sitis idonei, expurgate vetus fermentum, id est, tollite vetus peccatum, ut sitis nova conspersio, id est, novitatem vitæ novæ recuperetis, quam in lavacro sancto accepistis. Cum enim populus ad fidem veniens catechizatur, quasi molitur : quia, sicut diversitas granorum per molam in unitatem cogitur, sic diversitas populorum per instru-

ctionem fidei in quamdam unanimitatem aduoatur. Sed nondum est conspersio. Accedit aqua, et fit panis. Sic in alio loco dicit Apostolus : « Unus panis, unum corpus sumus in Christo, quicunque de pane ejus edimus, et de calice ejus bibimus (*I Cor.* x). » — « Itaque epulemur, non in fermento vetere, neque in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis (*I Cor.* v). » Ac si dicat: Quia verus est Agnus, quem epulamur, sic ad carnem ejus edendam accedamus, ut cor mundum a malitia, et linguam immunem conservemus a fallacia. Ita enim tanquam panis suavis in Christi corpus transibimus, et Christum nobis incorporabimus, ut Christum in nobis manentem semper habeamus ; **297** et ita non tantum septem diebus, sed omni tempore verum Pascha celebremus, id est, ut de imis ad summa cœlorum gaudia toto desiderio transeamus.

SERMO XIX.

In Ascensione Domini.

Hodie, fratres, victoria Christi completa est, hodie triumphalia vexilla ejus eriguntur : de spoliatione sua dolet cum principe suo tartarus ; de restauratione damni sui gaudet cœlestis exercitus. Hodie caro illa quæ de terris sublevata est, ad dexteram Patris collocata est, quia omni creaturæ prælata est, et omnis principatus et potestas ante eam incurvata est. Hodie via nova, de qua dicit Apostolus (*Hebr.* x), nobis initiata est, quia per carnem Christi aditus cœli per quem nulla prius caro transierat, reseratus est : quam adhuc viventem idem Apostolus dicit (*ibid.*), quia membris Christi suo tempore per eamdem intraturis præparata est : hodie apertio libri perfecta est, quem nemo potuit aperire, nisi Agnus ille qui occisus est (*Apoc.* v), quoniam sacramenta ejus revelata sunt, cum ea quæ in lege et prophetis invenientur de Christo, consummata dispensatione humanitatis ejus, hodie completa sunt. Descendit primo Christus, ut nostræ particeps fieret naturæ : postremo ascendit, ut suæ nos participes faceret gloriæ; descendens, temporali conversatione et visibilibus miraculis quasi lactavit infantes; ascendens, dedit dona hominibus. Quibus eruditi, et quasi in virile robur educati, jam temporalem ejus visionem non appeterent : sed quo eos præcesserat, toto cum desiderio sequi studerent. Quia igitur temporali ejus præsentia viduati sumus, ad æternam ejus visionem tota intentione festinemus; dicamus ei ex voce Psalmistæ : « Tibi dixit cor meum : Quæsivi vultum tuum, Domine, requiram, ne avertas faciem tuam a me (*Psal.* xxvi). » Tota enim dispensatio humanitatis Christi nihil aliud intendit, nihil aliud fecit, nisi ut intentionem nostram ad superna dirigeret, et expleto tempore nostræ mortalitatis, ad manifestam visionem sui perduceret, perductos æterna vultus sui gloria satiaret, quia, testante Apostolo, « videbimus eum sicuti est (*I. Joan.* iii). » Unde Psalmista : « Satiabor, cum manifestabitur gloria tua (*Psal.* xvi). » Hæc sunt bona Jerusalem

A quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparavit Deus his qui diligunt eum (*I Cor.* ii). Hæc bona quantum potuit in ænigmate contuebatur Psalmista, cum diceret : « Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram ? » (*Psal.* lxxii). Admirando dicebat : Quid mihi est in cœlo ? quia cœlestis gloriæ magnitudinem nec dicendo explicare, nec cogitando sufficiebat comprehendere. Hæc ergo esuriamus, hæc sitiamus, quoniam ad hoc pontifex summus pro nobis præcursor in vera Sancta sanctorum, ad dexteram scilicet Patris, ascendit, ut spem membrorum suorum confirmaret, eo secuturam gregis humilitatem, quæ suum credit præcessisse pastorem. Sic enim ipse Doninus promittit discipulis : « Ubi B fuerit corpus, ibi congregabuntur et aquilæ (*Luc.* xvii ; *Matth.* xxiv). » Aquilas vocat sanctos, qui cupiunt dissolvi et esse cum Christo (*Philipp.* iii). Fertur enim natura esse aquilarum, ultra mare odoratu suo cadavera sentire, et eo celeri volatu suo ad saturandum esuriem suam festinare. Hæc ergo esuries aquilarum, desiderium significat sanctarum animarum, quæ caput suum extra mundi turbines in summa quiete locatum, fidei naribus sentientes, spei volatu præsentiæ Conditoris vellent assistere, et satietate vultus ejus sine fine gaudere. Hæc quippe hujus solemnitatis est ratio, ut Christum ad dexteram Patris jam regnare credamus, et interim eum quasi geminis virtutum alis, charitatis scilicet et spei, subsequamur, ut, cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum eo sine fine regnemus. Igitur se- C cundum quod hortatur Psalmista, « quia Dominus regnavit, exsultet terra (*Psal.* xcvi), » id est, Ecclesia exsultet in fide, quoniam » tu, Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes deos (*ibid.*) » exsultet in spe, quoniam « replebimur in bonis domus tuæ (*Psal.* lxiv). » Exclamemus ex medullis cordis cum Apostolo : « Quis nos separabit a charitate Christi ? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an gladius? » (*Rom.* viii). Cum enim de spe produxerit nos ad speciem, erit Deus omnia in omnibus (*I Cor.* xv) : ipse cibus et potus, ipse vestitus et omnia, quæ honeste cogitari et desiderari possunt ab omnibus. Hoc donativum Christi milites concupiscant, et militiam suam non deserant, donec hæreditatem immarcescibilem D ab imperatore suo, completo agone, percipiant.

SERMO XX.

In die sancto Pentecostes.

Dies Pentecostes sacratus est in lege, et in Evangelio. In lege quia die quinquagesimo a die quo Ægyptus spoliata est, in tabulis lapideis digito Dei scripta populo Dei in monte Sinai data est (*Exod.* xix) : in Evangelio, quia die quinquagesimo a die quo infernus spoliatus est, lex charitatis in tabulis cordis carnalibus populo Nazareno spiritu Dei scripta est (*Act.* ii). Unde dicit Apostolus : « Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis (*Rom.* v). » Sed illa qui-

dem in servitutem data est, hæc autem in libertatem. De illa dicit Apostolus : « Unum quidem Testamentum, quod est in monte Sina, in servitutem generans (*Gal.* IV). » De ista autem : « Ubi Spiritus Domini, ibi libertas (*II Cor.* III). » Et alio loco : « Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater (*Rom.* VIII). » Sub hac significatione antiquus Hebræorum populus anno quinquagesimo, qui jubilæus appellabatur, ab omni opere servili vacabat, et his qui annis retroactis sub servitutis jugo servierant, libertatem dare consueverant. Septenarius enim septies ductus, quadraginta novem facit, et ut quinquagenarius fiat, unitas superadditur in quadraginta novem, quia a septenario non recedit temporum volubilitas in unitate quæ sequitur, tempore succedens significatur æternitas, in qua vera dabitur libertas. Congrue ergo quinquagesimo die Spiritum sanctum accepimus : quia sicut post hujus temporis decursum, a servitute corruptionis hujus in libertatem gloriæ filiorum Dei liberandi sumus, sic isto die ipsum Spiritum sanctum æternæ hæreditatis et veræ libertatis pignus accepimus (*Rom.* VIII). Hinc est etiam, quod decimo die post Ascensionem Domini, missus est idem Spiritus sanctus quia in mercedem denarius promittitur operariis, perseveranter in vinea Domini laborantibus. Igitur quia temerarium est, aliquid definire de ineffabili ejus essentia, dicamus **298** aliqua, quæ ipse Spiritus donaverit de mirabili et amabili ejus efficientia. Hic Spiritus sanctus gratiarum distributor est, hic cogitationum et intentionum cordis discretor est, hic secretorum divinorum revelator est. Spiritus enim scrutatur omnia etiam profunda Dei : et sicut nemo ea novit, quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis qui est in homine : ita nemo novit quæ Dei sunt, nisi Spiritus Dei (*I Cor.* II). Hic digna postulantibus pium supplicandi præbet affectum, et apud eum qui pia vota intuetur, velocem obtinere donat effectum. Hic peccatoribus inspirat pœnitentiam, hic impœnitentium peccata detinet, hic pœnitentium peccata delet. Sic enim Dominus dicit ad discipulos : « Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt (*Joan.* X). » Hic conversos ad iter justitiæ facit per timorem humiles, per pietatem mites, per scientiam lugentes, per amorem justitiæ fortes, per consilium misericordes, per intellectum mundi cordis, per sapientiam contemplantes, per tolerantiam persecutionum patientes, quibus Dominus regnum cœlorum repromittit, quoniam quos timor inchoat, septimo gradu perficit sapientia, in octava, tanquam in vero jubilæo, liberat et coronat patientia. Ad hujus perfectionis apicem, apostolorum principem provexit hodierna die Spiritus sanctus, ut qui in passione Domini unius ancillæ voce exhorruerat (*Matth.* XVI), jam perfidam Judæorum multitudinem prophetico testimonio manifeste confutare non timeat (*Act.* II). Talem reddidit Thomam, ut qui resuscitati Salva-

A toris dubitando palpandas postulaverat cicatrices (*Joan.* XX), post collatam gratiam Spiritus sancti, facta divisione apostolorum, confidenter Evangelium prædicaturus mittatur ad gentes. Tales per eamdem gratiam effecti sunt Christi discipuli, ut qui, relicto Domino in tempore passionis, præ timore latuerant (*Marc.* XIV), de cætero gaudentes irent a conspectu concilii, quoniam digni habiti erant pro nomine Jesu contumeliam pati (*Act.* V). Tam velox efficax doctor demonstratus est hodie Spiritus sanctus, ut idiotarum corda uno momento erudiret ad scientiam, et eorumdem linguas formaret ad omnem linguarum facundiam (*Act.* II). Ut etiam attendamus, quantus opifex sit iste Spiritus sanctus, audiamus Apostolum dicentem : « Unicuique

B datur manifesta gratia Spiritus ad utilitatem : alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum in uno Spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii gratia linguarum, alii interpretatio sermonum. Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult (*I Cor.* XII). » Iste Spiritus sanctus, qui Patris et Filii unus est Spiritus, a Patre procedit et a Filio, et ad corda credentium pariter mittitur et a Patre et a Filio. Unde et Dominus dicit in Evangelio : « Cum venerit Spiritus veritatis, qui a Patre procedit, ille vos docebit omdem veritatem. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis (*Joan.* XV). » Hæc verba ita interpretatur Didy-

C mus, illustrium virorum titulo clarus : Inseparabilis est Spiritus a mea et Patris voluntate : et amplius : quia non ex se est, sed ex Patre et me est. Hoc enim ipsum quod subsistit et loquitur, a Patre et a me illi est Quid est ergo, Spiritum sanctum a Patre Filioque subsistere, nisi eumdem Spiritum a Patre Filioque procedere ? Unde et in sequentibus dicit : Consensus significatio est Spiritus sanctus, qui est Spiritus veritatis, Spiritusque sapientiæ. Non potes audire Filio loquente quæ nescit, cum ipsum sit quod profertur a Filio, id est, procedens Deus de Deo, Spiritus veritatis procedens a veritate, consolator manans de consolatore. Hæc adversus hæresim quorumdam Græcorum, Græci auctoris auctoritate protulimus, qui dicunt Spiritum sanc-

D tum a solo Patre procedere, ne quis Latinorum omnes Græcos hoc errore infatuatos arbitretur, et eorum auctoritati innitens, sal infatuatum esse mereatur. Idem in symbolo Ephesini concilii, quod Græcorum fuisse constat, manifeste his verbis astruitur : Quamvis in sua substantia sit spiritus Filii, et intelligatur in persona proprietas, juxta id quod Spiritus est. et non Filius, non est tamen alienus ab ipso. Nam spiritus appellatur veritatis, et veritas Christus est (*Joan.* XIV). Unde et ab ipso similiter sicut a Dee patre procedit. Denique hic ipse Spiritus etiam per sanctorum manus apostolorum miracula gloriosa perficiens glorificavit Dominum Jesum Christum, postquam ascendit in cœlum. Præ-

terea sicut Filius appellatus est manus Dei Patris, non quod ei sit aliqua cum majestate Patris inæqualitas, sed propter substantiæ identitatem, et propter manifestam operum exhibitionem : ita Spiritus sanctus appellatus est digitus Dei propter eam, quam habet cum Patre et Filio, substantiæ unitatem, et manifestam charismatum distributionem : quia per manum,in unitate corporis existentem, fieri solet operatio ; et per digitum in unitate manus manentem,suis tamen articulis distinctum, solet notari discretio. Cum vero per verba aliunde translata, aliqua nominatur in divinitate persona, non usquequaque earum natura rerum de quibus hæc translata sunt, divinitate est arroganda, sed illæ tantum causæ attendendæ sunt, propter quas res corporeæ rebus incorporeis assimilari possunt: quia omnis humana vox nihil potest aliud dicere, nisi corporalia ; et Trinitas,de qua nunc nobis sermo est, omnes materiales substantias superat : idcirco nullum verbum potest ei proprie aptari, et ejus proprie et digne intimare substantiam.Et quia ipse Spiritus charismatum distributor est, invocemus ipsum Paracletum, cujus hodie solemnitatem colimus, cujus hodie dona fidelibus collata miramur, ut augeat in nobis fidem, dilatet charitatem, confirmet spem, et cætera virtutum charismata, quæ nobis in hac peregrinatione sunt necessaria, cooperante Patre et Filio, cum quibus idem Paracletus vivit et regnat per æterna sæcula. Amen.

SERMO XXI.

De cathedra S. Petri.

Non inconvenienter, fratres, iste Psalmi versiculus olim divino præsagio decantatus, hodiernæ celebritatis tripudio interponitur, in qua beatus in episcopali cathedra collocatur. Videtur enim beato Petro debere coaptari, quem in sede judiciaria protestantur hodierna Ecclesiarum obsequia sublimatum. Ait enim David sanctus, spiritu quoque sancto præventus : « Exaltet eum in ecclesia plebis, et in cathedra seniorum laudent eum (*Psal.* CVI). » Hodie siquidem et in ecclesia plebis Petrus exaltatur, **299** et in cathedra seniorum laudatur, quoniam et in Ecclesia in qua populus acquisitionis convenit, constituitur post Deum primicerius, et in cathedra seniorum collaudatur episcopus. Hæc etenim hodiernæ festivitatis sacra institutio, quando episcopalis sedis honoratus est magisterio. Hodie, fratres, beatus Petrus Antiochenæ Ecclesiæ episcopus ordinatur, hodie plebi, quam ipsemet Deo acquisivit, pastor præficitur. Hodie etiam in beati Petri ordinatione sancta Ecclesia exaltata est, quoniam et ipse promovetur, cui specialiter a Domino ipsa talibus alloquiis commissa est : « Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam (*Matth.* XVI). » Felix vocabuli denuntiatio, ut a Petra de qua scriptum est, « Petra autem erat Christus (*I Cor.* X), » Petrus denominetur, nominis Christi participatione decoretur, ipso Christo sibi nomen imponente,ut Petrus sit,et Petrus vocetur.Super hanc etiam petram Dominus Ecclesiam suam ædificandam providit, quatenus cujus fidei confessio pro sui soliditate Petræ comparanda erat, nominis etiam sui applauderet appellationi. Non ergo ambitione humana, ut in talibus assolet, Petrus episcopalem hodie sortitur cathedram, non muneribus primos occupat recubitus, non ingerit se pomposis cervicalibus. Ipso Deo Dei Filio attestante, Petrus eruditur ; carnis et sanguinis ab eo doctrina removetur; Patris, qui in cœlis est,efficacissima revelatio exhibetur,cujus instinctu veridico intonuit Petrus: « Tu es, inquit, Filius Dei vivi (*Matth.* XVI).» O jucunda regis et militis confabulatio, in qua miles regem suum, Regis æterni Filium confitetur : Rex vero vicissitudine reciproca militem suum a carnalibus disciplinis sequestratum,Patris sui tantummodo discipulum attestatur, dignis etiam stipendiis remunerandum arbitratur, quatenus sic adjiciens subinferat : « Tibi dabo claves regni cœlorum (*ibid.*). » O revera beatus cœli janitor,cui non tantum claves regni cœlorum commissæ sunt, sed etiam arcanorum cœlestium consilia concredita sunt ! Ligandi atque solvendi licentia potestativo perfungitur privilegio, atque ovilis Dominici cura ipsius mancipatur arbitrio. Ita enim speciali familiaritate ad eum dicit Dominus : « Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis : et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis (*ibid.*). » Non ergo repentina fautorum acclamatione, sed provida Dei dispensatione Ecclesiarum excubiis deputatus est Petrus generali sanctione, hodie quoque Antiochiæ assumitur peculiari familiaritate. Quem ovibus suis Deus pastorem præfecerat generalem, plebs Antiochena hodie sibi collocat pontificem generalem. Nec tamen Dei nutibus populus Antiochenus obviare contendit, sed opportuna importunitate Dei vicarium honorare satagit. A pontificum pontifice jamdudum Petrus ordinatus erat, oleum exsultationis Christi manu infundente per Spiritus sancti † debriationem [derivationem] susceperat, negotii sui ministerium sibi injunctum jamdiu exercuerat, necdum tamen aliquo in loco proprie deputatus fuerat. Hodie ergo de totius orbis amplitudine asciscitur, quibus proprie præsit et prosit : hodie populis prærogatur. Nec tamen curæ amplitudo propterea decurtatur,sed apostolatus sui sollicitudo dupliciter dilatatur. Adsunt enim præsentium ovium balatus, qui eum quotidianis profectibus sollicitent, nec sibi desunt fraternæ dilectionis præcordia, in fines etiam orbis terrarum pertingentia, quæ eum defatigent.Sed futurum est tibi, futurum est, inquam, civitas Antiochena, ut adhuc Petrus de sede ad sedem demutetur, ut necessitate et utilitate populorum exigente, alias [alios] transportetur. Nec poteris habere proprium, quem sancta Ecclesia in commune suscepit ministerium. Fratrum ergo dispersioni charitative communica, et quem charis amplexibus tibi obligasti,

aliquantulum relaxa. Dilige proximum tuum sicut teipsum (*Matth.* v), et æquanimiter Petrum tolerabis ad alium destinari præsulatum. Interea urbs beata, de Petri gloriare præsentia, piis eum demulce obsequiis, inviscera eum tibi responsionibus obedientiæ devotissimis, præcordialem Dei amicum,quibus potes delibulitionibus tibimet concilia : conviviis atque ejus sermonibus participa futuræque tuæ ruditati circumpectius invigila. Multos opima degravavit securitas, et quoniam in hodierna confidunt opulentia, de crastina non satis sollicitantur penuria. Non noverunt sibi prospectare de crastino, qui totam spem defixerunt in tempore hodierno. Tu autem, Antiochia, de beati Petri præsenti affabilitate congaude, ipsius colloquio tanquam in omni divitiarum affluentia perfruere, deque futura sui absentia tibi circumspice. Dum vacat, materna suge ubera : interroga (*Deut.* xxiii) patrem tuum, et annuntiabit tibi ; majorem tuum et dicet tibi : Hodie apostolorum principem tibi delegisti sacerdotem, hodie cœli janitorem inthronizasti pontificem. O admirabilis in singulis Dei dispensatio,o divinæ dispensationis admiranda discretio ! Quid dicam fratres ? Vadam quo me ducit impetus spiritus ? Eloquar, an sileam ? Eloqui tamen melius censemus quam silere, quoniam et silere, quasi aliquid esset de beati Petri laudibus defraudare. Dicit de se in quodam loco Dominus : « Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur (*Joan.* x). » Si ostium equidem Dominus confitetur, per se introeuntibus salutem pollicetur : et tamen ad Petrum ita exorditur : « Tibi, inquit, dabo claves regni cœlorum. » Jam videre potestis, fratres charissimi, et videtis quid vester exprimere gestiat affectus, sed præ abundantia spiritus totum quod voluto, efferre non valeo. Ita enim persæpe fit ut, præ abundantis lætitiæ vel tristitiæ cumulo, verborum sufficientia desit spiritui, cum ipse spiritus nondum discreverit cui potius debeat cedere parti : fitque in abundantia spiritus error quammaximus tanquam si cuilibet avaro multimodæ apponantur divitiæ. Ipse siquidem præ alacritate nimia hæsitat, quid prius rapiat : et dum anhelat ad singula manum porrigit ad omnia. Ita et nos : impedit nos super tanto ac tali mysterio cogitationum multiplicitas, sed tamen Deo prosperante expediet nos orationum vestrarum officiositas. Nostis, fratres charissimi, quoniam ostio sera et claves apponuntur, quibus jubentibus [*forte* juvantibus] ejusdem ostii valvæ reserantur et clauduntur. Ostiis etiam ostiarii addicuntur, ad quorum suggestionem penetralium Domini, de ostiorum, uti libet, commoditate præloquuntur. Ergo quandoquidem Christus, sicut ait, ostium est, Petrus vero clavicularius est. Quid aliud, quam ostii hujus Petrus ostiarius est, ut quodammodo per Petri vicillationem, in ipsum, qui ostium est, habeamus introgressionem ? De numero apostolico, sacerdotali **300** coagulatur collegio, ut altius aliquid admireris in

A Petri sacerdotio, quam (si dici liceat) in apostoli vocabulo. Dicitur de Christo : « Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech (*Psal.* cix). » Non dicitur quod sit apostolus, etsi fuerit ab angelis minoratus, sed quod fuerit sacerdos authentica voce conclamatur. Factus est ergo Petrus apostolus, quod non factus est Christus : sacerdos quoque adoptatus est, quod et erat Dominus ! Factus est Christi consacerdos et cohæres, nec factus est coapostolus. Forsitan tamen et Christus vocari posset apostolus, sed ipse Patris, Petrus vero apostolo Christi (*Hebr.* iii). Videtur quoque hodiernæ festivitati consonare illud Sapientis præconium : « Ecce sacerdos magnus qui in diebus suis placuit Deo, et inventus est justus (*Eccli.* l). » Iste

B siquidem præter Christum sacerdotum opinatissimus [optatissimus]. Deo in diebus suis sacerdos accceptatissimus, justitiæ insignis titulo, totum vitæ suæ cursum Christi dedicavit obsequio. Voluntarie Deo sacrificavit, super ovile sibi creditum competenter invigilavit, pedetentim quos potuit cœlorum civibus invisceravit, triticum Domini sui cautissime ad usuram erogavit. In amore Dei ferventissimus, in fidei assertione robustissimus, in proximi dilectione accommodatissimus, in terris cœlibem ducebat vitam. Denique in miraculis erat copiosissimus, quatenus in plateis ponerentur infirmi in lectulis, ut, veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis (*Act.* iii). Spiritus sancti gratia

C in tantum ei linguæ suppeditarat facundiam, ut ante reges et præsides nec quid loqueretur excogitaret, nec quod disertissime loqueretur aliquando deesset. Ab inescatione piscium ad capturam translatus hominum, fidei retia vagabundis hujus procellosi mundi piscibus obtendebat. Hodie quoque summi Dei sacerdos effectus per odoriferi thuris et thymiamatis concremationem summo Sacerdotum gratanter et jucunde et acceptus. Immolavit seipsum hostiam vivam in odorem suavitatis, et Altissimo accuratissime vota sua reddidit. Quocirca benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, et testamentum suum confirmavit super caput ipsius. Ideo quoque stabilita sunt bona illius in Domino, et enarrabit eleemosynas omnis Ecclesia sanctorum. « Beatus » ergo « quem elegisti et assum-

D psisti, Domine, » ecce enim tripudians « habitabit in atriis tuis (*Psal.* lxiv). » Nulli ergo sanctorum beatum Petrum credo secundum, quem Sanctus sanctorum in fundamento suarum collocavit Ecclesiarum, et exaltavit in specula suarum ovium altissimum. Nemo coapostolorum in amore sui Jesu fervidior, nemo ipsa traditionis desperatione fuit animosior. Promotus est a navicula sua Petrus, hodie in cathedra non pestilentiæ (*Psal.* i), non columbas vendentium (*Matth.* xxi), sed episcopali collocatus, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat (*I Reg.* ii). Statuit ei Dominus testamentum pacis, ut fungeretur sacerdotio, et offer-

ret illi incensum dignum in odorem suavissimum. Agite ergo, pontifices, qui beati Petri residetis in loco, quos episcopalis sublimavit præpositio: considerate quem imitamini; de cujus dignitate gloriamini, ne cura commissa abuti videamini. Non sit vobis ad jactantiæ supercilium vocitari pontifices, sed velitis et desiderate esse pontifices. Qui enim episcopatum desiderat, bonum opus desiderat (*I Tim.* III). Operamini ergo quod competat; quod gregem Domini vobis commissum fecundando confoveat, ne forte cum aliis prædicaveritis, ipsi reprobi efficiamini (*Cor* IX). Vos quoque reliqui sacerdotes, inferiores domus Domini mansiunculæ, quorum labia custodiunt scientiam: Angeli enim Domini exercituum estis, lex siquidem requiritur ex ore vestro (*Malach.* II), qui peccata populi Domini comeditis (*Ose.* IV), tandem expergiscimini, et quamvis non sitis, juxta distinctionis momenta, pontifices, tamen recolite vos Petri consacerdotes. State ergo in gradu vestro, succincti lumbos viriliter, et sequimini Petrum sacerdotem magnum efficaciter. Quod enim hodie infula decoratus sacerdotali collocatur in cathedra, magisterii vestri humilitatem sustollit, judiciariæ vestræ potestatis deliberativam corroborat discretionem, et totius vestri officii exornat dignitatem. Vos quoque pro capacitate vestra Dei cooperarii et coadjutores estis, instar Petri sacerdotium suscepistis. Mundamini igitur, qui fertis vasa Domini (*Isa.* LII). Si manus vestræ tetigerunt aliquod morticinium, lavate manus, mundate conscientias, ne de sortium iniquarum inquinationibus vasa Domini sordescant, et pro negligentiis vestris cum suis portionibus ipsa vasa displiceant. Habetis beatum Petrum sanctitatis exemplar, munditiæ formam totius strenuitatis normam, qui precum vestrarum eulogias et vota Deo nostro gratificet, oblationibusque suis nos omnes ei commendet, qui vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXII.

De Oratione Dominica.

Duo sunt, charissimi, quæ principaliter attendere debet humana circumspectio: dignitatem suæ conditionis, et excellentiam suæ reformationis. Dignitatem suæ conditionis, ut peccare timeat; excellentiam redemptionis, ut gratiæ redimentis ingratus non existat. Sola quippe voluntate Conditoris homo de terræ vilitate sublatus est, et ad Dei similitudidem privilegio rationis sublimatus est. Hanc miser homo perdidit, cum diabolica persuasione seductus a Conditoris sui instituto superbiendo recessit; quem lapsum Psalmista considerans quasi condolendo dicebat: « Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis (*Psal.* XLVIII). » De summa erectione proprio arbitrio corruens merito ultima dejectione damnatus est: qui per se cadere potuit, sed per se resurgere non va- A luit. Hunc casum plangere habet quotidianis lamentis humana fragilitas, quatenus eo redeat per quotidiana lamenta, unde corruit per vana oblectamenta: et quæ cecidit pede superbiæ, resurgere studeat pede obedientiæ. Hoc attendens Psalmista dicebat: » Non veniat mihi pes superbiæ. Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem: expulsi sunt nec potuerunt stare (*Psal.* XXXV). » Expulsi sunt ab intima quiete: nec potuerunt stare, id est, per se redire. Sicut per eumdem Psalmistam de eisdem dicitur: « Quia caro sunt spirutus vadens et non rediens (*Psal.* LXXVII). » Ad hanc ergo reversionem sive resurrectionem necessaria fuit et medicinalis gratia Redemptoris, quæ sanaret humilitate quod corruptum fuerat elatione superbiæ. B Assumpit igitur Verbum Dei formam servi (*Philipp.* II), in qua posset conservos verbo instruere, **301** et ad exemplum vitæ suæ, morum disciplina informare. Humilitatem quippe et obedientiam verbo et exemplo insinuabat, quando discipulos exhortando dicebat: « Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve (*Matth.* XI). » Jugum enim ejus obedientiæ merito est suave, cui servire est regnare, et onus præceptorum leve, quod non premendo gravat, sed ad implendum per gratiam adjuvat. Insinuavit etiam verbo sobrietatem, ubi dixit: « Non graventur corda vestra in crapula et ebrietate (*Luc.* XXI); » docuit exemplo, qui turbam se comitantem non reficit sumptuosis deliciis, sed panibus hordeaceis (*Joan.* VI); » docuit intentionem C nostram ad interna bona dirigens qualiter esset jejunandum, quando dixit: « Cum jejunatis, nolite fieri sucut hypocritæ tristes (*Matth.* VI); » illos notans qui luctuosis sordibus rigorem simulant abstinentiæ, ut videantur hominibus jejunantes. Qualiter etiam facienda sit eleemosyna silentio noluit præterire, ubi dixit: « Cum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua (*ibid.*), » hoc documento insinuans quia eleemosynam et omne opus misericordiæ quod facimus non venando laudes hominum, sed intentione vitæ æternæ, quæ per dexteram significatur, facere admonemnr. Qualiter quoque esset orandum admonuit, ubi ait: « Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum (*ibid.*), » id est, habeto cor quietum, et ab omni tumultu exercitiorum libe- D rum: et clauso ostio, id est exclusa phanstamatum turba, ora Patrem tuum.

Ecce dictum est qualiter sit orandum; addit etiam quod sit orandum, ita subjungens: « Sic autem orabitis: Pater noster (*ibid.*), » etc. Hæc oratio compendiosis verbis, id est, septem petitionibus omnes species orationis comprehendit, quibus Deum interpellamus, aut pro appetentis bonis aut pro vitandis malis, aut pro delendis commissis: harum septem petitionum tres prius positæ pertinent ad æternitatem, quatuor sequentes ad vitæ præsentis necessitatem: nam nominis Dei sanctificatio et adventus ejus, quo in claritate venturus est et completio vo-

luntatis ejus sicut in cœlo et in terra, sive justos et peccatores, sive animam et corpus, sive Christum et Ecclesiam intelligamus; quamvis ab humili adventu Christi exordium sumant, tamen nonnisi sæculi terminatione complebuntur, et omnia tria in æternum manebunt. Reliquæ autem quatuor ad hanc vitam temporalem pertinere videntur, quia et panis quotidianus, id est spiritualis, licet sit sempiternus, ad hoc tamen tempus pertinet in quantum ministratur animæ quibusdam signis, id est dictis vel scriptis, et ideo panis dicitur quia laborando et disserendo discitur, et ita quasi mandendo glutitur. Nunc quoque peccata dimittuntur nobis et nos dimittimus aliis, quæ est inter quatuor secunda portio [petitio *habet Petavianus codex*). Et nunc tentationes vitam nostram infestant, et ipsa liberatio a malo ad hanc vitam pertinet, quia Dei justitia mortem incurrimus; unde ipsius misericordia liberandi sumus: quæ cum ita sint ipsarum petitionum verba diligentius pertractanda sunt, ut intellecta et majorem generent cordis affectum, et quod petitur ad velociorem perducatur effectum. Dicamus ergo « Pater noster, » cui non timore sed amore famulamur: non hoc populo priori dictum est ut patrem oraret, sed Dominus insinuatus est eis cui non filiali obediebant amore, sed servili subjiciebantur timore. Admonentur autem hoc verbo divites et nobiles cum Christiani facti fuerint, quatenus se non extollant adversus pauperes et ignobiles, quoniam simul dicunt « Pater noster: » quod vere ac pie dicere non possunt nisi se fratres esse cognoscant; hoc ergo nomine et charitas excitatur, quia filiis nihil charius debet esse quam pater, et supplex affectus, cum homines dicunt « Pater noster, » et quædam impetrandi præsumptio quod petitur cum etiam ante petitionem tam magnum donum acceperimus ut possimus dicere « Pater noster: » quid enim jam non det filiis petentibus pater, qui jam hoc ipsum dedit ut essent filii? postremo quanta cura animum ejus tangit, qui dicit Pater noster, ut tanto Patre non sit indignus: utatur ergo populus Novi Testamenti voce, populus novus ad æternitatem vocatus « Pater noster. » Oratio fraterna est, non dicit pater meus tanquam per se tantum orans, sed pater noster: omnes videlicet una oratione complectens qui se in Christo fratres esse cognoscunt: « qui habitas in cœlis, » id est in his quorum conversatio est in cœlis: et accommodatissima est ista similitudo ut tantum spiritualiter distare credatur inter justum et peccatorem, quantum distat corporaliter inter cœlum et terram: peccatori enim dictum est: Terra es et in terram ibis: cujus rei significandæ gratia cum ad orationem stamus ad Orientem vertimur unde cœlum surgit: non ideo quod ibi sit Deus tanquam cæteris mundi partibus relictis, sed ut admoneatur animus ad excellentiorem naturam consurgere, id est ad Deum. Jam quod petendum sit attendamus. « Sanctificetur nomen tuum: » quod non sic petitur quasi non sit sanctum Dei nomen, sed ut sanctum habeatur ab hominibus et ita innotescat illis Deus, ut existiment aliquid sanctius non esse quo magis timeant eum offendere, quia nomen Dei sanctificare, est Deum timere, de quo dicitur: « Initium sapientiæ timor Domini (*Psal.* CX); » et alibi: « Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi (*Matth.* XVIII). » Sequitur: « Adveniat regnum tuum, » id est, manifestetur mundo; sicut præsens lux absens est cæcis, ita Dei regnum, quamvis ubique sit, deest tamen ignorantibus: vel ita ut tu in nobis et nos in te, te donante regnemus; hæc petitio ad pietatem pertinet, quæ est secundo gradu inter beatitudines: si enim pietas est qua beati sunt mites (*Matth.* V), petamus ut veniat regnum Dei in nos, id est, mitescamus et non resistamus. Sequitur: « Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra, » id est, sicut in angelis ita et in hominibus, vel sicut in justis ita et in peccatoribus: vel ita consentiat caro tuæ voluntati sicut consentit spiritus.

Hæc petitio ad scientiam pertinet quæ tertio gradu est inter beatitudines? nam si scientia est qua beati sunt qui lugent, oremus ut fiat voluntas Dei sicut in cœlo et in terra, id est, ut consentiat caro spiritui: quia non aliunde tantum dolere habet humana miseria quantum in quod caro concupiscit adversus spiritum et spiritus adversus carnem, ut cum Apostolo exclamare cogamur: « Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? » (*Rom.* VII.) Sequitur quarta petitio: « Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; potest et simpliciter intelligi de cibo corporali et spiritualiter de pane divini verbi: si de corporali agitur, non extendit petitionem suam in longum iste orator: præceptum sequitur evangelicum, ubi dicitur: « Nolite cogitare in crastinum, crastinus enim dies ipse sibi cogitabit (*Matth.* VI): » sic et beatus Apostolus monet, habentes victum et tegumentum his contenti simus, si vero spiritualiter accipiat panem istum, vel ipsum Christum intellige qui est supersubstantialis animæ panis, quia omnem superat substantiam qui de seipso ait: « Ego sum panis vivus **302** qui de cœlo descendi (*Joan.* VI): » vel ipsum intellectum verbi divini qui nobis necessarius est ad reficiendas ruinas animæ donec cognominatur hodie. Hæc petitio ad fortitudinem pertinet quæ quarto loco ponitur ascendentibus ad summam beatitudinem: si enim fortitudo est qua beati fiunt qui esuriunt et sitiunt justitiam, orandum nobis est ut detur nobis panis iste quotidianus quo confortati ad illam perfectam saturitatem venire possimus. Sequitur: « Et dimitte nobis debita nostra. » Forte peccavit in te aliquis, dimitte illi veniam a te petenti, ne dum fratri negas misericordiam tibi claudas patris indulgentiam, dicente Jacobo apostolo: « Judicium Dei sine misericordia ei qui non fecit misericordiam *Jac.* I). » Petitio hæc refertur ad consilium, quod quinto loco ponitur inter gradus beatitudinum: si enim consilium est quod beati sunt misericordes, dimittamus debitoribus nostris debita sua, et sic ore-

mus ut dimittantur nobis debita, id est peccata nostra, propter quæ differimur ab impetranda venia nisi eam acceleret fratribus facta indulgentia. Sequitur : « Et ne nos inducas in tentationem : » id est, ne patiaris nos induci, id est, a tentatore seduci. Hoc est ergo quod oramus, ut non permittat nos Deus tentari supra id quod possimus, sed faciat cum tentatione proventum ut possimus sustinere. Petitio hæc pertinet ad intellectum qui sexto loco ponitur in numero beatitudinum: si enim intellectus est quo beati sunt mundi cordes, id est qui purgatum habent oculum mentis terreno pulvere, oremus non induci in tentationem, id est, non habere duplex cor, sed unum et simplex appetere bonum.

Sequitur : « Sed libera nos a malo : » nimirum in quod induci possimus, sed ab illo in quo inducti sumus: quo pacto nihil restabit lugendum. Huic petitioni congruit sapientia quæ septimum inter beatitudines obtinet locum : nam si sapientia est qua beati sunt pacifici, id est, qui ordinatis motibus suis cogunt omnia servire spiritui, orandum est nobis ut liberemur a malo : ipsa enim liberatio liberos nos fecit, id est, filios Dei ut spiritu adoptionis clamemus: Abba, Pater (*Rom.* VIII). Amen autem in his omnibus petitionibus significat indubitanter a Domino conferri quod petitur, si ultimæ conditionis pactum firmiter teneatur. Hæc tria remediorum genera specialiter commendavit nobis cœlestis medicus, eleemosynam, videlicet, jejunium et orationem: Quibus tanquam medicinalibus antidotis possemus inveterata mala curare, præsentanea pellere, conservando salutem futura cavere. Et congrue tria sunt genera curationis, sicut præcedunt et tria genera corruptionis. Omne enim peccatum aut fit in anima per consensum pravæ suggestionis ad violandum Dei templum: aut fit male utendo corpore ad lædendum proximum, quod est facinorosum ; aut fit male utendo corpore ad corrumpendum seipsum, quod est flagitiosum. Facinora enim licet per corpus fiant, qualia sunt homicidia, rapinæ, furta, non tamen corpus facientis afficiunt vel corrumpunt, de quibus dicit Apostolus: «Omne peccatum quodcunque fecerit homo extra corpus est (*I Cor.* VI);» flagitia vero et per corpus fiunt, et corpus afficiunt et inficiunt, de quibus dicit Apostolus: «Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat (*ibid.*): merito ergo facinora quæ extra corpus fiunt, eleemosyna tanquam exteriori purgantur medicina: quia sicut facinus nocuit proximo, sic eleemosyna, quæ extra nos est, et per corpus tamen datur prodesse debet proximo. Flagitia vero congrue medicinali mundantur parcimonia : quia sicut caro læta traxit ad culpam; sic afflicta reducere debet ad veniam. Si qui vero sunt quibus hæc medicamenta non congruant, ut vel eleemosynam dare non possint propter nimiam paupertatem, aut jejunare non possint propter stomachi imbecillitatem, habent tertium genus medicinæ, a quo se excusare non poterit nisi qui morbos animæ suæ sanare contempserit. Hoc ergo medicamentum, quod nulli sanæ menti deesse potest, studiose et pie frequentemus, implentes illud præceptum apostolicum: « Sine intermissione orate (*I Thess.* V). » Hoc enim antidotum ita omnibus morbis occurrit, ut assiduatum morbos omnes depellat, et omnia corrupta integritati restituat, præstante Domino nostro Jesu Christo cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXIII (2).

De Symbolo apostolorum.

Notum est dilectioni vestræ, quod milites sæculi beneficia temporalia a temporalibus dominis accepturi, prius sacramentis militaribus obligantur, et dominis suis fidem se servaturos profitentur; quanto magis æterno regi militaturi, et æterna præmia percepturi, debent sacramentis cœlestibus obligari, et fidem, per quam ei placituri sunt, publice profiteri; dicit enim Apostolus : « Sine fide, impossibile est placere Deo (*Hebr.* II). » Hanc in cordibus nostris agnoscit qui scrutatur renes et corda ; sed propter conservandam Ecclesiæ unitatem, dispensationi hujus temporis cum fide cordis necessaria est oris confessio, quia « corde creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem (*Rom.* V), » non tantum prædicatorum, sed etiam auditorum. Non enim aliter frater de fratre bene sentiret, nec pax Ecclesiæ servaretur nec alium docere, aut ab alio discere saluti necessaria posset, nisi quod in corde habet, signis vocum tanquam suis vehiculis ad aliorum corda transmitteret. Est ergo fides et corde servanda, et ore promenda: fides namque bonorum omnium est fundamentum, humanæ salutis initium. Sine hac nemo ad numerum filiorum Dei poterit pervenire quia sine ipsa in sæculo, nec justificationis consequitur gratiam: nec in futuro vitam possidebit æternam. Et si quis non ambulaverit per fidem, non perveniet ad speciem. Hoc attendentes sancti apostoli, certam fidei regulam tradiderunt, quam secundum numerum apostolicum duodecim sententiis comprehensam, symbolum vocaverunt, per quam credentes catholicam tenerent unitatem, et per quam hæreticam convincerent pravitatem. Solent quippe sodales cum aliquem in sodalitium suum admittunt, symbolum dare, et ita initum fidei pactum confirmare. Ad hanc similitudinem sancti apostoli spirituale sodalitium inter se connectentes, hoc symbolum confecerunt, quo sodalitium eorum intrare cupientes, fidei commercio sibi colligarent, et sic cœlestis mensæ participes secum efficerent. Dicat ergo quisque fidem apostolicam professus per ora gestantium in baptismo, cum ad annos intelligibiles venerit: «Credo in Deum; » et quod profitetur ore, meditetur corde. Non dicit credo Deum, vel credo Deo, quamvis et hæc saluti necessaria sint. Aliud enim est credere Deum, quia Deus est : et aliud credere Deo, quia verax est, quod, testante Jacobo apostolo, « et dæ-

(2) Hic etiam sermo primum emittitur e ms. Biblioth. Regiæ et Petavianæ, et ex Soucheti veteri membrana.

mones credunt, et contremiscunt (*Jac.* II) : » sed non credunt in Deum, quia credendo non moventur ut eant in ejus voluntatem. Non ergo prodest
303 eis spiritus timoris, quia non est in eis spiritus amoris. Nos vero qui per adoptionem gratiæ filii Dei sumus, dicamus : « Credo in Deum Patrem omnipotentem ; » hoc est, sic ei credamus, ut ei per dilectionem hæreamus. Patrem dicit qui ante tempora coæternum sibi genuit Filium : « Omnipotentem Creatorem cœli et terræ ; » id est, qui per omnipotentiam suam, conditor est et cœlestium et terrestrium ; id est visibilium et invisibilium, ut nemo dubitet Deum ita posse, quem audit omnia posse. Dicta sunt autem hæc adversus gentiles, qui per infidelitatem credebant deos esse simulacra quæ condiderant, relicto vero Deo a quo conditi erant. « Et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum. » Sicut in Patrem, sic et in Filium credendum est. Et quia cum Patre æqualis majestate est, tantum ipsi, quantum et Patri honoris debemus. Jesus autem *Salvator* interpretatur : « Christus a chrismate dicitur ; quia sicut antiqui reges oleo sacro perfundebantur, ita Dominus noster Jesus Christus Spiritus sancti infusione repletus est : ostendunt autem ista in eum jure esse credendum, qui præter hoc quod æqualis est Patri, Salvator noster est redimens nos ; et Christus, id est rex, regens nos, et unicus Dominus noster, spoliato antiquo hoste, singulari domino suo adsciscens nos.

« Qui conceptus est de Spiritu sancto, » id est, cujus conceptionis solus auctor fuit Spiritus sanctus. Sicut enim vermis calefaciente sole de puro limo formatur ; sic Spiritu sancto illustrante et sanctificante cor Virginis, caro Christi de sola carne Virginis nulla sementina carnis origine operante concepta est. Unde se vermi comparans per Psalmistam dicit : « Ego sum vermis et non homo (*Psal.* XXI) ; » id est, non conceptus humano more. « Natus ex Maria Virgine ; » id est, sicut non aperuit uterum matris conceptus, sic nec aperuit partus. Non, ut quidam sceleratissime opinantur, Spiritum sanctum dicimus pro semine, sed potentia ac virtute Creatoris operatum. « Hoc Verbum caro factum est (*Joan.* I) ; » hoc est, homo factus est cooperante Patre et Spiritu sancto conceptus a Virgine, et natus ex Virgine, ut ineffabili generationis argumento ipse esset in Virgine Creator sui, qui se per Spiritum sanctum operabatur creandum. « Passus sub Pontio Pilato. » Pilati mentio ad temporis significationem, non ad personæ pertinet dignitatem. « Crucifixus, mortuus, et sepultus. » Infirma incarnati Verbi commemorantur, de quibus dicit Apostolus : « Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus (*I Cor.* I). » Ideo enim passus est, ut nos ad impassibilitatem reformaret. Ideo crucifixus est, ut nos a cruciatibus æternis liberaret. Ideo vera morte mortuus est : sicut vera nativitate natus est, ut nos a morte sempiterna liberaret. Ideo sepultus est, ut nos sibi vitiis et concupiscentiis consepeliret. Unde dicit Apostolus : « Consepulti sumus Christo per baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris : ita et nos in novitate vitæ ambulemus (*Rom.* VI) ; » id est, omni vetustate deposita, conformemur Christi similitudini. Hæc ergo infirmitas Christi superavit omnem fortitudinem mundi. « Tertia die resurrexit a mortuis. » Triduanæ sepulturæ mors evidenter ostendit, quod dum corpus in sepulcro jacuit, anima illa de inferis triumphavit : « Ascendit ad cœlos. » Ideo conditionem naturæ nostræ quam de homine matre natus assumpsit, super cœlos ad dexteram Patris collocavit. « Sedet. » Quod autem sedere dicitur, non significat membrorum positionem, sed judiciariam potestatem. « Ad dexteram Dei Patris omnipotentis. » Ad dexteram vero in summa beatitudine intelligendum est dictum esse ; sicut ad sinistram constituentur hædi ; id est in ultima miseria. « Inde venturus est judicare vivos et mortuos. » Vivos autem et mortuos judicabit ; id est quos ante mortem nostram adventus ejus inveniet, et quos jam mortuos, resuscitabit : sive justos et peccatores, dicit vivos et mortuos. Attendant hujus fidei professores in hoc Symbolo, ad hoc Christi humanitatem, per quam reconciliati sunt, commemoratam, ut ingrati non existant beneficiis Redemptoris sui, qui eos per suam humanitatem reconciliavit, per deitatem absolvit, ne jure divino priventur paternis bonis, propter ingratitudinem sibi adjudicatis. « Credo in Spiritum sanctum, » æqualem et consubstantialem Patri et Filio, ab utroque æqualiter procedentem. Unde et ita in eum credendum est, sicut in Patrem et in Filium. « Sanctam Ecclesiam catholicam, » id est Ecclesiam orbis terrarum ; non eam de qua dicitur : « Ecce hic, et ecce illic (*Matth.* XXIV) ; » id est quæ in cubiculis esse dicitur, vel in deserto ; sed eam quæ diffusa est toto orbe terrarum, et in unitate fidei solidata. « Sanctorum communionem ; id est ecclesiasticorum sacramentorum veritatem, cui communicaverunt sancti, qui in unitate fidei de hac vita migraverunt. « Remissionem peccatorum. » Non tantum eorum quæ per baptismum remissa sunt ; sed etiam eorum quæ per humilem confessionem digna satisfactione mundata sunt. « Carnis resurrectionem, » quæ in adventu Domini communis futura est ; sed bonis malisque dissimilis, secundum quod Apostolus ait : « Omnes resurgemus ; sed non omnes immutabimur (*I Cor.* XV), » subintelligendum est in melius. « Vitam æternam, » hoc est quod idem Apostolus dicit : « Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem (*ibid.*). » Hæc duodecim capitula ad regulam veræ fidei firmissime pertinentia, fideliter credenda sunt, fortiter tenenda, veraciter, patienterque defendenda, et si quem his contraria dogmatizare noverimus, tanquam pestem fugiamus, et tanquam hæreticum abjiciamus. Ita enim ista quæ posita sunt, et compendiosis vocibus

comprehensa sunt, ita catholicæ fidei congruunt, et hæreticæ pravitati occurrunt, ut huic regulæ firmiter adhærentes non sinantur errare, et a tramite rectæ fidei deviare. Quisquis autem aliter sapere voluerit, oremus ut hoc ei Deus revelare dignetur. Nos autem in eo quod accepimus ambulemus, et in eo quod certum nobis est, firmiter perseveremus. Hoc Symbolum docete spirituales filios vestros, pro quibus in baptismo sponsionem fecistis, quos de sacro fonte suscepistis. Hoc docete filios vestros, quos de carne vestra suscepistis. Hoc docete eos quos in clientelam vestram admisistis; quatenus per disciplinam vestram omnem errorem caveant, ea quæ inimica sunt Christianæ fidei fugiant, et ea quæ apta sunt tota virtute perficiant. Præstante Domino nostro Jesu Christo, qui vivit et gloriatur cum Patre et Spiritu sancto per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXIV (3).

De adulterino habitu virorum vel mulierum.

Audivimus ex parabola evangelica quemdam patremfamilias nuptias filio suo fecisse, et ad eas plurimos invitasse. Inter quos **304** cum ingressus esset quidam non habens habitum nuptialem, visus a patrefamilias, jussus est non tantum a nuptiis excludi, sed in tenebras exteriores retrudi. Hæc parabola insensatos homines hujus temporis evidenter redarguit, quamvis altiori discussione aliquid secretius et sacratius possit intelligi. Prius ergo quæramus quis sit iste paterfamilias, quis iste filius, quæ sint istæ nuptiæ. Quibus perspectis facilius intelligere poterimus cur ille ab his nuptiis exclusus sit, qui ad eas cum adulterina veste accessit. Intelligimus itaque hunc patremfamilias Deum Patrem omnipotentem, cui famulantur universæ familiæ gentium; qui coæternum et coæqualem sibi genuit Filium, in cœlis sine matre, in terris sine patre; cui nuptias fecit quando ei Ecclesiam ex omni genere hominum sociavit. Ad hanc Christi et Ecclesiæ societatem convocati sunt nobiles, ignobiles, divites, pauperes, omnis conditio, omnis sexus, omnis ætas. Inter hos accessit unus qui solus excludi meruit, quia habitum talium nuptiarum sanctitati congruentem non habuit. Attendite, fratres. Iste unus multi sunt, et tamen tota hæc multitudo unitatis nomine comprehenditur. Multi enim sunt quantum ad numerum personalis discretionis, sed unus sunt per consonantiam unius pravitatis. Sicut enim una Ecclesia est per fidem sub capite Christo, ita tota reproborum multitudo sive pateat sive lateat, unum corpus est sub principe diabolo. Qui ergo per infidelitatem manifeste a Deo recedit, ad has nuptias non accedit. Qui vero infidelis est, accedit corpore, recedit mente; nobiscum intrat Ecclesiam, communicat nobiscum Christi mensam. Boni et mali pisces adhuc latent intra retia donec dividantur in littore. Adhuc toleratur palea donec ventiletur area. Tunc manifeste apparebit, « quia multi vocati, pauci electi (*Matth.* XXII). » Tunc iste adulterator habitus nuptialis jussu patrisfamilias manifeste excludetur, et in carcerem retrudetur. Interim tamen amici sponsi talem simulatorem non ignorant, quia impudicus habitus corporis nuntius est adulterati cordis. Impudicus autem habitus corporis est in viris superflua et inordinata capillatura, vestimentorumque muliebrium affectata similitudo, calceamentorumque metas necessitatis excedens simulata longitudo. In mulieribus facies fucata, virilium vestimentorum imitatio, capillorum nativi coloris adulteratio. Hic habitus in utroque sexu adulterinus est, et sanctarum nuptiarum societate indignus, et a conspectu tanti sponsi et tantæ sponsæ prorsus amovendus.

Nec silentio præterire hoc debent amici sponsi diligentes decorem domus Dei, debent hujusmodi adulteriis publice adlatrare; ne dicatur de eis: « Canes muti latrare non valentes (*Isa.* LVI, 10). » Qui enim quantitatem vel formam quam omnipotens et prudentissimus Plasmator finxit, in aliam transfigurare contendit, nonne evidenter dicere videtur ei qui se finxit, cur me fecisti sic? Improba temeritas, conditoris plasma ita vilifacere, ut quantitatem suam et formam quantum in se est, in aliud transfiguret, quod si a natura haberet, incomparabiliter se habere doleret. Nec ista dicimus a nobis tanquam ex nobis. Habemus patres nostros doctores egregios, qui ante nos contra ista scripserunt, et irrefragabili auctoritate damnaverunt. Audiamus Paulum doctorem gentium, de superflua capillatura dicentem Corinthiis: « Vir si comam nutriat, ignominia est illi (*I Cor.* I). » Cum enim vir ex Dei ordinatione primatum habeat super mulierem: qui contra honorem sui sexus superfluitate capillorum caput velat, primatum suum sibi abjudicat, ut merito de eo dicatur: « Homo cum in honore esset non intellexit; comparatus est, » ut vera dicamus, non tantum mulieribus, sed etiam « jumentis insipientibus (*Psal.* XLIX). » Judicio enim legum, jure ab obtenta dignitate dejicitur, qui privilegio sibi commisso abutitur. Audiamus et beatum Cyprianum, egregium martyrem et suavissimum doctorem, de adulterino habitu disputantem. Dicit enim in epistola quam scribit de habitu virginum: « Opus Dei et factura ejus, et plasma ejus nullomodo adulterari debet, adhibito flavo colore vel nigrore, vel quolibet [vel nigro pulvere vel rubore aut quæ]denique lineamenta nativa corrumpente, medicamine. Dicit enim Deus: » Faciamus « hominem ad imaginem et similitudinem nostram (*Gen.* I). » Et audet quisquam mutare et convertere quod Deus fecit? Manus Deo inferunt, quando id quod ille formavit, reformare et transfigurare contendunt, scientes [nescientes] quia opus Dei est omne quod nascitur, diaboli quodcunque mutatur.

(3) Hic sermo jam a Jureto editus in calce epistolarum ex v. c. S. Victor. Paris. iterum emittitur recognitus ad exemplaria mss. Bibl. Regiæ et Petavianæ.

Si quis pingendi artifex vultum alicujus et speciem A et corporis qualitatem æmulo colore signasset, et signato jam consummatoque simulacro manus alius afferret [inferret] et jam formata, jam picta quasi peritior reformaret, gravis prioris artificis injuria, et justa indignatio videretur. » Et in sequentibus : « Non metuisne, cum resurrectionis dies venerit, artifex tuus te non recognoscat : ad sua præmia et promissa venientem removeat et excludat ? increpans vigore censoris et judicis dicat : opus hoc meum non est, nec imago hæc nostra est, cum te falso (4) medicamine polluisti, cum formam quam tibi dederam mendacio deformasti : facies corrupta est, membra aliena sunt. Deum videre non poteris quando oculi tibi non sunt quos Deus fecit, sed quos diabolus infecit (5). Audite me itaque ut parentem B audite, quæso, vos docentem, pariter ac monentem, audite utilitatibus vestris et commodis fideliter consulentem. Estote tales quales vos Dominus artifex fecit. Estote tales quales vos manus patris instituit. Maneat in vobis facies incorrupta, cervix pura, forma sincera: a calceamentis superfluis pedes liberi (6) crines nullo colore fucati, oculi conspiciendo Deo digni. Apostoli vox est, quem Dominus vas electionis appellavit. Dicit enim : « Primus homo de « terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis « Sicut portavimus imaginem terreni, sic portemus « imaginem cœlestis (*I Cor.* xv). » Hanc imaginem portat virginitas, portat integritas, portat sanctitas et veritas, portant disciplinæ Dei memores, justitiam cum religione retinentes, stabiles in fide, humiles in timore, ad omnem tolerantiam fortes, ad sustinendam injuriam mites, ad faciendam misericordiam faciles, fraterna pace unanimes [*v. c.* uniames] atque concordes : quæ omnia observare, diligere et implere debemus, ut Apostoli præceptum adimpleamus : « Empti enim estis pretio magno, glorificate et portate Deum in corpore vestro (*I Cor.* vi). » Deum enim in corpore nostro portamus cum imaginem ejus per immundas et profanas adinventiones non deformamus, cum per omnia servitutis obsequia Redemptoris imperio parere studemus. Ita enim imaginem suam in nobis recognoscet, et nuptiali veste ornatos a suo sanctorumque consortio non excludet : quod nobis misericorditer præstare dignetur qui vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XXV.

DE UNO SANCTO MARTYRE.

(*Exstat in Appendice ad Sermones Augustini, Patrologiæ tom. XXXIX, Opp. Augustini V, parte* II, *col.* 2158. *Inc. : « Triumphalis beati martyris. » — Vide Notitiam litterariam Operum S. Ivonis tomo I præfixam, num. 4*).

(4) *Autem falso.* Reliqua paulo aliter apud Cyprianum.

(5) Sequentia etiam desumpta sunt ex Cypriano.

(6) Apud Cyprianum, *sint a compedibus aureis pedes liberi.*

DUBIA.

SERMONES SEX AD POPULUM.

Exstant Patrologiæ tom. CXLVII, col. 219, *in notis ad Joannem Abrincensem. — Vide Notitiam litterariam, num.* 4.

MICROLOGUS

DE ECCLESIASTICIS OBSERVATIONIBUS.

(Hoc opusculum, jam a nobis editum tomo CLI (col. 974), Ivoni vindicat Henricus Warthonus in *Auctario ad Usserium de Scripturis sacrisque vernaculis*, pag. 359 : — *Ex codice ms. bibliothecæ Lambethanæ,* inquit, *Ivonem Micrologi auctorem esse (quod quidem hactenus eruditos latuit) deprehendi. Codex enim ipse præclaræ vetustatis est, Ivone haud multo inferior, adeoque nihil non fidei meretur.* Vide Notitiam Fabricii Opp. Ivonis tomo I præfixam).

LECTORI

305 *Fuerat animus edere Chronicum satis amplum a Nino usque ad Ludovicum Pium, cujus quidem media pars jam in corpore historiæ Francicæ edita fuerat sub nomine Ivonis episcopi Carnotensis : quod etiam integrum manuscriptum ex menasterio Sancti Ebrulphi recuperatum habuimus sub eodem nomine*

Ivonis episcopi Carnotensis. Sed collato eo cum Hugonis Floriacensis compluribus Chronicis mss. quorum insignia duo sunt in bibliotheca S. Victoris Parisiensis, invenimus illud ipsis omni ex parte esse simile, ideoque Ivoni nostro falso ascriptum : sed in hoc deceptos esse complures, quod Chronicum illud præferat in fronte epistolam quamdam Hugonis ad Ivonem nostrum, in qua eum rogat ut Chronicum illud suum quod ipsi legendum mittit, inspiciat et emendet, si quid in illo emendandum repererit. Cæterum hic error docte agnitus est ab Andrea Duchesne, historiographo regio, tomo III, Scriptorum historiæ Francicæ, pag. 347, ubi de diversis Hugonis Floriacensis Chronicis loquitur. Adde quod nemo eorum qui de Ivone scripserunt hujus Chronici unquam meminerit, sicut videre est in elogiis Ivonis quæ initio hujus libri apposuimus. Propterea lectorem hoc loco monitum voluimus, ne quidquam ex operibus tanti viri sibi defraudatum putet.

DIVI IVONIS

CARNOTENSIS EPISCOPI

CHRONICON DE REGIBUS FRANCORUM (7).

Francos lingua Attica Valentiniamus imperator, A a feritate et duritia atque audacia vocari voluit : qui post paululum cum tributa Romanis negarent, et Romanorum impetum ferre non possent, egressi a Sicambria pervenere in extremos fines Rheni fluminis in Germanorum oppida : ibique aliquot annis eum principibus suis Marcomiro et Sunone resederunt. Ubi primum regem Pharamundum sibi statuunt, legibusque se subdunt, quas primores eorum Wisogastus, Arbogastus, Salegastus invenerunt.

Pharamundus rex primus Francorum ; Niceta Viennensis episcopus ; Justus Lugdunensis episcopus relicto episcopatu in Ægypto anachoreta moritur, ossaque ejus Kugdunum referuntur, ossaque Viatoris ministri ejus ; Martinus Turonorum episcopus miraculorum gloria insignis effulsit.

Didio Pharamundi filius rex Francorum secundus. Ab hinc Franci crinitos reges habere cœperunt. Eodem tempore Romani **306** Gallias tenebant, citra Ligerim fluvium Gothi.

Clodio post Didionem rex Francorum tertius. Hic de Thoringiorum finibus egressus Rhenum transiit, victoque Romano exercitu Carbonariam silvam tenuit, ibique sibi sedem statuit.

Meroveus post Clodionem rex Francorum quartus. Metis a Francis succensa, Franci usque Aurelianos pervenerunt.

Childericus post Meroveum quintus regnavit annis XXIV.

Clodoveus post Childericum rex Francorum sextus, regnavit annis XXX. Hic primus regum Francorum a beato Remigio baptizatus est cum populo suo. Siagrius, Ægidii patricii filius, cum Clodoveo apud Suessionem pugnam committens devictus et occisus est, sicque vires Romanorum in Galliis ceciderunt. Clodoveus rex Burgundiam sibi subegit. Mamertus Viennensis episcopus clarus habetur.

Clodoveus milliario X a Pictavis urbe cum Alarico rege pugnam iniit, eumque vicit et occidit, sibique subegit Tolosam, Santonas, omnemque Aquitaniam. Fulgentius Ruspensis episcopus, et Avitus Viennensis clari habentur.

Mortuo Clodoveo Chlotildis uxor ejus cum quatuor filiis suis regnum Francorum tenuit, Theoderico, Clodomiro, Childeberto, Clotario. Clodomirus et Childebertus atque Clotarius contra Sigismundum exercitum movent, et contra Gothimarum, fugientibusque Burgundionibus Sigismundus ad monasterium Agaunensium martyrum fugiens apprehenditur a Clodomiro, ibique cum uxore et filiis interficitur, ideoque Clodomirus ultra cum Burgundionibus decertans ab eis interfectus est. Quod B Franci indigne ferentes, Gothimarum persecuti occidunt. Childebertus et Clotarius filios Clodomiri nepotes suos, ne regnarent loco patris, occiderunt: unus tamen Clodoaldus effugit, qui clericus factus, et plenus virtutibus migravit ad Christum. Beatus Medardus migravit ad Christum, sepultus in civitate Suessionis a rege Clotario ; qui et non multo post defunctus in eadem ecclesia sepelitur, regnavitque LII annis.

Quatuor filii Clotarii regnum inter se dividunt. Karibertus accepit regnum Clodomiri, sedemque constituit Parisiis. Guntranus regnum Childeberti sedemque constituit Aurelianis. Chilpericus regnum patris sui Clotarii Suessioni, Sigebertus accepit regnum Theodorici Remis. Karibertus rex mortuus in ecclesia S. Romani in Blavio castro sepelitur. C Beatus Germanus Parisiorum episcopus claruit. Chilpericus fratrem suum Sigebertum fraude Fredegundis reginæ interfectum in Lambani via sepelivit. Inde vero translatus est in basilicam S. Medardi. Guntranus vero rex in ecclesia S. Marcelli Cabilloni sepultus est. Regnavit vero annis XXXI.

(7) Brevissimam hanc Francorum Historiam alii Hugoni de Sancta Maria monacho Floriacensi tribuere malunt. Sed nihil habet quod hujus ingenium vel sermonem arguat. Georgius Waitz, Proleg. ad Hugonem Floriacensem, ap. Pertz, *Monum. Germ. hist.*, Script. t. IX (*Patrologiæ* t. CLXIII).

Chilpericus dolo Landrici ac Fredegundis reginæ A ipsius uxoris occisus, Parisiis in ecclesia S. Vincentii sepelitur.

Theodebertus et Theodericus filii Childeberti cum avia sua Brunechilde in regnum gloriosi regis Guntrani Burgundiam directi sunt. Inde Theodericus cum Theodeberto fratre pugnam iniit, eumque occidit. Brunechildis tandem pro multis sceleribus in præsentia Clotarii regis indomitis equis religata cruribus et brachiis membratim discinditur, ejusque ossa igne concremata sunt.

Clotarius filius Chilperici rex Francorum octavus. Hic Saxonum terram adeo vastavit, ut non remaneret ibi homo longior spatha sua, non longo post tempore obiit anno XLIV regni sui.

Dagobertus filius Clotarii, rex Francorum nonus, B vir strenuus fuit; habuit autem duos filios Sigebertum et Clodoveum. Anno vero regni sui XLIV febre valida tactus et mortuus est, sepultusque in loco Bindionum.

Clodoveus filius Dagoberti rex Francorum decimus, cujus uxor Bathildis de genere Saxonum genuit ei tres. Clotarium, Childericum atque Theodericum. Clodoveus XVI regni sui anno vita decessit.

Clotarius filius Clodovei, rex Francorum undecimus. Hic IV annis regnans obiit.

Theodericus filius Clodovei, frater Clotarii, rex Francorum duodecimus. Ebroinus princeps domus Leodegarium episcopum multis affectum pœnis gladio percussit, fratremque ejus germanum. Theodericus anno regni sui XVIII obiit. C

Clotarius filius Theoderici rex Francorum decimus tertius, regnavit annis tribus.

Childebertus filius Theoderici, frater Clotarii, rex Francorum decimus quartus. Hic XIII anno regni sui obiit.

Dagobertus filius Childeberti, rex Francorum decimus quintus, cum adhuc puer esset, major autem domus Theodebaldus Pipini Austrasiorum ducis filius. Dagobertus V annis regnans mortuus est.

Danielem post Dagobertum quemdam clericum post abjectionem tonsuræ Franci super se statuentes, eum vocantes Chilpericum, exercituum contra Carolum usque Mosam fluvium movent. Ex alia parte Rabbodus dux cum Frisonibus contra eum- D dem Carolum insurgit : pugna valida commissa, Carolus magno damno afflictus est dilapsus. Chipericus simul cum Ragaufrido Arduennam silvam ingressus, pervenerunt usque Coloniam : sed subito Carolo super eos irruente, prælioque confecto fugantur Chilpericus atque Ragaufridus. Chilpericus ad Eudonem ducem fugiens, ab eodem duce redditus est Carolo, et V anno post in civitate Noviomo mortuus est.

Theodericus Dagoberti junioris filius, rex Francorum decimus septimus, Carolus major domus et Austrasiorum princeps, vastans omnia, et Saxonum agros diripiens, cum eis bellum iniit, ubi gravissima cædes hominum altrinsecus morientium. Post aliquot annos in Bavariam iter arripuit, eamque cum labore maximo ad deditionem coegit, sed postea reluctantes via secunda perdomuit. Iterum abiit in Saxoniam, deinde in Suevos contra Lanfredum, quos ab infestinatione et injuria repressit. Inde contra Eudonem Aquitanorum ducem ivit, eumque usque in Vasconiam fugavit. Saracenos præterea cum longis navibus venientes, urbesque plurimas tam Septimaniæ quam Viennenses devastantes idem Carolus graviter fugit, eosque in Hispaniam repulit. Post aliquot annos perrexit usque Vasconiam, Aquitaniamque depopulatus est, Saracenos quoque Aquitaniam et alias provincias devastantes perdomuit.

307 Childericus post Theodericum rex Francorum decimus octavus. Majores domus Carolomanus et Pipinus, frater ejus. Sed Carolomanus, abjecto sæculari habitu, Romam abiit : inde ad S. Benedictum in montem Casinum perrexit. Gripho autem, faciem Pipini ducis fugiens, fugit in Saxoniam atque Bavariam, ducatumque ipsius Pipini subjugavit. Gripho vero fugiens ad Gaifarum Aquinatorum ducem, conjunctim parant bellum contra Pipinum. Interea Pipinus, Francorum regnum defecisse videns, jussu Zachariæ papæ elevatur in regem.

Pipinus, rex Francorum decimus nonus, regnavit annis XVIII. Mox post unctionem suam bellum in Saxoniam movit, eamque devicit. Zachariæ papæ successit Stephanus. Pipinus rex auxilium Zachariæ papæ contra Aistulphum Longobardorum regem, qui facultates Romanæ Eccclesiæ quæ in regno ejus erant abstulerat, porrexit, eumque quod abstulerat, reddere coegit. Rursus idem Pipinus Saxoniam intravit, eamque Francis per singulos annos trajectos equos reddere fecit. Inde anno ab Incarnatione Domini 868 obiit.

Carolus gloriosus rex Francorum vicesimus, filius Pipini et Bertrudæ reginæ. Hic gentem Saxonum subegit; ubi cum exercitus ejus gravi siti laboraret, medio die subito ex quodam torrente largissime aqua emanavit, quæ sufficeret cuncto exercitui. Idem Carolus ab Adriano papa contra Desiderium Longobardorum rege Italiam intravit, Papiam cepit, Desiderium occidit, omnemque Longobardiam sibi subegit. Saxones iterum rebellantes devicit, et ex utraque parte firmavit, custodibusque positis, obsidibusque receptis rediit. Rursus Saxones Heresburgum castrum invadunt, machinas ad id capiendum præparantes, viderunt in modum scuti duos globos flammantes super ecclesiam quæ in uno castro erat. Qua visione perterriti, et relinquentes præparationem suam, ita fuga elapsi sunt, ut mutuis sese confoderent gladiis. Quod audiens Carolus rex Saxoniam ingreditur, obtinuitque omnes illorum firmitates, omnesque Saxones cum uxoribus suis et infantibus baptizatos in fide sibi conjunxit. Carolus idem Pascha celebrat in Aquita-

nia castro Cassinogilo (8), Hispaniam ingreditur, destruit Pampilonam, Saracenos subjugat. Per Narbonam et Vasconiam revertitur. Deinde orandi gratia Romam ingreditur, Beneventum capit, filios ipsius ducis obsides eum maximis muneribus accepit. Idem Avaros gentem ferocem perdomuit, quorum dux ad eum se contulit, sredensque baptizatus est. Idem quoque Carolus Romam ingressus, primus ibi de gente Francorum imperatoris et Augusti nomen sumpsit, eosque qui Leonem papam dehonestaverant, deponendo in exsilium misit. Quo tempore factus est terræmotus magnus. Eodem tempore rex Persarum misit Carolo papilionem et tentoria, pallia serica multa et pretiosa, sed et horologium de aurichalco arte mechanica mirifice compositum, in quo XII horarum cursus ad clepsydram vertebatur cum totidem æreis pillulis, quæ ad complexionem horarum decidebant, et casu suo subjectum sibi cymbalum tinnire faciebant, additis totidem equitibus, qui per XII fenestras completis horis exibant, et impulsu egressionis suæ totidem fenestras quæ prius erant apertæ claudebant : necnon et alia multa in ipso horologio erant mira. Anno Incarnationis Domini 814 Carolus imperator Aquisgrani moritur, regni vero sui XLV.

Ludovicus Caroli Magni filius, rex Francorum vicesimus primus, et Imperator Romanorum, regnavit annis XXVIII, amator pietatis et religionis. Hic in ingressu imperii secundam et placidam quietem habuit, sed finis ejus multis calamitatibus fatigatus.

Carolus Calvus Ludovici filius rex Francorum XXII regnavit annis XXXVII, imperotor et ipse Romanorum. Initia regni et finem prospere gessit, ædificator ecclesiarum Dei, amator pauperum, impendens ecclesiis Dei multa beneficia in crucibus et in aliis ornamentis.

Ludovicus Caroli filius, rex Francorum vicesimus secundus, regnavit annis duobus.

Carolus Ludovici filius, rex Francorum vicesimus quartus, regnavit annis XXXVIII. Hic Tutudi, quod Martellus dicitur, a suis dictus est. Et quia in regno suo vix aut raro pacem habuit, ideo res Ecclesiarum suis militibus in stipendium contulit maxima ex parte. Qui mortuus in ecclesia Beati Dionysii martyris sepultus a sinistra parte altaris majoris, visus est noctu in specie draconis effracto sepulcro per vitream ecclesiæ cum magno terrore exisse.

Radulphus rex Francorum vicesimus quintus, Conradi ducis Burgundiæ filius, regnavit annis XIX: cultor justitiæ, restaurator ecclesiarum, resistentes sibi prospere devicit.

Ludovicus Radulphi filius rex Francorum vicesimus sextus, regnavit annis XVIII.

Lotharius Ludovici filius, rex Francorum vicesimus septimus, regnavit annis XXX. Eodem tempore fuit Willermus dux Northmannorum.

Ludovicus Lotharii filius, clericus, rex Francorum vicesimus octavus, regnavit annis II. Hic captus a Francis Lauduni interiit, sicque progenies Caroli Magni defecit

Hugo filius Hugonis Capeti, rex Francornm vicesimus nonus, regnavit annis X.

Robertus filius Hugonis, rex Francorum tricesimus, regnavit annis XXXV : cujus uxor Constantia. Hic juste et religiose regnum suum disponens sancto fine quievit. Gilbertus papa.

Henricus filius Roberti, rex Francorum tricesimus primus, regnavit annis XXXII. Willermus nobilissimus dux Northmannorum pugnavit apud Vallium dunas. Henricus rex fortis in bello Vitriaco obiit.

Philippus filius Henrici, rex Francorum tricesimus secundus, regnavit annis XLIX. Hujus VII anno regni Willermus gloriosus dux Northmannorum Anglos subegit, ibique rex factus regnavit XXII annis. Huic successit Willermus Longaspata. fillius ejus. regnavitque annis XIV atque in Nova Foresta sagitta interiit. Huic successit Henricus frater ejus, vir nobilis, sapiens, justitiæ cultor, amabilis, nulli moderni temporis in regendo regno comparabilis, qui et regnavit annis XXX.

(8) *Cassignolio* diœcesis Agennensis.

ANNO DOMINI MCXIX

LAMBERTUS
ATREBATENSIS EPISCOPUS

NOTITIA HISTORICA.

(*Gall. Christ.* nov., III, 322)

Lambertus, patria Guisnensis, ex illustri genere (1), archidiaconus Travennensis fuit, canonicus ac præcentor S. Petri Insulensis magna vir sanctitate præditus. A clero Atrebatensi diligitur an-

(1) Guido Pontivorum comes ad eum scribens rogat ut Abbatisvillam venire dignetur septima se-

tistes, ac consecratur Romæ ab Urbano papa II, apud S. Mariam Novam, xiv Kal. Aprilis in Dominica *Lætare, Jerusalem*, anno 1093. Hoc ipso anno regimen episcopatus sumpsit ex charta Remensi; certe in quodam instrumento Molismensis abbatiæ, secundus annus Lamberti illigatur cum anno Christi 1095. Ab Hugone Lugdunensi archiepiscopo ad concilium Augustodunense invitatus est anno 1094, ubi de Rainaldo archiep. Rem. sermo fuit. Ecclesiæ Remensi obedientiam spopondit eodem anno; nominatur ab Urbano papa inter præsules quorum consilio usus, Dolensem Ecclesiam Turonensi tanquam matri subjectam fore decernit. Anno 1095, ad concilium Claromontense cum pergeret, a Guarnerio milite de Castello Pont captus est cum sociis; sed agente Philippo Trecensi episcopo Guarnerii fratre, liber paulo post dimittitur. In synodo positus curam habuit ejusdem acta et canones colligendi; hinc in fine cujusdam veteris codicis, post canones legitur: *Hæc sunt inventa in libro Lamberti episcopi Atrebat. ante quadringentos annos scripto.* E concilio regressus ac legatus provinciæ Remensis institutus, ad ovilis sibi commissi curam concessit, omniaque vigilantissimi præsulis munia adimplevit. Synodum celebravit in ecclesia Sanctæ Mariæ et divisionem parœciarum statuit. Anno 1096 subscripsit chartæ Philippi Catalaunensis episcopi, qua monasterio S.Basoli jus advocati remittitur. Munificum se præbuit erga monasterium Elnonense S. Amandi, cui plurima concessit altaria an 1097. Interfuit synodo Romæ coactæ ab Urbano II, hebdomada III post Pascha, anno 1099. Subscriptus etiam reperitur eodem anno in concilio Audomarensi, cui præsedit Manasses archiepiscopus Remensis. Anno 1104 vices apostolicas demandavit ei Paschalis papa II pro absolutione Philippi Francorum regis, ob incestuosas nuptias cum Bertrada Andegavensi excommunicati: cujus rei notitia eruitur ex codice ms. Igniacensis abbatiæ; quam hac de re scripsit Lambertus ad eumdem summum pontificem epistolam, inter instrumenta retulimus. Denique pius antistes pastorali munere summa cum laude perfunctus migravit ad Christum 16 Maii 1115. Tumulatur in cathedrali ecclesia ubi epitaphium hoc in marmore visitur ad lævam chori parieti affixum. *Anno Domini* MCXV, XVI *Kal. Junii, obiit beatæ memoriæ Lambertus hujus Atrebatensis sedis cardinalis episcopus. Per hunc restituta est dignitas hujus episcopatus quæ per multa tempora Cameracensi episcopo fuerat commendata. Huic episcopo et duobus joculatoribus Itherio et Northmanno, beata Maria in hac ecclesia apparuit, dans eis candelam per quam sanantur ardentes igne malo.* Chronographus S. Bertini aliud præfert his carminibus:

Vedastus proprius fuit hujus episcopus urbis,
Post cujus obitum proprio sine præsule languens
Hæc sedes flevit subjecta diu Cameraco.
Donec Lambertum tumulo qui clauditur isto
Moribus egregium, sapientem, religiosum,
Romæ sacravit Urbanus papa secundus,
Et proprium sedi pastorem reddidit isti.
Mundo decessit, cum Maius ab Idibus exit.
Præstet ei requiem Dominus sine fide manentem.

Fuit Yvoni Carnotensi intimus, ut probat illius epist. 33 quæ in hæc verba desinit: *De cætero, charissime, læta tua communica suo tempore diligenti et dilecto, quia læta et tristia tua mea sunt, sicut mea tua esse non ambigo.* Scripsit ad eum et aliam epistolam numero 97. De Lamberto plura videbis in auctoribus Belgicis. Eum fuisse S. R. E. cardinalem quidam existimaverunt, quod in epistolis Hugonis archiepiscopi Lugdunensis et alibi passim vocetur episcopus cardinalis: verum eo nomine intelligendum putamus proprium episcopum tali alligatum Ecclesiæ cum titulo; eo fere modo quo in epistolis Gregorii Magni sæpe occurrit episcopi cardinalis mentio.

ria Pentecostes, *quia in crastina die Dominica debebat Ludovicum regis filium armis militaribus adornare et ad militiam ordinare; igitur*, inquit, *et si propter ipsum Ludovicum venire refutatis, tamen propter me, et propter cognationem inter vos et me habitam flagito ut venire dignemini.* Tom. V *Miscellan.* Baluz., p. 310.

NOTITIA LITTÉRARIA

(*Histoire littéraire de la France*, tom. X, pag. 44).

—

Casimir Oudin (*Script.* t. II, p, 280) se flatte d'être le premier qui a élevé l'évêque Lambert à la dignité d'écrivain ecclésiastique. Mais en parlant ainsi il avait oublié que Guillaume Cave (p. 543), qu'il copie néanmoins souvent, lui avait déjà fait le même honneur. Lambert le mérite à plus d'un titre, puisqu'il a eu la principale part à des recueils fort intéressants pour la littérature, mais que jusqu'ici l'on n'a pas eu soin de faire connaître pour ce qu'ils sont. C'est à quoi nous allons tâcher de suppléer.

1° Un de ces recueils a été mis au jour par Baluze (*Misc.* t. V, p. 237 et 300; edit. Luc. in-folio. t. II, p. 127-156). Grignon, docteur de Sorbonne et chanoine de la cathédrale d'Arras, lui en avait procuré une copie faite sur le manuscrit qui porte le nom de l'évêque Lambert, et qui est conservé à la bibliothèque de la même église. On ne doute point, sur ce titre et sur la nature des monuments qu'il contient, que ce ne soit Lambert lui-même qui l'a dirigé, ou au moins pris soin de le faire faire.

On y distingue trois parties, dont plusieurs pièces avaient été déjà publiées dans d'autres recueils, tels que la *Chronique belgique* de Ferréolus Locrius, le *Spicilége* de dom Luc d'Achéri, la *Nouvelle Bibliothèque de manuscrits* du P. Labbe, et sa *Collection générale des conciles.* De même Aubert le Mire et quelques autres avaient aussi déjà publié quelques-uns des monuments que comprend la troisième partie du recueil ; et depuis qu'il a paru dans le public, d'autres écrivains en ont tiré plusieurs pièces qu'ils ont enchâssées dans leurs ouvrages, comme on le voit nommément dans les preuves du troisième volume du *Gallia Christiana* (*Gall. Chr.* nov. t. III, app., p. 77-79).

La première partie de cet important recueil contient les actes du rétablissement de l'évêché d'Artois, c'est-à-dire les bulles qu'expédia Urbain II à cet effet, celles de Pascal, son successeur, pour le confirmer, les lettres que l'Eglise d'Arras, Lambert évêque élu, Renaud archevêque de Reims, métropolitain de la province et autres, écrivirent sur cette affaire. Une des pièces les plus considérables de cette première partie est la discussion du droit de l'Eglise de Cambrai et de celle d'Arras, qui se fit dans le concile provincial assemblé le troisième dimanche de carême de 1093 et qui en forme les actes. Toutes ces pièces, rangées à leurs places, sont liées entre elles par de courtes relations des faits qui se passèrent tant à l'occasion du rétablissement de ce siége épiscopal en lui-même, que par rapport à l'élection et l'ordination du nouvel évêque. Et afin de rendre son écrit plus complet, l'auteur a eu l'attention de pousser sa narration jusqu'à la fin du concile de Clermont en 1095, dans lequel cette grande affaire fut entièrement consommée. Ce dessein l'a conduit à y faire entrer les aventures qui arrivèrent à Lambert en s'y rendant.

Qui que ce soit qui a pris soin de diriger cette partie du recueil, on ne peut lui refuser la justice de reconnaître qu'il avait du goût et de l'habileté. Quoique l'évêque Lambert puisse en avoir donné le dessein et y avoir eu encore quelque autre part, on juge cependant par un endroit, que c'est quelqu'un des clercs qui l'accompagnèrent à Rome, plutôt que lui-même, qui l'a exécuté. Or il y fut accompagné d'Odon, chantre de son église ; d'Achard scolastique, et de Drogon, prévôt d'Aubignai. L'on voit par le détail où l'auteur est entré de la discussion du droit des parties, c'est-à-dire des Eglises d'Arras et de Cambrai, que la première défendit fort bien sa cause. Entre les anciens monuments qu'elle y cita, l'on remarque le second concile d'Afrique, celui de Sardique, les fausses décrétales, les lettres de saint Grégoire pape, la Vie de saint Remi, l'historien Orose, et des chroniques qui traitaient des fondateurs des villes. On y lisait que Romulus et Remus avaient fondé Rome et Reims, Pompée, Arras et Soissons.

La seconde partie du recueil comprend 144 lettres, écrites par grand nombre de diverses personnes du premier ordre ; papes, cardinaux, légats, archevêques, évêques, rois, princes, princesses, et autres personnes constituées en dignité. L'on y voit non-seulement quantité de traits qui concernent la discipline de la province ecclésiastique de Reims pendant plus de vingt ans, mais aussi plusieurs événements mémorables pour son histoire, et même pour l'histoire générale de la France. On y trouve encore diverses particularités curieuses touchant les mœurs et les coutumes de ce temps-là. Entre ces lettres on en compte 49 qui appartiennent à notre évêque, et dont il importe de donner une courte notice, au moins des plus intéressantes.

La neuvième, dans l'ordre du recueil, est écrite à l'Eglise de Reims, en réponse à la précédente, par laquelle cette Eglise avait donné à Lambert avis de la mort de Renaud, son archevêque, arrivée le 21 janvier 1096, et de l'élection de Manassé pour le remplacer. Lambert assure les chanoines de Reims, qu'ayant appris cette mort avant qu'ils la lui eussent annoncée, il avait déjà fait faire à sa cathédrale et à l'abbaye de Saint-Vaast, et ordonné qu'on fît dans le reste de son diocèse les prières accoutumées pour le repos de l'âme du prélat défunt. Du reste il approuve leur nouvelle élection, et les congratule d'avoir choisi un aussi digne sujet, dont il fait l'éloge en peu de mots. Sa lettre est du second jour de février de la même année.

Si les autres lettres de notre évêque sont postérieures à la précédente pour le temps, il est visible qu'on n'y en a fait entrer aucune de celles qu'il écrivit pendant les trois premières années de son épiscopat, à compter depuis son élection. Or, de toutes celles-ci, il n'en reste que deux qui se trouvent dans la première partie du recueil : l'une à l'archevêque Renaud, l'autre aux chanoines de son église. Lambert les écrivit quelque temps après son ordination et son retour de Rome, pour se plaindre de ce que malgré son exactitude à leur faire remettre les lettres du pape, qu'il en avait apportées, et malgré les excuses légitimes qu'il leur avait fait faire de n'avoir pu jusque-là aller en personne rendre l'obéissance qu'il devait à son métropolitain, à qui néanmoins il en avait envoyé la profession par écrit, il était encore à recevoir quelque signe de bienveillance, et la moindre consolation de la part de son Eglise métropolitaine ; qu'au contraire elle le regardait s'il fallait s'en rapporter aux bruits publics, comme usurpateur de son siége. A la fin de ces deux lettres vient la profession d'obéissance de Lambert à l'archevêque Renaud. De là on doit conclure que le recueil dont il s'agit ici ne contient pas toutes les lettres de notre prélat, et qu'il s'en est perdu beaucoup d'autres.

Une entre celles qui nous restent, et qui méritent d'être connues, est la vingt-neuvième de la seconde partie du recueil, adressée à Gérard, évêque de Térouane. Achard, chanoine et prévôt d'Arras, après avoir offensé son évêque, avait quitté son Eglise, et s'était réfugié dans celle de Térouane, où on le retenait contre les règles, quoique son évêque fût allé lui-même le réclamer, et qu'il eût prié plus d'une fois Gérard de le lui renvoyer. Lambert se plaint de cette violation des canons, et cite à ce sujet l'autorité des conciles de Carthage, et celle du pape saint Léon le Grand, dont il copie un assez long texte. L'auteur montre par là qu'il était fort versé dans la discipline ecclésiastique. C'est ce qui paraît encore par la vingt-cinquième lettre du même recueil, aux chanoines réguliers de Guastines, où le même Achard s'était auparavant retiré sans la permission de l'évêque.

Lambert adresse deux de ses autres lettres, la trente-quatrième et la trente-sixième du recueil, au pape Urbain II, avec le titre de *Père des pères*, qui est le même qu'évêque des évêques, titre qu'il donne aussi à Pascal II, successeur d'Urbain, mais non pas toujours uniformément. La première à Urbain roule sur l'affaire de Robert, abbé de Saint-Remi de Reims. Mais pour éviter les redites, nous remettons à en rendre compte à l'article de Robert, un de nos historiens de la première croisade (*Vide Patrologiæ tom. CLIII, in append. ad Godefridum regem*). L'autre lettre au même pape est une simple recommandation en faveur de Gérard, évêque de Térouane ; elle fut écrite après le concile que ce pontife tint à Nîmes, au mois de juillet 1096, en s'en retournant de France en Italie.

On compte jusqu'à douze lettres de l'évêque Lambert au pape Pascal. Le recueil en contient au moins autant de Pascal à Lambert, dont plusieurs entre les unes et les autres constatent la dignité de légat dans la seconde Belgique, dont notre évêque était revêtu. Par une de ces lettres, il prie le pon-

tife romain de confirmer le jugement qu'il avait rendu en cette qualité, entre Jean, évêque de Térouane, et les clercs de l'Eglise d'Ypres : jugement dont ces derniers, qui avaient été condamnés, voulaient appeler au saint-siége.

Par une autre il supplie le même pape de maintenir ce qu'il avait déjà si heureusement commencé. Il s'agissait d'une petite abbaye que Lambert avait érigée sous la règle de Saint-Benoît, avec l'autorité du saint-siége, et sous la dépendance de l'Eglise d'Arras, en un lieu nommé Saint-Préjet de Ferchères, et que l'abbé de Saint-Préjet au diocèse de Noyon tentait de revendiquer, comme dépendante de son monastère.

Les trois dernières lettres à Pascal, les plus prolixes de toutes, concernent les différends entre les chanoines de la cathédrale d'Arras et les moines de Saint-Vaast d'une part, les chanoines de la cathédrale de Tournai et les moines de Sainf-Martin de l'autre ; différends qui, bien que pour de légers intérêts, causèrent de grandes agitations dans ces Eglises, et exercèrent plus d'une fois la patience de notre évêque. Enfin il vint à bout de les terminer : et la cent quarante-quatrième lettre, la dernière de tout le recueil, est pour rendre compte au pape de quelle manière il avait réussi à concilier les intérêts des chanoines et des moines de Tournai en particulier. Lambert finit cette lettre en conjurant le pape avec de grands sentiments de foi et de piété, de prier le Seigneur de lui faire la miséricorde de lui pardonner ses péchés, et de le retirer de la prison et des ténèbres de cette vie. Il lui fait la même prière en finissant une autre de ces lettres, par où l'on voit que ce pieux évêque sentait tout le poids de l'épiscopat, et combien il avait à cœur les biens futurs. Presque toutes ses autres lettres au même pape ne sont que des recommandations en faveur de personnes qui imploraient le crédit qu'avait Lambert auprès de ce souverain pontife. La dernière de toutes est précédée de l'accord ou transaction qu'il fit entre les chanoines de Tournai et les moines de Saint-Martin.

Lambert adresse aussi plusieurs de ses lettres à l'archevêque Manassé II, son métropolitain. Une des plus remarquables est celle qu'il lui écrivit en réponse à ce que ce dernier exigeait qu'on gardât un interdit général dans le diocèse d'Arras comme il le faisait observer dans celui de Reims, à raison de l'injure outrageante qu'on avait faite à Hugues, évêques de Châlons-sur-Marne, en l'arrêtant et le tenant prisonnier dans son propre diocèse. Lambert, surpris d'une telle proposition, allègue d'abord les raisons qu'il avait pour ne pas reconnaître qu'elle vint de la part de son archevêque. Après quoi il lui montre par plusieurs exemples, et par ce qui lui était arrivé à lui-même en se rendant au concile de Clermont, que ce n'est pas là l'esprit ni la pratique de l'Eglise, et qu'il n'y a que ceux qui font les fautes qui en doivent porter la peine, l'interdit en étant une des plus griéves, qui s'étendraient sur une infinité d'innocents.

Le recueil ne nous présente qu'une seule lettre de Lambert à saint Anselme, archevêque de Cantorbéry, quoiqu'il y en ait deux de celui-ci à Lambert. C'est la quatre-vingt-douzième, qui n'est pas autrement fort intéressante, sinon qu'elle est écrite en beaux termes, et avec beaucoup de politesse. Lambert, inquiet de la santé du saint archevêque, lui en demande des nouvelles, et le secours de ses prières, surtout au saint autel.

Il fait la même demande et dans les mêmes termes à Daïmbert, archevêque de Sens, à qui il adresse une autre de ses lettres, la quatre-vintg-dix-neuvième du recueil. C'est encore une lettre de pure politesse et bien écrite, par laquelle il annonce à Daïmbert qu'il envoie une paire de gants brodés en or, avec un manuterge.

A La cent cinquième, la cent sixième et la cent neuvième, qui appartiennent encore à Lambert, ne sont non plus que des lettres de politesse et de recommandation. La première des trois est écrite au roi Louis le Gros, pour le prier d'honorer d'une audience le porteur qui était chargé de communiquer de vive voix à ce prince certaines choses de la part de notre évêque. Dans celle-ci, comme dans plusieurs autres, l'auteur ne prend dans l'inscription que la titre de prêtre, et ajoute le plus souvent, par un autre trait d'humilité, la qualification de serviteur inutile. Les deux autres lettres indiquées sont adressées, l'une à Raoul le Vert, archevêque de Reims, dont il y en a une à Lambert, l'autre au légat Richard, évêque d'Albane, qui lui adresse une des siennes dans le même recueil, et dont il y en a une autre en sa faveur, à Robert le Jeune, comte de Flandre.

Une des belles lettres de l'évêque Lambert, et des B plus instructives, est la cent dixième du recueil, écrite à un de ses frères utérins, dont le nom n'est désigné que par une F. Elle roule entièrement sur le mensonge, dont il tâche de lui inspirer de l'horreur, par plusieurs passages de l'Ecriture sainte propres à cet effet, qu'il lui copie. L'auteur a voulu épargner à son frère la confusion d'apprendre à la postérité en quoi il était coupable sur ce point. Il laisse au porteur de la lettre le soin de le lui déclarer de vive voix. Lambert y fait mention de sa belle-sœur, en se servant du terme de *fratrissa*, pour celui de *fratria*, ce qui marque que son frère était engagé dans le mariage.

Celle qu'il adresse à un nommé Pomon, supérieur d'une communauté de chanoines près de Pavie, comme il paraît par la suite, est curieuse. Deux personnes de la connaissance de Lambert lui ayant raconté qu'un chanoine de cette maison, qui s'était rendu moine depuis, avait vu et entendu, apparemment pendant le sommeil, saint Augustin célébrer la C messe à l'autel qui était à son tombeau, notre prélat conjure Pomon de lui en envoyer une relation avec les paroles dont le saint s'était servi dans la célébration des saints mystères. Mais afin d'avoir quelque chose d'authentique, Lambert, en homme de jugement, prie Pomon d'avoir soin de marquer l'année l'indication, le jour, l'heure à laquelle cet événement était arrivé, et de spécifier sous quel pape et sous quel évêque de Pavie. On ignore au reste si Pomon fut soigneux de satisfaire la louable curiosité de l'évêque Lambert.

Presque toutes ses autres lettres, que nous passons sous silence, roulent sur les affaires courantes de son diocèse, ou de ceux de la métropole, dans lesquels s'étendait sa légation. Quelques autres sont de simples lettres de recommandation, de politesse, d'amitié ; et toutes font voir les grandes liaisons qu'avait leur auteur, non-seulement en France, mais aussi dans les pays étrangers.

D C'est ce que montrent encore mieux près de cent autres lettres du recueil, qui ne lui appartiennent que parce qu'elles lui sont adressées, ou qu'elles le regardent en quelque sorte. Nous avons déjà rendu compte d'un grand nombre, en traitant de ceux qui les ont écrites en partie. Tels sont, le pape Urbain II, le légat Hugues, archevêque de Lyon, les archevêques de Reims, Renaud et Manassé II, Guillaume Bonne-Ame, archevêque de Rouen, saint Anselme de Cantorbéry, les évêques de Noyon, Rabod et Baudri, Poppon de Metz et Odon de Cambrai. Nous en userons de même, lorsque dans la suite nous parlerons des autres personnages qui ont écrit une autre partie des lettres du recueil : Raoul le Vert, archevêque de Reims, les évêques Ives de Chartres, Galon de Paris, Gautier de Maguelone, Lisiard, ou Lietard de Soissons, Robert, abbé de Saint-Remi de Reims, et peut-être encore quelques autres. A l'égard des auteurs de quelques-unes de ces mêmes lettres, aux-

quels nous ne donnerons pas d'articles particuliers; nous en allons maintenant dire deux mots, en faisant connaître celles qu'ils ont écrites, quoiqu'il y en ait peu d'intéressantes.

Il y en a quatre qui appartiennent à Hugues de Pierrefons, évêque de Soissons, et une cinquième, qui lui est commune avec Anselme, nouvellement élu évêque de Beauvais. Elles sont toutes écrites à Lambert, et ne contiennent rien de remarquable, sinon la grande confiance que Hugues avait aux lumières de notre prélat, et l'étroite amitié qu'ils avaient contractée entre eux ; aussi étaient-ils proches parents. Trois de ces lettres concernent en particulier l'injure que Hugues se plaignait d'avoir reçue de l'abbé de Saint-Médard, et la satisfaction qu'il lui fit ensuite. Cet évêque, à qui Ives de Chartres adressa la quarante-deuxième de ses lettres, était frère de Nivelon II, seigneur de Pierrefons, où il fonda le monastère de Saint-Sulpice, sous la dépendance de l'abbaye de Marmoutier. Hugues tint le siége de Soissons depuis 1092 jusqu'en 1103. Ayant entrepris alors le pélerinage de Jérusalem, il mourut à Aquilée, en Italie, où il était allé pour s'embarquer à quelqu'un des ports du pays.

Quatre autres lettres du même recueil, la seconde, la vingt-huitième, la quatre-vingt-seizième et la cent vingtième, toutes adressées à Lambert, appartiennent à deux évêques d'Amiens : les deux premières à Gervin, qui gouverna cette Eglise depuis 1071 jusqu'en 1102, et les deux autres au célèbre saint Godefroi, son successeur immédiat. Celui-ci, qui était auparavant abbé de Nogent, ayant été élu ou confirmé évêque d'Amiens au concile de Troyes, en 1104, à la fin de mars, ne passa que dix ans et quelques mois dans l'épiscopat ; encore en interrompit-il les fonctions pendant quelque temps, par le grand attrait qu'il avait pour la solitude. Il mourut à l'abbaye de Saint-Crespin de Soissons, le huitième de novembre 1115, et y fut enterré. Nicolas, moine du lieu, dont il sera parlé dans la suite, prit soin d'écrire sa vie. Les quatre lettres de ces deux évêques, au reste, ne regardent que des ordinations, excepté la première, qui est pour inviter Lambert à la cérémonie de la translation des reliques de saint Fuscien. Les deux de saint Godefroi, en particulier, ne sont, l'une qu'un simple *exeat*, et l'autre des lettres d'ordres. Mais on en a ailleurs une autre de ce saint prélat, écrite à Baudri, évêque de Noyon, pour l'engager à faire l'histoire de l'Eglise d'Amiens, sur ce qu'il le croyait auteur de celles de Cambrai et de Térouane. Cette lettre est datée de l'abbaye du mont Saint-Quentin, dont Godefroi avait d'abord été moine, en mai 1108, et a été traduite en notre langue par Jacques le Vasseur, dans ses Annales de l'Eglise de Noyon.

La vingt-quatrième et la cinquante-deuxième du recueil dont nous continuons de rendre compte roulent sur les affaires courantes de l'état où se trouvait alors leur auteur. C'est Manassé, évêque de Cambrai, et auparavant archidiacre de l'église métropolitaine de Reims, dont l'élection, quoique légitime, et approuvée par le saint-siége et les évêques de la province, causa dans l'Eglise de Cambrai un schisme qui dura environ dix ans. Gaucher, ayant été élu par le clergé, ne se trouva pas au goût du peuple, qui de son côté élut Manassé. Dans la suite, Gaucher fut déposé et excommunié au concile de Clermont, en 1095, et Manassé ordonné pour gouverner cette Eglise. Mais Gaucher, appuyé de l'empereur Henri IV, sut s'y maintenir. Manassé était sans doute mort, lorsqu'en 1105, le B. Odon fut élu pour remplir ce siége.

La vingt-sixième lettre du recueil n'est qu'un simple billet de Gérard, évêque de Térouane depuis 1084, jusque vers 1098, qu'il fut déposé, par lequel il prie l'évêque d'Arras d'ordonner prêtre un diacre qu'il lui adressait.

La quarante-deuxième est une prière que l'Eglise

A de Noyon, son doyen en tête, fait à Lambert, de consentir à l'élection qu'elle venait de faire de Baudri pour son évêque, et de vouloir bien se trouver à la cérémonie de son sacre. On y a un bel éloge de l'évêque élu ; et ce qui est dit de lui, rapproché de ce que l'auteur de la chronique de Cambrai dit de lui-même, montre visiblement que ce sont deux personnes fort différentes l'une de l'autre.

Par la quarante-quatrième, qui est de Gui, comte de Ponthieu, ce seigneur, qui était proche parent de Lambert, le presse de se trouver à Abbeville, le samedi dans l'octave de la Pentecôte. Le motif d'une invitation si pressante était d'assister à la cérémonie du lendemain dimanche à laquelle il devait créer chevalier le prince Louis, fils du roi Philippe, qui régna après lui sous le nom de Louis le Gros.

La quarante-cinquième lettre appartient à Clé-
B mence, comtesse de Flandre, mère du comte Baudouin VII, à laquelle notre prélat adresse la trente-unième et la trente-neuvième des siennes. Cette princesse l'y prie d'engager l'archevêque de Reims à lui rendre justice, dans le différend qu'elle avait avec les clercs de la cathédrale de Térouane.

Il y en a deux, la quarante-septième et la cinquante-quatrième, de Philippe de Champagne, évêque de Châlons-sur-Marne, depuis 1093 jusqu'à la fin du même siècle. Par la première il prie Lambert de conférer les ordres sacrés à des clercs que Poppon, évêque de Metz, lui avait adressés à cet effet, mais qu'il ne pouvait ordonner. Par l'autre, il l'invite à la dédicace de son église cathédrale. Il paraît par cette dernière lettre qu'il y avait une intime union entre ces deux évêques.

La soixante-unième est une production de la plume des cardinaux légat, Jean et Benoît, que le pape
C Pascal II avait envoyés en France célébrer des conciles, et qui invitent Lambert, en des termes honorables pour lui, à se trouver avec les abbés de son diocèse à celui qu'ils avaient convoqué à Poitiers, pour le mois de novembre 1100. Suit un *post-criptum* de la main du cardinal Jean en particulier, pour demander à Lambert la continuation de son amitié, et l'assurer de la sienne, et de la confiance qu'il avait en ses lumières.

Une de plus intéressantes lettres de tout le recueil est la soixante-troisième, écrite à Lambert, par Roger et Lisiard, archidiacres de Bauvais, au nom de tout le clergé et de tout le peuple de cette Eglise. Elle nous apprend un événement qui ne se lit point dans les autres monuments de notre histoire. On sait en quel triste état était réduit, au commencement du XII[e] siècle, le diocèse de Beauvais, destitué d'évêque pendant deux ou trois ans. Le roi Philippe et Bertrade y voulaient placer Etienne de Garlande, qui s'y
D portait volontiers de lui-même. Mais le pape et les plus sages prélats de France, nommément Ives de Chartres, s'y étant opposés, le dessein projeté ne put réussir. On élut ensuite Galon qui fut sacré pour remplir le siége vacant ; mais le roi s'y opposa à son tour, et il fallut chercher un autre évêque. On ne saurait dire précisément en laquelle des trois conjectures arriva l'événement dont la lettre fait mention : si ce fut avant qu'on proposât Etienne de Garlande, ou après qu'il eut été rejeté, ou enfin après l'infortune de Galon.

Quoi qu'il en soit, le clergé et le peuple de Beauvais, gémissant de se voir son pasteur, s'accordèrent à élire pour leur évêque Etienne, archidiacre de l'Eglise de Paris, homme de mérite et propre à remplir cette place. Mais il refusa constamment d'y consentir, malgré la députation qu'on lui fit des premières personnes du clergé à cet effet. On lui en fit une seconde : et son Eglise, ayant bien voulu l'accorder, il accepta enfin son élection. Il est visible

qu'il ne s'agit point ici d'Etienne de Garlande, qui était un laïque, et qui, bien loin de refuser cette place, l'ambitionnait tout ouvertement. Les archidiacres de Beauvais, après avoir fait ce détail à Lambert, le prient d'employer ses bons offices auprès du pape, afin de faire réussir leur élection, et de lui écrire en conséquence des lettres en bonne forme. Ils ajoutent qu'ils en ont obtenu de semblables à cet effet, de la part de l'archevêque Manassé, et des autres évêques de la province, qui venaient de tenir à Soissons une assemblée qu'on ne connaît point d'ailleurs. Enfin, ils le conjurent d'intéresser dans cette affaire son bon ami le cardinal légat Jean, dont il a été parlé. Nonobstant toutes ces sages précautions, l'élection de l'archidiacre Etienne échoua, comme les deux autres; et ce fut Geofroi qui succéda à Galon dans le siége épiscopal de Beauvais.

La soixante-treizième lettre n'est qu'une simple recommandation du trésorier de Saint-Quentin, dont le nom n'est désigné que par un J, auprès de l'évêque Lambert, en faveur de la personne qui la lui devait remettre. Mais comme l'auteur n'avait point de cachet pour y apposer son sceau, il donne à Lambert un signe pour reconnaître la main qui lui écrit.

La soixante-seizième est de Robert le Jeune, comte de Flandres, pour annoncer à Lambert qu'il avait été obligé de rendre à l'empereur l'hommage qu'il lui devait; mais qu'il s'en était acquitté sans déroger en rien à sa qualité de chrétien, ni à ses devoirs envers l'Eglise Romaine et celle de Reims, non plus qu'à ses égards pour la dignité de l'évêque d'Arras. C'est que l'empereur, qui était alors Henri IV, passait dans ce pays-là pour schismatique et excommunié.

Celle qui suit immédiatement dans le recueil appartient à Ebremar, alors patriarche de Jérusalem; elle est datée du troisième d'avril 1104, aussitôt apparemment qu'il eut été fait patriarche; elle n'arriva à Arras que le dix-neuvième de novembre suivant. On y voit en plomb le sceau de l'auteur, avec une inscription en grec qui portait: *Le saint Sépulcre de N. S. J. C.*, et une autre en latin, qui annonçait: *Le sceau d'Ebremar, patriarche de Jérusalem.* Le contenu de cette lettre se réduit à des politesses, et à annoncer à Lambert qu'il lui envoyait un anneau d'or, avec deux fioles de cristal remplies de baume. Lambert y répondit par la soixante-dix-huitième lettre qui suit immédiatement dans le recueil celle du patriarche, et qui lui fut envoyée par un archidiacre de Térouane.

Il y en a deux de Richard, évêque d'Albane, qui ayant été envoyé en 1104 légat du saint-siége en France, présida aux conciles de Troyes et de Beaugenci, tenus la même année, et six ans après en assembla trois autres: l'un à Clermont, l'autre à Toulouse, et le troisième à Fleuri, ou Saint-Benoît-sur-Loire, desquels il ne reste pour tout monument que deux fort courtes lettres du légat. Les deux du recueil qui lui appartiennent sont la quatre-vingt-quatrième et la cent onzième. La première est écrite à Robert, comte de Flandres, pour lui demander sa protection en faveur de l'évêque Lambert, dont il lui fait un bel éloge en peu de mots. Il adresse l'autre à Lambert même, pour l'engager à abolir la mauvaise coutume qui s'était introduite dans le diocèse d'Arras, où il se trouvait quelquefois trois titulaires d'une seule et même église: en sorte que, lorsqu'un des trois venait à mourir, les deux autres continuaient à jouir, en partageant entre eux ce qui en revenait au défunt. Le recueil ne nous présente point de réponse de notre évêque à la lettre de Richard. Mais on y en a une autre qu'il lui écrivit à une autre occasion, avec de grands titres d'honneur et la qualité d'ami, en faveur de celui qui la lui devait remettre. Richard avait été d'abord chanoine de la cathédrale de Metz, d'où son attachement pour le saint-siége l'éleva aux premières dignités de l'Eglise.

La cent douzième est de Gildouin, ou Geldouin, qui, après avoir été abbé d'Anchin, et ensuite déposé dans les divisions dont ce monastère se vit agité à la fin du siècle précédent, fut encore recherché pour remplir la même dignité. L'évêque Lambert eut quelque part à ce dernier dessein, par l'estime qu'il portait à cet ancien abbé. C'est pour l'en remercier, et lui déclarer son éloignement de toute dignité, que Gildouin lui écrivit cette lettre. Il était alors dans sa retraite de Saint-Bertin, d'où il passa peu de temps après en Angleterre, où il finit ses jours vers 1112.

A son refus, les moines d'Anchin élurent pour abbé Alvise, alors prieur de Saint-Vaast d'Arras. Mais comme il était profès de l'abbaye de Saint-Bertin, et qu'il leur fallait le consentement de Lambert qui en était abbé, ils s'adressèrent à l'évêque d'Arras, pour le prier de l'obtenir. C'est ce qui fait le sujet de leur lettre, la cent quatorzième du recueil. Lambert, sensible à leur prière, écrivit à l'abbé de Saint-Bertin, et sa lettre est la cent seizième.

La cent dix-neuvième est un remerciement que Gauthier II, abbé du mont Sainte-Catherine, autrement de la Trinité à la porte de Rouen, fait à notre évêque, pour avoir donné à son monastère une église au diocèse d'Arras. En reconnaissance, il lui promet en son nom et en celui de la communauté, qu'après sa mort on y fera pour lui les mêmes prières qu'on avait coutume de faire pour chaque abbé de la maison; et pour chacun des chanoines de sa cathédrale, les mêmes qu'on faisait pour chaque moine.

La cent trentième nous fait connaître un évêque de Nantes, nommé Robert, qui manque dans les listes ou catalogues de cette Eglise, et qui doit être placé entre Benoît de Bretagne et Bricce. C'est une lettre formée, adressée à notre prélat, en faveur d'un nommé Thiesbolde qui, étant sorti du diocèse de Nantes, pour aller fréquenter les écoles des autres pays, se trouvait alors à Arras, où des personnes malignes le chargeaient de divers crimes. Robert atteste son innocence, en le recommandant à l'évêque Lambert, et lui rend témoignage qu'il n'y a rien en sa naissance et sa conduite qui puisse être un obstacle à l'élever aux ordres sacrés et aux dignités ecclésiastiques.

De toutes les lettres de la seconde partie du recueil, il ne reste plus à faire connaître que la centième et la cent-unième, qui sont fort courtes, avec quelques autres dont nous remettons à parler aux articles des hommes de lettres à qui elles appartiennent, et qui viendront dans la suite. La centième est un billet de Henri Ier, roi d'Angleterre et duc de Normandie, pour remercier Lambert de certains avis qu'il avait reçus de lui, et l'assurer de sa bienveillance. La suivante est un autre billet d'un prêtre cardinal de la sainte Eglise Romaine, dont le nom n'est désigné que par un O, mais qui peut être le même qui porta le pallium à Thomas II, archevêque d'York. En effet son nom n'est point non plus autrement désigné en cette autre occasion. Quelques-uns le nomment Olderic. Quoi qu'il en soit, il donne à Lambert rendez-vous à Corbie, où il lui devait communiquer les ordres du pape.

On a dans la troisième partie du recueil quatorze chartes, ou priviléges, comme ils sont qualifiés, rangés suivant l'ordre de leurs dates. Ce sont autant de monuments de la piété bienfaisante et généreuse de l'évêque Lambert, envers autant d'abbayes et autres églises, tant de son diocèse que d'autres du voisinage. Outre les traits singuliers de la piété de leur auteur, on y en trouve quantité d'autres qui peuvent beaucoup servir à illustrer

l'histoire du pays, principalement l'histoire ecclésiastique de la métropole de Reims. Il n'est point de privilége qui ne soit souscrit de plusieurs abbés, chanoines et autres personnes constituées en dignité, d'où l'on peut tirer des lumières pour rectifier les catalogues des abbés du pays. On peut ajouter que ces priviléges sont bien écrits à tous égards.

Cette partie du recueil est encore suivie d'une quatrième, qui contient quarante-six autres monuments. Mais étant postérieurs à notre prélat, nous remettons à en rendre compte en une autre occasion.

2° On est redevable à l'évêque Lambert d'un autre recueil fort intéressant. C'est la principale collection des canons, au nombre de trente-deux, qui furent promulgués au grand concile de Clermont en Auvergne, tenu en 1095, et auquel il assista, comme il a été dit. Nous disons la principale collection, par la raison qu'il s'en trouve trois autres : l'une de neuf, l'autre de vingt-quatre, et la troisième de dix autres canons, qu'on nous donne tous comme appartenant au même concile. Il serait au reste fort difficile d'alléguer une raison décisive, pour quoi Lambert, qui prit soin de recueillir les trente-deux de la première réduction, n'y joignit pas les quarante-trois des trois autres collections. C'est sur quoi il ne se présente que de pures conjectures qu'il vaut mieux supprimer, que d'en fatiguer le lecteur qui n'en deviendrait pas plus instruit.

Après tout, que la première réduction soit due aux soins de notre prélat, c'est ce qui est attesté par un manuscrit; ancien de plus de quatre cents ans, dès la fin du XVI[e] siècle, qui porte en tête le titre suivant : *Livre de Lambert, évêque d'Arras*, et dans lequel se lisent de suite les trente-deux canons. C'est sur ce même manuscrit que George Couvenier, docteur en théologie, et scolastique de Saint-Pierre de Douai, avait fait la copie des mêmes canons, qu'il envoya à Binius, et au moyen de laquelle celui-ci marqua les variantes de ces canons dans sa collection générale des conciles. A ces variantes près, le texte se trouva le même que dans l'édition qu'Antonio Augustinus en avait déjà publiée. A la fin de sa réduction, Lambert a eu l'attention de marquer le nombre des archevêques, évêques et abbés qui se trouvèrent présents à ce concile. Mais, comme nous l'avons déjà observé en rendant compte de ses actes à l'article du pape Urbain II, de tous les écrivains qui ont entrepris de nous instruire de ce nombre, il ne s'en trouve peut-être pas deux qui s'accordent précisément en ce point.

I.

INCIPIUNT GESTA

Quibus Atrebatensium civitas sub Urbano Romanæ et apostolicæ sedis episcopo, excusso Cameracensium subjectionis jugo, in antiquam reformatur dignitatem.

Anno igitur Dei Christi millesimo nonagesimo secundo, tertio Idus Augusti, defuncto domno Gerardo juniore Cameracensi episcopo, qui et Atrebatensi sedi præfuerat, Atrebatensis Ecclesia, quæ diu proprii pastoris solatio caruerat, in aures domni Urbani II papæ diutinum laborem et calamitatem rerumque suarum exspoliationem gemebunda effudit. Ipse igitur papa, omnium Ecclesiarum gerens sollicitudinem, et Atrebatensis Ecclesiæ reminiscens dignitatem, imo Remensi metropoli duodecim episcopatus redintegrare cupiens, domno Raynoldo venerabili Remorum archiepiscopo pro præfata Atrebatensi Ecclesia scripsit in hæc verba :

« Urbanus episcopus, servus servorum Dei, Raynoldo venerabili Remorum archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

« Noverit tua fraternitas, » etc. *Vide in Urbano II, Patrologiæ tom. CLI.*

« Urbanus episcopus, servus servorum Dei, clero et populo Ecclesiæ Atrebatensis, salutem et apostolicam benedictionem.

« Atrebatensis Ecclesia, » etc. *Vide ubi supra.*

Epistola Atrebatensis Ecclesiæ ad domnum Rainoldum archiepiscopum Remensem.

Reverentissimo Patri Raynoldo Remorum archiepiscopo, Atrebatensis Ecclesiæ clerus et populus, [...]ationis assiduitatem et fidelem per omnia obe[...]. Dominus noster Jesus Christus videns [...]em Ecclesiæ nostræ tyrannico Cameracensium jugo olim per multa (annorum volumina) indecenter oppressæ, ejusque filiorum præ doctrinæ pastoralis penuria per vitia diversa labentium periculo condoluit, dum his diebus per domni apostolici Urbani imperium, per nostri quoque principis Roberti totiusque cleri et populi congratulantis assensum, eidem Ecclesiæ rectorem proprium restituere disposuit. Dei igitur clementiam, ne nos in hoc cœpto negotio deserat, imploramus. Vestræ quoque paternitatis consolationem exposcimus quatenus ad ipsam electionem oratione et jejunio a sancto Spiritu quæsitam clericum discretum et nobilem seu abbatem qui in hoc sacro ministerio vestri intersit vicarius a vestro latere transmittere non differatis. Nos enim non dilationis alicujus occasionem investigare, sed parati sumus rationabili jussioni domni apostolici ad præsens obedire.

Epistola Rainoldi archiepiscopi Remensis Atrebatensi Ecclesiæ delegata.

Raynoldus Remorum archiepiscopus, Atrebatensi Ecclesiæ, salutem et benedictionem in Domino Jesu.

Noverit vestra fraternitas quoniam Cameracenses clericos ut Remis ad concilium quod in Dominica qua canitur *Oculi mei semper* celebraturi sumus veniant, et ut secum privilegia sua afferant, quorum auctoritate Ecclesiam vestram episcopi sui dominio velint subjugare monuimus. Mandamus itaque vobis

quatenus ad idem concilium auctoritatibus sententiisque Patrum fulti, quas insuper a beato Remigio institutore vestro habetis, veniatis, et eas in conspectu concilii non timide proferatis. Quod si rationes vestræ victoriæ locum obtinuerint, ex domni papæ præcepto et totius concilii consilio a vestro desiderio non vos fraudari patiemur.

Taliter Atrebatensis Ecclesia ad concilium invitata in conspectu totius concilii hanc diutinæ calamitatis querimoniam effudit :

Audiat domni archiepiscopi providentia, audiat et hujus sanctæ synodi congregatio devota quærimonias quas in necessitate sua facit soror Atrebatensis Ecclesia. Hæc civitas olim suo proprio pastori dicata et subnixa sub sola sancta Remensi Ecclesia, una ex antiquis et nobilioribus civitatibus totius Remensis metropolis, valuit in omni ecclesiastica disciplina Quod vero civitatis et nomen et dignitatem obtinuerit testatur Orosius presbyter in libro contra paganos, sæpius in suo tractatu de ipsa faciens mentionem. Sed et chronicales libri de conditoribus urbium certissime tractantes Romam et Remis a Romulo et Remo, Suessiones vero et Atrebatum a Cneo Pompeio, reliquas circa civitates a quibusdam Gallis fuisse referunt institutas. Quod autem hæc civitas sit, et episcopum proprium habuerit, in Ecclesia Arelatensi, Viennensi, Lugdunensi, imo in hac sancta Remensi, ex sanctorum canonum epilogio colligitur, ubi Gallicanæ metropoles et earum suffraganeæ enumerantur, inter quas et hæc civitas Atrebatum a Remensi quarta et ante Cameracum posita invenitur. Hinc legitur in Vita sancti Remigii : *Per idem tempus ab Anastasio imperatore codicillos Hludovicus rex pro consulatu accepit. Sed et Hormisdas Romanæ sedis pontifex sancto Remigio antiquæ metropolis episcopo, quæ tunc temporis habebat sub duodecim vivitates et totidem episcopos eisdem præsidentes, vices suas in regno Hludovici commisit.* Item in Vita beati Vedasti : *Sanctus igitur Remigius divina dispensatione et salubri sacerdotum consilio beatum Vedastum ordinavit episcopum, et ad prædicandum verbum vitæ Atrebatæ urbi eum direxit*, etc. Item testamentum beati Remigii ab ipso editum Atrebatæ urbi principaliter episcopum fuisse confirmat hoc modo: *Ego Remigius Ecclesiæ Atrebatensi, cui Domino annuente Vedastum fratrem meum charissimum episcopum consecravi, ex dono Hludowici regis duas villas in alimoniis clericorum, Orcos videlicet et Sabucetum, deputavi, quibus etiam pro memoria nominis mei viginti solidos dari jubeo. Ego Remigius testamentum meum relegi, signavi, subscripsi, et in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti Deo adjuvante complexi.* Prosecuta autem excommunicatione in hujus testamenti violatorem primus respondit Vedastus episcopus : *Cui pater meus Remigius maledixit maledixi, et cui benedixit benedixi. Interfui quoque et subscripsi Geneboldus episcopus.* Lupus episcopus, Medardus episcopus, Benedictus episcopus, Eulogius episcopus idem dixerunt. Quoniam igitur Atrebatensem Ecclesiam tot et tantis auctoritatibus fretam principalem episcopum patens est habuisse, civitas eadem ultra priorem modum populosa, clerus et populus patrii pastoris absentiam diutius sustinere non valens, quem olim amisit, sibi proprium efflagitat restitui. Anno siquidem Dei Christi millesimo nonagesimo secundo, III Idus Augusti, defuncto domno Gerardo juniore Cameracensi episcopo, qui et Atrebatensi sedi sic utinam studuisset prodesse quomodo contigit et præesse, prædicta Ecclesia interius et exterius miserabiliter afflicta in aures domni Romani pontificis Urbani diutinum laborem et dolorem effudit. Ipse igitur pater prudentissimus intelligens advenisse tempus miserendi ejus, habens vero potestatem male ordinata in pristinam revocare dignitatem, Atrebatensi Ecclesiæ liberam contulit potestatem quatenus secundum instituta sanctorum canonum sibi proprium eligerent episcopum. Tibi etiam, Pater venerabilis Raynolde, ut electum consecrare non differas delegavit. Quod autem eidem Ecclesiæ pastorem habere desideranti, eo quod et civitas sit et valde populosa et aliquando habuerit, pastor restitui debeat ex sanctorum Patrum sententiis subsequentibus colligi potest. Inde enim in una epistolarum beati Clementis papæ sic legitur : *Episcopos autem per singulas civitates quibus Petrus magister meus non miserat prudentes et simplices nobis mittere præcepit. Vos autem per vestras diæceses episcopos consecrate et mittite. In singulis vero civitatibus singulos, et non binos vel ternos, nec in villis vel castellis vel modicis civitatibus, ne vile eorum nomen fiat.* Hunc pulchre prosecutum in Sardicensi concilio episcopum esse ordinandum in his civitatibus quæ episcopos habuerunt, aut si qua talis aut tam populosa est civitas quæ mereatur habere episcopum. Inde etiam Felix episcopus Selemselitanus in secundo concilio Africano ita dixit : *Etiam, si hoc placet sanctitati vestræ, insinuo ut diœceses quæ nunquam acceperunt episcopos non habeant, et illa diœcesis quæ aliquando habuit habeat proprium, et si abscedente tempore, crescente fide, Dei populus multiplicatus desideravit proprium rectorem habere, ejus videlicet voluntate in cujus potestate est diœcesis constituta, habeat proprium episcopum. Ab universis dictum est : Placet* Quod autem prædictus papa hanc rem laudabiliter definivit, et in ejus sit arbitrio conjunctos disjungere et plures episcopatus unire ex beati Gregorii Vita vel Registro colligitur, qui tres vel quatuor sæpe univit, et sæpe unitos disjunxit. Inde etiam Felici episcopo Acropolitano ita scribit : *Quoniam Velina, Buxentina, et Blandana, quæ tibi in vicino sunt constitutæ, sacerdotis vacare noscuntur regimine, propterea fraternitati tuæ earum solemniter operam visitationis injungimus.* Item Januario episcopo Caralis Sardiniæ : *Pervenit ad nos in loco qui intra provinciam Sardiniam situs est et Phausiana dicitur consuetudinem fuisse episcopum ordinari, sed hanc pro rerum necessitate longis abolevisse temporibus. Quia autem nunc sacerdotum in-*

digentia quosdam illic paganos remanere cognovimus et ferino degentes modo Dei cultum penitus ignorare hortamur fraternitatem tuam ut illic secundum pristinum morem ordinare festinet antistitem, talem videlicet qui ad hoc opus moribus ac verbo aptus existat et aberrantes ad gregem Dominicum pastorali studeat æmulatione deducere ; quatenus eo illic animarum vacante compendio, nec vos inveniamini superflua poposcisse, nec olim destructa frustra nos reformasse pœniteat. Quocirca, sancti Patres et domini, sub obtentu sancti Spiritus, sub cujus nomine convocati estis, respicite sororem vestram, Atrebatensem Ecclesiam eripite a jugo servitutis diu injuste captivatam, ne tandem aliquando tædio affecta post vestigia gregum incipiat vagari a pastore destituta.

Hæc in pleno concilio proclamatione sed et Ecclesiæ suæ, ut præmoniti fuerant, Atrebatenses deliberatione perlecta, cum e contra Cameracenses clerici non solum privilegia quibus Atrebatensem Ecclesiam sibi possidendam vindicarent non afferrent sed nec auctoritates ibi perlectas ratione aliqua infirmare prævaluissent, domnus archiepiscopus, ut pius pater, de ejusdem Ecclesiæ restitutione sollicitus, apostolicas litteras ad se directas in medium afferri et legi præcepit hæc continentes :

« Urbanus episcopus, S. S. D. dilecto confratri Raynoldo Remorum archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem. Noverit tua fraternitas quod Ecclesia Atrebat., » etc., *ut supra.*

Ipso denique archiepiscopo jubente allatus est sanctorum canonum liber. Quo assumpto, notarius hanc sententiam in conspectu omnium perlegit :

Osius episcopus in Sardicensi concilio dixit : Licentia ordinandi episcopum danda passim non est. Si enim subito aut vicus aliquis aut modica civitas, cui satis est unus presbyter, voluerit sibi episcopum ordinari, ad hoc ut vilescat nomen episcopi et summi honoris auctoritas, non debent illi ex alia provincia invitati facere episcopum nisi aut in civitatibus quæ episcopos habuerunt, aut si qua tam populosa est civitas vel locus qui mereatur habere episcopum. Synodus respondit : Placet.

Exsurgentes etiam domnus Burchardus abbas de Sancto Basolo, Dudo quoque capellanus, qui nuper a facie apostolici fuerant regressi, eumdem papam de hoc negotio archiepiscopo per eos mandasse et præcepisse testati sunt, ut scilicet in Atrebatensi Ecclesia episcopum sine dilatione ordinaret. Super his igitur omnibus ab episcopis ibidem residentibus, domno scilicet Hugone Suessionensi, domno Elinando Laudunensi, domno Rabbodo Viromandensi, domno Fulcone Belvacensi, domno Gerwino Ambianensi, domno Gerardo Morinensi, et ab universo concilio consilium expetivit. Cum vero episcopi cum archidiaconis et altioribus præsentis cleri personis et quibusdam abbatibus a consilio rediissent inducias tanti diffiniendi negotii ab ar- A chiepiscopo postulaverunt. Videns autem Galcherus Cameracensium archidiaconus cum aliis ejusdem Ecclesi clericis domnum archiepiscopum induciarum petitioni nolle acquiescere, sed potius ad obediendum Apostolici definitioni instare, prosiliens in medium causam Atrebatensis Ecclesiæ conatus est perturbare dicens Atrebatensem Ecclesiam non debere jure aliquo proprium pontificem habere seque ipsum vel Cameracenses clericos in præsentia domni papæ hoc ipsum esse paratos probare. Hoc archiepiscopus audiens domno Galberto præposito cæterisque Atrebatensibus id dedit consilii quatenus gratia confirmationis causæ suæ et pro reclamantium satisfactione præsentiam Apostolici non dubitarent repetere. Annuente igitur universo con- B cilio statuti sunt octo dies, a Dominica scilicet ante ascensionem Domini usque ad subsequentem, in quibus utraque pars apostolico se præsntaret, et prius veniens alteram exspectaret. Facto igitur silentio, domnus archiepiscopus sic tandem causam istam diffinivit. Et ut hoc pro certo scirent, toti synodo contestans denuntiavit quod si pars Atrebatensium ire negligeret, de hoc negotio eos amplius non audiret. Si vero Cameracenses ire respuerent, in Ecclesia Atrebatensi secundum præceptum domni papæ sine dilatione ordinaret episcopum. Qualiter autem Atrebatenses clerici, Joannes scilicet et Drogo, novem diebus in præsentia apostolici demorati sunt, qualiter etiam domnus papa quod prius statuerat tunc secundo confirmaverit, ex ejusdem litteris perpenditur sic archiepiscopo C dicentibus :

« Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri et coepiscopo Raynoldo Remensi, salutem et apostolicam benedictionem.

« Atrebatenses clerici, » etc. *Vide ut supra.*

His litteris ab archiepiscopo reverenter susceptis et lectis, cum a prædictis litterarum latoribus secreto quæsisset quam personam Atrebatensis Ecclesia sibi in episcopum eligendum disposuisset, illi autem trium personarum nomina, sicut velle Ecclesiam suam suspicabantur, archiepiscopo intimassent, unam inter alias specialius laudavit, commendavit domnum scilicet Lambertum Ghisnensem, et ut eligeretur consilium dedit. Præfatis vero clericis suscepto archiepiscopi consilio in- D stantibus ut suas cum apostolici litteris transmitteret respondit non esse necessarium nec idoneum ut litteris domini papæ jam secundo Ecclesiæ Atrebatensi de ordinatione episcopi diffinitæ præcipientibus suas ulterius litteras subjungeret.» Vestrum enim, inquit, est eligere, nostrum consecrare. » Iidem itaque clerici archiepiscopi sui consilio instructi Atrebatum venientes, ejusdem Ecclesiæ clero et populo litteras apostolici detulerunt, quarum forma hæc est :

« Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis clero et populo Atrebatensi, salutem et apostolicam benedictionem.

« Duo Ecclesiæ vestræ clerici, » etc. *Vide ubi supra.*

Cognoscens igitur clerus et populus Atrebatensis domni papæ voluntatem atque auctoritatem ut sibi episcopum eligerent jam denuo missam, indicto triduano jejunio et litaniis, VI Idus Julii faciendæ electionis diem communiter statuerunt. Ad hanc ergo diem non solum propriæ sedis clericos, sed et convicinæ diœcesis quosdam, inter quos familiarius Insulanæ congregationis canonicos, sicut fraternitatis et societatis suæ amicos, et maxime quia in eadem Ecclesia thesaurum quem desiderabant commorari noverant, scripto sigillato invitare studuerunt. Scriptum igitur illis missum hujusmodi est :

« Gualbertus Ecclesiæ Atrebatensis præpositus, cum decano et universis Ecclesiæ filiis, domno Gualtero Insulensi præposito, decano, et cæteris fratribus, salutem et dilectionem in Christo Jesu.

« Sicut, fratres dilectissimi, vobis non est incognitum, Ecclesia nostra olim Cameracensium oppressione prædiis suis et ornamentis et omni terreno decore privata, his diebus, cum domno Gerardo defuncto pastore careret, apostolici Urbani misericordiam adiit, suamque illi calamitatem anxia patefecit. Ipse igitur pater prudentissimus intelligens advenisse tempus miserendi ejus, ut sibi proprium deligerent denuntiavit. Quocirca, fratres charissimi, per charitatem Dei et dilectionem proximi et per amorem sanctæ matris Ecclesiæ obtestamur et obsecramus quatenus ab hanc electionem, quam proxima die Dominica statuimus fiendam, tres aut quatuor ex vestris fratribus qui nobis tanto operi, cooperante Spiritu sancto, consilium et auxilium subministrent, dignemini transmittere: inter quos, propulsa omni occasione, domnum Clarembaldum, domnum Cantorem Lambertum, alium quoque Lambertum de Cummines mittere elaborate. Valete. »

Itaque VI Idus Julii, quæ tunc dies Dominica habebatur, cum convenisset cleri et populi maxima multitudo in ecclesia sanctæ genitricis Mariæ, finitis missarum solemniis, invocato Spiritu sancto, recapitulatis etiam in pulpito domni papæ litteris in præsenti sede episcopum ordinari præcipientibus, domnus Lambertus natione Ghisnensis, titulo autem Insulanæ congregationis canonicus et præcentor, a Deo vocatus, et ab omni Ecclesia præfata diu desideratus, in capitulo beatæ Mariæ prius a domno præposito Gualberto, Guiberto decano, cæterisque canonicis concorditer ex nomine designatus, in conspectu totius Ecclesiæ manifestatur. Sic igitur Domino annuente electus a clero et tertio acclamatus et collaudatus a populo, licet invitus et multum renitens, eligitur, capitur, et in sede pontificali inthronizatur. Illo itaque flente et in nullo ut episcoparetur consentiente, decano autem suo Ingelrano cæterisque Insulanis canonicis graviter flentibus at quasi deprædationem concanonici et præcentoris A sui ægre ferentibus, recitata est sententia domni apostolici continens hanc formam : *Ei vero qui canonico consensensu cleri et populi electus fuerit apostolica auctoritate interdicimus ne impositam sibi electionem dissimulatione aliqua hujus novæ ordinationis subterfugiat.* Perpendentes autem Insulani canonici interdictum apostolici, et inviti, hac conditione acquieverunt quatenus Ecclesia Atrebatensis ab Insulana congregatione eum sibi in episcopum legitime dari, sicut canonicum est, expeterent. Quod et Ecclesia Atrebatensis sollicite studuit adimplere. Congratulante igitur tota civitate pro tam canonica diu desiderati pastoris patrata electione, archiepiscopo litteras ut prædictum electum consecraret destinaverunt. Rescriptum archiepiscopi hujusmodi fuit :

B « Raynoldus gratia Dei Remorum archiepiscopus, domno Gualberto universæque Atrebatensis Ecclesiæ congregationi, salutem et benedictionem in Domino Jesu.

« Scripsistis nobis quatenus terminum vobis rescriberemus in quo electum vestrum consecrare vellemus. At quia consecratio illa non solum ad nostram, verum etiam ad coepiscoporum nostrorum potestatem juxta canonum sanctionem pertinere videtur, diem vobis hujus consecrationis absque eorumdem consilio haudquaquam rescribendum esse dignum duximus. Sed cum in festo sanctæ Mariæ mediante Augusto magnum et episcoporum et clericorum conventum Remis habituri simus, illud quod ab eis super hoc consilium acceperimus et C terminum in quo eumdem electum vestrum debeamus consecrare vobis mandare non differemus: Valete. »

Ad hanc ergo diem Atrebatensis Ecclesia iterum se domno archiepiscopo Remis in his personis præsentavit, domno scilicet Abone, Heriberto, Joanne, et altero Joanne ; a quibus iterum hujus consecrationis secundas inducias usque ad Omnium Sanctorum solemnitatem expetivit. Sed sæpefata Ecclesia desolationis diuturno tædio affecta, protelationibus tantis non canonicis annuere non valens, domni papæ mansuetudinem jam tertio repetere procuravit. Ad hoc itaque duo clerici missi, cantor scilicet Ecclesiæ Odo, cum Joanne diacono, has litteras domno papæ præsentaverunt :

D « Venerabili magnificoque totius sanctæ Ecclesiæ papæ Urbano, devotus clerus et populus Atrebatensis orationem continuam atque subjectionem prona mente omnimodam.

« Gratias immensas conditori atque reparatori nostro pleno corde agimus omnium, qui inspirando movendoque cor tuum, hactenus per multa annorum volumina depressos gementesque visitare ac liberare dignatus es a jugo novercæ nostræ, scilicet Cameracensis Ecclesiæ, ut ad pristinam libertatem canonico rediremus scripto, et apostolica auctoritate roborasti, testando Atrebatensem Ecclesiam unam ex nobilioribus civitatibus Remensis metro-

polis et principalem sedem episcopatus fuisse, suam diœcessim et cætera pontificalia jura habuisse, ac ut secundum sacros canones nobis dignum Deo et hominibus eligeremus pastorem præcepisti, quod et fecimus in imitatione sanctorum Patrum jejunio triduano, precibus lacrymabilibus, et eleemosynis nonnullis, Lambertum videlicet Ghisnensem, virum religiosum, corda fidelium largo fonte prædicationis irrigantem, ita ut a multis millibus piæ plebis clametur quia propheta magnus surrexit in nobis et quia Deus visitavit plebem suam. Hunc itaque catena obedientiæ tuæ vinculatum tenemus, præstolantes misericordiam Dei, a quo omnes procedunt benedictiones, per te nobis impleri. Nos etenim, rector sancte, ut jussit clementia tua, obediendo tibi per omnia, bis misimus jam pro ipsius consecratione archiepiscopo Remensi legationem ut eum aut consecraret aut cum litteris suis tibi consecrandum dirigeret. Ipse vero tuo sancto canonicoque præcepto differens obedire, dilationem invenit animabus fidelium periculosam ac nulla ratione subnixam, ut dignitas tua præsentium fratrum perpendere poterit relatione. Nunc igitur, pie Pater, hac tam gravi necessitate compulsi ad te nostrum solum sub Deo refugium cogimur redire, ut quod sancte Deoque digne cepisti, amore ipsius cujus sanguine sumus abluti ne differas adimplere. Idque humiliter petimus ut summa obedientia infra terminum tuæ dispositioni placitum archiepiscopo eum præcipias consecrare, aut adduci jubeas consecrandum dignitati tuæ, ne diverticulando jussio tua jam tertio archiepiscopo injuncta ac in omnibus pene Galliæ partibus divulgata videatur annullari. »

Compatiens igitur domnus papa Ecclesiæ Atrebatensis fatigationi, imo archiepiscopi tarditatem in hoc tam sacro finiendo admirans negotio, scriptum sigillatum eidem archiepiscopo direxit in hæc verba :

« Urbanus episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo confratri et coepiscopo Raynodo Remensi, salutem et apostolicam benedictionem.

« Quod de Atrebatensi Ecclesia constituimus, » etc. *Vide ubi supra.*

Epistola domni papæ ad electum Atrebatensem delegata.

« Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilecto confratri et consacerdoti Lamberto Ecclesiæ Atrebatensis electo, salutem et apostolicam benedictionem.

« Lætamur propter te in Domino, frater charissime, » etc. *Vide ubi supra.*

Igitur receptis et lectis archiepiscopo domni papæ litteris, electo Atrebatensi scripsit in hæc verba :

« Raynoldus Dei gratia Remorum archiepiscopus, dilectissimo confratri et consacerdoti suo Lamberto, salutem et benedictionem in Domino Jesu.

« Litteras quas nobis pro consecratione tua domnus papa direxit suscepimus, sed et earum quæ tibi A directæ sunt exemplar vidimus: quas cum perlegissemus, coepiscopo nostro Suessionensi eas transmisimus, et ut ipse cæteris suffraganeis transmitteret præcipimus, quatenus ab eis accepto consilio tuæ fraternitati respondeamus. Ideoque tibi usque octavas sancti Andreæ aliquem legatum tuum ad nos deleges mandamus, per quem tuæ dilectioni rescribamus quid super omnibus illis quæ de te domnus papa injunxit acturi sumus. Vale. »

Nos vero (*id est* Atrebatenses clerici) die statuto legatos nostros ei misimus. Sed nec terminum certum consecrationis nec ejus litteras accepimus. Tamen nos a cœpto opere desistere recusavimus. Electum nostrum cum his subjunctis litteris misimus ipsi :

B « Dilecto et in veritate diligendo et honorando Patri et domino Raynoldo Dei ordinatione Remorum archiepiscopo, clerus et populus Atrebatensis Ecclesiæ cum Lamberto etsi inutili sanctitatis suæ servo, veram dilectionem cum orationibus et obedientia.

« Vestræ excellentiæ dignitati multiplices referimus gratias quia hactenus gratanter nobis ut pius pater juvamen exhibuistis et benignum vos erga nos in cunctis causæ nostræ fore promisistis. Sed paternitatem vestram miramur plurimum in calce nostri negotii infrigidatam existere, cum infra terminum ab apostolico vestræ magnificentiæ electi nostri consecrationis injunctum nec solemniter litteris vestris, ut arbitrabamur, ad consecrationem electum nostrum vocatis, ne diem certum infra C terminum designastis. Nunc autem, cum consecratio deinceps infra tricennalem metam nequit fieri, saltem litteras vestræ auctoritatis, quæ apostolico deferantur, ut ipse jussit, pro consecratione nostri electi nobis dare velitis plurima pace precamur. Valete. »

Atrebatensis itaque electus ex obedientia domni papæ, etsi non multum rationabili invitatione domni Raynoldi metropolitani sui ad consecrationem vocatus, tamen ne arrogantiæ aut injustitiæ ascriberetur, XVI Kal. Januarii, quæ tunc dies Dominica habebatur, Remis se archiepiscopo præsentavit juxta tenorem et terminum sibi a domno papa constitutum. Archiepiscopus vero, accepto astutiori quam prudentiori consilio, electum Atrebatensem cum adstipulatione et suarum et Atrebatensis Ecclesiæ lit- D terarum misit Romam ad domnum papam. Igitur Atrebatensis electus, et domnus Odo cantor, et Achardus magister scholarum, et Drogo Albiniacensis præpositus, cum servientibus suis IX Kal. Januarii, quæ tunc vigilia natalis Domini erat, urbem Remorum egreditur, et apud urbem Catalaunorum in monasterio omnium sanctorum a domno Odone venerabili abbate canonicorum ibidem communiter viventium honeste colligitur, et in natali beati protomartyris Stephani per fratrem Nevelonem prædicti monasterii sacerdotem et canonicum usque Trecas urbem conducitur. Et licet apud Trecas cum periculo et timore sit demoratus pro odio Philippi regis

Francorum, et Roberti comitis Flandriæ, tamen Deo miserante usque Molismum in terram Odonis ducis cum pace pervenit; ibique domnum Gualterium Duacensem aliquando Castellanum virum religiosum, licet laicum, exspectavit. Lætificatus tandem et consolatus ex adventu domni Gualterii Duacensis, laborem viarum et difficultatem aggreditur, et apud Divionem memorabile ducis Burgundiæ castellum propter recreandos et equos et equites suos per duos hospitatus est dies. Cum autem demoraretur, supervenit ibi lucerna ardens et lucens in domo Domini laudabiliter honorabilis et honorabiliter laudabilis domnus Hugo Lugdunensis primas et apostolicæ sedis legatus. Cognita Atrebatensis electi causa, venerabilis prædictus primas et apostolicæ sedis legatus domnus Hugo ipsum electum et omnes suos secum per magni nominis et religionis virum domnum abbatem Cluniacensem amicum et æquivocum suum deduxit, et apud Lugdunum per sex dies pro nimia aquarum inundantia et hiemis asperitate detinuit et quæque necessaria abunde subministravit. Accepta tandem tanti pontificis benedictione Atrebatensis electus et conviatores sui securius iter arripiunt, et post multa viarum et hiemis discrimina porticum beati Petri apostolorum principis feria sexta ante Dominicam *Esto mihi in Deum protectorem* ingrediuntur. Ne autem a Guibertinis aliqua illis inferretur injuria, subsequenti sabbato summo in mane domno Urbano papæ suum præmittunt electum Romæ apud sanctam Mariam Novam tunc commoranti. Ad pedes autem domni papæ Urbani electus se prosternens, cum lacrymis petiit a domno papa se ab illa electione absolvi, dicens se non esse idoneum, nec debere vocari ad tam importabile onus, tum pro infestatione Henrici excommunicati imperatoris, ad cujus imperium Cameracus hactenus pertinebat, tum pro insectatione clericorum et laicorum Cameracensium divitum, potentum, et secundum sæculum valde sapientium, necnon etiam pro nimia vastatione et paupertate rerum et religionis Atrebatensis Ecclesiæ. Beatissimus vero papa, facta absolutione et data benedictione, sicut mos est apostolicæ sedis, suscepit eum in osculo sancto, et floccipendens hæc omnia dixit ei: *Frater, non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*, et cætera verba confortatoria quæ ad plenum nunc memoriæ non occurrunt. Ad ultimum subjecit: *Esne, frater, hospitatus?* et: *Ubi sunt comperegrini tui?* Respondit: *Nondum sum hospitatus, sed socios meos apud beatum Petrum in porticu dimisi.* Hoc audiens papa statim præcepit adesse domnum Daibertum Pisanum archiepiscopum, et ait illi: *Hunc fratrem nostrum Lambertum Atrebatensem electum in hospitium collige, et qualiter sui et sua de porticu Sancti Petri ad nos cum securitate deducantur tu et Petrus Leonis quantocius providete.* Quod et factum est.

Cum autem opportunitatem sibi et locum loquendi domnus papa mandavit, iterum sicut et prius prostravit se ad pedes ejus, rogans eum quatenus propter Deum ab hac imposita sibi electione illum absolveret. Sed domnus papa nec huic petitioni assensit. Sed et prædicti canonici et qui cum eo Romam venerant domnum papam instanter exorant ut eorum et Ecclesiæ suæ misereatur et electum suum consecrare non differat. Accepto domnus papa consilio, die statuto, absente electo, in præsentia episcoporum et cardinalium suorum et Romanorum fecit recitare omnem Ecclesiæ Atrebatensis actionem. Quam Romani audientes petierunt ut sibi Ostiensis ordinaretur episcopus. Domnus vero papa, sicut vir prudens, ne novella Atrebatensis Ecclesiæ plantatio eradicaretur, Romanorum preces in hac parte non suscepit, sed post aliquot dies secreto alloquitur sæpedictum electum, et in nomine Domini et ex parte beati Petri præcepit ei hanc obedientiam subire in remissionem peccatorum suorum. Ille tandem acquiescens divinæ ordinationi et apostolicæ obeditioni consecratur in episcopum Romæ apud Sanctam Mariam Novam a sæpius jam dicto domno apostolico Urbano anno Dei Christi 1093, XIV Kal. Aprilis, quæ tunc Dominica *Lætare Jerusalem* habebatur, sub testimonio venerabilium episcoporum Joannis Tusculani, Humbaldi Sabinensis, Joannis Portuensis, Brunonis Signiensis, domni quoque Daiberti Pisanorum archiepiscopi, et cardinalium presbyterorum, et maximæ multitudinis Romanorum.

Confirmatus autem episcopus Atrebatensis, sicut canonicum est, privilegio et auctoritate litterarum apostolicæ sedis, præmisit Drogonem cum quibusdam sociis suis, postmodum vero Odonem cantorem et Achardum magistrum scholarum. Ipse vero associatus domno Radulpho Turonensi archiepiscopo, retento secum Gualtero Duacensi, in sexta feria de Dominica *Quasi modo geniti* Romam egreditur, et apud Ostiam mare intrat, et post aliqua tempestuosa pericula portum Pisanum satis desideratum occupant, et inde Odonem cantorem et Gualterum Duacensem ad Clusam præmittunt. Ibi invento Auxiensi (2) archiepiscopo Petro, rursum Turonensis archiepiscopus et Atrebatensis episcopus mare intrant et apud Januam anchoram figunt. Dimisso ibi Auxiensi archiepiscopo, Turonensis et Atrebatensis comperegrini apud Clusam Longobardorum associati, conviatoribus Odone cantore et Gualtero Duacensi, usque Lugdunum prospere perveniunt, ibique discedunt. Et sic, Deo miserante, domnus Lambertus in die Pentecostes a clericis et civibus Atrebatensibus devote suscipitur, et ante horam tertiam in pontificali sede per auctoritatem beati Petri et obedientiam Romanæ Ecclesiæ inthronizatur. Quoniam vero compendiosam digressionem fecimus, ad rei gestæ ordinem rursum stylum nostrum convertamus.

« Domino et reverentissimo sanctæ et apostolicæ

(2) Leg. *Axiensi*, id est, Aquisextiensi. Atrebatenses clerici nesciebant Latine reddere nomen istius archiepiscopi, qui vulgo vocatur *l'archevêque d'Aix*.

sedis papæ Urbano, Raynoldus, licet indignus, Dei gratia Remorum archiepiscopus, salutis, obsequii debitæque subjectionis munus uberrimum in Domino.

« Post directas primum nobis a paternitate vestra litteras placuit vestro, serenissime Pater, apostolatui ut iterum alias nobis dirigeretis, præcepto præcipientes quatenus infra triginta dierum spatium postquam vestras litteras videremus Atrebatensis Ecclesiæ electum in episcopum consecrare non differremus. Addidit et hoc solertia vestra, ut si aliqua nobis occurreret causa qua munus illud aggredi formidaremus, eum vobis cum litterarum nostrarum adstipulatione consecrandum dirigeremus. Susceptis igitur hujus vestræ præceptionis apicibus, ne quid inconsultis coepiscopis nostris et consacerdotibus præsumeremus, cum constet utique tam ex eorumdem quam ex nostra auctoritate eamdem pendere consecrationem, mandatorum vestrorum schedulam ad universos ad quos potuimus direximus, singulorumque sciscitati sumus sententiam quatenus illud nobis super hac re consilium providerent quod nec vestræ obeditioni obversaretur et ex quo Remensis Ecclesiæ dignitas non imminueretur. Itaque hæc omnium et episcoporum et clericorum nostrorum una vox fuit et sententia ut nos quidem ab electi illius consecratione manum suspenderemus, sed eum vobis, cum hoc vestræ præciperent litteræ, transmitteremus, et quidquid inde altitudinis vestræ solertia faciendum decerneret arbitrio vestro relinqueremus. Timuerunt enim et timent ne Cameracenses ex hoc facto accepta occasione se a Remensi Ecclesia abrumperent, cum et civitas eorum alterius regni habeatur, et regni cujus rex nobis et Ecclesiæ Romanæ jam et ex longo tempore inimicatur. Addiderunt etiam damnosam admodum fieri commutationem, si dum Remensis Ecclesia Atrebati episcopum fieri consentiret, Cameracum, quæ sexies quam Atrebatum et continentior et locupletior est, amitteret. Obsecramus ergo excellentiam vestram, Pater sanctissime, obsecrant et episcopi et clerici nostri, quatenus vos, qui in arce et in specula omnium Ecclesiarum præsidetis, negotium ita temperetis, ut nec quisquam, quod absit! decretorum vestrorum inde dispositionem reprehendat, nec Remensis Ecclesia ullam suæ dignitatis jacturam vestris in temporibus sustineat. Nos tamen, qui vestris obsecundandum deliberationibus perpetuo proposuimus, quicunque sit modus consecrationis, ubi eum dignitas vestra consecrarit, consecratum benigne suscipiemus, susceptumque sicut episcopum et suffraganeum nostrum deinceps honorabimus. Cæterum vestram nosse volumus celsitudinem nos nequaquam rem hanc ideo tandiu distulisse ut aut vestris unquam jussionibus obsistere enitamur, aut ut Domino illi in aliquo derogemus. Eum non hoc duntaxat honore dignum esse censemus, sed cujusvis alterius promotionis apicem ei merito conferendum adjudicamus. Valeat beatitudo vestra incolumis in Domino. »

« Urbano Dei gratia papæ, zelo boni ferventissimo, ac Ecclesiarum restauratori excellentissimo, Ecclesia Atrebatensis summatim respirans, depulso jugo indebitæ servitutis, vivere vigereque perenniter in Christo, cum orationum et obedientiæ munere.

« Sanctitatis vestræ paternitati prædicabili agimus quamplures gratias, et licet quaterno itinere fatigati, virtutem tamen in vobis perseverantiæ et extollimus et amplectimur, quoniam in restitutione Ecclesiæ nostræ non invenitur in vobis est et non, sed Spiritu sancto innuente visitati a vobis antiquæ donamur libertati et propriæ diœcesis jura mancipamus. Omne igitur collegium perfectorum, quia sospitas recuperata unius commembri fit gaudium totius corporis Christi. Sicut autem jussit vestra sublimitas, litteras vestras de nostri electi consecratione archiepiscopo tradidimus, eumdemque electum infra tricennalem terminum a vestra auctoritate constitutum præsentavimus. Quod vero eum consecrare distulerit, non ipsius negligentiæ, sed Dei, a quo omnis potestas, ordinationi attribuimus. Quas tamen dilationis protulerit causas fratribus referentibus seriatim scietis. Nunc ergo ad vestram excellentiam cum paucis fratribus pro temporis angustia, periculorum instantia, rerum quoque diu afflictæ Ecclesiæ penuria, transmittimus consecrandum, obnixe pro Christo et in Christo supplicantes ut sublimatus pontificali infula nobis indilate remittatur noster electus, quia nobis plurimum est necessarius, existens animarum nostrarum peritissimus medicus. Hinc etiam sanctitatem vestram affluentem misericordia precamur quo servulis vestris hoc privilegium velitis dare, ne deinceps quibuslibet forte proclamationem excitantibus hujus canonicæ incardinationis debeamus respondere: quoniam quod semel constat bene diffinitum, perpetualiter debet manere inconvulsum. Simulque præcipiat auctoritas vestra ut divisio duorum regnorum, Francorum scilicet et Teutonicorum, sit episcopatus nostri meta, sicut antiquis temporibus fuisse per successorum relationem et alia certa indicia cognovimus, ne aliquando lis inde oriatur, vel nefas discordiæ efficiatur. Decet namque sanctitatem vestram ad finem usque bonum perducere quod constat vos laudabiliter incœpisse. »

« Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilecto fratri et coepiscopo Raynoldo Remensi, salutem et apostolicam benedictionem.

« Decuerat fraternitatis tuæ prudentiam ad reparandam dignitatem commissæ tibi Ecclesiæ diligentius insudare, » etc. *Vide in Urbano II, Patrologiæ tom. CLI.*

« Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis fratribus et coepiscopis Raynoldo Remensis et suffraganeis ejus, salutem et apostolicam benedictionem.

« Cum Atrebatenses clerici, » etc. *Vide ubi supra.*

« Urbanus episcopus, servus servorum Dei, Alardo Atrebatensi, Bernardo Obstrevandensi archidiaconis, et omnibus præpositis atque decanis, cum omnibus clericis qui in prædictis archidiaconiis sunt, salutem et apostolicam benedictionem

« Apostolicæ sedis nos compellit auctoritas, » etc. *Vide ubi supra.*

« Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Aloldo Sancti Vesdati. Richardo Marcianensi, Alberto Hasnonensi, Hamerico Aquicinensi abbatibus; item abbatissæ Sanctæ Ragenfredis, et abbatissæ Strumensi, salutem et apostolicam benedictionem.

« Apostolicæ sedis, » etc. *Vide ubi supra.*

« Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Roberto Flandrensium comiti salutem et apostolicam benedictionem.

« Magna tibi exsultatione gratulandum est, » etc. *Vide ubi supra.*

« Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri Lamberto Atrebatensi episcopo nostris manibus consecrato ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum.

« Liquet sanctorum canonum institutis, » etc. *Vide ubi smpra.*

Recitatum est autem hoc privilegium in Claromontensi concilio ex præcepto domini Urbani papæ II, cui ipse præsedit, et cum eo cardinales Romani, archiepiscopi XIII, episcopi CC et XXV, abbates vero XC, et ex eo amplius, exceptis honestis et religiosis diversarum regionum et provinciarum clericis et laicis; et intente et sub magno silentio ab omni consessu concilii auditum, collaudatum, et confirmatum est IV Kal. Decembris, indictione III, anno Dominicæ incarnationis 1094, pontificatus autem domni Urbani II papæ VIII.

» Reverendis Patrimus domino Manasse præposito, L. decano, cum omni capitulo sanctæ Remensis Ecclesiæ, Lambertus Atrebatensis sedis servus inutilis, se ipsum et æternam in Domino salutem.

« Cum sciamus non latere diligentiam vestram quod quantocius potuimus domno archiepiscopo litteras domni papæ Urbani sibi et suffraganeis suis pro me missas per domnum Lambertum monachum virum religiosum miserim, litteras quoque impedimenti mei veniendi ad sanctam Remensem sedem non prætermiserim, postmodum vero per domnum Hugonem Sancti Dionysii abbatem excusationes canonicas mandaverim, satis miror quod necdum aliquid consolationis aut pietatis nec ab ipso nec a vobis suscipere meruerim, sed me præoccupatorem Atrebatensis sedis et quasi contemptorem sanctæ Remensis Ecclesiæ per abbatem Aquicinensem et per monachos Marcionenses nos nominare complacuit. Sed novit Dominus, cujus oculis sunt nuda et aperta omnia, insuper apostolica sedes, quam rogatus quam coactus, imo apostolicæ obedientiæ auctoritate ligatus prædictæ Atrebatensi sedi deservire compulsus fuerim. De quasi contemptu autem

A veniendi apud sanctam Remensem sedem, unde placuit domno archiepiscopo nos arguere satisfacere vobis paratus sum per præsentes fratres nostros. Nosis enim et inopiam sedis nostræ et difficultatem viarum et tempestatem bellorum et odium Cameracensium in nos et quorumdam aliorum in via positorum. Prostratus itaque sanctitatis vestræ pedibus, ut me in verbo veritatis audiatis et excusatum me habere velitis suppliciter exoramus ut domno archiepiscopo suggerere velitis super nos et super Ecclesiam nobis commissam viscera misericordiæ suæ aperiens secundum temorem litterarum a domno papa sibi transmissarum, easdem litteras suis suffragiis prosequatur. Ut autem omnem occasionem contemptus a nobis removeatis, professio-
B nem nostram per hos fratres nostros præsentamus, eamdem facturi cum ad vos Deo miserante cum salute adveniro poterimus. »

« Reverendo Patri et domino suo Raynoldo Dei gratia Remorum archiepiscopo, Lambertus sancta Atrebatensis sedis servus inutilis cum debita subjectionis reverentia, quod oculus non vidit, et auris non audivit, nec in cor hominis ascendit.

« Cum paternitati vestræ quantocius potuimus litteras domni papæ Urbani, nostras quoque nostri impedimenti causas continentes mittere studuerimus valde durum nobis videtur quod neque ex tenore litterarum domini papæ neque ex supplicatione litterarum nostrarum aliquid nobis rescribere placuit sed per abbatem Hamericum Aquicinensem, quod
C mansuetudinem vestram non decuisset, litteras nobis delegastis, in quibus nos præoccupatorem sedis Atrebatensis nominastis, et ne abbates ad obedientiam Ecclesiæ nostræ, secundum quod missæ eis a domno Papa litteræ præcipiunt, commonerem mandatis. Nos vero rursus per communem filium vestræ et nostræ Ecclesiæ domnum Hugonem Sancti Dionysii abbatem causas impossibilitatis nostræ veniendi ad vos impræsentiarum discretioni vestræ intimare studuimus. Sed super his omnibus nec primo nec secundo aliquid ex affectu pietatis nec alicujus compassionis legationem vestram suscipere meruimus; sed per monachos Marcianenses pro causa domini Alardi archidiaconi et pro excommunicato in assultu Ecclesiæ sine confessione et viatico defuncto, quanquam vobis aliter relatum sit,
D litteras direxistis, in quibus nos quasi contemptorem Remensis Ecclesiæ insinuare voluistis; quanquam non lateat prudentiam vestram nos hanc sedem non præocupasse, sed coactos et constrictos et apostolicæ auctoritatis obedientia eamdem sedem obtinuisse. Ne autem quasi contemptor sanctæ Remensis Ecclesiæ videar in oculis misericordiæ vestræ, hos fratres nostros in persona et verbo nostro pro excusatione nostra sastisfacturus transmittimus. Precamus itaque clementiam vestram ut per præsentes fratres nostros, tum pro charitate Spiritus sancti, tum pro dilectione et reverentia domni papæ, nostram professionem interim suscipiatis, consimile

opus misericordiæ nobiscum facientes quod in apostolica benevolentia temporæ vestræ professionis consecuti estis. Cum autem Deo miserante ad vos proficiscendi facultas attributa fuerit, quod nunc per fratres nostros facimus, tunc Deo volente in propria persona nos facturos profitemur. Exoramus etiam paternitatem vestram ut litteras domni papæ, quemadmodum vobis scripsit, vestris suffragiis prosequamini. Domnum Alardum archidiaconum et abbates et causas eorum intuitu vestri amoris, si litteris domni papæ obedierint, benigne tractabimus. Bene valete in Domino semper, reverende Pater et domine. »

« Ego Lambertus Atrebatensis sedis ordinatus episcopus tibi, pastor Raynolde, et privilegio Remorum Ecclesiæ tuisque successoribus secundum sacros canones et decreta sedis apostolicæ ex sacris canonibus ac legibus promulgata, pro scire et posse me obediturum promitto. Pro ejusdem quoque metropolitani publicis et privatis negotiis studio, consilio, societate me elaboraturum et absque illius consensu nullum me præbere in magnis negotiis vel ordinationibus assensum nisi in eo quod pertinet ad propriam parochiam meam profiteor, et huic professioni meæ coram Deo et sanctis ejus, sub testimonio quoque præsentis Ecclesiæ, subscribo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. »

Facta est autem hæc professio Remis mense Septembri, XI Kal. Octobris, die natali beati Matthiæ apostoli et evangelistæ, indictione II, anno autem Dei Christi 1094.

« Rainoldus Dei gratia Remorum archiepiscopus, gloriosissimo principi domno Roberto Flandrensium comiti, salutis et benedictionis ubertatem in Domino.

« Dilectionis vestræ litteras benigne suscepimus, susceptasque gratanter perlegimus. Quoniam itaque in ipsis ut nobis quid animi super ordinatione dilectissimi fratris nostri Lamberti Atrebatensis episcopi haberemus rogastis vellemus remandare, nolumus lateat charissimam nobis prudentiam vestram nos ipsum plurimis diebus, ut quod de eo agendum erat legitime ex episcoporum nostrorum consilio fieret, detinuisse, ad ultimum in concilio quod Remis cum coepiscopis nostris atque principibus multis XV Kal. Octobris habuimus juxta domini papæ Urbani præcepta, quibus inobedire nefas est, consilio et assensu coepiscoporum nostrorum more ecclesiastico ipsius professionem suscepimus ejusque consecrationem confirmantes confirmavimus. Unde vestræ mandamus sollicitudini quatenus eumdem amodo cum debito honore, cum debita reverentia suscipiatis, ejusque laboribus publice et privatim pro amore Dei communicetis, sed et in quantum ecclesiastica permittit ratio ei ut pastori vestro, ut episcopo vestro obediatis. Valete. »

« Rainoldus Dei gratia Remorum archiepiscopus, charissimo filio suo Lamberto consacerdoti et coepiscopo, quod sibi in Domino.

« Canonicum istum, videlicet Engelbertum, scias a nobis absolutum esse. Cæteros vero qui excommunicationis nostræ causa jam ad te pervenerunt vel venturi sunt volumus et mandamus quatenus et illos absolvas et sub regulari regimine, ubi corporis et animæ consolationem habere possint, collocare studeas quousque illorum Ecelesia resipiscat, sicque post per nostram absolutionem atque licentiam illos ut proprios filios recipiat. Vale »

« Rainoldus Dei gratia Remorum archiepiscopus, dilectissimo confratri et consacerdoti suo Lamberto Atrebatensium episcopo, salutem et benedictionem in Domino Jesu.

« Dilectioni vestræ insinuandum dignum duximus nos nuperime domini papæ Urbani epistolam suscepisse et ab eo ut vestra convocata fraternitate cica medium Februarii proximi ad concilium quod intra Tusciam vel Longobardiam tunc temporis celebraturus est ad præsentiam ejus accedere curemus sollicitudinem vestram monitam esse. Et nos igitur ad ipsius monitionem vestram monemus fraternitatem, quatenus circa prædictum terminum vestram ipsi præsentiam cum omnibus abbatibus vestris ad ipsum concilium exhibere curetis. Valete. »

« Hugo Lugdunensis archiepiscopus, apostolicæ sedis legatus, Roberto nobilissimo comiti Flandrensium, salutem.

« Venerabilem in Christo fratrem nostrum Atrebatensem episcopum, » etc. *Vide in Hugone Lugdunensi, Patrologiæ tom. CLVII.*

« Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Gualchero Cameracensi electo, salutem et apostolicam benedictionem.

« Meminisse te convenit, » etc. *Vide in Urbano II, Patrologiæ tom. CLI.*

« Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Roberto Flandrensium comiti et optimatibus ejus, salutem et apostolicam benedictionem.

« Pro charissimo fratre nostro Lamberto, » etc, *Vide ubi supra.*

Anno igitur Dei Christi 1099, dominus Urbanus papa II qui jam prius ad Claromontem generale celebraverat concilium, rursum Romæ in ecclesia beati Petri apostoli pro errore et hæresibus Græcorum diversarum regionum et provinciarum primates, archiepiscopos et episcopos ad celebrandum concilium studuit convocare in secunda Dominica post Albas qua *Misericordia Domini* cantatur. Huic quoque consilio cum cæteris Remensis provinciæ episcopis interfuit Lambertus Atrebatensis episcopus. Qualia autem decreta prædictus papa de Latina et Græca Ecclesia et de ministris altaris et de ordinatis a Simoniacis et de benficiis de officiis ecclesiasticis per pecuniam adeptis ante corpus beati Petri dederit studiosus lector legendo invenire poterit.

Igitur in prædicto Dei Christi 1099, IV Kal. Au-

gusti, indictione VII, ingressus est viam universæ carnis dignæ memoriæ religiosus papa Urbanus II, et sepultus est in ecclesia beati Petri apostoli juxta sanctum Leonem papam et Ephesini concilii auctorem. Urbano autem in apostolica sede succedit domnus Rainerus venerabilis cardinalis de titulo Sancti Clementis, cognomento Paschalis II, papa.

« Paschalis episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Lamberto Atrebatensi episcopo ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum.

« Quæ juste a patribus constituta sunt, » etc. *Vide in Paschali II, Patrologiæ tom. CLXIII.*

« Paschalis episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Radulpho Remensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

« Quod de Atrebatensis episcopatus restitutione.» etc. *Vide ubi supra.*

Harum exemplar litterarum cum bulla scias conservari Remis in ecclesia beatæ Mariæ semper Virginis dominæ nostræ, in sacrario in locello aureo qui vulgo dicitur berceolum.

« Paschalis episcopus, servus servorum Dei, clero et populo Atrebatensium, salutem et apostolicam benedictionem.

« Audivimus quosdam perverse agentes » etc. *Vide ubi supra.*

« Paschalis episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Balduino Flandrensium comiti et spectabili Clementiæ matri ejus comitissæ, salutem et apostolicam benedictionem.

« Quod de Atrebatensis episcopatus, » etc. *Vide ubi supra.*

« Raynoldus, Dei gratia Remorum archiepiscopus, dilectissimo fratri et consacerdoti suo Lamberto Atrebatensium episcopo, salutem et benedictionem in Domino Jesu.

« Dilectissimam nobis fraternitatem vestram ignorare nolumus quoniam domni papæ Urbani epistolam nuperrime suscepimus, quæ nos ut ad concilium quod in octavis sancti Martini, XIV videlicet Kal. Decembris, apud Arvernensem, quæ et Clarimontis dicitur, ecclesiam celebraturus est præsentialiter accederemus præmonuit, et ut omnes nostræ metropolis suffraganeos, convocatis tam abbatibus quam cæteris Ecclesiarum primoribus, sed et excellentioribus principibus, ad ipsum concilium invitaremus præcepit. Et nos sane apostolicæ monitioni obviam, quod nefas est, incedere nolentes, concilium quod in octavis Omnium Sanctorum insumpseramus, propter hoc, ut justum est, dimittendum dignum putavimus. Vestram ergo sollicitudinem litteris præsentibus monemus quatenus omni occasione seposita vestram ad idem concilium præsentiam exhibere et, ut prædictum est, et abbates et cæterarum Ecclesiarum vestrarum primores et diœceseos vestræ principes, et maxime Balduinum comitem de Montibus, monere curetis. Nulli autem

A vel inopiæ vel alicujus necessitatis occasio quin veniat præbeat audaciam, cum nos nisi personas non ingenti quidem famulorum caterva stipatas requiramus. Quicunque autem post hanc admonitionem nostram se ab hoc concilio absentaverit, noverit proculdubio quoniam et ordinis sui periculum incurret, et domni papæ iram, nec impune quidem, sibi thesaurizabit. Valete. »

« Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dileto fratri Lamberio Atrebatensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

« Noverit dilectio tua, » etc. *Vide in Urbano II, Patrologiæ tom. CLI.*

Taliter itaque Lambertus Atrebatensis episcopus ad Claromontense concilium domni papæ Urbani
B invitatus proficiscitur die natalis apostolorum Simonis et Judæ, quæ tunc dies Dominica habebatur, et cum eo domnus Clarembaldus archidiaconus suus, et venerabiles domnus Aloldus Sancti Vedasti et domnus Hamericus Aquicinensis abbates, domnus quoque Gualbertus præpositus, Odo cantor. Achardus magister scholarum, Hugo presbyter et canonicus, Mascellinus archipresbyter, religiosus etiam diaconus Joannes de monte Sancti Eligii postmodum Atrebatensis archidiaconus, et Drogo prædicti episcopi œconomus, et Othertus scholasticus de Bethunia. Perveniens itaque apud Proviniacum comitis Stephani celebre castellum, VIII Idus Novembris Proviniacum egreditur, et ipsa eadem die a Guarnerio quodam milite de castello Pont de via sua tra-
C hitur, capitur, et captus episcopus cum clericis suis a Garnerio prædicto milite et suis satellitibus detinetur. Abbas Sancti Vedasti præcesserat episcopum cum gratia et benedictione sua. Guarnerius vero increpatus a Philippo fratre suo Trecensi episcopo, et Dei omnipotentis miseratione visitatus, V Idus Novembris summo in mane ad pedes episcopi et archidiaconi sui Clarembaldi et reliquorum clericorum suorum prostratus cum lacrymis veniam postulavit, dolens ac pœnitens se stulte et prave egisse quia manum miserit in christum Domini. Episcopus vero prostratum militem erigens discalciatum ad monasterium præcessit, ibique eum pœnitentiam cum suis qui eum ceperant agentem absolvit. Et eodem die episcopus a prædicto milite cum omnibus suis clericis et laicis detinetur, servitur, et per manum ejus
D usque Antissiodorum cum securitate conducitur. Domnus vero Urbanus papa, audiens Atrebatensem episcopum captum, quantocius scripsit Guarnerio de Pont et Richerio venerabili Senonum archiepiscopo in hæc verba :

« Urbanus episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Guarnerio Pontionis filio, salutem et apostolicam benedictionem, si obedierit.

« Venerabilem fratrem nostrum Atrebatensem episcopum ad concilium venientem te cepisse audivimus, » etc. *Vide ubi supra.*

« Urbanus episcopus, servus servorum Dei, cha-

rissimo fratri Richerio Senonum archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

« Audivimus Guarnerium Pontionis filium venerabilem fratrem nostrum Atrebatensem episcopum ad concilium venientem cepisse captumque retinere, » etc. *Vide ubi supra.*

Apud Antissiodorum autem Atrebatensis episcopus perveniens, associatur comitatui domni Richerii Senonensis archiepiscopi et consuffraganeorum suorum Remensis provinciæ domni Gerwini Ambianensis, domni Gerardi Tarvanensis episcoporum. Et sic XV Kal. Decembris in octavis sancti Martini, quas tunc dies Dominica festiviores reddidit, urbem Claromontensem ingreditur, et a venerabili primate Lugdunensi domno Hugone, apostolicæ sedis legato, necnon et ab ipso domno papa benigne in osculo sancto suscipitur, atque apostolica benedictione cum suis lætificatus exhilaratur. Deinde domnus papa IV Kal. Decembris, indictione IV, concilium Claromontense concludens præcepit recitari privilegium renovationis et restitutionis Atrebatensis Ecclesiæ in conspectu totius concilii; in quo cardinales Romani consederunt ei, et archiepiscopi XIV, episcopi CC et XXV, et abbates XC et amplius, exceptis honestis atque religiosis diversarum religionum atque provinciarum clericis et laicis quorum numerum leviter quisquam scire præ multitudine non potuit. Recitatum est autem Atrebatensis Ecclesiæ privilegium et distincte et aperte lectum, atque ab omni concessu concilii sub magno silentio intente auditum, collaudatum, et confirmatum est anno Dei Christi 1095, cui cum Patre et Spiritu sancto est æqualis honor et gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.

II.

EPISTOLÆ
LAMBERTI EPISCOPI ATREBATENSIS
ET ALIORUM AD IPSUM

(BALUZ., *Miscell.* edit. Luc. in fol., II, 137.)

EPISTOLA PRIMA

GUALTERI INSULANI PRÆPOSITI AD LAMBERTUM.

Domino Patri LAMBERTO, gratia Dei Atrebatensi episcopo, GUALTERUS, Insulanæ Ecclesiæ præpositus et confratres, salutem et obsequii devotionem.

Quia sanctæ petitionis vestræ de domno confratre nostro Clarembaldo instantiam sancti Spiritus instinctu, cui resistere fas non est, inflammatam esse credimus, vestræ de ipso electioni, quam Deo auctore in spirituale commodum cessuram confidimus, non acquiescere, Deum offendere timuimus. Molesti igitur, quia maximum ex ejus absentia sanctæ religionis exemplar amissuri, imo vestro, cui nos congratulari decet, dantes operam profectui, eum vestræ paternitati deserviturum concedimus. Valete.

EPISTOLA II.

GERWINI EPISCOPI AMBIANENSIS AD LAMBERTUM.

GERWINUS, gratia Dei præsul Ambianensis, domino et charissimo fratri in Christo LAMBERTO, sanctæ Atrebatensis Ecclesiæ discreto præsuli, perseverare feliciter in proposito religionis.

In sancta Ambianensi Ecclesia, quæ parvitati nostræ committitur, diligentia magna, labore et sumptu cujusdam fratris nostri feretrum quoddam præparatum est auro, argento et gemmis ad reliquias reponendas beati martyris Fusciani, et hoc senatus nostri disposuimus decreto fieri in celebratione sancti Michaelis archangeli. Obnixe igitur paternitatis vestræ reverentiam præsentibus flagitamus litteris, quia estis vir timens Deum, et Deo et hominibus placetis et opere et doctrina melliflui oris, quatenus ad tantum opus exsequendum ministrum et adjutorem vos habere se lætetur sancta mater nostra Ecclesia Ambianensis. Ut igitur tantum martyrem ante tribunal Dei interventorem habeatis, cæteris negotiis abjectis huic petitioni nostræ et ardentissimo desiderio satisfaciatis. Valete.

EPISTOLA III.

RAINOLDI REMORUM ARCHIEPISCOPI AD LAMBERTUM.

RAINOLDUS, Dei gratia Remorum archiepiscopus, dilecto fratri et consacerdoti suo LAMBERTO Atrebatensi episcopo, salutem et benedictionem in Domino Jesu.

Memoriter vobis inhærere credimus quidquid de Hugone de Inciaco nuper cum fraternitate vestra

multo sermone contulimus. Ipse siquidem Hugo A nuperrime in villa Sancti Gaugerici quæ Felcherias dicitur in trevia Dei cum armata manu advenit; ibique circumquaque discurrens, igni penitus totam villam concremavit, prædamque non minimam atque hominum multitudinem miserabiliter secum adduxit. Pervenit etiam ad aures nostras quod se epistolam nostram habere glorietur qua eum ab omni timore Cameracensis episcopi, sed et ab omnium presbyterorum excommunicatione, in quamcunque dementiam elatus fuerit, deliberari, quod absit, debeat. Scire igitur vos volentes hanc omnem jactantiam ejus irritam esse, vestræ fraternitati mandamus ut et illum, quem præcipue diligimus, vos admoneatis, quatenus omni excusatione sublata, ut in sanctæ pacis violatorem, in B ipsum gladium anathematis exeratis, et ne ulterius donec ad satisfactionem veniat in cunctis receptibus suis seu in omni loco in quo ipse vel complices ejus præsentialiter adfuerint divinum celebretur officium præcepti vestri auctoritate inhibeatis. Valete.

EPISTOLA IV.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Rainoldus, Dei gratia Remorum archiepiscopus, fratri et coepiscopo suo Lamberto Atrebatensi, salutem et benedictionem in Domino Jesu.

Ad colloquium comitis Roberti et ad recipiendam de eo justitiam in octavis sanctæ Mariæ in Augusto vel præsentiam nostram exhibere vel nuntios nostros delegare, sicut jam vobis et coepiscopis nostris Noviomensi atque Morinensi mandavi- C mus, parati erimus. Quod autem de Hugone de Inciaco nobis scripsistis, liquere vobis credimus quoniam in concilio quod Compendii celebravimus ad querimonias et clamores Gerardi Cameracensis episcopi, omnium præsentium judicio in eum anathematis gladium exeruimus et in omnes ejus cooperatores et consentaneos. Sed neque ideo ipse nec filius ejus Cameracensem Ecclesiam persequi destiterunt. Quippe quos par exspectatio ultionis angebat, per malitiæ et immoderationis vinculum astringebat. Itaque quoniam, sicut ab Apostolo dictum est, *insipiens factus sum, vos me coegistis*, et iterum in Actibus apostolorum ad Judæos, *quoniam indignos vos judicastis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes*, sic, quia idem Hugo indignum se D conversionis et concordiæ judicavit, Gerardus Cameracensis episcopus cum comite Flandrensi ad convincendam Hugonis malitiam fœdus iniit. Unde episcopum Cameracensem Gerardum cum Hugone concordiam facere absque comite Flandrensi nulla æquitatis ratio permisit, nec nos sane eum nihilominus nisi excommunicatum habuimus. At vero si voluntatis ipsius esset, et Cameracensem episcopum Remis in præsentia nostra ad justitiam faciendam et recipiendam ab ipso termino congruente paratum haberemus, et nos similiter utrorumque rationes æqua judicii et misericordiæ lance penderemus, et in omnibus modum observare non dissimularemus. Per vos autem solum ad emendationem venire nec solam excommunicationis vestræ sententiam vereri debet, cum et parochianus episcopi Cameracensis esse dignoscitur, et Inciacum, per quod hanc exercet malitiam, in episcopatu Cameracensi positum sit. Valete, et quod camite Flandrensi egeritis nobis rescribite.

EPISTOLA V.

POPPONIS METENSIS EPISCOPI AD LAMBERTUM.

Domino Lamberto fratri et amico Atrebatensi episcopo, Poppo, Dei gratia Mediomatricæ urbis episcopus, munus dilectionis et orationis in Domino.

Perlectis sanctitatis vestræ litteris, pro commisso nobis clerico gratias vobis digne reddimus, sed notavi cur dignitas vestra familiaritatis et orationis vicem infirmitati nostræ rescribere reticuisset, cum sit apostolica veritate prolatum: *Orate pro invicem ut salvemini.* Submoneo igitur religionis vestræ celsitudinem ut orationes vestras atque societatem Dei genitricis Ecclesiæ degentium rescribere non recusetis. Hæc sunt enim quæ a vobis sperabamus, hæc sunt quibus æterno Regi debemus invicem feliciter commendari. Valeat sanctitas vestra. Visitet nos oriens ex alto.

EPISTOLA VI.

IVONIS CARNOTENSIS EPISCOPI AD LAMBERTUM.

Lamberto, Dei gratia Atrebatensium episcopo, Ivo, Carnotensis Ecclesiæ servus, sinceræ dilectionis et devotæ orationis munus.

Si tanta esset nobis vicinitas locorum quanta est animorum, etc., *ut apud Ivonem Carnotensem, epist.* 33.

EPISTOLA VII.

GUILLELMI ROTHOMAGENSIS ARCHIEPISCOPI AD LAMBERTUM.

Guillelmus Ecclesiæ Rothomagensis archiepiscopus cum cæteris ejusdem Ecclesiæ clericis, Lamberto Atrebatensis Ecclesiæ episcopo non incommode præsidenti, salutem cum oratione.

Richardum a me in sacerdotem sub Christi clementia ordinatum tuæ commendo paternitati. Eum sub tui custodia nullis precor sinas subjacere vel lacerari terroribus.

EPISTOLA VIII.

MANASSIS ARCHIDIACONI ET CLERI REMENSIS AD LAMBERTUM.

Reverentissimo domino et Patri Lamberto sanctæ Atrebatensis Ecclesiæ episcopo, R. et Manasses archidiaconi, L. decanus, R. cantor, et universus Remensis clerus et populus, salutem et auxilium a Domino Jesu.

Charitati vestræ insinuare commodum putavimus reverentissimum patrem et Dominum nostrum Rainoldum archiepiscopum XII Kal. Februarii cum triumpho gloriæ viam universæ carnis ingressum esse. Unde sanctitatem vestram obnixe exoratam volumus ut ex debitæ charitatis prærogativa orationum et auxiliorum vestrorum dexteram ei por-

rigatis, atque in omnibus locis quibus vos præesse voluit dispositio divina hoc idem fieri præcipientes, diem depositionis ejus memoriter scribi faciatis. Cæterum cum tanti Patris ac protectoris Ecclesia nostra defensione viduata magnis cœpisset laborare periculis, sed et inimici Dei undique terrarum sedentes in insidiis innumeris persecutionibus publice et privatim eam impugnare conarentur, per spiritum consilii finem divina misericordia precibus nostris concessit, quæ non patitur nos gravari supra quam possumus, proventum faciens cum tentatione ut sustinere possimus. Secundum itaque sanctorum canonum auctoritatem et ecclesiasticam consuetudinem dominum nostrum Manassem Ecclesiæ nostræ præpositum apprime nobis cognitum, cooperante gratia Spiritus sancti omniumque pariter prosequente petitione, in archiepiscopum nobis rapuimus, dominumque nobis ipsum irrefragabiliter constituimus, quippe quem ferventiori studio erga nos et omnem Ecclesiam hactenus exardere plurimum congratulati sumus. Hic siquidem, ut quantum in terris est omnium exspectatissimus, quanto in ipsius inquisitione immoramur, tanto in oculis omnium nostrum gratiosior apparet. Nihil enim aliud est quam ex omnibus bonis quædam perfecta collecta perfectio. Unde, sicut de beato Martino legitur, nos eum potius contigit rapuisse quam elegisse. Et vestra igitur benignitas et dominatio tum pro ejus honestatis et religionis magnitudine, tum pro petitionis nostræ reverentia, electionem ipsius cum omni devotione suscipiat et confirmet, et ad ea quæ oportet agenda vestrum ei auxilium largiatur; quatenus et de profectu animarum et bonorum operum consummatione nostra per vos Remensis gaudeat Ecclesia. Valete. Obiit domnus Raynoldus venerabilis Remorum archiepiscopus anno Dei Christi millesimo nonagesimo quinto, XII Kal. Februarii.

EPISTOLA IX.

LAMBERTI AD R. ET M. ARCHIDIACONOS ET CLERUM AC POPULUM REMENSEM.

Reverendis Patribus et dominis R. et M. archidiaconibus, L. decano, R. cantori, et universo sanctæ Remensis Ecclesiæ clero et populo, LAMBERTUS, Dei miseratione Atrebatensis episcopus sanctitatis, eorum servus et salutis amator, æternam in Domino salutem.

Scire volumus dilectionem vestram quoniam prius quam a vobis disceremus diem obitus venerandi Patris nostri domni Rainoldi archiepiscopi, et in nostra Ecclesia et apud Sanctum Vedastum fieri fecimus (officium) et per diœcesim nostram ut fiat per congregationes et monachorum et clericorum instabimus. Super electione domni Manasse Remensis Ecclesiæ præpositi laudabiliter honorandi et honorabiliter laudandi vobis, sicut patribus nostris, sicut dominis nostris congaudemus, et congaudendo, Deum, qui est verum gaudium omnium fidelium, exoramus quatenus hoc bonum opus ipse qui incœpit perficiat. Electioni isti a vobis factæ de persona natalibus et moribus honesta, sicut canonicum est, et libenter assensum præbemus, et cætera quæ sanctæ Remensi Ecclesiæ debemus pro paupertate nostra et pro religione vestra parati sumus in misericordia Dei vobis exhibere. Reverendissimi Patres et domini mei, bene valete in Spiritu sancto paracleto, et pro me sanctitatis vestræ servo orare non dedignemini.

Data Atrebati IV, Nonas Februarii.

EPISTOLA X.

URBANI II PAPÆ AD SUFFRAGANEOS ECCLESIÆ REMENSIS.

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectissimis confratribus et consacerdotibus Remensis Ecclesiæ suffraganeis, salutem et apostolicam benedictionem.

Defuncto venerabili confratre nostro, etc. *Vide in Urbano II, Patrologiæ t. CLI.*

EPISTOLA XI.

MANASSIS REMENSIS ELECTI AD LAMBERTUM.

MANASSES, Dei gratia Remensis electus, LAMBERTO, eadem gratia Atrebatensium episcopo, salutem et obsequium.

Convenientibus in unum voto meo et apostolico præcepto scribo tibi, dilecte mi, ut remoto omni impedimento, omni occasione posthabita, usque ad quintam feriam primæ hebdomadis quadragesimæ complexibus dilectionis nostræ te ingeras, te præsentes. Promoveri enim ad diaconatum et sacerdotium per impositionem manuum tuarum ardeo et clamo. Venias autem paucis comitantibus, sicut te facturum mihi nuntiavit abbas Sancti Dionysii. Nec hoc dico ut parcam marsupio, sed quia cum pauco comitatu inimicorum terras quietus spero te mecum ad papam transiturum. Communico autem tibi gaudium meum domnum papam et universos qui secum sunt electioni meæ congaudere, auctoritate qua vigent eam roborare, in nullo apostolicum brachium se mihi contrahere. Vale.

EPISTOLA XII.

URBANI II PAPÆ AD CLERUM, MILITES ET PLEBEM REMENSEM.

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis clero, ordini, militibus et plebi Remis consistentibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Affectionis quidem nostræ viscera, etc. *Vide ubi supra.*

EPISTOLA XIII.

URBANI II PAPÆ AD MANASSEM.

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio MANASSI, Remensium electo, salutem et apostolicam benedictionem.

Omnipotenti Deo gratias agimus, etc. *Vide ubi supra.*

EPISTOLA XIV.

URBANI II AD SUFFRAGANEOS ECCLESIÆ REMENSIS.

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis fratribus et coepiscopis HUGONI Suessionensi, LAMBERTO Atrebatensi, PHILIPPO Catalaunensi, GERARDO

Morinensi, cæterisque Remensis Ecclesiæ suffraganeis, salutem et apostolicam benedictionem.

Scripsimus nuper fraternitati vestræ, etc. *Vide ubi supra.*

Tali ergo tamque valida apostolicæ auitoritatis et confirmationis astipulatione Remis in ecclesia beatæ Mariæ semper Virginis dominæ nostræ ordinatur domnus Manasses electus archiepiscopus Nonis Martii, prima videlicet tunc temporis Quadragesimæ hebdomada a domno Lamberto Attrebatensi episcopo in diaconum. Sabbato autem medianæ Quadragesimæ a domno Hugone venerabili Suessorum episcopo ordinatur et presbyter in prædicta beatæ Mariæ ecclesia. Et in subsequenti Dominica, Judica me, Deus, *consecratur apud Sanctum Remigium per manus ejusdem domni Hugonis Suessionensis episcopi archiepiscopus, astantibus et manus ei imponentibus domno Elinando Laudunensi episcopo, Rabbodo Noviomensi episcopo, Gerewino Ambianensi episcopo, Lamberto Atrebatensi episcopo, Liettoldo Silvanectensi episcopo. Hoc ordine et modo perficitur ordinatio et consecratio domni Manassis Remensis archiepiscopi anno Dei Christi millesimo nonagesimo quinto, quarto Kal. Aprilis.*

EPISTOLA XV.

POPONIS METENSIS EPISCOPI AD LAMBERTUM.

POPPO, per misericordiam Dei Metensis episcopus, dilecto Patri LAMBERTO Attrebatensium gratia Dei episcopo, debitum charitatis in omnibus.

Dilectissimi fratres nobis litteras ostenderunt qaas eis misistis; quibus concessimus quidquid rogastis secundum petitionem et eorum voluntatem. Nos itaque suppliciter oramus participes fieri in vestris orationibus, sicut scripsistis nostris fratribus, ut ex mutua dilectione invigilantes communi saluti, tandem valeamus æterna beatitudine perfrui. Rogamus etiam obnixe vestram benignitatem ut nos apud viros religiosos in nostra persona intime commendetis et apud dominum papam, et ubicunque opus fuerit nos et nostram Ecclesiam, ut in vobis confidimus, in consilio et auxilio sustineatis et defensione, si oportuerit. De nobis vero certus estote per omnia in quibuscunque poterimus nos præbere vobis necessarium ad vestrum honorem et utilitatem dignam. Valete.

EPISTOLA XVI.

ROBERTI PERONENSIS ET UXORIS EJUS AD LAMBERTUM.

LAMBERTO, Dei gratia Atrebatensium episcopo, ROBERTUS Peronensis et uxor sua, debitam dilectionem et subjectionem.

Charitatem vestram piissime deprecamur ut his burgensibus meis cum vino ad Atrebatum tendentibus, quibus Arnulfus et Radulfus de Batpalmis in præterita hebdomada, pacis soluto fœdere, vinum suum abstulerunt, aut sua reddere faciatis, aut vestrum officium impleatis. Valete.

EPISTOLA XVII.

MANASSIS REMENSIS AD LAMBERTUM.

MANASSES, Dei gratia Remorum archiepiscopus, frarit LAMBERTO Attrebatensi episcopo, salutis dilectionis plurimum in Domino.

Domnum Manassem Cameracensem electum in octavis Pentecostes, frater charissime, in episcopum Remis consecraturi sumus, ad cujus consecrationem fraternitatis tuæ præsentiam invitamus, vobis denuntiantes Atrebatensi Ecclesiæ utilissimum fore vos ejus consecrationi interesse. Querela enim illa quam Cameracensis Ecclesia adversus Atrebatensem Ecclesiam habet multum infirmabitur, si illius consecrationi præsentia vestra cooperatrix et testis exhibeatur. Vestræ præterea dilectioni occultum esse nolumus quia quarto post consecrationem feria nos et Flandrensis comes mediante Ansello de Ribomonte Cameracum conventuri sumus, ut ejecta peste illa de Cameracensi Ecclesia consecratum nostrum in sedem suam in Deo propitio constituamus. Vestra igitur vigilantia comitem adeat, quibus potest persuasionibus eum compellat ut Cameracensi Ecclesiæ compatiens schismaticum illum ejiciendo subveniat. Valete.

EPISTOLA XVIII.

LAMBERTI AD EVRARDUM TORNACENSEM ADVOCATUM.

Dilecto domino, amico et parochiano suo EVRARDO Fornacensi advocato, LAMBERTUS Dei miseratione Atrebatensis episcopus, æternam in Domino salutem.

Si sciretis quanta qualique pœna puniendi sunt filii qui contra sanctorum Patrum et canonum decreta decimas, et oblationes altarium, quæ solis clericis debentur, usurpant, nequaquam altare Sanctæ Mariæ de Castello usurpare præsumeretis. Quapropter recordamini filiorum Core perditionem, qui, usurpantes ea quæ sacerdotibus debebantur, terra eos deglutiente vivi absorpti sunt. Saul quoque rex, quia officium sacrificandi sibi usurpavit, et regnum et vitam a Deo damnatus perdidit. Ozias quoque rex simili de causa a Deo lepra percussus est. Igitur, sicut vestrum non est nec cujuslibet laici in Ecclesia Dei prædicare, baptizare, confessiones suscipere, pœnitentias dare, aut sacrificare, ita nullius vestrum est decimas et oblationes altarium sibi vindicare. Quapropter mandamus dilectioni vestræ ut supradictum altare in pace nobis et reddatis et tenere permittatis. Quod si facere nolueritis, sicut in conciliis constitutum est, divinum ibi fieri officium interdicemus. Valete, et quæ Dei sunt facite.

EPISTOLA XIX.

MANASSIS REMENLIS AD CLERICOS ET ALELMUM DE PASSO.

MANASSES, Dei gratia Remorum archiepiscopus, clericis et ALELMO DE PASSO, ab errore converti.

Quoniam contempto apostolico decreto, dilectissimo confratri et coepiscopo Lamberto Atrebatensi obedire contempsistis, excommunicationem ab eo in vos factam et apostolica auctoritate corroboratam metropolitana auctoritate prosequimur et confirmamus. Præcipimus ergo vobis ut infra octo dies postquam has litteras videritis ante prædicti confra-

tris nostri præsentiam condignam satisfactionem pro vestra tam audaci rebellione facturi vos præsentetis, et deinceps ei tanquam Patri et episcopo omnino obediatis.

EPISTOLA XX.

MANASSIS AD CLERUM, PRIMATES ET PLEBEM CAMERACENSEM.

MANASSES, Dei gratia Remorum archiepiscopus, universis abbatibus, archidiaconis, decanis, et omn clero Cameracensi, comiti B., comiti G. A. T. de Avesnis, cum cæteris primatibus et universo populo Cameracensis Ecclesiæ, salutem.

Credimus Cameracensis Ecclesiæ miseriam et afflictionem vos jam a multis retro diebus respexisse qua omnium iniquorum diabolus per maledictum illum Gualcherium, cui satellitii sui multam manum accommodat, exercuit et exercet. Credimus etiam ejus Ecclesiæ lacrymis vos condescendere et compati tanquam viros misericordiæ, tanquam filios obedientiæ, tanquam eos qui cum Christi sint, conventionem non habent ad Belial; cujus Ecclesiæ filios propter obedientiam domni papæ, propter nostrorum et matris suæ Remensis Ecclesiæ custodiam mandatorum, in omni egestate et nuditate a sedibus suis per maledictum illum pulsos Remis ad nos confugientes in ea qua debuimus charitate suscepimus, diemque illis præfiximus quo domnum Manassem electum suum consecraremus, et e vestigio consecrationis ad vos illum adduceremus, et in manibus vestris tanquam pastorem animarum vestrarum deponeremus. Sed, quia series hujus negotii præsentiam dilecti filii nostri comitis Flandrensium habebat pernecessariam, eum autem, quia aberat, super his ante hac convenire fas non fuit, dilata est ad breve Cameracensis electi quam præfixeramus consecratio. Ut autem interim Cameracensium filiorum nostrorum mederemur desolationi, ex eorumdem postulatione et confratrum nostrorum judicio ad hæc confugimus remedia. Potestatem ligandi et solvendi et omne episcopale officium in Cameracensi episcopio administrandi ex apostolica auctoritate et nostra Atrebatensi episcopo contradidimus, etsi reluctandi, eumque in privilegio hujus auctoritatis ad vos remittimus reportantem humeris suis, humeris misericordiæ, dispersionem sibi creditarum ovium. Unde vos, dilectissimi, in spiritu misericordiæ, in spiritu compassionis convenio et apostolica auctoritate et nostra præcipiendo obtestor ut et episcopo, cui commisimus omnem subjectionem exhibeatis, et Cameracensibus clericis propter custodiam mandatorum Dei a sedibus suis pulsi cum omni integritate et quiete habere faciatis quidquid de rebus Cameracensis episcopii et communitatis fratrum et illorum schismaticorum, qui adhuc cum illo Satanæ membro Cameraci remorantur, in comitatibus vestris seu in virtute vestra alicubi situm est. Hoc autem in remissionem peccatorum vestrorum vobis præcipiendo præcipio. Reminiscimini, filii, quia in hanc causam gladium portatis. Pensate, dilectissimi, quia hæc est via in eam quæ cœlestis est Jerusalem. Venite, filii, audite me, quia hic est timor Dei quem doceo vos. Valete.

EPISTOLA XXI.

HUGONIS LUGDUNENSIS EPISCOPI AD LAMBERTUM.

HUGO, sanctæ Lugdunensis Ecclesiæ servus, reverentissimo fratri LAMBERTO Atrebatensi episcopo, salutem.

Curamus innotescere vestræ dilectioni sororem nostram in Christo Emmam, etc. *Vide in Hugone Lugdunensi, Patrologiæ t. CLVII.*

EPISTOLA XXII.

HUGONIS SUESSIONENSIS AD LAMBERTUM.

LAMBERTO, Dei gratia Atrebatensium episcopo, HUGO Suessorum episcopus, salutem et in Christo dilectionem.

Mitto fraternitati vestræ istum parochianum nostrum Herimarum nomine, ut ei denarios de quatuor carratis vini, quos Gormarus et Reinerus filius ejus debent et injuste detinent, reddi faciatis. Audivimus illum velle ire Jerusalem. Sed prohibeat paternitatis vestræ prudentia ne pecuniam istius secum deferat. De rapina enim non est facienda eleemosyna. Istud etiam prohibitum esse scitis a domino papa, ne quis in hac via alterius substantiam deferat. Præcor igitur dilectionem vestram quod, nisi debitum reddiderint, justitiam de eis quæ pertinet ad vos pro amore meo huic faciatis. Valete.

EPISTOLA XXIII.

RADBODONIS TORNACENSIS AD LAMBERTUM.

LAMBERTO Dei gratia Atrebatensium venerabili episcopo, RADBODO humilis Tornacensium præsul, salutem et dilectionem in Domino.

Antiquus humani generis inimicus invidiæ facibus accensus pacem Ecclesiæ, quam suis fraudibus nocivam intelligit esse, omni conatu nititur perturbare. Sed illi, episcopos dico, quibus commissus est baculus ad tuendum Christianum ovile, incursantes lupos a dominicarum ovium læsione debent arcere. Nec solum specialiter nobis commissis justum est nos custodire, curam impendere, verum etiam alienis charitatis affectu et pietatis studio oportet invigilare. Moveat igitur pietatem vestram monachorum sancti Amandi lacrymabilis querimonia et injustissime a subditis nostris eis illata exsecrabilis injuria. Nuper etenim mihi per eos transeunti non sine multa animi contritione et copiosa lacrymarum effusione, gemitu etiam ab intimis penetralibus educto verba interrumpente, conquesti sunt terrarum suarum violentas deprædationes, hominum sævissimas verberationes, pœnales incarnationes, et usque ad novissimum quadrantem intolerabiles redemptiones; quæ omnia inferri sibi ab Anselmo et ejus dapifero Rainero lacrymabiliter ingemiscunt. Ego autem hæc audiens de pravitate vestri parochiani doleo, dolens reclamo, reclamans consilium et auxilium vestrum supplex imploro, scilicet ut eum ad satisfaciendum propria excommunicatione compellatis, et mihi eum excommunicandi licentiam concedatis;

qui nisi ad satisfactionem venerit, monachi et sanctorum reliquiis in terram depositis in hujus rei ultionem Deum invocabunt, et Anselmum cum suis fautoribus maledictionibus et exsecrationibus anathematizabunt. Valete.

EPISTOLA XXIV.

MANASSIS CAMERACENSIS AD LAMBERTUM.

LAMBERTO, Dei gratia Atrebatensium episcopo, MANASSES eadem gratia Cameracensium episcopus, salutem et mutuam dilectionem in Christo.

Amorem et fraternitatem tuam deprecor quatenus benedictionem ecclesiarum et reconciliationem per præsentem legatum mihi mittas. Ego enim instanti die dominica, Dei annuente clementia, ecclesiam consecrare disposui, et ut amicus ab amico officio nostro necessaria a te quærere non dubitavi. Vale.

EPISTOLA XXV.

LAMBERTI AD FRATRES WATINENSIS MONASTERII.

LAMBERTUS, Dei miseratione Atrebatensis episcopus, domno BERNOLDO præposito, RICHOARDO decano, cæterisque Watinensis monasterii fratribus, omnia honeste et secundum ordinem facere.

Cum liqueat sanctorum canonum auctoritatibus aliquem clericum in alterius episcopatu sine commendatitiis episcopi sui litteris non pergere nec debere recipi, miramur prudentiam vestram satis et super non debentem transgredi sed conservare canones, Ecclesiæ nostræ thesaurum, domnum scilicet Achardum filium nostrum et Sanctæ Mariæ præpositum, tam incidenter tamque illicite rapuisse. Perpendentes itaque patrem nostrum Damasum papam in hujusmodi violatores auctoritatem quæ vos non latet sententiam dantem, dilectum fratrem nostrum, quem contra fas et causa rationabili carentem, et cum necesse non sit canonicum fieri, canonicum quem male et inhoneste recepisti, bene et honeste usque ad Dominicam *Populus Sion* reddendum procurate. Fratrem vero Achardum vobis testibus sicut canonicum convenimus quatenus usque ad eumdem terminum pro tam gravi culpa satisfacturus adveniat. Sin autem Scripturarum auctoritatibus nostrique metropolitani et coepiscoporum nostrorum consilio positi quæ ei convenit sententiæ gladium in eum exeremus, vosque pro inobedientibus Spiritui sancto, cui contraire nefas est, deinceps habebimus.

EPISTOLA XXVI.

GERARDI MORINORUM EPISCOPI AD LAMBERTUM.

Domino ac venerabili LAMBERTO Atrebatensi episcopo, GERARDUS Morinorum episcopus, salutem in Domino Jesu.

Mittimus clericum istum Tainboldum nomine vestræ sanctitati quatenus eum ad ordinem sacerdotii promoveatis. Valete.

EPISTOLA XXVII.

HUGONIS SUESSIONENSIS EPISCOPI ET ANSELLI BELVACENSIS ELECTI AD LAMBERTUM.

LAMBERTO, Dei gratia Atrebatensi episcopo, HUGO gratia Dei Suessionensis episcopus et ANSELLUS Belvacensis electus, salutem in Domino Jesu.

De negotiis nostris familiariter, utpote consanguinei et amici, tractantes, summam consiliorum et actuum nostrorum a te dirigendam in honestum finem obnixius exposcimus, quem eminenti sapientia præditum in multis magnisque consultationibus cognovimus. Et quoniam tibi familiariter loqui volumus, nec litteris omnia explicare sufficimus, precamur benignitatem tuam ut in oppidum nobis occurras quod Mirelli mons dicitur, et in tua diœcesi situm tuæ urbi proximum habetur, XVI. Kal. Januarii primo diluculo adesto nobis. Vale.

EPISTOLA XXVIII.

GENEWINI AMBIANENSIS AD LAMBERTUM.

GEREWINUS, Dei gratia Ambianensium episcopus, venerabili LAMBERTO Atrebatensium præsuli, cum Christo perenniter gloriari.

Ex precatu domni Hugonis Cluniacensis abbatis, cui a cunctis fidelibus obtemperandum, vestræ mandamus fraternitati quatenus hos quatuor monachos cum uno clerico ordinibus quos petierint vice nostra sublimetis. Non enim ad præsens, quibusdam obsistentibus causis, ordines facere disposui. Vale.

EPISTOLA XXIX.

LAMBERTI AD GERARDUM MORINENSEM EPISCOPUM.

Honorabili domino GERARDO, Dei gratia Morinensi episcopo, LAMBERTUS, Dei miseratione Atrebatensis episcopus, æternam in Domino salutem.

Reverentiæ vestræ auctoritatem in Adventu Domini adientes, conquesti sumus super domno Achardo præposito et canonico nostro quod inobediendo a nobis recedens in vestro episcopatu non canonice detinetur, et ut nobis restitueretur, nec a quoquam vestra permissione ordinaretur, ut auctoritas exigit, plurimum precati sumus; unde vestra prudentia nos conclamantes minime exaudivit. Nunc vero per præsentes litteras nostras vestram misericordiam convenire fraterna pietate cogimur, precantes ut ovem nostram, quæ inobediendo a grege deviavit, usque ad sancti Pauli Conversionem auctoritate vestra reddi præcipiatis. Sin autem, sciatis nos in præsentia magistrorum nostrorum exinde proclamaturos et justitiam Deo auxiliante consecuturos. Quid de hujusmodi clericis episcopis suis inobedientibus et ad alias Ecclesias transmigrantibus Leo magnus papa et doctor decreverit advertere sicut professi sumus, non negligamus. Ait enim: *Alienum clericum invito episcopo suo nemo suscipiat, nemo sollicitet, nisi forte ex placito charitatis id inter dantem accipientemque conveniat. Nam gravis injuriæ reus est qui de fratris Ecclesia id quod est utilius aut pretiosius audet vel abjicere vel tenere. Itaque si intra provinciam res agitur, transfugam clericum ad Ecclesiam suam metropolitanus compellet redire.* Item de eodem in concilio Carthaginensi, cap. 20, ut clericum alienum nisi concedente proprio episcopo nemo audeat vel retinere vel promovere in Ecclesia sibi credita. Item

perpendere debemus ex auctoritate ejusdem concilii, cap. 15, ut laici contemptores canonum excommunicentur, clerici vero honore priventur. Cum igitur sanctorum auctoritas laicos contemptores canonum excommunicet, clericos vero honore privet, miramur, vero nec nobis nec Ecclesiæ nostræ, matri vestræ, adhuc quod fraternum et episcopale est fecisse. Bene valete.

EPISTOLA XXX.

HUGONIS SUESSIONENSIS AD LAMBERTUM.

Dilectissimo confratri, imo Patri, LAMBERTO, Atrebatensium venerabili episcopo, HUGO Dei gratia Suessorum episcopus, salutem et gloriam in Domino.

Ab illo rebelli et sacrilego Sancti-Medardensis, non abbate, sed invasore, post primam injuriam iterum injuriari et indignius contemni me coram vestra dilectione ingemisco. Nam quo modo Remis vestro aliorumque coepiscoporum decreto firmatum fuit ad satisfaciendum mihi sprevit. Vestram igitur maximam mihi et charissimam fraternitatem peto ut secundum quod de inobediente et perverso faciendum fore condecrevistis, furem illum et latronem et non pœnitentem et a me excommunicatum excommunicetis. In idipsum namque opem vestram mihi pariter promisistis. Vale. Hoc ergo die instantis Cœnæ Dominicæ quæso faciatis.

EPISTOLA XXXI.

LAMBERTI AD CLEMENTIAM FLANDRIÆ COMITISSAM.

LAMBERTUS, Dei miseratione Atrebatensis episcopus, honorabili dominæ suæ CLEMENTIÆ, Flandrensium comitissæ, salutem et obsequium cum orationibus.

Nobilitati vestræ notum fieri volumus quosdam peregrinos parochianos nostros Roma venientes omnes extraneas terras quiete transisse. Tandem in vestra terra pervenientes a præposito vestro G. apud Batpalmas deprædati sunt. Nos vero ministerium quod ad nos pertinet facere volentes, mandavimus ei ut libere vel per fidejussionem quod injuste in pace abstulerat redderet. Illum hoc facere renuentem in Cœna Domini excommunicavimus. Nunc autem misericordiam vestram exoramus ut secundum pacem istiusmodi hominem tractetis et peregrinis sua reddi faciatis. Quod si redditum non fuerit, nos statuta pacis mutare non valentes, totum castrum in quo hoc facinus et alia multa facinora acta sunt in bannum mittemus. Vale.

EPISTOLA XXXII.

HUGONIS SUESSIONENSIS AD LAMBERTUM.

Reverendo et diligendo domino suo LAMBERTO, Atrebatensium episcopo, HUGO, Dei gratia Suessorum episcopus, in Christo salutem et obsequium.

Frequenter et multum expertus sum dilectionem vestram nobis satis benevolam esse satisque prodesse; sed in eo quod maxime actum est negotio de Sancti-Medardensi abbate, quatenus mihi adjutor fueritis, res ipsa consilio et auxilio vestro composita indicio est. Nosse enim vos volo quod ille abbas supplex nos adiit, peccasse se confitens; quem absolvi petentem absolvimus, et remissa nobis a veteri abbate illius monasterii cura et baculo pastorali, et præsentata nobis electione de ipso Radulfo abbatem fecimus. Sed antequam hæc perficerentur, rex litteris ad me missis se agitationem hanc moleste ferre ostendebat, et adjurabat me, atque ad colloquium, et orationem vocabat; cujus aversionem volens declinare, sic illa peregimus nostri juris plenitudine roborata. Itaque quæso ut eum emendatum et absolutum absolvatis. Valete.

EPISTOLA XXXIII.

MANASSIS REMENSIS AD LAMBERTUM.

MANASSES, Dei gratia Remorum archiepiscopus, LAMBERTO, eadem gratia Atrebatensis Ecclesiæ episcopo, salutem ac plenæ felicitatis statum.

Noverit dilectio vestra, frater in Christo amantissime, domnum Ingelrannum Laudunensis Ecclesiæ episcopum cum gratia et assensu ordinandi et in episcopum consecrandi domum Ansellum Belvacensis Ecclesiæ electum ab archiepiscopo Lugdunensi regressum esse. Ne igitur diutius Belvacensis Ecclesia officiorum episcopalium privetur administratione, ea qua præsidemus vos monemus auctoritate ne a præfata electi persona quod vestri est officii dissimulatione aliqua subtrahatis, sed omni quæ obesse potest procul ablegata occasione, hac quæ post octavas Pentecostes proxime instat Dominica ejus consecrationi Remis interesse memineritis. Valete.

EPISTOLA XXXIV.

LAMBERTI AD URBANUM PAPAM.

Reverentissimo domino et Patri patrum papæ URBANO, LAMBERTUS, sanctæ Atrebatensis Ecclesiæ servus inutilis, debitam subjectionem cum orationibus.

Scire volumus sanctitatem vestram nos et provinciæ nostræ abbates et coepiscopos Remis pro quibusdam ecclesiasticis negotiis convocatos a metropolitano nostro; ubi inter cætera negotia reclamavit domnus B. abbas Majoris Monasterii animam fratris et filii sui Roberti, abbatis monasterii Sancti Remigii, contestans in verbo veritatis quod eum nec per se nec per personam ab eo missam Remensi Ecclesiæ omnino liberum nisi salva professione et subjectione Majoris Monasterii contradiderit, quod ita constare domnus Remensis archiepiscopus protestatus est. Adjecit etiam abbas quod cum plura de prædicto Roberto abbate inordinata et irregularia audisset fieri, primo eum per epistolam, postmodum vero per idoneas personas sub nomine obedientiæ commonefecerit quatenus in determinato sibi die et tempore responsurus de vita et conversatione sua abbati se præsentaret in capitulo Majoris Monasterii, sin autem, daret abbas sententiam in eum tanquam in reum professionis et sanctæ regulæ contemptorem. Frater autem R. abbas hæc indicans domno archiepiscopo accepit ab eo consilium et præceptum ne aliquo modo vel occasione se erigeret contra patrem suum, abbatem videlicet Majoris Mo-

nasterii : quod si facere præsumpsisset, qualem in A eum prædictus abbas daret sententiam domnus archiepiscopus collaudaret et confirmaret. Cum vero in præfixo termino, sicut ei constitutum fuerat, Majori Monasterio se non præsentasset, dedit in eum abbas Majoris Monasterii excommunicationis sententiam. Super omnibus his ab archiepiscopo nostro commoniti, cum Robertus verbis abbatis sui canonica ratione contraire nequivisset, judicatum est ab episcopis et abbatibus alterius monachum ab archiepiscopo non esse retinendum, sed prorsus in potestatem abbatis sui redigendum. Ille autem hoc audiens avertit se a judicio justitiæ, et nos et coepiscopos cum abbatibus, ut subterfugeret disciplinam, ad apostolicam invitavit audientiam Cujus rei seriem propterea justitiæ vestræ descripsimus ut si B forte inobediens et excommunicatus iste ad vos venerit, non audiatis contra judicium episcoporum, contra religionem abbatum ; sed ut sententia eorum vestra auctoritate robur obtineat, prostrati sanctitatis vestræ pedibus humiliter exoramus. Bene valete, reverentissime domine et Pater, et pro nobis in maximo periculo et dolore per obedientiam vestram constitutis orare non dedignemini.

EPISTOLA XXXV.

MANASSIS REMENSIS AD LAMBERTUM.

Manasses, Dei gratia Remorum archiepiscopus, Lamberto, eadem gratia Atrebatensis Ecclesiæ episcopo, salutem et dilectionem in Domino.

Morinensis Ecclesiæ congregatio ac Bernoldus abbas Guatinensis cum grege sibi credito Ecclesiæ C Guatinensis consecrationem pia devotione sitientes, et hujus officii exsequendi potestatem domno Gerardo Morinensi episcopo hoc tempore non esse concessam considerantes, a nobis, in cujus providentia nunc pastoris cura pendet, expetierunt quatenus hujus consecrationis officium alicui coepiscoporum nostrorum injungeremus. Nos vero, quia remotioribus episcopis aliquod in itinere impedimentum obtingere metuimus, diversa diversorum malefacta circumspicientes, vobis, quia cæteris vicinior estis, quia, ut speramus, sine impedimento illuc transire potestis, quia ipsius Ecclesiæ familiaris estis, hujus consecrationis officium injungimus, præcipientes quatenus præfatæ Ecclesiæ libertatem nostra fultus auctoritate firmetis in perpetuum secundum decreta et sanctiones canonum. Valete. D

EPISTOLA XXXVI.

LAMBERTI AD URBANUM PAPAM.

Reverentissimo domino et Patri patrum papæ Urbano, Lambertus, sanctæ Atrebatensis Ecclesiæ episcopus, servus inutilis, debitam cum orationibus obedientiam.

Dominus Gerardus, Morinensis episcopus, sperans apud sanctitatem vestram nos posse intercedere, ut pro eo vobis litteras nostras dirigeremus exoravit. Nos vero quid de causa ejus post Nemausense concilium definieritis ignorantes, sicut tunc, ita, et adhuc, ut ei secundum Deum faciatis misericordiam sanctitatem vestram ab eo rogati exoramus. Bene valete, reverentissime domine.

EPISTOLA XXXVII.

ANSELMI CANTUARIENSIS AD LAMBERTUM.

Anselmus archiepiscopus Cantuariæ, amico suo reverendo episcopo Atrebatensi Lamberto, salutem.

Precor sanctitatem vestram quatenus propter domni papæ amorem et nostrum faciatis conduci istum clericum ejus per episcopatum vestrum quantum vobis placet. Valete.

EPISTOLA XXXVIII.

HUGONIS LUGDUNENSIS EPISCOPI AD LAMBERTUM.

Venerabili fratri Lamberto Atrebatensi episcopo, Hugo, Lugdunensis Ecclesiæ servus, salutem.

Frater iste gerulus, etc. *Vide in Hugone Lugdunensi, Patrologiæ t. CLVII.*

EPISTOLA XXXIX.

LAMBERTI AD CLEMENTIAM FRANDRIÆ COMITISSAM.

Lambertus, Dei miseratione Atrebatensis episcopus, honorabili dominæ suæ Clementiæ, Flandrensium comitissæ, salutem et fidele servitium cum orationibus.

Domnus Manasses Remensis archiepiscopus nuper mihi misit litteras pro Morinensi Ecclesia, quibus injunxit ut vos arrationarem per nos vel litteras nostras de Roberto et de munitione ejus, per quam non desistit prædictam Ecclesiam et bona clericorum diripere et devastare, et quod inde responderetis rescire eum facerem in proxima Dominica quando cantabitur *Populus Sion*. Rogamus ergo excellentiam vestram et honestati vestræ consulimus quatenus sic juste et honeste archiepiscopo respondeatis ne in vobis aut culpam aut injustitiam pro Roberto contra Morinensem Ecclesiam matrem vestram aliquo modo inveniat. Bene valete in Domino semper. Amen.

EPISTOLA XL.

LAMBERTI AD GONFRIDUM LENSENSEM CASTELLANUM.

Lambertus, Dei miseratione Atrebatensis episcopus, honorabili domino et amico suo Gonfrido, Lensensi castellano, licet aliter merito, salutem et dilectionem cum orationibus.

Pervenit ad synodum nostram gravis clamor de vobis quod atrium de Lothes et terram ad ejusdem atrii ecclesiam pertinentem infregeritis, et homines, licet rei justitiæ vestræ fuerint, ut dicitur, inde nobis inconsultis, quod nullo modo vobis nec alicui terrenæ potestati facere licet, contra libertatem sanctæ Dei Ecclesiæ matris vestræ, contra excommunicationem atriorum et terrarum sanctuarii, contra pacem juratam, pro sola voluntate vestra res illorum vobis retinueritis. Unde multum miramur vos tam grande malum in partibus nostris fecisse, quod facere non soletis, cum in terra nativitatis vestræ semper legalem et bene modestum vos fuisse constiterit. Scire volumus vos quia Ozias rex Israel percussus est a Domino lepra perpetua pro eo quod officium pontificatus sibi usurpare præsumpsit. Similiter et Nabuchodonosor rex Babyloniæ quia non dedit glo-

riam Dei, creator omnium Deus duram et extra societatem humanam per septem annos sibi ab eo accepit vindictam. Quia igitur hæc et quæcunque scripta sunt juxta apostolum Paulum ad nostram doctrinam scripta sunt, per præsentes litteras nostras ad correctionem salutis vestræ in præsentia nostra vos invitamus, et eos qui vobis in tam perverso facto cooperatores fuerunt. Propterea vero synodalem suspendimus a vobis excommunicationis sententiam, quia vos et hujus operationis nequam magis desideramus humiliter salvari quam contumaciter et superbe damnari. Si igitur infra quindecim dies ab hodierna die visis litteris nostris juxta constitutionem libertatis et pacis atriorum et terrarum sanctuarii satisfacere Deo et nobis, quod absit, nolueritis, nos Salvatore omnium adjuvante, et sanctorum canonum severitate insinuante, et in eos quos jam vocavimus et bannivimus et in defensores eorum excommunicationem facere non tardabimus. Valete.

EPISTOLA XLI.

MANASSIS REMENSIS AD LAMBERTUM.

MANASSES, Dei gratia Remorum archiepiscopus dilecto confratri et sacerdoti suo LAMBERTO, eadem gratia Atrebatensium episcopo, salutem et dilectionis affluentiam.

Noviomensis Ecclesia pastoris sui solatio et debita sollicitudine se destitutam ingemiscens, et persecutionem quam interius exteriusque patitur lacrymabiliter nobis aperiens, factam de domno Baldrico cum magno cleri ac populi unanimitatis consensu electionem nobis præsentavit. Nos vero nihil in eo quod sacris obviet canonibus cognoscentes, et nostro eam assensu probavimus, et diem consecrationis illius Dominicam in octavis hujus instantis Pentecostes determinavimus ; ad quam, ut in electo quod vestri est officii compleatis, dilectionem vestram commonentes invitamus, quatenus omni quod obesse potest procul relegata occasione, die præfata Remis adesse memineritis. Ut nos tamen parte aliqua laboris nostri exoneretis, ita vos venturum quinta vel sexta feria volumus, ut pro nobis in Sabbato ordines faciatis. Valete.

EPISTOLA XLII.

R. NOVIOMENSIS DECANI AD LAMBERTUM.

Reverentissimo atque dilectissimo domino LAMBERTO Atrebatensium episcopo, R. Noviomensis Ecclesiæ decanus sibique subdita congregatio, fideles orationes, plurimumque dilectionis in Domino.

Noverit, domine, paternitas tua Ecclesiam nostram pastoris nostri defuncti viduatam solamine, multis in momento jactatam naufragiis, multis etiam persecutionum oppressam turbinibus, vix ad salutiferæ portum deductam consolationis. Sed quia Dei misericors providentia sperantium in se gemitus non despicit, plebis suæ miseriam dignatus est visitare, et electione pastoris Ecclesiam suam amissæ privilegio reformare lætitiæ. Habet enim communi cleri plebisque consilio et assensu pastorem non aliunde illatum, non alium, sed suum, suo profusum utero, quem gremio susceptum ipsa sibi lactavit, quem sibi ablactatum ipsamet educavit, et ad ipsis cunarum exordiis per ætatum et ordinum gradus sibi penitus vindicavit, ut habere gaudeat ex filio patrem, ex alumno rectorem, ex canonico suo et archidiacono Baldrico pontificem. Nullum namque in tota Ecclesia hac promotione cognoscimus digniorem. Vos itaque, Pater sanctissime, qui consolationem nostram, ut credimus, fraterna benevolentia diligitis, petimus quatenus super hac assensum vestrum domno nostro archiepiscopo transmittatis, et ad consecrandum pastorem vos nobis charitative solamen et auxilium exhibeatis. Valete.

EPISTOLA XLIII.

LAMBERTI AD MANASSEM REMENSEM.

Honorabili domino, et Patri charissimo MANASSE Dei gratia Remensi archiepiscopo. LAMBERTUS Dei miseratione Atrebatensis episcopus, æternam in Domino salutem.

Invitavit nos paternitas vestra sero nimium ad consecrationem Noviomensis electi, præsertim cum nobis nec copia rerum suppeditet, nec securitas viarum. Præterea reminiscemini quod dum jussistis et potuimus sine excusatione vobis et matri nostræ Remensi Ecclesiæ jam non semel, sed sæpe, servivimus et servire parati sumus. Sed quoniam in præsenti his quæ prædiximus et aliis quæ paternitati vestræ postmodum suggeremus impedimus, celsitunem vestram adversum nos non indignari precamur. Quidquid autem metropolitana auctoritas vestra quod sacris non obvie canonibus aut apostolicæ sedis præceptis faciendum decreverit, libenti animo laudamus et laudando confirmamus. Valete.

EPISTOLA XLIV.

GUIDONIS PONTIVORUM COMITIS AD LAMBERTUM.

LAMBERTO, Dei gratia Atrebatensi episcopo, et cognato suo, GUIDO Pontivorum comes, salutem et amicitiam.

Vestram humiliter obsecro pietatem ut septima feria Pentecostes Abbatisvillam venire dignemini, quoniam in crastina die Dominica debeo Ludowicum regis filium armis militaribus adornare et honorare et ad militiam promovere et ordinare. Precor itaque ut ad ipsum Ludovicum honorandum veniatis. Auctoritatem enim vestri consilii in hoc facto interesse desideravi. Igitur etsi propter ipsum Ludovicum venire refutatis, tamen propter me et propter cognationem inter vos et me habitam flagito ut venire dignemini : et propter remunerationem cujuscunque rei quam a me amodo impetrare valueritis rego ut in Sabbato Pentecostes veniatis. Valete.

EPISTOLA XLV.

CLEMENTIÆ FLANDRIÆ COMITISSÆ AD LAMBERTUM.

CLEMENTIA nutu Dei Flandriæ comitissa, LAMBERTO Atrebatensium episcopo suo charissimo, optata quæque in Domino.

Quoniam causa quæ inter me et Tarvanensis Ecclesiæ clericos tractatur tibi nota est, superfluum duxi iterum tibi referre. Verumtamen quia in te non

minimum confido, mando et ut amicum moneo quatenus archiepiscopo nuntium aut litteras cum meis mittas, moneas et suadeas ut de his qui mihi injuriam faciunt plenam justitiam faciat, et consilium mihi et honori meo condignum super his dare non differat, ne ejus justitia deficiente, opus sit mihi ad vindicandum manum extendere. Vale. A

EPISTOLA XLVI.

POPPONIS METENSIS EPISCOPI AD LAMBERTUM.

Totius reverentiæ dignissimo sanctæ Atrebatensis Ecclesiæ LAMBERTO episcopo, POPPO confrater et coepiscopus Metensis, perseverantiam in bonis operibus.

Quoniam a filiis nostræ Ecclesiæ comperimus magnum vos cum domno antecessore nostro Hermanno quodammodo amicitiæ inisse fœdus, cujus B vicis, licet indigni, fungimur officio, quia sic se nostræ rationis intulit occasio. idem pactum amicitiæ inter nos tanto amplius renovari magno optaremus desiderio quanto amplius nos indigere videmus auxilio. Per hujus enim copulationis gaudium magnum nobis provenire crederemus solatium, quoniam imbecillitati minus valentium, ut scripturæ sacræ confirmat auctoritas, multum prodest societas bonorum. Quod si unquam ad recompensandam eidem domno Hermanno copulam locum in quo ejus membra tumulata quiescunt adire decerneretis, non parva nobis cordis lætitia de vestro exhiberetur præsentia. Quia igitur ob persecutionis exsilia ad ordinationis complenda officia loca desunt opportuna, horum filiorum nostrorum pulsatus precibus, C eos vestræ dilectioni transmittere decrevimus, ut a vobis in proximo promoveantur consecrationum gradibus. Valete.

EPISTOLA XLVII.

PHILIPPI CATALAUNENSIS EPISCOPI AD LAMBERTUM.

LAMBERTO, Atrebatensi Ecclesiæ reverentissimo episcopo, PHILIPPUS Catalaunensis episcopus, stola immortalitatis indui.

Quoniam quidem nostrum est omnibus sanctæ Ecclesiæ filiis in neccessatibus subvenire, summopere pensandum nobis et illis consolationis] auxilium impendere quos ob timorem cœlestis patriæ mundi hujus credimus solatium deseruisse. Quapropter vestram, venerande Pater, exoramus charitatem ut hos fratres, quos venerabilis Poppo Metensis episcopus consecrationis causa ad nos direxit, D ad sacros ordines in episcopatu nostro, in Ecclesia videlicet omnium sanctorum promoveatis. Mihi etenim curis sæcularibus implicito fungi modo non licet hujusmodi officio. Vale.

EPISTOLA XLVIII.

URBANI II PAPÆ AD MANASSEM REMENSEM.

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, reverentissimo fratri et coepiscopo MANASSE, Remensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Quamvis clericorum Noviomensium litteras, etc. *Vide in Urbano II papa. Patrologiæ tom. CLI.*

EPISTOLA XLIX.

MANASSIS REMENSIS AD LAMBERTUM.

MANASSES, Dei gratia Remorum archiepiscopus, dilecto fratri et coepiscopo suo Lamberto Atrebatensi, salutem et omne gaudium.

Scire volumus, fratrer in Christo dilectissime, domnum papam electum Noviomensem domnum Baldricum cum litteris suis, ut quod et debetur impendamus, ad nos remisisse, nosque ipsi diem consecrationis in proxima videlicet Dominica post Theophaniam ad consilium nostræ Ecclesiæ statuisse. Ad hanc itaque ejus consecrationem fraternitatem vestram postposita omni occasione præsentibus invitamus, ut die prædicta debitum ei nobiscum impendatis. Valete.

EPISTOLA L.

EJUSDEM AD CLERUM ET POPULUM MORINENSEM.

MANASSES, Dei gratia Remorum archiepiscopus, clero ordini et populo Morinensi, salutem et dilectionem.

Noverit dilectio vestra, charissimi, quia domnus papa inter cætera præcepta sua nobis per episcopos nostros qui Roma regressi sunt transmissa, maxime de Ecclesia vestra nos providere præcepit ne diutius pastoris solatio destituta remaneat, sed eum sine dilatione consequatur. Quocirca vobis tanquam filiis ea qua præsumus auctoritate præcipimus quatenus sexta feria proxime instanti domnum Joannem cujus electionem domnus papa et Romanum coucilium approbat et confirmat, Atrebatensi episcopo, cui illum promovere in sacerdotem vice nostra præcipimus, nolentes eum vobiscum ad nos usque defatigare, præsentetis, ut et nos ei quam citius consecrationis manum imponere possimus. Quod si causas prætenderitis, si dilationes afferre malueritis, habebit Dominus de manu vestra sanguinem populi sui reqnirere. Valete.

EPISTOLA LI.

CLERUS DT POPULUS TARVANENSIS AD LAMBERTUM.

Domino suo LAMBERTO Dei gratia Atrebatensium episcopo, universus clerus et populus Tarvanensiss in operibus bonis cooperationem Spiritus sancti.

Susceptis domini papæ litteris super confirmatione electionis domini Joannis Atrebatensis archidiaconi, eam corde et animo communiter approbamus, scientes eum boni testimonii virum ac tanto officio vita et conversatione idoneum. Et quoniam diutius ab episcopalibus officiis nostra carere non valet Ecclesia, supplicamus sanctitati vestræ ut pro periculo quod ipsi Ecclesiæ quotidie scitis imminere electum nostrum in sacerdotem promovendo vestra charitas acceleret succurrere, quatenus consequentes sine dilatione aliqua episcopalem consecrationem præstante Domino percipiat. Domini autem gratia eum super gregem illi committendum sic concedat vigilare ut ab ipso audire mereatur: *Euge, serve bone.* Valete.

EPISTOLA LII.

MANASSIS REMENSIS AD LAMBERTUM.

Domino et confratri suo LAMBERTO, Dei gratia

Atrebatensium episcopo, MANASSES Cameracensis Ecclesiæ episcopus, salutem et servitium.

Vestræ sanctitati notificamus ecclesiam de Ficano, quia proprio caret pastore, nimis esse desolatam; ad cujus consolationem fratres ejusdem cœnobii quemdam Aquicincti monachum nomine Taimbaldum in abbatem elegerunt, utque inde vestram paternitatem interpellaremus a nobis quæsierunt. Nos vero eorum precibus ex debito paternæ charitatis acquiescentes, mandamus vobis et in spiritu humilitatis deprecamur quatenus super tanta necessitate ad deliberandum monachum dignemini abbatem interpellare, et si justum et canonicum fuerit etiam per obedientiam constringere. Valete.

EPISTOLA LIII.

SIDÆ COMITISSÆ DE MONTIBUS AD LAMBETUM.

LAMBERTO, Dei gratia Atrebatensium episcopo, IDA comitissa de Montibus, salutem et obedientiam.

Vestram, dulcissime, fidenter expostulo paternitatem ut sicut in aliis mihi vos experta sum amicum utilem, ita in hoc negotio sentiam injustæ delationis excusatorem, ne ego aut terra mea sententia excommunicationis feriatur elaborate. De omnibus coram vobis præsto sum satisfacere. Valete.

EPISTOLA LIV.

PHILIPPI CATALAUNENSIS AD LAMBERTUM.

Domino et amico charissimo LAMBERTO venerabili Dei gratia Atrebatensi episcopo, PHILIPPUS, eadem gratia Catalaunensis episcopus, fidele servitium cum orationibus.

Quoniam ecclesiam Beati Memmii primi pastoris nostri XVII. Kal. Novembris cum divino auxilio dedicaturi sumus, ad hanc celebritatem fraternitatem vestram invitamus. Vos enim tantæ solemnitati interesse volumus, tum sanctitatis qua præeminetis excellentia, tum quia dilectionis pristinæ recreari volumus collocutione mutua. Rogat ergo vos beatus Memmius, rogamus et nos ea qua confidimus, de vobis dilectione ut humilitatem nostram sublimitas vestra visitare et prædictæ ecclesiæ consecrandæ non dedignetur adesse. Valete.

EPISTOLA LV.

R[OBERTI], S. REMIGII ABBATIS AD LAMBERTUM.

Domino suo LAMBERTO Atrebatensium Dei gratia episcopo, fratrer R., Sancti Remigii abbas expulsus, quod patri filius et domino servus.

Litteras judicii nostri quod Romæ factum fuit volumus vestræ paternitati transmittere, ut notum vobis sit me nullo unquam judicio depositum esse. Scire similiter volumus dilectionem vestram quæ verba papæ contra Ulricum protulerit cum me accusaret, hoc solum discens quia abbas Majoris Monasterii penitus a jugo suæ dominationis me non absolvisset. Testor Deum me vera dicturum, prout intellexit, et testimonio eorum qui mecum interfuerunt, scripto commendavi. Et si non dico easdem syllabas et compositam dictionem, dicam tamen æquipollentes et in ipsius narrationis compositionem. Ait ergo : *In tota serie sanctorum canonum archiabbatem nunquam invenimus adnotatum, quod utique fuisset, si abbas abbati præponi debuisset, sed, sicut nemo potest duobus dominis servire, sic nemo potest duabus professionibus obedire. Monachus enim ex quo est ab ecclesia sua emissus et in abbatem promotus, cujus est abbas ejus est et monachus.* Hæc dixit. Vos igitur perpendite quam recte egerit adversum me archiepiscopus noster, apud quem supplicamus vobis ut sitis intercessor noster.

EPISTOLA LVI.

MANASSIS REMENSIS AD LAMBETUM.

MANASSES, Dei gratia Remorum archiepiscopus, LAMBERTO confratri suo Atrebatensi episcopo, salutem in Christo Jesu.

Notum vobis sit, frater charissime, rumorem verum et gaudiosum in aures nostra noviter, pervenisse, quem non ab humana potestate, imo a divina majestate credimus descendisse, Jerusalem scilicet stare in excelso cum gaudio et jucunditate quam nostris temporibus a Deo suo tam gloriose susceperit, Jerusalem urbs nostræ redemptionis et gloria gaudio gaudet inopinabili, quia per laborem et potentiam incomparabilem filiorum Dei a servitute paganorum crudelissima deliberata est. Congaudeamus et nos, quorum fides Christianitatis in speculo claritatis æternæ istis temporibus posita est. Commoniti igitur, vocati et compulsi, non solum per litteras domni papæ Paschalis, verum etiam per preces humillimas Godefridi ducis, quem exercitus Christi divina ordinatione in regem sublimavit, necnon et per domni Arnulfi supplicationes mellifluas, quem in patriarchatum Jerosolymitanæ sedis unanimiter elegit, vobis mandamus charitate consimili quatenus per singulas parochiarum vestrarum ecclesias cum jejuniis et eleemosynis indeficienter orare faciatis ut Rex regum et Dominus dominantium contra hostes Christianorum regi impendat victoriam, ut contra sectas et deceptiones hæreticorum patriarchæ religionem et sapientiam. Mandamus pariter et per obedientiam commonemus quatenus omnes qui voventes iter signum crucis super se fecerunt ad proficiscendum Jerusalem ad subveniendum fratribus suis comminando constringatis, si vigent corpore et unde iter perficere possint habuerint. Cæteros autem per prædicationes vestras solerter ac devotissime monere ne cessetis quatenus populo Dei subvenire non negligant ; ut quemadmodum primi ita et novissimi denarium qui promittitur laborantibus in vinea pariter accipiant. Valete. Orate pro Prodiensi episcopo (2), pro Aurasicensi episcopo, pro Ansello de Ributmonte,

(2) Adhémar de Monteil, evêque du Puy, avait suivi l'armée des croisés en qualite de légat du pape; il mourut à Antioche, après la reduetion de cette ville. On prétend que c'est en memoire de ce prélat que les évêques du Puy avaient mis une épée dans leurs armoiries, et que les chanoines portaient une pièce de fourrure en forme de cuirasse, qu'on nommait *lingarelle*. — *Actes de la province de Reims*, II, 146, not.

et pre cæteris omnibus qui tam glorioso coronati martyrio in pace defuncti sunt.

EPISTOLA LVII.

MANASSIS REMENSIS AD LAMBERTUM.

MANASSES, Dei gratia Remorum archiepiscopus, dilecto fratri et coepiscopo suo LAMBERTO Atrebatensi, salutem cum omni prosperitate et benedictione.

Cum frater Galterus canonice et absque legali contradictione in clericatum admissus sit, eum in canonicum promovere nulla repugnat ratio vel justitia contradicit, cum uxorem ipsius mœchatam esse, alteri etiam viro nupsisse nemo qui dubitet. Ut enim juxta Apostolum loquamur, postquam uxorem suam mœchari rescivit, libera ei omnino eam dimittendi et quolibet votum exsequendi tantum in Domino data est potestas, præter hoc quod ea vivente alteram ducere non potest. Audito sane quod in Ecclesia vestra et de præbendis et de altaribus in secundam et tertiam et quartam personam hæreditaria successione fiat investitura, magna admiratione concutimur quod tam pravo et inaudito usui fraternitas vestra minime restiterit. Hic enim usus per simoniacam pravitatem in sancta Ecclesia inolevit totis viribus abolendus, et omni diligentia exstirpandus, quem nostra Remensis Ecclesia quasi nefarium exsecratur, omnesque ejusmodi investituras irritas habet, cum Dominus per Prophetam imprecetur : *Omnes qui hæreditate possederunt sanctuarium Dei, Deus meus, pone illos ut rotam et sicut stipulam ante faciem venti*. Valete.

EPISTOLA LVIII.

EJUSDEM AD EUMDEM.

MANASSES, Dei gratia Remorum archiepiscopus, dilectissimo confratri suo LAMBERTO Atrebatensium episcopo, salutem in Christo Jesu.

Quia confratris nostri et coepiscopi Manasse preces non desistunt lacrymosæ, neque nos desistimus, sed pro eo vos corde et ore interpellamus, precamur, commotique dolore fraternæ desolationis charitative commonemus ne, sicuti jam vobis mandasse credimus, terram comitissæ Montium interdicere differatis, sed ad honorem Dei quod vestri juris est sine dilatione plenarie peragatis. Præterea vobis mandamus præcipue per obedientiam omnibus abbatibus vestris, monachis, et clericis ne deinceps Cameracum intrent, nec ullo modo excommunicatis communicent, neque aliqua colloquia cum Gualchero habeant. Multoties namque mala colloquia bonos mores corrumpunt, et sicut nobis relatum est, potius incitant eum in malo perseverare quam revocent ab errore. Ergo istos corrigamus, ne coinquinentur ab injustis. Valete, illorumque altaria qui Cameraci résident firmiter vobis retinete. Valete.

EPISTOLA LIX

MANASSIS CAMERACENSIS AD EUMDEM.

Domino suo LAMBERTO, providentia Dei Atrebatensium episcopo, MANASSES ejusdem misericordia Cameracensium pastor indignus, salutem et servitium.

Si frater fratrem adjuvare noluerit, amborum consolatio multiplicabitur. Consolamini igitur, consolamini me, pater reverende, me, inquam, consolamini, quem Cameracensium maledicta progenies tam impudenter tradiderit quam sine culpa, sine merito comitissa Montensis persequi non desistit. Itaque, cum Deus spiritualem gladium nobis solummodo reliquerit, illos spirituali gladio puniamus quorum marinosis impulsi tempestatibus neque die neque hora quiescere possumus. Cum igitur dicat Apostolus : *Alter alterius onera portate*, etc. Pater sanctissime, portate onus meum, interdicite per terram prædictæ comitissæ divinum officium, quæ neque Deum offendere, neque Romanam sedem, neque Remensem Ecclesiam, neque pastoralitatem vestram erubescit dedecorare ; unde me cum omnibus meis benevolis perpetuæ servituti poteritis redigere. Valete, altariaque excommunicatorum meorum ab ipsorum immundis manibus eripite. Valete.

EPISTOLA LX.

MANASSIS LEMENSIS AD ROBERTUM COMITEM.

MANASSES, Dei gratia Remorum archiepiscopus, charissimo suo strenuissimo comiti ROBERTO, salutem, dilectionem, et benedictionis copiam.

Quam prompta quamque benigna affectione nos in terra vestra receperitis recolentes, magnas dilectioni vestræ gratias referimus, parati ad quodcunque est amicitiæ utilitatibus vestris pro posse nostro operandum. Porro si amicitia de mutuis constet officiis, facile est ut ex animo vestro nostrum metiamini. Cæterum cum de ecclesiasticis utilitatibus et negotiis apud sanctum Audomarum nobiscum una cum coepiscopis nostris sermonem habuissemus, de conjugatis presbyteris et cæteris ecclesiasticis ordinibus mentionem fecisse nos meminimus, absque consensu consilioque eorumdem coepiscoporum nostrorum conjuges eorum, nisi ab hujusmodi consortio declinarent, vobis cæterisque principibus vestris capiendas post factam excommunicationem exponentes. Igitur cum clericis nostris inito consilio conquerentibus adversum nos nihil juris canonice eis præsidentibus absque assensu eorum parrochiis eorum habere recognoscentes, maturius vobis scribendum necessarium duximus, mandantes simul et commonentes ne presbyteros cæterosque sacri ordinis ministros hac de causa inquietare vel eorum conjuges persequi attentetis vel ab aliquo principe vestro injuriari permittatis, nisi forte episcopus in cujus parrochia esse dignoscitur in auxilium vos sibi asciverit. Nolumus enim neque justum est ut in aliquo coepiscopis nostris habeamur injurii, ne si quid durius justo præceperimus, in occasionem rapinæ et utilitatem ecclesiastici ordinis proveniat. Decrevimus enim ut in synodis suis episcopi ipsos acerrime super hoc conveniant, et nisi admonitione facta ab

hoc pravo opere destiterint, tunc demum sibi vos adjutores et ultores asciscant. Valete.

EPILTOLA LXI.

JOANNIS ET BENEDICTI S. R. E. CARDINALIUM AD LAMBERTUM.

JOANNES et BENEDICTUS sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales atque legati, LAMBERTO Atrebatensi episcopo, salutem et gratiam.

Sicut Ecclesiæ nostræ antiqua est consuetudo, et sacrorum canonum exigit constitutio, ab aportolica sede directi sumus ad celebranda concilia et negotia ecclesiastica tractanda atque definienda. Quapropter ut injunctum negotium explere valeamus, invitamus et invitando præcipimus apostolica auctoritate ut XIV Kal. Decembris Pictavim cum abbatibus tuis venias. Ibi enim Domino adjuvante tecum et cum aliis episcopis et archiepiscopis concilium celebraturi sumus.

Ego Joannes tuæ sanctitatis servus te specialiter saluto, et consilium et auxilium tuum tam in hoc quam in cæteris negotiis vehementer exopto, et, ut servus de domino et filius de patre, de tua gratia et amicitia præsumo. Vale.

EPISTOLA LXII.

HUGONIS SUESSIONENSIS AD LAMBERTUM.

Domino et Patri suo LAMBERTO Atrebatensium venerando episcopo, HUGO Suessionensis persona, indignus vocari episcopus, obsequium semper in Domino.

Significavi vobis nuper quod mente assidue gero desiderium meum videndi vos et consulendi prudentiam vestram, optime Pater. Item idipsum mihi a vestra paternitate conferri tota aviditate exposco. Cum igitur in proximo discessurus sim, consilium tuum et prudentiæ tuæ colloquium, quod, ut vere decet, semper magnipendo, saltem semel ante discessionem habere cupiens, locum et tempus mihi præfigi et determinari efflagito ubi optatam mihi faciem fortasse in omni vita mea semel adhuc videre contingat. Desidero enim vos sicut angelum Dei. A vobis enim multa bona accepi, multa bona audivi. Unde et infinitarum vobis semper sum et ero debitor gratiarum. Vale.

EPISTOLA LXIII.

HUGONIS DECANI, ROGERI ET LISIARDI ARCHIDIACONORUM BELVACENSIUM AD LAMBERTUM.

LAMBERTO, Dei gratia Atrebatensium episcopo, HUGO decanus, ROGERUS et LISIARDUS archidiaconi, omnisque congregatio Belvacensis Ecclesiæ, casati etiam, cum universo populo ejusdem civitatis, orationes et fidele servitium.

Multa et innumera diversi quoque generis incommoda ad impedimentum Belvacensis Ecclesiæ sibi invicem occurrentia nos invitant ad vestram paternitatem litteras mittere, ut vestræ vigilantiæ studio ab ingruentibus tempestatibus ad portum quieti possimus enatare. Cum in Ecclesiam et patriam nostram pastore destitutam hostes non solum invisibiles, sed etiam visibiles, crudeliter grassarentur, ad refrenandam multimodæ hostilitatis nequitiam domnum Stephanum Pariensem archidiaconum, utilem et honestum virum, cleri et populi pari voluntate et concordi consilio, remota omni simoniaca pravitate, in dominum et episcopum elegimus; qui et per majores Ecclesiæ nostræ personas a nobis requisitus, nequaquam nostris petitionibus acquievit, sed omnino refutavit. Timentes autem ne postea aliquorum intrusione ex transverso nobis illata gravaremur, iterum ad præfatum electum communi consilio recurrentes, renuentem ac reclamantem, tamdem vero a Parisiensi Ecclesia nobis concessum, honorifice recepimus, et eum in dominum et episcopum deinceps habere decrevimus. Et quoniam omnibus oculum rationis habentibus manifestum est quod Ecclesia nostra ab ingruentibus incommodis nequaquam poterit liberari nisi prius pastorali fuerit sollicitudine præmunita, vestram idcirco sanctitatem obnixe deprecamur ut apud domnum papam pro electo nostro litteris et sigillo vestro intercedatis quatenus idem electus noster per vestram intercessionem adipiscatur gratiam consecrationis. Super isto autem negotio a domno Manasse Remorum archiepiscopo et cæteris coepiscopis qui conventui Suessionis habito interfuerunt quæsivimus et impetravimus litteras summo pontifici dirigendas, quoniam necesse est ut Belvacensis Ecclesia per sanctam Remensem Ecclesiam utique matrem suam et cæteras sorores suas curæ pastoralis sollicitudine perveniat ad quietem, quæ tandiu in valle lacrymarum depressa est non habens consolatorem. Precamur etiam ut domno Joanni presbytero cardinali atque legato sanctæ Romanæ Ecclesiæ familiari amico vestro, deprecatorias super isto negotio litteras dirigatis, quatenus apud domnum papam vestris precibus ipsum pro nobis intercessorem acquiratis. Valete.

EPISTOLA LXIV.

LAMBERTI AD BALDUINUM CLERICUM IPRENSEM.

LAMBERTUS, Atrebatensi episcopus, BALDUINO clerico Iprensi a sede apostolica nuper regresso et omnibus consodalibus suis super Morinensi episcopo de altari Iprensi causam habentibus, salutem.

Invitamus vos secundum domni papæ præceptum et invitando apostolica auctoritate monemus quatenus sexta feria infra octavas Epiphaniæ, id est tertio Idus Januarii, ante horam sextam, in præsentia nostra Atrebatum adveniatis, ut ibi causa vestra, de prædicto videlicet altari, diligenter investigata canonice possit Dei omnipotentis miseratione definiri. Valete.

EPISTOLA LXV.

LAMBERTI AD PASCHALEM II PAPAM.

Reverentissimo domino et Patri patrum PASCHALI, LAMBERTUS, Dei miseratione Atrebatensis episcopus, debitam subjectionem cum orationibus.

Causam Morinensis episcopi. etc. *Vide in Paschali II, Patrologiæ t. CLXIII.*

EPISTOLA LXVI.

PASCHALIS AD LAMBERTUM.

Paschalis episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Lamberto Atrebatensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Frater iste præsentium portitor, etc. *Vide ubi supra.*

EPISTOLA LXVII.

LAMBERTI AD LANFRIDOM S. WULMARI ABBATEM.

Lambertus, Dei miseratione Atrebatensis episcopus, dilecto in Christo fratri Lanfrido Sancti Wilmari abbati, salutem.

Noverit vestra dilectio nos domni papæ Paschalis litteras nuper suscepisse, vicesque suas de negotio Heriberti abbatis et vestro, scilicet de abbatia Sancti Wilmari, canonice discutiendo nobis injunxisse. Unde litteris præsentibus vos monemus et apostolica auctoritate, cujus legatione in hac causa fungimur præcipimus ut vi feria ante instantem sancti Joannis Baptistæ nativitatem, xv Kalend. Julii, ante horam sextam, omni tergiversatione semota, super his quæ ab Heriberto vobis objicientur canonice responsurus Tarvennæ nobis occurratis.

EPISTOLA LXVIII.

LAMBERTI AD PASCHALEM PAPAM.

Reverentissimo domino et Patri patrum papæ Paschali, Lambertus Dei miseratione Atrebatensis episcopus, debitam subjectionem cum orationibus.

Pro venerabili metropolitano mostro domno Manasse Remensi archiepiscopo, etc. *Vide in Paschali, Patrologiæ t. CLXIII.*

EPISTOLA LXIX.

MANASSIS REMENSIS AB LAMBERTUM.

Mannsses, Dei gratia Remorum archiepiscopus, Lamberto venerabili Atrebatensium episcopo, salutem et dilectionis affluentiam.

Divinæ auctoritatis jussu commonemur aliorum miseriis ac si nostris condolere et pro perversorum obstinatione, ut resipiscant, omnipotentis pietatem exorare, utque de ipsorum nefariorum manibus afflictos dignetur liberare. Nam in initio nascentis Ecclesiæ de cœli clavigero in carceris squalore posito ita refert apostolica lectio: *Petrus quidem servabatur in carcere, oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Denm pro eo.* Et tuba cœli Paulus suo nos exemplo docet miserorum doloribus compati, dum ita Corinthiis inquit. *Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?* Quocirca valde condolemus et charitatem vestram condolere admonemus gravissime captioni domni Hugonis Catalaunensis episcopi, ætate et sapientia patris et domini nostri, et nobilitate præcellentis, quem Albricus de Meslano, tyrannica tenet innectum captione et in ipsius ejusdem, proh pudor? episcopatu; pro quo facto nos ab Ecclesiæ communione tam eum quam illos quorum consilio et auxilio illum cepit separavimus, et cantare et signa nostra sonare omisimus, cursum tamen omnium horarum et in missam in commemoratione besti Petri apostoli cantantes ad quoddam altare ipsius celebramus, ut Dominus sua grattia confratrem nostrum de capitione eruat; et ut vos itidem faciatis ad altare quoddam beati Petri et in omnibus congregationibus hoc similiter fieri præcipiatis precamur et commonemus, et ad principale altare privata item missa celebretur; in toto autem episcopatu divinum officium interdicatur, exceptis congregationibus in quibus, sicut prædictum est, cantatur, et in supradictos malefactores quotidie excommunicatio proferatur donec vel pœnitentia eos corrigat vel divina mulctet sententia. Vale.

PISTOLA L XX.

LAMBERTI AD MANASSEM REMENSEM.

Honorabili domino et Patri charissimo Manasse, Dei gratia Remorum archiepiscopo, Lambertus, Dei miseratione Atrebatensis episcopus, dilectionem et æternam in Deo salutem.

Litteras sigillo vestro signatas a quodam laico et facie et nomine nobis ignoto nuper suscepimus, et eas coram fratribus nostris aperientes reperimus venerabilem coepiscopum nostrum domnum Hugonem Catalaunensem in captione detineri; quod nimium dolemus. Post hæc vero, cum dixissent ut hac de causa a divinis laudibus cessaremus, dubitaverunt fratres nostri a sede vestræ discretionis hujusmodi litteras processisse, tum quia legatus omnibus ignotus erat, tum quia præceptum hoc Veteri et Novo Testamento minime concordat. In Veteri enim Testamento legitur, *et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos.* Non præcepit cessare, sed clamare. In Novo autem: *Cum Petrus servaretur, oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.* Orante siquidem Ecclesia et non cessante, misit Dominus angelum suum, et eripuit eum de manibus Herodis et de omni exspectatione plebis Judæorum. Et Dominus in Evangelio ait: *Oportet semper orare et nunquam deficere.* Præterea objiciunt nobis quod domnus Hugo Lugdunensis primas et apostolicæ sedis legatus, cum ab Archembaldo de Borbon captus teneretur, Archembaldum specialiter excommunicavit, terram suam et castella a divinis cessare fecit, nec non omnem provinciam interdixit. Similiter vir venerandæ memoriæ papa Urbanus in epistola pro correptione domini Philippi Francorum regis domno nostro Rainaldo archiepiscopo, prædecessori vestro, directa inter alia de captione Carnotensis episcopi scripsit dicens: *Eamdem quoque instantiam pro ereptione confratris nostri Carnotensis episcopi adhibete. Quod si monitis vestris qui eum cepit obtemperare contempserit, vos et ipsum excommunicationi subjicite, et castellis in quibuscunque eum retinuerit et terræ ejus divinum officium interdicite, ne similia deinceps in viros hujus ordinis præsumantur, ut ordinem vestrum diligitis, ita hoc accelerare omnibus modis satagetis.*

Pro nobis nihilominus ad Claromentense concilium A properantibus, dum a Guarnerio de Pont capti retineremur (3), venerabilis præfatus papa Senonensi archiepiscopo Richerio scripsit et præcepit ut quandiu Guarnerius nos teneret, illium et terram suam excommunicationi subjiceret. Item ex decretis Claromontensis concilii : *Si quis episcopum ceperit vel incarceraverit, perpetuæ infamiæ subjaceat, ulterius arma non exerceat. Et clamatum est ab omnibus : Fiat.* Ae hæc exempla vobis direximus quatenus in his periculosis temporibus, quæ invenerunt nos nimis, vestra metropolitana sedes hoc facere et hoc denuntiare studeat quod rationabiliter tota provincia faciendum suscipiat. Reverende mi Pater et domine, bene valete in Deo salutari nostro, et quod super his justum et rationabile vobis visum fuerit rescri- B bite nobis.

EPISTOLA LXXI.

MANASSIS REMENSIS AD LAMBERTUM.

MANASSES, Dei gratia Remorum archiepiscopus, LAMBERTO venerabili Atrebatensium episcopo cæterisque qui cum eo sunt Atrebatensis Ecclesiæ fratribus, in suis Deum miserationibus magnificare.

Gratiarum actionesDomino referre laudesque indesinenter cantare satagite, qui planctum nostrum, qui tristitiam nostram convertit in gaudium et exsultationem. Gloriose enim honorificatus est, et Christum suum magnifice de vinculis liberavit. Antichristus etenim ille qui eum in captione habebat, aufugiendo, eum in Tullensem episcopatum traduxerat; ubi, postquam Tullensis episcopus eum esse didicit, vocato ad se duce Theodorico cæterisque episcopa- C tus sui principibus, cum de liberando inter se tractarent episcopo, et hoc viriliter insumendum decernerent, sensit damnatus ille qui eum tenebat, et castelli sui timens subversionem, et quod infamem et illegitimum ipsum adjudicare vellent, reddidit episcopum liberum, et quæ sua fuerunt omnia sive suorum, partim restituit, partem reliquam in domo sua Catalaunis se redditurum et justitiam ei se facturum pepigit. Unde vos omnes commonitos volumus ut qui pro liberando a carcere preces ad Dominum multiplicatis, pro liberato laudes multiplicare et Deum magnificare memineritis. Valete.

EPISTOLA LXXII.

BALDRICI NOVIOMENSIS AD LAMBERTUM.

Dilecto in Christo fratri et domino suo LAMBERTO D venerabili Atrebatensium episcopo, BALDRICUS eadem gratia Noviomensium episcopus, gratiam semper habere sancti Spiritus.

Jam vobis scripsimus, Pater reverentissime, prc monachis Sancti Quintini de Monte ordinandis. Modo vero iterato vobis scribimus humiliter obsecrantes et in gratia Spiritus sancti postulantes ut præsentes clericos nostros ad sacros ordines promoveatis, Balduinum in acolythum, Levolfum et Evrardum et Gislebertum in subdiaconatus gradum, Bernardum et Isambertum in diaconatus officium, Bernerum in presbyterum. Valete.

EPISTOLA LXXIII.

I ECCLESIÆ S. QUINTINI THESAURARII AD LAMBERTUM.

Venerabili Atrebatensium episcopo LAMBERTO, I, ecclesiæ Beati Quintini thesaurarius, apud Deum et homines gratiam.

Paternitati vestræ volumus innotescat puerum hunc rogatu amicorum nostrorum, Guenemari scilicet Leudensis atque Galandi, a nobis plena libertate esse donatum; petimusque ut quæ a vobis humiliter expetierit, benigne ei, si placet, largiamini, signique hoc vobis quod cum hoc anno Romam tenderetis, clericum nostrum Fulconem in Hamensium porta obvium habueritis. Sigillum quippe litteris adhibere non potuimus, cum id etiam in ipsis incendiis amiserimus. Valete.

EPISTOLA LXXIV.

BALDRICI NOVIOMENSIS AD LAMBERTUM.

Domino LAMBERTO, Dei gratia Atrebatensium episcopo, BALDRICUS eadem gratia humilis Noviomensium episcopus, seipsum per omnia in Domino.

Vestram scimus non subterfugisse notitiam magistrum Petrum in nostra ecclesia habuisse titulum et postmodum divina dispensante gratia in vestro episcopio postposuisse sæculum. Quoniam noviter in vestro episcopatu sibi elegit locum convenientem et quietum, eum benigne paternitati vestræ committimus, utque curam illius tam in ordinibus quam in cæteris habeatis obnixe precamur. Valete.

EPISTOLA LXXV.

MANASSIS REMENSIS AD LAMBERTUM.

MANASSES Dei gratia Remorum archiepiscopus, reverentissimo fratri et coepiecopo suo domno LAMBERTO Atrebatensi, salutem cum omni dilectione.

Abbate Forestensis monasterii viam universæ carnis ingresso, direxerunt ad nos nuperrime litteras suas abbas Sancti Richarii et I. Ambianensis Ecclesiæ archidiaconus significantes nobis ejusdem cœnobii fratrem quemdam monnchum Sancti Richarii nomine Robertum in abbatem sibi elegisse; eumque testimonio fideli prosequentes, electionem ejus canonicam et unanimi concordia factam esse affirmaverunt. Comitissa etiam Pontivensis cæterique ipsius terræ viri testimonium ei reddentes, et electionem ejus canonicam affirmantes, ut eum consecremus postulaverunt. Verum, quoniam locus ille non sufficienter necessariis abundat nec ad nos ejus facilis patet transitus, fraternitati vestræ mandamus et precamur, ut quia vobis vicinior est, eum in abbatem consecretis, nisi forte quod sacris obviet canonibus de eo et de ejus electione audieritis. Valete.

EPISTOLA LXXVI.

ROBERTI FLANDRIÆ COMITIS AD LAMBERTUM.

Domino LAMBERTO venerabili Atrebatensium episcopo, ROBERTUS, Flandriarum comes, salutes et ami-

(3) *Vide supra* col. 646.

citias. Noverit discretio vestra me hominum imperatori Teutonico fecisse, quia aliter feodum quod ab eo tenere per antecessoriam debeo integre habere non poteram, præsertim quia præter hoc patriæ nostræ pacem restitui nequaquam posse sentiebam, hoc tamen factum esse salva mihi auctoritate et obedientia Romani pontifici ejusque Ecclesiæ nec non Remensis et absque meæ Christianitatis legalitatis violatione, porro me super his loci ac dignitatis vestræ temerationem aut damnum nullatenus incurisse. Dilectioni igitur vestræ pacem et securitatem omnimodam mando, et de his, quæ a nobis gesta vel agenda de prædictis habentur, saluberrimo vestræ sanctitatis consilio me amodo per omnia committendum certissime promitto. Valete.

EPISTOLA LXXVII.

EUREMARI PATRIARCHÆ HIEROSOLYMITANI AD LAMBERTUM.

EUREMARUS, Dei gratia Hierosolymitanus patriarcha, spirituali patri suo dilectissimo LAMBERTO Atrebatensi episcopo, fraternam in Christo dilectionem.

Gratias omnimodas vobis refero, Pater dilectissime, quia, dum sub manu humilitatis vestræ eram, paterno affectu me dilexistis atque instruxistis. Quapropter amicitiæ et dilectionis tunc inter nos collaudatæ ut patrem et doctorem vos diligenter admoneo immemorem non esse. Quamvis enim spatio terrarum marisque separatus vestram dulcedinem, unde doleo, corporali visu videre nequeo, tamen oculis mentis bonitatem vestram et charitatem semper intueor : quia præ omnibus, Deus scit, vos diligo et amplector. Igitur, charissime, in benevolentia vestra admodum confidens, obsecro ut sarcinam obedientiæ quam mihi impositam esse scitis, si vobis placet, me alleviare juvetis, apostolicum implens præceptum : *Alter alterius onera portate* (*Galat.* VI, 1) etc. Si quid autem nobis mandare vestræ placet excellentiæ, secundum posse meum in omnibus voluntati vestræ me invenietis promptissimum. In orationibus et in aliis beneficiis si quid divinæ clementiæ fragilitas nostra efficere potest placibile, ut magistrum et fratrem dilectissimum scitote vos esse consortem. Ad hæc de benedictione Sancti Sepulcri mittimus vobis annulum unum aureum, ampullulas crystallinas duas balsamo plenas. Bene valete, et orate pro nobis et pro civitate sancta Hierusalem.

Data III. Nonas Aprilis.

Postea sequebatur bulla plumbea patriarchæ; in cujus circuitu interiori hæc scripta erant Græce, ὁ ὅγιος τάφος τοῦ κυρίου Ἰησοῦ χριστοῦ *in exteriori vero Latine*, sigillum Euremari patriarchæ Hierusalem.

Et in margine : Accepta XIII Kal. Decembris. Missa ab Hierusalem Atrebatum anno Dei Christi 1104.

EPISTOLA LXXVIII.

LAMBERTI AD EUREMARUM.

Honorabili domino et in veritate dilecto EUREMARO Hierosolymorum patriarchæ, LAMBERTUS Dei miseratione Atrebatensis episcopus, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.

Sæpius jam vobis per familiares nostros gratiarum actiones pro donis vestris reddidimus et ut de statu vestro et de continentia vestra nobis remandaretis diligenter mandavimus. Sed, quia necdum aliquis de vestro statu et salute certificavit, non fuit nobis pigrum per dilectum fratrem nostrum A. Morinorum archidiaconum vos salutare et commonefacere quatenus nostri memori sitis in orationibus vestris apud sanctam Resurrectionem Domini nostri Jesu Christi. Bene valete. Reverende mi, quia nobis religiosa et honesta dona mittere procurastis, retribuatur vobis in resurrectione justorum. Salutant vos qui nobiscum sunt fratres domnus Clarembaldus archidiaconus noster et Cono vir religiosus de Aride Gamantia.

EPISTOLA LXXIX.

PASCHALIS II PAPÆ AD EUSTACHIUM COMITEM.

PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei, egregio comiti EUSTACHIO, salutem et apostolicam benedictionem.

Quæ bonis inchoantur principiis, etc. *Vide in Paschali II, Patrologiæ tom CLXIII.*

EPISTOLA LXXX.

PASCHALIS AD MANASSEM REMENSEM.

PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri MANASSE Remensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Super Guarinfrido archipresbytero conqueritur frater noster Atrebatensis episcopus, etc. *Vide ubi supra.*

EPISTOLA LXXXI.

MANASSIS REMENSIS AD GUARINFREDUM ARCHIPRESBYTERUM.

MANASSES, Dei gratia Remorum archiepiscopus, GUARINFREDO archipresbytero, salutem et pacem, si obedierit.

Conqueritur frater noster Lambertus Atrebatensis episcopus quia decem sui juris ecclesias et earum redditus in territorio Atrebatensi constitutas, videlicet Vals in Artensi, Noeroil, Cadom, Perolvillam Cauvennicurt, Frasnoi, Serum, Saudemont, Sclusam, Ahilcurt, et his appendentes capellas ei violenter aufers, et jamdiu eas cum redditibus earum pertinaciter retinere præsumis. Super quo apostolicas suscepimus litteras. Unde mandamus tibi atque præcipimus quatenus prædicto confratri nostro Lamberto Atrebatensi episcopo ecclesias illas dimittas et usque ad iminentem Dominicam in qua *Misericordia Domini* cantabitur satisfacias. Quod si facere quæ mandamus distuleris et contra apostolicæ sedis decreta stare præsumpseris, a jamjam determinatis tibi Dominica die anathemati subjacebis. Vale.

EPISTOLA LXXXII.

PASCHALIS AD MANASSEM.

PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei vene-

rabili fratri et coepiscopo MANASSE Remensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Significaverat nobis dilectio tua etc. *Vide ubi supra.*

EPISTOLA LXXXIII.

PASCHALIS AD LAMBERTUM.

PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri LAMBERTO Atrebatensi, salutem et apolicam benedictionem.

Latores præsentium Robertus et A., etc. *Vide in Paschali.*

EPISTOLA LXXXIV.

RICHARDI A. S. LEGATI AD ROBERTUM COMITEM FLANDRIÆ.

RICHARDUS, Dei gratia Albanensis episcopus, apostolicæ sedis legatus, ROBERTO egregio Flandrensium comiti, salutem.

Quantæ famæ, quantæ honestatis, quantæ religionis sit intimus frater noster Lambertus Atrebatensis episcopus, cum remotissimi noverint, credimus te, qui comes suæ civitatis es, non latere. Etenim adeo apostolicæ sedi commendabilis est persona ut eum quadam prærogativa inter reliquos Galliarum episcopos habeat principalem. Talem ergo tamque venerabilem virum prudentiæ potentiæque tuæ committimus ut contra omnes qui adversus ipsum rebellionis aliquid machinantur jure potestatis tibi a Deo creditæ tuearis. Robertum vero Atrebatensem dictum clericum viduæ copulatum episcopo suo obstinate rebellem cum omnibus suæ partis complicibus habeas excommunicatum, donec tamen suo reconcilietur episcopo. Si qua sane contra clericorum nequitiam episcopus tenenda decreverit, non te fautorem nequitiæ, sed justitiæ sentiat defensorem. Vale.

EPISTOLA LXXXV.

LAMBERTI AD PASCHALEM II PAPAM.

Reverentissimo domino Patri patrum PASCHALI papæ, LAMBERTUS Dei miseratione Atrebatensis episcopus, debitam cum orationibus subjectionem.

Pro religioso fratre nostro Joanne abbate Montis Sancti Eligii precamur sanctitatis vestræ sollicitudinem quatenus eum in causis suis paterne dignemini audire. Precamur etiam ut eum et successores ejus in eo quo nunc est loco et ordine privilegio vestro et res Ecclesiæ legitime datas canonice possessas vel Deo miserante donandas confirmetis. Concessimus etiam canonicis ibi regulariter et absque proprietate viventibus et victuris canonicam electionem obeunte abbate faciendam, salvo in omnibus jure Atrebatensis episcopi. Sancta Trinitas Deus noster sanctitatem vestram diutius custodiat incolumem.

EPISTOLA LXXXVI.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Reverentissimo domino et Patri Patrum PASCHALI papæ, LAMBERTUS Dei miseratione Atrebatensis episcopus, debitam cum orationibus reverentiam.

Sanctitatis vestræ pedibus humiliati paternitatis

A vestræ dulcedinem exoramus quatenus juxta decreta sanctorum Patrum et institutiones canonum nos audire et tractare in omnibus velitis. Siquidem Deo propitio ecclesiasticas dispensationes in præbendis et altaribus pure et canonice ordinare studuimus et studemus. Per fidelem namque præsentium latorem Ecclesiæ nostræ filium et subdiaconum Drogonem scripsimus excellentiæ vestræ quatenus vestra permissione abbatem super octo monachos ordinare possemus in ecclesia nomine Fescherias ad titulum Sancti Præjecti a domno Gerardo episcopo prædecessore nostro libere possessa et sanctæ Atrebatensi Ecclesiæ hactenus in omnibus subjecta. Unde quia petitionem nostram suscepistis, et ut inibi abbatem juxta regulam beati Benedicti ad obedientiam Atrebatensis sedis ordinaremus, privilegii vestri auctoritate nobis confirmastis, gratias multiplices agimus

B vestræ ecclesiasticæ dispensationi. Sed quia postmodum Sancti Præjecti abbas Guibertus conquestus est vobis quod ipsam nostram ecclesiam quasi suam cellam sibi auferrem, inde litteris vestræ auctoritatis ad Remensem sedem, ubi causam istam canonice definiendam archiepiscopo mandaveratis, die statuto vocatus in præsentia archiepiscopi et coepiscoporum comprovincialium causam hujus negotii justitiam prosecuturus, adveni. Qualiter autem causa ista in præsentia archiepiscopi Remensis et comprovincialium epiecoporum usque ad judicium deducta sit, et qualiter prædictus abbas justitiæ suæ diffidens judicium subire noluerit, sicut credimus, domnus archiepiscopus litteris suis jam vobis significavit.

C Unde iterum sanctitatis vestræ sollicitudinem exorantes desideramus quatenus nobiscum stetis, et sicut privilegii vestri auctoritate confirmastis, hoc idem vos tenere velitis. Et inde magis miramur et gravamur cur cum in nobis nondum inveneritis *est et non*, tam cito nos ob hujusmodi causam vocari atque defatigari volueritis. Sancta Trinitas Deus noster quotidianam sollicitudinem vestram pro sancta catholica Ecclesia laborantem et orantem diutius custodiat incolumem.

EPISTOLA LXXXVII.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Reverentissimo domino et Patri patrum PASCHALI papæ, LAMBERTUS Dei miseratione Atrebatensis episcopus, debitam subjectionem cum orationibus.

D Quoniam placuit sollicitudini vestræ, quam erga omnes Ecclesias geritis, inter nos et clericos nostros juxta scita canonum et decreta sanctorum ad bonorum Christianæ religionis causas definere, gratias Deo et vestræ sanctitati reddimus. Præterea precamur justitiam vestram ne nuntium Eustachii comitis nomine Guagonem clericum nostrum contra nos injuste agentem de altaribus et ecclesiis nostris quas Gaufridus Parisiensis episcopus primo Atrebatensis archidiaconus in personatu libere triginta et eo amplius annis possedit et episcopalia jura in diebus nostris annualiter persolvit, ad damnum Ecclesiæ nostræ audire velitis. Ad hæc scire volu-

mus sanctitatem vestram quod prædictus Comes nec per nos nec per archiepiscopum Remensem nec etiam per litteras vestras secundo sibi a vobis missas nostra nos possidere permittit, sed potius et ipse et ministri sui ea nobis auferunt. Unde jam eum ab introitu ecclesiarum removimus, et ministros ejus rerum ecclesiarum raptores excommunicavimus, et ut vos excommunicationem nostram confirmare velitis exoramus. De Roberti causa, unde nobis scripsistis, si quid boni et justi valueritis impendere, nos pro pace Ecclesiæ tolerabimus. Definitivam sententiam, salvo honore et judicio sanctæ Romanæ Ecclesiæ, nobis rescribatis. De Gandensi abbate et de cæteris quæstionibus quas fidelis subdiaconus noster vobis dixerit, sibi respondeatis. Sancta Trinitas Deus noster sanctitatem vestram diutius custodiat incolumem.

EPISTOLA LXXXVIII.

PASCHALIS AD LAMBERTUM.

Paschalis episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Lamberto Atrebatensi episcopo, salutem et benedictionem.

Nonnulli Ecclesiæ tuæ clerici, etc. *Vide in Paschali.*

EPISTOLA LXXXVIX.

LAMBERTI AD PASCHALEM.

Reverentissimo domino et Patri Patrum Paschali, Lambertus, Dei miseratione Atrebatensis episcopus, debitam subjectionem cum orationibus.

Precamur paternitatis vestræ reverentiam ut istos fratres de congregatione Sancti Amati Duacensis de petitione sua exaudire placeat, videlicet ut Ecclesiæ suæ libertatem et bona legitime data vel danda canonice possessa privilegii vestri auctoritate firmetis, ne invasorum manus, quibus circumquaque premitur, Ecclesiam nostræ obedientiæ subditam penitus devastandi locum habeant. Quod autem decanus, in cujus manu cura est, ad vos non venit, credite quia non temeritas sed senium causa est et infirmitas. Sancta Trinitas Deus noster paternitatem vestram diutius conservet incolumem.

EPISTOLA XC.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Reverentissimo domino et Patri Patrum charissimo Palchali papæ, Lambertus, Dei miseratione Atrebatensis episcopus continuam Spiritus sancti consolationem.

Soror et filia nostræ Ecclesiæ abbatissa Fulgendis præsentium latrix multum rogavit per nos sanctitati vestræ commendari, quatenus præsentem abbatissam in eo quo nunc est loco, professione, et ordine pondere vestræ auctoritatis, salvo in omnibus jure et canonica dispositione Atrebatensis episcopi, confirmare dignemini. Locum monasterii qui dicitur Strum et altare de Hamartvilla, sicut prædecessor meus domnus Gerardus episcopus concessit et scripto suo consignavit, nos quoque spe et amore religionis huic præsenti abbatissæ succedentibusque sibi abbatissis in monasterio quo nunc præesse dignoscitur regulariter electis, canonice promovendis, et absque seculari strepitu victuris possidendas concedimus. Cæteras autem res et possessiones juste acquisitas et acquirendas propter infestationes et deprædationes pravorum hominum nihilominus corroborare velitis. Sancta Trinitas Deus noster sollicitudinem vestram diutius custodiat incolumem pro Ecclesia sancta catholica laborantem et orantem.

EPISTOLA XCI.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Reverentissimo domino et Patri Patrum papæ Paschali, Lambertus, Dei miseratione Atrebatensis episcopus, debitam cum orationibus reverentiam.

Frater et Ecclesiæ nostræ filius Cono præsentium lator rogavit nos quatenus apud misericordiam vestram obtineret ut ecclesiam nomine Rochennias et locum in quo cum fratribus habitat ea qua donavimus libertate confirmare velitis. Concessimus enim et scripto confirmavimus prædicta loca prælato et fratribus inibi Deo devote et religiose servientibus et canonice et absque proprietate viventibus et victuris ab omni cathedratica redhibitione libera, excepto quod in Cæna Domini ad manum episcopi duodecim denarios solvant, et ut sub propria et speciali subjectione, ordinatione, et defensione Atrebatensis episcopi prædicti fratres permaneant constituimus. Sanctitatem vestram pro sancta Ecclesia laborantem diutius custodiat Dominus incolumem.

EPISTOLA XCII.

LAMBERTI AD ANSELMUM CANTUARIENSEM.

Honorabili domino et in veritate dilecto Anselmo Dei ordinatione Cantuariorum archiepiscopo, Lambertus sanctæ Atrebatensis Ecclesiæ servus inutilis, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.

Magno desiderio desideravi scire de statu et sanitate vestra. Scribo dulcissimæ mihi paternitati vestræ quatenus super his scripto vestro nos certificare dignemini. Ut autem mei peccatoris ad ipsam Dominicam mensam et in sanctis orationibus vestris reminiscamini et veniam peccatorum mihi apud Deum obtineatis corde contrito et spiritu humiliato sanctitatem vestram exoratam desidero. Bene valeat diutius et semper sancta et religiosa conversatio vestra in Domino, optime Pater, et ut domnum Baldricum amicum vestrum Turnacensem sanctitatis vestræ filium vice nostra salutetis multum rogamus.

EPISTOLA XCIII.

ANSELMI AD LAMBERTUM.

Venerabili Atrebatensi episcopo Lamberto et amico dilectissimo, Anselmus servus Ecclesiæ Cantuariensis, salutem et fideles orationes.

Gratias ago reverendæ dilectioni vestræ pro sollicitudine quam habet erga me in eo quod tantopere nosse vult de nostra sanitate. Dico itaque vobis

quia gratia Dei corpore sanus sum, sed continua debilitate laboro. Quod me rogatis ut vestri memoriam habeam in orationibus nostris, pro certo scitote quia licet orationes meæ viles sint, tamen quotidie vestri memoriam in eis habeo et Deo donante habebo. Omnipotens Deus sua vos gratia ab omni malo semper defendat, et suam vobis consolationem benignus impendat.

EPISTOLA XCIV.

PASCHALIS PAPÆ AD HENRICUM ABBATEM S. VEDASTI.

PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio HENRICO abbati Sancti Vedasti, salutem et apostolicam benedictionem.

Rumor quem de te nuper audivimus, etc. *Vide in Paschali, Patrologiæ t. CLXIII.*

EPISTOLA XCV.

BALDRICI NOVIOMENSIS EPISCOPI AD LAMBERTUM.

Domino LAMBERTO Atrebatensium venerabili episcopo BALDRICUS, per Dei gratiam Noviomensis episcopus, salutem et fraternam charitatem.

Pauper hæc femina, nostra quidem parochiana, velari devote expetit. Oramus itaque serenitatem vestram velari eam a vobis, si placet, et in famulam Christi consecrari. Valete.

EPISTOLA XCVI.

GODEFRIDI AMBIANENSIS AD LAMBERTUM.

Domino LAMBERTO Dei gratia Atrebatensi episcopo, GODEFRIDUS, eadem gratia Dei Ambianensis episcopus, salutem.

Hunc sacerdotem nostrum Theoderannum necessitate compulsum de episcopatu nostro prodeuntem et in vestro episcopatu remanere volentem absolutum vobis tradimus, ita scilicet ut obedientiam quam Ecclesiæ nostræ et nobis debebat vobis debeat et persolvat. Valete.

EPISTOLA XCVII.

LAMBERTI AD PASCHALEM PAPAM.

Reverentissimo Domino et Patri Patrum PASCHALI papæ, LAMBERTUS sanctæ Atrebatensis Ecclesiæ servus inutilis, debitam cum orationibus reverentiam.

De tristi et gemebunda sanctæ Remensis Ecclesiæ et ejus honorabilis metropolitani domni Radulfi pressura summopere rogamus sanctitatis vestræ sollicitudinem quam erga omnes Ecclesias geritis quatenus et apud Deum et apud homines prædictæ Ecclesiæ pacem bonam vestro sapienti consilio et auctoritatis auxilio reformare studeatis. Speramus enim quod per nuntios Ludovici regis Francorum, si vigilantia vestra intendere voluerit, et pacem Remensi Ecclesiæ et ejus metropolitano gratiam et amicitiam regis obtinere poteritis. Bene et diutius et semper valeat sanctitas vestra in Domino, et pro me peccatore orare dignemini.

EPISTOLA XCVIII.

WILLELMI ROTHOMAGENSIS ARCHIEPISCOPI AD LAMBERTUM.

WILLELMUS Dei gratia Rothomagensis archiepiscopus, dilectissimo et Domino et fratri Atrebatensium episcopo LAMBERTO, præsentem et æternam salutem.

A Gualterum dilectissimum filium nostrum, quia vobiscum ei habitare placuit, vestræ religioni pro honestate sua multum commendamus. Ipse enim, quia vitiis quorumdam assentire noluit, eorum odia magis pro veritate quam pro vitio suo incurrit. Valete.

EPISTOLA XCIX.

LAMBERTI AD DAIMBERTUM SENONENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Honorabili domino et in veritate dilecto DAIMBERTO Dei ordinatione Senonensi archiepiscopo, LAMBERTUS sanctæ Atrebatensis Ecclesiæ servus inutilis, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.

Chirothecas auro frixo honeste adornatas et B manutergium, quæ in servitium dignitatis vestræ vobis mittere curavimus, ut ea accepto suscipere dignemini humiliter exoramus. Bene valete, reverende Pater, et mei peccatoris in sanctis orationibus vestris, maxime autem ad mensam dominicam mementote, ut Deus pater misericordiarum et totius consolationis me peccatorem de lacu miseriæ a luto fæcis et de carcere hujus vitæ misericorditer ad salutem educere dignetur.

EPISTOLA C.

HENRICI REGIS ANGLORUM AD LAMBERTUM.

HENRICUS, Dei gratia rex Anglorum et dux Northmannorum, LAMBERTO Atrebatensi episcopo, salutem et amicitiam.

Grates tibi reddo de hoc quod mihi mandasti per D. clericum tuum, et volo ut in me ex hoc amodo C habeas fiduciam, et libenter pro te faciam. Vale.

EPISTOLA CI.

O. S. R. E. CARDINALIS AD LAMBERTUM.

O. sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter cardinalis, charissimo Patri LAMBERTO Atrebatensi episcopo, salutem et pacem bonam.

Nuper discedens a latere Domini papæ suscepi mandata tibi et coepiscopis communicanda. Unde ex ejus qui me misit auctoritate hortamur dilectionem tuam quarta quadragesimæ dominica Corbeiæ nobis adfuturam. Valete.

EPISTOLA CII.

ODONIS CAMERACENSIS AD LAMBERTUM.

Domino LAMBERTO Dei gratia Atrebatensium episcopo, ODO, indignus Cameracensis Ecclesiæ servus, D fideles orationes in Domino.

Istius fratris nomine Rogeri obedientiam, quantum mea interest, vobis concedo, si vobis placet eum retinere. Valete.

EPISTOLA CIII.

CONVENTUS AQUICINENSIS AD LAMBERTUM.

Domino venerabili Patrique suo reverendo domino LAMBERTO Atrebatensi episcopo, humilis conventus Aquicinensium fratrum, cum debitæ subjectionis sponsione supplices salutes et obsequia.

Noverit veneranda paternitas vestra nos omnes dedisse domno Gelduino pridem abbati nostro talem per omnia licentiam dimittendæ abbatiæ qualem rescistis sive per ipsum sive per domnum Amandum

priorem nostrum fratresque quos cum eo direximus. Precamur autem ut simplicitati potius quam arrogantiæ imputetis quod non primo cum eis hujus consensus nostri litteras misimus vobis. Magno quippe dolore confusi hoc ignoranter omisimus. Nec sane leviter vel ad primas preces ejus dedimus ei hujusmodi licentiam; sed quia, nisi sibi daremus, vehementi affirmatione discessurum se minabatur, maluimus saltem hoc modo eum retinere quam prorsus dimittere. Bene valete et memorem nostri esse optamus vos, domine.

EPISTOLA CIV.

EJUSDEM CONVENTUS AD EUMDEM.

Domino venerabili LAMBERTO Atrebatensium episcopo, humilis conventus Aquicinensium, debitæ subjectionis et reverentiæ salutis auxiliante propitia gratia Dei.

Hunc præsentem fratrem nostrum domnum Robertum communi consensu in abbatem nobis elegimus, consecrandumque vestræ paternitati direximus, obsecrantes ut quod in eo cœpimus laudetis et confirmetis. Dominus vos incolumem conservet.

EPISTOLA CV.

LAMBERTI AD LUDOVICUM REGEM.

Honorabili domino et regi suo LUDOVICO in veritate dilecto, LAMBERTUS sanctæ Atrebatensis Ecclesiæ presbyter, vivere et regnare in Domino Jesu Christo unico Dei Patris Filio, Rege regum, et omnium dominantium Domino.

Rogamus altitudinis vestræ mansuetudinem, de qua multum confidimus, quatenus huic nuntio nostro præsentium latori locum donetis ubi vobis licenter quæ mandamus denuntiet. Bene valete in Domino Deo semper, et per eum per quem reges regnant oriatur in diebus vestris justitia et abundantia pacis.

EPISTOLA CVI.

LAMBERTI AD RADULFUM REMENSEM.

Reverendo Patri et domino RADULFO Dei ordinatione Remorum archiepiscopo, LAMBERTUS, sanctæ Atrebatensis Ecclesiæ servus inutilis gaudium et lætitiam sempiternam in Spiritu sancto.

Pro fratre nostro Henrico Sancti Vedasti abbate scribimus vobis ut si aliquis ad vos criminator aut susurro propter eum perturbandum advenerit, nullius personam recipiatis aut vocem audiatis, excepto si ad vos appellatum fuerit, donec nobis personas accusantium imo Christianæ pacis et sanctorum canonum perturbatores significaveritis. Bene valete, reverende mi Pater et domine, cum omnibus vos in veritate diligentibus, et orate pro nobis.

EPISTOLA CVII.

LAMBERTI AD POMONEM SACERDOTEM.

Domno POMONI religioso sacerdoti et Deo amabili et omni suæ congregationi, LAMBERTUS, sanctæ Atrebatensis Ecclesiæ servus inutilis et presbyter indignus, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.

Quoniam multa mihi de laudabili vestra vestro- A rumque filiorum conversatione referentes compatriotæ mei honesti presbyteri L. videlicet atque A. dederunt mihi quasi quamdam fiduciam apud fraternitatis vestræ dilectionem impetrare quod postulamus. Postulamus namque instanter quatenus visibilem, ut dicitur, missæ celebrationem, quam quidem frater canonicus vester apud Beatum Petrum vobis convicaneum monachus factus in confessione monasterii prædicti apostoli beatum Augustinum vidit et audivit agentem ad altare proprii sepulcri, vestro veraci stilo descriptum quod ibi cantatum est, quod lectum est nobis mittere dignemini. Communionem solummodo, *hoc corpus quod pro vobis tradetur*, prædicti fratres in illo officio contestati sunt se retinuisse et cantatam ibi fuisse. Bene valete, reverende et dilecte Pater, in unico Dei Patris Filio B Salvatore nostro Domino Jesu Christo, et orate pro nobis. Visionis autem modum et tempus et horam cum Dominicæ Incarnationis anno et indictione, sicut canonicum est, et quis fuerit in sancta Romana catholica et apostolica sede pontifex, et quis Thicinensi tunc præfuerit Ecclesiæ, annotate.

EPISTOLA CVIII.

LAMBERTI AD G. PARISIENSEM ARCHIDIACONUM.

Merito sibi amatissimo fratri et domino G. Parisiensi archidiacono, LAMBERTUS, sanctæ Atrebatensis Ecclesiæ servus inutilis, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.

Cum charitas vinculum perfectionis sit et magistra omnium virtutum, et juxta beatum Fulgentium episcopum qui in charitate ambulat, non errat, C neque peccat, miramur satis et supra quare nuper manutergium quod illi Dei servo Melodunensi abbati fratri vestro miseramus, cujus obitum necdum audieramus, tam obstinaciter, si audeam dicere, tamque contradictorie tandem vobis retinere, sed non sine conditione, voluistis. Nolite itaque, dilecte mi frater et domine, nolite tale quid in nostris desideriis et votis deinceps facere, sed quod cum bona voluntate et plena charitate prædicto Dei servo munusculum misimus, quasi quodam jure hæreditario, tum pro ejus dilectione, tum pro devota nostra donatione, vobis vindicare non negligatis. Bene valete, et orate pro nobis.

EPISTOLA CIX.

LAMBERTI AD RICHARDUM ALBANUM.

D Inter cæteros et præ cæteris episcopis honorabili domino et amico RICHARDO Albano, LAMBERTUS, sanctæ Atrebatensis Ecclesiæ servus inutilis et presbyter indignus, gaudium et lætitiam sempiternam in Spiritu sancto.

Ex abundanti dilectione bonitatis vestræ, quam circa nos geritis præsumentes, hunc præsentium latorem vobis commendamus, ut eum diligenter audiatis, et pro Dei amore et nostra petitione ut in suæ causæ justitia sentiat nostrum sibi prodesse patrocinium humiliter exoramus. Bene vale, reverende mi Pater et domine, in Domino Deo salutari nostro, et orate pro nobis.

EPISTOLA CX.

LAMBERTI AD F. GERMANUM ET UTERINUM FRATREM SUUM.

LAMBERTUM, Dei miseratione Atrebatensis episcopus, F. germano et uterino fratri suo, luctari cum angelo sicut luctatus est Jacob, sed surgente aurora angelum non dimittere donec ab eo mereatur benedictionem suscipere.

Quoniam divina lex magis insequitur et prosequitur atque requirit promissa quam debita, nullus veraciter Christianus facilis aut fallax fiat ad promittendum, ne reus aut mendax judicetur promissum non adimplendo. Quantum autem piaculum animæ sit mendacium, audiamus cum timore et tremore prophetam dicentem : *Os quod mentitur occidit animam.* Unde et David rex sanctissimus et propheta veracissimus ait : *Perdes omnes qui loquuntur mendacium ;* et rursum : *Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos.* Et Dominus Jesus in Evangelio : *Ex verbis enim tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis.* Sequitur et alia Scriptura dicens : *In manibus linguæ vita et mors.* Super hoc detestabili et tam mortifero vitio audiamus sanum consilium sacræ Scripturæ dicentis : *Qui custodit os suum, custodit animam suam.* Apostolus quoque Paulus præco nostræ salutis et doctus medicus nostræ infirmitatis omnem catholicam Ecclesiam instruit dicens : *Nolite mentiri invicem, exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum eum qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.* Corrigamus ergo juxta tot Scripturarum medicinalia præcepta pravas et perversas mentiendi consuetudines. Nullum decipiamus, nulli quod facere nolumus promittamus, quia dum caute et provide proximo mentimur, nos ipsos et animas nostras occidimus, et apostatam angelum imitamur, de quo Christus Jesus in sacrosancto Evangelio ait : *Ille ab initio homicida fuit et in veritate non stetit, mendax est et pater ejus.* Quia videlicet mendacii pater diabolus est, non generando, sed superbia illud sibi adinveniendo. Quare de mendacio tantum scribere voluerim lator præsentium et vobis et dilectæ mihi fratrissæ secreto intimabit. Bene valete in Domino, et sic studete transire per bona temporalia ut non amittatis æterna.

EPISTOLA CXI.

RICHARDI A. S. LEGATI AD LAMBERTUM.

RICHARDUS, Dei gratia Albanensis episcopus, apostolicæ sedis, licet indignus, minister et legatus, venerabili fratri LAMBERTO Atrebatensi episcopo, salutem.

Audivimus morem abhorrendum et sacris canonibus prohibitum in Ecclesia vestra inolevisse, videlicet quasdam Ecclesias tres aut eo amplius personas principaliter prælatas habere, et una mortua, cæteras in partem ejus succedere, et sic usque ad ultimam, cum in beati Augustini commentariis recolamus nos legisse unam Ecclesiam unum tantum presbyterum habere debere. Hoc igitur prohibemus, et ut viriliter prohibeatis apostolica vobis auctorita- A te præcipimus. Ad hoc de usurariis hoc fieri apostolica auctoritate jubemus ut si eorum impetitores se eis pecuniam suam et usuram reddidisse testium assertione possint comprobare, non dubitetis eos judiciarium ordinem implevisse et sic usuram reddi debere.

EPISTOLA CXII.

GILDUINI AD LAMBERTUM.

Domino LAMBERTO Atrebatensis Dei gratia episcopo, omnibus jure venerando, mihi vero præ cæteris speciali dilectione semper amplectendo, GILDUINUS vestræ servus sanctitatis, veram animæ et corporis in Christo Jesu salutem.

Illum amorem et dilectionis gratiam quam circa parvitatem nostram sanctitas vestra dignata est exhibere ex B quo vestræ familiaritatis notitia merui sublimari adhuc integram sentio et desidero permanere. Nisi enim pacem meam plurimum amaretis, fratribus nostris Aquicinensibus de me talia quærentibus taliter non respondissetis. Cognovi enim, domno Drogone ex parte vestra mihi referente, fratres Aquicinenses me in abbatem sibi iterum elegisse, et ut super tali negotio eos juvaretis paternitatem vestram consuluisse, vos vero hoc non posse, quia jam nec vester monachus eram nec in vestra diœcesi commorabar, respondisse, nunc autem domnum Drogonem ut quænam esset voluntas nostra super hac re diligenter sciscitaretur misisse. Unde vestræ sanctæ charitati, quia quietem reclusionis nostræ turbare non vultis, multimodas gratias agimus, et ut super hoc vos adjutorem et defensorem C semper habeam omnimoda prece obnixius deprecamur ; quia revera non aliam voluntatem, teste Deo, de hac vel alia abbatia habemus vel ultra cooperante Deo habere volumus quam illa die habuimus qua illam dimisimus ; et si voluntas inesset, certe salus corporis, quæ jam deficit, ad tantum pondus nullo modo sufficiens esset. Valete.

EPISTOLA CXIII.

LAMBERTI AD F. ABBATEM.

LAMBERTUS, Dei miseratione Atrebatensis episcopus, dilecto in Christo fratri F. abbati, spiritu ambulare, et desideria carnis non perficere, sed quæ illi præcepit Deus cogitare semper et facere.

Cum litteras nostras nuper tibi miserimus et per obedientiam tibi præceperimus quatenus in quinta D præterita feria ad nos venires, et necdum venisti, nec quare non veneris mandasti non sicut hactenus æque portamus. Mandamus ergo tibi et ea qua tibi auctoritate præsumus constanter præcipimus quatenus, remota omni occasione, in instanti quinta feria sive prima sequenti sexta feria ante horam sextam te nobis præsentare non differas. Habemus enim tecum de religione tua et de conversatione monasterii tui collationem facere, quia cardinalis domnus Richardus episcopus, apostolicæ sedis legatus, concilium celebrare ante festivitatem sancti Remigii disposuit et abbates Remensis provinciæ adesse mandavit. Quoniam ergo melior est obedientia

quam victima, et juxta beatum Gregorium usus rectæ conversationis est ut obedientiam non imperet qui eam prælatis exhibere non novit, et vera obedientia moram non habet, interdicimus tibi et locum et sedem abbatis nisi quod mandamus adimplere cum diligentia studueris.

EPISTOLA CXIV.

A. PRIORIS AQUICINENSIS AD LAMBERTUM.

Domino LAMBERTO, Dei gratia Atrebatensium episcopo, frater A. prior Aquicinensis, grexque sub eo degens, debitæ obsequium subjectionis.

Quoniam, domine pater, ut vobis notum est, electione qua domnum Gilduinum elegeramus frustrati sumus, vestræ parentes jussioni, condicta die congregatis in unum cunctis propemodum filiis nostræ Ecclesiæ, post multimodam ventilationem, tandem adminiculante sancto Spiritu, quem nostris votis affore oravimus cum lacrymis, communi consilio elegimus priorem ecclesiæ Sancti Vedasti domnum Alvisum pastorem nobis fieri. Unde precamur vestram clementiam quatenus domnum Lambertum abbatem Sancti Bertini super hoc negotio pulsetis; ut quia monachus sui cœnobii est professus, nostris assentiri dignetur votis, largiendo eum in quo acclamavit totius sanior capituli assensus unanimis. Valete.

EPISTOLA CXV.

LAMBERTI AD JOANNEM MORINORUM EPISCOPUM.

Venerabili domino JOANNI, Dei gratia Morinorum episcopo, LAMBERTUS Atrebatensis Dei miseratione, si quid est, bene et semper valere in unico Dei Patris Filio.

Quia scriptum est, *frater adjuvanas fratrem, ambo consolabuntur*, rogamus sanctitatem vestram de qua multum confidimus, imo præsumimus quatenus electionem quam Aquicinenses fratres de filio vestro Alviso Sancti Vedasti priore fecerunt nobiscum confirmetis et confortetis, vel ut eum abbatem habeant secundum auctoritatem vobis a Deo donatam instanter adjuvetis. Bene valete, reverende domine, et orate pro nobis.

EPISTOLA CXVI.

LAMBERTI AD LAMBERTUM ABBATEM.

Honorabili domino et in veritate dilecto et semper diligendo LAMBERTO abbati, LAMBERTUS qualiscunque sanctæ Atrebatensis Ecclesiæ servus, et archidiaconi C. et R. salutis et sanctitatis suæ amatores, gaudium et lætitiam sempiternam in Spiritu sancto, et amori Dei nihil præponere.

Reverende domine et Pater honorande, quod a sapientia vobis divinitus data suppliciter exigimus, hilariter faciatis : quia juxta Apostolum, hilarem datorem diligit Deus, humiliter et efficaciter impetrare desideramus. Electionem siquidem Aquicinenses fratres de priore Sancti Vedasti Alvisio fecerunt. Placeat ergo vobis eum illis donare in abbatem et nobis ad obedientiam nostræ Ecclesiæ absolutum reddere, ut in libertate spiritus et illis possit præesse et prodesse et Deo digne ubique deservire;

A quoniam ex abundanti est vos docere quid beatus Benedictus de sancto Mauro fecerit, quid etiam sanctus Eustasius abbas de sancto Audemaro et Bertino et Mommoleno fecerit non latet; ut omnia in charitate fiant propter amorem Dei et dilectionem proximi, ex bono odore vestri monasterii alii refocillentur, et in vinea boni operarii per vos consolentur. Bene vatete, dilecte Pater et domine, et orate pro nobis.

EPISTOLA CXVII.

BALDRICI NOVIOMENSIS AD LAMBERTUM.

Domino et confratri LAMBERTO, Dei gratia Atrebatensium episcopo, BALDERICUS sub eadem gratia Noviomensium et Tornacensium episcopus, salutem et veram in Christo dilectionem.

B Fraternitati vestræ notificamus clericum istum Bernardum nomine in episcopatu nostro natum, nutritum et eruditum, ac per nos ad sacerdotii gradum fuisse promotum. Hunc etiam liberum vobis cum debita subjectione et obedientia mittimus, et ut ei paterna benegnitate sui officii solatium concedatis charitative petimus. Valete.

EPISTOLA CXVIII.

LAMBERTI AD ODONEM CAMERACENSEM.

Honorabili domino ODONI Cameracensium episcopo, LAMBERTUS sanctæ Atrebatensis Ecclesiæ qualiscunque minister, spiritualium gratiam gaudiorum.

Significatum est nobis a curia et per curiam Balduini Flandrensis comitis quod vos nuper apud Duacum per archidiaconos vestros A. et R. et nuntium C imperatoris litteras præsentari fecistis, in quibus sic continetur, inter cætera scriptum : *Unde mandando rogamus ut episcopum Cameracensem cum Ecclesia sibi commissa amore gratiæ nostræ sustentare curetis in omnibus quæcunque eadem Ecclesia ante discordiam regni et sacerdotii in pago Atrebatensi sive in comitatu vestro tenuit.* Ad hæc quidam de nuntiis, quod in litteris præsentatis non continebatur, nominavit Stratam et Marcolam, et cætera quæ voluit imperatoris esse dixit. Ecclesia vero Atrebatensis et nos adhuc nescientes quod Atrebatum fuerit de imperio, sed de regno Francorum, et per consilium et auxilium comitis Roberti apud Castellum tumulati, in cujus potestate Atrebatum erat, necnon et per licentiam et assensum Philippi Francorum regis, de cujus regno Atrebatum esse dignoscitur, et per D concilia sub Rainoldo archiepiscopo Remis habita, et per auctoritatem apostolicæ sedis et Urbani Romani pontificis II, tota actio Atrebatensis Ecclesiæ decursa et ordinatio confirmata sit, videtur nobis vos inordinate erga nos et erga Atrebatensem Ecclesiam fecisse quod primo per curias principum querimoniam de nobis fecistis antequam nos per communes fratres nostros et Remensis provinciæ suffraganeos conveniretis. Rogamus erga vos per fraternitatis amorem, qua sanctitatem vestram sine simulatione diligimus, ut nobis rescribatis si prædictæ querimoniæ apud principes per vos sunt factæ. Bene valete, et orate pro nobis.

EPISTOLA CXIX.

FRATRIS WA. AD LAMBERTUM.

Domino et Patri reverendo sanctæ Atrebatensis Ecclesiæ Dei gratia episcopo LAMBERTO, frater WA. servus servorum sanctæ Trinitatis Rothomagi et sibi commissi fratres, salutem et debitæ subjectionis obsequium.

Gratias, Domine, vestræ dignitatis excellentiæ reverenter exhibemus, qui vestræ dilectionis benignitatem erga nos in tantum extendistis ut etiam post munus nobis vestra gratia impensum ipsam comprobaretis, et licet alterius provinciæ nos simus, tamen concessa nobis Ambrisnensi ecclesia, vestros parochiales esse voluistis. Quapropter piæ devotionis affectum devote vobis offerimus, et nos et omnia nostra vestræ jussioni subjicimus. Tantum etiam pro vobis nos acturos libenter promittimus quantum pro domno abbate defuncto paternæ dignitatis et jus et consuetudo exigit. Pro dominis etiam nostris canonicis vestris quantum pro fratribus nostris in omnibus agere decrevimus. Istum autem fratrem nostrum R. ipsi Ambrisnensi loco præfecimus, cui ut vestræ dignitati debitam obedientiam exhibeat præcipimus. Sed et nos omnes tanquam Patri et domino cum omni subjectione vobis obedire cupimus.

EPISTOLA CXX.

Venerabili Patri et domino in Christo Jesu dilecto LAMBERTO Dei gratia Atrebatensium episcopo, GODEFRIDUS sanctæ Ambianensis Ecclesiæ inutilis servus, infinitæ vitæ gaudiis infinitis perfrui.

Fratres de titulo Sanctæ Mariæ Atrebatensis Ecclesiæ et de titulo Sancti Vedasii de Castello, quos, Pater reverende, parvitati nostræ ad sacros ordines promovendos transmisisti, læti suscepimus, ipsosque per manus nostræ impositionem, gratia Spiritus sancti cooperante, promotos sanctitati vestræ remittimus, Hugonem, Fulbertum, Elbertum, Hunoldum, Arnulfum in ordinem sacerdotii, Joannem, Adelelmum, Johannem, Robertum, Gislebertum, Odonem, Wicardum in ordinem diaconatus, Nicolaum, Gualterum in ordinem subdiaconatus. Valete. Actum est hoc anno Incarnationis Domini 1111, XVII Kal. Aprilis, indictione IV.

EPISTOLA CXXI.

LAMBERTI AD IVONEM CARNOTENSEM.

Honorabili domino et Patri charissimo IVONI Dei gratia Carnotensium episcopo, LAMBERTUS, sanctæ Atrebatensis Ecclesiæ servus inutilis, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.

Quoniam placuit paternitati vestræ per præsentium latorem et nos salutare et medicinam infirmitatis nostræ mittere, multum lætificastis nos qui in tantis bellorum tempestatibus et pressuris positus nostri memor fuistis. Quia vero tantas quantas debemus vobis gratias digne reddere non possumus, ab omnipotenti Domino et Salvatore nostro Jesu Christo retribuatur vobis in resurrectione justorum quia sæpius multa bona nobis fecistis et facitis. Reverende mi Pater et domine, bene valete semper in Spiritu sancto, et orate pro me peccatore, ut omnipotens Deus sanctis precibus vestris placatus me peccatorem a peccatis absolvere et de tenebris hujus vitæ et de lacu miseriæ dignetur misericorditer educere et in terra viventium constituere. Salutant vos multum domnus Clarembaldus archidiaconus et Rogerus diaconus, sanctitatis vestræ fidelissimi amatores.

EPISTOLA CXXII.

LAMBERTI AD GODEFRIDUM AMBIANENSEM.

Dilecto et semper diligendo domino GODEFRIDO Dei gratia Ambianensi episcopo, LAMBERTUS, sanctæ Atrebatensis Ecclesiæ servus inutilis, continuam in omnibus Spiritus sancti consolationem.

Guisfridus de Hamelaincourt et Guido frater ejus multum conqueruntur nobis quod cum primum vobis servierint, pro excommunicatis habeatis, cum nec ecclesiam intraverint, nec hominem inde captum extraxerint, nec etiam atrium intraverint, aut de ejus captione vel redemptione partem aliquam exspectent; et inde instanter quærunt a nobis judicium Atrebatensis Ecclesiæ, si a vobis debeant excommunicari. Similiter et Theodoricus de Abling et Guinemarus frater ejus et alibi parochiani nostri qui ad Guarmundum transierunt de Pinchegny conquerunt quod eos excommunicaveritis et nos inde eos male tractamus, et judicium quærunt a nobis et a nostra Ecclesia, cum parati sint jurare quod scienter nihil de vestro habuerint, neque Guarmundo pro timore Dei et vestro deinceps servient. De Hugone Campdavene nihil remandamus, quia in episcopatu nostro nec demoratur nec invenitur. Nos tamen accepto consilio fratrum nostrorum atque abbatum in nullo audemus vobis consulere ut transgrediamini antiquos terminos quos patres nostri constituerunt in ligando et solvendo populum Dei. Nobis vero non expedit ut pro damno rerum aut perditione pecuniarum in aliquo excedamus legem Domini, quæ irreprehensibilis est. Bene valete, et orate pro nobis.

EPISTOLA CXXIII.

LIETARDI SUESSIONENSIS A LAMBERTUM.

LAMBERTO Dei gratia Atrebatensium episcopo, LIETARDUS humillimus Suessionensium episcopus, in electorum numero perenni gaudio feliciter perfrui.

Quoniam hunc Odonem inter nos educatum atque inferiorum ordinum dignitate sublimatum accepimus, bonorum testimonio confisus ad sacerdotium promovimus. Hunc ergo prædictum sacerdotem et quod in suo juris habebamus vestræ diligentiæ committimus. Valete.

EPISTOLA CXXIV.

RADULFI REMENSIS AD LAMBERTUM.

RADULFUS Dei gratia Remorum archiepiscopus, venerabili fratri et coepiscopo suo LAMBERTO Atrebatensi, salutem.

Personæ Laudunensis Ecclesiæ ad nos venientes nobis retulerunt se communi totius cleri voluntate

et populi expetitione, cum regio etiam assensu, domnum Hugonem Aurelianensis Ecclesiæ decanum in episcopum elegisse; per quem et Ecclesiæ suæ desolationi et urbis et patriæ calamitati subveniri posse in Dei misericordia sperantes, sæpius iterata precum instantia a nobis exegerunt ne electi sui consecrationem diutius differremus. Quocirca confratres et coepiscopos nostros ad ipsum pridie Nonas Augusti consecrandum Remis convocavimus, cum quibus vestram præsentiam adesse plurimum consolaremur. Sed quia infirmitate præpediente affuturum esse desperamus, fraternitatis vestræ discretioni mandamus quatenus, prout sanctorum Patrum expetit auctoritas, ad prædicti electi consecrationem assensum vestrum mittere procuretis. Valete.

EPISTOLA CXXV.

LAMBERTI AD RADULPHUM.

Reverendo Patri et domino RADULPHO Dei ordinatione Remorum archiepiscopo, LAMBERTUS qualiscunque Atrebatensis Ecclesiæ minister, spiritualium gratiam gaudiorum.

Pro domno Hugone Aurelianensis Ecclesiæ decano, nunc autem Laudunensis Ecclesiæ electo, de quo nostrum assensum, quia canonicum est, habere voluistis, paternitati vestræ litteris nostræ parvitatis remandamus, ut quidquid de ejus consecratione vestra metropolitana auctoritas judicaverit, et juxta statuta sanctorum Patrum in nomine Domini fecerit, et nos grataner assensum præbere, et ut Deus omnipotens illum sua gratia dignum perficiat plurimum exoptare. Bene valete, reverende Pater et domine, cum omnibus Remis in Spiritu sancto congregatis, et orate pro nobis.

EPISTOLA CXXVI.

AD BALDUINUM FLANDRIÆ COMITEM.

LAMBERTUS Dei miseratione Atrebatensis episcopus, honorabili et magnifico Flandrensium comiti BALDUINO, auxilium et consilium a Domino Deo semper.

Clementia comitissa mater vestra conqueritur quod ei dotalitia sua et alias possessiones quas pater vester ei contradidit et quiete possidere permisit, vos quoque ut easdem ei. . . . . possessiones quiete et sine scandalo possidere permittatis. Unde rogamus excellentiam vestram ut matrem vestram ad iracundiam non provocetis, sed juxta præceptum Domini qui dixit *Honora patrem tuum et matrem tuam ut sis longævus super terram quam Dominus Deus daturus est tibi*, in mansuetudine supportetis, ut a Domino longævus et princeps pacificus vivatis super terram. Quod si hoc facere nolueritis, rogat nos et nos rogantes pro ea exposcimus quatenus ei diem constituatis, et comites terræ vestræ et castellanos quos ipsa in hac causa adesse voluerit convocetis, et quod ab illis ei judicatum fuerit in curia vestra sive in curia regis Francorum parata est sequi. Valete.

EPISTOLA CXXVII.

LAMBERTI AD EUSTACHIUM BONONIENSEM COMITEM.

LAMBERTUS, Dei miseratione Atrebatensium episcopus, dilecto et honorabili Bononiensium comiti EUSTACHIO, parochiano suo, æternam in Domino Deo salutem.

Militem captum de Nigella, cui Dominus dedit refugium in ecclesia Beatæ Mariæ semper virginis Dominæ nostræ, ut liberum faciatis et securum, et Ecclesiam Dei honoretis et castellum vestrum in libertate spiritus exoramus. Et quoniam audivimus comitem Flandriæ apud Lens esse, mandamus ei per vos et litteris præsentibus supplicamus ut eumdem militem per terram suam securum abire permittat. Nemo enim vestrum est, dives vel pauper qui in periculo mortis aut captionis ad ecclesiam confugeret quin vellet per Ecclesiam liberari. Bene valete, et facite quæ Dei sunt, et Deus faciet quæ vestra erunt.

EPISTOLA CXXVIII.

LAMBERTI AD RADULPHUM REMENSEM.

Reverendo Patri et domino RADULPHO Dei miseratione Remorum archiepiscopo, omnibusque honorandis episcopis et abbatibus Remis in nomine Jesu congregatis, LAMBERTUS sanctæ Atrebatensis Ecclesiæ qualiscunque minister, disciplinam et sapientiam in Spiritu sancto.

Quoniam complacuit vobis, reverende Pater, pro querela canonicorum nostrorum et domni Henrici Sancti Vedasti abbatis et monachorum nobis mandare ut invitatio abbatis usque in Kalendas Novembris differretur, sicut mandastis factum est, et ex utraque parte collaudatum. Bene valete, reverende Pater et honorabiles episcopi domini mei, cum omnibus in concilio congregatis, et orate pro me peccatore, et instanter elaborate ut Ecclesiis nostris non illam quam mundus dare potest, sed illam quæ exsuperat omnem sensum, videlicet angelorum et hominum, Deo miserante et Spiritu sancto cooperante, pacem per vos nos gaudeamus consecutos.

EPISTOLA CXXIX.

GUALONIS PARISIENSIS AD LAMBERTUM.

Domino et amico suo LAMBERTO Dei gratia Atrebatensium episcopo, GUALO Parisiensis presbyter, salutem.

Sicut in litteris vestris permisistis, quod omnis Ecclesia in fide ac sacramentorum celebratione et ex orthodoxorum Patrum institutione horas canonicas frequentando sanctæ Romanæ, catholicæ et apostolicæ concordare debet Ecclesiæ, juxta petitionem vestram, quantum de his Romæ positus et vidi et audivi et ad memoriam reducere potui, præsentibus apicibus annotare curavi. Clerici Romani nullo tempore neque in adventu Domini seu in vigiliis vel in quadragesima ad primam, sextam, et nonam horam preces dicere consueverunt, sed post capitulum, responsorium, versum *Kyrie eleyson, Christe eleyson, Kyrie eleyson*, statim collectam sine *Pater noster* dicunt. Hoc etiam in omnibus festis faciunt. In matutinis vero et vespertinis horis tantum *Pater noster* cum capitulis *Miserere mei Deus* prostrati dicunt; sed *Kyrie*

elison ter repetito sequitur *Benedicamus Domino*. Denique papam eamdem quam canonici regulares in partibus istis tenent consuetudinem in cellula sua tenere sciatis, excepto quod in festis diebus in octavis ante collectam ter dicitur *Kyrie eleyson*, in nocte autem nativitatis Domini sine *Domine, labia mea aperies*, et sine *Deus, in adjutorium meum intende*, et sine invitatorio ab antiphona et psalmo incipientes, novem lectiones faciunt, quas vigiliam vocant. Finita autem nona lectione sine responsorio, sine laudibus collectam dicunt. Et sciatis quod nunquam Romani post nonam lectionem in festis diebus responsorium cantant, sed statim *Te Deum laudamus* incipiunt. Et in aliis diebus similiter post tertiam lectionem responsorium non dicunt; sed dicto versu sequitur *Deus in adjutorium* et cætera in matutinis laudibus dicenda. Arbitror hanc talem inolevisse consuetudinem quoniam soliti erant extremam lectionem populo semper exponere. Post vigiliam autem in nocte natalis Domini de qua supra diximus matutinas sicut nos faciunt, et primam missam sicut nos interserunt. A dominica qua cantatur *Judica me Deus* ad introitum non dicunt *Gloria Patri*, sicut nec nos dicimus. In cœna vero Domini horas diurnas sine antiphona, sine responsorio ita terminant. Ille qui præest in choro dicit: *Christus factus pro nobis Patri obediens usque ad mortem*. In sexta feria majore additur, *mortem autem crucis*. In Sabbato sancto adjungitur, *propter quod et Dens exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen*. Hæc breviter prout memoriæ potuerunt occurrere respondimus. Cætera quæ non erunt notitiæ vestræ recognita, si quando Deus colloqui concesserit, quod optamus, secundum inquisitionem vestram pleniter elucidabimus.

EPISTOLA CXXX.

ROBERTI NANNETENSIS AD LAMBERTUM.

Venerabili LAMBERTO Atrebatensium episcopo, ROBERTUS Nannetensis episcopus, æternæ vitæ gaudia.

Audivimus quod quidam noster compatriota Thietboldus nomine gratia studii digressus sit in alienas partes, et in præsentiarum apud vos moram facit; cui quidam vestratum, ut ad nos perlatum est, stimulante invidia, falsitatis quidem crimen imponunt, alii dicentes illum monachum fuisse, alii in homicidium incidisse, alii vero tale quid propter quod adnotatur exsilio perpetrasse. Porro nos sub vero testimonio vestræ innotescimus excellentiæ et testificamur ipsum non solum his supradictis haud irretitum criminibus, imo legitime natum, nobilibus ac laicalibus parentibus progenitum, nec ullo criminali involutum quo minus debeat ad cujuscunque dignitatis apicem promoveri. Ut autem obtrectantium et invidorum linguæ in eum obmutescant, ipsum commendamus, et a quolibet catholico ordinari episcopo cum formata concedimus epistola; in qua ad totius remotionem ambiguitatis prima Græce scripta elementa Patris et Filii et spiritus sancti Π, Υ, Δ, primam quoque nominis apostoli Petri littera Π, primam nominis mei P, secundam vestri Α, tertiam vero nominis ejus quem commendamus Θ, quartam civitatis nostræ intromisimus N, quintam vero indictionis quæ nunc temporis habet numerum E breve; quæ in unum collecta explent numerum DDCLIII. Addidimus etiam XCVIII numerum, qui secundum Græca elementa AMHN designat.

EPISTOLA CXXXI.

PASCHALIS II AD LAMBERTUM.

PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri LAMBERTO Atrebatensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Abbatem Sancti Vedasti cum venisset ad nos, etc. *Vide in Paschali, Patrologiæ tom. CLXIII.*

EPISTOLA CXXXII.

EJUSDEM AD EUMDEM.

PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri LAMBERTO Atrebatensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Querimonias clericorum vestrorum adversus monachos Sancti Vedasti, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CXXXIII.

EJUSDEM AD EUMDEM.

PASCHALIS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri LAMBERTO Atrebatensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

De mota burgi veteris et novi burgi quantitate, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CXXXIV.

LAMBERTI AD PASCHALEM.

Reverendo Patri et domino PASCHALI papæ, LAMBERTUS, sanctæ Atrebatensis Ecclesiæ servus inutilis, debitam cum orationibus reverentiam.

Placuit, reverende Pater, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CXXXV.

EJUSDEM AD EUMDEM.

Reverendo Patri et domino PASCHALI papæ, LAMBERTUS sanctæ Atrebatensis Ecclesiæ qualiscunque minister, debitam cum orationibus reverentiam.

Suscepimus, domine Pater, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLÆ CXXXVI-CXXXVIII.

PASCHALIS PAPÆ AD LAMBERTUM.

(*Vide inter Epistolas Paschalis, Patrologiæ t. CLXIII, sub. numm.* 369, 370, 249.)

EPISTOLA CXXXIX.

LAMBERTI AD HENRICUM VEDASTENSEM, ALBERTUM HASNONIENSEM FULCARDUM MARCIANENSEM.

LAMBERTUS Dei miseratione Atrebatensis episcopus, dilectis in Christo fratribus atque abbatibus HENRICO Vedastensi, ALBERTO Hasnoniensi, FULCARDO Marcianensi, per eam quæ in Christo est obedientiam ad æternam pervenire lætitiam.

Scire volumus dilectionem vestram nos et episcopum Tarvanensem litteras nuper ab apostolica sede suscepisse quæ nobis injungunt ut canonicis sanctæ Turnacensis Ecclesiæ et monachis Sancti Martini Turnacensis monasterii diem et locum con-

stitueremus ubi querimoniam quæ diu inter eos agitatur diligenter auditam remota appellatione ad debitum finem per Dei gratiam perducere studeremus. Nos vero, licet inviti, pro gravis et diutinæ infirmitatis nostræ timore, hujus negotii actionem apostolica auctoritate suscipientes, eadem auctoritate mandamus et fraternitati vestræ injungimus quatenus remota omni occasione XIII Kal. Augusti ante horam diei tertiam apud Capi castellum strenui militis domini Roberti Peronensis nobis et causis sanctæ Romanæ Ecclesiæ in consilium et auxilium adesse non negligatis. Bene valete in Domino semper, et orate pro nobis.

EPISTOLA CXL.

EJUSDEM AD SIGERUM TURNACENSEM ABBATEM,

Lambetus, Dei miseratione Atrebatensis episcopus, dilecto in Christo fratri Sigero Turnacensis monasterii abbati omnique congregationi sibi commissæ, per justitiæ semitas semper incedere et in omnibus actis suis Deo placere.

Scire volumus dilectionem vestram nos litteras ab apostolica sede nuper suscepisse quæ nobis injungunt ut vobis et canonicis sanctæ Turnacensis Ecclesiæ diem et locum constituamus ubi querimoniam quæ diu inter vos et prædictos canonicos agitatur diligenter auditam remota appellatione ad debitum finem deducere studeamus. Eadem ergo sedis apostolicæ auctoritate qua, licet inviti, pro timore gravis et diutinæ infirmitatis monemus, hoc facere cogimur, et præcipimus vobis quatenus XIII Kal. Augusti ante horam diei tertiam apud Capi castellum strenui militis domini Roberti Peronensis adesse non differatis. Bene valete, et orate pro nobis.

EPISTOLA CXLI.

AD GOTHERUM DECANUM TURNACENSEM ET G. PRÆPOSITUM.

Lambertus Dei miseratione Atrebatensis episcopus, dilectis in Christo fratribus domno Gothero Turnacensis Ecclesiæ decano et G. præposito, æternam in Domino salutem.

Licet nuper pro timore nostræ gravis et diutinæ infirmitatis querimoniæ vestræ causam, quæ inter vos et Sancti Martini Turnacensis monasterii monachos jam diu versatur, inviti susceperimus agendam, nunc tandem apostolicæ sedis auctoritate constricti mandamus et præcipimus vobis quatenus XIII Kal. Augusti ante horam diei tertiam apud Capi castellum strenui militis domini Roberti Peronensis ad causæ vestræ actionem vos præsentare procuretis. Bene valete, et orate pro nobis.

EPISTOLA CXLII.

FRATRUM TURNACENSIS ECCLESIÆ AD LAMBERTUM.

Domino suo domno Lambetro, Dei providentia Atrebatensis Ecclesiæ episcopo, venerabili Gotherus decanus cum cæteris fratribus Turnacensis Ecclesiæ orationum suffragia et non, indebitæ fidelitatis obsequia.

Ecclesia nostra non immemor quam pio, quam paterno affectu in causa quam adversus mona-

A chos Sancti Martini habuimus nobis subvenisfis, paternitati vestræ dignas rependit gratias. Quia vero nos et nostra in posterum infestari pertimescimus, sanctitatem vestram sollicite exorantes petimus ut qualiter arbitrii vestri decretum litem inter nos et monachos terminavit scripto et sigilli vestri auctoritate nobis corroboretis. Valete.

EPISTOLA CXLIII

Concordia inter canonicos Tornacenses et monachos Sancti Martini.

In nomine unius veri ac summi Dei Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen,

Ego Lambertus sanctæ Atrebatensis Ecclesiæ presbyter humilis rogatus a dilectis in Christo fratribus sanctæ Turnacensis Ecclesiæ filiis ut eis de queri-
B monia inter eos et monachos Sancti Martini in suburbio constituto habita scriptum faceremus, quatenus eorum causa definita in posterum munirentur. Nos vero considerantes eorum petitionem honestam esse et quod sapienter sibi et paci Ecclesiarum providerent et consulerent, libenter eam suscepimus finiendam. Qualiter autem negotium istud tractandum nobis impositum fuerit, non fastidiosis auditoribus sed benevolis lectoribus insinuare charitatis studio non refugimus. Domnus itaque Paschalis secundus litteras ab apostolica sede mihi et venerabili Morinorum episcopo Joanni direxit; in quibus nobis injunxit ut canonicis sanctæ Turnacensis ecclesia et monachis sancti Martini Turnacensis monasterii locum competentem constitueremus ubi
C querimoniam eorum diu et vehementer exagitatam, diligenter examinatam, penitus decidere studeremus, et remota appellatione debitum illi finem imponeremus, ut nullus deinceps per Dei gratiam huic querimoniæ locus relinqueretur. Nos ergo tanta auctoritate constricti et edocti, tandem largiente Domino in pago Viromandensi et episcopatu Noviomensi, apud Capi castellum in ecclesia Sancti Medardi gloriosi confessoris Christi XVI Kal. Augusti convenimus: ibique in præsentia episcoporum, archidiaconorem, abbatum, et religiosorum clericorum, primo omnium prædicabiliter et multum studiose rogavimus canonicos Turnacenses et monachos, optionemque eis dedimus quatenus, sicut filii dilectionis, et quorum conversatio in cœlis esse de-
D bet, si contra sacros canones et statuta Patrum alter alterius reprehensibiliter res usurpassent, pro Dei timore suaque salvatione omnino dimitterent. Ubi cum nihil perfecissemus, audita querimouia canonicorum et responso monachorum, rursum commonefecimus eos ne tam damnosæ animabus contentioni diutius inservirent, sed fraternam potius et Christianæ perfectionis pacem inter se componere studerent. Cum autem ad integrum nos audire noluissent, secessimus in partem, et accepto consilio venerabilium fratrum, capitulum etiam beati Petri præ manibus habentes quod dedit in conspectu totius sanctæ Romanæ Ecclesiæ in die ordinationis sancti Clementis: *Si qui ex fratribus*

negotia habent inter se, apud cognitores sæculi non judicentur, sed apud presbyteros Ecclesiæ quidquid illud est dirimatur, et omnio obediant statutis eorum ; et illud beati Pauli apostoli: *In promptu habemus ulcisci omnem inobedientiam;* et rursum in conventu residentes et prædictorum apostolorum auctoritatibus præmuniti, domni quoque Paschalis papæ præcepto instructi, huic tam perniciosæ et amaræ altercationi talem imposuimus finem, paci et concordiæ atque indulgenti congruentem, quatenus monachi hortum suum et quod in horto excolerent absque reclamatione et alicujus dominationis redhibitione possiderent; excepto si olera horti vel fructus arborum et cætera hortularia venundaremur, tunc de venalibus decimum canonicis darent. Decimam vero fabarum, leguminum, et frugum, ovium quoque et porcorum et animalium de parochia sanctæ Turnacensis Ecclesiæ canonicis pacifice et absque omni retractatione darent. Sepulturam vero monachis et eorum conversis liberam canonici concessere hac conditione interposita ut nullum de parochia Turnacensi, nullum de canonicorum parochianis propriis, nullum etiam de paribus et casatis episcopi, nullum vero de paribus et casatis pertinentibus sive ad urbem sive ad castellum aliquo modo monachi præsumerent in suo cæmeterio sepelire nisi permissu et licentia canonicorum. Hanc autem pacis modificationem auctoritate Dei omnipotentis et beatorum apostolorum Petri et Pauli et domni Paschalis papæ et nostri conventus alterutrum firmiter tenendam statuimus. Et si quis eam qualibet occasione deinceps perturbaret, et iram Dei omnipotentis incurreret et gratiam apostolorum Petri et Pauli amitteret et canonum severitati sicut reus et infamis subjaceret quoadusque pro tanto commisso dignos pœnitentiæ fructus faceret. Ut autem hoc nostrum constitutum perenni tempore et stabile et inconvulsum permaneat, testes idoneos et fideles in quorum præsentia datum est aunotare procuravimus.

Domnus Joannes Morinorum episcopus interfuit et huic instituto assensit. Domnus Baldricus Noviomensium et Turnacensium episcopus interfuit et huic instituto assensit. Domnus Odo Cameracensis episcopus interfuit et huic instituto assensit. Claremboldus Atrebatensis archidiaconus, Robertus Ostrevandensis archidiaconus, Henricus Sancti Vedasti Atrebatensis abbas, Albertus Hasnoniensis, Fulcardus Marcianensis, Richardus de Monte sancti Eligii, Gono presbyter de Arina Gamantia de titulo Sanctæ Trinitatis, item Odo religiosus eremita et Presbyter de Arida Gamantia de titulo sanctæ Mariæ semper virginis dominæ nostræ.

Canonici et presbyteri de sede pontificali : Odo præpositus et presbyter, Anastasius cantor et presbyter, Rotgerus presbyter, Balduinus presbyter, Drogo œconomus, Gualterus Duacensis, Hugo filius Balduini, Gerardus decanus de castello Sancti Ve-

A dasti, Adso presbyter de Bethunia, Hugo præpositus de Bethunia, Balduinus decanus de Sancto Albino, Adam presbyter de eodem titulo, Honoratus presbyter de domno Medardo.

Ego Lambertus Dei miseratione Atrebatensis episcopus interfui et huic prædicto instituto assensi, et ut in memoriam teneatur, scripto et meæ humilitatis sigillo signari feci.

Actum apud Capi in ecclesia Sancti Medardi gloriosi confessoris et episcopi, XVI Kal. Augusti, indictione I, Incarnationis Dominicæ anno 1108, pontificatus autem domni Paschalis II papæ nono.

EPISTOLA CXLIV.

LAMBERTI AD PASCHALEM PAPAM.

B Reverentissimo domino et Patri Patrum PASCHALI papæ, LAMBERTUS, sanctæ Atrebatensis Ecclesiæ servus inutilis, debitam cum orationibus reverentiam.

Lator præsentium G. Turnacensis Ecclesiæ præpositus in præterita æstate ab apostolatu vestro detulit litteras mihi et venerabili Morinorum episcopo Joanni, in quibus mandastis nobis quatenus canonicis Turnacensibus et monachis Sancti Martini de suburbio eorum locum competentem constitueremus ubi utrorumque querimonia diligenter examinata, eam penitus decidere studeremus et remota appellatione debitum finem imponeremus, ut nullus per Dei gratiam querimoniæ locus ulterius relinqueretur. Nos vero, licet gravi infirmitate fatigati et
C detenti, tamen cum Dei auxilio et venerabilis episcopi Morinensis et clericorum nostrorum consilio providimus locum habilem ad quod mandastis faciendum. Ibi ergo cum multum et diu fatigarent nos Turnacenses canonici et monachi et eorum prolocutores, tandem divina propitiante misericordia, vestræ quoque auctoritatis obedientia, condonatis sibi alterutrum et damnis rerum et rancoribus animorum, in osculo pacis et Christianæ dilectionis in præsentia episcoporum Turnacensis et Cameracensis necnon et abbatum et religiosorum clericorum et laicorum prædictos canonicos et monachos abire in pace permisimus. Antequam autem conventus noster solveretur, rogati sumus a clericis Turnacensibus ut pactum et con-
D cordiam inter eos et monachos factam, ne in posterum alicujus maligni malitia vitiaretur aut corrumperetur, scripto nostro eam confirmaremus, quod et nos fecimus. Monachis autem nullum scriptum fecimus, quia ut faceremus rogati non fuimus. Suggerimus autem serenissimæ et dilectissimæ nobis sanctitatis vestræ justitiæ ut causam hanc sic agatis quatenus ab omnipotenti Deo bonam justitiæ mercedem suscipiatis et apud Turnacensem clerum et populum qui valde numerosus est, vestræ dignitati et religiosæ speculationi damna laudis non acquiratis. Bene valete, sanctissime et dulcisssime Pater in Domino Jesu Christo Salvatore nostro; et adjuvate sanctis ora-

tionibus vestris ut ineffabilis omnipotentis Dei misericordia me peccatorem a peccatis absolutum de A carcere et tenebris hujus vitæ et de lacu miseriæ et de luto fæcis educere dignetur.

III.

PRIVILEGIA CONCESSA A LAMBERTO.

(BALUZ, *Miscell.* ed. Luc. II, 158).

I.

Pro monasterio S. Dionysii Remensis.

(Anno 1097.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii; et Spiritus sancti. Amen.

Ego Lambertus Dei miseratione Atrebatensis episcopus.

Dulcissimis petitionibus tuis et Ecclesiæ cui præesse dignosceris satisfaciens, dilectissime fratrer et fili Hugo abba venerabilis congregationis invictissimi martyris beati Dionysii Remensis, pro peccatorum nostrorum redemptione tibi tuisque successoribus in eo quo es loco et ordine sub regula sancti Augustini militantibus sine aliqua turpis lucri exactione altare de Aix non solum concedimus, verum etiam qua præsidemus auctoritate liberaliter in perpetuum confirmamus. Salvo in omnibus Atrebatensis episcopi jure et redditibus ejus, et archidiaconi C ministrorumque ejus. Si quis autem post hanc nostram definitionem manu sacrilega ab Ecclesia cui Deo disponente annuimus auferre attentaverit, vel ingeniosis machinamentis contra ea ire præsumpserit, cum Simone Mago anathema sit. Prædictus vero domnus Hugo abbas et omnis ejusdem loci successor ejus abbas, si ad synodum Atrebatensis episcopi fuerit invitatus, adveniet. Et si talibus negotiis detentus et intentus fuerit pro quibus advenire non potuerit, per quemdam canonicorum suorum, nisi annuente episcopo remanserit, causas synodalis excusationis transmittet. Hanc etiam affinitatem inter Atrebatensem et Remensem gloriosissimi videlicet martyris beati Dionysii ecclesiam inconvulsa stabilitate concedimus quatenus Remenses, audito episcopi obitu, exsequias illius fraterne cele- D brare non differant, necnon anniversarium ejus perenniter custodiant, et Atrebatenses de abbate Sancti Dionysii similiter faciant. Nos siquidem hujus paginæ auctoritatem ratam et inconvulsam permanere volentes, in præsentia subscriptorum testium eam consignavimus. S. domni Joannis archidiaconi Atrebatensis. S. domni Clareboldi Obstrevandensis archidiaconi. S. domni Aloldi abbatis de Sancto Vedasto. S. domni Joannis de Monte Sancti Eligii abbatis. S. domni Odonis præpositi Sanctæ Mariæ. S. domni Guiberti decani. S. Anastasii cantoris Sancti Roberti Magistri. S. Gualteri custodis. SS. cononicorum Beatæ Mariæ Herberti, Balduini, Algisi, Hugonis, alterius Hugonis, Roberti, alterius Ro- B berti, alterius Balduini, Gerardi, Arnoldi, Radulfi, Bertulfi, Algisi, Andreæ, Petri. S. domni Cononis de Sancta Trinitate. S. Mascelini archipresbyteri. S. Drogonis Albiniacensis præpositi. Ego Lambertus Dei miseratione Atrebatensis episcopus hoc libertatis donativum relegi et subscripsi, et in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti † propria manu confirmavi.

Actum Atrebati in synodo anno Dei Christi 1037, indictione v, Nonis Februarii, anno autem pontificatus domni Lamberti Atrebatensis episcopi quarto.

II.

Pro monasterio Elnonensi.

(Anno 1097.)

In nomini Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. Ego Lambertus Dei miseratione Atrebatensis episcopus desideranti animo cupiens eradicare omnem Simoniacam hæresim a nostra diœcesi, satisfaciens precibus domni Hugonis venerabilis abbatis Elnonensis cœnobii de titulo Beati Stephani protomartyris et gloriosi Sancti Amandi cæterumque fratrum ejusdem Ecclesiæ, hæc altaria, scilicet de Scaldino, de Lurcio, et de Ruoth, et de Bulciniolo, et de Dieraco, quæ hactenus personaliter tenuerant, pro peccatorum nostrorum remissione successorumque nostrorum episcoporum prænominatæ congregationi liberaliter possidenda, remota omni simoniaca exactione, in perpetuum confirmamus; ea tamen conditione ut, defunctis presbyteris locorum illorum idonei ab abbate ad episcopum deducantur, eisque cura animarum al episcopo gratis impendatur. Salvo in omnibus jure Atrebatensis episcopi et redditibus ejus, et consuetudinibus archidiaconi sui et ministrorum ejus. Si qui vero post hanc nostram definitionem prædictam hæresim eradicatam replantare præsumpserit, vel pro tali negotio pecuniam exegerit, dator et acceptor cum Simone hæretico anathema sit. Prædictus autem domnus Hugo abbas, sed et omnis Elnonensis cœnobili successor ejus abbas, si ad synodum ab Atrebatensi episcopo fuerit invitatus, adveniet. Et si talibus negotiis detentus et intentus fuerit pro quibus advenire non potuerit, per quemdam monachorum suorum, nisi an-

nuente episcopo remanserit, causas et canonicale et synodalis excusationis transmittet. Obedientiarius vero altarium suprodictorum monachus synodis semper intererit. Hanc etiam affinitatem inter Atrebatensem et Elnonensem Ecclesiam inconvulsa stabilitate concedimus quatenus Elnocenses, audito episcopi obitu, exsequias illius fraterne celebrare non differant, et Atrebatenses similiter de abbate sancti Amandi faciant. Nos vero istius paginæ auctoritatem ratam et inconvulsam permanere volentes, eam in præsentia sbscriptorum testium consignavimus. S. domni Clarembaldi Obstrevandensis archidiaconi. S. domni Joannis archidiaconi Atrebatensis. S. domni Odonis Sanctæ Mariæ præpositi. S. domni Gasberti decani. S. domni Anastasii cantoris. S. domni Gualteri custodis. S. domni Roberti magistri. S. Mascelini Atrebatensis archipresbyteri. S. Amalrici decani de Masten. S. Joannis de Duaco decani. S. domni Aloldi venerabilis Sancti Vedasti abbatis. S. domni Joannis de Monte Sancti Eligii abbatis. S. domni Alberti Hasnoniensis abbatis. S. domni Richardi Marcianensis abbatis. S. domni Hamerici Acquicinensis abbatis. S. domni Raineri Cameracensis abbatis de Sancto Sepulcro. S. domini Goiffridi abbatis Sancti Andreæ de Novo Castello Cameracensi. S. domni Geroldi Hamensis abbatis de territorio Tarvanensi.

Ego Lambertus Dei miseratione Atrebatensis episcopus hoc libertatis donativum relegi, subscripsi † et in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti confirmavi.

Actum Atrebati in synodo in basilica Beatæ Mariæ semper virginis Dominæ nostræ, anno videlicet Dei Christi 1097, indictione v, xii Kal. Novembris. anno autem pontificatus domni Lamberti Atrebatensis episcopi quarto.

III.

Pro ecclesia apostolorum Petri et Pauli in monte S. Eligii.

(Anno 1097.)

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti unius veri et summi Dei. Amen.

Lambertus Dei miseratione Atrebatensis episcopus suis successoribus præsentis vitæ lætitiam et futuræ gloriam.

Legimus in gestis pontificum Atrebatensis Cameracensisque Ecclesiæ domnum Fulbertum earumdem urbium episcopum corpus beati Vindiciani de terra elevasse, eoque in loco, qui mons videlicet Sancti Eligii dicitur, ecclesiam, priore destructa, reædificasse de titulo apostolorum Petri et Pauli, ubi clericos octo et stipendia unde viverent constituit, et eos hac libertate donavit, ut nullius potestati subjacerent nisi solius episcopi. Post mortem vero ejus cœperunt dietim a servitute Dei tepere, ecclesiasque usque ad tempus domni Lietberti episcopi declinare. Quam destructionem ipse vir misericordiæ ægre ferens, ut ita dicam, alter Samaritanus, ejus miseriæ condoluit, ac secum tractare quomodo id in melius reparetur cœpit. Cui consilium tali negotio congruum ille ministravit qui hoc velle cordi ejus infudit. Nam ibi clericos regulares de communi viventes suorum consili fidelium ordinavit, eisque abbatem suæ professionis præfecit. Unde facto privilegio suos preccatus est successores ut eos proveherent et fierent adjutores. Libertatem quoque ecclesiæ ac possessionum suarum denuo confirmavit, et altare de Hucin ea conditione ibi dedit ut singulis annis in festivitate sancti Remigii xii denarios solvat, et deinceps ab omni redemptione liberum fiat. Altare quoque de Hodricourt ita dedit ut sine persona permaneat. Domnus quoque Gerardus prædecessor meus successorque suus in novilla et Mediana villa sine personis dedit altaria, salvo jure episcopi et redditibus ejus et consuetudinibus archidiaconi ejus. Hæc omnia ego Lambertus Dei miseratione Atrebatensis episcopus tibi, reverendissime frater et fili Joanne abba, omnibusque in eo quo es loco et ordine propter religionem tuam successoribus tuis religiose et communiter victuris, sicut superius determinatum est, firma et inconvulsa permanere concedo. Concedimus etiam suo in tempore, cum opus fuerit inibi canonicis religiose et absque proprietate viventibus, cum consilio et auctoritate Atrebatensis episcopi, licentiam eligendi juxta timorem Dei et sacros canones magistrum et abbatem. Quod si hujusmodi officii idonea persona ibi inventa non fuerit assenssu episcopi sui et consensu eligent de alio monasterio virum religiosum ordinis et professionis suæ in magistrum et abbatem sibi præficiendum. Post hæc vero deducatur ad episcopum, et suscipiat de manu ejus temporale beneficium loci et curam animarum et abbatis benedictionem. Hisque beneficis altare de Rebroniis precatu domni Clareboldi militis adjungo, ita ut duos tantum solidos in cœna Domini ad servitium episcopi persolvat, de cætero totum redigatur sub abbatis dominio.

Hujus rei testes domnus Johannes archidiaconus, domnus Clareboldus Archidiaconus, Odo præpositus, Wibertus decanus, fratresque cæteri totius congregationis Sanctæ Mariæ semper virginis. Domnus igitur Clareboldus hujus rei hortator nullum alium penitus hæredem facere volens quam Ecclesiam Rebroniensem, totam quam in vicinio habebat hæreditatem ibi dedit, ita ut ipse supradictus abbas ad honorem Dei et sanctæ Mariæ semper virginis ipsum locum per clericos suos detineret, et prout res exterior augeretur, servitium Dei intus cresceret. Dedit videlicet in Barafio integrum molendinum et unius carrucæ terram et quinque hospites, et in Dahellicurt quartam partem et silvam ibi attinentem. Hujus rei testes duo iterum archidiaconi, Johannes videlicet et Clareboldus, et totus Ecclesiæ Atrebabatensis conventus, domnus quoquo Aloldus abbas Sancti Vedasti, Philippus frater comitis Roberti, Clementia comitissa Flandrensis, Robertus advocatus, Baldricus de Colhem, Frumoldus de Jusula.

Hoc igitur datum et si quis aliud legitime dederit, qui usurpare præsumpserit et in pravos usus redigere attentaverit, canonicæ excommunicationi subjaceat.

Ego Lambertus Dei miseratione Atrebatensis episcopus hoc libertatis donativum relegi et subscripsi, et in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti propria manu confirmavi.

Actum Atrebati in synodo in basilica Beatæ Mariæ semper virginis Dominæ nostræ, anno videlicet Dei Christi 1097, indictione v, XII Kal. Novembris, anno autem pontificatus domni Lamberti Atrebatensis episcopi quarto.

IV.

Privilegium Cononi presbytero concessum.

(Anno 1097.)

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti unius veri et summi Dei. Amen.

Ego Lambertus Dei miseratione Atrebatensis episcopus gaudens de religiosa conversatione tua, reverentissime frater et compresbyter Cono, desiderio desideramus paci et quieti tuæ tam præsentibus temporibus quam et futuris providere. In adventu enim tuo et bonæ memoriæ domni Heldemari magistri et consacerdotis tui in Arida Gamantia in parochia nostra quæ dicitur Rochennias locum vobis ad serviendum Dei elegistis, qui, sicut aliquando fugiendus velut spelunca latronum fuit, nunc per Dei visitationem et tuam et fratrum tecum habitantium factus est refugium et solatium ibi transeuntium. Unde et te in eo quo es loco et ordine et successores tuos religiose et canonice inibi victuros hac donamus libertate ut tantum episcopo respondeatis et in manu ejus in libertate spiritus permaneatis. Contradimus etiam tibi et per te legitimis successoribus tuis cum fratribus inibi religiose et absque proprietate viventibus atque victuris in augmentum pacis et quietis loci tui prædictam parochiam de Rochennies sub respectu XII denariorum in cœna Domini ad servitium episcopi. Si autem aliquando, quod absit, antiquo hoste instigante, et prædicto loco vel parochiæ tale quid acciderit pro quo reconciliatio necessaria fuerit, tibi legitimisque successoribus tuis vice nostra, accepta aqua sanctificationis et reconciliationis, ut ea reconcilies religioni vestræ annuimus. Si autem prædictus locus largiente Domino ad tantam copiam rerum et servorum Dei ibi commorantium excreverit ut prælatum eligere debeant, liberam habeant potestatem, cum consilio et auctoritate Atrebatensis episcopi eligendi sibi magistrum et dominum juxta timorem Dei et instituta sanctorum canonum. Postmodum vero deducatur ante episcopum, et accipiat temporale beneficium loci et curam animarum et prælationis benedictionem. Rogamus ergo in Domino tam præsentes fratres nostros quam et successores episcopos nostros et sanctorum canonum auctoritate interdicimus et nostra ne quis hoc donativum libertatis violare aut corrumpere præsumat. Si quis scienter hujus nostræ institutionis privilegium infregerit, excommunicationi subjaceat quoadusque resipuerit et Ecclesiæ Dei satisfecerit. Fiat, fiat. Ut autem perenni tempore hoc decretum firmum et stabile maneat, testes fideles adnotare curavimus. S. domni Joannis Atrebatensis archidiaconi. S. domni Clarebaldi Obstrevandensis archidiaconi. S. domni Aloldi Sancti Vedasti abbatis. S. domni Hamerici Aquicinensis abbatis. S. domni Alberti Hasnoniensis abbatis. S. domni Richardi Marciniensis abbatis. S. domni Joannis sancti Vindiciani abbatis. S. Odonis præpositi Sanctæ Mariæ semper virginis. S. domni Wiberti decani. S. Roberti magistri. S. Anastasii cantoris. S. domni Gualteri custodis. S. Mascelini archipresbyteri. S. Johannis de Duaco decani. S. Balduini decani. S. Adsonis decani de Bethunia. S. Johannis decani de Castello. S. Joannis decani de Dangevilla.

Ego Lambertus Dei miseratione Atrebatensis episcopus hoc libertatis donativum ✝ et subscripsi, et in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti propria manu confirmavi.

Actum Atrebati in synodo in basilica Beatæ Mariæ semper virginis Dominæ nostræ, anno videlicet Dei Christi 1097, indictione v, XII Kal. Novembris, anno autem pontificatus domni Lamberti Atrebatensis episcopi quarto.

V.

Pro monasterio S. Vedasti.

(Anno 1097,)

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti unius veri ac summi Dei. Amen.

Cum inter cætera præceptorum Christianæ religionis summopere commendetur ramus uterque charitatis, Dei videlicet amor et proximi, nisi proximum erigamus, jumento salutis circumferamus ad exemplum illius Samaritani, non promerebimur gratiam hujus sanctæ dilectionis. Merito siquidem caritas debet amplecti quam divina providentia tantopere commendare studuit. Hæc namque per legem, per prophetas mundo prius innotuit, quam ut altius Dei Filius commendaret, in tempore gratiæ visibilis apparens in sole tabernaculum suum posuit. Et quoniam charitas loquitur, *Omni petenti te da*, et viscera charitatis semper carent inopia, nos oportet elaborare petentibus hilariter administare prout ratio dictabit et æquitas. Quare ego Lambertus Dei miseratione Atrebatensis episcopus sæpe et multum imploratus, satisfacere volui dulcissimis precibus domni Aloldi venerabilis abbatis Atrebatensis cœnobii de titulo gloriosi confessoris Christis Vedasti cæterorumque fratrum ejusdem ecclesiæ, ut altaria quæ personaliter tenuerant firmaremus liberaliter possidenda prædictæ congregationi. Unde cum fidelibus nostris communicato consilio, tibi, reverentissime frater et fili abba Alolde, tuisque legitimis successoribus pro peccatorum nostrorum redemptione, sine aliqua turpis lucri exactione, ipsa altaria non solum concedimus, verum etiam qua

præsidemus auctoritate liberaliter in perpetuum ea A confirmamus: ea tamen conditione ut defunctis presbyteris illorum locorum, alii idonei ab abbate ad episcopum deducantur, eisque cura animarum ab episcopo gratis impendatur. Salvo in omnibus jure Atrebatensis episcopi et redditibus ejus et archidiaconi ministrorumque ejus. Præterea promittente nobis et profitente abbate sicut primogenito filio nostro in privatis et publicis negotiis Ecclesiæ nostræ et in capitulo et extra fideliter et obedienter se deserviturum, si vocetur ab ecclesia. Hæc autem sunt nominatim altaria, Salgi, Florbacs, Laventies, Felcy, Vi, Conteban, Remchendencourt, Afceel, Hadas, Mons, Novilelle, Pabule, Basiliere, Bomviliers, Guarluse, Fiscau, Bairy, Fontenellis, Ateias, Gaurerle, Fuscariis, Bertricurt, Bigartu, Hambleng, B Frasne, Noveville, Iser, Tenluz, Moflancs, Ymercurt. Si quis autem post hanc nostram definitionem manu sacrilega cui Deo disponente annuimus auferre vel pecuniam exigere præsumpserit, dator et acceptor cum Simone hæretico anathema sit. Cujus rei gratia pignus hoc charitatis nobis recompensandum reduci volumus ad memoriam, quatenus audito obitu nostro, exequias et tricesimum nostrum et anniversarium tam præsentes fratres et abbates eorum perpetualiter celebrare procurent. Et quoniam sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur, rogamus te, dilectissime fili et venerabilis abba, et omnes successores tuos in eo quo es loco et ordine futuros abbates quatenus in charitate Spiritus sancti, in quo est remissio omnium pecatorum, quod nobis statuimus fieri, hoc C idem fiat successoribus nostris in Atrebatensi sede futuris episcopis. Sane quoniam in deterius defluunt tempora, nec actiones humanæ possunt memorari nisi per litteras, hoc libertatis donativum consignari libuit præsente pagina. Quod ut inconvulsum et sine refragatione permaneat, in augmentum firmitatis testium subscripsimus nomina, S. domni Claremboldi Atrebatensis archidiaconi. S. domni Joannis abbatis de Monte Sancti Eligii. S. domni Alberti abbatis Hasnoniensis. S. domni Æmerici abbatis Aquicinensis. S. domni Rayneri abbatis de Cameraco. S. domni Gaufridi abbatis de Novo Castello. S. domni Adam abbatis de Sancto Auberto. S. domni Odonis Sanctæ Mariæ præpositi. S. domni Guiberti decani. S. Anastasii cantoris. S. Roberti magistri. S. D Gualteri custodis. S. Mascelini archipresbyteri. S. Joannis decani d'Aginville. S. Radulfi decani. S. Asconis decani de Bethunia. S. Guarneri decani. S. Balduini decani de Bapalmis. S. Guagonis decani. S. Joannis pe Duaco. S. Gualteri decani PP. S. Arnulfi de Lens PP. S. Bernardi. S. domni Cononis de Arida Gamantia de titulo Sanctæ Trinitatis S. domni Achardi. S. domni Drogonis.

Ego Lambertus Dei miseratione Atrebatensis episcopus hoc libertatis donativum relegi, subscripsi † et in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti propria manu confirmavi.

Actum Atrebati in synodo in basilica beatæ Mariæ semper virginis Dominæ nostræ anno Dei Christi 1907, indictione VI, III. Idus Octobris, anno autem pontificatus domni Lamberti Atrebatensis episcopi quinto.

VI.

Odoni presbytero et Balduino decano ecclesiam Aiulcurris confirmat.

(Anno 1101.)

In nomine Patris, et filii, et Spiritus sancti. Amen.

Ego Lambertus Dei miseratione Atrebatensis episcopus gaudens de religiosa conversatione et eremitica vita tua, reverentissime frater et compresbyter Odo, desiderio desideramus paci et quieti tuæ tam præsentibus temporibus quam et futuris providere. Unde justas petitiones tuas et Balduini decani nostri pio affectu prosequentes, et te et successores tuos religiose et canonice inibi victuros hac donamus libertate ut tantummodo episcopo respondeatis et in manu ejus in libertate spiritus permaneatis. Ecclesiam itaque illam quam devotio tua ædificavit in loco solitudinis qui dicitur Aiulcurtis tibi et successoribus tuis in proposito religionis perseverantibus libere possidendam contradimus, et curam animarum confratrum tuorum eremitarum tibi committimus, et decimam agri eidem ecclesiæ circumjacentis, quem fratres tui eremitæ excolunt, annuimus. Rogamus ergo in Domino tam præsentes fratres nostros quam et successores nostros episcopos et sanctorum canonum auctoritate interdicimus et nostra ne quis hoc donativum libertatis violare aut corrumpere præsumat. Si quis scienter hujus nostræ institutionis privilegium infregerit, excommunicationi subjaceat quoadusque resipuerit et Ecclesiæ Dei satisfecerit. Fiat, fiat. Ut autem perenni tempore hoc decretum firmum et stabile maneat, testes fideles adnotare curavimus. S. domni Claremboldi Atrebatensis archidiaconi S. domni Roberti Obsrtevandensis archidiaconi. S. domni Aloldi Sancti Vedasti abbatis. S. domni Alberti Hasnoniensis abbatis. S. domni Hamerici Aquicinensis abbatis. S. domni Richardi Marcinensis abbatis. S. domni Roberti Molismensis abbatis. S. domni Sigeri Sancti Petri de Gant abbatis. S. domni Joannis de Monte Sancti Eligii abbatis. S. domni Adam de Sancto Auberto Cameracensis abbatis. S. domni Raineri de Sancto Sepulcro abbatis. S. domni Cononis de Arida Gamantia. S. domni Odonis præpositi. S. Anastasii cantoris. SS. canonicorum Gualteri, Algisi Roberti, Balduini, Rogeri, Gerardi, Andreæ, Guimari, Petri, Anselli. SS. decanorum Mascelini, Arsonis, Joannis, Gerardi, Guarneri, Guagonis, Balduini, Radulfi, alterius Joannis. SS. Arnulfi præpositi de Lens et Lictardi et Guagonis canonicorum. SS. Herberti decani, Durandi, Amandi, Gualteri, Odechini canonicorum Duacensium. S. Flotberi sacerdotis et personæ altaris de Flers.

Actum Atrebati in synodo in ecclesia Beatæ Mariæ

semper virginis anno Dei Christi 1101, indictione A ix, xvii Kal. Novembris, anno autem pontificatus domni Lamberti Atrebatensis episcopi octavo.

Ego Lambertus Atrebatensis episcopus hoc libertatis donativum relegi, signavi, subscripsi † et in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti complevi.

VII.

Privilegium pro ecclesia Linnensi.

(Anno 1106.)

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti unius veri ac summi Dei. Amen.

Ego Lambertus Dei miseratione Atrebatensis episcopus justis et honestis petitionibus honorabilis comitis Eustachii et nobilis ejus uxoris Mariæ co- B mitissæ, necnon et matris prædicti comitis Idæ religiosæ comitissæ acquiescens, quod a ministerio nostro exigunt, scire volumus tam præsentibus quam futuris filiis et fratribus nostris quod in libertate spiritus Lensensi Ecclesiæ et canonicis ejusdem Ecclesiæ ex petitione prædictarum personarum ratum et stabile perenni tempore per nostræ auctoritatis privilegium confirmasse. Unde omnia illa quæ in possessionem prædictæ Ecclesiæ sive a principibus, ut in eorum præceptis et scriptis continetur, sive a cæteris Dei fidelibus jam prædictæ Ecclesiæ, quæ cognoscitur ad titulum Beatæ Mariæ semper virginis dominæ nostræ et Beati Wlganii confessoris a principio fundata, juste donata et canonice possessa sunt, sive in posterum concedenda, pondere nostræ aucto- C ritatis a canonicis et eorum prælatis disponenda auctorizamus. Præterea ecclesias Sanctorum Leodegarii atque Laurentii martyrum et eorum episcopales redditus, sicut prædecessor noster venerabilis et religiosus episcopus Lietbertus ad usus canonicorum donavit et concessit, nos quoque consequenter annuimus et concedimus; ita tamen ut presbyteri qui eis ecclesiis in populo præficiendi sunt per manum canonicorum sive eorum prælatorum Atrebatensi episcopo semper offeratur, et sicut canonicum est de honestate vitæ suo episcopo professionem faciant, et obedientiam promittant, et sic curam populi suscipiant et gerant. De decano autem juxta timorem Dei et auctoritatem sanctorum canonum eligendo liberam canonicis concedimus facultatem. De advocato quoque in causis suis, sicut ex D rogatu et permissu comitis cognovimus, quem voluerint et quandiu voluerint et non ulterius, canonici hunc talem habeant advocatum. Ne autem aliqua dubietas aut ignorantia possessionum jam sæpedictæ ecclesiæ renascatur, rerum mobilium et immobilium dona subternotari præcipimus. Teloneum in eadem villa liberum, et ab ipsis solummodo canonicis dari vel auferri debeat, et nihil amplius inde ipsi comiti accipere liceat quam carrucam vini xviii modiorum tantummodo. Cambam quoque et furnum, et apud Becherel molendinum, et apud Guerchin bodium, ecclesiam quoque de Bethay et Durgi Lensenses canonici cum persona habeant, et episcopo ejusque ministris quæ episcopalia sunt persolvant: mortuaque persona, aliquis Lensensium canonicorum in loco ejus ab episcopo sine omni redemptione restituatur. In villa Guendini terram ad duas carrucas et sex hospites et camba et furnum, apud Guistregumgles carrucam terræ et cætera quæ in charta comitis continentur. Si quis autem in crastinum hujus nostræ constitutionis paginam noscens hujus privilegii dignitatem infringere, minuere, aut temerare quolibet pravo usu præsumpserit, a liminibus et a sinu sanctæ matris Ecclesiæ sequestramus; et si secundo tertiove rationaliter commonitus quod male fecit emendare neglexerit, hunc talem præsumptorem et Christianæ disciplinæ contemptorem vinculo canonicæ excommunicationis subjicimus.

Actum Atrebati anno Dei Christi 1106, indictione xiv, vii Idus Junii, anno autem pontificatus domni Lamberti Atrebatensis episcopi xii, regnante Philippo rege in Francia, Roberto juniore in Flandria, Eustachio comite Bononiensium et Lesensium.

In festivitate sancti Dionysii persolvant prædicti canonici episcopo quinque solidos de Bethay et de Durgis. Nos siquidem hujus paginæ auctoritatem ratam et inconvulsam permanere volentes in præsentia subscriptorum testium eam consignavimus. S. domni Claremboldi archidiaconi. S. domni Roberti archidiaconi. S. domni Odonis præpositi. S. domni Anastasii cantoris, Balduini presbyterorum, Arnoldi, Petri, Rogeri diaconorum, Drogonis, Girardi, Anselli subdiaconorum. S. domni Gualteri et Sasgualonis. Ego Lambertus Dei miseratione Atrebatensis episcopus hoc libertatis donativum relegi, subscripi † et in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti propria manu confirmavi.

VIII.

Privilegium abbatissæ Guisendi de Melbodio concessum.

(Anno 1106.)

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti unius veri et summi Dei. Amen.

Ego Lambertus Dei miseratione Atrebatensis episcopus venerabilium fratrum nostrorum petione et consilio fretus concedimus tibi, honorabilis in Christo mihi soror abbatissa Guisendis de Melbodio, et per te succedentibus in eo quo nunc es loco ordine abbatissis regulariter electis et canonice promovendis altare de Herem, hac interposita conditione, quatenus ad synodum Atrebatensem advenias, ita succedentes tibi abbatissæ, nisi cum licentia episcopi remanseritis, aut canonica et synodali excusatione. Adjicimus etiam paci et libertati vestræ quatenus abbatissa Melbodiensis idoneum presbyterum ante præsentiam Atrebatensis episcopi deducat, qui de honestate vitæ suæ professionem faciat, et canonicam obedientiam promittat, et sic de manu episcopi curam in populo Dei gerendam gratis suscipiat. Ut autem nostræ paginæ scriptum perenni tempore inconvulsum et stabile permaneat, testes fideles in

quorum præsentia altare prædictum Herem absque personatu a nobis concessum est,salvo in omnibus jure Atrebatensis episcopi,et redditibus et consuetudinibus ejus,necnon archidiaconi,et ministrorum ejus, subnotari præcipimus. S. Claremboldi Atrebatensis archidiaconi. S. Roberti Obstrevandensis archidiaconi. S. Joannis de Monte Sancti Eligii abbatis. S. domni Gerardi. S. Cononis de Arida Gamantia. S. Richardi de Rebroniis. S. Gualteri Atrebatensis canonici, quondam Duacensis castellani. SS. Joannis, Mascellini, Roberti decanorum. SS. Everardi et Rogeri et Guarimundi de Duaco. S. Henrici abbatis de Sancto Vedasto, S. Raineri de sancto Sepulcro Cameracensis civitatis. Si quis autem hujus nostræ paginæ et constitutionis scriptum sciens, contra illud venire,temerare, minuere, aut quolibet ingenii modo infringere præsumpserit, si secundo tertiove commonitus non resipuerit et Ecclesiæ Dei satisfecerit, hunc talem præsumptorem et sacrorum canonum contemptorem canonicæ excommunicationis severitati ligatum subjicimus.

Ego Lambertus Dei miseratione Atrebatensis episcopus hujus libertatis donativum relegi,subscripsi † et in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti propria manu confirmavi.

Actum anno Dei Christi 1106, indictione XIV, VIII Idus Novembris, anno autem pontificatus domni Lamberti XII.

IX.

Privilegium pro monasterio Corbeiensi.

(Anno 1108.)

In nomine unius veri ac summi Dei Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Ego Lambertus Dei miseratione Atrebatensis episcopus pro benignitatis tuæ dilectione et venerabilium Corbeiensis monasterii fratrum,honorabilis in Christo abba Nicolae,salvo in omnibus jure Atrebatensis episcopi et ministrorum ejus,contradimus tibi et pro te et per te omnibus in quo nunc loco et ordine præesse dignosceris futuris per Dei ordinationem abbatibus altare de Monciaco sine personatu et ejus appendiciam capellam de Berla absque omni venalitate seu cujuslibet turpis lucri exactione in libertate spiritus possidendum.Adjicimus etiam ut et vestra vestrorumque succedentium abbatum providentia idoneum presbyterum Atrebatensi episcopo præsentet, cui professionem de honestate vitæ suæ et castimonia, sicut canonicum est, faciat, atque obedientiam promittat, ac deinde curam de manu episcopi in Mocianensi Ecclesia in populo Dei gerendam gratis accipiat.Idem autem presbyter Atrebatensi semper synodo intersit,et redditus synodales et cathedraticas consuetudines benigne et hilariter persolvere studeat. Ut autem hujus nostræ constitutionis scriptum stabile et inconvulsum permaneat, fideles testes fratres nostros annotare procuravimus. Cloremboldus Atrebatensis archidiaconus,Odo præpositus,Anastasius cantor,Robertus Obstrevandensis archidiaconus. Rogerus presbyter,Wido subdiaconus, Drogo episcopi œconomus, Lavulfus decanus, Mauringus, Robertus filius Ermenfridi, Balduinus, Petrus acolythus.

Testes Corbeienses : Lambertus presbyter de Sancto Petro, Robertus presbyter de Sancto Joanne, Lambertus Corbeiensis diaconus, Robertus acolytus.

Ego Lambertus Dei miseratione Atrebatensis episcopus hoc donativum libertatis relegi, subscripsi † et in nomine Patris,et Filii, et Spiritus sancti propria manu confirmavi.

Datum Corbeiæ XIX Kal. Februar., indictione prima, anno Dei Christi 1108.

Recitatum est autem Atrebati in secretario majoris ecclesiæ Beatæ Mariæ semper virginis Dominæ nostræ VII Kal. Mart., anno vero pontificatus domni Lamberti Atrebatensis episcopi XIV.

X.

Privilegium pro monasterio S. Petri Baldiniensis.

(Anno 1110.)

In nomine unius veri ac summi Dei Patris,et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Ego Lambertus Dei miseratione Atrebatensis episcopus,pro humilitatis tuæ petitione et Baldiniensis monasterii fratrum dilectione,honorabilis in Christo abba Ansbolde,salvo in omnibus jure Atrebatensis episcopi et redditibus ejus.contradimus tibi et per te et pro te omnibus in quo nunc loco et ordine præesse dignosceris futuris per Dei ordinationem abbatibus altare de Harnes et ejus appenditiam capellam nomine Alnay absque omni venalitate seu cujuslibet turpis lucri evactione deinceps in libertate spiritus possidendum.Adjicimus etiam ut et vestra vestrorumque succedentium abbatum providentia idoneum presbyterum Atrebatensi episcopo præsentet, cui professionem de honestate vitæ suæ et castimonia, sicut canonicum est, faciat, atque obedientiam promittat,ac deinde curam de manu episcopi in prædicta ecclesia de Harnes in populo Dei gerendam gratis accipiat. Abbas autem de Sancto Petro Baldiniensis cœnobii,vos videlicet, reverende in Christo frater Ansbolde, et successores vestri abbates, Atrebatensi synodo interesse non negligant,nisi cum licentia episcopi relaxati fuerint aut archidiaconi ejus,si vices pontificis exsequendo synodum tenuerit.Ut autem hujus nostræ constitutionis scriptum stabile et inconvulsum permaneat,fideles testes fratres nostros annotare procuravimus. Clarembholdus Atrebatensis archidiaconus, Herbertus Moriensis archidiaconus,Alboldus abbas de Formosella, Odo præpositus, Robertus præpositus de Insula, Rogerus diaconus, Lambertus Tornanensis diaconus, Guido subdiaconus, Robertus magister, Robertus filius Hermenfridi, Petrus acolythus, Hubardus lector, Balduinus decanus de Batpalmis,Simon frater ejus.

Ego Lambertus Dei miseratione Atrebatensis episcopus hoc libertatis donativum relegi,subscripsi †

et in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti propria manu confirmavi.

Actum anno Dominicæ Incarnationis 1110, VIII Idus Aprilis, indictione III, anno vero pontificatus domni Lamberti episcopi XV.

XI.

Privilegium Guarino priori de Abbatisvilla concessum.

(Anno 1110.)

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, unius veri ac summi Dei. Amen.

Ego Lambertus Dei miseratione Atrebatensis episcopus pro disciplina et religione Cluniacensis monasterii, unde educatus et monachus esse dignosceris, reverende mi frater Guarine prior de Abbatisvilla, concedimus tibi et successoribus tuis de Abbatisvilla prioribus locum nostrum in Bethuniensi territorio situm de titulo Sancti Præjecti martyris sub timore Dei et regula beati Benedicti gubernandum corporaliter et spiritualiter educandum. Adjicimus etiam prædicto loco parochiam nostram nomine Fuscherias, salvo in omnibus jure Atrebatensis episcopi et reddituum ejus et consuetudinibus ministrorum ejus. Scripto etiam nostro confirmamus ut tu et successores tui priores de Abbatisvilla mihi successoribusque meis, sicut in Claromontensi concilio renovatum et constitutum est, dignam exhibeatis obedientiam. Presbyterum autem de parochia Fuscherias Atrebatensi episcopo idoneum adducetis qui professionem faciat, et obedientiam promittat, et sic curam populi Dei de manu episcopi gratis accipiat. Ut autem hujus nostræ constitutionis pagina stabilis et inconvulsa permaneat, fratres nostros fideles et idoneos testes annotare procuravimus. S. domni Claremboldi archidiaconi Atrebatensis. S. domni Roberti Obstrevandensis archidiaconi. S. domni Odonis præpositi S. domni Anastasii cantoris S. Balduini presbyteri. S. Rogeri presbyteri. S. Rogeri diaconi S. Petri diaconi. S. Drogonis, Anselli, M. Renni subdiaconorum. S. Sasgualonis et Lamberti acolythorum, et Hubardi lectoris. S. Azonis et Mascelini decanorum. SS. parochialium presbyterorum de Atrebato Alberti, Rogeri, Ebrulfi, Isembardi.

Actum Atrebati anno Dei Christi 1110. indictione III, VIII Kal. Augusti, pontificatus autem domni Lamberti Atrebatensis episcopi anno XV.

XII

Privilegium pro ecclesia S. Petri de Insula.

(Anno 1111.)

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, unius veri ac summi Dei. Amen.

Ego Lambertus Dei miseratione Atrebatensis episcopus pro semper reverenda mihi Ecclesiæ Beati Petri apostoli de Insula dilectione, pro renovenda quoque et confirmanda fraterna dilectione et mutua societate precum et orationum instantia, pro tua etiam, dilecte in Christo frater Lamberte de Cumines, et quorumdam fratrum nostrorum interventione, concedo ecclesiæ Beati Petri de Insula altare de Moncels, salvo in omnibus jure Atrebatensis episcopi et ecclesiasticis consuetudinibus, ministrorumque ejus, liberum ab omni turpis lucri exactione; hac interposita conditione, quatenus pro ecclesia Beati Petri vos, dilecte frater Lamberte, qui nunc obedientiarius estis de Moncels, et futuri successores vestri personarum absque omni emptione et venalitate gratis de manu episcopi suscipiatis, et synodali tempore cathedraticos et synodales redditus archidiacono et decano et ministro episcopi hilariter præparare et solvere studeatis, et ad synodum venire non negligatis. Adjicimus etiam ut ecclesia Beati Petri per vos presbyterum idoneum episcopo Atrebatensi præsentet, qui ei obedientiam promittat, et de vitæ suæ honestate, sicut canonicum est, professionem faciat, ac deinde curam in populo de Moncels gerendam gratis suscipiat. Ut ergo hujus nostræ paginæ scriptum inconvulsum et stabile permaneat, ad hoc corroborandum fideles et idoneos testes subnotare procuravimus. S. Claremboldi Atrebatensis archidianoni. S. Roberti Obstrevandensis archidiaconi. S. Odonis præpositi. S. Drogonis decani. S. Anastasii cantoris. S. Roberti scholastici. SS. canonicorum Rogeri et Alulfi. SS. decanorum Warneri et Gerardi. SS. Hilvini et Arnulfi de Lens. SS. Petri et Roberti acolythorum.

Ego Lambertus Dei miseratione Atrebatensis episcopus hujus nostræ paginæ scriptum relegi, subscripsi, et in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti propria manu confirmavi. †

Actum Atrebati anno Dei Christi 1111, indictione IV, pontificatus autem domni Lamberti Atrebatensis, episcopi XVII.

XIII.

Gualtero abbati ecclesiam Ambrisne concedit.

(Anno 1111.)

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, unius veri ac summi Dei.

Ego Lambertus Dei miseratione Atrebatensis episcopus, honorande in Christo abba Gualtere, concedimus tibi ecclesiam nostræ diœcesis nomine Ambrisne, salvo in omnibus jure Atrebatensis episcopi et redditibus ejus, et consuetudinibus archidiaconi ministrorumque ejus. Provocamur enim pro vestra et loci vestri honesta conversatione, tunc etiam quorumdam fratrum nostrorum interventione, dare vobis altare et prædictam ecclesiam nostram et per vos omnibus qui in eo quo nunc loco et ordine præesse noscimini, successoribusque vestris abbatibus per gratiam Dei ordinandis et constituendis concedimus. Et, quia de metropoli alienæ provinciæ, scilicet Rothomagensi, et vos et monasterium vestrum estis, constituendo constituimus, sicut in Chalcedonensi concilio legitur confirmatum, et in Claromontensi concilio a dignæ memoriæ venerabili papa Urbano II est renovatum, quatenus monachus ille quem apud Ambrisnam priorem esse volueritis, mihi futurisque Ecclesiæ Atrebatensis pontificibus

quantum ad nostram diœcesim pertinet, obedientiam canonicam et promittat et exhibeat. Adjicimus etiam ut providentia vestra et prioris Ambrisnensis idoneum presbyterum Atrebatensi episcopo in populo Ambrisnensi constituendum præsentet, qui et prædicto episcopo de honestate vitæ et castimonia sua professionem faciat, et obedientiam, sicut canonicum est, promittat, et sic curam populi Dei gerendam de manu episcopi gratis accipiat. Præterea, quia personam vestram synodo nostræ interesse gravaret, prior Ambrisnensis synodo Atrebatensi interesse non negligat, et cathedraticos et synodales redditus episcopo ministrisque ejus sicut de matrice ecclesia hilariter solvere procuret. Ut ergo hujus nostræ paginæ scriptum inconvulsum et stabile permaneat, ad hoc corroborandum fideles et idoneos testes fratres nostros subnotare procuravimus. S. Claremboldi Atrebatensis archidiaconi. S. Roberti Obstrevandensis archidiaconi. S. Drogonis decani. S. Odonis præpositi. S. Anastasii cantoriis. S. Roberti magistri. SS. canonicorum Rogeri, Balduini presbyterorum, Rogeri, Petri diaconorum, Hilvini subdiaconi, Sasgualonis et Lamberti acolytorum. SS. plebalium decanorum Mascelini, Radulfi, Gerardi, et presbyterorum Alberti, Ebrulfi, Guenemari, Joannis, Tetboldi.

Ego Lambertus, Dei miseratione Atrebatensis episcopus, hujus nostræ paginæ scriptum relegi, subscripsi, et in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti propria manu confirmavi.

Actum Atrebati anno Dei Christi 1111, indictione IV, VIII Kalend. Novembris, pontificatus autem domni Lamberti Atrebatensis episcopi anno XVII.

XIV.

Privilegium pro cœnobio S. Amandi.

(Anno 1112.)

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, unius veri ac summi Dei. Amen.

A Ego Lambertus, Dei miseratione Atrebatensis episcopus, pro humili et diuturna petitione vestra, nec non et pro vobis commissæ congregationis Sancti Amandi fratrum dilectione concedo vobis, reverende abba Bovo, altaria et ecclesias cum dotibus suis, videlicet de Bulceng et Masteng et de Helemiis, salvo in omnibus cathedraticis redditus episcopi et consuetudinibus archidiaconi et ministrorum ejus. Presbytero vero de quolibet loco prædicto defuncto sive rationabiliter remoto, provideat abbas Sancti Amandi et procuret alium idoneum presbyterum Atrebatensi episcopo præsentare, cui professionem faciat et obedientiam promittat, et sic in populo Dei curam gerendam de manu episcopi gratis accipiat. Vos autem, reverende frater et abba Bovo, omnesque futuri per B gratiam Dei abbates in eo quo nunc es loco et ordine præesse dignoscimini, Atrebatensi synodo interesse non negligatis, nisi forte alicui vestrum cum benevolentia episcopi relaxatum fuerit. Ut autem nostræ paginæ scriptum inconvulsum et stabile permaneat, fideles et idoneos testes fratres nostros subnotare procuravimus. S. domni Claremboldi Atrebatensis archidiaconi. S. domni. Roberti Obstrevandensis archidiaconi. S. domni Odonis Ecclesiæ nostræ præpositi. S. Evrardi sacerdotis, Rogeri diaconi, Guidonis subdiaconi canonicorum. S. domni Richardi abbatis de Monte S. Eligii. SS decanorum Amalrici, Mascelini, Gerardi. SS. sacerdotum Ebroini, Balduini, Helgoti. SS. Sasgualonis, Petri canonicorum Atrebatensium. S. Rogeri sacerdotis, et Guiberti diaconi.

C Ego Lambertus, Dei miseratione Atrebatensis episcopus, hujus nostræ paginæ scriptum relegi, subscripsi, et in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti propria manu confirmavi. †

Actum Atrebati anno Dei Christi 1112, III Idus Aprilis, indictione V, pontificatus autem domni Lamberti Atrebatensis episcopi anno XVIII.

CONCILII CLAROMONTANI

Anno Incarnationis 1095, tempore Urbani II papæ, anno ejus VIII, Philippi Francorum regis XXXVI, congregati.

CANONES

COLLIGENTE LAMBERTO ATREBATENSI EPISCOPO (5).

(LABBE, *Concil.*, t. X, p. 506.)

Anno Domini Christi millesimo nonagesimo quarto [1] *mense Decembri* [2], *decreta* [3] *domini Urbani papæ secundi in Claromontensi* [4] *concilio data.*

I. — *De pace non infringenda.*

Statutum est (6) ut in omni die et monachi et D clerici et feminæ, et quæ cum eis fuerint, in pace permaneant; tribus autem diebus, scilicet secunda,

VARIÆ LECTIONES.

[1] quinto. [2] IV Kal. Decembris, aut. VI. [3] apostolica [4] Avernensi.

NOTÆ.

(5) Varietatem lectionum adjeci, *inquit, Severinus Binius*, ex manuscripto ad me transmisso per reverendum dominum Georgium Colvenerium, theologiæ apud Duacenses doctorem et professorem, collegiatæ ecclesiæ sancti Petri ibidem canonicum et scholasticum, de Ecclesia optime meritum. »

(6) Contulimus cum antissimus membranis quæ apud nos sunt et aliis mss.

tertia et quarta [5],ab aliquo alicui illata non reputabitur pacis fractio [6]: quatuor autem reliquis diebus si quis alicui injuriam intulerit, fractionis sanctæ pacis reus habeatur, et prout judicatum fuerit puniatur.

II. — *De itinere Hierosolymitano.*

Quicunque pro sola devotione, non pro honoris vel pecuniæ adeptione,ad liberandam Ecclesiam Dei Jerusalem profectus fuerit,iter illud pro omni pœnitentia [7] reputetur.

III. — *Ut decanus sit presbyter, archidiaconus sit diaconus.*

(7) Ut nullus fiat decanus in Ecclesia nisi presbyter; nullus archidiaconus, nisi Levita (8). Ut nullus clericus teneat archidiaconatum, nisi ipsius dignitatis habeat gradum.Ut nullus sit archipresbyter, quod alicubi dicitur decanus, nisi sit sacerdos ordinatus. *At vero apud Gratianum D.* XL, c. 1. Nullus episcopus in ecclesia sua, nisi diaconus sit,archidiaconum instituere,nec archipresbyterum aut decanum nisi presbyteri sint, ordinare præsumat.Quod ut districtius teneatur, apostolica auctoritate prohibemus et interdicimus.

IV. — *Ut clerici arma non portent.*

Ne aliquis clericus arma deferat.

V. — *Ut episcopus non eligatur nondum diaconus.*

Ut nullus laicus, clericus,vel tantum [8] subdiaconus in episcopum eligatur.

VI. — *De emptis altaribus vel ecclesiis.*

Ut nullus sibi præbendam emat. Quod si quis emerit, vel parentes ejus illi emerint, in manum et dispositionem episcopi se reddat [9]. Hoc idem de altari et de omni ecclesiastico beneficio fiat.

VII. — *De altaribus quæ dantur monasteriis per personas.*

Ut altaria congregationibus canonicorum vel monachorum per personas datas, mortuis personis libera redeant in manus episcoporum, nisi fuerint illis per eorum scripta privilegia confirmata.

VIII. — *Ut nullus sepulturam exigat.*

Ut nullus deinceps sepulturam exigat.

IX. — *De clericis uxores sibi copulantibus.*

Ut nullus sacerdos, aut diaconus, aut subdiaconus, sed et nullus qui canonicam habet, fornicationis sibi copulam adjungat. Quod si quis fecerit,a canonica omnino arceatur.

X. — *Ut clerici feminas domi non habeant.*

Ut in domibus clericorum nullas liceat habitare mulieres,nisi quas sancti canones permittunt.

XI. — *Ut filii concubinarum clerici non fiant.*

Ut nulli filii concubinarum ad ordines vel aliquos honores ecclesiasticos promoveantur,nisi monachaliter vel canonice vixerint in ecclasia.

XII. — *Nemo in duabus civitatibus præbendam habeat.*

Ut nulli clericorum liceat deinceps in duabus civitatibus duas præbendas obtinere, cum duos titulos non possit habere.

XIII. — *Ut clerici ad primum semper titulum ordinentur.*

Ut omnis clericus ad eum titulum, ad quem primum ordinatus est, semper ordinetur.

XIV. — *Nullus in eadem ecclesia geminos honores habeat.*

Ut nullus deinceps in una ecclesia geminos honores habeat.

XV. — *Nullus ecclesiasticum honorem de manu laici accipiat.*

Ut nullus ecclesiasticorum [10] aliquem honorem a manu laicorum accipiat.Ut clericus nullum ecclesiæ honorem a laicali manu recipiat.

XVI. — *Ut principes investituras non faciant.*

Interdictum est,ne reges vel alii [11] principes aliquam investituram de ecclesiasticis honoribus faciant.

XVII. — *Ut episcopus aut presbyter fidelitatem laicis non faciat.*

Ne episcopus vel sacerdos regi vel alicui laico in manibus ligium fidelitatem faciat.

XVIII. — *Nullus sine licentia episcopi capellanus fiat laici.*

Ut nullus presbyter capellanus alicujus laici esse possit in confessione [12] sui episcopi. Ut nullus princeps capellanum habeat nisi [13] quem sibi episcopus suus,aut archidiaconus procuratorem animæ delectum constituat *ex alio Ms. cod.*

XIX. — *Ut laici decimam non retineant, nec recipiant.*

Ne laici decimam partem de laboribus suis retineant, sicut nec debent retinere, ita nec accipere [14].

XX. — *Ut laici altaria vel ecclesias deinceps non retineant.*

Unde et interdictum est omnibus laicis ne amplius altaria vel ecclesias sibi retineant.

XXI. — *Ut nullus alterius sibi hæreditatem usurpet.*

Ne aliquis laicus alterius sibi hæreditates usurpet: quod si quis fecerit, nec reus [15] satisfecerit, nullus sacerdos eum interim ad pœniteniium admittat.

XXII. — *Nemo, nisi perfectam confessionem fecerit, ad pœnitentiam recipiatur.*

Similiter [16] nec alium quemlibet nisi perfectam

VARIÆ LECTIONES.

[5] injuria. [6] infractio. [7] *forte deest* ei. [8] saltem. [9] sui reddant. [10] ecclesiasticum. [11] aliqui. [12] *forte* absque concessione. [13] nisi c. f. ep. [14] recipere. [15] rationi. [16] et.

NOTÆ.

(7) Dist. 6, c. *Nullus.*
(8) Reperimus in mss., in quibus non semper idem habetur canonum sequentium ordo.

confessionem fecerit, verbi gratia, ut si perpetrato homicidio manserit in adulterio [17],vel hujusmodi ad perfectam pœnitentiam minime recipi debere decretum est.Attamen consilium damus [18],ut jejunet,et eleemosynas det, ut ad veritatis viam possit reverti.

XXIII. — *Ut carnes tota Quadragesima non edantur.*

Ut nullus Christianus a capite jejunii usque ad pascha carnem comedat.

XXIV. — *Quibus temporibus ordines faciendi.*

Ne fiant ordines [19], nisi quatuor certis temporibus, et Sabbato mediante Quadragesima [20], et tunc protrabatur jejunium usque ad vesperas, et, si fieri potest,usque ad [21] crastinum,ut magis appareat in die dominico ordines [22] fieri.

XXV. — *Ne filii presbyterorum fiant clerici,nisi sint monachi aut regulares.*

Ne filii presbyterorum,diaconorum,vel subdiaconorum canonicorum, ad ordines vel alios honores ecclesiasticos promoveantur,nisi monachus vel canonicus [23] fuerit. Nisi vel fiant monachi vel regulares canonici.

XXVI. — *De Sabbati sancti jejunio.*

Ut Sabbato sancto protrahatur jejunium circa noctem.

XXVII. — *De jejunio veris et æstatis.*

Ut semper fiat jejunium veris in prima hebdomada Quadragesimæ : jejunium vero æstatis infra hebdomadam Pentecostes.

XXVIII. — *Ut omnes de altari corpus et sanguinem separatim communicent.*

Ne quis communicet de altari nisi corpus separatim et sanguinem similiter sumat,nisi per necessitatem, et per cautelam (9).

XXIX. — *Ut liberi sint qui ad crucem confugiunt.*

Si quis ad aliquam crucem in via persequentibus inimicis confugerit, liber ac si in ipsa ecclesia permaneat.

XXX. — *De iis qui ad crucem vel ecclesiam confugiunt.*

Quod si quis pro securitate ecclesiæ vel prædictæ crucis aliquod crimen peregerit,et ad ecclesiam vel crucem confugerit,accepta securitate vitæ et membrorum, reddatur justitiæ.

XXXI. — *Ut nullus clericorum bona diripiat.*

Ne aliquis clericus res episcoporum vel clericorum vel in vita vel post mortem eorum diripiat, vel in usus proprios conferat. Quod si quis fecerit, anathema sit ; et dictum est ab omnibus : Fiat, fiat.

Apud Gratianum sic habet (10). De laicis quæstio facta est,qui morientibus episcopis sive aliis clericis res defunctorum invasas ecclesiæ pauperibusque subripiunt : contra quos commune totius concilii anathema prolatum est, ipso papa hujusmodi sententiam promulgante.

Si quis post interdicti præsentis cognitionem episcoporum seu presbyterorum aut aliorum clericorum res invaserit, usque ad satisfactionem excommunicetur. Episcoporum vero deficientium res per archipresbyterorum seu archidiaconorum manus, aut secundum mortuorum judicium pro ipsorum salute in eleemosynas dispensentur,aut successori, qui futurus est,reserventur.Idipsum de presbyterorum seu clericorum rebus per episcopum vel supradictas personas, aut cui deficientes commiserint, fiat. Si quis autem adversus ista præsumpserit, anathema fiat.

XXXII. — *De iis qui episcopos incarcerant.*

Si quis episcopum ceperit et incarceraverit, perpetuæ infamiæ subjaceat, ulterius arma non exerceat. Et clamatum est ab omnibus : Fiat.

Hactenus canones. Qui autem exscripsit, ista adjecit : « Hæc sunt inventa in libro Lamberti episcopi Atrebatensis ante quadringintos annos scripto ; quæ, quia in promptu erant, mittenda putavi.

In eodem libro Lamberti qui concilio interfuit, ut supra docuimus, hæc habentur non omittenda : In Claromontensi concilio cui domnus papa Urbanus II præsedit,fuerunt cum eo cardinales Romani....archiepiscopi XIII, episcopi CCXXV, abbates vero XC et amplius, exceptis honestis et religiosis diversarum regionum et provinciarum clericis et laicis.

VARIÆ LECTIONES.

[17] *Al.* de perpetrato homicidio confessus fuerit, manserit in adulterio. [18] ei detur tantum modo. [19] ordinationes. [20] medianæ quadragesimæ. [21] in. [22] ordinationes. [23] regularis.

NOTÆ.

(9) idque ob recens damnatam hæresim Berengarianam, quæ per unam tantum speciem satis esse impleri figuram aiebat.

(10) 12, q. 2, cap. 46.

ANNO DOMINI MCXV

FRANCISCUS CAMENUS

NOTITIA

(Fabric. *Biblioth. med. et inf. Lat.*, II, 194)

Franciscus Camenus, Perusinus, cujus hymnus Sapphicus in S. Nicolaum peregrinum, Tranensem

Apulum, defunctum an. 1094, sanctisque ascriptum an. 1098, exstat in Actis Sanctorum, Junii tom. I, p. 253, quem Papebrochius non diu post canonizationem, certe ante an. 1117, compositum esse adnotavit.

HYMNUS IN S. NICOLAUM PEREGRINUM.

Sidus o cœli Nicolae fulgens,
Magne protector populi Tranensis,
Da, precor, vires tua concinenti
Inclyta mira.
Helladis Græco genitus parente,
Et gregis pastor Dominum vocabas,
More mystarum, miserere semper
Kyrie clamans.
Altius spirans, ovibus relictis
Eligis specum recubantis ursæ :
Quam fugas signo, Dominique jussu,
Quo tremit orbis.
Hic senex forma monachus verenda
Astitit nudus tibi, canus ora;
Teque confirmat monitu salubri,
Inde refugit.
Anxia tandem caperis jubente
Matre, percussus retineris arce,
Cœlitus facto tonitru sed exis,
Obice rupto.
Rursus incassum cohibent catenis :
Solveris semper manibus Tonantis,
Et super solis radios canoro
Tolleris ore.
Redditum terris scelerata furtum
Turba te vinctum mare mergit alto
Excipit delphin laqueis refectis
Teque revexit.
Mox salutarem repetens eremum
Erigis cedro crucis alma signa;
Ducis et fratrem : videt ille miram
Igne columnam.
Angelus transfert radians utrumque;
Tu tamen constans toleras in antro
Quidquid excelsi monuere sancta
Dogmata Christi.
Hinc rapi vivus toties mereris,
Et modo spectas radiosa luco
Lucido supplex simulacra divum,
Lampade trina.
Hic Tranum monstrat, tibi mox futurum,
Nuntius cœli, titulum perennem
Usque ad extremum genus hujus orbis
Æde sacrata.
A Quot subis pœnas meritis Olympi?
Immerens ictus quoties tulisti?
Saucio tandem superi medentur
Numine summo.
Dum parant nautæ tibi machinari
Fluctibus lethum, pia Virgo tutum
Vexit Hydruntum : variasque pellis
Illico pestes.
Ad Tarentinos gradiens, cruorem,
Dive, fudisti graviter repressus :
Inde migrasti celebres Tranenses
Hospite grato.
Kyrie hic tutus miserere clamas,
Teque sectatur puerilis aura
Namque concentum similem rogabas,
Munere pomi.
Pane cum lympha reficis pusillum
Corpus, indutum tunicam misellam,
Et nudis semper pedibus meabas,
Supplice lingua.
Hinc adhuc spirans, sitiens aquarum
Poculum poscis, bibis; at relictus
Humor est nectar, velut egit olim
Christus Iesus.
Quis tuas plene, Nicolae, laudes?
Mira quis posset numerare magna?
Tu crucis signo redimis loquelam,
Dive, sorori.
Quot tua incedunt ope claudicantes,
Quot vident orbi? movet expedite
Ante contractos numerosus artus
C Undique supplex.
Dæmones pellis miseris ab alvis,
Compedes multis manicasque solvis,
Naufragas puppes hiemen ferentes,
Hostis et arma.
Dive, tranquillum mare siste nautis;
Dive, pro nostra vigiles salute,
Ut poli æterna requie fruamur,
Sospite cursu.
Sit Deo Patri decus, atque Nato,
Spiritum sanctum veneremur æque :
Trinus ac unus Deus est ubique
Perpete sæclo. Amen.

ANNO DOMINI MCXXV

GALO PARISIENSIS EPISCOPUS

NOTITIA

(*Gall. Christ.* nov. t, VII, p. 54).

Galo, *Walo* et *Gualo*, discipulus et successor Ivonis Carnot. in abbatia S. Quintini Belvacensis, D cum electus episcopus Belvacensis assensum regis propter potentem æmuli Stephani factionem obti-

nere non posset, Romam perrexit, ut suam ordinationem ab adversariis impugnatam summo pontifici probaret. Ratam hanc habuit Paschalis II; at cum penes ipsum non staret Belvacensi cathedra potiri Galonem, legatum hunc misit in Poloniam ad abusus reformandos, ubi duos episcopos deposuit Galo. Illius legationis meminerunt Longinus rerum Polonicarum scriptor, Eadmerus in Vita sancti Anselmi et Baronius tomo XII Annalium. In Gallias reversus Galo, in locum Fulconis (1), qui VI Idus Aprilis supremum diem obierat, a clero solemniter et rite electus est Parisiensis episcopus, missique ad eum qui ut hujusce Ecclesiæ, curam non abnueret humiliter peterent : at duo ejus obstabant electioni : infensus in eum regis animus, canonumque severitas, qui a sede ad sedem transferri non patiebantur (2). Verum qui adhibito sacramento prohibebat ne Galo Bellovacensi potiretur cathedra, Parisiensem episcopatum gratanter concessit rex Philippus. Et certe hoc jam titulo IV Kalend. Augusti anni 1105 in conventu Balgenciaci pro reconciliatione ejusdem regis cum aliis episcopis interfuit Galo. Translationi corporis S. Lifardi Miciacensis abbatis et dedicationi Magdunensis ecclesiæ adfuit mense Octobri. Astitit et synodo Parisiensi. IV Nov. Decemb. anni ejusdem (3), in qua de mandato papæ Lambertus episcopus Atrebatensis Philippum regem ob illicitas nuptias illigatum absolvit. Romam postea repetiit, ubi a summo pontifice benignissime exceptus, non solum translationem suam impetravit, sed etiam datis ad clericos Ecclesiæ Parisiensis litteris VIII Idus Aprilis eum commendavit summus pontifex (4), quibus de tanto ipsis concesso pontifice gratulatus, ipsi etiam contra invasores rerum ecclesiasticarum suas delegavit vices. Exstat adhuc cleri Parisiensis ad Paschalem II responsum (5), quo gratias illi ob concessum sibi episcopum Galonem referunt, quem imitari studeant canonici, et cujus documentis ad virtutem et bonos mores informentur. Interim Roma rediens Galo Lugduno transiit, ubi vidit sanctum Anselmum Cantuariensem archiepiscopum secum amicitiæ vinculo conjunctum, qui inibi tunc exsul degebat, et Eadmerum, cui dedit partem reliquiarum S. Priscæ martyris (6), quas olim acceperat a cardinali istius tituli, cum corpus hujus martyris Romæ inventum levatumque est post reditum Galonis e legatione Polonica. Demum, cum Galo Parisios adventasset, admissus a clero Parisiensi in cathedra collocatus est, cœpitque ecclesiam Paris. administrare sub initium anni 1105 quo astitit electioni Radulfi in abbatem Sancti Quintini Belvacensis in festo dedicationis, et confirmavit donatam a Guidone de Tornaco assensu Gaufridi episcopi monachis Fossatensibus ecclesiam Sancti Eligii anno episcopatus primo. Insequenti ecclesiam de Marli ab Herveo de Marliaco ecclesiæ Columbensi consentiente Gaufrido concessam stabilivit anno 1106, episcopatus secundo (7). Summum pontificem apud Caritatem adiit anno 1107, de Dionysianis monachis conquesturus, cui Sugerius tunc monachus aperta ratione et canonico judicio satisfecisse se dicit. Hæc autem expostulatio intelligitur ex epistola Paschalis summi pontificis ad abbatem S. Dionysii, in qua Galo episcopus bonus et catholicus dicitur, et sacramenta gratis sine pravitate indulgere, interdictumque abbati alios antistites adeundi pro recipiendis sacramentis : exstat epistola in veteri codice Victorino. Juxta summi pontificis mandatum moniales A ob inverecundam conversationem ab ecclesia sancti Eligii ejecit, quam Theobaldo Fossatensi abbati in cellam duodecim monachorum concessit. Litteras Galonis ea de re datas anno 1107, episcopatus tertio, rex suo diplomate confirmavit : nunc in cœnobio S. Eligii Parisiensis militant religiosissimi clerici S. Pauli, dicti Barnabitæ. Quatuor altaria eodem anno monachis Sancti Martini de Campis concessit apud Erinniacum, Ermenonvillam, Duigniacum, et Luvriacum (8). Famulos quoque decani et canonicorum Sanctæ Genovefæ ipsorum subjecit regimini. Interfuit exsequiis Philippi regis defuncti die mercurii, 24 Julii an. 1108, cum quibusdam prælatis qui cadaver ab ecclesia beatæ Mariæ Melodunensis ad monasterium Floriacense humandum detulere. Idem postea inaugurationi regis Ludovici Crassi adfuit Dominica quæ erat secunda dies Augusti, in ecclesia S. Crucis Aurelianensis, et subscripsit chartæ ab eodem rege pro Floriacensibus B datæ anno eodem apud Biturigas. Monachis Sancti Martini Alnetum terram largitus est anno 1108, episcopatus quarto. Eodem confirmavit concessam ab Imberto canonicis Sancti Germani Antissiodorensis liberam potestatem, ut præbendas S. Opportunæ quibus vellent personis idoneis irrequisito conferrent episcopo (9). Subscripsit chartæ Ludovici VI, qua facit potestatem servis Ecclesiæ Parisiensis ferendi testimonium in causis forensibus et civilibus et placitis adversus omnes homines, imo et bellandi licentiam concedit anno 1109. Privilegium hoc confirmavit Paschalis II, datis ad Galonem litteris IX Kalend. Februarii anno 1114 (10). Una cum canonicis ivit ad Novientum die 30 Julii, anno 1109, obviam S. cruci, quam Ansellus, clericus quondam Parisiensis, tunc cantor ecclesiæ S. Sepulcri ad ecclesiam Parisiensem misit cum litteris, quas habes inter instrumenta. Feria sexta positi in ecclesia S. Clodoaldi, Dominica sequenti allata est C crux in majorem basilicam, ubi etiamnum cum honore habetur. Guillelmum S. Germani abbatem benedixit Galo anno 1110. Eodem episcopatus quinto probavit donationem a Burchardo de Montmorenciaco monachis Sancti Florentii Salmuriensis factam. Sigillum apposuit suum diplomati Ludovici regis pro canonicis S. Genovefæ IV Idus Martii anno 1111, consecrationis regis tertio. Conventui Melodunensi a Ludovico rege coacto adfuisse Galonem anno eodem autumat Gerardus du Bois (11). Eodem, ni fallor, anno habitum est apud Senonas a Daimberto archiepiscopo concilium adversus investiturarum privilegium a Paschali concessum Henrico imperatori; huic autem adfuit Galo et subscripsit cum episcopis comprovincialibus litteris ad Joannem Lugdunensem episcopum, qui eos ad concilium Ansanum anno sequenti celebrandum vocarat, ad quod convenire detrectabant. Circa id tempus cum Ivone Carnotensi Gualo a summo pontifice delegatus D est in causa Gisleberti canonici Turonensis de præpositura de Sodobrio. Subscriptus legitur diplomati Ludovici Crassi dato Catalauni pro fundatione cœnobii S. Victoris Parisiensis anno 1113. Defuncto circa id tempus Gaufrido Belvacensi episcopo, Stephanus de Garlanda ad Paschalem scripsit, ut Galone Bellovacos translato, ipse ejus locum sumeret (12) : at hæc translatio summo renuente pontifice suum non est effectum sortita. Legimus in bulla ejusdem pontificis in tabulario Montis Cassini Galonem Parisiensem episcopum Beneventi anno 1113, cum Paschali summo pontifice degentem. Subscri-

(1) Ivo Carnot. epist. 146.
(2) Idem epist. 144.
(3) Bolland. Junii tom. I, pag. 302. Spicileg. t. III, p. 130. Conc. Hard. tom. VI. col. 1799.
(4) Baluz. Miscell. tom. II, pag. 182.
(5) Spicileg. t. III, pag. 128.
(6) Vit. sancti Anselmi, lib. II.
(7) Probat. Hist. Montmor. pag. 68.
(8) Hist. Sancti Mart. de Campis, pag. 497.
(9) Hist. Paris. t. III, p. 17.
(10) Conc. Hard. tom. VI, col. 1819.
(11) Hist. ecclesiæ Paris. t. II, pag. 7.
(12) Ivo Carnot. ep. 260.

psit anno 1115 chartæ Mathildis Cauniacensis dominæ ream se agnoscentis injuriarum colonis ecclesiæ Parisiensis illatarum. Nomen adhuc ejus reperitur in synodicis concilii Catalaunensis litteris de controversia Vedastinos inter et S. Quintini monachos agitata, datis anno eodem. Non itaque anno 1114 ut volunt Sammarthani, sed ad summum 1116 mense Februario mortem oppetiit. Sepultum ferunt in capella Victorina S. Dionysii ad lævam. De eo Necrologium Ecclesiæ Quintinianæ ad VII Kalendas Martii. *Obiit sanctæ recordationis domnus. Galo secundus abbas hujus Ecclesiæ, postea Parisiensis episcopus.*

Quantæ vir fuerit existimationis probat singularis quæ inter eum et Anselmum Cantuariensem Ivonemque Carnotensem intercedebat necessitudo. Plures inter Ivonis epistolas ad Galonem scriptæ exstant. Hunc Eadmerus libro II De vita sancti Anselmi vocat virum bene religiosum et ecclesiasticarum consuetudinum institutionibus ab ineunte ætate imbutum. Id quidem probat ejus epistola ad Lambertum Atrebatensem episcopum (13), qui ad eum scripserat omnem ecclesiam in fide ac sacramentorum celebratione, et ex orthodoxorum Patrum institutione horas canonicas frequentando, sanctæ Romanæ catholicæ et apostolicæ concordare debere Ecclesiæ: quapropter Galo illum erudit de ritibus Romanis in divino officio persolvendo, quos ipse Romæ degens didicerat. Commodum videtur hic inserere epitaphium, quod Hildebertus Turonensium archiepiscopus Galoni cecinit nomine alterius Galonis forte nepotis successori inscriptum (14):

Te, pater et pastor, vult sanum natus ovisque
Vota. pater, nati suscipe, pastor, ovis.
Et mihi sisque pater, ex quo bonus, imo bonorum
Optimus ille pater destitit esse pater.
Ille pater mihi quæ de te dixisse recordor,
Gualo, valent alii, prævalet hic aliis.
Hunc tibi trado patrem, cujus communico rebus,
Cui gravis hoc uno sum, quia parco suis.
Romam vado, vale : Romam se finxit iturum,
Sed melius potuit dicere : Vado mori.
Mors male blanda viro, minuensque quiete laborem,
Abrupit lucem nocte, viamque mora.
Nolo virum, dixit, gelidas sudare per Alpes;
Sed stet, sed maneat, sed moriatur, ait.
Vos fidei, vas justisiæ, vas simplicitatis
Occidit : illa suo vase cadente cadunt.
Sed te justitiæ vas supposuisse cadenti
Audio; quod si sit nemo, sitque tamen.

Quod autem a Ciaconio, Francisco Quercetano et in Necrologio Sancti Victoris Parisiensis cardinalis a Paschali II creatus dicatur Galo, erratum est. Galo enim Parisiensis episcopus alius est a Gallone cardinali diacono tit. S. Mariæ in Porticu, quem Innocentius III in Gallias misit, anno 1208, ad visitandas ecclesias et adversus Albigenses, ut Rigordus, Spondanus, et alii scripsere auctores, cujus statuta synodalia exstant ab eo promulgata tomo VII Bibliothecæ sanctorum Patrum, et perperam tribuuntur Galoni Parisiensi; cum aliquibus constitutionibus, quæ leguntur tomo XXVI Conciliorum typographiæ regiæ. Hanc jam observavit hallucinationem Gabriel Cossart S. J. in notis ad constitutiones Gallonis cardinalis tomo XI Concil., part. I, col. 35.

(13) Baluz. Miscell. tom. V, pag. 360.

(14) Hildeberti Opera, pag. 1325.

GALONIS EPISTOLA AD LAMBERTUM

ATREBATENSEM EPISCOPUM.

(Est centesima vicesima nona inter epistolas Lamberti et aliorum ad ipsum. — Vide Patrologiæ t. CLXII, col. 694.)

GALONIS DIPLOMA

Quo ejectis monialibus ecclesiam S. Eligii monachis Fossatensibus concedit.

(Anno 1107.)

Gall. Christ. VII, instrum., 42.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis.

Ratio quidem, et sanctarum Scripturarum monet auctoritas, ut qui pastoraliter Ecclesiis præsident, vigilanti cura, pastorali sollicitudine subditorum vitam inquirant et inspiciant, ut in ecclesiis sibi commissis, si inhonestas et incorrigibiles viderint personas, aut ad statum religionis studeant revocare, aut alias omnino personas commutare, ne male viventium exemplo bene viventes corrumpantur, et pastores, si dissimulaverint aut tacuerint, ex consensu taciturnitatis in perpetuum condemnentur. Omnibus igitur notum fieri volumus monasterium S. Eligii Parisiensis, ordini quidem monacharum antiquitus fuisse deputatum, sed tandem diabolico instinctu, fragilis ille sexus ad tantam turpitudinis prolapsus est miseriam, ut publice sæcularitati impudenter adhærens, voto castitatis rupto, proposito religionis penitus abjecto, templum Dei speluncam fornicationis effecerit, et vocem nostræ admonitionis nullatenus audierit. Ego igitur Galo Dei gratia Parisiorum episcopus, et Guillelmus archidiaconus, tantum scandalum, tantam pestem minime ferentes, ex præcepto quidem domini papæ Paschalis, ex consilio regis nostri Philippi et filii sui Ludovici, hortatu etiam canonicorum nostrorum, infames et incorrigibiles personas pro turpitudine vitæ a prædicto monasterio eliminavimus, et omnino alienavimus, et altiori religionis ordine, cum Dei auxilio sanctum locum decoravimus. Noverint igitur omnes tam posteri quam præsentes, quia monnasterium S. Eligii cum omnibus ad illud pertinentibus, ecclesiæ B. Petri Fossatensis, salve quidem jure Parisiensis

ecclesiæ, perpetuo habendum concedimus. Ita scilicet ut abbas Fossatensis prædictum monasterium tanquam cellam suam possideat, et in monachos illic Deo militantes, plenam ac perfectam abbatis potestatem exerceat; institutum est ut duodecim ad minus monachi cum suo priore ad serviendum Deo illic apponantur, qui juxta Regulam S. Benedicti ad ordinem tenendum sufficere videantur. Sciendum vero est, quia illam eamdem potestatem quam prædecessores nostri in monasterium S. Eligii, et in abbatissam illius loci antiquitus habebant, nos in abbatem Fossatensem ex integro habemus, et in perpetuum retinemus, quantum scilicet ad cœnobium S. Eligii, et ad res illius monasterii pertinere videntur. Sed ut totius altercationis molestia in posterum excludatur, quid potestatis episcopus, quid juris aut consuetudinis canonici Sanctæ Mariæ, tam in abbatissam, quam in monasterium illud prius possiderint, et modo possideant, evidenter et aperte distinximus. Sciendum igitur est, quod quotiens Parisiensis episcopus abbatissam ad justitiam vocavit, illa procul dubio omnem exsecutura justitiam ante episcopum se præsentavit : si autem vel servus, vel ancilla, vel hospes illius monasterii, contra personam episcopi aut contra proprias res illius, aliquid forefecisset, abbatissa, audito prius episcopi mandato, in præsentia episcopi, illos ad justitiam faciendam adduxisset, et post justitiam episcopi, abbatissa suos districtus accepisset si voluisset; quod si abbatissa servos vel ancillas illius monasterii libertate donare, aut terram alienare, aut manufirmam facere voluisset, nullam potestatem, nullam id faciendi licentiam habuisset absque assensu episcopi, et absque carta sigillo ejus et cancellario firmata. Hanc ergo potestatem in abbatissam et in monasterium S. Eligii antecessores nostri habuisse dignoscuntur, et nos quoque in abbatem Fossatensis Ecclesiæ, eamdem potestatis dignitatem, ut superius determinatum est, obtinemus. Nihil scilicet nostri juris relinquentes vel relaxantes, sed tantummodo abbatiam in cellam commutantes : canonicis vero B. Mariæ prædictum monasterium S. Eligii per singulos annos duos pastus ex consuetudine debita persolvit, unum scilicet in festivitate S. Pauli, alterum in festivitate S. Eligii; ita scilicet quod uterque pastus in refectorio canonicorum recipitur. Consuetudo etiam est ut conventus præfati monasterii, unam cum canonicis B. Mariæ processionem faciant, et in diebus rogationum, et in die Ascensionis, et in funeribus canonicorum, alias etiam processiones, aut pro aeris serenitate, aut pro aliqua tempestate, sive necessitate, si canonici facere disposuerint, necesse est prædictum conventum canonicorum instituta sequi, eosque si mandaverint, in iis processionibus semper comitari. Illud etiam præterire noluimus, quia quotiens mater ecclesia a divino officio cessaverit, cœnobium S. Eligii ex necessitate cessare, et tacere oportebit. Sub hac igitur distinctione potestatem, jura, consuetudines, tam episcopi quam canonicorum, breviter comprehendimus, ut nulla de cætero controversia oriatur, et jus et consuetudo utriusque ecclesiæ præsenti privilegio defendatur. Salvo igitur, ut dictum est, jure Parisiensis ecclesiæ, assensu quidem regis nostri Philippi, et filii ejus Ludovici, communi etiam canonicorum nostrorum consensu, ecclesiæ B. Petri Fossaten. monasterium S. Eligii in cellam possidendum concedimus, ea videlicet ratione, quotiens Fossatensis abbas debitam professionem in Parisiensi ecclesia fecerit, ibidem in præsentia episcopi profiteatur monasterium S. Eligii ex dono episcopi, ex beneficio Paris. ecclesiæ se habere et possidere. Volumus etiam illud determinare, quia homines prædicti monasterii in exercitum regis inconsulto episcopo nullatenus debent ire, sed abbas aut prior ex consilio et mandato episcopi illos debent monere et in exercitum mittere. Diffinitum est etiam quatenus in festivitate sancti Eligii canonici sanctæ Mariæ dextrum chorum, monachi vero sinistrum teneant, ita scilicet ut cum canonico illo qui chorum tenuerit, aut prior, aut cantor monachorum ad chorum tenendum recipiatur, et nulla alia persona ad id faciendum admittatur. Missam vero aut abbas aut prior cantabit, si neuter interfuerit, aliquis de clero nostro illam celebrabit. Sciendum vero est, quod illo die prædictus pastus redditur, scilicet ex sex porcis vivis et sanæ carnis, ex duobus modiis vini et dimidio sextario, et ex duobus sextariis et dimidio frumenti bene vanati. Pastus vero qui redditur in festo S. Pauli, de octo constat arietibus, et duobus modiis vini ad mensuram nostri claustri, et ex tribus sextariis frumenti bene vanati, et ex sex denariis et obolo. Ut autem hæc concessio et institutio inconcussa permaneat, præsentem cartam fieri præcipimus, et in signum perfectæ firmitatis sigillo nostro illa signavimus, et manibus canonicorum nostrorum firmandam tradidimus. Sig. Galonis episcopi, S. Berneri decani, S. Adæ præcentoris, S. Guillelmi archidiac. S. Stephani archidiac. S. Rainaldi archidiac. S. Rogeri presbyteri, S. Landonis presbyteri, S. Durandi presbyteri, S. Anscheri levitæ, S. Joannis levitæ, S. Guineranni levitæ, S. Thebaldi subdiaconi, S. Guillelmi subdiaconi, S. Guilberti subdiaconi.

Actum publice in capitulo Sanctæ Mariæ, anno Incarnationis Dominicæ 1107, indictione xv, epacta xxv, concurrente i. Philippo rege regnante anno xlvii, anno episcopatus Galonis iii.

Gilbertus cancellarius scripsit.

APPENDIX AD GALONEM.

ANSELLI CANTORIS S. SEPULCRI

EPISTOLA

AD ECCLESIAM PARISIENSEM.

Portionem ligni S. Crucis mittit.

(Anno 1108).

(*Gall. Christ.* nov. VII, instrum., 44.)

I.

Galoni Dei gratia Parisiorum episcopo, et Stephano archidiacono, cujus laudis et potestatis magnitudo per multa terrarum loca etiam apud nos celebris habetur, et B. decano, et R. archidiacono, et N. præcentori, omnique conventui sanctæ Mariæ Parisiensis, Ansellus gloriosissimi Sepulcri cantor et presbyter, licet indignus, subjectionem, reverentiam, et amorem, et sic in hoc sæculo vivere ut per orationes vestras in futuro vobiscum merear sine fine gaudere.

Cum ab ecclesia vestra, et a vobis, in qua, et cum quibus nutritus et eruditus fui, jam per viginti quatuor annos remotus sim corpore, tamen animo fervens in amore vestro, et Ecclesiæ vestræ vobiscum cohabito mente. Namque cum his qui per singulos annos a vobis ad nos venerunt, qui vos noverunt, et a vobis noti fuerunt, semper fuit mihi sermo, et est sedulæ inquisitionis de statu Ecclesiæ vestræ, et de vobis quid agatis, et quomodo vos habeatis, de vobis præcipue quos vidi, et quos cognovi, et quandiu vixero, licet absens, semper amabo, sæpe quoque per somnia, in solemnitatibus et processionibus, nec non et ferialibus matutinis et officiis vestris videor interesse, et vobiscum psallere. Hac ergo dilectione pro vobis sollicitus dominum venerabilem patriarcham, et canonicos nostros rogavi, ut orationibus et beneficiis nostræ congregationis fratres in partcipes jungeremini: cui petitioni concedentes itidem a vobis rogant, et requirunt. Preterea, de donis quæ dedit mihi Deus ad honorem et gloriam, et sublimationem ecclesiæ vestræ, et vestri, vestræque civitatis; donum maximum, et incomparabile, videlicet crucem unam de ligno sanctæ crucis per Anselmum fidelem vestrum vobis devotus transmisi, a quo et litteras vestras nobis missas accepi. Sicut a Græcorum et Syriacorum scripturis didicimus, patibulum crucis Christi, de quatuor lignis fuit, unum in quo Pilatus titulum scripsit, aliud in quo brachia ejus extenta, et palmæ affixæ fuerunt, tertium in quo corpus ejus appensum est, quartum in quo crux affixa fuit, quod etiam aspersione sanguinis lateris, et pedum intinctum, et sanctificatum est; et crux ista, quam vobis misi, de duobus est lignis, quia crux inserta est cruci. Inserta est de eo in quo pependit, in qua inseritur de suppedaneo in quo crux affixa fuit, utrumque dignum, utrumque sanctum. Porro David rex Georgianorum, qui cum suis prædecessoribus portas Caspias tenuit et custodivit, ubi sunt inclusi Gog et Magog, quod et filius ejus adhuc facit, cujus terra et regnum contra Medos et Persas est nobis quasi antemulare; hanc vere crucem, quandiu vixit, in summa veneratione et dilectione habuit, quo defuncto, et filio in regno promoto, uxor ejus venerabilis plus sanctitate quam generis nobilitate caput totondit, habitumque religionis suscepit, et assumpta cruce ista multo auro Hierusalem cum paucis non reditura, sed ut ibi in quieto silentio et oratione vitam finiret, advenit, et de auro quod attulerat, congregationibus sanctæ civitatis partes distribuit, pauperibusque et peregrinis eleemosynas erogavit, postea sub manu domini Gibbelini patriarchæ congregationem sanctimonalium Georgianarum, quæ est in Hierusalem, instituit. Nec multo post rogatu suorum, et patriarchæ, regimen congregationis suscepit; denique distributis et erogatis, et in necessatibus commissæ congregationis, omnibus quæ attulerat, expensis, cum inedia regionem nostram oppressisset, ipsa cum subditis cœpit egere, cumque jam multa dono, multa mutuo recepisset, quod nullo modo pro necessitatibus sui corporis faceret, pro necessitatibus congregationis sibi commissæ, pio affectu facere compulsa est. Itaque istud lignum nulli pretio comparandum hac ratione pretio est comparatum, ecce illud vobis misi, precor habetote illud honorifice sicut debetis. Verumtamen, ut memoriale sit posteris, et successoribus nostris, unde

et quomodo illud habuitis, scribite in libris vestris : *Ansellus clericus noster hanc crucem de ligno sanctæ crucis Ecclesiæ nostræ, et nobis, de Hierusalem transmisit.* Postulo igitur a vobis ut me diligentem vos diligatis, et post mortem meam in orationibus vestris mei memoriam habeatis. Quid vero tanti thesauri latori contigerit, utrumne ad vos prospere pervenerit, per litteras vestras mihi notum faciatis.

II.

Quæsistis qua ratione, qua necessitate portio ista de dominica cruce assumpta fuerit; ego quid inde in litteris et relatione seniorum Surianorum audivi, et didici vobis manifestabo. Legitur in Evangelio, *multa quidem, et alia signa fecit Jesus in conspectum discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc*, et vos multa legistis, sed non omnia : multa enim habent Græci, quæ non habent Latini : legistis tamen quod sancta Helena crucem dominicam per medium secari fecit, et crucem Constantinopolim ad filium detulit, crucemque Hierosolymis reliquit; relictam Chosdroe vastata Hierusalem rapuit, et in Persidem detulit, quam interfecto Chosdroe Heraclius imperator Hierosolymam retulit, et in Calvariæ loco ut a populo christiano veneraretur, reposuit. Post mortem vero Heraclii populus infidelium adeo christanos oppressit, ut nomen Christi conarentur extinguere, et memoriam crucis, et sepulcri delere. Itaque congerie lignorum supposita partem sepulcri combusserunt, et crucem similiter comburere voluerunt ; sed christiani eam A absconderunt; quocirca multos ex eis occiderunt. Denique Christiani habito consilio secatam in multas portiones diviserunt, et per ecclesias fidelium distribuerunt, quatenus si eis una pars ad comburendum auferretur, tali modo aliæ partes reservarentur. Itaque in Constantinopolitana urbe, præter imperatoris crucem, sunt inde tres cruces, in Cypro duæ, in Creta una, in Antiochia tres, in Edessa una, in Alexrandria una, in Ascalone una, in Damasco una, in Hierusalem quatuor, Suriani habent unam, Græci de Sancto Saba unam, monachi de valle Josaphat unam, nos Latini ad Sanctum Sepulcrum habemus unam, quæ habet palmum et dimidium longitudinis, et pollicem unum latitudinis, et grossitudinis in quadro. Patriarcha quoque Georgianorum habet unam, rex etiam Georgianorum B habuit unam, quam modo, Deo gratias, vos habetis. Nunc vero ad supplendum gaudium vestrum, et ad gloriam et honorem ecclesiæ vestræ, et regiæ dignatis et civitatis vestræ, et vestrum donum maximum, et thesaurum imcomparabilem, nec inferiorem priore, videlicet crucem unam de lapide dominici sepulcri per Bernardum Sanctæ Genovefæ præcentorem; testimonio vestro virum honestum, vobis devotus transmisi, quam obnixe imploro, ut honorifice, sicut dignum est habeatis. Postulo igitur a vobis ut post mortem meam in orationibus vestris mei memoriam habeatis. Quid vero tanti thesauri latori contigerit, utrum prospere ad vos pervenerit, per litteras mihi vestras notum faciatis. C Valete.

ANNO DOMINI MCXV

S. GODEFRIDUS

AMBIANENSIS EPISCOPUS

NOTITIA HISTORICA IN S. GODEFRIDUM

(*Gall. Christ.* nov., t. X, col. 1168)

Duo sæculi duodecimi auctores contraria de sancto Godefrido sripsere, Guibertus ejusdem proximus in abbatia Novigenti successor (1), et Nicolaus, Sancti Crispini Suessionensis monachus ; ille vir gravis et maturæ ætatis, hic adolescens, qui vix pubertatis annos excesserat cum ad scribendam sancti Vitam se accinxit; alter coætaneus, suppar alter : insignis doctrina ac dignitate primus, secundus simplex cœnobita et notus solummodo ex Vita S. Codefridi Ambianensis episcopi, quam ex rela- D tione quorumdam contexit. Hic perpetuis Godefridum extollit laudibus, paulo iniquior in sanctum antistitem aliquibus visus ille, et in ejus causa nonnihil suspectus ; sancti tamen viri virtutes et recta facta dilaudat, ob idque majoris adhuc ponderis esse debet ejus testimonium : sed utrumque discutiamus. Ambianensis sedes aliquandiu, per biennium scilicet, vacaverat, cum præmissis jejuniis ac precibus de eligendo successore actum est. Electus est autem, Nicolao teste, Godefridus Novigenti in

(1) Vide Patrologiæ t. CLVI, coll. 898, 1126.

pago Laudunensi abbas, sive, ut placet Guiberto, archidiaconus quidam Ambianensis, cujus in concilio Trecensi procuratorem egit Godefridus. Hujus electio Philippo regi probata, ut vult Nicolaus, confirmata est in concilio Trecis habito mense Aprili 1104. Huic certe, sive abbas Novigenti, seu electus Ambianensis, aut archidiaconi procurator, adfuit Godefridus, unde visis et auditis de electione Ambianorum legatis, fugam meditans, a Richardo cardinale et episcopis interceptus est; et ab omnibus Ambianorum episcopus proclamatus. Remis consecratus a Manasse metropolitano, astantibus Lamberto Atrebatensi et Joanne Morinensi episcopis qui ejus latus stiparunt, tum Ambianos veniens nudis pedibus ecclesiam sancti Firmini martyris est ingressus. Primo episcopatus anno IV Kal. Martii 1104 [1105] monachis Lehunensibus confirmavit donata a Roberto Juniore comite Flandriæ, etc., et biduo post pridie Kalendas Martii concessit monachis Sancti Martini a Campis ecclesiam de Linigeio. Anno eodem ecclesiam sancti Remigii in bosco largitus est monasterio Sancti Fusciani, cujus fundationem seu restaurationem confirmavit in synodo clericorum suorum Ambiani anno 1105. Insequenti prioratum Sancti Petri apud Abbatisvillam confirmavit, et donato altari de Condeto a Manasse archiepiscopo Remigianis monachis subscripsit Remis, ubi tunc versabatur de monachis Sancti Walarici conquesturus, si sincera sit Walaricianæ controversiæ narratio, quam postea expandemus, atque statim in Italiam profectus ad summum pontificem, inde redux ecclesiam Aroasiensem cum Joanne Tarvanensi, rogatus a Lamberto Atrebatensi, solemni ritu consecravit IX Kal. Octobr. 1106. Concilio Trecensi, cui ipse pontifex Paschalis II præerat, mense Maio 1107 interfuit, ibique confirmari curavit ecclesiam S. Remigii sancto Fusciano a se prius donatam. Anno eodem *cum corpus Firmini martyris*, verba sunt Guiberti, *ut putabat, quatenus de theca in thecam efferret, nullum inibi pitacium, ne unius quidem litteræ testimonium quis ibidem jaceret invenit, ab Atrebatensi et ipso Ambianensi episcopis audivi quod refero. Qua de re urbis episcopus plumbeæ laminæ mox inscripsit, quod illic conderetur Firminus martyr Ambianorum episcopus. Nec mora in monasterio Sancti Dionysii idem actitatur. Parata ab abbate ornatiori capsa dum inde extollitur, dum cum membris caput evolvitur, membranula in martyris naribus reperitur, in qua quod esset Firminus Ambianensis martyr expromitur.* Hæc quidem Guibertus, quæ optime conveniunt cum temporibus jam a nobis assignatis inventionis sancti Firmini martyris et episcopatus Sancti Salvii, necnon donationis reliquiarum sancti Firmini a Dagoberti I rege monasterio Sancti Dionysii factæ, quam e veteri codice ms. bibliothecæ sancti Victoris Parisiensis edidit Lucas Acherius in notis ad Guibertum pag. 567. Hic obiter observan-

A dum urbem totam Ambianum pene incendio consumptam fuisse die 16 Octobr. 1107. Anno 1108 mense Maio datis apud Sanctum Quintinum de Monte, ubi versabatur Godefridus, ad Baldericum Noviomensem episcopum litteris eum rogat ut quemadmodum Cameracensis et Atrebatensis ecclesiarum chronica scripserat, ita etiam res in Ambianensi diœcesi gestas litteris mandaret, ne per antiquæ ecclesiarum fundationes, et jam injuria hominum diruta pleraque claustra oblivioni perpetuæ traderentur. Ex quibus litteris satis compertum est, inquiunt Sammarthani, dignam esse rem episcopali sollicitudine ecclesiarum origines et monumenta perquirere, et iis quasi vitam restituere quos et mortis ac temporum calamitas oblivioni damnarat.

B Anno eodem Godefridus accersitur a familiari suo Balderico episcopo Noviomensi, cum Odo Hamensis castri dominus ei concessit dominium ecclesiæ Hamensis, et de Godefridi assensu intromissi canonici regulares. Anno adhuc 1108 monasterio Sancti Arnulfi Crispeiensis altaria quædam contulit instrumento in ecclesia Ambianensi dato die 8 Novembris. Confirmavit anno 1109 concordiam qua capitulum Ambianense cedit monachis de Lehuno ecclesiam *de Fortincourt* pro quinque modiis frumenti annui redditus. Eodem anno ad limina sanctorum Apostolorum profectus, Papiæ in Italia in somnis cognovit sancti Hugonis abbatis Cluniacensis ex hac vita discessum, qui Cluniaci contigit III Kal. Maii, uti narrat alter Hugo sancti abbatis Vitæ scriptor, cujus est epistola ad Godefridum de donato a Roricone et

C matre sua sancto Luciano Bellovacensi alodio Grandis-villaris (2). Hoc autem in itinere Godefridus a Paschali II egregie exceptus, bullam ab eo pro canonicis regularibus, quos in ecclesia Sancti Martini de Gemellis instituerat, obtinuit V Idus Maii: sancti Nicolai sepulcrum apud Barium invisit, et annulum sancti Honorati episcopi, quem Gervinus ejus decessor vendiderat, redemit, et Ambianos revexit. Ad illud autem iter revocari nequit Walariciana causa quæ coram Manasse archiepiscopo defuncto anno 1106 prius agitata fuerat. Anno 1110 invitatus Godefridus ab Anschero Centulensi abbate, ut sancti Angilberti miraculorum testis esset, primo Ingutionem sacerdotem præmisit, tum ipse adfuit. Anno 1111, episcopatus VIII, Lehunensibus monachis con-

D firmavit ecclesiam de Merincurte et medietatem altaris de Herboneriis. Corpus sancti Salvii apud Monstrolium e veteri in novam capsam transtulit anno eodem die 11 Junii, Ludovici regis III. An. 1112 non solum adfuit concilio Viennensi, sed etiam præfuit pro Guidone archiepiscopo Viennensi sedis apostolicæ legato, qui impeditioris erat linguæ, ex Nicolao. Reperitur anno eodem in instrumento compositionis Adelæ Veromanduorum comitissæ advocatæ villæ Fiscampi cum Nicolao abbate Corbeiæ. Monachis Majoris Monasterii confirmavit anno

(2) Annal. Bened. tom. V, pag. 676.

1113, episcopatus x, cellam Sancti Dionysii ab Ingutione sacerdote olim ædificatam et eis donatam, ea lege ut quotannis Drogonis episcopi Tarvanensis anniversarium celebrarent. In prato suburbano tunc posita hæc cella, nunc intra muros includitur patribus societatis Jesu tradita. Subscripsit anno eodem Godefridus chartæ fundationis S. Victoris Parisiensis. Anno 1114, xv Kal. Maii, monachis Lehunensibus in synodo confirmavit altaria de Herboneriis et de Hangesto prius eis donata ab Otgero Ambianensis ecclesiæ præposito, qui ibidem monachum induerat. Eodem anno, die iv Nonas Julii, confirmavit ea quæ a Gervino decessore facta fuerant in gratiam monachorum Majoris Monasterii, qui in cella de Bodinicurte in Pontivo ejus diœcesis degebant. Concilio Remensi habito iv Nonas Septembris adfuit, sicut dedicationi ecclesiæ Laudunensis, peractæ viii Id. mensis ejusdem. Post duos menses declinans turbas in urbe sua ob institutam a civibus communiam motas ab Ingelranno de Bova comite Ambianensi et aliis, assumpto secum quodam Novigenti monacho inconsultis omnibus episcopatum abdicavit (3), remissisque archiepiscopo Remensi annulo et sandaliis, Cluniacum profectus est, ubi ex pontifex, inquit Guibertus, altare consecravit. Inde in majorem Carthusiam perrexit, ubi extra conventum in cellula mansit a sacris feriis sancti Nicolai mense Decembri usque ad Quadragesimæ initium, quo revocatus a synodis Bellovacensi et Suessionensi, jussis obtemperans Remensi se sistit, ubi a Conone legato et Radulfo archiepiscopo dure increpatus quod temere sedem reliquisset, jussus est ad suam reverti Ecclesiam, in qua Cinerum die adversus consuetudinem vescendi carnibus in Quadragesima vehementer insurrexit et abolere studuit, et in cœna Domini intemperantes a sacra mensa die sancto Paschæ removit, et ad diem sequentem distulit. Secessum pariter et reditum Godefridi paulo aliter narrat Guibertus, pag. 516, qui addit Godefridum Dominica Palmarum e Carthusia reversum cum rege turrim seditiosorum impetiisse, qua occasone rex ipse jaculo in pectore sauciatus sit. Eodem anno Godefridus ratam habuit restitutionem quorumdam altarium factam Ecclesiæ Compendiensi xvi Kalendas Julii anno 1115, episcopatus xii, et subscripsit synodicis concilii Catalaunensis in octavis Apostolorum litteris in controversia Vedastinos inter et Sancti Quintini de Monte monachos. Denique anno 1115 desinente cum Remos peteret cum Radulfo archiepiscopo de quibusdam negotiis acturus, in itinere defunctus est 8 Novembris, ætatis suæ anno 50, atque in capitulo monasterii Sancti Crispini majoris prope Suessiones sepultus est. Quædam de sancto Godefrido carmina scripsit Bernardus, decanus Suessionensis, et breve ejus epitaphium composuit Joslenus ex Bituricensi archidiacono celeberrimoque Parisiensi magistro Suessionum episcopus, a quo sancti Godefridi corpus anno 1138 e capitulo in ecclesiam Sancti Crispini translatum est, et ante summum altare sub testudine honorifice reconditum, sed diligenter a nostris perquisitum reperiri non potuit. Josleni versus hi sunt:

Gloria pontificum, cleri decus ac monachorum
Forma, gregis dux, exemplar morum, Godefridus
Hic jacet, astra petens octava luce Novembris.

Sancti Godefridi festum in monasterio Sancti Crispini et in Ambianensi Ecclesia colitur eadem die. Sanctitate inclytus in Vita sancti Hugonis Cluniacensis abbatis, et in epistola Hugonis item monachi ad Pontium abbatem prædicatur, decus pontificum, doctrina præclarus, sanctitate perspicuus. Sancti Godefridi Vitam duobus libris scripsit Nicolaus, monachus sancti Crispini, quam Rothado Suessionensi decano dicavit. Hanc contraxit Surius pro more suo, sicque Nicolai exemplar periit, cujus nihil exstat præter compendium inventum in veteri codice Rubeævallis prope Bruxellas, in quo nonnulla desiderantur capita, quæ in priori difficultatem movent. Magnum sane apparuit ejus pietatis exemplum et venerationis qua eum populi vivum colebant, cum in natali Domini sacris operatus, oblationes eorum noluit accipere qui muliercularum more promissos capillos gestabant; nam illi, ne pontificis gratia et benedictione privarentur, statim arreptis cultellis capillitium sibi amputarunt.

SANCTI GODEFRIDI
AMBIANENSIS EPISCOPI
EPISTOLÆ ET DIPLOMATA.

I.

Epistola Godefridi, episcopi Ambianensis, ad omnes fideles. — Confirmat quæ Lehunensi monasterio donata sunt a comite Flandriæ Roberto juniore et a Roberto Parionensi.

(Anno 1104.)

[Dom d'Achery, *Spicil.* t. VIII, p. 163.]

Godefridus, gratia Dei Ambianensis episcopus, omnibus in Christo credentibus, et sacro fonte baptismatis renatis, salutem et sanitatem.

Adierunt nos dilectissimi fratres nostri Leunensis Ecclesiæ monachi, deferentes secum chartas sigillatas a Roberto Flandrense comite juniore, et ab uxore sua Clementia, et filio eorum Balduino, et a Paronensi Roberto, fratre comitis nostri Ingelranni, et a

(3) His pressus malis Ivonem Carnotensem episcopum Bellovaci convenerat, a quo epistolam 255 ad regem Ludovicum obtinuit.

conjuge ejus Adelide, quibus inscriptum erat quod A prædictæ personæ omne alodium de Harbonières, et omnia ad illud pertinentia præter altare, monasterio sanctorum apostolorum Petri et Pauli, in quo fratres jam dicti Domino serviebant, hilari devotione tribuerant, quatenus suis et antecessorum suorum animabus id fieret ad retributionis præmium quod temporalibus necessatibus suis subtrahentes, pauperibus Christi conferebant in victum, quibus allatis atque perlectis, oraverunt nos fratres illi ut quia prædictum alodium in episcopio nostro erat, quod factum fuerat charta nostra testificaremur et confirmaremus; quam petitionem libenter suscipientes, precibus eorum satisfaciendo sic factum fuisse testificamur, et quantum ad nos pertinet concedendo firmamus, B incrementum non detrimentum rebus eorum maxime cupientes.

Hujus doni testes scriptos in prædictis chartis reperimus. In charta Flandrensi :

Abbatem Molismensem :
Robertum de Betunia.
Onulfum senescalcum.
Baldricum de Colham.
Amolricum de Neura.
Ostonem Bostelarium.
Guillelmum castellanum de S. Aldomaro.
Hacetum Brugensem.
Balduinum camerarium.
Sigerium de Lilerio.
Thebaldum de Hipra.

In charta Paronensi erant.
Mainerus de Parona.
Odo filius Ingranni.
Petrus filius Hilisindis.
Acardus filius Gerardi.
Gerardus Frotetus.
Geraldus de Capi.
Gonzo et Rabellus.
Drogo.
Lupus.
Waldricus de Wermendeisviler.
Sibodus filius Rogeri.
Rainerus de Lehuno.
Herbetus major de Herbonières.
Herbertus avunculus ejus.
Walbertus et Gilbertus.

Si qui hoc violaverint, ut sacrilegi episcopali judicio condemnati a corpore Christi, quod est Ecclesia, separabuntur.

Data Ambianis IV Kal. Martii, anno primo Godefridi episcopi.

II.

Prioratus SS. Viti et Modesti de Ligniaco, ad Conchiam fluvium, in agro Atrebatensi, concessio a Godefrido Ambianensi episcopo.

(Anno 1104.)

[MARRIER, *Hist. S. Martini de Campis*, p. 349.]

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Frater GAUDEFRIDUS, Dei gratia Ambianensis episcopus, omnibus fide et operibus sanctæ matris Ecclesiæ filiis præsentibus et futuris, salutis præsentis et pacis continuam prosperitatem, et post transitoriæ vitæ excessum, interminabilem jucunditatem.

Orthodoxorum Patrum traditionibus, canonicisque institutionibus mihi in episcopali officio agenti injungitur ut ea quæ sunt Ecclesiæ, cui auctore Deo deservio, cum rationabili sollicitudine dispensentur, et ut quibusque ejus ministris pro suis meritis dividantur, hisque cura solerti distributis, oportet etiam ut provideamus quantum possibile est quæ ad pacem eis existant, authenticis institutis, firmisque privilegiis ea præmuniendo contra mundi turbines ac procellas, quæ ex insidiis perfidorum emergunt. His itaque officio meo et ordini incumbentibus debitis excitatus cum omni vigilantia procuravi ut quæ meis temporibus divina gratia largiente ex possessionibus Ecclesiæ meæ a viris religiosis recollecta fuerant, et ab injusta laicorum pervasione retracta, ipsis boni testimonii et religiosi præpositi personis, ab Ecclesia nostra nobisque et nostris successoribus jugiter possidenda concederem, et ad repellenda pervasorum jacula, quasi quodam protectionis scuto muroque inexpugnabili, privilegiis confirmarem. Itaque Ecclesiæ S. Martini confessoris egregii, in suburbio Parisiensi sitæ, loco qui dicitur in Campis, Ecclesiam de Linigeio cum appendiciis ejus perpetualiter possidendam, ego et Ingelrannus noster archidiaconus, et aliæ Ambianensis Ecclesiæ personæ C concessimus, ad supplenda necessaria monachorum ibi et in Cluniacensi monasterio Domino militantium. Nihil tamen juris nostri priscæque potestatis nobis et successoribus nostris atque ministris in ea imminuentes. Sed sicut antiquitus propria sedes antecessorum meorum fuerat ad ordinationes faciendas, et ad chrisma, et ad alia quælibet sacramenta ecclesiastica conficienda, ita et modo perenniter monachis id ex debito consentientibus perseveret. Synodalem honorem, et census, et circadas, et alia omnia quæ ab ecclesiis nostri episcopatus canonice exiguntur, non pro re sed pro ecclesia de Vi et de Vilereia, et pro canonice acquirendis persolvet. Concedimus etiam fratribus quicquid in episcopio nostro sibi et Ecclesiæ Cluniacensi, salvis honesta- D tibus et utilitatibus prædictis ecclesiæ nostræ et ministrorum ejus, indubitanter acquirant. Injustas vero occupationes, et criminalium causarum discussiones cleri et populi canonicis constitutionibus monastico ordini interminatas, nostra sub discussione constituentes. Ut autem hæc concessionis confirmatio rata et inviolabilis perseveret, subscriptæ probationis signo suppleo, ut ad posteritatis testimonium, et ad veritatis indicium privilegii hujus sufficiat testamentum.

Signum Godefridi episcopi.
S. Ingelranni archidiaconi.
S. Fulconis archidiaconi.
S. Rogeri decani.

S. Otberti præpositi.
S. Rainerii thesaurarii.
S. Rogeri cantoris.
S. Gisliberti sacerdotis.
S. Clari sacerdotis.
S. Hugonis sacerdotis.
S. Radulfi sacerdotis.
S. Balduini sacerdotis.
S. Nantaldi diaconi.
S. Giraldi diaconi.
S. Willelmi et Tetselini diaconorum.
Signa Warini, Hugonis, Salomonis subdiaconorum.

Actum est in Ecclesia Ambianensi, anno 1104 Dominicæ Incarnationis, indictione XII, rege Francorum Philippo, duce exercitus filio suo Ludovico, consule Ambianensi Ingelranno; episcopatus Godefridi anno primo feleciter. Amen.

Giraldus Ambianensis ecclesiæ subdiaconus vices cancellarii exsequens subscripsit.

Datum Ambianis II Kal. Martii.

III.

Fundatio Sancti Fusciani de Nemore.

(Anno 1105).

[*Gall. Christ.* X, instrum., 299.]

Frater GODEFRIDUS, Dei gratia Ambianensium episcopus, omnibus sanctæ matris Ecclesiæ filiis, ita per fidem ambulare in hujus convalle plorationis, ut ad contemplandam Dei speciem conscendere mereamur in montem veræ et sempiternæ exsulationis sanctarum Scripturarum auctoritate.

Si dicimus, fratres mei, quia ab antiquis temporibus nonnulli sancti peregrinationis suæ exsilium cognoscentes, et ad supernæ civitatis felicia fundamenta totis præcordiis anhelantes, facta suorum et sui propria abreptione, fluxum transitoriæ jucunditatis pede rationis calcaverunt, et pauperes pauperem Christum imitati, ut cum divite Christo divites efficerentur, ejus servituti quæ sola liberos facit, seipsos devotissime mancipaverunt, ab his salutari exemplo ad nostra usque tempora per Dei gratiam translato, videmus quosdam monachica contemplatione mundo mori, alios regulari ordine conversari, nonnullos vero eremitica solitudine in Dei opere exerceri. Sed quia non omnes capiunt verbum hoc, qui tantæ perfectioni non potest inhærere, non ob hoc præcipitur de Dei misericordia desperare, sed sancte indigentes solatiando et eorum spiritualibus per sua carnalia communicando, ad felicia fundamenta de quibus loquimur, fixæ spei certitudine suspirare. Cum enim ipsa Veritas de multimodo animarum ædificamine loqueretur, et humanos animos ad opus misericordiæ excitaret et operis fructum proponeret, inter alia brevibus verbis magnam sententiam protulit, dicens: *Date et dabitur vobis.* Hujus itaque divinæ exhortationis et promissionis vocem aure cordis percipiens Ingelrannus comes, cum monasterium martyris Christi B. Fusciani primum cœpisset ædificare, totum montis ipsius territorium A venerabili viro Odolrico primo loci illius abbati et ædificatori, monachisque magisterium ejus secuturis devote concessit, quatenus ibi domo Dei constructa, locus antea incultus fieret habitatio hominum, liber et absolutus ab omni sæculari potestate, consuetudine sive exactione. Hoc etiam laudavit et evidenter concessit Ingelrannus de Mondisderio, ad cujus dominium sub Ingelranno comite pars territorii illius jure hæreditario pertinebat. Hujus beneficio addidit Ingelrannus comes servos et ancillas in locis suis, et quatuor hospites cum dimidio curtillo Amelliaci, dimidiamque villam de Sanctis et amplius, æquali libertate et absolute donatam in servis et ancillis, in nemoribus et ruricolis, et usibus qui exiguntur et redduntur ab ipsis. B Concessit etiam ut si quis de sibi subjectis ob remedium animæ suæ domui Domini construendæ et adaugendæ aliquod beneficium de sua facultate vel possessione vellet impertiri, id libere posset et sine retractatione faceret, præsertim cum idem Ingelrannus in his quæ ad monasterium pertinerent, vel sibi vel hæredi suo jus nullum vel exactionem esset retenturus, solummodo ad honorem Dei, sibi et hæredi suo patrocinium reservans monasterii. Hac itaque audita libertate, Herleboldus de Trucivilla in rure suo unum hospitem dedit, et ad locum qui dicitur Pulemont, terram arabilem dimidiæ carrucæ sufficientem; Petrus de Glissy Gualcedi filius, in villa sua hospitem unum, et ad piscariam suam centum anguillas per singulos annos monasterio obtulit, C totumque Fraisnet quod adjacet Piceio castro, dimidiumque vicariæ ruris illius monachi pretio redemerunt a Drogone de Gissencourt et Gudardo Piceiensi. Gilo de Golencourt cum habitum monachi suscepisset, concessit favente filio suo Sevino, mediam campi partem, totius ruris sui, exceptis novalibus proprie ad dominum villæ pertinentibus, et a circuitu pontis Pratense solum ex utraque parte quod fossatum dividit, cui nomen Rivery, ubi etiam facta est inhabitatio ruricolarum proprie ad prædictam ecclesiam pertinentium. Hugo de villa Domni Martini, pro anima fratris sui Guillelmi cum eum sepelissent monachi, dedit hospitem unum et terram de Alodiis. Hato Botuensis canonicus, in extremis monachus factus, dedit Botuæ duos hospites et D alodium quod habebat Costeney, tresque hospites cum terra, prato et nemore. Terram adjacentem loco qui dicitur Cambagnaldios, quatuor viri æquali portione ut tenebant alodium, et tamen inde parvum censum, duos scilicet solidos Anschiaro Dernuretel persolvebant, ipsam totam sicut alodialem possidebant, monachis obtulerunt, scilicet Harricus de Saloy concedente Hugone filio suo, Geroldus de Bossincourt concedentibus fratribus suis Fulberto, Hugone, Fulcone, Radulfus de Salcosis concedente Radulpho Richardo nepote ejus, Guido de Fontanis concedente Hugone clerico fratre ejus; hanc gratuitam eleemosynam Anschiarus ut cognovit, prædictum censum ecclesiæ ei dimisit. Hibertus de Ju-

mellis in articulo mortis positus,cum se a monachis sepeliri poposcisset,dimidiam villam de Morelli villa cedit, concedente Petro et Anschario fratre ejus filiis Halen, ad quos terræ illius hæreditas proxime pertinebat:Herveus Hermenrici filius dedit duos hospites a Desclemviller,ee feodum trium militum Urselli,Goeselini, Gieselini. Adam frater Adelmi monachus factus,quod Ambianis habebat,dedit; duos scilicet semifurnos et octo sextarios tritici per singulos menses ad molendinum comitis ; molendinum de Til tenet eadem ecclesia ab Hugone de Saloy et Ingelranno archidiacono et Hugone de Caniet; censum eis inde scilicet persolvens, Hugoni de Saloy tres modios tritici, et in Natali Domini duos rasiales tritici, cum duodecim nummis et duobus domesticis alitibus; Ingelranno archidiacono duos modios tritici,et in Natali Domini duos rasiales tritici,cum sex nummis et duobus domesticis alitibus; Hugoni de Caniet,tantumdem, et eodem tempore. Albertus presbyter de Botua, dedit vineam et tres agros;Hermenricus autem miles,decimam vineæ et agrorum ; Amundus de Mondisderio ultra pontem Botuæ dedit tres hospites; Castelli dominus tres in eodem,et locum sancti Marcelli cum terra adjacente : Gualbertus de Sessolicio, duos hospites et mansum ecclesiæ contiguum;Hilbertus de Dommedardo, hospitem unum in loco qui dicitur Gurgetum ; Petrus de Glissy duos curticulos dedit,et tres Richardus de Jumellis: Geroldus de Gutincourt,in villa sua hospitem unum;Hersendis de Ameliaco et Drogo filius ejus,hospitem,et de valle Hairardi mediam campi partem et terram ad lucrandum; Tainfridus de Espany concessit in rure Caisnetel tertiam partem de tribus hospitibus et de tribus metis arabilis terræ ; Guerus de Piceio pater Stephani,apud Curcellas feodum unius militis. Matrona quædam filia Dimonis de Cuncty, dedit alodium quod habebat Espany,cui conjuncta est alodialis terra quam possidet Avelina uxor Hilonis de Hisnu,et post mortem suam monachis possidendam, viro annuente, concessit.Convenit etiam inter monachos prædictæ ecclesiæ et quemdam Gualdricum de Sanctis post diuturnam litem de quadam terra, ut in ipsa terra tres partes de Campiparte monachi obtineant.Gualdricus quartam, terra ipsa inter eos ad arandum, seminandum et metendum communiter data et concessa. Pastore vero ejusdem monasterii decedente, fratres abbatem sibi eligunt,et ei secundum Deum pastoralem baculum conferunt, qui consecrandus episcopo hujus sedis præsentatur, et ei subjectus et obediens efficitur. Has igitur possessiones præscripti monasterii ego Godefridus hujus sedis, Deo auctore,episcopus, concedo, præsentiumque personarum attestatione, nostrique sigilli impressione confirmo. Si quis vero contra hoc decretum aliquid maligne machinatus fuerit, ut res ecclesiæ distrahat, anathema fiat, et nisi digne pœnituerit,privetur transeuntibus bonis, nec valeat inhærere mansuris.

Ego Godefridus Ambianensis cathedræ episcopus huic privilegio in synodo Ambianensi in ecclesia Sanctæ Mariæ,ab universis concorditer confirmato, primus subscripsi, atque voluntate promptissima consensi.

Sig. † Godefridi episcopi.
S. Fulconis archidiaconi.
S. Ingolranni archidiaconi.
S. Rogeri decani.
S. Oberti præpositi.
S. Rogeri cantoris.
S. Rainerii thesaurarii.
S. Gualteri abbatis Sancti Judoci.
S. Roberti Forestensis monasterii abbatis.
S. Joannis abbatis Sancti Geremari.
S. Willelmi abbatis Sanctæ Mariæ Brituliensis.
S. Anscheri abbatis Virtuensis ecclesiæ.

Actum est hoc anno Verbi Incarnati 1105, indictione XIII, præsidente in cathedra Romanæ Ecclesiæ Paschali papa II,et in Remensi Manasse archiepiscopo,et Ambianensi Godefrido episcopo, Francorum rege Philippo, duce exercitus sui filio suo Ludovico,Ambianensi consule Ingelranno feliciter, amen.

Geraudus Ambianensis Ecclesiæ subdiaconus vices cancellarii exsequens, subscripsi.

IV.

Epistola Godefridi Ambianensis ad Baldericum Noviomensem episcopum.

(Anno 1108.)

[*Gall. Christ.* X, 301.]

Dilecto confratri BALDERICO Noviomensi episcopo, GODEFRIDUS Ambianensis episcopus salutem,in Domino-

Me indignum ad hanc pastoris curam evexit Deus, ut quod dignum devotione gregis est, faciam. Cum itaque in hac diœcesi perantiquæ sint ecclesiasticæ fundationes, et jam incuria hominum diruta pleraque claustra,ut ea oblivioni perpetuæ non tradantur,sed piorum locorum recordatio sublevet fidelium animos, ad devotionem propagandi cultus divini,et ut multis intercessoribus Deus super malitia nostra fiat placabilis et misericordiam largiatur, precor obnixe in Domino,ut te labori pio accingens, aut potius in eo labore perseverans,nostræ diœcessis et Ecclesiæ fias exscriptor et scriptor, sicut in ecclesiis Cameracensi et Morinensi fuisti fidelis calamus scribæ velociter scribentis.Non abscondas talentum in terra,ac beneficiens noli deficere. Salutat te Petrus archidiaconus, et ego tuus conservus in ovili Christi, in quo vale.

Scripsi ad S. Quintinum, meas delicias, juxta Peronæ villam anno 1108, in Maio.

V.

Godefridus Ambianensis episcopus benefacit ecclesiæ Crispeiensi.

(Anno 1108.)

[*Gall. Christ.* X, 208.]

In nomine Patris,et Filii,et Spiritus sancti amen.

Frater Godefridus gratia Dei Ambianensis episc., A omnibus sanctæ Ecclesiæ filiis præsentibus et futuris, salutem et bonam pacem.

Dilectis fratribus Cluniacensis monasterii in cœnobio Crespeiacensi ecclesiæ sancti Arnulfi Domino famulantibus, qui promptum Evangelium perfecte implendo terrenis facultatibus abrenuntiaverunt, mundique cupiditates in se sepelierunt, dignum duximus ex Ecclesiæ nostræ copiis opitulari, substantiam nostram eis partiendo, et ex consilio clericorum nostrorum in ecclesiam nostram velut filios adoptivos introducendo. Notitiæ igitur omnium tam præsentium quam futurorum intimamus nunc et in perpetuum nos eis concessisse, et præsenti privilegio confirmasse altare de Garmeni et altare de Villers, et dimidium altaris de villa, excepto jure Mon- B disderiensium clericorum, personato scilicet et dominatu sacerdotis et impositione ejusdem..... et exceptis offertoriis totius anni, præter Nativitatis et Purificationis sanctæ Mariæ et Paschæ, et solemnitatis offertoria sancti ejusdem loci, quibus æqualiter tam clerici quam monachi participant, et exceptis censibus et dominatu hospitum atrii, nam in decimis cunctis eorumdem hospitum æquales participes sunt, et excepta quadam parte terræ dicti altaris in qua quinque minæ annonæ seri possunt, quæ est juris clericorum, excepto quod decima ejusdem terræ inter se ipsi et monachi æqualiter dividunt. Hæc autem eis ideo nos concessisse sciatur ab omnibus, quatenus hoc dilectionis nostræ beneficio nobis in fraterna conjuncti orationum suarum studiis Deo nos conciliare non desinant, credentes quod C communibus orationibus et alternis apud Deum plus adjuvantur quam singularibus et privatis. Synodum autem et circatas, et omnes consuetudines canonicas quas ab antiquo prædicta altaria prædecessoribus nostris persolverunt, nobis atque successoribus nostris, ministrisque eorum jure perpetuali cum integritate persolvant.

Sig. Godefridi episcopi.

Signum Fulconis archidiaconi.

Sign. Ingelranni archidiaconi.

Testes Rogerus decanus, Otbertus præpositus, Rogerus cantor, Clarus presbyter, Anscherus presbyter, Rodolfus presbyter, Acardus presbyter, Willelmus diaconus, Tethelinus diaconus, Adso diaconus, Giraldus subdiaconus, Hugo subdiaconus, D Rohardus subdiaconus.

Actum hoc est anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo octavo, indict. prima, die Novembris octava, in ecclesia Ambianensi, Godefrido præsule, archidiaconibus Ingelranno et Fulcone, Ludovico regnante, Ingelranno Ambianensi consule feliciter, amen.

Sigillum Godefridi episcopi.

—

VI.

S. Godefridus Ambianensis episcopus confirmat Majori Monasterio eccelesiam S. Dionysii.

(Anno 1113)

[Mabillon., *Annal. Bened.* V, 692.]

In nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Godefridus, gratia Dei Ambianensis episcopus, omnibus catholicæ Ecclesiæ fratribus et filiis præsentibus et futuris, salutis et pacis interminabilem jucunditatem.

Necessarium ducimus, fratres in Domino dilectissimi, nos qui gratuita Dei benignitate in Ecclesia pastoralis curæ officio fungimur, studiosa sollicitudine, animo quoque indesinenter vigilante, super Dominici gregis ovile, quod nobis a Domino creditum est, officiosissime intendere atque pro viribus nobis a Deo Patre collatis speculatoris ipsius actiones imitari, qui super specula jugiter stans die ac nocte, nequaquam dormitat, in æternum neque dormiet, populum quem peculiarem sibi ex omnibus elegit, conservando ac protegendo familiæ Israel. Super muros nempe hujus terrestris Jerusalem, quæ in valle lacrymarum primi parentis culpa posita servit cum filiis suis, custodes constituimur, ejus culturam, regimen, tutelam, jugemque observantiam ordinis nostri ratione profitemur. Proinde omni tempore ab hostili incursu sibi debemus providere, indefessaque vigilantia præcavere ne repentinis perversorum oppressa injuriis, substantiolas ad usus sibi necessarias a fidelibus delegatas negligentiæ nostræ tempore amittat. Consueverunt siquidem ex cupiditatibus hominum perfidorum, rapinas magis quam largitatem diligentium, turbelæ, et quæ non expediunt pacis inquietationes pullulari, damna quoque atque exterminia propagari: quæ omnia, si minus cauta providentia, minime præventa non resecantur, portio ecclesiastica plurimorum utilitatibus distincta distrahitur. Ex qua quidem distractione plurima sequuntur, sicut diximus, incommoda, plurima exoriuntur provisoribus dispensatoribusque pericula, memoriaque eorum, qui aut perfectionis voto, aut pro peccato redimendo, res suas ecclesiis contulerunt, apud nos derelinquitur; quique eas distribuere indigentibus fideliter poterant, officio coronaque fidelium dispensatorum privantur. In facultatibus enim ecclesiasticis existunt pauperum patrimonia, militantibus Christo stipendia debita, peregrinorum et hospitum susceptacula, basilicarum labentium reparatio, captivorum quoque redemptio, compeditorumque solutio. Quæ omnia si adnihilantur, magna necessitatem patientibus solatia subtrahuntur. Consequens est itaque, charissimi, ut propter miseriam inopum devitandam, propter gemitum pauperum supprimendum, propter religionem defendendam, propter nostri loc professionem adimplendam exsurgamus, et adver-

sus nefarios ecclesiasticarum possessionum pervasores gladium usque ad animam pervenientem exeramus. Erit enim Deo gratum, cunctisque boni amatoribus acceptum, cum nos senserint studiose præcavere, ne Ecclesia defraudetur suo jure. Quare agite fratres, nobiscum in procinctu castrorum Dei hodie convocati, scuto fidei quo possimus omnia tela nequissimi ignea exstinguere obarmemur, galeaque salutis protecti, gladio spirituali accingamur, firmique muniminis decretum in perpetuum duraturum concordi conscriptione sanciamus possessionibus omnibus monasterium B. martyris Dionysii in prato Ambianensis suburbii ab Ingutione, divini pro se amoris et gratiæ pleno sacerdote ædificati, et religiosis fratribus Majoris Monasterii ab antecessoribus nostris concessi. Hodie ergo prædicto monasterio privilegium confirmantes, excommunicamus, et anathemate indissolubili percutimus illos omnes qui invadere, lacerare, separare, jurique suo assignare præsumserint prædia, possessiones, hospites, pecora, aurum, argentum, gemmas, vel quælibet alia mobilia vel immobilia ad victum vel ornatum prædicti monasterii pertinentia, et universaliter cuncta donaria quæ devotione fidelium ei jam accesserunt, quæque in futurum adjicienda sunt, altare scilicet quod jam eis accessit, omnesque ejus oblationes, ecclesiaque omnis prædicti martyris, sepulturaque universa, et quæcunque plantaverunt vel ædificaverunt, decima quoque pecorum suorum atque lanæ sub hujus privilegii consignatione quieta existant, libera quoque atque in perpetuum absoluta ab omni redditu, excepto quod ecclesiæ egregii confessoris Nicolai quoque anno in sua solemnitate persolvent duos cereos duodecim denariorum, et tantum thuris quod sufficiat in die festi. Fratribus quoque in prædicti confessoris ecclesia degentibus charitatis vinculo sic innectantur, ut in funebribus officiis cum candelis clerici cum monachis, monachique cum clericis præsententur. Animas fratrum defunctorum Deo mutuo commendent, trigintaque diebus pro invicem missas decantent. Anniversarium quoque domni Drogonis Theroanensis episcopi celebrent. Altare quoque Durtii, et artrium et septem curtilli, et omnes redditus et consuetudines eorum, altare de Sarton et atrium, altare Sancti Gratiani et atrium, tertia pars altaris de Curcellis, tertia pars altaris de Cassaincurte, et appositio sacerdotis, altare de Wulpi et atrium, et dimidia pars alodiorum camporum, et nemoris et advocatoriæ; altare de Septemvilla et atrium, et omnis decima; altare de Cuntai et atrium, altare de Chedrisicco, tertia pars duarum partium altaris de Placi, et tres hospites et dimidius, et dimidia pars decimæ casæ ecclesiæ Roboredi, et omnis decima casæ ecclesiæ Ulinastri, et unus curtillus et viridiarium; tres campi et tres hospites in Senercurte; terra de Magno-campo, dimidium terrarum Alberti, quæ adjacent civitati

A Ambianis ex parte prædictæ ecclesiæ, et v solidi decemque capones de hospitibus ejusdem Alberti; quinque solidi et sex denarii et duodecim capones de eleemosyna Wermundi vicedomini; et quaque hebdomada tres bigadæ lignorum de eleemosyna Haimonis de Chiedriu in nemore Fragileti, et una quadrigata in nemore Douxville de eleemosyna Ermecinis et Filiæ ejus Emmelinæ, et in eadem villa duo curtilli; hospites quoque quos in urbe nostra habebat, et extra urbem. Allagisterium quoque secundi molendini. . . . . episcopali curia cum istis. Altare quoque Douxville et atrium et dimidia pars decimæ casæ ecclesiæ. Gavulum quoque ejusdem villæ, quæ. . . . . . . juris Ruriconis episcopi successorumque ejus.

Signum Godefridi episcopi.
Signum Fulconis archidiaconi.
S. Ingelranni archidiaconi.
S. Rogeri decani.
S. Warini thesaurarii.
S. Radulfi cancellarii.
S. Balduini sacerdotis.
S. Radulphi sacerdotis.
S. Willelmi diaconi.
S. Adsonis diaconi.
S. Roberti subdiaconi.
S. Simonis canonici.
S. Balduini canonici.

Signum canonicorum ecclesiæ S. Nicolai: Milonis sacerdotis, Walleri diaconi, Rogeri subdiaconi, Roberti et Arnulfi acolythorum.

C A † Ω

Confirmata est hæc charta anno Verbi incarnati 1113, indictione vii, in capitulo S. Mariæ, anno vi regni Ludovici regis, anno x episcopatus domini Godefridi episcopi feliciter, amen.

VII.

Godefridi episcopi Ambianensis charta, qua rata habetur restitutio quorumdam altarium, facta ecclesiæ Compendiensi.

(Anno 1115.)

[Mabillon, *De re dipl.* p. 617, ex chartario Compendiensi.]

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, Godefridus Ambianensis Ecclesiæ gratia Dei minister humillimus.

D Quia altaria possidentes laicos sanctorum ubique damnant canonum instituta, multos jam Dei misericordia ab hac videmus usurpatione desistere, et ut magis magisque desistere debeant, commisso nobis gregi Dominico sollicitudine prædicare debita non cessamus. Unde parochianorum quidam nostrorum Elinandus de Monte-Desiderio miles, inspiratione divina compunctus nostraque persuasione commonitus, altaria de Metvillare atque Pronastro, quæ ad animæ suæ periculum diu obtinuerat, cum appendiciis eorum sanctæ Compendiensi ecclesiæ, quam specialiter sicut unus de confratribus diligebat, tradenda decrevit. Quoniam autem nonnisi per

Viromandorum comitissam, de cujus manu dicta altaria, tanquam per feodum, tenebat, hoc efficere prævalebat ; ut ipsa quoque idem concederet, multis exorando precibus, quia et illa soror erat ecclesiæ, tandem obtinuit. Verumtamen, quia et sine assensu Ambianensis pontificis, in cujus parochia sunt altaria, et a quo ea per feodum se quoque dicebat comitissa tenere ; res minime procedebat : venit ad nos Elinandus, venit et comitissa cum filiis suis, et in generali synodo quam apud Montem Desiderium celebriter habeamus, nobis (ut æquitas exigebat) altaria resignantes, ut dictæ Compendiensi ecclesiæ eadem redderemus, pariter effecerunt. Ego igitur Godefridus, Ambianensis ecclesiæ præsul, rogatu illustris Viromandorum. Adelæ comitissa, rogatu etiam filiorum suorum, Radulfi videlicet comitis, Henrici, et Simonis clerici, voluntate insuper, imo obsecratione devota militis Helinandi, dono et concedo sanctæ Compendiensi ecclesiæ altaria de Metvillari atque Pronastro cum appendiciis eorum, et ut quiete eadem in æternum possideat, per has memoriales litteras, per auctoritatem sigilli nostri, donata et concessa confirmo : donum etiam altaris de Herceis, quod jam antea sæpedictæ Compendiensi ecclesiæ, serenissimi Francorum regis Ludovici

A precibus, sicut et de his fecerant, eadem auctoritate corroboro. Concedit et hæc omnia domnus Fulco archidiaconus noster, in cujus archidiaconatu dicta consistunt altaria, et quantum in ipso est laudando corroborat. Hanc tamen Ambianensi dignitatem Ecclesiæ reservamus, ut pro omnibus prædictis altaribus in synodo Ambianensi quilibet Compendiensi ecclesiæ fratrum se præsentet, cæteraque synodalia jura atque episcopalia minime relaxamus. Si quis autem hanc donationis nostræ corroborationem infirmare aut delere præsumpserit, anathematis gladio in perpetuum feriatur.

Actum est hoc, confirmatum et recitatum Ambianis, in sede pontificali, in plenaria synodo, anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo decimo quinto, episcopatus autem nostri anno XII, indictione octava, XVI Kal. Julii.

B

Radulfus cancellarius scripsit, subscripsit atque relegit.

Signum Godefridi episcopi.

Signum Rogeri decani.

S. Simonis præpositi.

S. Fulconis archidiaconi.

S. Ingelranni archidiaconi.

S. Warini thesaurarii.

TITULI PRIMIGENII

CHARTÆ COMMUNIÆ AMBIANENSIS

Anno 1106 a sancto Godefrido, ut videtur datæ.

(Augustin THIERRY, *Essai sur l'histoire du Tiers-Etat.* tom. I.)

1. Unusquisque jurato suo fidem, auxilium consiliumque per omnia juste observabit.

2. Quicunque furtum faciens intra metas communiæ comprehendetur vel fecisse cognoscetur, præposito nostro tradetur, et quidquid de eo agendum judicio communionis judicabitur, ei fiet, reclamanti vero id quod furto sublatum est, si potest invenire, præpositus noster reddet ; reliqua in usus nostros convertentur.

3. Nullus aliquem inter communiam ipsam commorantem, vel mercatores ad urbem cum mercibus venientes, infra banleucam civitatis disturbare præsumat. Quod si quis fecerit, faciat communia de eo, ut de communiæ violatore, si eum comprehendere poterit, vel aliquid de suo, justitiam facere.

4. Si quis de communione aliqui jurato suo res suas abstulerit, a præposito nostro submonitus in præsentia communionis veniet, et quantum scabini inde judicaverint, salvo jure nostro, ibi faciet.

5. Qui autem de communione minime existens, C alicui res suas abstulerit justitiamque illi infra banleucam se exsecuturum negaverit, postquam hoc hominibus castelli ubi manserit notum fecerit communia, si ipsum vel aliquid ad se pertinens, comprehendere poterit, donec ipse justitiam exsecutus fuerit, præpositus noster, donec nos nostram et communia similiter suam habeat emendationem.

3. Qui pugno aut palma aliquem de communia, præter consuetudinarium conturbatorem vel lecatorem, percusserit, nisi se defendendo duobus vel tribus testibus contra percussum disrationare poterit coram præposito nostro, viginti solidos dabit, quindecim videlicet communiæ, et quinque justitiæ dominorum.

D

7. Qui autem juratum suum armis vulneraverit, nisi similiter se defendendo legitimo testimonio et assertione sacramenti, se contra vulneratum disrationare poterit pugnum amittet, aut novem libras, seu scilicet firmitati urbis et communiæ, et tres justitiæ dominorum, pro redemptione pugni per

solvet, aut si persolvere non poterit in misericordia communiæ, salvo catallo dominorum, pugnum tradet.

. . . .

9. Qui vero communione minime existens, aliquem de communia percusserit vel vulneraverit, nisi judicio communiæ coram præposito nostro justitiam exsequi voluerit, domum illius, si poterit communia prosternet, et capitalia erunt nostra. Et si eum comprehendere poterit, coram præposito.... per majorem et scabinos de eo justitiam capiet, et castella nostra erunt.

10. Qui juratum suum turpibus et inhonestis conviciis lacesserit, et duo vel tres audierint ipsum, per eos statuimus convinci, et quinque solidos, duos scilicet convinciato, et tres communiæ dabit.

11. Qui inhonestum aliquid de communia dixerit in audientia quorumdam, si communiæ propalatum fuerit, et se quod illud non dixerit, judicium communiæ judicio defendere noluerit, domum illius, si poterit, prosternet communia, ipsumque in communia morari, donec emendaverit, non patietur, et si emendare noluerit, catalla ejus erunt in manu Domini..... et communiæ.

. . . .

14. Qui, clamore facto de adversario suo, per præpositum, et majorem et judices communiæ justitiam prosequi non poterit, si postea adversus eum aliquid fecerit, illum rationabiliter communia conveniet, ejusque audita ratione, quid inde postea agendum sit, judicabit.

15. Qui a majoribus, et judicibus et decanis, scilicet servientibus communiæ, submonitus, justitiam et judicium communiæ subterfugerit, domum illius, si poterunt, prosternent, ipsum vero inter eos morari, donec satisfecerit, non permittent, et catalia erunt in misericordia præpositi..... et majoris.

16. Qui hostem communiæ in domo sua, scienter receperit, eique vendendo, et emendo, et edendo, et bibendo, vel aliquod solatium impendendo communicaverit, aut consilium aut auxilium adversus communiam dederit, reus communiæ efficietur, et, nisi judicio communiæ cito satisfecerit, domum illius, si poterit, communia prosternet, et catalla..... erunt

. . . .

20. Qui judices communiæ de falsitate judicii comprobare voluerit, nisi, ut justum est, comprobare potuerit, in misericordia..... est et majoris et scabinorum, de omni eo quod habet . . . . .

. . . .

44. Si conventio aliqua facta fuerit ante duos vel plures scabinos, de conventione illa amplius non surget campus vel duellum, si scabini qui conventioni interfuerint, hoc testificati fuerint.

45. Omnia ista jura et præcepta quæ prædiximus majoris et communiæ, tantum sunt inter juratos, non est æquum judicium inter juratum et non juratum.

ANNO DOMINI MXCV.

REIMBALDUS

PRÆPOSITUS S. JOANNIS LEODIENSIS

—

NOTITIA

(Fabric. *Biblioth. med. et inf. lat.*, tom. VI, pag. 63)

Reimbaldus, quem Mabillonius canonicum S. Mariæ et S. Lamberti Leodiensis vocat, rectius, præpositus S. Joannis Leodiensis, nam ita in titulo epistolæ Wazonis jam memorandæ scribitur. Vixit circa a. 1115, quo tempore Leodio fugere, et apud Kicherium abbatem, nescio quem, per menses octo delitescere coactus fuit. Hujus igitur hospitis suasu librum *De vita canonica* conscripsit, quem in codice monasterii Alnensis oculis usurpavit Joan. Mabillonius, prout in Analectis p. 473 testatur. Hunc ipsum librum Wazoni priori S. Jacobi Leodiensis mittit Reimbaldus, rogans ut illi manum ultimam admoveat, et corrigenda corrigat. Wazo vero modeste respondet se nihil habere quod addat vel emendet, sed potius gratulatur; cui Reimbaldus altera epistola respondet. Tres illas epistolas (duas tantum observaverat Mabillonius) ex eodem codice Alnensi ediderunt Martene et Durand in Thesauro novo Anecdotorum tom. I, p. 338 seq. Ejus *Stromata* bis adsunt in bibl. Vaticana. Bern. de Montifaucon Bibl. Bibl. mss., p. 101, 138. *Versus in Vitam S. Majoli* exstant in Actis sanctorum tomo II, Maii, p. 668.

REIMBALDI EPISTOLÆ.

(D. Martene, *Anecdot.* I, 338-340.)

I.

Familiaris epistola Reimbaldi Leodiensis ad Wazelinum priorem Sancti Jacobi. — Petit ut suis opusculis extremam ille manum imponat, et quæ corrigenda sunt corrigat.

Reimbaldus, gratia Dei id quod est, Wazelino priori, plurimam in Domino salutem.

Concedit Dominus in Evangelio fugiendum de civitate in civitatem, cum necesse sic fuerit. Incubuit necessitas, et relicta sede et ecclesia propria, ex præceptione seu permissione hac Dominica, ad aliam confugi, non longe tamen a diœcesi nostra. Hic fere per octo menses latui, cum interim qui hospitio me receperat, abbas videlicet Richerius, religiosus et honestus admodum vir, aliquid forsan de me ultra me sentiens, pia satis importunitate suadebat, ut de vita canonica nonnulla colligerem, et aliquid exinde quanto recentius, tanto forsan utilius arbitratu meo cuderem. Obstinatius reluctari non potui. Sed quid hoc? Vicit me tandem hospitis mei et officium et studium. Præsumens itaque nequaquam fateor canonicis vivendi formam ac regulam quam ipse ignorabam contradidi. Sed quomodo dedit Dominus quæ vitæ morumque sit correctio, quæve in ea ad perfectionem progressio; sicut ipsis, sic de cæteris omnibus sanctæ quidem religionis professoribus in medio qualicunque hoc scripto exposui. Nunc igitur amice feceris, si antequam hoc prodeat, judiciaria quadam, ut aiunt, severitate tu recenseas. Prava corrigas, superflua deleas, quæ desunt suppleas, tantaque id perficias diligentia, ut obloqui deinceps nemo hic valeat, nisi aut ex inscitia, aut (quod absit) ex malevolentia id contrahat; morborum istorum, aut tarda, aut nulla curatio est. Non est igitur cur magnopere pro hujusmodi laboraveris, dommodo competenti ac sufficienti opusculi hujus castigatione, tam mihi, quam pie rem assequi conantibus, officiose, ut spero, prospexeris. Vale.

II.

Rescriptum Wazelini.

Domino et amico suo Reimbaldo præposito Sancti Joannis, suus Wazelinus, salutem et servitium bonæ voluntatis.

Lecto et relecto vestro de canonica vita libro, animam vestram beatificavi, quæ datum optimum et donum perfectum desursum a Patre luminum suscepit: hoc opus sanctum, dignum, benedictione plenum condidit. Vere enim, ut credo, thesaurum absconditum in agro invenistis, nec amicis hoc vobiscum quærentibus abscondistis, ut quod vobis singulariter dedit gratia Dei, hoc commune fidelibus ipsius faciatis. Quod autem præcepistis, ut ipsum librum retractarem, emendarem, quod minus dictum erat supplerem, quod ex abundanti tollerem, fateor studiosius vos effecisse, et breviter et lucide sufficienter omnia dicta, omnia hæc omnibus benevolis fore utilia. Vos igitur in ædificatione apostolico superposita fundamento, ubi alii aurum, argentum, lapides pretiosos superædificaverunt, hoc quoque pretiosum quadrastis margaritum, quod canonicæ vitæ quadripartito ordine æqualiter respondet, connectit lateribus suis. Benedictus Deus qui de lege sua vos docuit, et sermonem rectum dedit in os vestrum, quem de bono thesauro cordis vestri nova et vetera protulistis. Spero enim quoniam qui hæc bono animo leget, ad ædificationem sui in vita canonica perfectum inveniet. Vale.

III.

Item rescriptum Reimbaldi.

Reimbaldus, gratia Dei id quod est, dilecto suo in Christo, et sui conventus ac ordinis egregio priori Wazelino, salutem in Domino.

Studio ac diligentia qua potui, de vita canonica editum a nobis opusculum nuper, charissime, familiari quidem confidentia ad te, quasi ad cotem ac limam quamdam examinationis transmisi quod, velut omni parte beatum et exactum, ut aiunt, in eamdem mihi penitus formam remisisti; insuper tuo sic ornatum ac illustratum præconio, ut nisi de simplicitate ac sinceritate tuæ erga nos amicitiæ compertum haberem, non sine fuco aliquo ac nebula id assentationis fieri credidissem. Nunc autem, ut par est, de amico ac necessario meo bene sperans, bene per omnia sentiens, verbis tibi, non meis, sed Sidonii Alvernorum episcopi, respondeo, quibus Namatio cuidam familiari suo scribens, sic de Flavio quodam dicebat Nicetio, cum quædam ejus opuscula nimio ille, ut referebat, extulisset præconio. Equidem dicebat: « In quantum fieri præter jactantiam potest, gaudeo de præstantissimi viri auctoritate, si certus est; amore, si fallitur. » Hisdem verbis, charissime, nescio s eodem animo, scio tamen quia simplici ac pio hisdem pene verbis hic tibi respondeo: Equidem videlicet, in quantum fieri præter jactantiam potest, gaudere me de præstantissima tua auctoritate, si certus es; amore, si falleris. Vale.

ANNO DOMINI MCXV

JOANNIS MONACHI
CHRONICON BEZUENSE

PRÆCEDIT

CHRONICON S. BENIGNI DIVIONENSIS
AUCTORE ANONYMO

(Dom D'Achery *Spicileg.*, edit. de la Barre, tom. II, pag. 356)

MONITUM.

Cum ante bina ferme lustra, S. Benigni Divionensis Chronicon e bibliotheca regia commodasset clarissimus vir Petrus Puteanus, subierat animo publicam in lucem opus vindicare ; nec deerat characterum elegantia, quæ ad lectionem proliceret ; at revolventi ac propius inspicienti tantæ scriptionis salebræ occurrerant, verbis pars inversis, pars mutilis, pars omnino absumptis, ut actuario primam pingendi, scribendi postremam fuisse curam crediderim. Hinc discedendi a priore consilio necessitas. Postea vero quam San Benignianum cœnobium congregationis S. Mauri disciplinam induerat, me convenere viri docti complures, ut autographum, quo potiebatur eadem abbatia, Parisios mittendum, publicumque faciendum curarem ; ut pote tot annis oblivione sepultum, doctis invisum, nunc autem ab iis ardenter expetitum, qui Gallicis rebus illustrandis tanquam pro aris ac focis decertantes, oleum et operam impendunt ; quin ne hi solum, sed harioli illi mercenario calamo, stylo calamistrato, ut regni jus hæreditarium (quod Salicam legem vocitant) caligine offusum, e medio tollere attentarent, ut subsidium Chronicon istud, velut et Besuense, nixu temerario non erubuerunt advocare (id legenti, quam favet nihil utrumque, patebit). His proinde quasi calcaribus instimulatus, continuo litteras semel atque iterum, ac tertio Divionem, quo ad me autographum illud transmitteretur, direxi. Interim quam præscieram interjecta mora est ; scilicet instar thesauri, antiquitatis monumentum isthoc vir illustrissimus D. de Castille, abbas commendatarius S. Benigni, reconditum habens, e musæolo distrahi extrahive extra regionem ægre ferebat. Verumtamen ipse singulari comitate præditus rei litterariæ seu bono publico nolens invidere, ultro concessit San-Benigniano cœnobitæ domno Claudio Bertaigne, e nostra congregatione presbytero theologo, qui maxima cura, summa diligentia, exemplar ex mendoso bibliothecæ regiæ excerptum, a se uti rogaveram, collatum ad archetypum, suoque nitori restitutum, quantocius Parisios remisit : quod ego mora procul, adjectis prius margini variis lectionibus conjecturisque, typographicæ officinæ intuli.

Nec abs re fuerit, totidem verbis ac syllabis et San Benigniani et Besuensis Chronicorum auctores suam Gallicarum rerum historiam texuisse, ipsa præfatione, Lector, advertas (nam hujuscemodi Chronica cothurni mihi visi sunt, utrique pedum apti) quo vel umbra conjecturarum, auctorem primigenium queas observare. Igitur ex subjectis Chronico Besuensi perspicuum habetur Joannem monachum (secretarius appellatur paulo superius) esse rerum Besuensium commentarii conditorem, videlicet ex epitaphio, et librorum, studio Joannis descriptorum, indiculo. Epitaphii hæc sunt verba :

Omnibus ostendit monachi pia cura Joannis, etc.

Et in fine indiculi : *Istum etiam librum de diversis rebus et chartis composuit.* Videsne non chartarum modo, diversarum quoque rerum concinnatorem prædicari ? Num *diversis rebus* historia cum domestica tum Gallica insinuatur ? Favent profecto verba Joannis. Nihilominus scrupulum ingerit San-Benignianus, qui sese ætate haud ita obscure Joannem præcessisse ostendit : namque ad obitum Halinardi, ex abbate archiepiscopi Lugdunensis, Chronicon tantummodo perduxit, hoc est annum 1052. Joannes vero quæ Besuensi asceterio Guillenci Lingonensis episcopi, nec non Joffredi Besuensis archimandritæ annis plus minus 1129 et 1135 fuere collata, describit (quæ enim epitaphium chartæ subsequuntur permistim sunt superadditæ) atque in hoc abbate colophonem imponit. At de his sat superque : ejusmodi litem protelare necessum minime est ; quando quidem infieias neutiquam ierim, quod istoriam spectat sæcularem, de Gregorii Turonensis ac Fredegarii Historiis, ad verbum sæpiuscule Chronicorum auctores expressisse.

Chronici Besuensis autographo (ni fallor) in bibliotheca Regia asservato, usus fui ; a cujus contextu vel latum unguem discedere mihi religio fuit. Et ne bilem vel nauseam lectori subinde cierent in Besuensi repetita, his expunctis ad San-Benignianum Chronicon emendavi : illa nihilo secius quæ ad majorem historiæ Gallicæ illustrationem conducerent, seu gloriæ regis, seu juri adversantes plurimum exagitarent, quæve alioquin historiæ filium abrumperent, operæ pretium duxi recudenda.

San-Benigniano Chronico appendicem, quam auctor proximo sæculo conscripsit, ingratam fore Lectori, si adderem, non putavi. Plura quoque antiquitatis monumenta, utrumque ad illustrandum Chronicon, ingerere consilium fuerat, verum id oneris in humeros sodalium meorum qui contexendæ eorumdem monasteriorum historiæ navaturi sunt operam, deposui.

CHRONICA VENERANDORUM ABBATUM

Illustriumque hujus beatissimi Athletæ Christi Benigni Divionensis Monasterii benefactorum atque fundatorum.

Cui maximo cum labore, multisque lucubrationibus adauctum est, quod post venerabilem hujus Præfati cœnobii Patrem Halinardum reperies.

INCIPIT LIBER COLLECTANEUS MEMORANDARUM RERUM.

PRÆFATIO.

Antiquorum hujus sæculi sapientum laudabile, ac imo imitandum fuit studium, ut non solum ea quæ acciderent in diebus eorum, sed etiam fortia priscorum facta heroum, ad memoriam posterorum traderent monumentis scripturarum. Quæ utilis res et eis exstitit magnum humanæ laudis, et futuris hæc legentibus vel audientibus exemplum, incitamentumque æmulationis Talia considerantes nos Divionensis sacri monasterii a parvulo habitatores et amatores, ne forte nobis juste succenseant nostri successores (sicut et nos de incuria merito culpamus nostros antecessores) aggrediemur cum adjutorio Dei describere, licet rusticana et minime polita narratione, quæ de præfati loci antiquitate prodita, seu devotorum Deo fidelium gregi eidem donata sunt largitione ; videlicet regum, pontificum, ducum, comitum, ac illustrium virorum, ut potuimus addiscere veraci relatione. Quatenus et honori et cœnobio nostro possessionum ipsi collatarum, et memorandarum rerum in eodem gestarum descriptio accedat, et cum divinæ laudis debito, exoptanda benefactoribus ejus cœlestis gloriæ renumeratio. Verumtamen primo dicendum quo in tempore ipse advocatus et peculiaris Christianus noster sanctus martyr Benignus venerit in Galliam, vel quot annos eidem ferocissimæ genti prædicaverit sanctum Christi Evangelium, seu quo die, vel quo persecutore consummaverit agonis sui martyrium, nec non et quando post multa tempora fuerit sacrum ejus corpus revelatum a'que translatum.

S. Irenæus martyrio coronatur. S. Benignus in Galliam a S. Polycarpo mittitur. — Anno igitur ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi centesimo nonagesimo quinto, indictione tertia, imperante Severo, sub terribili ejus persecutionis procella directus est hic testis Christi cum suis sociis Gallicæ genti, quæ per id tempus erat mancipata dæmonum cultui. Hujus autem servi Dei (1) directio ita est divinitus jussa, atque suasa Metropolitano Asiæ Polycarpo episcopo, et a beato Irenæo Lugdunensium Archiepiscopo, septimo die passio- A nis ipsius sancti quæ patrata est anno tridecimo imperii Severi. Siquidem Claudio Albino (qui se apud Lugdunum Cæsarem fecerat) interfecto, Severus civitatem omnem tradidit in ore gladii ; ibique sanctus Irenæus martyrizatus est cum omni populo Christianorum decem et octo militibus : tantaque fuit strages cæsorum, ut sanguine fluente a vertice montis (super quem civitas sita erat) Rhodanus et Araris qui ibi pariter conjunguntur, perplurima milliaria rubentes fluere viderentur. Hoc ergo peracto martyrio sanctus Irenæus cum multitudine martyrum apparuit beato Polycarpo, monuitque ut sanctos sacerdotes Benignum et Andochium, Thyrsum diaconum, et Andeolum subdiaconum transmitteret Galliam ad prædicandum. Qui sancti Dei missi a sancto Polycarpo, angelo Domini B ducente, pervenerunt Lugdunum, quæ est urbs metropolis Galliarum, Illic sanctum presbyterum Zachariam reperiunt, qui ob persecutionis procellam latenter in crypta inter martyrum latitabat sepulcra, fluctuantique Ecclesiæ divinum advenire precabatur auxilium. Hic denique post sanctum Irenæum præfatam rexit Ecclesiam.

Cum eo igitur verbum Dei meditantes, atque in Spiritu sancto gaudentes, Dominum precabantur, ut eorum dirigeret gressus. Et dum ibidem morarentur, angelo Domini monente, visum est eis, ut sanctum Andeolum ad Carpentoracensem urbem prædicationis gratia destinarent : sancto vero Andeolo ad prædictum locum iter arripiente, verbum Dei gentibus ubique prædicando, non longe post a C Severo imperatore multis afflictus tormentis, martyrio est coronatus. Hi autem Christi testes a beato Zacharia multis adhortationibus, ut intrepide verbum Dei et nomen Christi omnibus annuntiarent, corroborati, benedictione etiam et potestate omnis ecclesiastici et divini cultus peragendi ab eo accepta, ad Augustodunensem properagt urbem, comitante Christi virtute, et signorum gratia. Ad hanc itaque urbem itinere attingentes, Faustum virum nobilissimum ac præfectoriæ dignitatis, ac Christianitatis verissimum amatorem reperiunt ; ad quem angelo monente advenerunt. Qui suscipiens

(1) *Servi Dei.* Sic ex conjectura emendavi. Acherius ediderat *sæculi Dei.*

eos cum omni gaudio, ut cognovit sacerdotes existere, suppliciter petiit ut filium suum Symphocianum, annorum trium vel quinque existentem, pariterque amicos et familiam, baptismatis gratia consecrarent. Quod audientes, sanctus Benignus eum baptizavit; sanctus vero Andochius eum de sacro fonte excepit. Habebat denique illustris vir Faustus sororem germanam, Lingonicæ civitatis matronam, nomine Leonillam, Christianam; cui erant parvuli gemini, nepotes ex filio tres, viri pulcherrimi aspectu, sed animo pulchriores. Itaque ut ad eam sanctus Benignus venire dignaretur impendio deprecatus est. Quem sicut manna cœleste Leonilla suscepit. Tandem hi tres gemini fratres fide sanctæ Trinitatis imbuti, baptismatis gratia cum omni familia, ac populi multitudine, per sanctum Benignum consecrati, non longe post martyrio coronati sunt. Sanctus vero Benignus perambulans universam longe lateque prædicando regionem, et multos ad Christum convertens, pervenit ad castrum Divionense.

Severo itaque decimo octavo anno imperii in Britannia defuncto, successit Antoninus Caracalla cognomento, filius ejus, in imperium, quod tenuit annis septem. Quo mortuo imperavit Macrinus anno uno. Post quem Marcus Aurelius Antoninus obtinuit imperium annis quatuor. Hic omnibus flagitiis plenus, etiam in persecutione Christianorum nulli priorum inferior principum, dum Galliam pervagatur populum in Deum credentem persequendo, a Senonum civitate devenit ad rus prædicti viri Fausti, qui dicitur, Sede-locus, ubi sanctis Dei Andochio et Thyrso per martyrium consummatis, ipse Divion petens misit Heraclium similem sui sanctorum persecutorem ad Augustodunum urbem. Heraclius itaque sanctum Symphorianum, primo diris flagellis cæsum, et carceris custodia maceratum, gladio plecti præcipit. Erat autem quando martyrium passus est sanctus Symphorianus, annorum viginti quinque, ut passione ipsius, atque in gestis sanctorum supradictorum martyrum invenitur. Hinc cognosci potest tempus prædicationis sancti Benigni viginti circiter annorum fuisse, in quibus istam Galliam prædicando multos ad fidem Christi convertit, et baptismatis eos unda sanctificans, ecclesias in aliquibus sacravit locis, sacerdotesque ac ministros ad divinum cultum instituit.

Sub Aureliano imperatore S. Benignus martyrium subiit. — Imperator ergo Aurelius, qui et Aurelianus (2) vulgo dicebatur, Divion castrum ingressus, comperta sancti martyris prædicatione et virtutibus, quas per eum divina operabatur clementia, assistente crudelitatis suæ ministro Terentio comite, sanctum Benignum perquiri jussit, ac vinctum et cæsum conspectibus suis præsentari. Quem in catasta extensum, et nervis diutissime cæsum, ita ut corporis interiora paterent, rursum in carcerem conjecit, ubi ministri et carnifices pedes ejus in lapide cum plumbo remisso (3) confixerunt, et in digitos manuum subulas decem acutissimas et igne candentes infixerunt; ac per sex dies canes duodecim ferocissimos cum eo incluserunt. Angelus autem Domini adveniens, dedit panem cœlestem, subulas abstulit, et eum de plumbo eripuit. Ad ultimum collum ejus vecte ferreo tundi, et corpus lancea perforari jubet. Quo facto columba nivea de carcere Christianis aspicientibus ad cœlos ascendit, et odor suavissimus quasi paradisi secutus est.

Gregor. Lingonensis episcopus sepulcrum S. Benigni reperit. — Veniens autem beata Leonilla, conditum aromatibus corpus ejus non longe ab ipso carcere sepelivit in magno sarcophago: in quo loco Christiani cryptam construxerunt. Sed ob gentilium timorem non ei exhibebatur honor tanto martyri condignus, persecutionis immanitate, quæ a principibus reipublicæ Christianis inferebatur, fideles in Christum credentes deterrente. Multis igitur transactis annorum curriculis, ex tunc si quidem ab ipsius imperatoris tempore usque ad finem Diocletiani, et imperium Constantini, computantur anni octoginta unus; et a Constantino usque ad Zenonem imperatorem, et regnum Clodovei regis annis fere centum octoginta; qui sunt in summa ducenti sexaginta unus. In quo annorum decursu, illius ævi Christianis ex hac luce subtractis, locus sepulcri sancti martyris ita fuit neglectus atque oblivioni datus, ut non jam corpus martyris, sed potius alicujus præpotentis crederetur in eo quiescere gentilis. Solummodo rusticorum docta simplicitas, sagax inquirere notitiam veterum per relationem antiquorum hominum, ipsi rustici vota inibi dissolvebant, et quæ petebant, velociter impetrabant. Hæc ignorantia quotidie crescendo per multa annorum curricula duravit, usque ad tempora sancti Gregorii episcopi, qui sextus decimus in catalogo pontificum Lingonensium continetur. Qui pontifex (sicuti cæteri hominum) credens ibi aliquem positum fuisse gentilem, virtutes ibidem nullomodo credebat, sed magis ne ibi adorarent, detestabatur. Tandem Dei martyr beato se confessori revelat, et dicit: « Quid, inquit, agis? Non solum est quod me tu despicis, verum honorantes me spernis? Ne facias, quæso, sed tegmen super me velocius præpara. » De qua ille

(2) *Qui et Aurelianus.* Haud dubium quin de Elagabalo loquatur, quem in nummis suis Marcum Aurelium Antoninum appellari novimus, communi scilicet nomine cum illustri illo imperatore, in quo nihil aiunt reprehendi potuisse, nisi quod Commodi pater fuit; et cum altero Septimii Severi filio, quem Caracallam vulgo vocant. Eumdem et Varium et Elagabalum dictum esse norunt quicunque in veteri historia sunt non omnino peregrini; Aurelianum nemo dixit. His accedit, Elagabalum vix credi posse in Gallias unquam venisse.

(3) *Cum plumbo remisso.* Forte *demisso*, ait Acherius; mihi ulcus insanabile videtur.

visione concussus, beatum sepulcrum adiit, ibique cum fletu veniam deprecatur, et cætera quæ sequuntur in dictis vel factis beati Gregorii Turonensis episcopi. Quoniam ille pleniter translationem corporis ejus, et aliorum in hoc loco quiescentium descripsit; nobis non est necesse repetere. Quapropter, his sepositis, quæ deinceps gesta sunt, intimamus.

Inferius nominantur sancti et sanctæ in sacro hoc loco quiescentes, et loca in quibus jacuerunt.

Inventio ac translatio corporis S. Benigni.—Igitur anno Dominicæ Incarnationis quadringentesimo octuagesimo quinto, indictione octava, præsidente sanctæ Romanæ Ecclesiæ Symmacho papa, Zenone vero Cæsare imperante in republica, Clodoveo quoque primo regnante in Francia, et Gaudebaudo in Burgundia, inventum est atque translatum octavo Kalendas Decembris, corpus almifici martyris Benigni a beato Gregorio Lingonicæ urbis episcopo, divina revelante providentia, ut refert Gregorius in libro Miraculorum (lib. I, c. 51), qui fuit antistes Turonorum. Quod cum digne fuisset transpositum cum adjutorio supernæ virtutis, ne deinceps testis Christi debitis privaretur officiis, idem venerabilis præsul ædificato ei templo, ex diversis partibus ibidem adunavit multos, Deo servire paratos.

Insignes in Gallia sanctitate viri. — Fulgebant tunc per Galliam plurimi sanctitate vitæ conspicui inter quos erant sanctus Joannes abbas monasterii quod Reomaus dicitur; nec non Eustadius, ac sanctus Sequanus hujus provinciæ alumni : e quibus Eustadium huic loco præfuisse per aliquot annos, et subjectos sibi religiose educando vixisse, certum tenemus. Unde et moriens condignam meruit sepulturam juxta corpus sæpe dicendi sancti Benigni martyris. Cui successit Tranquillus : qui quantæ sanctitatis fuerit, crebræ sanitates infirmis ex ejus tumulo præstitæ testantur, ut refert Gregorius Turonensis (*De glor. confessor.*, c. 44), in seipso expertus. Sepultus vero est ad dexteram partem sepulcri sancti martyris Benigni, juxta sanctam Paschasiam, juxtaque eum posita fuit sancta Florida. Ex altera vero parte, juxta sanctum Eustadium, sepulcrum fuit sancti Hilarii senatoris, conjugisque ejus sanctæ Quittæ. Hi fuerunt progenitores supra memorati Joannis. Et quia præfatus Gregorius Turonorum in libro De illustribus viris (c. 42), hujus Hilarii quis et qualis fuerit pleniter meminit, hæc tantum dixisse sufficiat.

Quia igitur de sepultura sanctorum pauca prælibavimus, dicendum nobis est propter aliquorum præsumptuosam calumniam, quomodo antiquitus cœmeterium habitatorum hujus oppidi constiterit.

Cæmeterium Divionense. Inibi sanctimonialium congregatio. Plures episcopi Lingonenses illo in cæmeterio sepulti. — Ecclesia fuit constructa ab ipsis primordiis incœptæ Christianitatis; quam ecclesiam ferunt a sancto Benigno sacratam in honorem sancti Joannis Baptistæ, et evangelistæ Joannis. Quod et alios qui ex discipulatu ejusdem apostoli fuerunt in cæteris urbibus quibus prædicaverunt cognoscimus fecisse. Quæ ecclesia ad hoc est Deo dicata, quatenus ibidem per sacri baptismatis regenerationem plebes credentium transirent in filiorum Dei adoptionem, et quorum animas afferret Deo, eorum corpora suo reciperet gremio. Quapropter in tantum sublimata fuit, ut sanctimonialium ibi sisteretur congregatio, et plurimi civitatis Lingonicæ præsules hic sua corpora jusserint tumulari, videlicet ob devotionem sancti martyris Benigni, ut quem sequebantur ordine sacerdotii, eadem qua ille humo cuperent sepeliri. Unde et sanctus Urbanus unus ex eorum primis pontificibus, ibi jacuisse noscitur. Sanctus quoque Gregorius episcopus cui sanctus Benignus dignatus est se primum manifestare, majorum suorum sequens exemplum in hac ecclesia se petiit tumulari; et juxta eum dextra lævaque jacent pontifices bini. Sanctus vero Tetricus successor ejus, ad dexteram partem ipsius basilicæ est positus.

Claruit ergo per multos annos ille locus, ita ut esset nobilis abbatia, nullius subjacens dominatui; nisi solummodo Lingonum pontifici. Sepultura itaque omnium in Divion castro intra extraque commorantium fuit antiquitus, ab alveo torrentis, qui per medium influit burgum, usque ad locum quo nunc est monasterium : quod testatur multitudo vasorum per illam planitiem longe lateque creberrime positorum. In hujus sepulturæ ultimis finibus ad occidentem versus corpus sancti Benigni post martyrium positum fuit a Beata Leonilla, ædificata super eum humili opere crypta, prout permisit temporis augustia. Juxtaque illam cryptam jacuit sancta Paschasia, et ipsa per ignem martyrio consummata.

S. Gregorius episc. Lingon. monasterium ædificat. — Sanctus igitur Gregorius postquam sibi divinitus revelatum transtulit sancti martyris corpus, condignamque illi eleganti opere jussit ædificari basilicam, omnem hanc terram, de qua locuti sumus, dedit sancto Benigno, constituitque, ut hoc solum esset generale cœmeterium, pertinens ad jus istius monasterii deinceps et in futurum. Quam constitutionem confirmavit apostolica auctoritate Hormisda; deinde Joannes qui post sanctum Gregorium nonus decimus præfuit romanæ Ecclesiæ, scripto roboravit. Sergius quoque post hunc tertius, qui præsumsisset hanc transgredi sub anathematis vinculo interdixit. Cujus exemplar epistolæ huic libro non pigebit suo loco inserere. Sed et alii pontifices successores eorum, necnon et Lingonici præsules hujus institutionis transgressores, et omnes qui aliquam vim vel calumniam intulerint infra præscriptam terram, vel claustrum quod conjacet in circuitu hujus loci, vel familiam sancti et servos afflixerint, excommunicationis vinculo adstrinxerunt : inter quos præcipue Isaac et Geilo episcopi, terribili imprecatione percusserunt omnes malefactores istius loci, et Deum, et omnes sanctos ejus,

sanctum Begnignum, in cujus rebus male agunt, habeant infensos et contrarios, nisi resipuerint, et ad emendationem venerint.

Nunc veniendum est nobis ad narrationem rei ob quam maxime cœptus est liber iste.

S. Gregorius monasterium ditat. — Postquam, sicut diximus, sanctus Gregorius, ædificato templo ad honorem Dei et sancti martyris ejus Benigni, congregationem hic adunavit monachorum, ut eis non deessent temporalia subsidia, studuit ditare hunc locum, terrarum, possessionumque larga munificentia. Dedit ergo de rebus propriis, et de rebus episcopi plurima: inter quæ dedit potestatem, quæ dicitur Saciacus, cum ecclesia et omnibus appenditiis, scilicet villas numero tredecim, quæ sunt Corlenis, Isiadus, Rumiliacus, Frascinus, Camberia, Linerolus, Brucialis, Brucianus, Cernadus Vallis, Bonacurtis, Juvenadus, Longus-Campus; istas villas cum omnibus adjacentiis, seu et omni re superposita, campis, pratis, silvis, pomiferis, pascuis, accessis, aquis aquarumque decursibus, et omnes redditus, totum ad integrum, una cum mancipiis, libertis cum omni peculio eorum, una cum accolabus dedit ad servitium monachorum jure perpetuo ad possidendum (4).

Igitur, quoniam in principio hujus libri fecimus mentionem regum qui illo tempore regnabant in Francia et Burgundia, prosequenda nobis eorum chronica usque ad Guntrannum regem, qui hunc locum valde extulit, et deinceps ad Carolum imperatorem, Ludovici Cæsaris filium, qui pene collapsum reparavit hoc monasterium. Siquidem ad cognoscendas abbatum successiones, qui per diversa hic præfuerunt tempora; et quæ sub uniuscujusque illorum regimine huic loco collata sunt (5) fidelium largitione; episcopos quoque Lingonicæ ecclesiæ qui circa hunc locum munificos se exhibuerunt, nominatim singulos curabimus ostendere; et quid ab unoquoque illorum collatum sit in augumentatione hujus domus Dei, sigillatim demonstrare.

Ctodovens ab imperio Romano Galliam eximit. Clotildem dudit uxorem. Gundebaudum devicit, ataque etiam Alaricum Gothorum regem. Initamicitiam cum Anastasio imperatore. Moritur.

Igitur Childerico rege Francorum defuncto, Clodoveus filius ejus succedit in regnum, vir bellicosus et in armis strenuus. Anno quinto regni ejus Siagrius, filius Ægidii, patricius Romanorum, qui in Galliis habitabat, in Suessionis civitate, quam pater ejus tenuerat, residebat, Super quem Clodoveus cum excercitu advenit, atque devicit. Siagrius fugiens ad Alaricum regem Gothorum, Tolosæ aliquandiu habitavit. Clodoveus legatos ad Alaricum misit, ut eum redderet, alioquin noverit sibi bellum illaturum. At ille metuens, Siagrium vinctum legatis tradidit; quem Clodoveus custodiæ mancipavit, regnumque ejus acceptum, et omnia quæ illius fuerant, suæ potestati subegit, eumque gladio trucidari præcepit: atque ex illo die a dominatione imperii sublata est Gallia. Anno decimo regni sui Clodoveus commoto exercitu sibi Toringiam provinciam subjugavit: inde Gundebaudi regis Burgundionum neptem, videlicet fratris sui Chilperici filiam (quem gladio interfecerat) nomine Crotildem, pulchram satis puellam, et vere Christianissimam, intervienente Aureliano consiliario ac legatorio suo, in conjugem sumpsit: nuptiæ Cavilonno præparantur. Venientes cum celeritate Franci Crotildem a Gundebaudo acceptam levantes in basterna cum multis thesauris ad Clodoveum dirigunt. Postea pœnitens Gundebaudus recordatus quod patrem Crotildæ, matremque ac fratres interfecisset, dirigit protins post eam exercitum, qui consequentes thesauros et basternam, cuncta retentant, Crotildis vero levata in equum a Francis ad Clodoveum evasit. Quam regali honore assumens, in matrimouium perfecto amore dilexit. Habebat jam tunc Clodoveus filium de concubina, nomine Theodoricum. Interea Godegisilus Gundebaudi regis frater, contra eumdem germanum suum machinans dolum, per legatos petit auxilium a Clodoveo, cum eum comperisset fortissimum in præliis; promittens, si posset ejicere Gundebaudum a regno per ejus adjutorium, tributum se illi solvere paratum. Gundebaudus vero ignorans dolum, ab eodem fratre instigatus præparat exercitum copiosum ad pugnam. Clodoveus cum Francis adversus duo reges venit, ingenti multitudine vallatus: initum est bellum super Oscaram fluvium, secus castrum, quod Divion dicitur: Godegisillus Clodoveo conjungitur, uterque exercitus Gundebaudi populum atterit. At ille sentiens dolum fratris, terga vertit, Rodani ripam percurrens Avinionem urbem ingreditur. Et postea per Aridium consiliarium suum pacem a Clodoveo expetiit. Clodoveus vero cum præda maxima, et Francorum exercitu, ad propria est reversus, relictis cum Godegisillo quinque millia Francis. Godegisillus obtenta victoria promissa Clodoveo ex parte implens, Viennam post Gundebaudum dirigit. Exiens Gundebaudus de Avinione resumptis viribus, Godegisillum Vienna circumdat. Per aquæ ductum in civitatem ingrediens, Godesililum interfecit, Francos aggregatos in unam turrim ferro trucidavit, nihil postea Clodoveo reddere disponens. Postea Clodoveus mittens legatum, nomine Paterium (6), virum industrium, ad Alaricum regem Gothorum, de amicitiæ inter eos conditione mandavit. Alaricus vero cum per Paternum vellet Clodoveum decipere, a Paterno exploratis quæ circa eum erant et thesauris ejus ingeino subarratis, illusus est. Igitur Clodoveus adversus Alaricum arma commovit, et in campania Volganense decimo ab urbe Pictava milliario Alaricum interfecit, plurima manu Gothorum trucidata regnum ejus a mari Tyrrheno Ligereque fluvio, et

(4) Hic pauca de Hilario comite, quæ in autographo legi nequeunt, desiderantur.

(5) *Collata sunt* Achierus ediderat *collocata sunt*.

(6) *Nomine Paterium.* In altero codice *Paternum.*

monte Pyrenæo usque ad oceanum mare a Clodoveo occupatum est. Et thesauros ejus a Tolosa auferens, secum Parisius duxit. Per idem tempus ab Anastasio imperatore codicillos Clodoveus rex pro consulatu accepit; cum quibus codicillis etiam illi Anastasius coronam auream misit gemmis decoratam, et tunicam blatteam. Ex illo die consul et Augustus est appellatus. Post hæc mortuus est Clodoveus rex in pace, et sepultus est in basilica Sancti Petri apostoli, quam ipse et regina sua ædificaverunt Parisius; quæ hodie Sanctæ Genovefæ templum nuncupatur. Mortuus est autem anno quinto, postquam cum Alarico rege Gothorum pugnavit. Regnavit vero annis triginta: fiunt a transitu sancti Martini usque ad obitum Clodovei anni centum duodecim.

Filii regnum devidunt. Mortuo Clodoveo rege (514) quatuor filii ejus, id est Theodoricus, Clodomeris, Chidelbertus, Clotarius, regnm ejus æquo ordine inter se diviserunt. Sortitus est sedem Theodoricus Mettis; Clodomeris Aurielanis; Chidelbertus Parisius: et Clotarius Suessionas. Theodoricus habebat jam filium, nomine Theodebertum, utilem, et strenuum. Amalricus filius Alarici sororem eorum in matrimonium accepit, Barcinona a Chidelberto et Francis occisus est. Dani evectu navali Gallias appetunt, in regno Theodorici irruunt, a Theodeberto filio Theodorici superantur, omnemque prædam et vitam amiserunt.

Agaunense monasterium construit Sigismundus. Gundebaudi filius Sigismundus apud Genevensem urbem, villa Quadrunio, jussu patris sublimatur in regno, habens uxorem filiam Teodorici regis Italiæ: unde habebat filium nomine Sigiricum. Eadem mortua aliam duxit uxorem: filium suum quem ex priore conjuge habebat, novercæ insidiis jussit interfici. Unde postea pœnitentiam agens monasterium sanctorum Agaunensium miri operis construxit. Cumque ibi in orationibus persisteret, jejuniis et eleemosynis intentus, revelatum est ei ab angelo, ut ad instar cœlestis militiæ psallendi choros institueret. Quo divinitus accepto consilio, episcopos, et alios religiosos viros consuluit, utrum salubriter cogitaret. Qua interrogatione sancti antistites inter si ventilata, licet inusitatum opus, tamen Domino annuente unanimiter corroboraverunt. Quod sanctum opus servitutis Dei perfecte institutum, et confirmatum, et pari consensu omnium. Atque ex tunc laudes Deo omnibus [horis] persolvuntur; aliaque plurima monasteria præfatus Sigismundus ædificavit.

Chrotildis assidue filios admonebat mortem patris matrisque vel fratrum ulcisci. Quam ob causam illi Burgundias appetunt, Sigismundum, et Gaudemarem Gundebaudi fratrem in prælio vincunt. Clodomeris Sigismundum, ad monasterium sanctorum dum fugeret, captum, cum uxore et liberis Aurelianis adducit: Goderamis terga vertens latuit; postea resumptis viribus regnum Burgundiæ tenet. Clodomeris iterum adversus Godomarem exercitum movet. Sigismundum cum uxore et liberis interfecit. Clodomeri ab Avito abbate prædictum est, quod fecerat Sigismundo ipsum itidem passurum. Cumque Veserantia Franci cum Burgundionibus bellum inissent, Clodomeris capite truncatus est deceptus ab auxiliis Theodorici, qui filiam Sigismundi habebat uxorem. Franci vero in ipso prælio resumptis viribus, Burgundionibus superatis, et ad internecionem perductis, patriam eorum devastant. Clotarius uxorem Clodomeris, nomine Gundiocam, uxorem ducit. Filios vero ejus tres his nominibus Idoaldum, Guntarium, Clodoaydum, Crothechildis alebat. Clotarius et Chidelbertus fugato Godemare Burgundias occupant. Theodoricus filio suo Theodeberto cujusdam regis filiam deponsavit, Wisegardam nomine. Theodoricus vigesimo tertio regni sui anno moritur. Regnum ejus Theodebertus assumpsit, magnum se in omnibus et bonitate præcipuum ostendit.

Childebertus et Clotarius Hispanias depopulantur. —Post hæc Chidelbertus et Clotarius, ut diximus, Hispanias appetunt, easque parte maxima depopulati sunt, Amalricum regem Barciona interficiunt, sororemque suam auferunt. Cæsaraugusta civitas orationibus et jejuniis liberatur. Theodoricus Italiæ rex sororem Clodovei in matrimonium habuit, ex quam filiam unam cum matre reliquit. Cum mater ei regis filium sociandum provideret, a servo, nomine Traquilla, accipitur (7). Traquilla cum exercitu a matre puella capitur, et capite truncatur: acceptam filiam mater diciplinam ei ingerens secum duxit. Filia matrem veneno interfecit. Theodatus regnum Theodororici adeptus, filiam, quæ in matre parricida exstiterat, balneo vehementer succenso jussit includi, ibique comburitur. Unde causa compositionis quinquaginta millia solidorum Chidelberto, Clotario, et Theodeberto transmissa sunt. Quod Chidelbertus et Theodebertus inter se dividentes, nihil ex inde Clotario dederunt. Theodato defuncto Totilla successit in regnum, quem Narses patriarcius interfecit regnumque Gothorum in Italia destructum est. Narses a Romanis per invidiam accusatus apud Justinum et conjugem ejus Sophiam, quod servitio premeret Italiam, timens secessit Neapoli Campaniæ, et scripsit genti Longobardorum, ut venirent et possiderent Italiam. Theodobertus rex cum exercitu Italiam ingressus, eam maritimis terminis depopulatus est, Narsete patricio in fugam verso. Postea Bucellinus Dux jussu Theodeberti Siciliam occupavit, totamque Italiam dominatus est. Magna felicitas in his omnibus fuit.

Obiit Chidelbertus. — Clotarius de Ingunde Guntarium, Childericum, Aribertum, Guntranum, Sigibertum, et Clodesindam filiam habuit: de Arigunde sorore Ingundis, Chilpericum, et de Unxina habuit

(7) *Accipitur.* Lege *decipitur.* Scil. Theodorici filiæ idem accidit quod antea Honoriæ Plac. Valentiniani sorori, nec pudicitiam suam diligentius quam illa, servavit.

Chrannum. Bucelinus in Italia apud Belisarium et Narsetem Patricios sæpius fortiter dimicans,eos in fugam vertit, eorumque exercitum proterit. Tandem infirmatus a profluvio ventris, exercitusque suus ea infirmitate attritus,Belisario jam interfecto, a Narsete superatur, et interficitur. Theodebaldus filius Theodeberti Walderatam duxit uxorem. Fuit valde iniquus suis. Secundo anno regni sui Theodebaldus obiit, regnumque ejus Clotarius accepit, copulans Walderatam sibi uxorem. Eo anno rebellantes Saxones, Clotarius commoto exercitu maximam eorum partem detinuit; Toringiam vastans quod eis auxiliari præsumpsissent. Nec multo post tempore denuo Saxones rebellantes Clotarius movit exercitum adversus eos : Saxones offerentes cuncta emendare quæ male gesserant,et dimidiam partem ex omnibus rebus suis, exceptis uxoribus et liberis, in compositione promittunt dare. Quod Franci accipere despicientes, sed omnes volentes interficere,inito certamine,tanta strages a Saxonibus de Francis facta est, ut mirum fuisset. Childebertus rex apud Parisios obiit,et in basilica S.Vincentii, quam ipse construxerat, sepultus est. Cujus thesauros et regnum Clotharius accepit.Clotharius pro suis peccatis quæ gesserat, aut negligenter egerat, ad limina beati Martini confessoris properat; exinde Compendio villa veniens, anno quinquagesimo uno regni sui vexatus a febre obiit (561). Chilpericus occupatis thesauris Clotarii patris sui in villa Brennaco, sedem Childeberti Parisiis occupavit. Sed mox exinde repellitur. Aribertus, Guntramnus, Chilpericus, et Sigibertus regnum patris dividunt; Dedit sors Ariberto regnum Childeberti, Parisius sedem habens. Guntrannus vero regnum Clodomeris, sedem habens Aureliis. Chilpericus regnum Clotarii, cathedram habens Suessionis. Sigibertus quoque regnum Theodorici,sedem habens Mettis. Eodem tempore Chuni Gallias appetunt, contra quos Sigibertus movet exercitum, eosque vicit atque fugavit; postea cum eis pacem inivit.

Guntrannus in Burgundia regnans, fuit rex bonus,timens Deum,eleemosynam pauperibus largiter tribuens, tanta prosperitate regnum tenuit, ut omnes etiam vicinæ gentes ad plenitudinem laudes de ipso canerent. Accepit primum concubinam, nomine Venerandam, de qua habuit filium nomine Gundebaudum. Post accepit Marchitrudem, filiam Magnacharii : quæ postquam de Guntranno habuit filium, veneno Gundebaudum, prioris conjugis filium, interfecit. Ipsa judicio Dei filium quem habebat perdidit, et odium regis per saginam incurrit. Ea dimissa Austrichildem, cognomento Bochilane, Guntrannus uxorem accepit. De qua duos filios habuit, his nominibus, Clotarium, et Clodomerem. Guntrannus instituit Celsum patricium in locum Aricolanis, virum in verbis paratum, et ad omnia promptissimum. Gens Longobardorum comitante fame et mortalitate omnem invasit Italiam, ipsamque Romanam vastatrix obsidet urbem.Quibus tempore illo rex erat Albuinus. Hic Clotarii regis filiam, nomine Clodosindam habuit uxorem.Mortuo Albuino Longobardi regem,nomine Clip,super se elegerunt. Haribertus rex, frater Guntranni, accepit uxorem, nomine Ingobergam.Qua relicta Merofledam, lanarii filiam, accepit; et aliam pastoris ovium filiam, Theudichildam, duxit uxorem : ex qua habuit filium, sed protinus moritur.

Porro Sigibertus cum videret fratres suos viles uxores accipere, Drogonem majorem domus causa legationis ad Anagildum regem direxit, petens ut ei filiam suam, Brunam nomine, conjugio traderet. Quam Anagildus cum multis thesauris Sigiberto ad matrimonium transmisit.Ad nomen ejus ornandum, est auctum, ut vocaretur Brunichildis. Quam cum multa lætitia et jucunditate Sigibertus accepit uxorem. Quæ ipsum Drogonem continuo apud Sigibertum fecit odiosum.Ac post eadem instigante interfecit. Tanta mala et effusiones sanguinum,Brunichildis consilio in Francia factæ sunt,ut prophetia Sibyllæ impleretur, dicentis : *Venit Bruna de partibus Hispaniæ, ante cujus conspectum gentes peribunt. Hæc vero equitum calcibus disrumpetur.* Chilpericus Gachilisendam, sororem ejus, habuit uxorem; relinquens Fredegundem.et alias quas habuerat uxores.Postea transcendens sacramentum quod Gothorum legatis dederat, ne unquam eam de culmine regni degradaret, ipsam jugulare fecit. Post cujus mortem, Fredegundem denuo accepit uxorem. Habebat Chilpericus de priore regina Andovera tres filios, Theodebertum, Meroveum, et Clodoveum. Sigibertus præcepit Arvernis civibus Arelatam occupare. Jubente Guntranno a Celso patricio Averni trucidati sunt. *Anatagildo* rege Hispaniæ defuncto, Lenna cum Levido fratre regnum assumunt : moritur Lenna. Levidus integrum Hispaniæ regnum tenet,habens Gadundam matrem Brunichildæ uxorem.

Eodem tempore defuncto Constantinopoli Justiniano imperatore (506), Justinus ambivit imperium, vir iniquus et cupidus : ad quem Sigibertus legatos Warnacharium, Francum, et Firminum comitem direxit, qui pacem cum imperatore facerent. Qui secundo anno sunt reversi. Defuncto Ariberto Sigibertus regnum ejus obtinuit.Prorumpentibus Longobardis in Galliis Amatus patricius ab ipsis interficitur. De Burgundionibus multæ ibidem strages factæ sunt. Post Amatum Mommolus patriciatum assumpsit.Irruentibus iterum Longobardis in Gallias, Mommolus contra eos fortiter dimicavit, et usque ad internecionem oppressit. Pauci ex eisdem Italiam repedarunt.Saxones, quos Theodebertus in Italiam miserat, in Gallias prorumpunt, apud Stuplonem castra ponentes. Multæ strages per vicina loca ab ipsis perpetrantur; qui a Mommolo superantur, et in Italiam fugaciter revertuntur, amissis omnibus quæ prædaverant. Iterum Saxones cum uxoribus et liberis in Gallias properant, ut a Sigiberto rege recepti,in locum unde exierant redirent.Venientes in

territorio Avelnico Mummolus protinus obviam veniens, eis Rhodanum transire non permittebat; postea acceptis muneribus transire eos permisit. Ad Sigibertum pergentes, unde prius egressi fuerant, sunt stabiliti. Postea defuncto Clip, Longobardorum duces Chamo, Zabau, et Rhodanus Gallias irruperunt. Quibus obviam Mommolus cum exercitu venit, et hos tres duces cum exercitu eorum usque ad internecionem delevit. In alio anno Mommolus cum exercitu Turonos cum Pictavis, jubente Guntranno, de potestate Chilperici abstulit,et ad partem Sigiberti restituit.Multi ibidem de exercitu Chilperici et ipsi Pictavenses sunt gladio trucidati.Taloardus et Uncio duces Longobardorum per Hoscola in Sedunensi territorio cum exercitu sunt ingressi, ad monasterium sanctorum Agaunensium usque accesserunt. Nimia strage Baccisvilla, non procul ab ipso monasterio, duces eorum exercitus a Violico et Theodorico ducibus Guntranni sunt interfecti. Quadraginta tantum ex illis fugaciter Italiam remearunt.

Postea Chilpericus et Sigibertus ineuntes consilium,ambo moverunt exercitum,volentes Guntrannum interficere, regnumque ejus assumere. Sed voluntate Dei mutato consilio,Sigibertus superChilpericum irruit,jam ejus exercitus ad propria festinans longe aberat, cum hæc cognovisset Chilpericus, terga vertens Tornacum pervenit Sigibertus post tergum ejus venit Parisius ibique sanctum ac beatissimum Germanum Parisiorum urbis episcopum Sigibertus cum vidisset, hæc ab eodem verba prophetiæ audivit : *Si germanum tuum ita persequi cogitas, ut eum interficere disponas, et regnum ejus auferre; scriptum est*: *Foveam quam fratri tuo paras, in eamdem cades*.Cujus castigationem nolens audire cogitabat cœpta perficere. Cumque Victuriaco accessisset,omnes Nephrasii (8) se sui ditioni subjecerunt. Ansoaldus tantum cum Chilperico remansit.Fredegundis duobus pueris dolo transmissis Sigibertum interficiunt, et ipsi interfecti sunt.Resumptis viribus Chilpericus suum regnum recepit.Brunichildis cum filio suo Childeberto Parisius sub custodia tenebatur. Sed factione Gundoaldi ducis, Childebertus in pera positus, per fenestram demissus a puero, Metis solus exhibitus est, ibique a Gundoaldo vel Austrasiis in regno patris sublimatur.Brunichildis jussu Chilperici in exsilium Rotomago traditur.Sigibertus in ecclesia Sancti Medardi sepultus est ætate quadragenaria, anno regni sui decimo quarto.

Obiit S. Germanus. Eo tempore sanctus Germanus Parisiorum episcopus transiit.Mummolus patricius Guntranni,contra Clodoveum et Desiderium ducem Chilperici bellum gessit,eosque superavit.Chilpericus enim filium suum Clodoveum transmiserat,qui et ultra Ligerim civitates Childeberti pervaderet.Cæsa sunt a Mummolo exercitus quinquaginta millia, a Desiderio vero viginti millia. Chilpericus tres filios jam adultos ab infirmitate dissentirii uno anno perdidit, quos de Fredegunde habebat. Restiterat adhuc Clodoveus filius ejus, quem postea instigante Fredegunde vinctum custodia retrusit, ibique factione Fredegundis cultro percussum obiit. Chilpericus denuo ut filius sibi nasceretur, jubet omnes carceratos relaxare.

Guntrannus rex duos Magnacharii filios gladio interemit, instigante Austrichilde regina,facultates eorum fisco redigit. Filii Guntranni duo continuo moriuntur. Guntrannus Childebertum adoptavit in filium. Anno quoque tertio Childeberti regis, qui erat Chilperici et Guntranni sextus decimus, stella in medio lunæ visa est fulgens. Childebertus rex Ingundem sororem suam Erminigildo Leovigildi regis Wisigotorum tradidit filio,qui hortatione Leandri Hispalensis episcopi, et suæ conjugis,ad fidem catholicam conversus est. Anno quinto Childeberti regis tantæ lues per universas regiones factæ sunt, ut omnibus mirum fuisset, et universa flumina terminos quos nunquam exciderant prætererierunt.Childebertus rex Italiam intravit,et Longobardi se ejus ditioni commendant. Gloriose exinde Childebertus revertitur. Acceperat prius a Mauricio imperatore quinquaginta millia solidorum auri,ut Longobardos de Italia expugnaret. Sed non solum eis non nocuit, verum amicitias cum ipsis inivit.

Multa donat ecclesiis Guntrannus rex. — Guntrannus rex Francorum cum jam anno vicesimo tertio regnum Burgundiæ feliciter regeret (587), videns sibi liberos non superesse,cœpit thesauros suos in eleemosynis pauperum distribuere, monasteria et loca sancta ex ipsis thesauris ditare. Inter quæ ecclesiam hujus patroni nostri, sancti scilicet martyris Benigni, donis optimis extulit. Ipse denique domnus Guntrannus præexcellentissimus rex dedit Sancto Benigno vicum,qui est in prospectu Monasterii,tunc magnæ amplitudinis, vocatum Elariacum,cum omnibus appenditiis suis,super Oscaram fluvium situm. Et omnia quæ nunc usque ad possessionem pertinent hujus loci, a ponte Divionis usque Floriacum villam,contulit memoratus princeps sancto martyri Benigno; in Biciso (9) scilicet, in villa Colanias dicta, in Plomberias, in Seliniaco,in Sconsio, in Villari, in Campiniaco, in Lanterinaco, in Girone, in Corcellas, in Flaviniaco, in Prunido, in Jussiaco, in Matriniaco, in Barbiriaco, his et aliis locis mansa, vestita et absa, cum mancipiis plurimis utriusque sexus, terris cultis et incultis, vineis, silvis, pratis, et pascuis, aquis, aquarumque decursibus, ingreditus, exiis ei egressis, omnibus rebus exquisitis et inquirendis, totum ad integrum contulit memoria dignus rex Guntrannus Deo et sancto Benigno, ad victum monachorum Deo in hoc loco deservientium, ut pro se ac sequentium regum salute, et peccatorum remissione, regnique totius statu divinam exorent clementiam monachi in isto loco degentes.Insusuper etiam instituit, ut ad similitudinem monasterii sanctorum Agaunen-

(8) *Nephasii*. In altero codice *Rutrasii*.

(9) *In Biciso*. In altero codice *Bisico..... Calonicas.... siliniaco*. Item infra *vestita et hapsa*.

sium diu noctuque divinum in hac ecclesia persolveretur officium. Et ut hæc institutio per succedentia tempora non tepesceret, vel monasticus ordo deperiret, constituit, ut abbates illius loci, rectores et provisores in hac domo essent, ut una congregatio, unusque utrobique servaretur ordo. Similiter instituit de loco Sancti Marcelli, ubi ipse rex corpore quiescit, quem thesauris et pecuniis, possessionibus etiam multis ditavit, operibus miris et ædificiis decoravit.

De S. Benigni cœnobio. — Apollinarem igitur, inter reliquos comperimus Sancti Mauricii, atque hujus loci, Sanctique Apri apud Tullum, fuisse abbatem, ut ipsi referunt in antiquis se invenisse scriptis. Sed et succesores ejus deinceps per multa tempora hujus loci habuisse curam. Quapropter hic patronus noster sanctus Benignus illis in partibus plurima conquisivit terrarum prædia per illud tempus, ut in eundo et redeundo abbates, eorumque fideles, ad hospitandum haberent suæ posssssionis loca. Siquidem juxta vicum, qui nuncupatur Urba, est ecclesia Sancti Benigni nomine sacrata, quam ferunt ejusdem loci incolæ pertinuisse quondam ad jus istius ecclesiæ. In Burgo, quam vocant Pontem-Artic, super Dubiam fluvium situm, medietas ipsius vici cum ecclesia dedicata in honore sancti Benigni, et villa juxta ipsum Burgum sita, quæ dicitur ad Stabulos, olim fuerunt possessio istius abbatiæ. Quæ in præstariam data, possidentium violentia, ac principum injustitia, ac temporum variis eventibus sunt amissa. Super Lupam rapacissimum fluvium, loco nuncupato Petregio, per quod Romam petentium quondam fuit iter, et est juxta Burgum Salinas vocatum, homines liberi ibidem commanentes, se et sua commiserunt patrocinio hujus rancti Benigni, annisque singulis persolvebant ad ejus altare censum a semet constitutum.

Multa conferuetur S. Benigni monasterio. — Denique, cum per illud tempus sanctus martyr Benignus crebris virtutum signis claresceret, et miraculorum insignia, sanitatumque dona omnibus ad ejus tumulum venientibus ostenderentur, et largissima Domini bonitas in talibus veneratur, colitur, adoratur, magnificatur, reges et principes ob sancti martyris meritum cœperunt locum diligere, muneribus et bonis extollere : nobiles quique possessiones et prædia condonare : devotus populus plurima conferre ; multi etiam ejus patrocinio se ipsos committere. Tunc honorati quidam homines ex territorio Vesuntiensi, de villa Cussiacus vocata, advenientes ad ejus sancti limina, ejus patrocinio se commendaverunt mente devota. Permanseruntque annis multis in hujus sancti Benigni et ei servientium monachorum famulatione, donec Alberico comiti nuper data in præstariam eadem villa, ab eo injuste collata est sancto Stephano prædictæ urbis patrono, pro sepulturæ suæ loco. Tamen usque hodie possessionis illius homines sancti Benigni servos se profitentur esse.

Chilperici mors. — Igitur legati Chilperici Ansoaldus et Domegilesus, qui ad conspiciendam dotem in Hispania missi fuerant, sunt reversi. Iis diebus Leobildus rex contra Erminigildum filium suum in exercitu residebat : quem parvo transacto tempore interfecit. Ejus vero uxor volens reverti Franciam, una cum filio capta, atque Siciliam perducta est : ibi usque ad mortem exsulavit. Chilpericus Fredegundam filiam suam cum magnis thesauris et multa familia in ejus obsequium Hispaniam direxit quam filius Leopildi uxorem accepit. Nec post mora exstante Chilpericus veniens ad villam Calensem, quæ distat ab urbe Parisius quasi centum stadiis, illic venationem exercebat. Quadam vero die regressus de venatione jam obscura nocte, dum de equo susciperetur, et unam manum super scapulam pueri teneret, adveniens quidam nomine Falco, qui missus a Brunichilde fuerat, cum cultro sub ascellam percussit, iteratoque ictu veutrem ejus perforat, statimque fluente copia sanguinis tam per os quam per aditum vulneris, spiritum fudit.

Cumque Guntranno perlatum fuisset, eo quod frater suus Chilpericus esset interfectus (589), perrexit Parisius, ibique Fredegundam cum filio Chilperici Clotario ad se venire præcepit. Quem Riolovilla baptizare jubet, et eum de sancto lavacro excipiens in regnum patris firmavit. Anno vigesimo quinto regni sui exercitus Guntranni Hispaniam ingreditur. Sed loci infirmitate gravatus protinus ad propria revertitur. Anno vigesimo sexto ejusdem regni Leudiscus a Guntranno patricius partibus provinciæ ordinatur. Childeberti regis filius Theodebertus natus fuisse nuntiatur. Eo anno nimia inundatio fluminum in Burgundia fuit, ita ut solitum terminum nimium transcenderent. Ipsoque anno Leupildus rex Hispaniæ moritur. Et obtinuit regnum Richaredus filius ejus. Anno vigesimo septimo regni domni Guntranni, alius filius Childeberti, nomine Theodoricus, natus nuntiatur.

Longobardi tributa Francis solvunt. — Longobardorum gens quemadmodum tributa duodecim millia solidarum ditioni Francorum annis singulis solvevant, referam : vel quo ordine duas civitates Augusta et Suisio cum territorio ad partem Francorum cassaverant (10), dicam. Defuncto Clip principe duces Longobardorum duodecim annos sine regibus transegerunt : ipsoque tempore (sicut supra scriptum legitur) per loca in regnum Francorum proruperunt. Pro hac præsumptione in compositione Augustam, et Suisium civitates, cum integro illorum territorio et populo partibus Guntranni tradiderunt. Post hæc legationem ad Mauricium imperatorem dirigunt Hi duodecim duces singuli legatos dirigunt, pacem et patrocinium imperii petentes. Iidemque et alios legatores duodecim ad

(10) *Cassaverant.* Vox nihili ; an *cesserant?*

Guntrannum et Childebertum destinant, ut patrocinium Francorum et defensionem habentes, duodecim millia solidos annis singulis duobus regibus in tributa implerent, vallem, cui nomen Ametegis partibus Guntranni cassantes. His legatis ubi plus congruebat patrocinium sibi firmarent. Post hæc integra devotione patrocinium eligunt Francorum. Nec mora post permissu Guntranni et Childeberti et Clotarii ducem super se Longobardi sublimant in regnum. Alius Antharius itemque dux cum integro suo ducatu se ditioni imperii tradidit, ibique permansit. Antharius vero rex tributa, quæ ad partem Francorum spoponderat, annis singulis reddidit. Post ejus decessum filius ejus Ago in regnum sublimatus, similiter implesse dignoscitur.

Guntrannus vita fungitur (597). Anno trigesimo secundo regni Guntranni, ita a mane usque ad medium diem sol minoratus est, ut tertia pars ex ipso vix appareret. Anno tricesimo tertio regni Guntranni: quinto Kalendas Aprilis ipse rex moritur, sepultus est in ecclesia Sancti Marcelli, in monasterio, quod ipse construxerat. Regnum ejus Childebertus assumpsit; quod tenuit annis quatuor. Anno tertio Childeberti regnantis in Burgundia, multa signa cœlo ostensa sunt, et stella cometes apparuit. Anno quarto, postquam Childebertus regnum Guntranni acceperat, defunctus est, regnumque ejus filii sui Theodebertus et Theodericus assumunt. Theodobertus sortitus est Austriam, sedem habens Mettis. Theodericus accepit regnum Guntranni in Burgundia, sedem habens Aurelianis. Anno quarto regni Theodorici clades glandolaria Massiliam et reliquas provinciæ civitates graviter vastavit. Eo anno aqua calidissima in lacu Dunense, in quem Arola fluvius influit, sic valide ebullivit, ut multitudinem piscium coxisset. Anno quinto Theoderici regni, iterum signa quæ anno superiore visa fuerant, globi ignei per cœlum currentes, et ad instar multitudinem hastarum ignearum ad occasum apparuerunt. Ipsoque anno Theodebertus et Theodericus reges contra Clotarium movent exercitum, et super fluvium Aroanna, nec procul a Doromello vico prælium confligentes, junxerunt: ibique exercitus Clotarii regis gravissime trucidatus est; ipseque cum ipsis qui remanserant, in fugam versus, pagos et civitates Sequanæ, qui se Clotario tradiderunt, depopulantur et vastant. Plurimi captivi ab exercitu Theodeberti et Theoderici abducuntur. Clotarius oppressus vellet nollet per pactionis vinculum firmavit, ut inter Sequanam et Ligeram usque mare Oceanum et Britannorum limitem Theodericus haberet, et per Sequanam Isaram ducatum Denteleni integrum usque mare Theodebertus recepit. Duodecim tamen pagi inter Isram et Sequanam, et mare Oceanum, Clotario remanserunt.

Anno sexto regni Theodorici (692) natus est ei filius de concubina, nomine Sigibertus. Eo anno Theodebertus et Theodoricus exercitum contra Vascones direxerunt; ipsosque, Deo auxiliante, devictos in suam dominationem redigunt, et tributarios faciunt. Eodem anno corpus sancti Victoris, qui Salodoro cum sancto Urso passus fuerat, a beato Econio pontifice Mauriense invenitur. Viderat namque in visu ut surgens protinus iret ad ecclesiam, quam Sedeleuba regina suburbano Genevense construxerat, et in medio ecclesiæ designatum locum, ubi sanctum corpus jacebat. Cumque Geneva perrexisset cum beatis Rustico et Patricio episcopis, triduanum jejunium facientes, lumen per noctem splendidum, ubi gloriosum illud corpus erat, apparuit. Quem silentio hi tres pontifices cum lacrymis et orationibus, elevato lapide, in arca argentea invenerunt sepultum. Cujus faciem rubentem quasi viveret, reperiunt. Ibi Theoderisus rex præsens aderat, qui multis muneribus ecclesiam ipsam ditavit, et maximam partem ex facultatibus Warnacarii ibidem contulit. Eodem anno Eucherius (11) episcopus Lugdunensis obiit. Ordinatur loco ipsius Secundinus episcopus. Eodem anno Focas dux et patricius reipublicæ victor a Persis rediens, Mauricium imperatorem interfecit; et in loco ipsius imperium assumpsit. Anno septimo regni Theoderici de concubina nascitur ei filius nomine Childebertus. Eo anno sol obscuratus est. Anno quoque octavo regni Theoderici nascitur ei filius de concubina nomine Corbus. Eodem tempore Berthoaldus genere Francus, major domus Palatii erat Theoderici, moribus mensuratus sapiens et cautus, in prælio fortis, fidem omnibus conservans. Defuncto Wandalmaro duce in pago Ultramrano (12) et Sentengorum, Protadius ordinatur patricius, instigatione Brunichildæ; et ut Bertrandus interiret, eum a ripa Sequanæ usque Oceanum mare per pagos et civitates fiscum inquirendum dirigunt. Bertoaldus a Theoderico missus cum trecentis tantum viris, illis partibus properavit. Hæc comperiens Clotarius filium suum Meroveum, et Landericum majorem domus cum exercitu, ad opprimendum Bertoaldum direxit. Et maximam partem inter Sequanam et Ligerim pagos, et civitates de regno Theoderici præsumpsit, contra pactum prævadens. Cum Theodericus comperisset quod a Clotario pars regni sui contra jus fuerat prærepta, protinus cum exercitu Stempas super fluvium Loa pervenit, ibique obviam Meroveus filius Clotarii regis cum Lauderico et magno exercitu venit: cum esset arduus transitus ille ubi Loa fluvius transmeatur, vix tertia pars exercitus Theoderici transierat, initum est bellum. Ibi Meroveus filius Clotarii capitur. Landericus in fugam versus est; nimia multitudo exercitus Clotarii in eo prælio trucidata est. Theo-

(11) *Eucherius*. Is est quem vulgo *Ætherium* vocant.

(12) *Utramrano*. Acherius conjicit *ultrajurano* sed an idem dux ultra Juram montem et in Santonico pago fuit? Mihi sane non. Infra haud dubium quin legi oporteat, *et ut Berthoaldus*.

dericus rex victor Parisius ingreditur. Postea pacem Theodericus cum Clotario Compendio villa inivit. Utriusque exercitus redit ad propria.

Anno decimo regni Theoderici cum Brunichildis avia ejus et Protadius major domus assidue instigarent eum, ut contra Theodebertum fratrem suum moveret exercitum.tandem jussu Theoderici exercitus coadunatus loco, nomine Caraciaco, castra metasset, hortabatur a leudibus suis,ut cum Theodeberto pacem inirent.Protadius singulos hortabatur ut prælium committerent. Theodebertus non procul exinde cum exercitu residebat. Tunc omnis exercitus Theoderici inventa occasione supra Protadium irruunt,dicentes melius esse unum hominem mori, quam totum exercitum in periculum mitti. Interfecto Protadio Theodericus confusur et coactus cum Theodeberto pacem inivit, et illæsus uterque exercitus ad propria recessit.Anno duodecimo regni sui Theodericus Aridium episcopum Lugdunensem, Roconem et Eboricum comitem stabuli, ad Bethericum regem Hispaniæ direxit, ut filiam ejus Hermobergam matrimonio sui jungendam adducerent. Qui datis sacramentis ne unquam a regno degradaretur,accipientes eam Theoderico Cabilonno præsentant. Quam ille gaudens suscepit. Factione vero aviæ suæ Brunichildæ non eam cognovit,et in tantum odiosa facta, ut post annum exspoliata thesauris, Hispaniam retransmitteret. Eo anno Theodericus persuasione aviæ suæ Brunichildis,et consilio Aridii Lugdunensis episcopi utens, sanctum Desiderium episcopum Viennensem de exsilio regressum lapidare præcepit.Ad sepulcrum miræ virtutes hactenus fiunt. Per idem tempus præsidebat Lingonensi ecclesiæ Mitius episcopus,Divionensem vero abbatiam,(quo in loco sanctus martyr Benignus quiescit) regebat abbas venerabilis nomine Gudinus, cujus diebus, scilicet, anno decimo quarto regni Theoderici,regis,quædam nobilis femina,vocata Goyla,cum consensu et laude viri sui, nomine Bonevassi, dedit prædicto sancto martyri Benigno in villa Longus-vicus vocata, vel in omnes fines ejus, quidquid habere,vel possidere videbatur, cum omnibus adjacentiis, vel appenditiis suis, hoc est, Fedenniaco. Postomniaco, Monasteriolo, Attegias, medietate Glempono, Curce-buntiana, Ficiaco, Chevenas,Marcenniaco,de his omnibus rebus hæredem fecit post mortem suam et prædicti viri sui, sanctum Benignum.

Episcopi Lingonenses abbates S. Benigni. — Defuncto Micetio episcopo,Dodoaldus successit in pontificatum.Hic villam vocatam Massiacum commutavit ex propriis reb us,cum illo a quo possidebatur, deditque eam Sancto Benigno.Fungebatur tunc in hoc loco Bobolenus abbatis officio ; cui successit Richimarus abbas,jam Betroaldo episcopatum tenente. De quibus si non invenimus per scripturam quid addiderint, tamen collata bene providisse et fortiter tenuisse scimus,præcipue Elariacum vicum, quod a Guntranno rege collocatum huc sancto Benigno fuerat cum omnibus appenditiis suis et crebris circummanentium vicinorum molestiis infestabatur : quod usque hodie successores eorum agere non desinunt. Si quidem patres et antecessores eorum ipsum Dei martyrem occiderunt ; iste vero servientes ei non cessat persequi.In illis temporibus fuerunt et alii abbates in hoc loco, videlicet Etherius,Vidradus, Hugo, Odeleus, Maurinus, de quorum gestis nihil ad nos pervenit,solummodo natalitia obitus eorum scripta in antiquis martyrologiis invenimus.

Anno duodecimo regni Theoderici natus est ei filius de concubina, nomine Meroveus ; quem Clotarius de sancto lavacro suscepit.Eo anno mortuo Betherico, Sisebodus successit in regnum Hispaniæ, vir sapiens,et in tota Hispania laudabilis valde,pietate plenus. Nam et adversus rempublicam fortiter dimicavit, et provinciam Cantabriam Gothorum ditioni subegit.Dux Francio nomine,qui Cantabriam in tempore Francorum rex erat,tributa Francorum regibus multo tempore impleverat;sed cum a parte imperii fuerat Cantabria revocata,a Gothis præoccupatur, et plures civitates ab imperio Romano Sisebodus littore maris abstulit,et usque fundamenta destruxit.Eo tempore fuit Isidorus doctor,Hispalensis episcopus.

Anno decimo tertio regni Theoderici (609) habebat Theodebertus rex uxorem,Belichildem nomine, quam Brunichildis a negotiatoribus mercaverat: et cum esset Belichildis utilis,et a cunctis Austrasis vehementer diligeretur, simplicitatem Theudeberti honeste comportans, nihiloque se minorem a Brunichilde esse cerneret, et sæpius Brunichildem per legatos despiceret, dum ab ipsa improperatur quod ancilla ejus fuisset : tandem cum his et aliis verbis legatis discurrentibus,ab invicem vexarentur, placitum inter Colerence, et Suentense consistitur, ut has duas reginas pro pace inter Theodericum et Theudebertum conjungerent ad loquendum. Sed Belichildis consilio Austrasiorum inibi venire distulit.

B. Columbanus multa patitur a Brunichilde. — Eo tempore beatus Columbanus,cujus fama sanctitatis creverat jam passim per universas Galliæ et Germaniæ provincias, erat omnium rumore laudabilis, in omni cultu religionis venerabilis, in tantum,ut Theodericus rex ad eum sæpe Luxovium veniret, et orationum suarum suffragia omni cum humilitate posceret.Cumque sæpissime ad eum veniret, cœpit eum vir Dei increpare, cur concubinarum adulteriis misceretur, et non potius legitimæ conjugis solamine frueretur, ut regalis proles ex honorabili regina procederet, et non potius ex lupanaribus videretur emergi. Et cum jam ad viri Dei imperium rex obtemperaret, et se omnibus illicitis segregare responderet, mentem Brunichildis aviæ, secundæ, ut erat, Jesabelis, antiquus anguis adiit, eamque contra virum Dei stimulis superbiæ incitat, quia cerneret viro Dei Theodericum

obedire. Verebatur enim ne si abjectis concubinis A reginam aulæ præficeret, dignitatis atque honoris sui modum amputasset. Evenit ergo ut quadam die beatus Columbanus ad Bruchinildem veniret (erat enim tunc apud Brucariacum villam) eumque illa cum in aula venire cerneret, filios Theoderici, quos de adulterinis permistionibus habebat, ad virum Dei adducit. Quos cum vidisset, sciscitatur quid sibi vellent. Brunichildis ait: *Regis filii sunt, tu eos benedictionibus robora.* At ille ait; *Nequaquam*, inquit, *istos regalia sceptra suscepturos scias, quia de lupanaribus emerserunt.* Illa furens parvulos abire jubet: egrediens vir Dei regiam aulam, dum limitem transiret, fragor subito exortus est, qui totam quatiens domum omnibus terrorem incussit, nec tamen miseræ feminæ furorem compescuit. Pa- B ratque deinde insidias molire, hortatur proceres aulicos, optimatesque omnes, ut regis animum contra virum Dei perturbent. Episcopos quoque sollicitare aggressa est, ut de ejus religione detrahendo statum regulæ, quam suis custodiendam monachis indiderat, macularent. Obtemperantes igitur Auligeri persuasionibus miseræ reginæ, regis animum perturbant cogentes, ut accederet ad locum ac religionem probaret. Abactus itaque rex ad virum Dei Luxovium venit, conquestus cum viro Dei, cur ab comprovincialum moribus descisceret, et intra septa secretiora omnibus Christianis aditus non pateret. Beatas Columbanus his et aliis verbis auditis, ut erat audax animo, objiciens regi respondit: *Si ob hanc causam tu in hunc locum venisti, ut servorum Dei cœnobia destruas, et regularem di-* C *sciplinam macules, scito tuum regnum funditus ruiturum, et cum omni propagine regia dimersurum.* Quod postea rei probavit eventus (jam temerario conatu rex refectorium ingressus fuerat). His ergo territus dictis foris celer repedat. Duris post hæc viri Dei increpationibus rex urgebatur, contraque Theodericus ait: Martyrii coronam me tibi illaturum speras. Deinde dixit non esse tantæ dementiæ se, ut hoc tantum facinus patraret, sed potioris consilii si ageret, utilia paraturum, ut qui ab omni more disciscat, quo venerat ea via repedare studeat. At quia longum est universa gesta percurrere, quas insidias reginæ, quæ exsilia, et tribulationes quas pertulit, recitare, succincte finem rei explicemur. Vir Dei deputatis custodibus a Theoderi- D co, qui quousque ditionis suæ regno pelleretur, non eum relinquerent, Namnetis usque perrexit. Moratus ergo ibi paululum, sciens non placere divinæ majestati, ut patriam rediret, post ad Clotarium Chilperici regis filium, qui in Austrasis Francisque regnabat extrema Gallia ad oceanum positis, pergit.

S. Columbanus Clotarius regem adit. — Clotarius porro audierat quantis qualibusque injuriis virum Dei Brunichildis et Theodericus fatigaverant. Quem, cum vidisset, velut cœleste munus suscepit: tenuit ergo eum Clotarius quantis potuit penes se diebus. Erat enim Clotarius pollens in amore sapientiæ.

Ejus prophetia. — Beato vero Columbano morante apud Clotarium lis oritur inter duos fratres Theodebertum et Theodoricum, disceptantibus utrisque de regni terminis. Anno igitur quinto decimo regni sui uterque ad Clotarium legatos dirigit: uterque adversus parem auxilium postulat. Quod Clotarius beato viro insinuare procurat, consulens, ut si videretur ejus consilii se uni consentiendo, contra alium dimicaret. At quem ille repletus spiritu prophetico, ait: *Neutri te fore pariturum scias convenire consiliis; tuaque intra trienni tempus in ditione utrorumque regna venire.* Videns Clotarius a viro Dei talia sibi prophetico ore dici, neutri parere voluit; scilicet promissorum sibi tempus fideliter exspectans, potitus est triumpho victoriæ.

Anno decimo sexto regni sui (612) Theodericus movet exercitum: et Lingonis de universis regni sui provinciis mense Maio exercitus adunatur. Dirigensque per Audalaum, Nasio-castrum, super Ornam fluvium situm, cepit; et inde Tullo civitatem perrexit. Ibi Theodebertus cum Austrasiorum exercitu obviam venit: Tullensi in campania confligunt: Theodericus superat Theodebertum, ejusque prostravit exercitum. Cæsa est eodem prælio nimia multitudo virorum fortium. Theodebertus terga vertens per territorium Mettensem veniens, transita Vosago Coloniam fugaciter pervenit. Theodericus cum exercitu post tergum sequens, Arduinam transiens pervenit Tulliaco (13) Theodebertus, Saxones, Turingos, vel cæteras gentes trans Rhenum, vel undique poterat adjuvare contra Theodoricum, Tulbiaco perrexit; ibique denuo commissum est bellum a Francis, cæterisque gentibus. Tantaque ibi strages ab utroque exercitu facta est, (ubi phalanges in congressu certaminis præliabantur) ut cadevera occisorum undique non haberent qua ruere possent, sed stabant mortui, ac si viverent stricti inter cæteros. Auxiliante Deo iterum Theodericus Theodebertum superat, et a Tulliaco usque Coloniam exercitus ejus gladio trucidatus, oram terræ cooperuit. Eo in tempore vir Dei Columbanus in eremo morabatur, contentus tantum unius ministri solatio. Ea ergo hora, qua apud Tulliacum commissum est bellum, supra querci putrefacti truncum sedebat, legens librum; quem subitus sopor oppressit, et quid inter duos reges agebatur, vidit. Mox excitatus ministrum vocat, cunctamque regum pugnam indicat, multum humanum sanguinem fundi suspirat. Persecutus est ergo Theodebertum Theodericus, et suorum proditione captum ad aviam Brunichildem Cabillono direxit. Quem illa cum recepisset, quia Theoderici

(13) *Pervenit Tulliaco.* Acherius cum hoc loco, tum infra monet legi oportere *Tulbiaco*: idemque restituit *poterat adunare.*

partibus magis favebat, furens Theodebertum fieri A clericum rogavit, ac non multo post impie nimis perimi jussit.

Obiit Theodoricus Austrasiæ et Burgund. rex (617). *Brunechildis perimitur.* — Anno decimo septimo regni sui (617) Theodericus exercitum de Austrasiis et Burgundia moveri præcepit, volens super Clotarium irruere. Jamque exercitus aggrediebatur, et Theodoricus Mettis civitate profluvio ventris inter flagrantis urbis incendia mortuus est. Exercitus protinus redit ad proprias sedes. Brunichildis filium ejus Sigibertum in regno patris sufficit. Clotarius collecto exercitu fines regni, qui suæ ditioni debebantur, conatur recipere. Contra quem Sigibertus cum hostium cuneis pugnaturus advenit; quem Clotarius captum fraude suorum peremit, B furensque alias, fratres quinque Theodorici filios cum Brunichilde proavia eorum cepit : pueros separatim peremit, Brunichildem vero primo ignobiliter camelo impositam, hostibus gyrando monstravit. Postque indomitorum equorum caudis irretitam miserabiliter vita privavit. Funditus ergo radicitusque deleta Theodorici stirpe, Clotarius potitus est trium regnorum monarchia solus.

Utroque regno Theodorici potitur Clotarius. — Anno tricesimo regni sui (614) Clotarius Burgundiæ et Austrasiorum regnum adeptus est. Anno tricesimo quarto regni Clotarius Walnarium, quem majoremdomus in Burgundia instituerat, cum universis pontificibus Burgundiæ, seu et Burgundo Faronis, Benogello villa ad se venire præcepit. Ibi- C que cunctis illosarum justis petitionibus annuens, præceptionibus roboravit.

Dagobertus Austrasiæ rex. — Anno tricesimo octavo regni Clotarius Dagobertum filium suum consortem regni facit; eumque Austrasiis regem instituit, retinens sibi quod Ardenna et Vosagus versus Neustriam et Burgundiam excludebant.

Clotarium inter et filium contentio, a S. Arnulpho sopita. — Anno quadragesimo secundo regni Clotarii Dagobertus cultu regio ex jussu patris honeste cum leudibus Clispiaco procul Parisios venit, ibique germanam Sichildis reginæ, nomine Gomatrudem, in conjugium accepit. Transactis nuptiis die tertio inter Clotarium et ejus filium Dago- D bertum gravis orta est contentio, eo quod Dagobertus cuncta quæ ad regnum Austrasiorum pertinebant suæ ditioni vellet recipere, quod Clotarius vehementer denegabat eidem, nihil ex hoc volens concedere. Electi sunt ab his duobus regibus duodecim ex Franciis judices, ut eorum disceptatione finiretur contentio: inter quos et domnus Arnulphus pontifex Metensis, inter patrem et filium pro pacis loqueretur concordia. Tandem a pontificibus vel sapientissimis viris proceribus pater pacificatur cum filio, reddens ei solidatum quod adspexerat ad regnum Austrasiorum : hoc tantum exinde quod citra Ligerim, vel provinciæ partibus situm erat, suæ ditioni retinuit.

Clotarius moritur (an. 628). *In ecclesia S. Vincentii, nunc S. Germani a Pratis sepelitur.* — Anno quadragesimo quinto regni sui Clotarius moritur, et suburbano Parisiis in ecclesia Sancti Vincentii sepelitur. Dagobertus cernens genitorem suum defunctum, universis leudibus quos regebat in Austria jubet exercitum promovere; missos in Burgundia et cæteris regni partibus direxit, ut suum regimen eligerent. Cumque Remis venisset, Suessionis peraccedens, omnes pontifices et leudi regno Burgundiæ inibi se Dagoberto tradidisse noscuntur : sed et Neustrasii pontifices et procerum plurima pars regnum Dagoberti visi sunt expetisse. Aribertus frater ejus nitebatur, si posset regnum assumere; sed ejus voluntas pro simplicitate parum sortitur effectum. Cumque regnum omne a Dagoberto fuisset præoccupatum, et thesauri ejus ditioni redacti, tandem misericordia motus, et sapientium usus consilio, citra Ligerim et limitem Hispaniæ, et Vasconiæ, seu et montes Pyrenæos, pagos, et civitates, fratri suo Ariberto concessit, id est Tolosam, Caturcinam, Agenensem, Petrogoricum, et Sanctonicum, vel quod ab his versus Pyrenæos montes excluditur. Quod et per pactionis vinculum firmavit. Aribertus sedem Tolosanam eligens regnat in partibus provinciæ et Aquitaniæ. Post annos tres quam regnare cœpisset, totam Vasconiam superans, largius fecit regni sui spatium.

Sub eodem fere tempore (633), id est quinto anno regni Dagoberti, dedit quidam illustris vir, nomine Ermembertus, et csnjux ejus Hermeneara, Sancto Benigno quasdam villas suæ possessionis, quæ vocantur his nominibus, Posciacum, et Fontem Lagnis in pago Latiscense; et in Lingonico pago Masiacum, quæ ante acto tempore ab Edoualdo episcopo Lingonensi huic loco fuerat attributa, sed violentia pravorum hominum ablata.

Ob justitiam commendatur Dagobertus. — Dagobertus anno sexto regni sui Burgundias ingreditur : tanto vero timore pontifices et proceres, et cunctos in regno Burgundiæ consistentes adventus Dagoberti concusserat, ut omnibus esset mirandus præ timore justitiæ, quam pauperibus faciebat. Veniens ergo civitatem Lingonas et inde Divion egressus, ac Latona residens, aliquantis diebus, tantam intentionem judicandi justitiam populo regni sui habebat, ut hujus benignitatis desiderio nec somnum oculis posset capere, nec cibo satiabatur, intentissime cogitans, ut omnes cum justitia accepta de conspectu suo remearent. Die quadam cum a Latona Cabilono properaret, deliberans, et priusquam lucesceret balneum ingrediens, Brunulfum avunculum fratris sui Alberti interficere jussit : qui ab Amalgario et Ariberto ducibus, et Wilbaldo patricio interfectus est, Dagobertus rex post hæc Cabilono pergit justitiæ amore quam cœperat perficiendæ. Post Augustiduno, inter Autisiodoro pergens, dehinc Senona civitatem,

indeque Parisios venit, Gomatrudem reginam Rumiliaco villa, ubi matrimonium acceperat, relinquens, Nantildam unam ex puellis de ministerio ejus accipiens, reginam sublimavit. Anno septimo regni sui cum Austrasiam regio cultu circuiret, quamdam puellam, nomine Ragnitrudem, stratu suo adscivit, de qua eo anno habuit filium nomine Sigibertum. Aribertus Aurelianis veniens Sigibertum de sancto lavacro excepit. Anno octavo Dagoberti Aribertus rex moritur, relinquens filium parvulum, nomine Chilpericum, qui nec post moram defunctus est : fertur factioni Dagoberti fuisse interfectus.

Rex Dagobertus fœdus cum Heraclio imperat. init. — Anno decimo regni Dagoberti (638) cum ei nuntiatum fuisset exercitum Winidorum Toringam fuisse ingressum, cum exercitu de regno Austrasiorum de Metis urbe promovens, transacta Ardenna Maguntiam aggreditur, disponens Rhenum transire, scalam de electis viris fortibus de Neustria et Burgundia cum ducibus et graphionibus secum habens. Saxones missos ad Dagobertum dirigunt, petentes ut eis tributa quas fisci ditionibus dissolvebant, indulgeret; promittentes se Winidis resistere, et Francorum limitem de illis partibus custodire spondentes. Quod Dagobertus consilio Neustrasiorum præstitit. Saxones qui hujus postulationis legati fuerant, sacramentis, ut eorum mos erat, super arma pro universis Saxonibus firmant. Sed postmodum sicut in cæteris mendaces apparuerunt. Tamen Saxones tributum quod a Clotario seniore censiti annis singulis quingentas vaccas inferendalis reddere consueverant, præceptione Dagoberti, habent indultum. Eo tempore legati Dagoberti, quos ad Heraclium imperatorem direxerat, his nominibus Servatus et Paternus, sunt reversi, nuntiantes pacem perpetuam cum Heraclio firmasse.

Sigibertum et Clodoveum filios regnis Austrasiæ et Burgundiæ donat. — Anno undecimo regni Dagoberti cum Winidi fortiter sævirent, et sæpe transgresso eorum limite regnum Francorum vastando Toringiam, et reliquos pagos insisterent, Dagobertus Metis urbem veniens cum consilio pontificum et procerum, seu et omnibus primatibus regni sui consentientibus, Sigibertum filium suum in regnum sublimavit, sedemque Metis civitate habere permisit. Cunibertum Coloniæ urbis pontificem, et Agalgisum ducem, instituit gubernare palatium et regnum; thesaurum quod sufficeret filio tradidit, condigne, ut decuit in culmine regni sublimavit. Et quodcunque eidem largitus fuerat, sigillatim præceptionibus roborandum decrevit. Deinceps Austrasiorum regnum, et fines regni Francorum contra Winidos utiliter defensare noscuntur. Cumque anno duodecimo regni Dagoberti eidem filius nomine Clodomeris (14) de Nantilde regina natus fuisset, consilio Neustrasiorum, et admonitione principum suorum, per pactionis vinculum firmasse dignoscitur, ut Neptreco et Burgundia ad regnum Clodovei, post Dagoberti decessum, aspiceret; Austrasia vero eo quod et populo et terræ spatio coæqualis esset, ad regnum Sigiberti pertinere deberet; et quidquid ad regnum Austrasiorum jam olim pertinuerat, hoc Sigibertus rex suæ ditioni subjeceret, et perpetuo dominandum haberet, excepto ducatu Denteleni quod ab Austrasia separatum fuerat, ne iterum ad Neustriam jungeretur, et Clodovei regimini subderetur. Sed has pactiones Austrasii terrore Dagoberti coacti, vellent, nollent firmasse visi sunt. Quod post mortem ejus filiis regnum administrantibus dissolutum fuisse constat.

In Hispaniam proficiscitur. — Eodem tempore quid Hispaniæ partibus a regibus eorum gestum sit, dicendum est. Defuncto Sisebodo rege clementissimo, Sentilla successit in regnum uno anno. Cum esset Sentilla nimium iniquus in suos, omnium principum regni sui odium incurrit. Quapropter Sisenandus quidam ex proceribus cum consilio cæterorum, Dagobertum expetiit ut ei cum exercitu auxiliaretur, qualiter Sentillam pelleret regno. Hujus beneficii recompensatione missorium aureum ex thesauris Gottorum quem Tresmodus rex ab Egetio patricio susciperat, Dagoberto dare promisit, pensantem auri libras quinquaginta. Quo audito Dagobertus, ut erat cupidus, exercitum in auxilium Sisenandi totum regnum Burgundiæ bannire præcepit. Cumque in Hispania divulgatum fuisset, exercitum Francorum auxiliando Sisenando Hispaniam ingredi, omnis Gottorum exercitus ditioni ejus se tradidit. Abundantius et Venerandus cum exercitu Tolosano tantum usque Cæsaraugustam civitatem cum Sisenando accesserunt, ibique omnes Gothi de regno Hispaniæ Sisenandum sublimant in regnum. Duces prædicti cum exercitu remeant ad proprias sedes, muneribus honorati. Dagobertus legatos ad Sisenandum regem, Amalgarium ducem et Venerandum dirigit, ut missorium quem promiserat eidem dirigeret. Cumque a Sisenando missorius ille legatariis fuisset traditus, a Gothis per viam tollitur, nec eum exinde permiserunt auferri. Postea discurrentibus legatis ducenta millia solidorum, quod appretiatum est missorium, Dagobertus a Sisenando accepit.

In Vascones perduelles mittit exercitum. — Anno tridecimo regni Dagoberti cum Vascones fortiter rebellarent, et multas prædas in regno Francorum, quod Aribertus tenuerat, facerent, Dagobertus de universo regno Burgundiæ, exercitum promoveri jubet, statuens ei caput exercitus Adoindum referedarium, qui temporibus Theoderici regis quondam multis præliis probatus est strenuus : cui duces decem et exercitus eorum adjunxit. Fuerunt autem hi, Arembertus, Amalgarius, Leudebertus, Vandalmarus, Waldericus, Hermendricus, Barontus, Airar-

(14) *Clodomeris.* Ex sequentibus constat legi oportere *Chlodoveus.* Haud ita multo restituendum *Neustria et Burgundia.*

dux ex genere Francorum, Ramelenus ex genere Romanorum, Willibadus patricius ex genere Burgundionum, Aichinus ex genere Saxonum, exceptis comitibus plurimis,qui ducem super se non habebant, in Vasconiam cum exercitum perrexissent, et tota provincia Vasconiæ ab exercitu Burgundiæ fuisset repleta, Vascones de montium latebris egressi properant ab bellum. Cumque præliare cœpissent, ut eorum mos est, terga vertentes, dum cernerent se esse superandos,in fauces vallium montis Pyrenæi latebram dantes, se locis tutissimis per rupes ejusdem montis collocant, exercitus post tergum eorum insequens, plurimos interficiunt, multitudinem captivorum abducunt, omnes domos eorum incendio tradunt, peculiis et rebus exspoliant. Tandem Vascones oppressi seu perdomiti,veniam et pacem petunt, promittentes se gloriæ et conspectui Dagoberti regis præsentaturos ; suæ ditioni traditos cuncta ab eo injuncta impleturos. Exercitus patrata victoria redeunt ad propria sani. Sed Arembertus dux post agmen custodiam exercitus agens,in valle Subola a Vasconibus est interfectus,cum principibus et nobilioribus de suo exercitu.

Judicael Britonum rex. — Dagobertus residens Clippiaco mittit nuntios in Britanniam,ut Britones quæ male gesserant in fines regni Francorum velociter emendarent,et suæ ditioni se traderent. Alioquin exercitus Burgundiæ qui in Vasconia fuerant, de præsenti in Britannias deberent irruere. Quod audiens Judaicael rex Brittonum, Clippiaco ad Dagobertum venit cum multis muneribus,cuncta quæ sui in leudibus Francorum illicite perpetraverunt, emendandum ; spondet, et semper se et regnum Britanniæ subjectum ditioni Dagoberti et Francorum regibus esse promisit : indeque Judaicael rex Dagoberto vale dicens in Britanniam repedavit, condigne tamen a rege muneribus honoratur. Anno quintodecimo regni Dagoberti Vascones omnes seniores terræ illius cum Amando duce ad Dagobertum Clippiaco venerunt ; ibi regio timore perterriti confugerunt in ecclesiam Sancti Dionysii : clementia Dagoberti vitam habent indultam.Ibi Vascones sacramentis firmiter promittunt regi Dagoberto, et filiis suis,et regno Francorum omni tempore se esse fideles : sed solito more mentiti sunt.Permissu Dagoberti reversi sunt ad suas sedes.

Dagoberti obitus (643). *Ipsius encomia.* — Dagobertus rex eodem anno Spinogello-villa super Sequanam fluvium, non procul a Parisiis, adveniens, profluvio ventris inibi ægrotare cœpit. Exinde ad basilicam sancti Dionysii a suis defertur. Post paucos dies Dagobertus emisit spiritum,sepultusque est in ecclesia ipsius sancti martyris, quam ipse condigne ædificaverat, atque auro et gemmis, multisque pretiosissimis speciebus ornaverat : tantæque opes ab eodem et villæ, et possessiones multæ per plurima loca ibidem collatæ sunt,ut miraretur plurimum. Psallentium inibi instituere ad instar monasterii sanctorum Agaunensium jusserat. Quod studio et industria abbatis Aigulfi est adimpletum. Multas ecclesias spoliavit, ut hanc ditaret. Omni quippe devotione sua circa obsequium specialis patroni intentus erat. Et ideo post mortem spe sua frustratus non est.Qualiter vero per hunc martyrem auxiliantibus sanctis Mauricio atque Martino a potestate dæmonum anima ejus erepta fuerit, cuidam solitario divinitus monstratum est. Quandiu enim vixit, basilicas horum sanctorum specialius honoravit : quamvis fuerit cupiditati et amori mulierum intentus, in eleemosynis tamen pauperum fuit largus.

Saraceni grassantur in imperium. — Post Dagoberti discessum filius suus Clodoveus adhuc sub tenera ætate ascitur ad regnum. Omnes quippe leudi de Neustria et Burgundia eum Mosollaco villa sublimant in regem. Ega vero, quem Dagobertus custodem pueri et regni tutorem reliquerat, cum Nantilde regina condigne gubernabat palatium et regnum.Anno secundo regni Clodovei apud Constantinopolim sublimatur in imperium Constantinus filius Constantini. Ejus tempore gravissime a Saracenis vastatur imperium. Tempore enim Heraelii imperatoris Saracenorum gens de finibus suis egressa, regna quæ sub imperii regimine erant irrunt ad devastandum, contra quos Heraclius exercitum ad resistendum direxit. Saraceni milites superant, eosque gladio graviter trucidant.Fertur in eo prælio centum quinquaginta millia militum Saracenis fuisse interfecta.Iterum Heraclius congregat multitudinem exercitus : iterum vincitur : ad ultimum infelix Eutychetis hæresim sectans, cultum Christi relinquens crudeliter vitam finivit. Cui successit in imperium Constantinus filius,cujus tempore a Saracenis respublica nimium vastatur. Duravit hæc vastitas per annos quadraginta septem, usque ad tempora Constantini superius memorati. Tunc est Hierosolyma capta,et cæteræ eversæ civitates.Ægyptus inferior et superior pervaditur ; Alexandria capitur et prædatur : Africa tota vastatur et a Saracenis possidetur : Asia et Europa quatiuntur : omnia regna mari contigua pervagantur. Ad postremum ipse imperator Constantinus constrictus atque compulsus,est effectus Saracenorum tributarius,ut Constantinopolis cum paucis provinciis et insulis, et urbs Roma cum sua patria suæ ditioni reservaretur.Tribus annis circiter, et ferme adhuc amplius, per unumquemque diem mille solidos auri Saracenorum ærariis supplebat.Tandem resumptis viribus Constans imperium aliquantisper recuperans, tributa Saracenis implendum refutat.

Ega moritur. Erchinoaldus majordomus. Pipinus majordomus Sigiberti regis Austras. — Anno tertio regni Clodovei, Ega, cui Dagobertus commiserat regni curam,moritur ; et in loco ejus Herchinoaldus majordomus constituitur. Eo tempore Sentilla rex Hispaniæ, quem Sisenandus oppresserat, moritur ; et in loco ejus Tolga ipsius filius patris precibus sub

brogatur. Gothorum principes et primates videntes deperire statum regni, eo quod princeps esset invalidus, et minus sciens, utpote adolescentulus, tandem eligunt unum ex primatibus, nomine Chintasindum. Collectis plurimis senatoribus Gothorum, cum cætero populo Hispaniæ sublimatur in regnum, Tolgane degradato, et ad clericatum tonsurato. Tintasindus omnem Hispaniam suæ redigit ditioni: multos Gothorum interfecit, quos in degradatione regum priorum una secum noverat conscios. Cumque esset plenus dierum, filium suum, nomine Richisindum in omne regnum Hispaniæ sublimavit. Pipinus defuncto Anchiso patre suo majordomus Sigiberti regis in regno Austrasiorum factus est. Fuit namque Pipinus Deum timens, amator justitiæ, consilio providus, fide plenus, cautus in omnibus sapientiæ studiis, intentus in armis, strenuus, audax animo. Gubernavit regnum quandiu vixit grandi moderatione, nec ullo munere potuit unquam a justitia averti.

Flaucatus majordomus. Nantildis regina moritur. Wibaldus interficitur. Flaucatus febre interiit. — Anno quarto regni Clodovei (648) Nantildis regna cum ipso filio suo rege Aurelianis civitatem in regnum veniens Burgundiæ, ibi omnes seniores, pontifices scilicet, duces et primates totius regni ad se venire præcepit. Nantildis sigillatim cunctos blanditiis attrahens, Flaucatum ex genere Francorum majoremdomus in regno Burgundiæ electione pontificum et principum laude in hoc gradu honoris stabilivit, neptemque suam nomine Ragnebertam eidem desponsavit. Flaucatus regnum Burgundiæ pervagatur, atque cum Archinoaldo majoredomus se in amicitia obligans, Wibaldum patricium interficere disponebat. Eo anno Nantildis regina moritur. Ipsoque anno Flaucatus cum Clodoveo rege et Archinoaldo majore domus, et aliquibus primatibus Neustrasiis, de Parisiaco promovens per Senonas et Antisiodorum Augustidunum accesserunt. Ibique Clodoveus Wilbaldum ad se venire præcepit. Wilbaldus patricius considerans Flaucatum cum cæteris ducibus de suo interitu inesse consilium, colligens secum plurimam multitudinem exercitus, etiam pontifices, seu nobiles et fortes, quos congregare potuit, Augustidunum iter arripuit. Cui obviam a Clodoveo rege et suis ducibus Hermenricus domesticus dirigitur, eo quod Wilbaldus trepidabat propius accedere; sed accepta securitate ex parte regis Augustidunum accessit, legato regis condignis muneribus prius honorato. In crastinum Flaucatus et cæteri duces, qui de interitu ejus conspiraverant, maturius ab urbe promoverunt cum exercitu. Erchinoaldus cum Neustrasiis quos secum habebat bellum aggreditur: e contra Wilbaldus tela sumens, quascumque potuit adunare phalanges, occurrit eis. Faucatus, Amalgarius, Ermanlenus, et Walbertus duces contra Wilbaldum confligunt; ibique Wilbaldus interficitur: plurimi cum ipso de suis gladio trucidantur. His ita gestis Flaucatus in crastina de Augustiduno promovens, Calibono perrexit: ingressus in urbem in crastino ipsa civitas incendio concrematur. Flaucatus judicio Dei percussus, vexatus a febre collocatur in scapha. Evectu navale per Ararim fluvium cognomento Sagonna, Latonam properans, in itinere undecima die post Wilbaldi interitum emisit spiritum, sepultusque est in basilica Sancti Benigni in suburbio Divionense.

Gundeberga Longobardiæ regina in carcerem detrusa. — Langobardorum per hæc tempora fuerunt hi reges. Post Autharium regnavit Ago filius ejus; hic misit legatos ad Clotarium, offerens triginta quinque millia solidorum, ut tributa quæ Langobardi Francorum regibus solvebant, duodecim millia solidos cassaret. Quod Clotarius concessit, et pacem perpetuam cum Langobardis sacramentis et pactis firmavit. Post hunc regnavit Adoaldus filius ejus. Quo interfecto veneni poculo ob nimiam crudelitatem suam, Charoaldus dux Taurinensis, qui Gundebergam ex genere Francorum habebat uxorem, sublimatur in regnum. Charoaldus credens dictis mendacibus Gundebergam reginam in Caumello castro in unam turrim exsilio trudit. Clotarius rex legatos ad Charoaldum dirigit quare reginam parentem Francorum humiliasset. Charoaldus regis Francorum reverentiam habens, Gundebergam reductam post tres annos de exsilio sublimat in regno. Post hæc Charoaldus rex moritur; Gundeberga regina unum ex ducibus, Chrotarium nomine, de territorio Briscia, acceptis ab eo sacramentis ut nunquam ab eo degradaretur de regni culmine, sumens in conjugium, illum stabilivit in regnum. Postea Chrotarius aliquantis transactis annis oblitus sacramenta quæ fecerat, Gundebergam de solio regni dejectam in unum cubiculum apud Tricinum in aula palatii retrudit: eamque privato habitu vivere fecit. Quinque anni sub ea trusione transierunt. Illa cum esset christiana, benedicebat Deum in hac tribulatione posita. Tandem placuit Deo ut mitteretur Aubedo legatarius a Clodoveo rege ad Chrotarium Langobardorum regem: qui veniens Papiam civitatem, quæ cognominatur Ticinis, cernensque reginam, a qua benigne in legationem veniens susceptus fuerat, esse retrusam, inter cætera Chrotario regi suggessit, quod reginam parentem Francorum, per quam etiam regnum adeptus fuerat, non debuisset ita humiliare; pro qua re Francorum reges et omnes Franci ei essent ingrati. Chrotarius de presenti ob reverentiam Francorum Gundebergam de custodia jubet egredi, et per totam civitatem et foris regali ordine per loca sanctorum ad orationem procedere: de villis et opibus fisci omnia quæ amiserat ei restaurari præcepit. Quod usque ad diem sui obitus regio cultu post feliciter tenuit. Aubedo vero a Gundeberga regina fortiter remuneratus repedavit ad regem.

Sigibertus Austrasiæ rex obiit. — Defuncto Sigiberto Austrasiorum Francorum rege, filius ejus Dagobertus succedit in regnum. Pipinus, ut diximus, post regem totius regni curam gerebat, cujus filius,

nomine Grimoaldus, sub imperio patris palatio præerat. Hic considerans Dagobertum inertem, et ad regni curam minus utilem, fecit eum tonderi ad clericatus ordinem.

De Wlfechranno abbate. — Clodoveus igitur rex, qui et Clotarius dictus est, octodecim annis in regni administratione completis, defunctus est in primævo flore juventutis, relictis tribus filiis, Clotario, Childerico, et Theoderico, una cum matre eorum Baldechilde regina. E quibus Clotarius natu major regnum patris sui Clodovei, Neustriæ, et Burgundiæ obtinuit, Childericus vero Austrasiæ et Germaniæ sedem adeptus est. Anno igitur octavo regni sui Clotarius rex residens Mosollaco palatio suo, Wlfechrannus abbas hujus loci adiit ejus præsentiam, conquerens super quorumdam militum ejus violentia: Guntrannus namque rex dederat sancto Benigno martyri patrono Divionensis loci, Chariacum villam cum omnibus appenditis suis; de cujus possessionis terris supra scriptis calumniatores molestias inferebant multas memorato abbati, monachisque hujus loci. Rex ergo Clotarius annuens ejus precibus, fecit præceptum sancto Benigno de præscripto fundo annuloque suo jussit insigniri, ut nullus supradictorum calumniantium, aut eorum hæredes, vel successores, aut ullus aliquis alius cujuscunque honoris ac dignitatis in denominato agro audeat aliquam vim inferre. Erat tunc majordomus regis supra nominatus Aubedo, quem inscriptio ejusdem præcepit Audebellum vocat.

Eronus Lingon. episcopus. — Tempore prædicti Wlfechranni venerandæ memoriæ abbatis præsidebat Lingonum ecclesiæ Eronus venerabilis episcopus, qui inter cætera beneficia quæ huic contulit loco, a summo pontifice, vel verius Romanis pontificibus Joanne et Sergio Romanæ Ecclesiæ petiit fieri decretum : in quo continetur, ut nullus præsumat constituere cœmeterium vel sacrare, præter hunc qui ad istam sancti Benigni ecclesiam pertinet: et ut nullus audeat vim aliquam inferre in claustro vel in burgo ad hunc locum pertinente. Cujus exemplar decreti placuit huic libro inferre, ut videntes discant quantum immineat illis periculum, qui non timent obligari anathemathis vinculo per Petri apostoli vicarium. Anno Domini 696 ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi, præsidebat sanctæ Romanæ Ecclesiæ Sergius papa ; cujus hæc sunt verba.

Litteræ Sergii I ab Wlfechranno obtentæ. — « Sergius, gratia Dei pontifex Romanus, Heroni Lingonum præsuli, salutem et apostolicam benedictionem. Quam primum nobis attendendum, charissime, ne hostis malignus gregem Christi perturbet aliqua occasione. Divionensium namque monachorum martyri Benigno sub regimine Wlfechranni abbatis devote famulantium reclamatio ad nos pervenit, clericos jam dicti castri ad se eorum cœmeterium transferre conari. Hoc quia prædecessoris mei Joannis, Benedicti utique successoris contradicit decretis, auctoritate beati Petri et nostra prohibetur sub percussione anathematis. Nam sicut Gregorius olim prædecessor vester adhortatu præfati martyris, monasterii ipsius constructor, utrisque vivis sancivit unum quo sanctus jacet, cencorditer cœmeterium : ita nostræ auctoritatis litteræ censuerunt corroborandum. Quisquis etiam a torrente, qui utrumque burgum dividit auferre ab eodem burgo vel claustro aliquid, excepto abbate vel monachis, præsumpserit, simili sententia se damuaturum noverit. Bene valete. Data per manus Joannis bibliothecarii tunc sanctæ sedis apostolicæ anno pontificatus Domini Sergii universalis papæ decimo in sacratissima sede beati Petri apostoli indictione undecima (679). »

Agilbertus, Bobolenus abbates. — Defuncto vero Wlfechranno abbate successit in locum regiminis Agilbertus : post quem præfuit Bobolenus.

Clotarius vita functus. Cui successit Childericus rex Austrasiæ. — Clotarius rex igitur postquam aliquot annis tenuit regnum, immatura præventus morte reliquit illud sine hærede. Cujus obitum dolentes Francorum principes, germanum ejus Childericum regem Austrasiorum (quem audierant sapienter et provide regnum disponere) in omni sublimant Francorum regno. Adeptus vero principatum, quidquid adversus leges regum priorum ac majorum principum, quorum vita quondam laudabilis exstiterat ineptum atque contrarium reperit, ad pristinum statum prudentissime revocavit. Eo tempore Godinus quidam ex primatibus Burgundiæ una cum conjuge sua nomine Lantrude, dedit Sancto Benigno alodium juris sui, cui vocabulum est Albiniacus, situm in pago Decolatunse quod nunc generaliter Portuensis dicitur.

Huic succedit Theodericus. S. Leodegarius, S. Lambertus. Pipini laudes. S. Willebrordus in Frisiam missus. — Childericus ergo rex paucis annis quibus regnum Francorum obtinuit, æquo moderamine justisque legibus disponens ipsum regnum, defunctus est, et germanus ejus Theodericus in regno fratris loco sublimatus. Quod tenuit annis sexdecim. In diebus ejus sanctus Leodegarius est interfectus ab Ebroino majoredomus, et sanctus Lambertus Tungrorum episcopus a Dodone comite. Hi uno tempore innocenter occisi, coronam martyrii sunt adepti. In illo tempore deficientibus jam a pristino vigore regibus, cura totius regni administrabatur per duces et principes domus : inter quos omnes præeminebat Pipinus, quem supra retulimus, vir omni sapientia adornatus : ejusdemque regni maxima pars erat in manu ejus. Hic devicta Frisia, atque ipsius regni fugato rege, nomine Ratbodo, misit illuc ad prædicandum servos Dei venientes ex Britannia, Willebrordum et socios ejus, qui non parvam populi multitudinem ad Christum converterunt. Theoderico rege defuncto, Childebertus filius ejus successit in regnum.

Amo ab incarnatione Domini septingentesimo nono, Pipinus perrexit in Suvavos contra Willarium. Item anno sequenti commovit exercitum super præ-

dictum tyrannum. Anno tertio aquæ vehementer inundaverunt. Et Childebertus rex mortuus est; et exercitus Francorum in Suvavos. Anno quarto iterum exercitus Francorum in Suvavos contra Wilarium perrexit: et Eribertus rex Langobardorum mortuus est.

Moritur Pipinus. — Anno septuagesimo quarto decimo Pipinus mortuus est in mense Decembris: et Grimoaldus filius ejus similiter mortuus est: et Carolus successit in locum patris.

Eo tempore Astoricus episcopus erat Lingonum; et Babolenus regebat istud cœnobium: tunc dedit Ermenoara Domino sacrata Sancto Benigno quidquid habebat in villa Ruffico, scilicet mansa cum ædificiis desuper positis, omnibusque adjacentiis.

Dagobertus II moritur. Carolus Martellus. — Anno septingentesimo quinto decimo Dagobertus rex mortuus est, et Saxones devastaverunt terram Bagoariorum. Anno septingentesimo decimo septimo bellum fuit in Vinciaco inter Carolum et Ragofredum majoremdomus: fugitque Ragofredus, et exercitus ejus cæsus est plaga magna usque ad fluvium Wisera. Anno sequenti Carolus intravit Saxoniam vastavitque eam. Anno septengentesimo vicesimo primo expugnavit Eudo Saracenos de terra sua. Anno quarto post hunc, expugnavit Carolus Andegavos, quia rebellabant adversus eum. Theodericus filius Dagoberti Junioris regio tunc sublimatus erat in solio. Cui successit Clotarius, et Clotario Childebertus, Childeberto Childericus, in quo defecit generatio Clodovei regis, qui usque tunc regnaverat.

Carolus strenue multa gerit. Saracenos expugnavit. Quare Malleus appellatus. Carlomanus et Pipinus. Carlomanus fit monachus. — Anno septingentesimo vicesimo quinto Carolus subjecit sibi Bagoarios; et Sarraceni irruerunt in Galliam. Anno abhinc sexto Carolus perrexit in Suvavos contra Laufredum. Sequenti anno Carolus fuit in Vasconia contra Eudonem; et Ragofredus tyrannus mortuus est. Anno sequenti Carolus pugnavit contra Saracenos in mense Octobris, die Sabbati, juxta civitatem Pictavis. Iterum anno septingentesimo trigesimo septimo innumera multitudo Sarracenorum coadunata, quæ duodecim reges habebat super se, quorum primus et maximus erat Abdirama rex Cordubæ civitatis, occupaverunt Gothiam, obsideruntque Narbonam civitatem. Quod audiens Carolus congregavit exercitum copiosum, insuper et Lindebrandum Longobardorum regem convocavit in auxilium, consertoque cum Saracenis prælio, ita eos contrivit, ut de tanta multitudine vix aliquis potuerit evadere: sed et usque hodie gens illa truculenta Francorum formidat arma. Anno 739 Carolus intravit in provinciam usque Massiliam; invasit Vasconiam, vastavit atque Bagoariam. Anno septingentesimo quadragesimo primo Carolus *Tudites* mortuus est, qui propterea appellatus est Tudites, quod est malleus fabri, quia sicut malleo universa tunduntur ferramen-

A ta, ita Carolus omnia regna sibi vicina attrivit. Defuncto Carolo, filii ejus Carlomanus et Pipinus susceperunt curam regni. Anno septingesimo quadragesimo secundo Carolus perrexit Vasconiam. Anno sequenti vastavit Alamaniam. Anno quarto Carlomanus et Pipinus invaserunt Saxoniam. Anno septimo Carlomanus relicta cura regni Pipino fratri Romam perrexit, atque in monte Soracte monachus habitationem instituit. Postea non ferens molestiam crebro se visitantium eorum qui de Francia pergebant ad limina apostolorum, ad Sanctum Benedictum in montem Casini commigravit.

Pipinus rex inauguratur. S. Bonifacius martyr occubuit. — Anno septengentesimo quinquagesimo secundo domnus Pipinus rex sacratus est per ma-

B nus Stephani papæ, et duo filii ejus Carlomanus, et Carolus qui Magnus dictus est. Anno quarto Pipinus rex intravit Langobardiam, et Stephanus papa reversus est Romam. Eodem tempore sanctus Bonifacius, genti Frisonum prædicans, suscepit martyrium. Anno sexto iterum Pipinus rex perrexit Langobardiam, et Haistulfus rex mortuus est. Anno sequenti deleta sunt organa de Græcia missa ab imperatore cum certis muneribus domno Pipino regi. Anno septingentesimo sexagesimo Pipinus rex perrexit Vasconiam contra Waffarium. Iterum anno sequenti cum filiis Carolo et Carlomano perrexit Aquitaniam, et acquisivit civitatem Bituricas. Pipini regis anno nono quidam homo, Rocolenus nomine, dedit Sancto Benigno allodium suum villare vocatum, situm in pago Belnensi in fine Milliacensi, cum omnibus

C suis appenditiis. Eodem tempore quidam clericus nomine Bago, dedit sancto Benigno hæreditatem suam omnem quam habebat in Asiriaco et Istodoro atque Salas, quidquid in prædictis villis possidere videbatur, tam mansis quam quæ in aliis terris ad eadem mansa pertinentibus.

In Aquitaniam pergit Pipinus. Ab humanis excessit. — Anno septingentesimo sexagesimo secundo iterum Pipinus rex cum exercitu perrexit Aquitaniam una cum Carlomano; captoque omni pago Alvernico, civitatem Claromontem et Burbonis castrum igne cremavit. Anno septingentesimo sexagesimo quarto Pipinus rex placitum magnum habuit cum Francis apud villam Carisiacum. Eodem anno fuit hyems gravissima, et tenuit gelu a decimo nono

D Kalendas Januarii, usque sexto Kalendas Aprilis. Anno septingentesimo sexagesimo septimo iterum Pipinus rex intravit Aquitaniam, et conquisivit Lemovigas civitatem. Et Bertha regina uxor ejus apud Bituricas hyemavit. Eodem anno sequenti, anno videlicet septingentesimo sexagesimo octavo, Pipinus rex obiit octavo Kalendas Octobris, apud Parisios civitatem, morbo intercutis aquæ; et Waffarius fuit interfectus.

Carolus et Carlomanus inaugurati. Obiit Carlomanus. — Eodem anno Dominus rex Carolus et Carlomanus uncti fuerunt in reges septimo Idus Octobris. Franci siquidem facto solemniter generali conventu

ambos sibi reges constituunt ea conditione præmissa, ut totum regni corpus ex æquo partirentur, et Carolus eam partem quam pater eorum Pipinus tenuerat, Carlomanus vero eam partem, cui patruus eorum Carlomanus præfuerat, regendi gratia susciperet. Susceptæ sunt utrinque conditiones, et pars regni divisi juxta modum sibi propositum ab utroque recepta est. Mansitque ista quamvis cum summa difficultate concordia, multis ex parte Carlomani societatem separare molientibus, adeo ut quidam eorum bella committere sint meditati. Sed in hoc plus suspicionis quam periculi fuisse ipse eorum exitus approbavit. Defuncto Carlomano uxor ejus cum filiis et quibusdam, qui ex optimatum ejus numero primores erant, Italiam fuga petiit; et nullis existentibus causis spreto mariti fratre, sub Desiderii regis Langobardorum patrocinium se cum suis liberis contulit. Et Carlomanus quidem post administratum communiter quadriennio regnum decessit. Carolus autem fratre defuncto constituitur rex solus omnium Francorum.

Ducem Aquitan. devincit Carol. Mag. — Anno igitur septingentesimo sexagesimo nono, sui vero regni secundo, omnium bellorum quæ gessit primo Aquitanicum, a patre inchoatum, sed nondum finitum, quia cito peragi posse videbatur, fratre adhuc vivo etiam et auxilium ferre rogato, suscepit. Et licet eum frater promisso frustrasset auxilio, susceptam tamen expeditionem strenuissime executus, non prius ab incœpto desistere voluit, quam hoc quod efficere moliebatur perfecto fine concluderet. Nam et Himaldum, qui post Vaifarii mortem Aquitaniam occupaverat, bellumque jam pene pene peractum reparare tentaverat, Aquitaniam relinquere et Vasconiam petere cogit. Quem tamen ibi consistere non sustinens, transmisso amne Garonna, Lupo Vasconum duci mandat, ut perfugam reddat: quod nisi festinato faciat, bello se eum expugnaturum. Lupus saniori usus consilio, non solum fugitivum reddidit sed etiam se ipsum cum provincia, cui præerat, ejus potestati commisit.

Adriani PP. rogatu bellum in Langobardos suscipit. — Compositis igitur rebus in Aquitania eoque bello finito, regni quoque socio jam rebus humanis exempto, precibus Adriani Romanæ urbis episcopi exoratus, bellum contra Langobardos suscepit.

Anno septingentesimo septuagesimo secundo Carolus rex intravit Italiam, et concitato bello, quod prius quidem et a patre ejus, Stephano papa supplicante, cum magna difficultate susceptum est, quia quidam ex primoribus Francorum, cum quibus consultare solebat, adeo voluntati ejus renisi sunt, ut se regem deserturos domumque redituros, libera voce proclamarent. Cœptum tamen est nunc contra Haistulfum regem, et celerrime completum. Sed licet sibi et patri belli suscipiendi similis, ac potius eadem causa subesse videretur, haud simili tamen labore certatum, ac fine constat esse completum. Pipinus siquidem Haistulfum regem paucorum dierum obsidione apud Ticinum et obsides dare, et erepta Romanis restituere, atque ut reddita non repeterentur sacramento fidem facere. Carolus vero post inchoatum a se bellum non prius destitit, quam et Desiderium regem, quem longa obsidione fatigaverat, in deditionem susciperet. Filium ejus Adalgisum, in quem spes omnium inclinatæ videbantur, non solum regno, sed etiam Italia excedere cogeret, omnia Romanis erepta restitueret, Chrodogausum Forojulii ducatus præfectum res novas molientem opprimeret, et Habinum socerum ejus Tarvisa civitate obsessum caperet, totamque Italiam subjugaret, subactæque filium suum Pipinum regem præficeret. Finis hujus belli fuit subacta Italia, et rex Desiderius perpetuo deputatus exsilio in Francia, filius ejus Adalgisus Italia pulsus, et res a Langobardorum regibus ereptæ Adriano Romanæ Ecclesiæ rectori restitutæ. Italiam intranti, quam difficilis Alpium transitus fuerit, quanto labore Francorum invia montium juga et eminentes in cœlum scopuli, atque asperæ cautes superatæ, longum est enarrare.

Bellum contra Saxones. Caroli urbs. — Anno septingentesimo septuagesimo sexto, rex Carolus ut audivit quod Saxones iterum rebellassent contra Francos, commovit exercitum adversus eos, bellumque, quod quasi intermissum videbatur, repetitum est. Saxones siquidem sicut omnes fere gentes Germaniam incolentes, et natura feroces et cultui dæmonum dediti, nostræque religioni contrarii, neque divina neque humana jura verentur transgredi. Suberant et causæ quæ quotidie pacem turbare poterant, termini videlicet utrorumque utique in plano positi, in quibus cædes et rapinæ, et incendia vicissim fieri non cessabant. Ob quam rem ædificaverunt Franci in finibus Saxonum civitatem, quam vocaverunt Caroli urbem; susceptum vero adversus eos bellum, quod magna utrinque animositate, majore tamen Saxonum, quam Francorum damno, per continuos triginta tres annos gerebatur. Videntes Saxones quia non potuerant Francis resistere, venerunt majores natu ad domnum regem Carolum, postulantes pacem: et baptizata est multitudo populi ipsorum.

Devicti Saxones a Carolo rege. — Anno septingentesimo septuagesimo septimo gloriosus rex Carolus venit Saxoniam, loco qui vocatur Patris Brunna; et ibi habuit placitum magnum, et ibi convenerunt Saxones ad baptismum catholicum: ædificaveruntque ibi ecclesiam Franci, multaque millia populorum ibi baptizata sunt, ea conditione a rege proposita et ab illis suscepta, ut abjecto dæmonum cultu, et relictis patriis ceremoniis, Christianæ fidei sacramenta susciperent, et Francis adunati unus cum eis populus efficerentur. Hoc bello licet per multum temporis spatium traheretur, ipse non amplius cum hoste quam bis in acie conflixit, semel juxta montem, qui Osneggi dicitur, in loco Theotinelli nominato. Et iterum apud Aisa fluvium, et hoc uno mense paucis quoque interpositis diebus. His

duobus præliis hostes adeo profligavit, ac devicti sunt, ut ulterius regem neque venienti resistere auderent. Plures tamen eo bello tam ex nobilitate Francorum, quam Saxonum, et functi summis honoribus viri, consumpti sunt. Rex itaque omnium qui sua ætate gentibus dominabatur et prudentia maximus, et animi magnitudine præstantissimus : nihil in his quæ vel suscipienda erant, vel exsequenda, vel propter laborem detrectavit, aut propter periculum exhorruit.

In Hispaniam proficistur. Vascones in Gallos irruunt, ac multos interficiunt. — Anno septingentesimo septuagesimo octavo Carolus rex assiduo ac pene continuo cum Saxonibus bello decertans, dispositis per congrua confiniorum eorum loca præsidiis, Hispaniam aggreditur, quam maximo belli apparatu poterat, saltuque Pyrenæi superato, omnibus quæ adiit oppidis atque castellis in deditionem acceptis, scilicet Pampilona, Osca, Barsilona, atque Gerunda. Deinde acceptis obsidibus salvo et incolumi exercitu, revertitur. Præter quod in ipso Pyrenæi jugo Vasconiam perfidiam parumper in redeundo expertus est. Nam cum agmine longo, ut loci et angustiarum situs permittebat, porrectus iret exercitus, Vascones in summi montis vertice positis insidiis (est enim locus ex opacitate silvarum, quarum ibi maxima est copia, insidiis ponendis opportunus) extremam impedimentorum partem, et eos qui novissimi agminis incedentes subsidio præcedentes tuebantur, desuper incursantes in subjectam vallem dejiciunt; consertoque cum eis prælio, usque ad unum omnes interficiunt; ac direptis impedimentis, noctis beneficio, quæ jam instabat, protecti, summa cum celeritate in diversa disperguntur. Adjuvabat in hoc facto Vascones et levitas armorum, et loci, in quo res gerebatur, situs : e contra Francos et armorum gravitas, et loci iniquitas, per omnia Vasconibus reddidit impares. In quo prælio Egichardus regiæ mensæ præpositus, Anselmus comes palatii, et Ruolandus Britannici limitis præfectus, cum aliis compluribus interficiuntur. Neque hoc factum ad præens judicari poterat, quia hostis eo perpetrato ita dispersus est, ut ne fama quidem remaneret ubi nam gentium quæri potuisset. Domuit et Britones qui ad Occidentem in extrema quadam parte Galliæ super littus Oceani residentes, dicto audientes non erant ; missa in eos expeditione, qua et obsides dare, et quæ jungebantur se facturos polliceri coacti sunt.

Carolus Italiam petit. — Iterum Carolus rex Italiam ingressus cum exercitu, ac per Romam iter agens, Capuam Campaniæ urbem accessit : atque ibi positis castris bellum Beneventanis ni dederentur comminatus est. Prævenit hoc dux gentis Aragisus filios suos Rimoldum, et Grimoldum, cum magna pecunia obviam regi mittens, rogat ut filios obsides suscipiat, seque cum gente imperata facturum polliceretur ; præter hoc solum si ipse ad conspectum, regis venire non cogeretur. Rex utilitate gentis magis quam animi ejus obstinatione considerata, et oblatos sibi obsides suscepit, et quæ petebantur concessit, unoque ex filiis ejus obsidatus gratia retento, legatis ob sacramenta a Beneventanis exigenda, atque suscipienda cum Aragiso dimissis, Romam rediit, indeque Galliam revertitur.

Item in Bajoariam. Obiere Hildegardis regina, et mater Bertha.— Anno septingentesimo octuagesimo septimo Bajoaricum bellum et repente ortum, et celeri fine completum est, quod superbia Tassilonis ducis excitavit. Qui hortatu uxoris, quæ filia Desiderii regis erat, ac patris exsilium per maritum ulcisci posse putabat, juncto fœdere cum Hunnis, qui Bajoariis sunt ab oriente contermini, non solum imperata non facere sed etiam bello regem provocare tentabat. Cujus contumaciam animositas regis ferre nequivit, ac proinde contractis undique copiis Bajoariam petiturus, ad Lechum amnem cum maximo venit exercitu (is fluvius Bajoarios ab Alamannis dividit), cujus in ripa castris collocatis animum ducis per legatos statuit experiri. Ille non pertinaciter agere, vel sibi vel genti utile ratus, supplex se regi permisit, obsides dedit ; inter quos et Theudonem filium suum : data insuper fide cum juramento, quod ab illius potestate ad defectionem nemini suadenti assentiri deberet. Sicque bello, quod quasi maximum futurum videbatur, celerrimus est finis impositus. Anno sequenti Thassilo dux ad regem evocatus, eo quod pactum violare conatus sit, non est redire permissus, neque provinciam quam tenebat ulterius duci, sed comitibus ad regendum est commissa. Anno quintodecimo regni Caroli regis obiit Hildegardis regina, conjux prædicti principis, et Bertrada mater ipsius eodem anno defuncta.

Bellum in Winidos. — Anno septingentesimo octuagesimo nono bellum illatum est Slavis qui nostra consuetudine Wilei, id est Winidi, sua locutione Welitabi dicuntur. In quo et Saxones velut avidiores (15) inter cæteras nationes, quæ magis signa jussæ loquebantur, quanquam ficta et minus devota obedientia militabant. Causa belli erat, quod Abotritos, qui cum Francis olim fœderati erant, assidua incursione lacessebant, nec jussione coerceri poterant. Sinus quidam ab occidentali Oceano Orientem versus porrigitur, longitudinis quidem incompertæ, latitudinis vero quæ nusquam centum millia passuum excedat, cum in multis locis contractior inveniatur. Hunc multæ circumsedent nationes. Dani siquidem et Suevi, quos Nordmannos vocamus, et septentrionale littus, et omnes in eo insulas tenent. Ad littus australe Sclavi et Agisti et aliæ diversæ incolunt nationes. Inter quos vel præcipui sunt, quibus tunc a rege bellum inferebatur, Wentelabi, quos ille una tantum et quam per se

(15) *Avidiores*, lege *auxiliares..... quæ regis signa jussæ sequebantur.* Infra restituo *ita contudit ac domuit.*

gesserat expeditione, ita consulit ac domuit, ut ulterius imperata facere minime renuerent.

Bellum infert Hunnis. — Anno septingentesimo nonagesimo primo, rex Carolus commoto magno exercitu bellum Hunis intulit, quod maximum omnium quæ ab illo gesta sunt bellorum, præter Saxonicum, fuit, quod ille animosius quam cætera, et longe majori apparatu administravit. Unam tamen per se expeditionem in Pannoniam, quam provinciam ea gens incolebat, tunc fecit, cætera filio suo Pipino ac præfectis provinciarum, comitibus etiam perficienda atque legatis commisit. Quod cum ab his strenuissime fuisset administratum, octavo tandem anno completum est. Quot prælia in eo gesta, quantum sanguinis effusum sit, testatur vacua omni habitatore Pannonia, et locus in quo regia Cagreni erat ita desertus, ut ne vestigium in eo quidem humanæ habitationis appareat. Tota in hoc bello Hunorum nobilitas periit, tota gloria decidit, omnis pecunia, et congesti ex longo thesauri direpti sunt, neque ullum bellum contra Francos exortum humana potest memoria recordari, quo illi magis ditati et opibus aucti sunt, tantum auri et argenti in regia repertum, tot spolia pretiosa in præliis sublata, ut merito credi possit hoc Francos Hunnis juste eripuisse, quod illi cæteris gentibus injuste abstulerant. Duo tantum ex proceribus Francorum eo bello interierunt: Hericus dux Forojulli, et Hierulus Bajoariæ præfectus. Cæterum incruentum pene Francis hoc bellum fuit, et prosperum exitum habuit, tametsi diutius sui magnitudine traheretur. Post quod et Saxonicum suæ prolixitati convenientem finem accepit. Boemanicum quoque et Linonicum quæ postea exorta sunt, diu durare non potuerunt. Quorum utrumque ductu Caroli filii sui, quem Burgundiæ regno præfecerat, celeri fine completum est.

Waldricus abbas S. Benigni. — Pontifex nominatus. — Tempore illo quo prænominatus rex magnus Carolus accepit regni curam, abbas nomine Waldricus regebat hanc abbatiam: cujus tempore quidam vir Ansegaudus nomine, partem suæ hæreditatis quam possidebat in villa Salonis vocata; nec non et alia villa, vocabulo Bargis, contulit ecclesiæ S. Benigni martyris. Similiter quidam Leotadus nomine non contemnendam partem suæ possessionis in prædictis villis tradidit præfato martyri provisori Divionensis loci, cujus rei donationem fecit per chartæ conscriptionem; in quo scripto vocatur pontifex idem Waldricus: cujus series ita se habet: « Domino sacrosanctæ basilicæ Sancti Benigni martyris, sub oppido Divionensi constructæ, ubi venerabilis vir domnus Waldricus præesse videtur pontifex, et David presbyter, » et cætera quæ sequuntur. Idem vero David præpositi fungebatur officio. Ipse enim de quodam propinquo suo, Aldeberto vocato, mansum unum cum omni terra ad eum pertinente, in villa Assiriaco. Per idem tempus quidam vocabulo Egremarus, et Eva uxor ejus, in

A villa Norvia dicta, quamdam partem suarum rerum dedit ad præfatum locum S. Benigni.

Aridius abbas. — Defuncto Waldrico abbate, successit in regimine pastoralis officii Aridius. Cujus tempore adolescens quidam ex nobili ortus progenie, nomine Dodo, veniens ad conversionem in hoc Divionense monasterium, Deo et sancto Benigno cupiens militare, tradidit, prædicto abbati Aridio, et monachis hujus loci, quidquid possidere videbatur in villa Salonis, et in Bargis, totum ad integrum, et in villa Monfarulfi vocata, dimidiam quæ ad se pertinebat, cum omnibus appenditiis, et mancipiis de super commanentibus. Et constituit, ut ipsi servi annis singulis uno die ad mensam fratrum darent frumenti modium unum in pane, vini modium B unum, cervisiæ modia duo; et pretium unde possint præparari duo pulmentaria secundum quod præcipit regula monachorum.

Hildebrannus abbas. Hildebranni mors. Herlegaudus successit. — Memorato abbate Aridio diem obeunte, Hildebrannus accepit curam regiminis. In cujus diebus quidam, Frodo nomine, dedit ad memoratam ecclesiam sancti Benigni terram quamdam juris sui, sitam in pago Belnensi, in fine Consimactense, in loco vocato Varnedo. Facta est hæc donatio anno primo imperii Caroli magni regis. Peractis aliquot annis Hidelbrannus in pastorali cura defunctus est. Cui successit Herlegaudus abbas nobilibus hujus provinciæ natalibus ortus. In omne patrimonium, quod sibi ab antecessoribus relictum possidebat, vel quod a parentibus suis emere potuit, C huic ecclesiæ quam regebat totum contradidit. Sub ejus tempore quidam Winiterius vocabulo, de terra proprietatis suæ in Assiriaco villa duos campos dedit sancto martyri Benigno. Jam eo tempore fervor monasticæ religionis tepuerat: jam unusquisque in bonis parentum suorum hæres fieri quærebat: unde quidam eorum quod sibi acquisierant, in servitium fratrum et communem utilitatem loci publice contradebant. Dederunt igitur Dodo, Amalbaldus, Heraclius res quas possidebant in Salonis villa, atque Bargis. Similiter Witgerius presbyter quidquid in prædictis villis a parentibus suis acquirere potuit, sancto Benigno contradidit. Quidam quoque Lebranldus clericus, presbyter ordine, gradu ex parentela ejusdem abbatis Erlegaudi existens, intra castrum Divion D mansum unum, et foris muros terras quæ pertinebant ad præscriptum mansum, quæ emerat a quodam Adalrao germano Farulfi, qui erant parentes sui, et præfati abbatis, contulit sancto martyri patrono hujus loci. Vixit autem prædictus abbas et perduravit in regimine monasterii usque ad tempora Ludovici filii sæpius dicti Caroli magni.

Ultimum Caroli magni bellum. De Northmannis seu Danis. Quæ regno Franciæ acquisivit Carolus Magnus enumerantur.—Præfatus igitur rex Carolus ultimum bellum egit contra Northmannos, qui Dani vocantur: primo quidem piraticam exercentes, deinde majori classe aggregata littora Galilæ atque Ger-

maniæ vastabant. Quorum rex Godofridus adeo vana spe inflatus erat, ut sibi totius Germaniæ potestatem promitteret, Frisiam quoque atque Saxoniam haud aliter atque suas provincias æstimabat. Jam autem Abroditos vicinos suos in suam ditionem redegerat: jam vectigales fecerat. Jactabat etiam se brevi Aquisgranni, ubi regis comitatus erat, cum maximis copiis adventurum : nec dictis ejus fides abnuebatur, quin potius verba sequeretur effectus operis, nisi festinata fuisset morte præventus. Nam a suo satellite interfectus, belli a se inchoati celerem finem imposuit. Hæc sunt bella quæ rex potentissimus per annos quadraginta et septem (tot annis regnavit) in diversis terrarum partibus summa prudentia atque felicitate gessit, quibus regnum Francorum, quod post patrem Pipinum magnum quidem et forte susceperat, ita nobiliter ampliavit, ut pene duplum illi adjecerit. Nam cum prius non amplius quam ea pars Galliæ, quæ inter Rhenum et Ligerim Oceanumque ac mare Balearicum jacet; et pars Germaniæ, quæ inter Saxoniam et Danubium Rhenumque ac Salam fluvium, qui Thuringos et Sorabos dividit, posita, a Francis, qui orientales dicuntur, incolitur : et præter hæc Alamani atque Bajoarii ad regnum Francorum pertinerent : ipse per bella memorata primo Acquitaniam et Vasconiam, totumque Pyrenæi montis jugum, et usque ad Iberum amnem, qui apud Navarros ortus, et fertilissimos Hispaniæ agros secans, sub Dertosæ civitatis mœnia Balearico mari miscetur : deinde Italiam totamque ab Augusta Prætoria usque in Calabriam inferiorem, in qua Græcorum ac Beneventanorum constat esse confinia, decies centum et eo amplius passuum millibus longitudine porrigitur : tum Saxoniam, quæ quidem Germaniæ pars non modica est, et ejus quæ a Francis incolitur, duplum in lato habere putatur, cum in longitudine possit esse consimilis : postquam utramque Pannoniam, et appositam ex altera parte Danubii Daciam, Histriam quoque et Liburniam atque Dalmatiam, exceptis maritimis civitatibus, quas ob amicitiam et junctum cum eo fœdus Constantinopolitanum imperatorem habere permisit : deinde omnes barbaras, ac feras nationes quæ inter Rhenum ac Vistulam fluvios, Oceanumque ac Danubium positæ, lingua quidem pene similes, moribus vero atque habitu valde dissimiles, Germaniam incolunt, ita perdomuit, ut eas tributarias efficeret inter quas fere præcipue sunt Weletabi, Sorabi, Abroditi, Boemani : cum his namque bello conflixit, cæteras, quarum multo major est numerus, in deditionem accepit.

Auxit etiam gloriam regni sui quibusdam regibus ac gentibus per amicitiam sibi conciliatis : adeo namque Aldefonsum Gallicæ atque Asturicæ regem sibi societate devinxit, ut is cum ad eum litteras vel legatos mitteret, non aliter illum, quam proprium dominum suum appellari juberet. Scotorum quoque reges sic habuit ad suam voluntatem per munificentiam inclinatos, ut eum nunquam aliter nisi dominum, seque subditos et servos ejus pronuntiarent. Cum Aaron regere Persarum, qui excepta India totum pene tenebat Orientem, talem habuit in amicitia concordiam, ut is gratiam ejus omnium qui in toto orbe terrarum erant regum ac principum amicitiæ præponeret, solumque illum honore ac munificentia sibi colendum judicaret. Imperatores etiam Constantinopolitani Nichoforus, Michael et Leo ultro amicitiam et societatem ejus expetentes, etiam complures ad eum misere legatos ; cum quibus tamen propter susceptum a se imperatoris nomen, et ob hoc quasi imperium eis eripere vellet, valde suspectus, fœdus firmissimum statuit, ut nulla inter partes cujuslibet scandali remaneret occasio : erat omnis semper Romanis et Græcis Francorum suspecta potentia.

Uxores et progenies Caroli Magni. Concubinæ. Conjurationes in eum. — Habuit uxorem nomine Hildegardam de gente Suevorum, præcipuæ nobilitatis feminam : de qua tres filios, Carolum scilicet, Pipinum, et Ludovicum; totidemque filias Hernodridem et Berritem et Gislam genuit. Defuncta Hildegarda Fastradam duxit uxorem; de qua habuit duas filias, Theoderadam, et Hildrudem : quæ de orientalium Francorum, Germanorum videlicet gente erat. Qua obeunte, Leudegandam Alemanam duxit. Post cujus mortem tres tantum habuit concubinas, Gersuindam, Alindam, et Reginam, quæ ei Drogonem et Hugum genuit Ex his omnibus duos tantum filios, et unam filiam, priusquam moreretur, amisit Carolum, et Pipinum, quem Italiæ regem præfecerat, Ruotrudem quæ filiarum ejus primogenita, et Constantino Græcorum imperatori desponsata erat. Erat ei filius, nomine Pipinus, ex concubina edictus ; facie quidem pulcher, sed gibbo deformis. Is cum pater bello contra Hunos suscepto in Bavaria hyemaret, ægritudine simulata cum quibusdam ex primoribus Francorum, qui eum vana regni promissione illexerant, adversus patrem conjuravit. Quem post fraudem detectam, et conjuratorum damnationem, detentum in cœnobio Prumia religiose jamque volentem vacare permisit. Facta est et alia prius contra eum valida conjuratio in Germania; cujus auctores partim luminibus orbati partim membris incolumes, omnes tamen exsilio deportati sunt ; neque ullus ex eis interfectus est, nisi tres tantum, qui cum se, ne comprehenderentur, strictis gladiis defenderent, aliquos etiam occidissent, quia aliter eos coercere non poterant, interempti sunt. Harum tamen conjurationum Fastradæ reginæ crudelitas causa et origo exstitisse creditur. Et idicirco in ambabus contra regem conspiratum est, quia uxoris crudelitati consentiens, naturæ suæ benignitate ac solita mansuetudine immaniter exorbitasse videbatur.

Quare Romam quarto petierit. — Colebat præ cæteris sacris et venerabilibus locis apud urbem Romam beati Petri apostoli ecclesiam in cujus donaria, magna vis pecuniæ tam in auro quam argento, nec

non in gemmis, ab illo congesta est. Multa et innumera pontificibus munera missa. Neque in toto regni sui tempore quidquam duxit antiquius, quam ut urbs Roma suo labore, veteri pollens auctoritate, et ecclesia Sancti Petri per illum non solum tuta ac defensa, sed etiam suis operibus præ omnibus ecclesiis esset ornata atque ditata. Quam cum tanti penderet, tamen intra quadraginta septem annorum spatium, quibus regnavit, quater tantum illo votorum solvendorum ac supplicandi causa profectus est ; ultimi adventus sui non solum hæ fuere causæ, verum etiam quod Romani Leonem pontificem multis affectum injuriis, erutis scilicet oculis linguaque amputata, fidem regis implorare compulerunt, Idcirco Romam veniens, propter reparandum qui nimis conturbatus erat, Ecclesiæ statum, ibi totum hyemis tempus extraxit, quo tempore imperatoris et Augusti nomen accepit.

Ludovicus rex et imperator Proclamatur a patre. Moritur Carolus imp. Sepultus Aquisgrani. — Extremo vitæ tempore cum jam et morbo et senectute premeretur, evocatum ad se Ludovicum filium, Aquitaniæ regem, qui solus filiorum Hildegardæ supererat : congregatis solemniter de toto regno Francorum primoribus, cunctorum consilio consortem sibi totius regni, et imperialis nominis hæredem constituit; impositoque capiti diademate imperatorem et Augustum jussit appellari. Susceptum est hoc ejus consilium ab omnibus qui aderant magno cum favore. Nam divinitus ei propter regni utilitatem videbatur inspiratum : auxitque majestatem ejus hoc factum, et cæteris nationibus non minimum terrorem incussit. Decessit anno ab incarnatione Domini octingentesimo quinto decimo (*i. e.* 814), ætatis vero suæ septuagesimo secundo, et ex quo regnare cœperat quadragesimo quinto, septimo Kalendas Februarii. Appropinquantis finis complura fuere prodigia, ut non solum alii, sed etiam ipse hoc minitari sentiret. Per tres namque continuos vitæque termino proximos annos, et solis et lunæ creberrima defectio. Et in sole macula quædam atri coloris septem dierum spatio visa. Ipse quoque cum ultimam in Saxonia expeditionem contra Godefridum regem Danorum ageret, quadam die cum ante solis ortum castris egressus iter agere cœpisset, vidit repente delapsam cœlitus facem cum ingenti lumine a dextra in sinistram per serenum aerem transcurrere : cunctisque hoc signum quod portenderet admirantibus subito equus quem sedebat capite deorsum merso cecidit, eumque tam graviter ad terram elisit, ut fibula sagi rupta, balteoque gladii dissipato, a festinantibus qui aderant ministris exarmatus, et sine adminiculo levaretur, jaculum etiam quod tum forte tenebat manu, ita elapsum est, ui viginti vel eo amplius pedum spatio longe jaceret. Sepultus est in basilica quam ipse Aquisgrani palatii ædificaverat propter amorem Dei et Domini nostri Jesu-Christi, et ob honorem sanctæ et perpetuæ virginis genitricis ejus Mariæ. In hac sepultus est eadem qua defunctus est die. Arcusque supra tumulum deauratus exstructus est, cum imagine et titulo hoc modo descripto ; *Sub hoc conditorio situm est corpus Caroli Magni atque orthodoxi imperatoris; qui regnum Francorum nobiliter ampliavit, et per annos quadraginta septem feliciter rexit.*

Imperium Ludovicus prudenter administrat. Dividit inter filios. — Post cujus excessum Ludovicus, cognomento Pius, adeptus sedem imperii, magno moderamine per annos viginti quinque Francorum regnum disposuit. Et fines regni quos pater ejus pugnando longe lateque dilatavit, hic sapienter prævidendo undique ab hostibus custodivit. Nam et Græcorum calliditates et caviliationes prudenti consilio devitavit, et Sarracenorum perfidiam, qui ab Hispaniæ partibus erumpere cupiebant, fortiter compescuit, et Danorum audaciam virtute terruit. Habuit filios tres, scilicet Lotharium, Ludovicum, atque Pipinum. Defuncta conjuge priore, duxit alia, Judit nomine : ex qua suscepit Carolum. Divisiones vero regni inter liberos ita fecit, ut Lotharius, qui major natu erat (cui et imperii concessit insignia) post se regnum Italiæ obtineret, et partem Franciæ quam Mosa et Rhenus flumina inter se includunt, partemque Burgundiæ : Ludovicus vero Germaniam, hoc est, Bavariam et Saxoniam, et reliqua regna quæ Carolus Magnus pater suus bellando subegerat, id est, Pannoniam, Daciam, Istriam, Liburniam, atque Dalmaciam ; barbaras quoque gentes, quas tributarias fecerat, qui sunt Veletabi, Sorabi, Abodriti, Boemani, et reliqui, quos longum est enumerare. Has omnes gentes memoratus Augustus Ludovicus omni tempore vitæ suæ habuit subjectas. Pipino etiam concessit regnum Aquitaniæ cum Vasconia, et omnem terram usque Hispaniam quam Carolus subjugaverat.

Herlegaudus abbas S. Benigni. Diploma Ludovici Pii ad instaurandam S. Benigni ecclesiam. — Carolus, qui minimus erat natu, adeptus est Franciam, atque Burgundiam, et Neustriam : de qua re indignati sunt fratres sui, vel quia ex alia matre natum nolebant eum sibi æquari, vel quod principalis et melior pars regni ei collata fuisset a patre. Unde post mortem Augusti grave exortum est bellum inter eos ; sed quamvis in hac pugna vires exercituum Francorum contulerint (16), et exteris occasionem rebellandi contulerint, tamen quod a patre eorum factum fuerat immutare non valuerunt. Ad extremum Carolus regnum etiam Aquitaniæ obtinuit. Pipino siquidem ante patrem defuncto remansit filius, Pipinus et ipse vocatus. Quem minus utilem ad regnum gubernandum videntes primates sui et prinripes, ad Carolum se contulerunt. Hujus principis præsentiam adiens Herlegaudus (quem supra

(16) *Contulerint.* Imo *contuderint.*

retulimus hujus loci abbatem fuisse) suggessit auribus serenitatis ejus basilicam Sancti Benigni martyris esse dirutam, nec se habere qualiter eam restauraret. Unde Augustus commonitus pia sollicitudine scripsit principibus et magnatibus suis ita: In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi divina ordinante providentia imperator Augustus, Amadeo comiti, Ileliæ et Waldo, Isembardo et Barberto vassis nostris. Notum sit vobis quia volumus ut adjutorium faciatis Herlegaudo diacono ad restaurandam et recooperiendam ecclesiam Sancti Benigni martyris Christi: propter illam scilicet rationem, quia compertum nobis est, quod vos de ratione ejusdem ecclesiæ beneficia habeatis, et nonas et decimas in omnibus dare faciatis, quia justum est; propterea constituimus vobis, ut ad restaurandam illam ecclesiam et cooperiendam, adjutorium præstetis. Videte ut omnino impleatis, atque expressum vobis demandamus, ut nullam exinde habeatis negligentiam, si gratiam nostram vultis habere. Et ut certius cognoscatis hanc nostram esse jussionem, de annullo nostro jussimus sigillari. »

Albericus Lingon. episcop. disciplinam monasticam, Heleberto coepiscopo abbatiam gerente, resarcit. — Eo tempore præsidebat Lingonicæ Ecclesiæ domnus Albericus pontifex. Defuncto prænominato abbate Herlegaudo, jam pene dilapso monastico ordine, in hoc loco suscepit curam regiminis memoratus episcopus Albericus, dans pastorem congregationi hic commanenti Helebertum sub eo coepiscopum. Quo tempore factæ sunt plurimæ commutationes vel coemptiones terrarum, tam ab ioso pontifice, quam a rectoribus loci istius: inter quæ facta est commutatio a Seraphim abbate Besuensis loci, cum ipso Herleberto coepiscopo. Dedit Herlebertus in villis Luco et Verona quidquid erat juris Sancti Benigni, et Seraphim econtra tradidit terras sancti Petri quæ erant in Divione, et in fine domni Petri, et Longo Vico, et in Canavis, et in Arzilarias, et Tremoledo, et Fontanis, et Proviso, et Disto. Item Albericus episcopus et Fulchrius concaminaverunt terras. Dedit Fulchrius in fine Saciacensi campos tres, et Albericus episcopus dedit ei in Izizodoro campum unum, et unum pratum. Item cum Alderanno fecit prædictus episcopus concamium. Dedit Adalrannus infra castrum Divion mansum unum, et foras muros campos tres in loco qui dicitur Petraficta. Et Albericus episcopus dedit econtra in Divion vico peciolam de terra, et in fine Tremolensi campum unum. Item Baldo præpositus, et cæteri cum eo clerici, cum Leotaldo presbytero commutaverunt terram. Dedit Leotaldus peciolas duas de terra: una est juxta Divion castrum, alia in loco qui dicitur Petraficta: fratres dederunt Leotaldo presbytero terram in fine Tremolensi.

Mortuo Ludovico Pio, dissident filii. — Ludovico Pio terreni insignia regni anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo quadragesimo, perpetua felicitate commutanti, filii ejus gravi pernicie in semet dissidentes, unitum prius pulcherrima de diversis nationibus compage Francorum regnum fœda sectione sciderunt. Qua de re contigit, ut dum optimates aulæ uniuscujusque filiorum regis adversus alterutrum affectare se simulant gratiam, quidquid utile sibi fore existimassent, expetere non dubitarent. At regii adolescentes dum sibi quisque consulit, et ne alter ei præferatur, cavet, injustis aliquando petitionibus, invito nihilominus aliquoties animo, favere cogebantur. Unde factum est, ut locus iste grave dispendium pateretur possessionum, quæ usque tunc temporis habuisse visus est, id est Masciacum in pago Lingonico, Posciacum et Fontem-Laguis (17) in pago Laticensi, Visernacum in pago Tornodorensi, Vulnonem in pago Senonico, amisit.

Exorta, ut diximus, discordia inter fratres, tunc demum inter regni primores conglobantur horribilia bella veluti intestina: deseritur custodia littorum Oceani maris: augescit numerus hostium, crescit innumerabilis multitudo Normannorum, Danorum atque Britonum. Fiunt passim Christianorum strages, deprædationes, vastationes, incensiones. Capiuntur quascunque adeunt civitates nemine resistente. Capitur Burdegala, Petragorium, Xantonum, Lemovigas, Engolisma, atque Tolosa, Andegavorum, Turonensium, perinde et Aurelianensium civitates pessumdantur. Ad ultimum videntes reges sua discordia addi vires extraneis, et damna civium esse lucra hostium, pacificantur inter se primum; tum deinde cum hostibus, qui regno eos expellere non potuerant, pactum cum eis ineunt; et quod armis tueri debuissent, pecuniis redimunt.

Lotharius imperator. — Lotharius igitur obtinens imperii sceptra, contentus fuit parte regni cum Italia atque urbe Roma. Eo tempore Saraceni invadentes urbem Romanam, spoliaverunt sepulcra apostolorum, et cætera sanctorum loca. Anno qui fuit ab Incarnatione Domini octingentesimus quadragesimus quartus Lotharius habuit filium nomine Ludovicum, quem cupiens sibi successorem fieri, ut coronam imperii sumeret, misit Romam, et cum eo Drogonem Metensem archiepiscopum, suum scilicet avunculum, et reliquos principes regni sui. Qui venientes Romam nimis austere egerunt cum Romanis, unde animos eorum ad rancorem concitaverunt. Accepto imperio domum reversus non longe post decessit; scriptum in gestis ponticum Romanorum.

Ingelrannus Divionensis cœnobii curam gerit. — Per idem tempus defuncto Herleberto coepiscopo qui vices pastoris in hoc loco tenuerat, successit ad regimen animarum Ingelrannus idem in ecclesiasticis gerens officium. Hic fecit commutationem de terra in Marcenniaco cum Madalgerio quodam, dans ipse de terra Sancti Benigni campum habentem in longum perticas viginti quinque, et recipiens ab illo duplum. Obeunte itidem Alberico episcopo Lingonum, Theutbaldus episcopus adeptus est cathedram,

(17) *Fontem Laguis.* Supra. *Fons Lagnis* scribitur

Hic, sicut prædecessor suus, studiosus hujus loci cultor, fecit commutationes terrarum in aliquibus locis cum quibusdam hominibus. Cum Adalsavo commutavit terram in Fontanas subteriores, cum Alberto in Plomberias, cum Wldegerio in fine Domiso. In diebus ejus dedit Leotaldus presbyter, unus ex clericis hic commanentibus, in isto burgo, et in fine Tremolense partem hæreditatis suæ : et alter clericus, nomine Olisius, vendidit habitantibus isthic de sua hæreditate in Longo vico, et in Ficiaco. Sed et Geraldus presbyter commutavit cum Usuardo terram in Longo vico, recipiens procamium in Hariaco, quod utrumque est juris Sancti Benigni. Ipso tempore quidam, Balduinus nomine, dedit ad hunc locuta in Fontanis villa terram hæreditatis suæ. Similiter Odolberga et filii ejus dederunt in Divion mansum unum : sed et Warnerius cum uxore sua in Merneolo dedit jornales quatuor. In pago quoque Cabilonensi villa Rubiliaco dedit Constantinus quidam mansum unum. Hainardus etiam presbyter vendidit rectoribus hujus loci res suas, sitas in villa Norvia. Alter quoque presbyter, Hirsonnus nomine, in villa Fontanas vineam suam tradidit. Adalranus quidam in eadem villa campum unum similiter pretio distraxit. Necnon et Ebbo cum uxore sua et filio, in pago Alsense in villa Sermatiæ et in Vitriaco mansum, cum omnibus quæ ad ipsum aspiciunt, dedit. Cum Samsone vero commutavit prædictus pontifex Theutbaldus terram in villa Alberici, Curtis vocata. Sed et ubicunque potuit res hujus loci immeliorare curavit.

Isaac Lingon, episcopus abbatiam Divionensem restaurat. — Post cujus obitum domnus Isaac suscepit præsulatum. Hic prædecessorum bonum sequens exemplum, nec ulli eorum passus esse inferior, hunc locum non solum excoluit, verum etiam in duplum, quam antea fuisset, statum ejus augmentavit. Basilicam sancti Benigni jam pene dirutam in pristinum statum restauravit : monachicum ordinem restituit, possessiones ad victum eorumdem monachorum addidit. Hæc autem omnia, adhorante pariter et adjuvante præcelso rege Carolo, perfecit.

Carolus Calvus imperator. Secunda Northmannorum in Galliam irruptio. — Idem vero inclytus rex Carolus, anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo septuagesimo primo regens Francorum regnum, erga cultum Ecclesiæ Dei fuit studiosissimus. Quapropter multa evicit pericula, et regni ejus semper augmentabatur gloria. Defuncto siquidem, ut jam dictum est, Pipino fratre suo rege Aquitaniæ, filioque ejus in regno subrogato, moderationem regni non strenue agens, a suis derelictus ac dejectus est, et monachus in monasterio S. Medardi factus. Carolus vero a cunctis principibus expetitus, Aquitaniæ regnum est adeptus. Post non multos etiam annos mortuo Lothario imperatore fratre ejus, Carolus suscepit imperium. Sed Ludovicus alter frater cupiens jungere monarchiam regni, iterum contra Carolum bellum concitat, Norhmannos cæterasque gen- A tes in regnum Caroli evocat. Auxiliante autem Domino Carolus fratrem de finibus suis expulit, et Northmannos intra Neustriam compressit. Hæc fuit secunda irruptio Northmannorum in Franciam. Aliquantis transactis annis Ludovicus defunctus est, relinquens tres filios, Ludovicum, Carlomanum, et Carolum.

Caroli pietas. Multa confert S. Benigno. — Carolus igitur imperium adeptus, ecclesiarum Dei cultor devotus, nisu quo potuit studebat in cultu religionis depravata corrigere, destructa reædificare, collapsa erigere. Unde inter cætera comperiens locum hunc pene in nihilum redactum, commovit ex hoc venerabilem Isaac episcopum, quatenus reparari posse in pristinum statum, promittens se in omnibus ad- B juturum. Dedit igitur isdem inclytus rex Carolus ad hunc locum restaurandum, et in usus ac stipendia monachorum in hoc loco Deo famulantium, in suburbio Divionis castri terram indominicatam, ubi seminantur modia centum quinquaginta : vineas ubi colliguntur vini modia quingenta : prata ubi secantur carra fœni quinquaginta : sylvam ubi saginantur porci sexcenti : forestem piscium a ponto Divionis usque ad villam Floriacum : farinarios sex ; colonicas decem : mercatum pariter et burgum simul et districtum, colonicas sex, et quinque in Lariaco, colonicas decem in Bisico, colonicas sex et semis in villa Colonicas dicta ; in Siliniaco colonicam unam ; in Diemensi colonicas semis ; in Sconsio colonicas sex, in Villari colonicas tres, farinarios duos : in C Lentennaco colonicam unam et semis, in Girone colonicas duas, inter Corcellas et Flaviniacum colonicam unam ; in Proviso colonicam semis, in Camboio colonicam semis : inter Patriniacum et Marcenniacum colonicam unam : in Quitiniaco colonicas duas, in Sacunino colonicam unam ; in Cromaco colonicas duas ; in Aguliaco capellam habentem mansum unum et semis ; in Ruffiaco colonicam semis, et medietatem de Scoriaco villa : in Casnedo colonicas semis ; in Bargis colonicam unam ; in Missiniaco colonicas tres ; in Norgia colonicam unam. Item in aliis Corcellis colonicam semis, in Aziriaco villa quidquid Sanctus Benignus habere videtur, scilicet capellam cum colonica una, et aliis colonicis sex et semis, et farinario, et terra indominicata, ubi possunt seminari modia centum, et prata ubi pos- D sunt colligi fœni carra centum et quinquaginta. In villa Carle mansum indominicatum cum capella, et quidquid ibi videtur accipere : in Prunido mansum indominicatum, et quidquid ad ipsum mansum attinet, cum omnibus appenditiis, rebus et mancipiis suis. In Jusiaco colonicas duas ; in Campaniaco colonicam unam ; in Ateis colonicas duas. Has res omnes cum mancipiis desuper commanentibus utriusque sexus, dedit memoratus Carolus servis Dei monachis, in isto loco Domino servientibus et futuris temporibus permanentibus, ut pro se et conjuge, necnon et liberis, atque totius regni statu Domini implorent clementiam ; idque præcepti sui firmavit

auctoritate, ut nullus posterorum de eisdem rebus quidquam distrahere audeat, aut minuere, aut in alios usus retorquere.

Berthilo coepiscopus et abbas S. Benigni. Isaac jus eligendi abbatis concedit. — Isaac igitur venerabilis episcopus congregavit in hoc loco monachos sub coepiscopo et abbate, nomine Berthilone ; qui regulariter viverent, et Deo in perpetuum deservirent, et de omnibus quæ inclytus princeps per præcepti sui munificentiam contulerat, privilegium eidem concordans episcopalis auctoritas edidit. In quo privilegio in primis habere propriam electionem succiduis temporibus ex ipsis secundum regulam sancti Benedicti abbatem eligere monachis istius loci concessit. Eum vero qui electioni fratrum contradicere, seu eidem congregationi aliquam vim inferre, vel familiam affligere, aut aliquid ab eodem monasterio auferre, seu de rebus præscriptis beneficiare alicui præsumpserit, sua ac coepiscorum auctoritate excommunicatum æternæ damnationis maledictione mulctandum, ac sancti Benigni, qui præjudicium inferre voluerit, ultione damnandum, insuper anathema maratana est imprecatus. Huic excommunicationi archiepiscopi quinque, et episcopi decem numero subscripserunt : ac deinde omnes qui post eum fuerunt Ecclesiæ Lingonensis episcopi.

Multa ablata S. Benigno restituuntur. — Anno vicesimo sexto domni Caroli regis, qui est ab Incarnatione Domini octingentesimus sexagesimus sextus, residens Isaac episcopus et Odo comes, vel cæteri missi dominici in Luco villa in mallo publico ad res audiendas vel judicandas, venit Alcaudius advocatus Sancti Mammetis Sanctique Benigni, et Sancti Stephani, vel ipsius domni Isaac episcopi, mallavit quemdam Hildebrannum, quod ipse et sui Franci, suique servi in fine Saciacensi, Bruciacensi, et Gonliacensi in terra vel in sylva Sancti Benigni quercum unum truncassent : et quia tunc res non fuit definita, in sequenti anno, in ipso mallo et eodem loco, iterum prædictus Advocatus eumdem hominem repetiit, eamdem quærimoniam ingerendo. In tertio vero anno in curte Arnonis ipso domno Issac episcopo, Odone comite, Hildeberto abbate, Bertranno atque cæteris missis Dominicis mallum gerentibus, iterum Alcaudius interpellavit prædictum Hildebernum, quod res Sancti Benigni, prædictam scilicet Saciacum-villam cum appenditiis suis injuste retineret. Tunc judicatum est a prædictis Scabineis, ut aut legem de male perpetratis faceret et revadiaret, aut quod injuste tenebat legaliter redderet. Quod et fecit, et sancto Benigno vi ablata restituit. Hanc autem notitiam ideo huic operi inseruimus, ut ostenderemus supra scriptam proprietatem Saciacensem ab antiquis temporibus juris hujus loci fuisse, quamvis multoties et ante hæc tempora, et postea, fuerit sublata. Villam etiam quæ Longus-Vicus dicitur, quæ similiter fuerat ablata a dominatione hujus loci, reddidit nobis

A præcellentissimus imperator Carolus, cognominatus Calvus, cum ecclesiis et omnibus rebus ad eamdem villam pertinentibus. Similiter Albiniacum in pago Portuensi : ipsam videlicet potestatem cum ecclesiis et terris. Insuper constituit per præceptum regalis potestatis, ut nullus deinceps audeat præripere vel auferre memoratas res a subjectione hujus Deo dicatæ Basilicæ.

Bertillo igitur coepiscopus et abbas in hoc loco constitutus cœpit erga curam officii sibi commissi satagere, et possessiones vel dono vel pretio datas, aut commutatione terrarum factas studuit augmentare. Emit igitur a Fulcardo præposito ecclesiæ Lingonicæ, dato septem librarum in pretio, in Aziriaco-villa mansum unum, et terram arabilem

B in novem campos divisam : dedit et Fulcardus presbyter in eodem loco campum unum Deo et Sancto Benigno. Vendidit Eldejarnus in eadem villa terram ubi possunt seminari modia sex. Alter quidam Eleardus vocatus, vendidit quatuor mansa cum ædificiis et suprapositis in eadem villa. Alius quidam Mummius vocatus, veniens ad conversionem in hoc monasterio dedit mansa quatuor cum appenditiis suis in eadem villa. Commutavit prædictus abbas Bertillo cum supra nominato Fulcardo mansum unum in eadem villa Aziriaco. Cum alio quodam vero, Bernoart vocato, commutavit terram in fine Longo-vici villa Gorcellis, recipiens ab eo scamium in eadem villa, loco Cassanias vocato.

C *Saro abbas.* — Considerans domnus Isaac episcopus Bertillonem coepiscopum et abbatem ad utrumque officium non posse sufficere, quoniam tunc temporis res ecclesiasticæ simul et publicæ in magno erant discrimine ob infestationem paganorum, perturbato regni statu, Saronem abbatem constituit ei socium ad regimen et curam animarum ; ut dum iste adjuncto cœtu fratrum divinis studet intendere theoriis, ille liberius ecclesiasticis inserviret ministeriis. Dederunt per idem tempus aliqui de rebus suis ad stipendia fratrum augmentenda, prout unicuique eorum divina inspiravit clementia. Dedit Ludovicus quidam presbyter in Aziriaco campum unum et pratum, atque servum colonum. Dedit Vindricus in Patriniaco vineam unam ; et Moyses in Gangiaco, in Arsis casale unum, vineam unam, de terra arabili jornales

D quatuordecim. Bertha comitissa pro remedio animæ viri sui Unfredi comitis dedit in pago Dusmense, in villa, Colonicas vocata, mansa tria cum servis et ancillis desuper commanentibus. Dedit Richardus quidam de nobilibus in pago Belnensi, in villis Santiliaco, Mammiaco, Cussiniaco, et in pago Magnimontensi, in villa, Alba-terra vocata, hæreditatem suam. Dedit Teudfredus presbyter ad conversionem veniens, in Bargis mansum unum, terras ei subjunctas, et in Divion vico mansum semisque, et terras arabiles. Dedit Gislebertus ecclesiam in Salviniaco sitam, et mansum cum atrio, et sepultura, et hortum cum ædificiis circumpositis, et terris, et man-

cipiis, et silvam, ubi possunt saginari porci quadraginta.

Sed et terras, quæ nuper ablatæ fuerant ab hujus loci dominatione, in Bargis, in Escoriaco, in Siliciaco, repetierunt tunc Isaac episcopus, et Bertillo coepiscopus et abbas, ab iis qui eas invaserant. Commutavit idem domnus Isaac episcopus cum Eppleno quodam ex nobilibus in Divion castro commanentibus, terras ipso milite postulante. Dedit igitur Epplenus de suo alodio proprio Isaac episcopo ac monachis hujus loci in villa Corcellis, in Caviniaco, in Quintiniaco, in Criciaco, Briscono, Tremoledo. E contra domnus Isaac dedit Eppleno in villa Casnedo mansum unum cum omnibus appenditiis suis.

Isaaci episcopi liber Canonum. Mors, sepultura. Successit Gello. Vita functus Carolus rex. Ludovicus Balbus rex. Dani tertio in Gallias irruunt, sed ab Hugone abbate expelluntur. Carolus rex. — Idem venerabilis Isaac episcopus fecit et alia multa utilia in episcapatu suo, monasterio corrigendo, ecclesias relevando. Composuit et librum qui dicitur, Canones Isaac; eo quod ex libris canonum utiliora quæque eligendo, in unum volumen coarctaverit. Peractis in episcopatu annis viginti quinque, obiit Catalaunis, sepultusque est Remis; inde post aliquot annos Argrinni episcopi studio et regis Caroli Simplicis vocati, dono translatus jacet in hac basilica condigno honore tumulatus. Cui successit Geilo in episcopatum, et ipse inter præcipuos egregius.

Carolus imperator secundo ire Romam disponens, Italiam ingreditur. E contra Carlomanus Ludovici regis fratris ejus filius, per aliam viam eamdem terram ingressus, cum immenso exercitu fit ei obvius. Carolus vero Galliam reversus, atque fines Lugdunensium pertingens, ibidem vita defunctus est. Atque in monasterio apostolorum Petri et Pauli conditus, loco cui dicitur Nantoide a multitudine aquarum ibi confluentium. Postmodum per admonitionem angelicam inde translatus, Parisiis in ecclesia Sancti Dionysii regali sepultura est tumulatus. Successit patris in solio Ludovicus, biennio vix regio nomine functus. Hujus in diebus Joannes papa Romanus Franciam venit, et apud Trecas civitatem cum eodem rege collocutus, parvo tempore ibidem moratus, sicque Romam est reversus. His diebus effera Danorum natio tertiam Neustrasiis inflictura cladem advenit. Intulissetque majorem superioribus, ni Hugo per Gallias abbatis honore præditus eorum temerarios compescuisset ausus. Auxiliante namque Deo parva manu tantas hostium phalanges fudit, ut vix superesset qui nuntiare potuisset. Qua plaga humiliati Dani Gallias per aliquod spatium temporis quietas reliquerunt. Huic bello præfuit Ludovicus rex. At Hugone ultimos vitæ suæ claudente soles, Ludovicoque principe post administratum, ut diximus, biennio regnum, diem obeunte, Carolus, qui postea Simplex est dictus, in cunis ævum agens, patre orbatus remansit. Supererant duo filii Roberti Andegavorum comitis, fratres Hugonis (18) abbatis. Senior Odo dicebatur, Robertus alter patrem nomine referens. Ex his majorem natu Odonem Franci tutorem pueri, regnique elegere gubernatorem, quia recidivi Normannorum excursus imminebant. In partibus vero regni, quæ Lotharius et Ludovicus tenuerant, filii ejusdem Ludovici regnabant. Nam Lotharius sine filiis obierat. Ex his tribus fratribus unus patris nomine vocatus, alter Carlomanus, tertius Carolus est dictus. Sed duobus intra quinquennium defunctis, ad junionem Carolum rerum summa pervenit, postque imperii monarchiam est adeptus. Ad hunc accedens domnus Geilo reverendus antistes petiit, ut de quibusdam rebus ab hoc loco substractis, et a se restitutis, præceptum regalis auctoritatis fieri juberet. Quod ipse libenter annuit, et per præceptum constituit, ut duodecim mansa in villa Homberias ad luminaria ecclesiæ Sancti Benigni delegata, nullus in posterum ab hac domo alienare, vel ab ipso ministerio auferre præsumeret. Quod scriptum fuctum est anno ab Incarnatione Domini octingentesimo octuagesimo quinto, imperii vero ipsius Caroli in Italia quinto, in orientali Francia quarto, in Gallia primo, post obitum Caroli Calvi decimo.

Carolus moritur. Northmanni per Galliam grassantur. Odo rex constituitur. — Refert quidam scriptor in eo opere, quod metrico stylo composuit de excidio Parisiacæ urbis, quo per septem annos a Northmannis obsessa, atque vastata est, hunc Carolum congregato immenso exercitu expugnare Nortmannos voluisse. Quod illi audientes legatos mittunt ad Carolum, promittunt se ei subjici, cuncta ab eo imperata facere, ad quod voluisset paratos fore, tantum si permittantur intra regnum consistere, et pacifice Francis cohabitare. Quibus promissionibus delusus rex, credens vera esse quæ dicebantur intermisit bellum. Nec multo post Carolus moritur. Nortmanni vero resumpta audacia invadunt civitates Belvacensium atque Meldorum, nec non et Milidunum devastant castellum. Capitur Carnotis ac reliquæ secus undique civitates: nam in primo suo adventu Rotomagum, Ebroas, Bajocas et cæteras Neustriæ civitates depopulati fuerant. Gallias insuper pervagantur: Hispanias adeunt, Rhodanum intrant fluvium, Italiam populantur et totum Christianorum pessumdatur regnum. Interea congregati Franciæ principes consilium ineunt de magnis rebus; Odonem licet reluctantem constituunt regem. Qui mente benignus, et reipublicæ hostes arcendo strenue præfuit, et Carolo postquam adolevit sua repetenti patienter regna refudit. A quo parte regni redonatus, quaod vixit tempore hostibus terribilis exstitit. His temporibus Incarnationis Christi octingentesimus nonagesimus primus volvebatur annus.

(18) *Fratres Hugonis.* Hoc loco legendumne sit *fratres* an *fratris*, eruditi disputant. Mihi nihil mutandum videtur; atque hujus meæ opinionis rationem opportuno tempore ac loco edam.

Theodebaldus Lingon. episcop. Abbates S. Benigni recensentur.—Eo tempore defuncto Geilone episcopo, Teudbaldus Lingonicam regebat Ecclesiam : Abbatum vero hujus loci series pauluIum intermissa nunc est replicanda. Bertilone, et Sarone abbatibus ad æternam vitam translatis, successit Hingo. Saro siquidem in Pultariensi loco sibi commisso quievit. Bertilo autem moriens in hoc loco inter sepulcra sanctorum tumulari meruit. Ad cujus tumbam si fides petentium exigat, febricitantium crebræ sanitates fiunt. Anno denique Dominicæ Incarnationis 1045, Halinardo abbate hunc locum regente, decimo quinto ipsius anno, cum transferretur, quia sepulcrum ejus impediebat introitum cryptæ sancti Benigni, a parte meridiana effosso tumulo, et ad pedes ejus alia fossa præparata, qua removeri deberet ; monachis adstantibus cum crucibus et thymiamatariis, et luminaribus, multis ingerentibus manus ad movendum, quoniam immensum erat sarcofagum, subito omnes ad terram corruunt : surgentes vero inveniunt sarcofagum in præparato loco decenter compositum; et accedentes ut viderent qualiter locatus esset in tumulto, aperto opertorio fragrantiam miri odoris senserunt omnes qui adfuerunt. Et ecce corpus ejus monachili habitu indutum, stola sacerdotali auro texta erat ornatum. Caput vero ejus, quod ei fuit abscissum, corpori adjunctum; et circa idem sanguis erat coagulatus in sepulcro. Hingo igitur abbas ordinatus, licet parvo tempore, id est, triennio, agri dominici cultor fuit devotus. Nam prout potuit terrena et exteriora augmentavit; divinum vero cultum in nullo tepescere permisit. Quæ autem in diebus ejusdem vel empta seu commutata sunt in possessione agrorum, scribere non pigebit.

Waltemus presbyter quidam in Rufiaco, in Patriniaco, in Gironno dedit partem suæ hereditatis. Salamannus in Aziriaco, Flothbertus in Marcenniaco. Attila in Patriniaco. Richulfus in villa Asinarias. Deodatus quidam de nobilibus veniens ad conversionem, in villa Attegias dedit mansum cum supra posito, et mancipiis ibi commanentibus. Bivinus dedit in villa Norvia capellam in honore sancti Valerii dicatam: mansum indominicatum cum terris et omnibus appenditiis suis. Warnerius dedit in pago Belnensi in villa, Bononicurte vocata, campum unum. Hugo quidam dedit in castello Divion cultillum val aream unam, et foris terram ibi aspicientam in ipsa fine, atque vineam. Bettho quoque presbyter, Sancti Stephani canonicorum præpositus, dedit mansum unum cum supraposito, atque ædificiis in villa Curte Mulnisæ in pago Divionensi. Fulchradus vendidit ipsi abbati in Aziriaco campum unum. Teudegerius alterum, Accepit in commutatione a quodam Huberto in Canavis terram et vineam juxta sitam dans ei in Salonis villa campum unum. Similiter fecit cum Euvrardo, dans in Aguliaco casale cum vinea, et campos duo de terra arabili, et recepit ab eo in villa Burgis mansum

A unum cum supraposito, omniaque in ipsa villa vel in Norvia ad ipsum mansum aspicientia.

Defuncto Hingone successit Hildebrannus in regimine. Et hic paucis annis transactis ad cœlestia regna migravit. Hi ambo sub Geilone episcopo præfuerunt in hoc monasterio. Post Hildebrannum abbatis officium suscepit Godefridus tempore Teudebaldi episcopi. Sed post aliquantos annos, et istos migrante, suscepit Walo curam regiminis. Horum uterque præfuit tempore Odonis regis. Eo tempore Richardus dux Burgundiæ reddidit Sancto Benigno mansum unum cum vineis et terris aliis juxta ipsum positis, et ad ipsum aspicientibus, situm in proximo pago Belnense, et in villa Giuriaco. Huic rei interfuit Theudebaldus episcopus, Girbaldus,
B Wido ac Radulfus comites, Madelgaudus Oscarensium vicecomes, Guntrardus Sancti Benigni hujus rei testis et advocatus. Actum Longo-vico in mallo publico.

Ablatum Francis imperium. Galliæ regnum in summo discrimine.—Anno incarnati Verbi octingentesimo nonagesimo tertio, Odone regnante in Francia, Arnulfo in Italia atque Saxonia, Carolus jam juvenis regni repetiit sceptra, atque memoratus Arnulphus imperii invasit monarchiam. Tunc primum a Francorum regibus ad extraneos translatum est imperium, principibus regni vilipendentibus Carolum ob mentis tardum ingenium, Odone rege duodecimo anno regni sui defuncto, qui quoad vixit, hostes fortiter compressit. Reciprocati Northmannorum
C et Danorum insurgunt fluctus. Hingari ab Aquilone, Saraceni a meridie ac finibus Hispaniæ prorumpentes, in interitum confluunt Galliæ : per omnia sævit gladius, cuncta dantur incendio, sanctorum loca traduntur exterminio.

Vastata Burgundia. Richardi ducis filii. — His undique sævientibus malis, contigit corpus S. Benigni ad civitatem deferri Lingonis: præsidebat tum illi Ecclesiæ domnus Argrinus, pastor in cura hujus loci valde sollicitus. Monachorum vero habitantium in isto loco abbas erat nomine Lauterius, ad ipsum officium valde studiosus. Burgundia tunc vastata est a Northmannis; quibus occurrens præfatus dux Richardus in loco, vocato Argentoilo, commisso cum eis prælio, cæsa est eorum quam plurima multitudo: sicque Dani humiliati retro redire sunt coacti. Ite-
D rum apud Carnotum, socio Roberto duce, Odonis regis fratre, Richardus cum Northmannis dimicavit, et eorum innumeram multitudinem occidit. Habuit isdem Richardus filium, nomine Rodulphum, qui fuit rex Francorum. Alter filius vocatus est Boson, qui Burgundiæ superioris, quæ Gallia comata dicitur, accepit regnum. Tertius filius dictus est Hugo, cognomento Capito, qui fuit dux inferioris Burgundiæ. Exorta discordia inter Carolum et regni principes, lites et bella, rapinæ, et incendia, innumera undique sæviunt mala. Tandem rex facti pœnitens principes ad concordiam commonet, pacem exoptatam cum eis firmat.

Abbatia S.Joan·datur S.Benigni monachis.. — Hic Carolus rex petente Richardo duce, et Manasse comite, fecit nobis præceptum de abbatia Sancti Joannis, et cunctis ad eam pertinentibus rebus. Exstitit eo tempore Ademarus quidam illustris vir ex senatoribus, multas habens possessiones tam in Divionensi pago, quam in aliis regionibus, scilicet pago Turonensi, Aurelianensi, Senonico, Autisidiorensi, Tornodorensi.Ipse Ademarus et conjux ejus, Lampaia nomine, dederunt sancto Benigno mansum unum indominicatum cum supraposito,terrisque ad eum pertinentibus ac silva : qui mansus est in villa Ruffiaco ; et aspiciunt ad ipsum mansum, exceptis indominicatis terris,coloniæ et mansa vestita septem, et quinque absi. Dedit et mancipia utriusque sexus numero quadraginta octo. Dedit ecclesiam sancti Gregorii nomine sacratam, in Escoriaco villa positam, et quidquid ad ipsam aspicit, cum omnibus quæ possidebat in prædicta villa Escoriaco. Dedit et capellam suam mobilem et specialem cum reliquiis sanctorum,scilicet sancti Salvatoris,et sanctæ Mariæ, aliorumque sanctorum ; crucibusque tam aureis quam argenteis ; et capsis, vestimentisque, et omnia ornamenta ipsarum reliquiarum. Post mortem vero ipsius Ademari, Lampaia uxor ejus dedit ad altare sanctæ Mariæ in hoc loco constitutum,quod caput ecclesiæ dicebatur ab antiquis, in comitatu Tornodorensi Stolivicum, et mansum indominicatum prope Stolivicum, in loco qui vocatur Sairocurte, cum omnibus appenditiis suis et mancipiis utriusque sexus desuper manentibus.

Conferuntur plurima S.Benigno.—Argrinus igitur laude dignus episcopus, in augmentatione rerum hujus loci ferventissimus, donavit ad communem utilitatem fratrum abbatiam Sancti Joannis, quam quidam Fulbertus monachus beneficiario jure tenebat : concessit et mercatum annuale ad vestimenta fratrum emenda,medietatem quæ ad se pertinebat. In Aziriaco etiam villa decimas, et paratam, et omnes redditus ipsius ecclesiæ,quæ tunc cella erat monachorum hujus loci, supplicante Lanterio abbate, ad usus eorumdem monachorum perdonavit. Similiter fecit de ecclesia quæ est in Longovico, et de capella,quæ est id Prunido, quam deputavit ad servitium infirmorum; et ecclesiam supra scriptam Sancti Joannis ad servitium hospitum. Reddidit insuper mansa novemdecim in diversis locis quæ tempore Teubaldi episcopi antecessoris ejus ablata fuerant, et in beneficium data cuidam Widoni. De his omnibus quæ præmisimus fecit privilegia episcopali auctoritate, contestans et monens succedentes pontifices, ut hanc a se factam eleemosynam paterno affectu illibatam custodiant, quatonus orationes et vota famulorum Dei in hac domo consistentium, tam ipsis quam cæteris fidelibus vivis atque defunctis sint proficuæ ante Deum. Qui vero de his aliquid subtrahere, aut beneficiare, vel quocunque modo auferre conatus fuerit, anathematis gladio percussit,nisi resipuerit. Fecit idem domnus Argrinus episcopus cum abbate Lanterio commutationem terræ infra castrum Divion. Dedit episcopus juxta murum castelli aream habentem in longo perticas ancingales novem, et per latum perticas octo. E contra dedit Lanterius abbas et monachi areas duas, habentes utraque perticax sex in longo, et per transversum una area perticas quatuor, alia perticas quinque. Ex omni parte terra Sancti Stephani. Eo tempore dedit Manasses comes Sancto Benigno mansum indominicatum in Longo vico, cum mancipiis utriusque sexus desuper commanentibus,et terris ad ipsum mansum pertinentibus, tam in ipsa fine,quam in aliis villis positis,ea conditione, ut in vita sua retento sibi fructu, singulis annis festivitate sancti Mauricii congruam refectionem exhiberet monachis ; post mortem vero ipsius in ejus anniversario die similiter decens refectio de ipso manso exhibeatur fratribus ; quod superfuerit eorum utilitatibus profuturum. Hujus doni laudatores et testes fuerunt Walo filius ejus, et Manasses comes junior.

Dedit et Ricardus supra memoratus dux ad ecclesiam Sancti Antonii in Ficiato sitam, quæ est juris Sancti Benigni, mansum unum in Rovira cum servis et ancillis supermanentibus, et hoc laudaverunt Adeleia uxor ejus, et Rodulphus filius ipsius, et comites Hugo, Boso, Manasses, Gillebertus.

Dedit Milo in Saviniaco de terra jornales sexaginta, et silvam ubi possunt saginari porci quadraginta. Tantumdem dedit pater ejus Gislebertus tempore Isaac episcopi, scilicet terræ arabilis jornales sexaginta,et ad porcos quadraginta saginandos silvam, cum capella sancti Gervasii nomine dicatam. Sed et Atila comitissa pro requie animæ viri sui Milonis comitis, dedit Sancto Benigno in Dumisovilla mansum indominicatum cum casalibus super exstructis, et aliis terris ad ipsum aspicientibus.Actum Dominicæ Incarnationis anno 902 (i. e. 901),Caroli regis anno quarto.Laudatores fuerunt Girbardus comes,et Reintrudis uxor ejus,filia ipsius Atilæ.Dedit et Winebaldus quidam de nobilibus in suis villis, Marcenniaco scilicet atque Dumiso, et in finibus earum quidquid possidere videbatur, terras videlicet cum mancipiis desuper commanentibus.

Lanterius,Fulbertus et Godradus abbates.— Lanterio abbate hoc monasterium regente,venit ad conversionem quidam honorabilis homo, nomine Berengerius, qui dedit de rebus suis in villa Longoprato dicta mansum indominicatum unum, cum fonte in eo nascente,et molendino juxta posito, et ecclesiam dimidiam, quæ est in Missiniaco, et vineis, aliisque mansis ad ipsum mansum aspicientibus,qui sunt vestiti septem absi tredecim, mancipia utriusque sexus numero quinquaginta. Dedit et in pago Belnensi, villa Sentennaco, colonicam unam. Similiter Hildemodus canonicus et Arico presbyter venientes ad monachilem conversationem,dederunt in Siliciaco villa smnem hæreditatem suam. Adal-

reus etiam quidam simili devotione hunc expetens locum, dedit in Bargis villa quidquid habuit. Gotzelinus canonicus et abbas sanctæ Lingonensis ecclesiæ infra muros ejusdem civitatis, dedit mansum unus juxta ecclesiam Sancti Desiderii. Fecit commutationem Lanterius abbas in villa Carli cum quodam Rohardo, in Corcellis superiori cum Isoardo. Lanterio abbate post diuturnos labores ad cœleste bravium properanti, successit Fulbertus, et hic multorum dierum miles emeritus. Qui post annum deponens onus susceptæ obedientiæ, Godrado commisit curam regiminis, anno decimo septimo Caroli regis. Hic Godradus emit in Aziriaco ab Heldierio et uxore sua Natalia, pratum unum habens in longum perticas ancingales sexaginta quinque et in latum perticas triginta duas. Domnus igitur Argrinus, relicto episcopatus honore, monachus est effectus in hoc monasterio, ac post biennium defunctus, honorifice traditus est sepulturæ intra septa hujus ecclesiæ.

Warnerius episc. Lingon. et Godradus abb. S. Benig. — Successit ei denique in cura pastorali domnus Warnerius episcopus, et ipse augmentator bonorum hujus loci devotus. Hic primo anno suæ ordinationis, nongentesimo duodecimo videlicet incarnati Verbi, indictione quindecima, residens in synodo in gremio matris ecclesiæ Sancti Mammetis coram archidiaconibus et abbatibus, atque omni clero, interpellatus est a Godrado abbate et monachis patroni nostri sancti Benigni, de quadam ecclesia infra muros castri Divion sita, sancti Vincentii honore ac nomine sacrata, quam domnus Geilo episcopus ad locum refugii et custodiam corporis sæpius dicti sancti Benigni perpetualiter eis habendam concesserat. Et de qua cum longo tempore ea usi fuissent, repulsi erant a Ratherio archidiacono et abbate canonico Sancti Mammetis, ac præposito abbatiæ sancti Stephani. Considerans ergo memoratus episcopus causas periculorum, quæ tunc frequenter imminebant Northmannorum incursionibus, cum consilio et laude ipsius Ratherii ac totius synodi reddidit ipsi abbati Godrado et monachis prædictam ecclesiam Sancti Vincentii, cum habitaculis ad ipsam ecclesiam atrii loco pertinentibus, quas ipsi monachi olim ibi ad refugii locum construxerant. De qua ecclesia fecit eis privilegium episcopali auctoritate, ut nullus succedentium deinceps aliquam vim aut calumniam sancto Benigno et monachis eidem servientibus inferret.

Gozuinus Panto, et Suavus abbates S. Benigni. — Annis septem in pastorali regimine feliciter expletis, Godradus abbas migravit ad Christum. Post quam ordinatus est abbas nomine Gozuinus. Quo post biennium defuncto, successit in locum ejus abbas, Panto nomine. Et hic in regimine expletis quatuor annis obiit. Cui successit abbas, nomine Suavus. Warnerius igitur episcopus, appropinquante obitus sui die, petiit se tumulari in ecclesia sancti patroni sui Benigni, vocatoque ad se Suavo abbate, dedit ei vice Sancti Benigni pratum unum in Aziriaco, ubi possunt secari fœni carra centum quinquaginta. Ideo vero, exceptis aliis rebus quæ mente benigna contulerat, hoc pratum dedit ut anniversaria dies obitus ejus celebriter agatur a fratribus, et refectio congrua eis præparetur ab abbate, aut ab illo cui obedientiam illam providendam commiserit. Obiens autem sepultus est in hac basilica ante altare S. Benigni. Cui successit domnus Gotzelinus in episcopatus honore, anno decimo regni Roberti : de quo quia mentio facta est, oportet dicere quomodo regnum acceperit.

Robertus regnum occupat. Carolus ab Herberto carceri mancipatur. Rodulphus Franciæ rector Northmannos expellit. — Odone rege defuncto, Robertus frater ipsius sperans et cupiens eam regni partem, quam ipse tenuerat, adipisci, quia a Carolo qui totius regni erat dominus, non reddebatur, palam tyrrannidem invasit. Et hoc post mortem Richardi ducis, qui ab exsecutione justitiæ cognomen accepit. Ipse namque quandiu vixit, Carolo regi semper fidelis exstitit. Rotbertus igitur affectatæ tyrannidis potentiam palam exercere cupiens, a quibusdam episcopis diademate se regio coronari, ac sceptro regni insigniri, partim blanditis, partim minis extorsit. Sed nequaquam hujus præsumptionis lætos habuit exitus. Denique, postquam uno regnavit anno, Suessonicis in campis bello a ducibus Caroli exceptus, vitaque spoliatus, licet exercitus ejus victoriam obtinuerit, ipse tamen nefariæ temeritatis pretium luit. Nec tamen socii defectionis interitu ejus territi, perfidiæ deseruere contumaciam. Quin potius Herbertus comes Vermendensis infando scelere dominum suum regemque totius Franciæ Carolum dolo captum, vinculisque irretitum, Peronnæ direxit tenebroso domicilio recludendum. Et quia regni status sine principe agebatur incertum, maxime cum Hugoni, Rotberti filio, qui post probis actibus Magni nomen promeruit, puerilis obsisteret ætas quominus regias assumeret infulas, et Herberti cunctos haberet odium, maxime eos quos humanitatis respectu ad misericordiam ærumna principis permovebat, tandem Rodulphus Burgundia oriundus, Richardi ducis filius, regendæ præficitur Francorum patriæ. Qui adeptus regni solium, et in malefactoribus fuit ultor severus, et in coercendis hostibus ac tuendo regno sagacissimus. Ejus in diebus Danorum atque Northmannorum iterum adveniunt phalanges, et non solum Franciam, sed etiam totam percurrunt Burgundiam. Contra quos Rodulphus, sumptis armis, ita protervos eorum compescuit incursus, ut usque nunc Gallias ab eorum invasione faciat manere quietas. Contigit tunc corpus hujus patroni nostri sancti Benigni deferri intra muros Divionis castri, ibique servari in ecclesia Sancti Vincentii (19).

Rodulphus rex favet monachis S. Benigni. — Got-

(19) Nota auctoris ætatem.

zelinus tunc episcopus regebat Lingonensem ecclesiam. Hic adiens Rodulphi regis palatium, deprecatus est una cum Manasse comite ejus clementiam, ut præcepto regali statueret de quibusdam rebus ab hoc loco ablatis, sed a suis prædecessoribus, Argrino scilicet et Warnerio, nuper Sancto Benigno redditis. Quod rex annuens, ipsas res sua regali munificentia Sancto Benigno restituit, Saciacum scilicet villam cum ecclesia, et aliis villis ibidem pertinentibus, et omnibus rebus quæcunque potestas episcopalis ibidem tenuerat. Abbatiolam etiam Sancti Joannis. Mercatum quoque die sabbati, quod est in burgo omnibus septimanis, et medietatem annalis quod est festivitate S. Benigni ; pratum etiam in Aziriaco villa, quod Warnerius antistes in fine mortis suæ concessit inibi. Mansa octo in comitatu Alsensi in villa Nermedis cum mancipiis utriusque sexus. In Gibriaco villa in comitatu Belnensi mansum unum; favente et deprecante Manasse comite. Hæc omnia præfatus Rodulphus rex concessit Deo et Sancto Benigno, anno Incarnationis Dominicæ nongentesimo vigesimo quinto, indictione tredecima, regni vero sui quarto.

Divione residet Rodulphus. — Isdem Rodulphus rex, mortuo Hugone duce fratre suo, Burgundiam adiit, residensque castro Divion mense Aprili, cum causas suas teneret Robertus comes palatii, et Gislebertus comes Burgundiæ, aliique plures tam comites quam nobiles viri, interpellatus est Robertus vicommes a Vizone advocato Sancti Benigni de quibusdam servis qui, quamvis ex illius servo, tamen ex ancilla sancti Benigni, et ex potestate et fisco Longivici nati fuissent, magisque Sancto Benigno, quam ipsi Rotberto servire deberent. Tunc in ipso Placito in præsentia principum eosdem servos werpivit, et Sancto Benigno reddidit. Promittens deinceps si aliquis parentum aut hæredum illius eos repetere vel calumniare voluisset, se testem et defensorem sancti Benigni contra eosdem fore.

Albericus abbas. Letricus, Ericus, Achardus, Vidricus episcop. Lingon.— Eo tempore dedit quidam Boso nomine, et uxor ejus Plectrudis, in Aziriaco villa, loco Wora vocato, Sancto Benigno partem unius condominæ, alteram partem emit ab ipsis Suavus abbas solidis centum. Annis decem Suavus abbas in regimine transactis defunctus est. Cujus loco Albericus ordinatus est abbas a Domino Gotzelino episcopo. Ipse vero Dominus episcopus aliquantis annis in episcopatu perdurans, obiit ; qui quoad vixit tempore, huic loco studuit prodesse pro suo posse. Quod successores ejus utinam fecissent taliter! Successit autem ei in episcopatus honore Letericus episcopus. Post hunc Ericus ; deinde Achardus, atque post Widricus. Transierunt sub his pontificibus anni ferme quadraginta et amplius, in quibus semper in deterius processit hujus loci status, episcopis et abbatibus alia magis quam id curantibus.

Rodulphus absque liberis moritur. Carolus in carcere obit. Ludovicus Transmarinus. Fulcherius et Manasses abbates. — Rodulpho rege defuncto absque liberis (nam filius ejus, Ludovicus nomine, quem habuit ex Emma regina conjuge sua, defunctus est ante obitum patris), et Carolus ergastulo clausus, animam non corpus custodia exemit ; qui dum viveret Simplex dictus est ob benignitatem animi : sanctus nunc recte potest vocari, quoniam injuste ab infidelibus suis et perjuris longa custodia carceris afflictus, vitæ supernæ est transmissus. Hic reliquit filium Ludovicum ex Eadgiva Anglorum regis filia susceptum. Qui calamitatis paternæ procellis semet involvi metuens, ad Anglos Saxones maternæ affinitatis invitatus gratia se contulit. Post excessum vero Rodulphi regis ab Hugone magno revocatus, specie tenus regno redditus est patrio, anno Incarnationis Dominicæ nongentesimo trigesimo octavo, indictione undecima. Cujus regni administratio jus dominationis exercere cupienti laboriosa illi fuit, tam sui a Tetbaldo Carnotensium comite captione, quam post regni recuperationem, vario instabilis fortunæ proventu. Hujus regni anno secundo Fulcherius abbas est ordinatus : quod officium tenuit annis quindecim, et nihil boni in hac domo gessit. Quo migrante successit Manasses abbas nomine, et ipse pejor priore.

Mortuo Ludovico superstites duo filii. Lotharius rex.— Ludovicus rex moriens duos superstites dimisit liberos, Lotharium atque Carolum, quos genuerat ei Gerberga, soror Ottonis Romanorum postea imperatoris. Carolus ævo junior privatis in ædibus senuit : in hæreditatem omnem Lotharius successit. Qui potestate regia functus est per triginta et eo amplius annos: Illo tempore Manasses vices abbatis agente, Hugo comes Divionensis veniens ad obitum, petiit se tumulari in atrio Sancti Benigni. Pro cujus requie animæ, et loco sepulturæ, dedit Adalburgis comitissa uxor ejus, cum laude filiorum ipsius, Gibuini scilicet Catalaunensis episcopi, et Richardi qui post eum hunc tenuit comitatum, et Hugonem Attoariorum comitis : prædicta conjux ipsius dedit mansum unum in Patriniaco villa, et quidquid ad ipsum mansum aspicit. Dedit ipso tempore Erimarus quidam in villa Curte Arnone vocata mansa sex, cum ecclesia inibi constructa, et mancipiis desuper commanentibus utriusque sexus novemdecim. Insuper quidquid habuit inter duos fluvios Tilam et Basmonum, dedit Deo et Sancto Benigno. Evrardus etiam pro Restantio fratre suo, hujus loci monacho, dedit in villa Corcellis mansum indominicatum unum, et omnia quæ ad ipsum mansum aspiciunt. Ado sacerdos factus monachus, dedit in Belnensi pago in villa Cussiniaco mansum unum, et terram arabilem, et pratum : similiter in Flaviniaco dedit mansum unum, et quidquid ibi vel ubicunque habuit in terris et mancipiis, Sancto Benigno tradidit. Supra scriptus Gibuinus episcopus, et fratres sui Richardus et Hugo post obitum matris, pro requie animæ ejus atque

patris sui, dederunt hæreditatem quam habebant in villa Missiniaco, quam terram dedit Manasses abbas in præstariam cuidam nobili feminæ Retrudi, et filiis ejus Gotescalco, et Willerio. Similiter in villa Bargis dicta dedit viginti septem jornales de terra eidem Retrudi in præstariam. Retrudis altera dedit Sancto Benigno juxta Divionem super Oscaram fluvium molendinum unum, et octo jornales de terra arabili in eodem loco.

Bruno Ling. episc. Diœcesim deformatam ad pristinum splendorem revocare studet. Azo abbas. — Anno ab Incarnatione Domini nongentesimo octogesimo, indictione octava, regni Lotharii regis vigesimo quinto anno, denit idem rex Brunoni Remensis ecclesiæ clerico, suo vero parenti propinquitate consanguinitatis existenti, Lingonicæ civitatis episcopatum. Ordinatus est autem idem Bruno episcopus per manus Burchardi Lugdunensis archiepiscopi, in ecclesia Sancti Stephani, viginti quatuor annos gerens ætatis, et eodem anno susceptus est a clero Lingonicæ urbis, ab Incarnatione videlicet Christi nongentesimo octogesimo primo. Is assecutus episcopatum, omni quo potuit nisu sequi studuit exemplum boni Pastoris. Monasteria igitur ipsius ad diœcesim pertinentia in spiritualibus religione, in temporibus necessaria pene annullata gubernatione considerans, cœpit quærere quatenus Dei dispensante nutu suum in statum ea quivisset reparare. Amovens ergo Manassem abbatem hujus loci a dominatione qua non bene utebatur, instituit in locum ejus abbatem quemdam ex monasterio Dervensi, Azonem nomine. Erat is Aquitanicus genere, ornatus bonis moribus et religiosa conversatione. Hic, duobus annis in regimine peractis, repedavit ad suum monasterium, dimissa hujus loci gubernatione, atque iterum Menasses abbas suum recepit officium.

Monachicum institutum ope S. Maioli resarcit in Divion. cœnobio. S. Guillelmus abbas S. Benigni. — Videns igitur domnus episcopus Bruno statum loci in ambiguo positum, supplex addit domnum Maiolum Cluniacensis monasterii abbatem, multaque prece poposcit quatenus ejus auxilio quivisset reparare in melius, interius religionem, et exterius possessiones. Cujus precibus flexus reverendus abbas Maiolus dedit ei duodecim monachos ex omni congregatione electos, disciplinis sanctæ religionis instructos, divina et humana sapientia doctos, nobilitate carnali claros. Quibus advenientibus, ita ordinavit domnus episcopus, ut dic translationis sancti Benigni monachis cum sibi subjectis clericis, ante sepulcrum sæpe facti martyris in crypta nocturnale officium peragentibus, ipsi in superiori choro ante principale Sancti Mauricii altare matutinalem inciperent synaxim. Quod utraque convenienter actum est, ut qui lumen religionis ostendere veniebant, intrarent luce diei appropinquante. Proinde illis hac vel illac pergentibus isti in loco degentes cœperunt sancta conversatione resplendere, et locus qui antea pravis actibus et ineffabili negligentia a cunctis videbatur confusus, nunc felici exercitatione virtutum omnium videretur esse floridus. Verum quia prædicti Patris industria locis aliis intenta erat, et hic locus sine abbate esse non poterat, iterum domni Brunonis præsulis pulsatus precibus, quemdam fratrem ferventissimum sui Ordinis executorem, et totius nobilitatis lampade præfulgidum, atque in vera humilitate et fraternæ dilectionis charitate, nec non summum discretionis (quæ virtutum omnium mater esse dignoscitur) honestate, laudabiliter radicatum et fundatum, nomine *Willelmum*, hujus monasterii gregi præfecit, et patrem spiritalem sibi poscentibus filiis instituit. Hic Italia exstitit oriundus, alto satis germine, et nobili prosapia editus. Quem supradictus domnus Maiolus Roma veniens invenit in monasterio Lauceio dicto, ubi a puero educatus fuerat, assumensque eum ipso deprecante, secum adduxit Cluniacum, ætate juvenili florentem.

S. Guillelmus ordinatur anno 990. Sanctæ ejus vitæ actus describuntur. — Ordinatus est igitur abbas a domno Brunone episcopo, anno ab Incarnatione Domini nongentesimo nonagesimo, indictione tertia. Officio vero abbatis accepto, divinis seipsum cœpit exercere virtutibus. Erat enim corpore castus, mente devotus, affabilis alloquio, prudentia præditus, temperantia clarus, interna fortitudine firmus, censura justitiæ stabilis, longanimitate assiduus, patientia robustus, humilitate mansuetus, bonorum operum gratia plenus, charitatis equidem affluens visceribus. Pro pauperibus semper erat sollicitus, Christum vero diligens totis visceribus, dum sicut Martha corporaliter non valebat, in egenis illum quotidie reficiebat. Omnibus hospitii perargum præbuit usum : nemo est exceptus, perpessus nemo repulsam. Divinorum præceptorum delectabatur eloquiis, quia ex his et suos mores componere, et sibi commissos instruebatur docere et corrigere. Cunctis seipsum præbebat bene vivendi exemplum. Et sicut in ordine, ita primus studebat ut esset in opere, juxta illud evangelistæ : *Cœpit Jesus facere et docere* (*Act.* I, 1). Peccantes vero zelo pii amoris coram omnibus arguebat, ut cæteri timorem haberent. Sed et verba quæ sub increpatione proferebat, ut reprehenderet, quasi stimuli dura videbantur et aspera, ut pene timerentur plusquam verbera, juxta illud: *Verba sapientis, quasi stimuli, et quasi clavi in altum defixi* (*Eccli*, XII, 11). Alios quidem blandimentis, alios admonitionibus, alios terroribus, et ita juxta Apostolum, prædicans verbum instabat opportune, importune, arguens, obsecrans, increpans, in omni patientia et doctrina. Miserorum vero haud secus ac si pateretur ipse, afficiebatur calamitatibus. Os ejus ita replebatur ex cordis abundantia, ut in eodem ore pene nihil aliud nisi lex resonaret divina ; et quia Scriptura dicit : *Qui adit, dicat veni* (*Apoc.* XXII. 17), ideo quoscunque poterat, a sæculi nequitia suadendo subtrahebat. Et sicut cœleste per

desiderium totis ipse viribus ad supernum regnum anhelabat, ita secum pergere omnes homines, si fieri posset, exoptabat. Sed nullatenus est fraudatus a desiderio quod in se conceperat vera dilectio. Ille enim qui charitas est, qui se timentium complet voluntatem, viri Dei ferventem affectum perduxit ad effectum. Ad ejus quippe monita multi quæ possederant relinquentes, regulari se disciplinæ subdiderunt, et beati Benedicti sequentes vestigia, semetipsos abnegantes, vero regi totis viribus militaverunt. Partibus namque ex diversis ad ejus cœnobium multitudo confluxit innumerabilis. Sed nationibus licet diversi, mente tamen erant uniti, ut illud ad litteram in eis impletum videretur, quod de initio nascentis ecclesiæ in apostolorum Actibus legitur: *Erat illis cor unum, et anima una* (*Act.* IV, 32).

Bruno episc. monachis religiose viventibus providet temporalia. — Crescente autem interius religionis studio, exterioris substantiæ supplementum cœpit abundare non modice, prout Dominus promisit suis in Evangelio: *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis* (*Matth.* VI, 23). Domnus namque episcopus Bruno nimium exhilaratus corde eorum bona conversatione, omni studio eorum usui necessaria curabat subministrare. Reddidit igitur Sancto Benigno et ejus monachis ecclesiam In Saciaco sitam, una cum ipsa potestate et villis ad eam pertinentibus totam ex integro, sicuti eam possederat ab antiquis temporibus. Sed postea multis vicibus distracta et direpta a malignis hominibus: salvamentum vero ipsius villæ Otto comes, cognomento Willelmus, successor Henrici ducis et hæres, computato non modicæ quantitatis pecuniæ debito, Gazfredo Malliacensis castri Domino, pro animæ suæ remedio reddidit Sancto Benigno. Necnon et ecclesiam Sancti Apollinaris reddidit domnus Bruno episcopus, et terram concessit juxta hoc monasterium, ut plantaretur viridarium: ac secus undique ad vinearum opera, jugera multa in Lariaco, in Biciso, in Surdiliaco, Patriciniaco, Fœdeniaco campo Salomonis, in Marcenniaco: quæ quamvis monachorum ædificarentur studio et opere, tamen Brunonis episcopi fiebat adhortatione. Ubique ergo investigans ablata restituebat, et de suo jure quodcunque necessarium et utile eis foret, libenti animo tribuebat. Utrisque vero, domno scilicet præsule Brunone, atque venerando abbate Willelmo, in restauratione hujus loci studiose decertantibus, cœpit crescere, et quasi denuo reflorere.

Hugo et Robertus reges Franciæ, Filii Hugonis Magni.—Tempore quo hæc gerebantnr, Hugone rex Hugonis Magni filius, cum Rotberto filio Francorum potiebatur regno. Lothario namque regni cœleste, ut credimus, pro terreno commutanti (987) Ludovicus filius successit. Qui immatura adolescens præventus morte, destitutum proprio hærede Francorum deriliquit regnum. Sane patruus ejus Carolus conabatur,

A si posset, a sui generis auctoribus diu possessum sibi vindicare regnum, sed ejus voluntas nullum sortitur effectum. Nam Franci primates eo relicto ad Hugonem, qui ducatum Franciæ strenue tunc gubernabat. Magni illius Hugonis filium (cujus jam mentio facta est) se conferentes, Noviomo civitate solio sublimant regio. Is eodem anno Rotbertum filium sibi consortem regni eligit. Cœpit regnare anno nongentesimo nonagesimo primo ab Incarnatione Christi, et regnavit decem annis. Post cujus mortem Rotbertus solus obtinuit regnum. Ugonis Regis fuerunt fratres duo, Otto et Henricus filii Hugonis magni ducis Francorum. Post mortem patris accepit Hugo ducatum Franciæ, et Otto Burgundiæ. Habuit uxorem filiam Gisleberti, qui post Hu-
B gonem, fratrem Rodulphi regis, ducatum Burgundiæ tenuit. Sed eo in adolescentia absque liberis defuncto, Henricus suscepit frater suus: hic fuit comptus bonis moribus, præcipue mansuetudine, vir ecclesiasticus.

Vezeliacense et alia multa cœnobia Guillelmus abbas instaurat.—Ipse denique Henricus dux, audita fama religionis eximii patris Willelmi, commisit ei abbatiam Vezeliacensem pene ad nihilum redactam, ut ab ipso restitueretur in pristinum statum: qnod et fecit, auxiliante Deo. Domnus autem episcopus Bruno considerans patrem Willelmum ita ferventem in religione ac monastica institutione, et loca ei commissa de die in diem in melius proficere, omnia in suo episcopio monasteria ipsius delegavit providentiæ. Abbatiam scilicet Besuensem, apostolorum
C Petri et Pauli honore dicatam; monasterium Sancti Joannis, quod Reaumaus dicitur; locum Sancti Michaelis archangeli, juxta castrum Tornodorum: abbatiam Molundensem, ubi sanctus Valerius archidiaconus et martyr quiescit; quas omnes ita strenue gubernavit, ut post eum singulæ singulis abbatibus distributæ, statui illius temporis, quo ab eo regebantur, non quierint æquari.

De gestis ejusdem sancti. — Anno sexto suæ ordinationis Willelmus abbas Romam perrexit ad apostolorum limina, eorum patrocinia exposcens prece devota; indeque ad sanctum Angelum montem petivit Garganum. Sed Beneventum veniens, gravissimæ infirmitatis astrictus est compede. Cujus infirmitatis diuturno afflictus languore, cum jam a
D suis desperaretur posse evadere, quadam nocte raptus in spiritu tribunali metuendi judicis sistitur: ubi, cum pro aliquibus increparetur excessibus, et maxime pro indiscreta severitate, pro his culpis metueret damnari æternis gehennæ supliciis, ut sibi visum est, sanctus papa Gregorius in sua eum suscepit fide, diligentiori deinceps victurum sollicitudine, et priora errata pietatis et misericordiæ operibus expianda correcturum fore. Post visionem in semet reversus, et ab infirmitate eadem cœpit convalescere die, et priorem austeritatem permutavit in maximam pietatem. Sicque postea omni vitæ suæ tempore sanctum Gregorium speciali co-

luit dilectione. Cœperunt denique ex sua patria, hoc est Italia, multi ad eum convenire. Aliqui litteris bene eruditi, alii diversorum operum magisterio docti, alii agriculturæ scientia præditi. Quorum ars et ingenium huic loco profuit plurimum. Crescebat ergo quotidie multitudo monachorum sub ejus magisterio degentium, ut (exceptis his per alia erant monasteria) in hac congregatione quotidie fratres essent septuaginta, aut octoginta.

Quanta Bruno episcopus contulit bona. — Inter cætera quæ domnus Bruno episcopus in hoc loco egit bona, longum est enim enumerare singula ejus gesta, sed hoc breviter possumus dicere: cuncta ab antiquis huic loco collata, posteaque a malignis direpta, vel a pravis rectoribus dispertita, a Brunone episcopo sunt restituta, et licet illi non amittant mercedem suæ eleemosynæ, hic tamen non inferiori dignus est gratiarum actione: de emortuis enim cineribus in excellentiorem, quam unquam ante fuerat statum, per eum sublimatus est hic locus.

Fundator ac benefactores breviter recensentur.—Ac sancto igitur Gregorio Lingonensi episcopo fundata hæc abbatia, a Guntranno rege stabilita et ditata, a Carolo imperatore cognomento Calvo, et domno Isaac episcopo restaurata; ab honorando præsule Brunone et Willelmo venerabili abbate, non solummodo in aliis rebus, verum etiam in nova ecclesiæ fabrica est renovata; in cujus basilicæ miro opere domnus præsul expensas tribuendo, ac columnas marmoreas ac lapideas undecunque adducendo, et reverendus abbas magistros conducendo, et ipsum opus dictando, insudantes, dignum divino cultui templum construxerunt. Cujus artificiosi operis forma et subtilitas non inaniter quibusque minus edoctis ostenditur per litteras; quoniam in eo multa videntur mystico sensu facta, quæ magis divinæ inspirationi quam alicujus deputari debent peritiæ magistri.

Sequitur forma ecclesiæ antiquæ hujus monasterii Divi Benigni.

Fundatum est autem hoc templum anno Dominicæ Incarnationis millesimo primo, indictione decima quarta, decimo sexto Kalendas Martii. Cujus longitudo ducentorum ferme cubitorum, latitudo autem quinquaginta trium exstitit. Altitudo vero in sequentibus opportune dicetur. Inferior itaque domus orationis, in qua sacratissimum corpus sancti Benigni martyris veneratur, eumdem pene modum habens quantitatis, fulcitur centum quatuor columnis. Hæc in figuram T. litteræ facta quatuor ordines columnarum duodeno dispositarum numero; æquali extenditur in longitudine et latitudine; decem vero cubitis erigitur in altitudine; secreta ex utraque parte habens vestibula. Quinque sane in ea continentur altaria; primum in honorem ipsius sancti Benigni est consecratum, secundum in memoriam sancti Nicolai et omnium confessorum; tertium in venerationem sanctæ Pascasiæ virginis, quæ ibidem quiescit, et omnium virginum; quartum in sancti Irenæi et omnium martyrum: quintum sub nominibus sanctorum confessorum et abbatum SS. Joannis et Sequani, atque sancti Eustadii presbyteri ibidem quiescentis. In hac ergo corpora sanctorum qui scientia sæpe dicti testis Christi beata ambiunt membra; quorum in principio hujus libri nomina sunt adnotata. Sanctorum vero confessorum et episcoporum Urbani et Gregorii corpora in ecclesia Sancti Joannis Baptistæ primitus fuerunt tumulata, post longa vero tempora inde elevata: Sancti quidem Gregorii medietas corporis in Ecclesia Sancti Benigni est recondita, tempore quo propter metum paganorum ejusdem sancti martyris effossum corpus delatum fuit ad civitatem Lingonas, et tunc alia medietas corporis præfati confessoris illic est retenta. Sancti denique Urbani corpus levatum, et in loculo positum, multis miraculorum signis per eum Dominus lætificavit corda famulorum suorum in hoc loco degentium. Venerabilis vero Isaac antistitis corpus cum exigente templi ædificio transferretur alio a quibusdam sacerdotibus, maxima ex parte integrum simul cum capite clericalem adhuc præferente habitum fertur inventum. Similiter et Domini Argrini pontificis ac monachi sacerdotalia cum cucullo, necnon interiore cilicio, vestimenta, in testimonium ipsius sanctimoniæ incorrupta sunt reperta. Ad hoc haud longe reperta est sancta Radegundis, habens ad caput titulum sui nominis in lamina plumbea, cujus ossa cerato involuta linteo sunt inventa in capsa lignea in terra recondita. Cæterorum præterea sanctorum, quorum corpora hic noscuntur tumulata, beatus Gregorius Turonorum episcopus mentionem facit eorum describens quædam miracula (lib. I *Mirac.*, c. 51: 52, et lib. *De glor. confess.*, cap. 42, 43 et 44: Benigni videlicet martyris, nostri specialis patroni; Tranquilli quoque confessoris, necnon Hilarii senatoris, et ejus conjugis sanctæ Floridæ sanctimonialis, atque Pascasiæ virginis et martyris. Hæc a sancto Benigno edocta et baptizata, post ejus martyrium sævitia paganorum rapta est ad supplicium. Cumque immobilis in fide Christi persisteret, primo carceris afflicta squalore, postea pro confessione Deitatis sententia fuit multata capitali; ut quædam vitrea antiquitus facta, et usque ad nostra perdurans tempora eleganti præmonstrabat pictura. Tantorum ergo venerandis corporibus sanctorum honorabiliter hæc de quo modo agitur ecclesia, uon mediocriter est ditata, exceptis aliorum reliquiis sanctorum, quos enumerare superfluum videtur.

Huic paulo superius descriptæ inferiori cryptæ conjungitur oratorium ad solis ortum, rotundo schemate factum, senarumque illustratum splendore fenestrarum, triginta septem cubitos habens in diametro, decem in alto. Hoc sane oratorium terno columnarum ordine in semet regyrato, quadraginta videlicet atque octo, geometricali dispositione ambitur; hujus desuper culmen celso erectum fastigio viginti quatuor columnarum, ac triginta duorum arcuum, tripertita comparis numeri machina divi-

sione, eleganti transvolutum est opere. Hoc sane oratorium sanctis Joannis Baptistæ sacratum est honore; cujus altare illustratur trium fenestrarum lumine. Ab hac ecclesia sunt per cochleam dextra lævaque triginta septem gradus, crebris sufficienter illustrati fenestris, per quos inoffenso ascenditur tramite ad basilicam sanctæ Dei Genitricis Mariæ. Ipsa vero ecclesia sexaginta octo subnixa est columnis, eumdem fere habens modum et formam in diametro, sive in altitudine, quem et inferior, undenisque irradiatur vitreis. Ad altare autem ejusdem perpetuæ Virginis marmoreum per quatuor tripertitos ascenditur gradus, juxta quos hinc et inde sunt altaria; ad dextram quidem Joannis evangelistæ ac Jacobi fratris ejus, sanctique Thomæ apostoli : lævam vero sancti Matthæi, Jacobi, et Philippi apostolorum.

Huic iterum concordantes, et satis lucidi, utrinque per cochleam ad ecclesiam sanctæ et individuæ Trinitatis triginta gradus continuatim præstant ascensum. Hæc in modum coronæ constructa triginta quoque et sex innixa columnis fenestris undique, ac desuper patulo cœlo lumen infundentibus, micat eximia claritate, amplitudine inferiori domui consimilis, sed viginti cubitorum altitudinis. Altare sanctæ Trinitatis ita est positum, ut undecunque ingredientibus, ac ubicunque ecclesiam consistentibus, sit perspicuum. Inde per quadrageminas scalas, altrinsecus factas, ad suprema patet ascensus : quarum duæ æquali modo positæ per quindecim gradus usque ad sancti Michaelis protenduntur oratorium habens in longitudine cubitos triginta tres, in altitudine decem, vili facta schemate : fenestras habet septem. Aliæ vero duæ per quinquaginta gradus sursum dirigunt gressum, ad ima autem scalarum bina super murum deambulatoria sunt facta, quæ æquali spatio ab orientali parte usque ad occidentalem, et infra templum, per arcus deambulatorios, et supra tectum domus muro altitudinis trium ferme cubitorum circumquaque pergentium, a ruina protegunt incessum. Hæc tamen ad dexteram sinistramque partem templi incipientes, interius et subtus alas ejus gressum per quosdam occultos aditus ad suprema tecti dirigentes plano, ut dictum est, calle deducunt introrsus undique, donec superliminare occidentalium portarum attingentes, per pariles scalas viginti graduum in porticus ecclesiæ majoris deponunt. Quæ ad instar crucis ædificata habet in longitudine cubitos centum viginti octo, in latitudine sicut præscriptum est, quinquaginta tres, in altitudine quaqua versum per maximos triginta et unum cubitos, in medio autem quadraginta, illuminatur septuaginta vitreis, fulciturque centum viginti et una columnis, quarum nonnullæ juxta capita fortissimarum, quæ sunt quadraginta pillarum quadragulatim statutæ, una quasi simul coronari videntur corona, quamvis non unius sit magnitudinis omnium forma. Habet hinc et inde geminas porticus dupliciter transvolutas, in quibus bis bina continentur altaria. A parte quidem aquilonis unum in honorem sanctorum apostolorum Petri et Andreæ; alterum in honorem sancti Bartholomæi, et Simonis, atque Thadæi apostolorum. Sancti vero Pauli altare est in superiori ecclesia, ante aram sanctæ Trinitatis, eo quod ipse raptus ad tertium cœlum vidit secreta Dei. A meridie sunt altaria, unum in honorem sanctorum apostolorum Matthæi, et Barnabæ, ac Lucæ evangelistæ ; aliud in honorem sanctorum martyrum Sthephani, Laurentii atque Vincentii. Est aliud altare ad occidentalem plagam ecclesiæ, in eodem latere meridiano, in honorem sanctorum Mammetis, Desiderii, Leodegarii, Sebastiani, Gengulphi martyrum. Et ex parte altera sanctorum martyrum Polycarpi, Andochii, Thyrsi, Andeoli, Symphoriani, Georgii, Christophori, et sanctorum confessorum Urbani, et Gregorii, quorum corporibus adornatur præsens domus. Principale altare est sacratum in honorem sanctorum Mauricii atque Benigni : simulque omnium sanctorum altare ad dexteram ejus in honorem. S. Raphaetis archangeli, et omnium beatorum spirituum. Ad lævam vero in honorem S. Marci evangelistæ ; atque in Medio ipsius Ecclesiæ altare sanctæ Crucis omniumque sanctorum. Ante hoc altare triplex constat introitus cryptæ, in quindecim gradibus ascenditur ab ipsa ad superiorem ecclesiam.

Sepulcrum vero sancti et gloriosi martyris ita est constructum : est tumba ex quadris ædificata lapidibus, quæ octo cubitos in longum, quinque autem tenet in latum, cujus cacumen lapideum quatuor sustinetur suffragio columnarum : desuper autem quatuor columnæ marmoreæ locatæ erant antiquitus. Olim super lapideos arcus, qui continebant absidam ferebant ligneam sed cubitorum longitudinis, et trium latitudinis, septemque ac semis altitudinis, quæ undique auro et argento vestita, historiam Dominicæ Nativitatis et Passionis præmonstrabat anaglypho proeminente opere pictura satis optima. Verum hoc decentissimum de quo loquimur ornamentum, ob recreationem pauperum tempore famis fuit dissipatum a domino abbate Wilelmo, et cum capsa aurea mirifice gemmis exornata, pariterque tribus tabulis ac duobus thuribulis argenteis, crucibusque; ac omne ornamentum in auro et argento venundatum est. Ante hæc vero tempora, insignia ornamenta, videlicet gemmæ, pallia pretiosa, capsæ, tabulæ, coronæ, vasa quoque ecclesiastica, seu candelabra, ex auri argentique metallo fabricata, cum imagine Salvatoris Domini nostri ex auro, fusili opere facta, latronum fraude, in ipsius sancti festivitate, occisis custodibus, furto furutnt asportata. Hæc ornamenta a Guntramno et cæteris regibus huic loco pro veneratione et honore Dei, sanctique Benigni martyris antiquitus collata, sed priscis temporibus sacrilega pessimorum manu sublata, nullus postea exstitit principum qui tantum potuisset recuperare thesaurum. Hæc ad notificandum Divionensis loci antiquitatem et gloriam paucis dicta sunt. Illud

in fine notificandum est, in templi istius ædificio esse columnas trecentas septuaginta et unam, exceptis illis quæ in turribus et altaribus sunt. Fenestræ clausæ vel claudendæ vitro centum viginti, turres octo, portæ tres, ostia viginti quatuor.

Iterum de S. Guillemo abbate. — Regulæ S. Benedict. observantiam diversis in monasteriis restaurat. —Nunc ad ea quæ omiseramus Patris Willelmi explicanda gesta stylum vertamus. Augustorum seu regum palatia cum adiit, in eis non quæsivit quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, ut ex eorum scilicet familiari collocutione subveniret oppressis sua interventione, aut certe ex sæculari vel clericali habitu Deo lucrifaceret; ut juxta Domini præceptum propria relinquerent, et sæcularibus curis semotis Deo in tranquillitate servire studerent. Conveniebant igitur ad eum plurimi, ut diximus, et licet diversi nationibus, mente tamen uniti. Lætabatur pastor in sui gregis augmento, magisque gaudebat quod omnes stabant operi proposito. Verum quia super gregem sibi commissum solerti vigilavit cura, divina promeruit gratia de fructu laborum suorum in hac gaudere vita. Nam regularis vitæ disciplinam, quæ jam pene deciderat per veterum negligentiam, prout beatus Benedictus eam composuit in pristinum statum corrigendo, restauravit, ac per diversas mundi partes per plura monasteria a regulari tramite devia, tam per se quam per suos, quos abbates ordinaverat, monastico ordini subdidit. In hoc vero gaudens gratulabatur Deo, quod eorum quos sua sub cura educaverat, ad monasticum regendum ordinem fore multos idoneos videbat : ex quibus nos aliquos dignum judicavimus huic libro indere, ut sciant posteri quam strenui ex hac congregatione prodierint monachi, eorumque memoria permaneat in laude.

Insignes S. Guillemi discipuli. — Cum primum abbatis suscepit officium venerabilis Willelmus, inter monachos in hoc loco degentes fuit quidam juvenculus vocatus Hunaldus, quem prædictus Pater videns solertis ingenii, retinuit sibi cæteris abeuntibus. Hunc præcipue omni studio doctrinæ imbutum in domo Dei constituit vas electum. Ad omnia quippe quæ sibi erant necessaria, prædicti fratris juvabatur solertia. Denique injunxit illi curam hujus sacri periboli, quam tanta prosecutus est cura, ut pene totum quidquid fuit ornamentorum in hac basilica, ejus studio sit aggregatum. Ad ultimum post obitum prædicti Patris abbatiam Tornodorensem assecutus, ibidem quievit annis viginti septem in regimine transactis. Alter quidem hujus castri Divionensis civis, nobili ortus genere Rodulphus, Albus vocatus cognomine, venit ad conversionem inter ipsa primordia ejus novæ ordinationis, cujus pecuniis relevata est paupertas prædicti Patris, et consilio atque adjutorio sublevata sollicitudo regiminis hujus loci, et Besuensis monasterii (adhuc quippe erat ei paucitas monachorum), quem prædictus frater ita juvabat in exterioribus curis, ut solus supplere videretur solamen plurium. Sed præter ejus votum, hoc solatium tulit illi paucitas dierum. Alter quoque subjunctus est memorato Patri, Theodericus dictus, hujus patriæ civis, quem post diuturnam eruditionem Fiscannensi cœnobio constituit priorem, ad ultimum Gemmeticensium præfecit abbatem. Alius ex castro, Belno dicto, miles, Ledbaldus vocatus, et a studio Sapiens cognominatus, Patri Willelmo est adjunctus. Cujus imbutus doctrina spiritali, per aliquod tempus archimandrita in Tornodorensi loco est substitutus.

Abbatiæ S. Guillel. reformandæ traduntur. S. Arnulph. Metensis, Fructuariensis. — Fama sacræ religionis eximii Patris Willelmi percitus quidam Metensis clericus, generosis ortus natalibus, nomine Benedictus, ejus discipulatui est aggregatus, brevique in tempore studendo eum imitari, doctrina et conversatione perfectionem attigit monasticæ vitæ. Per ejus igitur relationem comperit domnus Adelbero Metensis pontifex Patris Willelmi religiosam conversationem. A quo suppliciter evocatus, atque Sancti Arnulphi abbatia donatus, eumdem Benedictum ibidem constituit Patrem ubi per multos annos sacris intentus actibus, vita functus claruit multis virtutibus. Ne vero tanto pontifice reverendus abbas Willelmus rediret vacuus a munere, stolam auro textam, duasque cappas purpureas aureo limbo decoratas, ab eodem percepit præsule. Sed et præfatus Benedictus abbas ordinatus, casulam auro decenter ornatam, atque alia ornamenta obtulit ei pro benedictione. Quæ præfatus Pater tam hoc in loco, quam Fructuariensi, a se noviter cœpto, divisit ut sibi placuit. Prædictam vero Sancti Arnulphi abbatiam post mortem antedicti abbatis rexit annis multis.

Ex Tullensi quoque clero venit ad eum quidam Arnulphus vocabulo, litteris apprime erruditus, omnique mundana sapientia doctus. Hic in brevi assecutus perfectioris vitæ institutionem, commissa est ei cura a domno Patre Willelmo non solum hujus, sed et omnium quæ sub ejus erant provisione locorum. Qui quanta in hoc loco egerit bona post referemus; non enim debent silentio tegi verborum quæ ipsius clarent studiis operum.

S. Apri Tullensis. — Interim prosequamur insignium memoriam enarrare virorum, quia licet non eorum sequaces tabescamus desides ab eorum religionis fervore, et undique internis scilicet atque externis malis ingruentibus ab omnibus bonis studiis torpentes, simus ignavia et pigritia astricti : erunt tamen forsitan post nos aliqui, qui horum legentes gesta studebunt imitari exempla. Domnus igitur Bertholdus Leucorum, qui Tullo dicitur, episcopus per querimoniam a se delapsi clerici, confabulationem quæsivit sæpefati abbatis Willelmi. In cujus verbis considerans inconcussam inadulatamque constantiam mentis, cæteraque insignia virtutum in ejus actis et moribus resplendentia, admiratus, monuit instanti prece ut abbatiam Sancti Apri susci-

piens, emendare curaret secundum sancti Benigni institutionem. Cujus annuens precibus eumdem cœnobium in paucis annis ad regularem commutavit statum. Invenit ibidem strenuos monachos, ex quibus unum, Widricum nomine, post non multos annos in eodem monasterio constituit Patrem monachorum. Qui egregii magistri docilis discipulus ita eum studuit imitari in omnibus, ut in suis omnibus vel verbis vel actibus repræsentari quodamnodo videretur Pater Willelmus. Multos denique erudiens in sancta conversatione, aliquantos aliorum monasteriorum Patres monachorum ex sua protulit congregatione.

Plures episcopi et abbates Guillelmi magisterio se subdunt. — Plures igitur sacerdotum vel abbatum sibi commissorum locorum vel ecclesiarum relinquentes curam, ad Patris Willelmi confluebant doctrinam. Quidam episcopus civitatis Albingatæ, quæ est juxta Genuam civitatem, super mare sitam in Italia, relicto episcopio, prædicti Patris se subdidit imperio. Alter quoque episcopus Barnabas vocatus, genere Græcus, in hoc monasterio sub ejus magisterio plurimis annis est conversatus. Alius vero, Benignus dictus, episcopus a Roma huc adveniens per aliquot annos cum ipso commoratus fuit subjectus et obediens. Abbates etiam perplures ex diversis partibus venientes sponte se ipsi subjiciebant obedire parati : inter quos fuerunt abbas Joannes, dictus Capuanus; alter quoque Joannes abbas monasterii S. Apollinaris in urbe Ravenna ; Benedictus quoque abbas monasterii S. Severi urbis Classis : Anastasius etiam et Marcus, et alii abbates plures, quos longum est enumerare. Monachorum vero non est numerus, qui ab illis venerunt partibus. Archidiaconus etiam quidam Mediolanensis, nomine Gotefredus, ut nobilem decebat, nobiliter veniens cum multis thesauris, inter quos altare onychinum auro et argento decenter ornatum, et quidquid ad capellam pertinebat, ornamentum scilicet ecclesiasticum, secum detulit, pluribus annis in hoc monasterio monachus permansit, ac postea per consensum abbatis Willelmi patriam revocatus, abbas apud Mediolanum est constitutus.

Ipsi denique sancti viri patres et doctores eremitarum existentes, fama sanctitatis longe lateque notificati, Romaldus scilicet, Willelmus ac Martinus, quos in magna veneratione habebat urbs Ravenna, cæterisque quos intra se concludit Italia, Patris Willelmi expetebant societatem. Quia sanctorum conjunctio grata et jucunda, Ecclesiæque pernecessaria, et e contra societate malorum impedimentum honorum. Ipsi vero cultores eremi, relicta quiete solitudinis, gaudebant sub ejus magisterio associari cœnobitis. Ex eorum ergo numero adjuncti fuerunt ei duo, Joannes et Paulus, litteris eruditi, quorum sapientia ad salutem multarum profecit animarum. Horum uterque monasticæ religionis ferventissimus. et in cœnobiali conversatione cæteris erant imitandi, et in contemplativa vita lectioni et orationi

A assidue studentes, videntibus exemplo fuerunt pariter et admirationi. Reverendæ memoriæ Paulus apud nos in pace quievit. Joannes vero homo Dei sanctam ob conversationem vocatus a domno Patre Willelmo, Fructuariensi cœnobio abbas est institutus. De quo loco, quia occasio se præbuit, intimandum paucis videtur qualiter fundatus fuerit.

Origo Fructuariensis monasterii. — Duo germani. fratres fuerunt sæpe dicti abbatis Willelmi, unus vocatus est Nitardus, alter Gotefredus. Primus eorum honore comitatus enituit, alius militæ stipendiis contentus fuit. Quos prædictus Pater sæpe admonendo a mundi illecebris adduxit, et ad Christum convertit. Venientes ergo uterque ad hoc Divionense B cœnobium, exceptis aliis rebus, dederunt sancto protectori nostro Benigno quoddam juris sui prædium. Vulpianum vocatum, quodam præsagio futurorum. In quo loco domnus Willelmus fundavit ecclesiam in honore sancti Benigni, ut notitia et honor ipsius sancti in illa patria accresceret, et ut in hæreditate parentum suorum aliquid acceptum Deo ædificaret. Deinde ut oblatio eorum ad animarum proficeret lucrum, atque ut fructus bonorum operum quæ ibi geruntur, sibi et illis esset abolitio peccatorum et æternæ vitæ digna recompensatio præmiorum. Unde et Fructuariensis ille locus est vocatus. In brevi ergo tempore factum est nobile cœnobium, ubi de hoc loco et spiritualia et temporalia subsidia sunt delata, reliquiæ scilicet multa cum corporibus sanctorum, volumina librorum, C omniaque ecclesiatica ornamenta, et monachi plurimi pariter illuc abierunt. Sed et de aliis suæ ditioni subjectis locis, et undecunque oblatis supplementis, magnificatus est locus possessionibus et divitiis ita ut in vita ejus congregatio illius loci centum numero constaret monachis, exceptis locis cellarum ei loco subditis, quæ fere triginta existunt. Convocatis ego episcopis patriæ, rege quoque Arduino, qui ibi postmodum quievit, sua cum conjuge, et multis nobilibus ipsius regni, in honore sanctæ Dei Genitricis Mariæ, sanctique Benigni, et omnium sanctorum, fecit locum illum sacrari.

Plura ædificavit monasteria. — Constituit et alia monasteria in eadem patria, ubi deputatis monachis, et abbatibus ordinatis adhuc ordo viget D monasticus. Sanctimonialum etiam instituit monasterium.

Richardi comitis rogatu Fiscannense cœnobium suscipit regendum. Multi ad eum instituendi monasticis disciplinis confluunt.—Audita Dei viri fama nobilissimus Nortmannorum comes Richardus misit ad eum, reverenter supplicans ut ad se veniret. Qui tandem libenter ut rogatus fuerat pergens, venit ad eum; a quo sicuti decebat honorifice susceptus est. Multisque ejus precibus exoratus est, ut ecclesiam sanctæ et individuæ Trinitatis nomine et honore dicatam, in loco qui Fiscannus dicitur, olim constructam, et a se in ampliorem statum decenter refor-

matam, susciperet, atque monachorum collegio decoraret. Cujus precibus annuens, ita præfatum locum omnibus religiosis studiis, cæterisque bonorum copiis adornavit, ut præ cunctis illius provinciæ locis, felicibus semper floreat incrementis. In quo loco multi convenerunt nobiles viri, tam clerici, quam laici, ejus doctrinis cupientes institui: inter quos Osmundus (20) episcopus sanctæ et religiosæ vitæ exstitit monachus. Duo quoque clerici liberalibus artibus apprime eruditi, aula regis postposita Willelmum Patrem expetierunt mente devota. Unus eorum vocabatur Locelinus, alter Beringerius. E quibus prior postmodum abbas exstitit, sequens in eodem loco vitæ finem accepit. De transmarinis etiam partibus, hoc est Anglorum terra, vir quidam nobilis regali prosapia clarus, Clemens nomine, relictis sæculi pompis ad idem monasterium venit. Deo inibi cupiens militare. Sed cum ab hominibus ex sua patria adventantibus crebro inviseretur, magis diligens Deo servire cum quiete, quam vanitates mundi frequenter audire, Divionense expetivit cœnobium, ubi laudabilis vitæ complevit cursum. Fuit itaque secundum etymologiam sui nominis clemens animo, omnibus virtutibus adornatus, præcipue humilitate, qua in tantum se abjectum et vilem asserebat, ut cum sacerdotii gradu fungeretur, nunquam in omni vita sua nisi semel ad hoc ministerium accedere præsumpserit.

Abbatem Fiscanni sibi subrogavit S. Guillelmus. Auctoris hujus Chronici ætas.— Postquam igitur per annos fere triginta Willelmus abbas Fiscannense rexit cœnobium, cum jam senectute simul et ægritudine gravaretur, et elegisset sibi Fructuariensem locum ad habitandum, desiderans in patrio solo quiescere: considerans princeps regni Rotbertus, qui post patrem et fratrem defunctos primatum tenebat Nortmannorum, petiit per legatos eumdem Patrem, ut abbatem sibi substitueret, quia loci status aliter sine detrimento manere non posset. Ad cujus petitionem, quemdam sibi valde dilectum monachum, ejusdem loci priorem, nomine Joannem, constituit abbatem: licet eum alibi magis optasset præficere. Hic Italia, partibus Ravennæ, ortus, litteris eruditus, ac medicinali arte per ipsius Patris jussionem edoctus, religiosæ conversationis ejus, doctrinæ quoque, ac omnium virtutum ipsius præ cunctis aliis exstitit imitator studiosus. Qui ab exilitate corporis Joannelinus diminutivo nomine est dictus, sed humilitatis, sapientiæ, discretionis, ac cæterarum virtutum tanta in eo refulsit gratia, ut (sicut sanctus refert Gregorius in libro Dialogorum (*lib.* I, *c.* 5) de Constantio presbytero), ita ut in hoc mirum esset intuentibus, in tam parvo corpore gratiæ Dei tanta dona exuberare. Sed quia adhuc domum habitat luteam, sufficit hoc tantum dixisse, dicit enim Scriptura: *Ne laudes hominem in vita sua.*

A *S. Guillelmus monasteriorum Gemmetici, S. Audoeni, et S. Michaelis, curam gerit, necnon S. Germani, S. Faronis Gorzenzis.*—Commisit et alia loca memoratus comes Richardus sæpe fato abbati Willelmo, scilicet Gemmeticum, ut jam diximus, monasterium Sancti Audoeni, Montem Sancti Michaelis archangeli: in quo loco post mortem Patris prædicti, supradictus Joannes abbas constituit Patrem quemdam monachum præmoninati Patris Willelmi: vocatus est autem isdem frater Subpo, Romanorum patria exortus, et jam dicti magistri institutione in omni sanctitate educatus. Qui postmodum quibusdam contrarietatibus exortis, relicto ipso loco Fructuariensem abbatiam annis pluribus rexit. Rotbertus etiam rex abbatiam Sancti Germani apud Parisios B precatus est prædictum Patrem ut susciperet, et secundum regularem institutionem ordinaret, quod et fecit. Nec non et Oddo comes pari devotione locum sancti Faronis in urbe Meldorum eidem commisit venerabili Patri. Sed et honorabilis præsul Metensis ecclesiæ Theodericus Gorziensem abbatiam eodem zelo Dei commendavit illi defuncto illius loci abbate: qui dum præfatum regeret locum, ex clero Metensi quemdam clericum, Sigifridum vocatum, litteris bene doctum, ad monasticum attraxit ordinem; qui post ejus decessum eamdem rexit congregationem.

Domnus vero Arnulfus istius loci prior (ut jam diximus) cum Patris Willelmi, et præfati præsulis admoneretur precibus, ut jam dicti loci susciperet curam, atque abbatis officium; ipse humilitatis C amator nullo modo assensit, magisque elegit subesse quam præesse; solummodo cujusdam parvi loci a prætaxato Patre Willelmo sibi expetivit curam et dominium. Est autem locus ille situs in confinio Tullensis et Lingonensis parochiarum, in loco qui vocatur Brittiniaca curtis. Quomodo vero sancto Benigno istius loci patrono fuerit datus, nunc referemus. Jacob Tullensis urbis episcopus, dum rediret Roma, incitatus fama miraculorum quæ in hoc loco Dei operabantur clementia per istius sancti merita, ad ipsius martyris Christi advenit tumulum, cupiens a Deo veniam adipisci delictorum per hujus gloriosi martyris interventum. Dumque per aliquot dies remorando ad tumbam ejus cœlorum penetraret intima, vocatus a Domino est ad cœlestia regna: sanD ctique Benigni adjutus precibus, et in cœlis cum eo gloriam, et in terra juxta ejus tumulum condignam accepit sepulturam. Cujus soror, nomine Liliosa, ad Sancti Benigni veniens limina, prædictum prædium suum donavit sancto Benigno martyri, pro fratris sui sepultura. In quo loco ædificaverunt ecclesiam in honore sancti Benigni monachi hunc locum inhabitantes: ubi multis virtutibus a Deo clarificatus est hic martyr sanctus. Sed vicini circummanentes multis molestiis impediebant illi servientes: verumtamen videntes quæ ibi fiebant mira-

(20) *Osmundus.* Baluzius conjiciebat hoc loco agi de Osmundo episcopo Sarisburiensi.

cula frangebantur a sua pertinacia. Hic enim sanctus Benignus adversantes sibi diu tolerat, sed postmodum impœnitentes dure castigat. Ad ipsum itaque locum dedit quædam. Natalia nobilis femina terram suæ possessionis in fine Branticianæ villæ, et in fine Businiacæ pratum unum. Quæ utraque sunt in confinio memorati prædii. Fecit vero prædicta femina ipsam donationem tempore Caroli regis et imperatoris. Hunc ergo locum supradictus domnus Arnulphus sibi eligens, omni cura studuit eum augmentare. Ac primum basilicam ibi magnam construens, officinasque ac reliqua habitacula monachis utilia, nobile cœnobium constituit, possessionibusque et terris augere procuravit.

Dedit itaque miles quidam, Evrardus vocatus, villam suam Mannisis dictam in eodem loco, Sancto Benigno, accepto a domno Arnulfo pro hac re non parvo pretio. Pertingit vero terra ipsius alodii, usque ad portam castri quod vocatur Rifnellus. Cumque dominus ejusdem castri Odulricus comes, eumdem alodum sibi vellet vindicare, a domno Brunone præsule tandiu est persecutus excommunicatione,et inimicitiarum vi,donec ipsum alodium dimittens wirpiret, et insuper juraret, nec se nec aliquem hæredum suorum ibidem violentiam illaturum. Dedit archidiaconus Lingonensis, Beraldus dictus, sancto Benigno ecclesiam in honorem sancti Desiderii dicatam in Algisi villa, simul cum ipsa possessione. Et in Brualdi curte, et molendinos in Materna fluvio, in loco qui vocatur Mortuellus. Dedit Girardus Metensis comes medietatem villæ,quæ dicitur Godonis curtis. Dedit Gotbertus quidam nobilis alodium suum in loco Solinimons dicto. Quod dum quidam parens ejus calumniaretur,et sæpe admonitus a prædicto priore Arnulfo non acquiesceret tandem in bello ab inimicis suis capitur, multis plagis confossus.Ipse ergo miles,Rodulphus dictus, de Barrensi castro,cognoscens hæc et alia mali sibi provenire ob sancti Benigni injuriam, vocato memorato loci ejus provisore,omnem dimisit quam inferebat calumniam. Sed et filius ipsius Rainardus dum paria faceret.similem excepit vindictam. Emit prædictus præpositus in Linerolis villa ecclesiam, et partem ipsius possessionis, et in Montaniaco, et in Camillas, atque Latona, in Clini campo, in Conchis, in Salcido, in Salsuris ; his et aliis locis emit plurima terrarum mansa, quæ usque nunc possidentur ab illius loci monachis. In hoc vero cœnobio quanta gessit non est silendum. Wlnonis villam dictam in pago Tricasino ipse ad Stephanum, itemque ad Oddonem comites sæpe recurrendo, et multas pecunias dando, sancto Benigno restituit. Ubi ne deinceps auferretur, instituit cellam monachorum,officinasque eorum usui necessarias,atque basilicam amplam et honestam in sancti Benigni honorem construxit.

In pago Portuensi Albiniacum villam in præstaria datam, et longinquitate temporum perditam, domnum Brunonem episcopum sæpe interpellans, A atque Willelmum comitem, ipsis raptoribus auferri, et Sancto Benigno restitui fecit. In quo loco monasterium magnum construxit ad honorem sancti Benigni, et cellam instituit monachorum. Erat ibi antiquitus ecclesia sancti Marcelli martyris honori dicata, quæ manet usque adhuc. Additæ sunt ibi postea aliæ duæ ecclesiæ : in Cimbinno, et in Duellari villare, possessioque terrarum amplissima. Longum est per singula quæque referre, cum pene omnia, quæ iste locus patris Willelmi tempore acquisivit, domni Arnulfi prioris consilio et labore factum sit. Super cætera quæ gessit, hanc ecclesiam sancti Benigni librorum ornamento decoravit ipse, impensas tribuendo, et domnus Girbertus scribendo.Fuit autem Girbertus ex primis quos nutrivit domnus abbas Willelmus, et ab officio scriptor est appellatus. B

Girbertus scriptor. — Otto comes, cognomento Willelmus. quem ante memoravimus, supplicante domno Willelmo abbate,qui ei propinquitate jungebatur,dedit Sancto Benigno in Salinis burgo sedem unius caldariæ. Sequenti tempore domnus Arnulfus et monachi Divionensis loci, emerunt aliam caldariam a conjuge ipsius comitis,per laudem filii ejus Rainaldi. Dederunt etiam Willelmus et filius ejus supra dictus Rainaldus sancto Benigno terras conjacentes in his locis : in Cernensi villa, et in Dornone scilicet terras arabiles,et prata, ubi possunt secari feni quinquaginta carra.Est in Dordone unum pratum, quod possunt secare falces centum : et debet in censu solidos octo,multones tres,scindulas centum. C Et in alio loco Callis vocato pratum alterum cum sylva ibi permista.Dedit idem comes Otto Sancto Benigno potestatem Vivariensis villæ pro anima Henrici ducis, qui eum loco filii adoptavit, et genitricis suæ Gerbergæ uxoris prædicti ducis, ac filii sui Widonis, et Hermitrudis conjugis. Proque animæ suæ salute dedit prædictam potestatem cum appenditiis suis, sicut dono prædicti ducis Henrici et uxoris ejus, suæ vero genitricis Gerbergæ, sibi datam legaliter tenuerat annis triginta, ita integram cum Ecclesiis in ea sitis :unam in honore sanctæ Mariæ, alteram juxta ipsam positam sancti Petri apostoli nomine sacratam, et villis et terris multis ; scilicet in Chrocherco, in Grugiaco, in Frigida villa, in Colombario, in Lusiniaco, in curte D Romanisca, in Destagno, in Cadiniaco, in Milleponto, in Turiaco, in Albania, in Cariaco, in villa Comitis, vel in aliis quibuscunque locis, cum mancipiis utriusque sexus plurimis, et omnes redditus et consuetudines, quas debent ipsi servi et ancillæ, et etiam illi qui Francos se dicunt ; desuper ipsam potestatem, commanentes ubicunque. Facta est hæc donatio anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo quarto, indictione secunda.

Ecclesiæ diversæ conferuntur S. Benigno. — Eodem tempore Oddo vicecomes, filius Henrici ducis, dedit Sancto Benigno quamdam ecclesiam sitam juxta muros castri, quod dicitur Belnum, an-

tiquitus in honore sancti Stephani sacratam, sed jam per multa curricula annorum destructam. Quam ipse et uxor ejus, Hingala dicta, a fundamentis in ampliorem statum reædificantes, abbatis Willelmi ac Divionensium abbatum providentiæ perpetuæ dederunt. Et ut monachis ibi commanentibus non deessent stipendia, dedit ad ipsum locum in comitatu Dusmensi villam, Empiliacus siccus vocatam, cum appenditiis omnibus, et consuetudinariis, et actionibus, ab his etiam quæ Francorum nomine censentur pro debito exigendis. Dedit in Mille ponto villa terras arabiles et vineas; in Polmarco, in Vallilias, mansum ad manendum, vineas et prata. Et ut donatio ista perpetualiter maneret, Rotberti regis Francorum, interveniente domno Walterio episcopo, in cujus diœcesi erat memoratus locus, B et Ottone ad cujus beneficium pertinebat comite, petiit regali præcepto firmari, ad nomen sancti Benigni jure perpetuo possidendum. Factum est hoc præceptum anno incarnati Verbi millesimo quinto.

Alter quidam miles prædicti comitis Ottonis, Letbaldus dictus, quamdam ecclesiam in honore sancti Petri dicatam, loco qui dicitur Puteolis, quam beneficiario jure tenebat ab ipso comite, per ejus laudem dedit Sancto Benigno, ditans eam rebus propriis: utque hoc donum stabiliretur, petiit a prætaxato rege Rotberto, memoratis intervenientibus legatis, regali munificentia firmari, ut monachi ibi Deo servientes, pro ipso rege, et ejus prole, quoque largitoribus hujus doni et eorum progenie, omnique populo Christiano Dominum studeant exorare. Fac- C tum anno millesimo sexto.

Humbertus etiam dominus castri quod vocatur Salmacia (21), dedit ecclesiam Sanctæ Mariæ, sitam in ipso castro, Sancto Benigno in perpetuum possidendam, sub providentia abbatis Willelmi, successorumque ejus; ut monachi ibi mitterentur Deo et ejus Genitrici servientes, ac pro se et omnibus vivis ac defunctis supplicantes. At quorum victum dedit alias duas ecclesias, unam in villa Buxo dicta, cum mansis et terris aliis, ac farinario, servis et ancillis; alteram in villa Mermedis. Hujus rei donatio facta est Roberti regis anno vigesimo sexto, ab Incarnatione Domini millesimo decimo tertio.

Anno ab Incarnatione Domini millesimo duode- D cimo, Willelmus abbas Divionensis, et Amadeus Flavigniensis abbas, fecerunt commutationem inter se de terris. Dedit memoratus abbas Amadeus de abbatia S. Petri quidquid habere dignoscebatur in villa Dienato, et in villa Comitis, et in alia villa Salice dicta, et in villa Carli, et in villa Icio, in Marciaco, et in villa Tarsu, et in villa Meleis, cum omni familia utriusque sexus, et omnibus appenditiis. E contra dedit domnus abbas Willelmus quidquid habebat ex abbatia Sancti Benigni, et lo- A co Sancti Stephani, in villa Empiliaco sicco dicta (quam olim Odo Belnensis visecomes ex consensu uxoris suæ, nomine Inge, et filiorum ejus, Aquionis abbatis, et Joannis, ad jam dictum locum sancti Benigni delegaverat) vicinum erat abbatiæ S. Petri Flavigniensis. Communicatum est cum servis et ancillis, et omnibus appenditiis suis atque redditibus, per laudem et assensum domini Brunonis Lingonensis, atque domini Waterii episcopi Heduorum, ad quorum diœceses pertinebant præfatæ ecclesiæ.

Postmodum Hugo quidam miles de Parvi, Divion castri habitator, partem suæ hæreditatis, quam in prædicta villa Dienato habebat cum consensu et laude uxoris suæ Hildegardis, et filii sui Humberti, dedit Sancto Benigno ante domnum Brunonem episcopum, multis clericis, et laicis nobilibus astantibus: ac postmodum in præsentia successoris ejus domini Lamberti episcopi, quando capitis comam deposuit, reiteravit donationem ad altare Sancti Benigni coram multitudine populi, dans ipsum patrimonium suum in jam dicta villa Dienato, vel ubicunque positum; cum servis et ancillis, cumque omnibus debitis consuetudinariis exigendis. Actum anno millesimo decimo septimo.

Ex hac terra sunt in villa Karli mansa decem, cum terris aliis ad ipsa mansa pertinentibus, ac servis plurimis et ancillis desuper commanentibus. Sunt in Dienato coloniæ quindecim, curtilli viginti, et terra absque æstimatione, servi et ancillæ plusquam septuaginta, Est silva, quæ appellatur mons Rigon in Largo fonte, mansa quindecim cum servis et ancillis, et terra multa. In Scalurco mansum unum cum suis appenditiis. In Hodesca colonias sex cum servis et appenditiis suis. In Carco fuit villa quæ vocatur Britonia: sunt ibi forestellæ duæ, una vocatur Basescoth, alia vocatur Petra. Sunt in Fontanis mansi duo cum terris et vineis. Sunt in Marcenniaco de vinea jornales tres.

Dedit domnus abbas Willelmus monachis Belnensis cellæ ecclesiam Sancti Antonii, in Ficiaco sitam, pro excannio supramemorato Empiliaci sicci et Dienati. Dedit monachis Sarmociensis cellæ ad laborandum et custodiendum terram Sancti Benigni, positam in Sarmacia villa, et in Viriaco.

Ipso in tempore Addita comitissa, uxor Richardi comitis Divionensis, reddidit Sancto Benigno quidquid prædictus comes vir suus tenuerat de terris Sancti Benigni in Beneficio a Manasse abbate, pro salute animæ ejusdem viri sui, et filii sui Letaldi comitis (quorum corpora sepelierat in hoc monasterio Divionensi) coram legatis domini Brunonis episcopi ad hoc missis. Tradidit super altare S. Benigni ipsam vinopetionem, ut neque ipsa deinceps, neque ullus militum ejus, de illo beneficio quidquid retineret, nisi tempore vitæ suæ. Post obitum vero uniuscujusque quod tenebant, rediret ad jus Sancti

(21) *Salmacia.* Castrum hoc aliis *Sarmacia* vocatur.

Benigni. Hæc redditio facta est anno ab Incarnatione Domini millesimo septimo.

Tempore illo adolescens quidam, nomine Achedeus, Lingonensis ecclesiæ canonicus, in præsentia domini Brunonis episcopi, et Ottonis comitis, dedit ecclesiam Sancti Albini ad altare sancti Benigni Divionensis patroni, ea conditione tradidit prædictam ecclesiam cum appenditiis suis ad memoratum locum, pro se, et pro patre suo Letbaldo, in hoc loco facto monacho, ut jam diximus, ut annis singulis quandiu viveret, persolveret in censu pro prædicta ecclesia solidos decem, et duo sextaria olei. Postmodum vero quidam Hendricus miles matris ejus, maritusque, quia quamvis erat solutio census, adiit præsentiam domini Willelmi abbatis, petiitque alienari censum prædictum : quod impetravit, et ad quantuor denarios redactus est census : et pro hac recompensatione, proque animæ suæ salute, dedit villam Molensam cum omnibus ad ipsam hæreditatem pertinentibus rebus. Constitit ipsa hæreditas in comitatu Oscarense super Sagonam fluvium atque Oscaram et Tyllam : habetque determinationes amplas, prout scriptum est in charta. Facta hæc donatio Incarnatione Domini anno millesimo tertio.

Exorta fuit tunc quædam altercatio inter monachos hujus loci, et monachos monasterii Sancti Leodegarii, de quodam saltu, qui dicitur Alta silva, ad Sasiacum villam pertinente, quam determinant duo torrentes. Unus dicitur Tramant, alter Scitilaria, ex diversa parte venientes. Quæ cum mota fuit a priore illius loci, nomine Fulcherio, ante Henricum ducem advocatum præfati loci, et Ottonem (qui et Willelmus dictus) comitem, qui tunc advocatus erat loci istius; atque in præsentia domini episcopi Brunonis : ad hoc denique ventum est, ut respectum caperent utraque pars super ipsam sylvam : quibus comes Richardus cum plurimis civibus Divionensibus, videlicet Walterio, Remigio, Humberto, aliisque nobilibus, interfuisse ad justitiam diffiniendam noscitur. Indeque campum fieri decreverunt, statuto die quo is fieri deberet. Quid plura? hujus loci prior dominicus adfuit cum suis paratus. Ille vero qui repetebat se substraxit, et ad condictum placitum venire noluit. Postque multis annis sine querela alicujus, Sancti Benigni locus suam vestituram tenuit. Postmodum vero prædicti Fulcherii successor Arnulphus, de eadem silva cœpit proclamare denuo coram prædicto comite Willelmo, contra memoratum hujus loci priorem dominicum. Venientes igitur ad placitum communiter decreverunt novum reparare campum, ubi adfuerunt multi nobiles viri, monachorum vero hujus loci dictus prior, et Arnulphus ejus successor, Waldus, sacrorum custos, et Henricus : ibique condictum est placitum. In sequentis hebdomadæ feria tertia iterum prædictus calumniator accedens ad domnum Brunonem episcopum, cœpit causas prætendere, ob causas non posse venire ad placitum campi peragendi; atque rogare ut in aliud tempus differretur. Quod audiens domnus Bruno episcopus vocatis sancti Benigni monachis ait : Quod cœpistis dijudicare, atque silvam quam tenuistis, tenete, quia isti calumniatores nullam possunt rectitudinem ostendere.

Higelbertus quidam miles de villa Milleponto dicta, veniens ad obitum, monachusque factus in hoc cœnobio, dedit Sancto Benigno in comitatu Augustidunensi, villam Brueriam dictam, cum omnibus appenditiis suis circumquaque jacentibus, hoc est in villa Adeunt mensum indominicatum, cum appenditiis suis, et servo, ac filiis ejus : et in villa Mardelco, atque in Barbarisco, et in Poliaco, necnon in Vinsiaco. Anno ab Incarnatione Domini millesimo septimo facta est hæc donatio. Dedit et in villa Valongias mansum unum cum appenditiis, coram Brunone episcopo, Willelmo comite, Rainaldo comite, ipsius filio, Ottone comite, filii ejus Widonis filio.

Dedit Garnerius quidam miles Sancto Benigno in villa Discaco mansum unum, et servum cum filio uno. Et in Viriaco mansum unum cum appenditiis suis, servis et ancillis, ac duas vineas. Idem Garnerius, et frater ejus Aldo dederunt alodium suum qui conjacet in loco, quo dictur Mortariis, in comitatu Divionensi. Constat autem alodium in terris cultis et incultis, ex se simpliciter divisum. In silvis vero partim per se proxime, partim cum aliis participatur hæredibus. Proprium quidem alodium terminatur de uno latere terra Sancti Mammetis, a loco qui dicitur Niger solium, in superiori parte usque Vadarno villam ; in inferiori parte jam dicto Niger solio, usque ad exactum Willelmi, et usque ad silvam pertinentem ad Saviniacum. Item de una parte terra Odonis partinens ad Spaniacum. Item de alio latere de loco nuncupato Nerlangio, usque ad campum peduliosum, et usque ad lacum, et usque ad terram Sancti Petri de Villacomitis, commune cum aliis hæredibus. Item de alia parte terra pertinens ad Vadarnodum. Item commune alodium incipit a quercu perdulioso, et pervenit usque Spaniacum, et usque Cangegium et Casnedum, et usque villam comitis. Ut ergo proprium, et commune totum simul ad jam dictum Sancti Benigni transferrent locum, acceperunt ad domno Willelmo abbate et monachis ejusdem loci, octo libras denariorum. Sic ex consensu uxoris, et infantum ipsius Varnerii, tradiderunt atque condonaverunt præscriptum allodium proprium simul et commune ad denominatum monasterium; sub præsentia domni Brunonis episcopi, aliorumque illustrium virorum, consentiente et testificante Walone comite, et fratre ejus Walterio.

Altor Warnerius, et ipse nobilis, dedit Sancto Benigno in comitatu Divionensi, in villa Spaniaco, vestita mansa tredecim, absum unum, colonias, etiam octo, mancipia utriusque sexus sexaginta tria, et omnes redditus, et consuetudines, atque exactiones quas debet ipsa possessio; necnon et omnem terram pertinentem ad prædictam hæreditatem absque silva. Ita tamen ut ipsi servi eamdem consue-

tudinem quam ipsi habuerunt de prædicta silva, A quandiu eos tenuit, simili finetenus teneant. Fecit vero hanc donationem ipse Warnerius per laudem et consensum Aldæ uxoris suæ, coram Ricardo comite, atque Hugone, et Odone fratribus ejus, aliisque nobilibus viris Divionis castri, Walterio, Hugo, Remigio, Humberto. In anniversaria die matris ejus refectio de ipsa possessione præparetur fratribus; reliqua cameræ ipsorum deputarentur ad vestimenta eorumdem fratrum.

De moribus Brunon. episcopi Lingonensis. Obit. — Quia longum est enarrare cuncta quæ huic monasterio collata sunt tempore domini Brunonis episcopi, et quibus per ipsum vel propter ipsum, ab aliis augmentatum est bonis, ad ipsius vitæ finem, habitatoribus hujus domus Dei omni tempore dolendum B et deflendum, veniamus. Sed ante paucis describere curabimus quis fuerit modus vitæ ejus. Fuit itaque in eleemosynis largus, in vigiliis sedulus, in oratione devotus, in charitate perfectus, in humanitate profusus, in sermone paratus, in conversatione sanctissimus; erat irreverentibus terribilis aspectu, metuendus severitate, reverendus incessu, venerandus benignitate. Censuram auctoritatis temperabat mansuetudine humilitatis. Non personæ potentiam, sed morum elegantiam attendebat in singulis, et tanto eminentus unumquemque honorabat, quanto sanctius vivere didicisset. Clericorum ac monachorum, sanctimonialium quoque nec non viduarum ac pupillorum pater erat, atque inter divites, et pauperes ita medius, ut pauperes illum quasi patrem aspicerent, divites vero quasi superiorem sibi divitem C timerent. Quandiu vixit, ita Burgundiam patrocinando protexit, atque defendit, non clypeo et lancea, sed consilii prudentia, quo sibi principes patriæ omnes devinxerat, ut cum rex Francorum Robertus cum exercitu maximo hanc patriam sæpe intrans incendiis et rapinis plurima loca vastaverit, nihil in ea retinere potuit, quandiu Bruno episcopus vixit. Et quia ei nocere non poterat, hujus malivolentiæ causa domino abbati Willelmo tulit abbatiam S. Joannis monasterii Reomensis, eo quod partibus favebat, ut justum erat, sui pontificis. Denique quodam tempore memoratus rex cum plurimo exercitu Divionem castrum advenit, circumpositam regionem devastans ac depopulans. Cujus iram timens præfatus abbas Willelmus, omnes monachos ab hoc loco D per alia monasteria jussit secedere, aliquantos vero cum libris et omni ornatu ecclesiæ intra castrum Divion, ac in ecclesia S. Vincentii, quam tunc quieto jure monachi istius loci possidebant, fecit residere, paucis solummodo fratribus ob custodiam loci, et sancti Benigni servitium, cum domno abbate Odilone in hoc loco dimissis. Quem ad hoc accerserat; ut si forte rex aliquid mali contra hunc locum moliretur, illius precibus exoratus dimitteret. Rex vero ut erat mente benignus, cum cognovit propter se monachos dispersos, valde doluit. Paucis itaque transactis diebus, Franciam repedavit nullo negotio peracto. Ipso denique anno, qui fuit ab incarnatione Domini millesimus decimus sextus, domnus episcopus Bruno obiit secundo Kalend. Februarii, peractis in episcopatu annis triginta quinque. Fuit autem a sancto Gregorio episcopo, qui hunc locum fundavit trigesimus primus in successione episcoporum, undecimus post venerabilem Isaac episcopum.

Lambertus successit. — Cui successit Lambertus episcopus. In cujus diebus quidam archidiaconus Lingonensis ecclesiæ. Parisiorum postea episcopus, Imbertus nomine, abbatiam S. Amatoris sitam ante mœnia ipsius urbis, quam beneficii jure tenebat a præsule memoratæ sedis, obtulit Sancto Benigno per donum, et laudem prædicti episcopi Lamberti, quatenus ibi monachi sisterentur, qui Deo hymnis et laudibus die noctuque deservirent. Similiter quidam canonicus ejusdem ecclesiæ, Gozelinus dictus, dedit in suburbio ipsius civitatis medietatem unius ecclesiæ: altare vero totum ex integro, sicut dono episcopi tenuerat, ita ab eodem præsule Sancto Benigno traditum est ad victum monachorum in prædicto loco consistentium.

Eadem devotione Aymo comes dedit abbatiam in honorem sanctæ Dei Genitricis Mariæ sacratam, et ante suum castrum, quod Saxonis fons dicitur, positam, laudante prædicto episcopo Lamberto, obtulit Sancto Benigno in perpetuum possidendam et abbati Willelmo, quatenus ordo monasticus, qui ibi quondam fuerat institutus, ipsius repararetur studio.

Sed et Normannorum comes Richardus dedit Sancto Benigno ecclesiam sancti Adelberti, cum villa et omnibus terris ad eam pertinentibus, sitam in pago Oximensi; quod filius ejus Richardus et ipsius Richardi filius Robertus, et Roberti filius Willelmus, postea per succedentia tempora laudaverunt, et firmaverunt donum; atque advocati et defensores earumdem rerum ad tutelam hujus domus Dei fuerunt, et adhuc sunt. Quidam quoque miles ejusdem comitis, Gotbertus nomine, in loco qui Longus campus dicitur, dedit ecclesiam in honorem sancti Martini dicatam, cum terra ad ipsam aspiciente. Ut vero hæc donatio firma persisteret, nec ab ullo propinquorum ejus calumniaretur, dedit ei præfatus Willelmus abbas sexaginta libras denariorum. Richardus Normannorum dux, et Robertus archiepiscopus ejus frater, laudaverunt, et subscripserunt chartæ, anno millesimo tertio.

Henricus quidam clericus de nobilibus dedit Sancto Benigno Prisceiam villam suam, cum ecclesia inibi sita, in præsentia Lamberti episcopi et archidiaconorum ipsius, Beraldi, Humberti, Geraldi, Odonis, et aliis quampluribus tam clericis, quam laicis astantibus, atque Willelmo abbate cum suis monachis. Actum anno ab Incarnatione Christi millesimo vigesimo.

Femina quædam nobilis, Aremburgi dicta, mater Letbaldi Matisconensis episcopi, cum eodem filio suo dedit Sancto Benigno in villa Luvocata, septem

mansa cum silva ibi adjacente, et servis qui de prædictis mensis septem colonicas tenebant.

Altera matrona Tetiardis vocata dotalitium suum dedit sancto Benigno per laudem filii sui Widonis. Conjacet vero in his villis; in Quintiniaco, in Albiniaco, in Sulliaco, in Attegias, in curte Arnonis, cum tertia parte ecclesiæ inibi sitæ, dicatæ in honorem sancti Germani. Sunt mansa viginti unum, cum terris ad eos aspicientibus.

Quidam miles Robertus dictus, veniens ad conversionem, dedit Sancto Benigno omnem hæreditatem suam, quæ conjacet in comitatibus Belnensi et Cabilonensi, et in his villis, Seviciaco, Rueledo, Mossiaco, Ambassacio, in Monticellis villa Gislensi, et in Scodingiis villa Sesilliis, cum servis et ancillis. in prædictis locis manentibus, omnique terra in B prænominatis locis ad suam partem pertinente, dedit coram dominis suis Willelmo comite, et filio ejus Rainaldo. Actum anno millesimo septimo.

Alter miles, Albericus dictus, dedit in Curte curonis mansum unum cum terris ad eum aspiscientibus : et in Assiriaco villa tertiam partem suæ hereditatis. Actum anno supradicto.

Alius quoque miles Willelmus vocatus, cum conjuge sua Teudgarda, et filio Romestannio, misit in convadium hæreditatis suæ partem in villa Attegias, usque ad annos viginti quatuor, ea convenientia, ut transactis prædictis annis, si non esset redempta ab ipso vel filiis, aut filiabus ejus, deinceps jam non redimeretur, sed monachi Sancti Benigni, quorum pecunia ibi habebatur, jure perpetuo eam possiderent. Similiter alter miles, Calado dictus, cum conjuge sua Theodrada, pari conventione largitus est hæreditatem suam in Attegia, et in Pontificiaco, prædictis hujus loci monachis.

S. Guillelmus antequam ab humanis excederet monasteria circumit, fratres adhortatur. Obiit, sepeliturque; Fiscan. in monaster. defuncto Lamberto Ling. episc. sufficitur Richardus, paulo post veneno sublatus. Cui proxime successit Hugo. Ob perversos mores condemnatur. — Sunt adhuc plurimæ quæ describi possent, sed quoniam ad finem libri tendimus, his omissis, obitum Patris Willelmi intimare curamus. Postquam per annos quadraginta duos vineæ Dominicæ sedulus cultor eam excolendo jugiter propagare, amplificareque curavit : cum jam senio infirmitatibusque multis prægravatus optaret dissolvi, et D cum Christo esse, bonam consummationem laborum suorum amdiplere cupiens, per omnia monasteria, quæ sub ejus fuerant magisterio, incipiens ab Italia, circuiendo, et fratres exhortando, ut ea quæ ab ipso didicerant, mente retinerent, et opere adimplere satagerent. Siquidem ejus doctrina fuit utjuxta quod præcipit sancti Benedicti Regula (cap. 7, grad. 12, et c. 72), in verbo, in omni actione, in vestitus qualitate, humilitatem videntibus se semper ostenderent : et ut honore invicem se prævenientes. dilectionem sine simulatione exhiberent. His et aliis virtutum operibus intentos, etiam distincte legendi

A atque psallendi magisterio erudivit. Hæc docendo cæteris monasteriis peragratis, pervenit ad cœnobium nomine Fiscannum, ubi plus solito infirmitate prægravatus, sentiens sibi imminere ultimum vocationis suæ diem, convocatis fratribus, per octo dies exhortans eos, atque absolutione et oratione Deo commendans, octavo die Natalis Domini sumpto Christi corporis et sanguinis sacramento, reddidit Deo spiritum. Cujus corpus a medicis qui ibi aderant conditum aromatibus, honorifice traditum est sepulturæ in ipso monasterio, ante altare Sancti Taurini confessoris. Post cujus obitum domnus Halynardus suscepit curam regiminis animarum; quem præfatus Pater successorem sibi elegerat cum consilio et laude fratrum, baculumque pastorale ei transmiserat. Obiit vero prædictus Pater noster Willelmus anno ab incarnatione Domini millesimo trigesimo uno. Et in ipso anno defunctus est domnus Lambertus Lingonum episcopus, decimo kalendas Septembris. Antequam ipse Pater finiretur, in ejus locum substituit Robertus rex episcopum Richardum vocatum, clericum litteris optime eruditum, et bonis moribus ornatum, tamen contra voluntatem cleri et plebis totius : quapropter post menses quinque adepti episcopatus, captus ac pulsus civitate, non multis post diebus veneno vitam finivit. Rex autem consiliis reginæ ad iram animatus, iterum dedit episcopatum cuidam clerico Carnotensis Ecclesiæ. Hugo hic erat dictus, fuisset que utile vas in domo Dei, si juvenilia desideria evitare, et superbiam calcare curasset. Sed is adjecta crudelitate eundo per fas et C nefas, ad ultimum postquam decem et octo per annos Lingonicum tribulavit clerum et populum, pulsus a sede judicio domni Leonis IX papæ, et archiepiscoporum, Halynardi scilicet Lugdunensis, Hugonis Bisontinensis, Vuidonis Remorum, Evrardi Treverorum, aliorumque multorum, qui præsentes fuerunt in concilio habito Remis civitate, in præsentia memorati papæ Leonis : ubi adfuerant pene totius Galliæ tam achiepiscopi quam episcopi, cum innumerabili multitudine cleri et populi.

Mors Roberti regis. Donum insigne ejusdem S. Benigno factum. — Hujus itaque Hugonis ordinatione instante, cum esset deductus ab Henrico rege juvene ad civitatem Lingonas cum magna ambitione, nuntiata est prædicto regi mors patris sui Roberti regis. Qui regnavit annis quadraginta et unum. Et ipse Henricus regni jam sextum annum agebat. Ipse Robertus rex interveniennte domno Lamberto episcopo, et Hugone Antisiodorensi episcopo provisore hujus loci, perdonavit salvamentum villarum quæ pertinebant ad jus Sancti Benigni, quarum hæc sunt nomina : Lariacus, Bicisus, Quintiniarus, Cromanius, Suliacus, Aguliacus, Ruffiacus, Aschiriacus, Bargas, Provisum, Colonias, Plomberias. Escuncias, Gironus, Corcellas, Tremolendum, Villarium, Pruneius, Lenteniacum, Dissum, Congus vicus, Saci cus, et omnes quæ ad ipsum pertinent villulæ, Siliacus, Asverias, Corcellas superiores

Norgias, Aziriacus, Dinatus, Mercenniacus, Pamerres, Fedeniacus, Spaniacus, Villakarli, villa Comitis, Ontearum (22). In his et cæteris villis ubicunque terra Sancti Benigni salvamentum reddebat, Robertus rex jussit aboleri amplius, ut non exigeretur a quoquam, sed ad profectum monachorum reddidit Deo et Sancto Benigno, posito super ejus altari dono, laudante Constantia regina ejus conjuge et filiis, Henrico tunc duce, atque Rotberto fratre ejus, qui illi successit. Et hoc donum firmavit præcepto regali, annuloque suo jussit insigniri: atque episcopis, et comitibus, ac cæteris primatibus qui præsentes aderant, corroborare jussit. Interfuerunt autem Lambertus Lingonensis episcopus, Hugo Antisiodorensis episcopus, Azelinus (23) episcopus Laudunensis, Gofredus episcopus Cabillonum, Beraldus episcopus Suessionum. Comites vero, Willelmus Nivernensis, Otto Masticonensis. Actum anno millesimo quindecimo, ipsius autem regi vigesimo octavo. Fecit et de locis ad hunc pertinentibus, videlicet de cella Belnensi, ac Puteolis, ut supra diximus. Proque his justum est ut anniversaria dies ipsius a nobis agatur.

De calice aureo octo librarum.—Eo tempore mortuus est Otto, qui et Willelmus dictus est, comes, anno videlicet millesimo vigesimo septimo, et in hoc Sancti Benigni monasterio sepultus: ubi et filius ejus comes et Wido ante aliquot annos tumulatus jacebat. Hic pro multis in hoc loco collatis beneficus, aliqua ex parte a nobis descriptis, promeruit ut semper memoria ipsius agatur ab hujus loci monachis. Supra memoratus Hugo episcopus Antisiodorensis, et comes Cabilonum, protector et advocatus hujus loci, dedit Sancto Benigno scyphum aureum pondo quinque librarum, ut fieret ex eo calix aureus ob expiationem culparum ipsius. Cui eleemosynæ addidit Richardus Normannorum dux sextam libram auri ut pro hoc aliisque pluribus nobis collatis bonis retributionem acciperet a Deo æternæ hæreditatis. Chunigundis etiam imperatrix, uxor Henrici Cæsaris, pro requie animæ prædicti principis dedit duas libras auri insuper et omnes gemmas ipsius calicis cum patena, studuitque facere vas elegantissimum, ut per hoc recolatur per ævum. Pro his cæterisque benefactoribus nostris insistendum est nobis orationi prece instantissima, ne aliorum gratis utentes bono, peccatorum eorum nostris superadditis, gravem accumulemus sarcinam super capita nostra.

Halinardi Lugdunensis episcopi actus describuntur. Fit canonicus.—Temporibus quibus hæc gesta sunt domnus Halynardus in hoc loco prioris agebat officium. Qui sequenti tempore etiam abbatis ac pastoris est assecutus nomen et meritum. Cujus memoriam dignum est nos assignare litteris, qui nos dulcibus ac paternis monuit institutis. Hic fuit oriundus Burgundia, nobilium virorum exortus prosapia. A Nam pater ejus Lingonum, mater vero Heduorum civis exstitit. Ab ipsis infantiæ rudimentis studiis litterarum traditus, superna providentia gemina scientia efficacissime claruit. Amabatur paterno affectu a venerabili præsule Heduæ civitatis, Walterio nomine, cujus filius erat in baptismate, ac ideo educabatur ab eo majori diligentia, ut post aptaretur in domo Dei lucerna. Processu vero temporis, decursa pueritia, cum eum jam sibi vindicaret adolescentia, a patre suo est traditus domino Brunoni Lingonum præsuli. Qui eum liberali cernens ingenio valere canonicorum studuit collegio copulare. In ea itaque urbe cum philosophos virosque audiret ecclesiasticos, divina inspirante gratia nulli sodalium erat inferior in sapientia. Fecunditas eloquentiæ gravitate componebatur sapientiæ. B Ex materia hujusce compositionis vas esse cœpit electionis. Cumque foret animi ad cuncta capacis nihil intentatum, nihil denique liquit inhaustum. Cum jam vestiri cœpisset vernantibus juventutis floribus, ita suam adolescentiam bonis instruxit moribus, ut eo tempore jam videretur monachus, integrum se et sincerum omni custodia ab his observabat vitiis, quibus contaminari solent homines hujus ætatis. Is enim imbui timebat, ne tenera in ætate his infectus esset, quibus cum vellet carere non posset. Juxta illud quod scriptum est: *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea* (*Prov.* XXII, 6.) Bonorum virorum et maxime prudentium contubernio potitus, turpitudinis sectatores exosus.

C *Deinde fit monachus. Ideo a parentibus multas patitur contumelias.* — Igitur cum pro sua omnibus chara benevolentia diligeretur a domno Lamberto Lingonum præsule, cuperetque eum idem pontifex collatis ecclesiasticis gradibus exaltare, ille respuens labilem et caducam mundi gloriam, hoc studuit opere adimplere, quod Dominus præcipit sermone. *Qui vult* (inquit) *post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me* (*Marc.* XIV, 24; *Luc.* IX, 23). Spretis itaque omnibus terrenæ possessionis stipendiis, ob spem futuræ repromissionis habitum sanctæ conversationis sumpsit. Sed non ibi defuit probatio tribulationis. Parentes namque ejus insequentes eum, atque ab hoc monasterio per consensum episcopi vi abstrahentes, nudatum habi- D tu monachi per publicum ita deduxerunt, ut pro hac verecundia odiret quod tantopere amplectebatur. Sed nihil proficit callida ars maligni contra doctrinam Sancti spiritus. Nullo modo quippe valuerunt eum revocare a sua intentione; verum parvo transacto tempore fugam iniit ut vel extra patriam posset perficere, quod in patrio solo non permittebatur adimplere. Sed iterum insecutus et captus, ad episcopum est reductus. Qui eum multis promissionibus et blanditiis demulcebat si quomodo posset animum ipsius ab hac intentione revocare.

(22) *Onterarum.* Alias, *Curte-Amon.*

(53) *Azelinus.* Acherius legi vult *Adelbero.*

At ubi vidit eum in sua persistere sententia, vix tandem permisit ei quod vellet agere. Sic itaque quod cupierat assecutus, deinceps alieno vixit imperio, ut in nullo quantum potuit deviaret a sanctæ institutionis proposito. Is enim procul a remotis hebetudine et murmure, singularis præ cæteris obedientiæ præeminebat virtute : implens in fratribus quod dicit sanctus Benedictus (*Regulæ* c. 71) : *Obedientiæ bonum non solum abbati exhibendum est, sed etiam sibi invicem obediant fratres.* Enimvero beati Benedicti, cujus subjacebat discipulatui, imitator existens, sapientem Dei stultitiam est adorsus, juxta quod præcipit Apostolus : *Si quis vult inter vos sapiens esse in hoc mundo, stultus fiat. ut sit sapiens* (*I Cor.* III, 18). Haud secus enim ac philosophi ad syllogismorum argumenta tota se conferunt mentis instantia, ita se contulit ad ea discenda quæ quotidianum per usum in monasterio sunt explenda. Quibus omnibus solerter sibi cura cognitis, et experimento memoriæ commissis, videri jam cœpit doctior cunctis.

Fit prior et abbas S. Benigni. — Hunc ergo ut in monachico ordine ita prudentem jam dictus pater Willelmus intellexit, congregationi fratrum præficiens, animarum curam eidem commisit. Quod ministerium tanta auctoritate tantaque adimplevit sollicitudine, ut omnibus secum conversantibus et exemplo fuerit et terrori. Regulari quidem contentus conversatione sic studebat parcimoniæ, ut differre nullatenus videretur a societate communis mensæ. Aliquorum vitia dum conspiceret reprehendenda, prius in unoquoque laudanda canebat, dehinc velut gnarus reprehendenda carpebat. Cunctos tamen sæpius admonebat, ut tales se Deo exhiberent interius quales humana opinio pro religionis habitu ferebat exterius.

Scientia pollet et facundia. Qua mente philosophos legebat. — Per cuncta ergo monasterii probatus officia, omniumque ministeriorum obsequiis non segniter adimpletis, primum præpositi sub ipsius abbatis imperio quatuor annis administravit officium, ad ultimum post præfati Patris obitum pastoralem suscipere curam, doctrina id exigente justitiæ, ab omni coactus est fratrum congregatione. Quod licet invitus et reluctans acceptum ministerium, cum cultui vineæ manciparetur divinæ, ut hujus se assignaret colonum, commune utile multorum magis quærebat quam proprium. Cunctis benignus, omnibus æquus ; nemini nocebat, quibus poterat prodesse studebat. Sana quippe doctrina ei inerat, quia suæ conditioni quod competebat, illud solerter agebat, propter illud Apostoli : *Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum* : *sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros* (*II Cor.* VI, 4). Sanctis etiam et modestis sermonibus inditus, obscenis et turpitibus omnino intercludebatur auditus : propter illud quod scriptum est : *Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam* (*Eccli.* XXVIII. 28). Adeo lectioni erat deditus, ut in itinere positus, libellum sæpius gestaret in manibus : itaque in equitando reficiebatur animus legendo. Philosophos vero sæcularisque sapientiæ libros cum legebat, illud sagaci sectabatur industria, quod per legislatorem divina vox præcipit de captiva. Hæc quippe quæ in philosophorum libris reperiebantur utilia, hæc sua dignabatur memoria : quæ vero superflua, de amore scilicet rerumque sæcularium cura, quasi venenata radebat et mortifera. Hic calvitium inducebat, hæc unguinum more ferro acutissimo desecabat. Ex lectionis ergo assiduitate scripturarum informabatur auctoritate : ita in canonicis ac monasticis valebat institutis, ut nulli videretur secundus in legum decretis, ac philosophicis argumentis. Tum virtute et sapientia compositus, fandi quoque honestissime copia ditatus, ita se coaptabat singulis, ut omnibus esset diligendus, implens illud Apostoli : *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos* (*I Cor.* XI, 22). Quidquid loquebatur, sapientiæ gravitate componebatur. Sermo ejus sale conditus, quo virtutis pondere brevis et rarus ea prudenti suavitate habebatur pretiosus. Ideoque quotiescunque ad ædificationem moralem faciebat sermonem, ut disertissimus, ita habebatur gratissimus. Gregem sibi commissum provida regens pietate, adversus pessimum sanctis omnibus inimicum concordi sanctoque certamine admonebat pugnare: et eorum quisque quod possit operari bonum non desisteret, ne tunc vellet quando non liceret. Illis etiam beati Joannis sæpius inferebat monita, qui in sua ait Epistola : *Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum* (*Hebr.* XII 14).

Archiepiscopat. Lugdun. donatus, imperatori suadet Odelricus eligatur. — Diligebatur quamplurimum a regibus Francorum Roberto et Henrico. Sed et Conradus imperator, et ejus filius Henricus Cæsar, illum nimio venerabantur affectu. Unde factum est ut, Lugdunensis sedis vacante antistite, ab ipso Henrico imperatore (eo quod olim sibi cognitus, et pro religiosa conversatione, ac fama sanctitatis erat valde dilectus,) oblatus est ei illius episcopatus honor. Ipse vero grave pondus procellosi culminis per custodiam refugit humilitatis : obtendens se monachum ad tantum onus nequaquam fore idoneum. Erat tunc in clero Lingonensi quidam clericus nomine Odelricus, ætate pariter ac sancta conversatione provectus, litteris apprime eruditus, qui tunc in palatio regis aderat, sed tamen principi non plene cognitus. Hunc domnus Pater noster Halynardus suasit expetendum : quem et sapientiæ ubertas et senectutis commendabat dignitas. His renuntiatis regi verbis, miratus vel quod oblatum honorem sacerdotii tam vili penderet, vel, quod in se denegabat pro alio tam sollicite expetebat, assensit, et episcopatus dignitatem memorato domno Odelrico concessit. Quem ipse Pater usque ad sedem deduxit : et quæque in obsquio illius competebant, ac si unus ex familia ipsius procuravit. Qui rexit Lugdunensem Ecclesiam par annos quinque, verbo et exemplo bonorum ope-

Auctor de se loquitur. — Dedit prædictus comes Rainaldus in supradicto burgo locum ad ecclesiam construendam; in quo exstructa fuit capella in honorem S. Andreæ apostoli. Quæ ex materia lignorum facta, per incuriam ad nihilum postea fuit redacta. Dedit in Evoregio terram, quæ fuit Theudeberti; quæ a monachis aliquandiu possessa est; sed propter contrarietates, quas Odilo quidam faciebat eis, intermissa ab his, usque dum possidentibus ipsis locum sancti Anatolii, iterum jam dictus comes restituit illis. Actum est hoc ab Incarnatione Domini millesimo vigesimo sexto, post mortem Willelmi comitis, qui ipso anno obiit. De habitatoribus vero ipsius oppidi aliquanti clerici vel laici venientes ad conversionem monachicam in hoc monasterio, dederunt facultates suas sancto protectori nostro Benigno. Aliquanti offerentes filios suos, similiter contulerunt de rebus suis. Inter quos pater meus me offerens, exceptis aliis rebus, dedit secus puteum domum, et sedem unius caldariæ: quæ super solutione census data est postea, ea conventione, ut qui eam teneret, quadraginta sex solidos omni anno persolveret.

Aliquanto post transacto tempore idem memoratus comes Rainaldus juxta castellum, Vesullum dictum, dedit ecclesiam in honore sancti Georgii sacratam, ut ibi construeretur monasterium, et quatuor monachi ibidem constituerentur, qui omni tempore Deo servientes exorarent pro requie animarum patris sui ac matris, fratrisque, ac pro semetipso, omnique parentela. Dedit ad eorum stipendia vineas et terras, vel quodcunque fuit necessa-

C

A rium: piscationem insuper cum hominibus qui de hoc ministerio sibi serviebant. Huic donationi præsens fuit memoratus archiepiscopus Hugo, deditque per baculum, quem ferre manu solebat, altare prædictæ ecclesiæ abbati Halynardo, et ob memoriam hujus rei commutaverunt virgas suas. Burchardus quoque comes dedit locum Offonis-villa dictum, quondam nobilem abbatiam, et in honore sancti Leodegarii consecratam, utque monasticus ordo ibidem repararetur deprecatus est enixius memoratum abbatem Halynardum.

Sed et Rotgerius dominus castri, quod vocatur Wangionum rivus, ecclesiam a patre suo Widone in honorem sancti Stephani constructam ea intentione largitus est, ut expulsis canonicis monachi

B ibi collocarentur ad serviendum Deo die noctuque. Rainaldus etiam possessor castri, quod Castellion dicitur, ad obitum veniens, ac sumens habitum monachicum, dedit potestatem sancti Juliani cum omnibus ad eam pertinentibus terris, et mancipiis, atque ecclesia ipsius sancti nomini dicata: ubi petiit monachos constitui, qui pro ejus anima ac cæterorum fidelium exorarent Deum. Simili modo Albertus comes Metensis dedit villam quam dicunt Wlferei curtem cum mancipiis utriusque sexus. Ipse quidem in vita sua dare disposuit, sed eo mortuo Girardus dux filius ejus adimplevit. Necnon et matrona quædam, Letgardis nomine, soror Lamberti episcopi, dedit ecclesiam sitam in villa dicta Islo super Mosam fluvium, in comitatu Bassiniacensi.

Finis historiæ præsentis.

CHRONICI ABBATIÆ S. BENIGNI CONTINUATIO.

Non autem a nobis hujus antiqui sacrique divi Benigni modernis monasterii cultoribus prætermittenda sunt, et oblivioni tradenda, quæ ad decus et ornatum hujus ecclesiæ totiusque congregationis commodum fecerunt, seu concesserunt supradictorum abbatum, benefactorumque præclarissimi successores. Quis enim digne venerabilium Patrum Jarentonis, Odonis, Hugonis, Roberti, aut Alexandri, sive illius maximi nostri benefactoris domni Claudii de Charmis benefacta enarrare valebit; aut eadem potius nixu toto discere non desiderabit?

D Itaque quoniam (ut ait quidam) plus movent exempla, quam verba, utque illorum exemplo bene vivere sancteque in congregatione hac conversari satagamus, cupiamusque, ad ipsorum balbutientes licet nobilissima præclarissimaque gesta explicanda calamum (Deo concedente) adaptare audebimus, atque curabimus.

De vigilantissimo pastore Jarentone.

Jarento igitur hujus cœnobii venerabilis post Halynardum tertius abbas electus (præfuerant enim Joannes et Adalbero, de quorum gestis nihil prorsus nobis reperiri potuit) ad hoc veniens monasterium illud ferme destitutum invenit: nam et forinsecus possessiones factione pravorum principum annullatæ pene fuerant, interius autem observantia regularis, fervorque religionis tepefactus omnino videbatur. Sed ipsius venerandi Patris diebus satis amicabiliter, placide, et benigne hanc Ecclesiam visus est Deus respexisse, cum aliquantis antea temporibus ipsam miserabiliter visus fuerit (ut hoc modo loquar) despexisse. Is namque venerabilis pastor divino fultus auxilio, et religionis cultum in pristinum statum restituit, et non paucas possessiones amissas recuperavit, ac nunquam prius habitas sua prudentia acquirere meruit. Nam quia erat profundus scientia et eloquio prudens consilio, principibus tam ecclesiasticis quam sæcularibus valde placebat. Et quoties illos adisset, maximum in eorum curiis locum habebat, et ab ipsis magnifice muneratus redibat. Porro illi non satis erat per vicina sibi loca ecclesiæ sibi commissæ commoda perquirere, sed ad

exteras et remotas regiones,in Hispaniam scilicet, atque Angliam pergendo,aurum, argentum,pallia, aliquanta autem et ecclesiastica ornamenta undecunque huc convehebat.Et ut fidelis minister quæ sibi a fidelibus tradita fuerant,domus suæ fideliter utilitatibus impendebat.Unde et contigit divina favente clementia,ut in diebus ejus tam religionis gratia, quam externarum rerum affluentia, super omnes sibi vicinas hæc Ecclesia caput extulerit.Verum de possessionibus per eum recuperatis vel etiam acquisitis aliqua memoranda referamus. Hic venerabilis Pater sua industria cellam sanctæ Mariæ Cabilonensis recuperavit, necnon et cellam de Sarcophagis.Tuntardus (25) Valentinensis episcopus hortatu præfati Patris Jarentonis dedit nobis ecclesias quas iu Valentinensi territorio habemus.

Hugo quoque Bisuntinensis archiepiscopus favore ipsius Patris Jarentonis nobis contulit capellam de Logia novella.Necnon et Aganon Eduensis episcopus etiam nobis dedit ecclesiam sancti Jacobi de Arneto. Ipso etiam interveniente duo nobiles viri sub eo conversi, dederunt alodium suum de Hischino. et S. Benigno de Bosco.Per ejus siquidem ac monachorum illius industriam habitari et reædificari cœperunt villæ istæ : videlicet,Casnedus major et minor, Marcennarius, Varescis et Misiniacus : ex quibus duas,Casnedum scilicet et Marcenniacum, ad anniversarium suum faciendum deputavit.

Hujus autem jam dicti Patris tempore venerandus Ecclesiæ Bajocensis præsul,Odo vocatus, a suorum progenitorum Northmanniæ comitum,qui hanc Divionensem Ecclesiam affectu unico dilexerunt, eamque rebus et possessionibus plurimum provexerunt, tramite salutari minime degenerans,imo potius imitator eorum perfectus existens,affeetum ipsorum suo tempore studuit renovare, ut et sua illorum memoria apud nos semper nova merito debeat perdurare. Cujus devotionis indicia, ut ex parte tangamus, cum vice quadam Urbanum papam intra Gallias constitutum expeteret,Divionem veniens a jam dicto Patre Jarentone,et fratribus hujus loci, tanta honorificentia exceptus est,ut sibi nimis incompetens videretur,si tanto eorum obsequio æquali vicissitudine non responderet,et suum erga eos affectum perenni testimonio comprobaret.Unde adhortante ipsum Willelmo Bajocensis Ecclesiæ decano, pariterque Richardo Rothomagensi archidiacono,dedit sancto Benigno hujus Ecclesiæ Divionensis protectori, per manum supra memorati abbatis Jarentonis, monasterium sive prioratum Sancti Vigoris extra urbem Bajocensium in monte Cirismatis situm, cum omnibus appenditiis suis,videlicet plenariam decimam totius villæ in qua monasterium situm est, tam in hominibus et territorio quam in cæteris. Dedit et Burgenses quatuor, duos in campo Florido,et reliquos apud pontem Olberti, cum terra et consuetudinibus eorum.Dedit et plenariam decinam de villa Tur,cum terra presbyteri. Item ecclesiam de Olferes, ecclesiam de Cruceyo,et ecclesiam de Colgrino cum plenariis earum decimis,et terris ad ipsas pertinentibus, ac terris presbyterorum. Dedit et plenariam decimam de tota Crecavilla,cum terra presbyteri,ea videlicet quæ ad ecclesiam pertinet. Constituit præterea præsul supra nominatus ibidem fieri suam et omnium post futurorum pontificum, canonicorumque Bajocensium sepulturam. Verum quia hæc omnia, et quæ supra retulimus Divionensi ecclesiæ in Galliis positus dederat,ipsam eamdem donationem post modum apud Bajocas in manu præfati abbatis, laude et testimonio clericorum suorum tradidit.Et charta facta non solum quæ dederat confirmavit,sed insuper plura addidit : peculam scilicet multam, domos segetibus diversis refertas, animalium etiam promiscui generis greges centenarium numerum excedentes.

Multa Robertus episcopus. Lingon. tribuit [S. Benigno. Jarento diem extremum clausit. Ademarus abbas. — Domnus Robertus, Ecclesiæ Lingonensis episcopus,qui celsa regum Franciæ ac ducum Burgundiæ stirpe progenitus erat,postquam divina favente gratia pontificatus suscepit regimen,antecessorum suorum pontificum,qui hanc ecclesiam materno semper coluerunt affectu,ita se studuit informare exemplo, eorumque in se transferre animum, ut, quoad vixit, miro semper amore hunc locum dilexerit,et libertate munifica donis ingentibus cumulare studuerit. Denique Dei sanctique Benigni amore succensus,præfatique abbatis Jarentonis frequenti exhortatione commonitus, dedit nobis ecclesiam de Noant,cum capella sive sacello ejusdem castri,et omnibus tam ecclesiis quam altaribus ad ipsas pertinentibus.Dedit etiam ecclesiam de Claromonte, ecclesiam de Magnomonte,ecclesiam de Icio, ecclesiam de Casnedo, eeclesiam de Spaniaco, ecclesiam de Vareso, ecclesiam de S. Lupo, ecclesiam de Germani villare,ecclesiam de Riviaco, ecclesiam de Occeio,et ecclesiam de pago Adeleni curtis.Addidit præterea ingens erga hunc locum suæ benevolentiæ documentum.Capella namque Wangionisrivi, juris erat Ecclesiæ Divionensis, sed clericis illam tenentibus nullus inde veniebat profectus : unde frequenter a prædicto Patre Jarentone super hoc compulsus precibus,Guydonis etiam ejusdem castri nobilissimi domini crebra exhortatione commonitus,clericis inde remotis,tradidit eamdem capellam monachis cum omnibus quæ ad ipsam pertinebant, ecclesiam videlicet de Sariscaco, cum omnibus ad eam pertinentibus,dimidiam capellam de Roecurte, et medietatem decimarum,ipsius ecclesiæ de Masnili decimam totam : altare ecclesiæ de Hericurte : terram de Grincurte : medietatem quoque decimarum de Columbeiaco, ubi sunt duæ ecclesiæ.

Constituit etiam supradictus præsul Robertus, ut ecclesias Sancti Joannis et Philiberti,quæ intra Di-

(25) *Tuntardus.* Acherius emendat, *Gontardus.*

vionem sitæ sunt,liberius et quietius possideremus. Et ut presbyteri in eis celebrarent,aut subrogarentur, vel removerentur ad nutum abbatis,sive hujus loci monachorum, ipsosque presbyteros ab omni exactione presbyterii,episcopi vel archidiaconi immunes esse decrevit.Præcepit etiam prædictus episcopus ut totus panis qui in eisdem ecclesiis offerri consuevit, in refectorio fratribus apponi debeat:ut sæpius dum corpora inde reficerent,largitoris animam ipsi quoque suis precibus recrearent. Suos autem dies in Domino clausit extremos præfatus Pater noster Jarento,migrans ad Dominum anno a Dominica Incarnatione millesimo centesimo quinto. Cui successit in regimine pastoralis offidii Ademarus.Hic inter hujus ecclesiæ benefatores connumerari meruit.

Abbates S. Benigni. Hugo, Petrus, Petrus, Philippus. — Eo autem defuncto, huic congregationi præfuit in regimine Henricus: post quem Hugo, Petrus. et alius nomine Petrus, abbates succsserunt. His decedentibus præfuit huic ecclesiæ domnus Philippus abbas,qui inter præcipuos computatur,et reliquit eximiam in die obitus sui procurationem,pro ejusque anniversario plurima habemus bona.

Joannes, Haymo, Petrus, — Citra hæc tempora domui contulit huic quidam miles,nomine Richardus Bigot,quatuor jugera vineæ, sita in campo Bertrand, cum tribus heminis frumenti.Odo etiam miles, ejusdem Richardi filius, dedit nobis tria jornalia vincæ existentia in territorio Descolonges,pro anniversario suo singulis annis celebrando. Hi autem ambo in hoc loco sepulturam meruere. Dedit etiam nobilis femina Aglantina, uxor Bartholomæi militis de Villa Comitis,quadraginta solidos annualis redditus:quæ et in hac ecclesia cum præfato conjuge, ac etiam filio tumulata est. Præfuerunt tunc huic monasterio Joannes et Aymo abbates, qui pauca gesserunt in regimine existentes.Petrus autem illis succedens in pastorali cura, multa ad ornatum et commodum suæ ecclesiæ dicitur gessisse.

Nivaldus, Galterus, Adam, Gilebertus, Stephanus, Petrus. Richardus, Aymo, Hugo. — Successerunt huic subsequentes Patres:Nivaldus videlicet,Galterus, Adam,Gilebertus,qui de præcipuis hujus abbatiæ benefactoribus est unus.Rainaldus (26) ejus successor pro anniversario procurationem fecit. Stephanus Raymundus Loys nobis plurima contulit bona. Hic ergo cum præcipuis meruit adscribi. Ipsius tempore(ut creditur) Otto dominus de Grandissono contulit huic monasterio, pro una missa quotidie in altari Sancti Stephani celebranda, triginta tres liberas annualis reditus, et sexaginta solidos pro anniversario suo quotannis celebrando. Præfato venerabili Patre Stephano ad Christum migrante,electus est pro pastore venerandus Petrus. A Hic fertur plurima nobis bona contulisse, quamvis a nobis nil per scripturas repertum sit: et ideo cum præcipuis adscriptus est et habet in refectorio duodecim præbendas. Post hunc præfuerunt huic abbatiæ Richardus et Aymo, qui et duodecim præhenbas habent. Hujus autem diebus quidam Jacobus nomine dedit hujus loci monachis centum solidos Divionenses annui reditus sive census. Præmisso Aymone ad Christum properante, exsurrexit e medio venerandus præ cunctis Hugo de Arcu,honestissimæ conversationis Pater, bonisque moribus adornatus.Hujus autem tempore contigit in hoc monasterio res terribilis atque miranda: turris namque lapidea in medio antiquæ ecclesiæ super bases lapideas summopere stabilita, dimensione B longitudinis, latitudinis,et altitudinis copiosa, nobilique fabrica constructa, horribiliter corruit.Sed (o miranda res!)theca lignea,quæ in inferiori parte ecclesiæ pretiosissimas reliquias continebat, super duas columnulas lapideas stabilita, majus ruinæ pondus sustinuit.Quæ quidem theca omnino illæsa diruptis duabus columnulis nullo alio visibili supposito,per seipsam miro modo subsistebat. Lampades etiam quæ in loco dictæ thecæ continuo in veneratione sanctarum reliquiarum ardebant, nec propter tantas ruinas, tamque terribilem flatum et sonitum, nec propter pulveris inexcogitatum turbinem exstinctæ sunt.

Hugo abbas ædificat ecclesiam S. Benigni. — Quid igitur isthæc prænuntiabant nisi novæ reædificationis istius templi divinam dispositionem, exaltationisque C sanctarum reliquiarum futuram ordinationem designarent?Nam sicut sancto David a Deo fuit prohibitum ædificare domum Dei in Hierusalem, eo quod vir sanguinum esset, quod Salomoni ejus filio permissum est; sic etiam sanctis Patribus in hoc monasterio degentibus, ex aliquo Spiritus sancti consilio speciali,non fuit permissum domum Domini his reædificare, sanctas reliquias exaltare, huic autem Salomoni Pacifico, prædicto videlicet Patri Hugoni, ex gratia privilegii specialis reservatum est.Et quoniam melior est obedientia victimis, ideo venerabilis supradictus Pater, inspirationi divinæ non recalcitrans, sed devotissime obtemperans,celeriter operi fabricæ hujus ecclesiæ (ut impræsentiarum est) porrexit dexteram.Quæ quidem D fabrica quantis excogitata vigiliis,quantisque sumptibus laboriosis exstructa fuerit, ipsamet loquitur et satis demonstrat.Completa autem anteriori parte jam dictæ fabricæ, quæ juxta vulgare idioma presbyterium nuncupatur, sæpedictus Pater secundum diu ante conceptum propositum aggreditur opus dulcissimum atque amantissimum;thecam videlicet argenteam decentissima textura conceptam, auro et argento, gemmisque compositam fabricare, in qua sanctæ reliquiæ, quæ diu in imo latitaverant, honorifice conderentur. Qua completa, illius fretus adjutorio qui perficit et solidat omnia, convoca-

(26) *Rainaldus.* Alias, *Raymundus.*

vit prædictus Pater barones, archiepiscopos, episcopos, abbates, aliosque prælatos, dissimilitudine officiorum graduumque uni Domino famulantes, cum clerici et populi multitudine copiosa. Congregatoque tam nobili cœtu pretiosissimas patroni nostri Christi athletæ Benigni de loco ubi annis plurimis quieverant, reliquias amoventes, infra dictam thecam sive capsam, post majus altare decenter atque sumptuose in alto stabilitam, in hymnis et confessionibus Dominum benedicentes, cum maximo cleri pupulique gaudio condiderunt, anno a Christiana nativitate millesimo ducentesimo octogesimo octavo, quarto Kalendas Novembris.

Hujus autem venerabilis Patris tempore, multi ex ejus progenie et alii multi extranei, huic ecclesiæ et ejus habitatoribus multa bona contulerunt. Inter quos præcipuus fuit Hugo, dominus de Arcu, miles, et Marguareta ejus uxor. Qui quidem Hugo nobis dedit sexaginta solidos Viennenses, sitos et assignatos super homines Disier, recipiendos in die anniversarii sui per monachos hujus loci, quotannis celebrandi. Humbertus etiam de Arcu dedit tres heminas frumenti pro procuratione. Dedit etiam nobis quænam nobilis domina, dicta Isabella de Pesinis, pro annivarsario quadraginta solidos Turonenses, in die obitus sui annuatim percipiendos: hæc autem moriens intus suam elegit sepulturam.

Abbates Girardus, Henricus, Millo, Joannes, Otto, Petrus. — Plurimis denique in pastorali cura transactis annorum curriculis sæpe memorato Hugoni venerando, atque plangendo Patri, ad æterna gaudia feliciter migranti successit abbas Girardus. Post quem præfuit huic ecclesiæ Henricus, deinde Millo. Quorum tempore pauca nobis benefacta reperiuntur exhibita. Sed his ad cœlestia regna vocatis, successit venerabilis abbas nomine Joannes. Hic in die anniversarii sui procurationem fecit. Circiter hæc tempora contulit nobis quidam presbyter motus devotione erga beatum patronum nostrum Benignum, Galterus de Boux nominatus, sex medios vini singulis annis pro suo anniversario, Imaginem quoque prædicti nostri protectoris Benigni nobis libere donavit. In hoc loco post præfatum Joannem præfuit Otto, qui nihil ad suæ ecclesiæ ornatum reperitur gessisse. Cui successit Petrus, qui et prædecessori consimilis exstitit.

Petrus alter, Joannes, Guillelmus, Petrus. — Post hos surrexit alius nomine Petrus qui cum præcipuis benefactoribus nostris scribi meruit. Hic (ut a quibusdam fide dignis audivi) a domno Hugone tunc Burgundiæ comite ob sanctitatem qua fulgebat, morumque nobilitatem, a fratribus hujus loci cum humillimis precibus est expetitus, ut videlicet ipse Pater secum beati Jacobi ecclesiam quæ est in Gallicia visitare dignaretur. Quod cunctis annuentibus monachis, feliciter complevit. Tandem autem Domino spiritum commendans, successores habuit Joannem, Guillelmum, et Petrum hujus loci abbates.

A *Vladislaus dux Poloniæ monachus.* — Horum diebus licet pauci huic ecclesiæ benefecisse reperiantur, unus tamen Joannes hujus loci monachus, qui faciendum curavit calefactorium dormitorii, fundavitque ligna huic necessaria, est inter cæteros annumeratus. Hugo de Ray prior Sancti Apollinaris cum Huot patre suo, et Marguareta matre ipsius, nobis contulerunt viginti francos, præter domum de la Tannarie. Necnon vir illustrissimus ac nobilissimus nomine Voladislaus, qui prius fuerat dux Albus de Polonia; deinde in hoc loco monachus, sed sobole deficiente per papam dispensatus habitum relinquens donec hæredem regni sibi successorem haberet. Tandem autem occumbens, hicque sepulturam eligens, huic cœnobio contulit duo B millia et quingentos florenos pro duobus anniversariis.

Alexander de Monte-Acuto abbas. — Sed ut ad laudem venerabilis Alexandri de Monte-acuto, prædicti Petri successoris, quidquam enarremus, minime remittendus est calamus. Hic etenim hujus insignis Ecclesiæ constitutus abbas, ipsam magnopere intus et foris continuo studuit adornare. Vascula namque argentea, necnon et pannos aureos, cum plurimis sericeis ornamentis, ac quidquid in ipsa ecclesia tunc decora erant, nobis contulit. Fundavit calefactorium refectorii, et similiter anniversarium suum, necnon eleemosynam tredecim pauperum in eadem die faciendam quarto Kalendas Maii. Hic præterea venerandus Pater religionem C in hoc loco prudentissime reformavit, manutenuitque et in nullo tepescere permisit quandiu vixit. Totum etiam monasterium strenue gubernavit, reparavit, et in multis decoravit. Dereliquit interea memoratus Pater Alexander successori suo Joanni circiter sex millia aureorum, præter cætera bona. Et ut summatim de eo perstringam, ei non credimus æqualem huic loco præfuisse usque ad abbatem Hugonem, qui (ut supra meminimus) ecclesiam thecamque argenteam fabricavit. Hic etiam Alexander dicare fecit ecclesiam hujus monasterii; in crastino autem ejusdem dedicationis annuatim solemne anniversarium sibi ab hujus loci conventu libere concessum. Hic fecit bis refundi magnam campanam quæ Benigna nuncupatur. Justitiam supradicti nostri monasterii, quam pene amittebamus, D recuperavit, ac solemnia aresta parlamenti Parisiensis super eo obtinuit.

Joannes abbas. — Hujus reverendi nostri pastoris tempore quidam vocatus Joannes, qui in hac domo conversus erat, nobis donavit pro anniversario suo singulis annis per hujus loci fratres celebrando quatuor viginti francos, et multa alia nobis fecit. Insuper faciendum curavit crucifixum qui in angulo claustri depingitur. Prænominatus autem venerabilis Pater Alexander, postquam pluribus annorum curriculis abbatiam de Flaviniaco (prius enim illic abbas fuerat) ac etiam præsens cœnobium devotissime gubernavit, a Christo evo-

catus est, anno ab ipsius Domini nostri millesimo quadringentesimo decimo septimo; die quinta mensis Septembris, nobis relinquens successorem, quem prænominamus Joannem de Marcha, abbatem.

Stephanus. — Eo autem die obeunte, huic loco abbas fuit nomine Stephanus. In cujus diebus quidam Renaudotus vocatus, ducis Burgundiæ cubicularius, ac in hoc loco bastonarius, perpetuo fundavit missam in altari Sancti Pauli, quod de novo ædificavit,ipsum dotando quadraginta libris. De quibus viginti quatuor dantur cantori et refectoriario, eam celebrantibus, reliquum vero conventui remanet. Dedit etiam præfatus Renaudotus in fine vitæ suæ ducentos aureos pro duorum anniversariorum fundatione.

Petrus, Hugo de Monte Cuniculo. — Petro autem abbate post præmissum Stephanum regiminis hujus Ecclesiæ curam gerente, Joannes de Laudona cognominatus hujus cœnobii eleemosynam dedit nobis,viginti solidos redditus annui,assignatos supra domum quamdam sitam in castro de Jusseio. Dederunt etiam nobis Joannes de Visen consiliarius domini ducis Burgundiæ, et Joanneta uxor ejus, vas argenteum, in quo repositum est os brachii sancti Laurentii martyris. Tandem migranti ad Dominum Petro supramemorato Patri successit venerabilis Hugo de Monte Cuniculo. Cujus tempore frater Joannes Broissandi hujus cœnobii camerarius, reædificari fecit aulam conventus,situatam juxta domum Camerarii, ac domum Albani, cum torculari sitam ante ecclesiam Sancti Philiberti. Hic etiam fundavit pictantiam carnium, quæ ter in hebdomada a Pascha usque ad Ascensionem Domini fratribus in refectorio distribuitur. Item fundavit dietam carnium faciendam in festo beatæ Mariæ Magdalenæ. Fundavit etiam lampadem cum oleo jugiter ardentem ante altare beatæ Mariæ in navi ecclesiæ. Etiam fundavit luminare in festivitatibus ejusdem beatæ Virginis, ut fit in festis apostolorum; ac etiam luminare duorum anniversariorum suorum, ut mos est facere in aliis præcipuis. Andreas de Momoreto in hoc loco infirmarius, tunc nobis dedit imaginem sancti Blasii argenteam, auroque amplissime decoratam,cum una ditissima cappa aurea. Pro anniversario suo Jacobus etiam prædicti Andreæ frater, subprior ne Lareyo dedit Conventui centum libras Turonenses manualiter tradendo, cum cappa de colore quem vulgariter dicunt *cramoisi*, pro suo anniversario. Femina quædam dicta Agnes de Cyterneio, nobis etiam donavit triginta solidos, sitos ac assignatos supra quamdam domum sitam in Cœmeterio.

Humbertus de Saulbiez. — Præmissus autem Pater Hugo pro fundatione unius anniversarii nobis contulit ducentos aureos, cum quatuor libris Turonensibus. Fecit etiam fieri campanas sive tympana in hac ecclesia. Dedit præterea sex viginti francos pro facienda procuratione in translatione sancti

A Patris Benedicti. Migravit autem ad Dominum anno ipsius Incarnationis millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo. Post hunc præfuit in hujus Ecclesiæ pastorali cura domnus Humbertus de Saulbiez, qui fieri jussit expensis propriis magnam vitream ad introitum ecclesiæ existentem. Hujus diebus prior de Arneto, nominatus Guillelmus d'Aguilly, dedit hujus monasterii habitatoribus viginti libras Turonenses annui census, redimibiles pretio trecentarum librarum.

Walterius de Falerenco, Ludovicus de Tintavilla. — Huic Humberto successit Walterius de Falerenco cognominatus. Hic septingentos aureos (ut dicunt) conventui distribuit. Imo pro ejus intentione dici debet in missa de beata Maria, collecta *Inclina :* et
B post prædictam missam (quæ scilicet dicitur in veteri ecclesia) quotidie dici debet antiphona de prædicta beata Virgine, cum collecta de eadem; et *Deus qui proprium*, pro ipso Patre. Morientem autem subsecutus est in regimine venerandus Pater Ludovicus, qui de Tintavilla vocatus est; sed pauca gessisse repertus est.

Circiter hæc tempora religiosus quidam, nominatus Benignus de Chemilli, in hac domo camerariis,fundavit missam de beata Dei Genutrice,singulis diebus Sabbati celebrandam, et in omnibus solemnitatibus ejusdem beatæ Virginis eamdem missam dici quoque instituit. Guillelmus Regnandiu, hujus domus prior claustralis,manualiter nobis dedit centum libras Turonenses pro uno anniversario. Godefridus etiam cognominatus Domboys,
C hujus loci camerarius, contulit huic monasterio tres heminas frumenti, singulis annis per nos recipiendas.

Claudius de Charmis. Ejus morum probitas. — Post præmissos autem omnes venerabiles pastores, nobis Deus veram in Ecclesia sua lucernam suscitare voluit, vigilantissimum videlicet gregis sui pastorem, venerandumque Patrem ac dominum, dominum Claudium de Charmes, sacri hujus cœnobii abbatem meritissimum, qui ex nobilissima Divionensium procerum prosapia exortus, a puerilibusque diebus in hoc loco sacro beatissimi Patris nostri Benedicti habitu vestitus,cum primum ad annos pervenisset discretionis, primo cœpit in vinea Domini florere, ac magis magisque pullulare. Fuit
D namque ob præclaram,qua præfulgebat, prudentiæ molestiam, ac piam in omnes benignitatem, morum quoque honestatem, hac in domo subcellerarius,eleemosynarius etiam constitutus est. Quodam vero futuræ præsagio sublimitatis, hic etiam sacristiæ certis temporibus habere meruit officium. Et ut paucis perstringam,sicut de venerabili Patre Halinardo supra tactum est, omnia hujus Ecclesiæ ferme officia solerter et sedulo prudenterque exercuisse visus est.

Tandem autem defuncto reverendo Patre Ludovico de Tintavilla (cujus supra meminimus) hujus loci abbate, non vi armorum, equorumve

strepitu, neque etiam ob nobilitatis, qua præpollebat, celsitudinem, imo potius probis id exposcentibus suis moribus, ob bonamque vitæ per omnia jam cognitæ famam, ac divina, ut pie creditur, hoc concedente voluntate, ad pastorale hujus Dominicæ domus electus est officium. Hic autem in dominico agro ut sedulus cultor, ac fidelis dispensator, talentum sibi creditum, non in terram fodiens, aut abscondens, sed ad decus honoremque ac utilitatem et ornatum Domini sui et sponsæ sanctæ matris Ecclesiæ totis viribus explicare decrevit.

Quæ contulerit beneficia describitur. — A capite namque incipiens præfatus Pater in hac domo campanile seu tympanibulum mirando quidem ac præ cæteris excolendo opere constitui, plumbeisque laminis ac magnifice collocatis cooperiri jussit, prout cunctis ad hunc locum accedentibus facillime perspicitur. Ipsam quoque ecclesiam propriis expensis dealbari fecit, ornatiusque quam antea fuerat, decoravit. Fecit etiam præfatus abbas refundi magnum signum, sive tympanum aut cymbalum, quod in benedictione beati Benedicti nomen assumere voluit, multasque metalli libras in eo addidit. Crucem quoque quæ ante majus altare erigitur, deaurari fecit.

Anno præterito centesimo quinquagesimo et uno, die quarta mensis Januarii, donavit, et manualiter tradidit præfatus venerabilis Pater, ipsum fervida monente devotione, priori et conventui hujus supra nominati monasterii, summam trium millium librarum Turonensium, pro acquirendis censibus et redditibus. Ea videlicet intentione quod in præfato monasterio pro se suisque omnibus parentibus, familiaribus, benefactoribus vivis ac defunctis, pro spe salutis et incolumitatis suæ, singulis diebus, perpetuisque temporibus per fratres ipsius monasterii celebrentur et dicantur duæ missæ. Prima scilicet alta voce, cum diacono et subdiacono in majori altari hujus prædicti monasterii, forma et modo quibus consueverunt aliæ missæ conventuales in ipsa ecclesia celebrari. Secunda autem submissa voce celebrabitur per unum fratrem monasterii prædicti, in loco, et modo, et tempore fundationis earumdem super hoc confectis litteris plenius declaratis.

Præfatus nihilominus Pater venerabilis Claudius de suprascriptis nobis a se libere collatis beneficiis minime contentus, sed devotionis ampliori fervore tactus, acceptantibus prænominatis priore et conventu, dedit manualiterque tradidit priori et conventui summam duorum millium et quatuor centum librarum Turonensium, intentione qua supra, acquirendi census et redditus, pro solutione servitiorum divinorum quæ fieri cupiebat et intendebat. Instituit namque præfatus abbas ultra supra declarata suffragia, ut singulis quatuor temporibus, die videlicet Mercurii, celebrentur per tres priores hujus prædicti cœnobii, tres magnæ missæ A in jam dicto majori altari, et centum parvæ, quæ nullibi dicantur nisi in prædicti S. Benigni ecclesia per fratres ipsius monasterii, vel alios religiosos, aut sæculares, prout in jam dictis litteris declaratur. Dici etiam debent per prædictos fratres die Martis præcedente dietam Mercurii quatuor temporum diem, post prandium alta voce et solemniter, vigiliæ pro defunctis cum novem psalmis et novem lectionibus.

Item intendit sæpedictus Pater, ut per prædictos fratres ipsius monasterii singulis diebus Adventus, et Quadragesimæ, hora secunda post meridiem, dicantur etiam integraliter, solemniter, et alta voce vigiliæ defunctorum novem psalmorum, et novem lectionum, exceptis Dominicis diebus in quibus non B dicuntur. Quæ scilicet suffragia sive servitia divina qui dixerint, et ipsis interfuerint, summas in supra dictis litteris ad hoc confectis declaratas, ab hujus dicti monasterii pitanciario erunt recepturi. Non tantum autem prædictas pecunias nobis contulit præmemoratus abbas Claudius, imo etiam plurima donavit ecclesiæ ornamenta aurea et serica. Dedit namque ad ornatum suæ ecclesiæ divinumque cultum exaltandum, unam pretiosissimam ac ditissimam casulam cum dalmatica atque tunica. Quæ videlicet ornamenta auro fulgentissimo abundanter sunt conserta ac composita. Dedit insuper cuppam argenteam, in qua reconditur Dominicum corpus, multo auro copiosissime decoratam. Deinde fieri fecit armariola ad sinistram partem majoris altaris novæ ecclesiæ statuta, quorum partes interio- C res ferreæ sunt in modum trilicis sive fenestrellularum quarumdam fabricatæ, auroque magnifice deauratæ, ut inibi decentius reverentiusque reconderentur sacræ ac pretiosæ ipsius ecclesiæ reliquiæ : et maxime cervices sive capita sanctorum, videlicet Benigni Patris nostri, Gregorii Lingonensis episcopi nostri fundatoris, et Radegundis Francorum reginæ. Quæ scilicet Gregorii et Radegundis capita ipse dominus Pater Claudius multo argento auroque sicuti exstant ornavit, munivit et decoravit amplissime. Pilas etiam sive columnas, aut si mavis pilaria, ex aurichalco conflata ante prædictum altare, ac ad ipsius altaris ornatum, sex numero construi fecit. Quæ desuper sex angelorum Christi passionis insignia repræsentan- D tium imagines sustinent : auroque ditissime decorata et insignita, cunctis facilius cernentibus apparere possunt.

Urbs Divio obsidetur. — Circa annum Dominicæ incarnationis millesimum quingentesimum decimum tertium, christianissimo rege Ludovico duodecimo in Francia triumphante, in hac autem domo præsidente memorato reverendo Patre, gens Suevorum, sive, ut eos quidam nominant, Helvetiorum, gens quidem fera et avara, de Germaniæ partibus egrediens, non quæ domini sui sunt, sed propria sectans, ad jussum (ut dicebant) Maximiliani tunc imperatoris Divionem obsedit, vastassetque ac depopu-

lata fuisset, si non sanctissimi protectoris nostri Benigni, ad quem confugiebant, sacrorumque in hac Divionensi oppido quiescentium sanctorum precibus, ac præ meritis esset liberata. Divino enim nutu, pacto inter nos et ipsos super maxima pecuniæ summa ipsis danda facto, ad propria remigrarunt. Sed non sine prædicti Patris, totiusque congregationis gravi infortunio. Tunc etenim combusta fuere S. Nicolai suburbia; necnon divi Petri ac sancti Spiritus. Ex quibus plurimi nobis singulis annis proveniebant census et redditus. Apud sanctum Appollinarem omnia vastarunt, gravissimumque tunc detrimentum sustinuit illius loci prioratus. Alii quoque vicinorum locorum habitatores multa perdiderunt: excedebant enim præfati hostes ultra quadraginta quinque millium hominum numerum. Dederunt autem pro nostri ereptione cœnobii ab ipsorum hostium manibus tam memoratus abbas quam etiam conventus, duo millia librarum argenti, ultra jam dicta gravissima incommoda. Inde autem ob devotionem quam ad beatum Urbanum Lingonensis Ecclesiæ episcopum, hic olim sepultum, nunc quoque quiescentem, habebat præfatus venerabilis abbas, fecit fabricari capsam argenteam auroque plurimo decoratam, ut ibidem sanctæ pretiosæque præsulis reliquiæ conderentur honorifice. His temporibus quædam femina, Guillemeta nomine, mater Stephani, mulier quondam mercatoris, qui sub theca seu capsa beatissimi patroni Benigni sensum precibus ejusdem recuperavit, migravitque in pace ad Dominum, pro anniversario ipsius nobis dedit summam centum librarum, quam manualiter tradidit conventui. Joannes Callot, magister cameræ, nobis donavit pro suo anniversario singulis annis per nos celebrando etiam summam centum librarum Turonensium; Joannes Moreaul hujus monasterii infirmarius, ad nostræ ecclesiæ ornatum, et ad divinum officium reverentius peragendum, dedit unam cappam auream amplam valde, ac miro modo compositam His etiam diebus Theobaldus Demipont cognominatus, nobili prosapia ortus, et in hoc loco monachus devotione præmotus, fundavit et instituit luminare in die solemnitatis corporis Christi, et per octavas. Pro quo debent duo cerei ante armariola lapidea, in quibus reconditur prædictum sacramentum, continuo diu noctuque lucere. Recepitque thesaurarius pro hoc singulis annis unum francum monetæ. Frater Joannes conversus apud Lariacum moram trahens, nobis pro suo anniversario manualiter tradidit quadraginta francos.

Præfatus denique venerabilis Pater cum supra scriptis ornamentis huic loco per eum concessis, nobis dedit duas pulcherrimas ac ditissimas aureas cappas, arte quidem præclarissima compositas. Contulit etiam nobis ornamenta majoris altaris viridia' compositione sericea, una cum duabus cappis, casula, dalmatica, etiam viridibus.

Hic autem reverendissimus Pater, velut omnibus charus erat, ab omnibusque amabatur, suosque potenter tuebatur, ita ab omnibus expetebatur. Gregis enim Dominici apud Sanctum Germanum Autissiodorensem custos electus fuit; illiusque multis annis prudentissime curam gessit. Sed tandem honore postposito, tradito quoque onore religiosissimo viro domino Francisco de Bello joco, qui ejus consanguineus erat, litterisque ac scientia, morum etiam probitate pollens, hujus loci camerarius annis multis exstiterat, eum abbatem instituendo. Alias denique abbatias recusavit, Sancti scilicet Joannis Reomensis, Sanctique Sequani. Quas ambas humili prece ipsi de ejus bona conversatione certiores facti obtulerunt illarum cultores: cui per resignationem successit quidam vocatus abbas.

Oremus igitur cuncti, qui sub eorum protectione degimus, uti ille qui cuncta sub pedibus videt, moderaturque, et nutu proprio gubernat, ambos nobiscum diu vivere permittat sanos et incolumes; præstet sibi commissum gregem moribus et verbis instruere, ac docere concedat, et inspiret: quatenus post hujus ærumnarum vallis diuturnos labores, eos cum familia credita in æterna sua tabernacula, perpetuamque hæreditatem suscipere dignetur Dominus Jesus Christus, qui cum Genitore, sacroque Flamine vivit et gloriatur per æterna sæcula.

Multa autem huic sacro collata cœnobio beneficia fuerunt, præsenti nunc inserenda pagina: verum quoniam prolixum foret cuncta recensere, precantes ut hæc lectori satisfaciant, operi finem imponimus.

Ad insignis præclarique Patris, ac domini domini Claudii de Charmis, sacri, divi Benigni Divionensis cœnobii abbatis optime meriti, laudem conditum subsequitur exile carmen.

Clarus in hoc claram claro cum nomine vitam
 Ducens cœnobio, Claudius abba fuit.
Protulit illustris præcelsa Divio prole,
 Sed voluit nobis hunc Deus esse Patrem.
Æneas Teucris, Samson quæ fecit Hebræis,
 Quæ Solymis Salomon, contulit ipse suis.
Exaltata bonis hæc est ecclesia multis,
 Subsidioque hujus facta decora Patris.
Ille suos tutus semper protexit, et omni
 Nixu commissas multiplicavit oves.
Nestoreos illi dones Deus ipse per annos
 Vivere; Phœnicis compleat hicque dies.
Parcaque cum tenerum distraxerit aspera filum,
 Spiritus æthereos expetat (oro) lares.
 Amen.

JOANNIS MONACHI
CHRONICON BESUENSE.

Incipit liber memorabilium rerum, seu etiam chartarum Besuensis monasterii.

Antiquorum hujus sæculi sapientum (1) laudabile,ac ideo imitandum fuit studium,ut non solum ea quæ acciderent in diebus eorum,sed etiam fortia priscorum facta heroum ad memoriam posterorum traderent monumentis scripturarum.Quæ utilis res et eis extitit materia humanæ laudis, et futuris hæc legentibus vel audientibus exemplum, incitamenque æmulationis. Talia considerantes nos Besuenses sacri monasterii a parvulo habitatores et amatores, ne forte nobis juste succenseant nostri successores,sicut nos de incuria merito culpamus nostros antecessores, aggrediemur cum adjutorio Dei scribere, licet rusticana et minime polita narratione, quæ de præfati loci antiquitate, seu devotorum Deo fidelium eidem donata sunt largitione regum, pontificum, ducum,comitum ac illustrium virorum potuimus addiscere, quatenus et honori sit cœnobio nostro, possessionum collatarum, et memorandarum rerum in eodem gestorum descriptio, et cum divinæ laudis debito exoptanda benefactoribus ejus cœlestis gloriæ remuneratio.

Primo igitur prosequenda nobis est eorum chronica qui regnarunt in Francia atque Burgundia usque Clotarium, Chilperici filium, cujus videlicet tempore monasterium istud Besuense ædificatum est ab Amalgario duce optimo, et uxore ejus Aquilina nomine, largissimeque de propris rebus ditatum, anno ab Incarnatione Domini sexcentesimo, indictione tertia, præsidente sanctæ Romanæ Ecclesiæ sancto Gregorio papa. Mauricio vero Cæsare imperante in Republica, beato Columbano commorante in Burgundia. Siquidem ad cognoscendas abbatum successiones, qui per diversa hic præfuerunt tempora, et quæ sub uniuscujusque illorum regimine huic loco collata sunt fidelium largitione,episcopos quoque Lingonicæ Ecclesiæ, qui circa hunc locum munificos se exhibuerunt, nominatim singulos curabimus ostendere, et quid ab unoquoque illorum collatum sit in augmentatione hujus domus Dei, sigillatim demonstrare.

Igitur Childerico rege, etc. *Quæ sequebantur in hoc Besuensi Chronico, ad usque monasterii fundationis narrationem, in San-Benigiano Chronico reperies.*

(1) Ipsissima Chronici S. Benigni sunt verba.

A *De constructione hujus loci, Clotarii II tempore, an.* 600. *De Amalgario. Besuæ descriptio.*

Igitur quoniam monasterium istud Besuense Clotarii regis tempore ab Amalgario duce fundatum fuisse prælibavimus, paulo latius nobis visum est prosequendum,qualiter ab eo et ubi fuerit constructum, et quibus rebus ab eo primum dilatum, ac deinceps a cæteris Deum timentibus,imo diligentibus largissimis facultatibus amplificatum.Fuerunt siquidem illis temporibus duo duces in Burgundia, quorum unus Waldelenus nomine,gentes quæ intra Alpium septa et Jurani saltus arva incolunt,regebat. Erat huic uxor nomine Flavia, de qua cum nullius hæredis habuisset gaudia,cui suarum opum et honorum post se reliquisset amplissima subsidia,per beati Columbani, qui Luxovio præerat, Deo digna B precamina filium susceperunt, et ei illum de sacro fonte levandum, sicut ipse quæsierat, obtulerunt. Itaque sanctus vir baptizavit, Donatumque nomen imposuit; qui postea in eodem monasterio sapientia imbutus, Bisontinæ sedis archiepiscopatum clarissime gubernavit.Alter vero dux harum duarum partium circumquaque latissimus dominator,Amalgarius nomine, habens uxorem nomine Aquilinam, habuitque ex ea filios, quorum uni Audalrico nomine ducatus sui regimina post se dereliquit.Habuit et alium Waldalenum nomine, quem offerre Deo, a quo eum acceperat, cupiens, per manus beati Columbani eum ipsi in prædicto Luxoviensi monasterio,quod tunc præ cæteris Galliarum atque Burgundiæ monasteriis religione florebat,educandum con- C tradidit.Habuit iterum filiam Adalsindam nomine, quam Deo offerendam, ac divino cultui mancipandam adjudicavit.

Dum itaque hi duo in schola Christi erudiuntur, videlicet Waldalenus et Adalsinda, pater Amalgarius excogitat ubi religioni eorum ædificet loca convenientia, et si qui postea cum eis Deo voluerint servire,unde habeant victus et vestitus sufficientia. Cum igitur in ducatu suo duo Christi construere vellet ovilia,et ovibus quas ibi Deus aggregaret utriusque sexus ex illis, quos sibi dederat Deus pueris, pastores præficere, videlicet Waldalenum viris, et Adalsindam feminis, inter cætera ducatus sui loca

duo invenit speciosissima, atque ad id non parum convenientia. Est locus inter fluvium Araris et Sagunnæ, et fluvium quem Tila vocant ab emergente ibidem fonte non modico, qui Besuus dicitur, dictus et ipse Besua, fons est ipse limpidissimus, ad potandum habilis, ac multimoda piscium copia fertilissimus; nec sicut alii fontes, qui plurimi decurrendo et augmentando, nomen accipit fluvii, sed ibidem ubi oritur præ magnitudine flumen dicitur. Nascuntur in eo diversi generis herbæ, quæ si frugum alimonia minus abundaverit, pauperibus subsidium præbeant vitæ: sicque fons iste totius s. irrigans confinia, ad omnia quæcunque ibi seruntur vel coluntur confovenda, loca reddit habilia. Terra satis bona, et nisi desit qui laboret, frugum fertilissima. Prata prope sunt abunde, quibus possunt nutriri pecora, et suppleri alia quæque privata necessaria. Sylvas habet in procinctu locus et contiguas, quæ ad construenda ædificia, seu ad omnia quæ generi humano sunt necessaria, sufficiant.

Amalgarius construit monasterium. — Talem igitur locum Amalgarius dux Deo et sanctis ejus apostolis Petro et Paulo dignum duxit offerre, et sub manu filii sui Waldaleni monachos, qui ibi Deo et sanctis ejus deservirent, sub regula beati Columbani studuit aggregare. Quid plura? Waldalenum abbatem ibi præfecit; locum, ut prædiximus, Deo et sancto Petro et Paulo liberrime cum omnibus appenditiis suis obtulit, cum terris et ædificiis, cum silvis et accessibus omnibus, cum mancipiis et colonis et servientibus; denique quidquid habere ibi videbatur, totum liberrime et integerrime, nec sibi nec cuiquam aliquid ex illis retinens. Et quoniam locum omni adnisu voluit extollere et amplificare, visum est ei ex aliis rebus et appenditiis eum ditare.

Dedit itaque Vetusvineas cum appenditiis suis, et sylvas Tilerias, Beriam. Tregias, Cipetum, Bruxatellum, et Vendoveram. Item Auxiliacum cum appenditiis, adjacentiis, et sylvis, et colonicis. Blaniacum, Bertariacum, Baimam, et Viriacum, et Attiviacum, Novilliacum, et Villam Collatunnam, et curtem mulinensem, Marcenniacum, cum vineis XII, et vinitoribus, et colonicis, qui excolere videntur. Apud Cocheiacum vineas non minimæ quantitatis. Dedit etiam in pago Belnensi vineas octo cum vinitoribus colonicis. In villa quæ Vaona dicitur, vineas et terras cum servis et ancillis excolentibus eas. Tradidit etiam cum cæteris rebus S. Petro terras quas habebat in Divione, et in fine domni Petri, et Longovico, et in Canavis, et in Arsilirias, et Tremoldo, et Proviso, et Disto. Dedit et in Gibriaco vinearum non modicam quantitatem, cum vinitoribus et colonicis, et sylvis, et pratis, aliisque adjacentiis, cum servis et ancillis, omnia omnino liberrime, et prorsus ab omni consuetudinali reclamatione aliena. Item in villa et in Caciaco quidquid habebat. In villa quæ Patriniacus dicitur, mansum unum optimum cum appenditiis suis. Cumque his omnibus dedit villam

A Maiescum, et adjacentia sua prædicto monasterio, et datis his, factaque epistola propria manu consignata, in perpetuum possidenda contradidit.

Alterius monasterii fundatio ab Amalgario. — His ita digestis, descriptaque Besuensis monasterii constructione, quoniam de alio loco superius fecimus mentionem, quem in ducatu suo Amalgarius ædificavit, ubi filiam suam Adalsindam sanctimonialibus abbatisam præfecit, dicendum æquum putamus ubi sit locus, et quis vocatus, quibus appenditiis ditatus, ut ibi Deo servientibus victus non defuerit atque vestitus. Est locus haud longe a Besontiensi civitate super fluvium Dubium appellatum, ipsius fluvii intercursu tantum a civitate sejunctus, ex alia vero parte habens montem vocatum

B Waldalenum, a nomine Waudalorum, qui ibi castrum habuerunt, ut antiqui incolæ dicunt. Dornatiacus dicitur, qui et Virzilias, in honorem sancti Martini consecratam habens ecclesiam, quem Amalgarius dux filiæ suæ Adalsindæ donavit; et ut sub ejus regimine regulariter ibi viverent, congregationem sanctimonialium constituens, de propriis rebus donationem fecit. Villam scilicet quæ Assona vocatur villam Parnatiacum, villam Pontentiacum, et medietatem quam in Balatuna possidere videbatur. De villa vero Montaniaco similiter. Sed cum his omnibus qualiter præfatus locus Dornatiacus ecclesiæ Besuensi donatus atque conjunctus postea fuerit, in sequentibus, et ubi congruum videbitur, inseremus. Anno trigesimo quarto regni Clotarii Warna-

C rium, quem majoremdomus in Burgundia instituerat, cum universis pontificibus Burgundiæ, seu et Burgundæ, Faronis, Bonogello Villam ad se venire præcepit, etc., *ut in Chronico S. Benigni.*

Dagobertus anno sexto regni sui Burgundias ingreditur: tanto vero timore pontifices et proceres, et cunctos in regno Burgundiæ consistentes adventus Dagoberti concusserat, ut omnibus esset mirandus præ timore justitiæ quam pauperibus faciebat. Veniens ergo civitatem Lingonas, et inde Divion aggressus, ac Latona residens aliquantis diebus, tantam intentionem judicandi justitiam universo populo regni sui habebat, ut hujus benignitatis desiderio, nec somnum oculis posset capere, nec cibo satiabatur, intentissime cogitans ut omnes cum justitia accepta a conspectu suo remearent.

D (*An. circ.* 654.) — Quia igitur per successiones regum ad tempora usque Dagoberti regis narrationem protulimus, dignum esse putavimus, huic loco inserere quid ipse Dagobertus huic nostro Besuensi monasterio beneficii contulerit, et quibus appenditiis locum hunc augmentaverit, atque sui præcepti auctoritate firmaverit, ut quod ipse Deo et sanctis apostolis ejus Petro et Paulo offerebat, perpetualiter inconvulsum permaneret. Audiens enim bonam famam Waldaleni abbatis (de quo supra meminimus), qui tunc præerat huic sacro monasterio, donationem fecit per manum ipsius Deo et Ecclesiæ Besuensi, de villa quæ dicitur Artasia, cum

terris et appenditiis suis : quæ villa sita est in fine Campolimicensi. Dedit etiam villam quæ Monasteriolus vocatur, nec longe a supradicta Artasia et in eosdem fines. Crescente itaque hujus loci religione, Amalgarius dux hujus sancti monasterii fundator, terras quas acceperat ab ipso Dagoberto rege in beneficium, contulit huic ecclesiæ, villam scilicet Alteriacum cum adjacentiis suis, villam quæ dicitur Boensis cum omnibus appenditiis suis, omnia dedit ad integrum cum consensu et præcepto ipsius Dagoberti regis. Item dedit villam Ginceniacum, et villam Talamarum, cum omnibus ubique ad ea pertinentibus.

Die quadam Dagobertus rex a Latona Cabillono properare deliberans priusquam lucesceret, balneum ingrediens, Brunulfum avunculum fratris sui Ariberti interficere jussit. Qui ab Amalgario et Arnberto ducibus, et Wilbado interfectus est. Dagobertus rex post hæc Cabillono pergit, justitiæ amore quam cœperat, perficiendæ. Post Augustoduno, inde Antisiodoro pergens, dehinc Senonas civitatem, indeque Parisius venit. Gomatrudem reginam Romiliaco villa, ubi matrimonium acceperat, relinquens, Nantildem, unam ex puellis de ministerio ejus accipiens, reginam sublimavit, etc., *ut in Chronicon S. Benigni.*

(*An.* 660.) — Clodoveus igitur rex, qui et Clotarius dictus est, decem et octo annos in regni administratione complens defunctus est in primævo flore juventutis, relictis tribus filiis Clotario, Childerico, et Theoderico, una cum matre eorum Baldechilde regina. E quibus Clotarius natu major regnum patris sui Clodovei Neustriæ et Burgundiæ obtinuit, Childericus vero Austriæ et Germaniæ sedem adeptus est.

Nunc vero id videtur huic nostræ narrationi inserendum, illud quod supra narrare promisimus, qualiter videlicet locus Dornatiacus, qui Birgilias dicitur, hic Besuensi loco cum appenditiis suis donatus sit atque conjunctus. Iisdem namque fere temporibus Donato (de qua supra meminimus), existente Bisonticensis sedis archiepiscopo, Adalsinda abbatissa, quæ ei loco præerat, malorum hominum injuriis et plurimis adversitatibus affecta, cum amplius pati non posset, in manu Waldaleni abbatis fratris sui, Deo et sanctis apostolis ejus Petro et Paulo locum illum cum omnibus appenditiis suis donavit cum consensu ipsius Donati Bisonticensis archiepiscopi, sicut ipsius epistola subscripta docebit :

Domino sancto et in Christo amabili fratri Waldaleno, Adalsinda abbatissa.

« Dum malorum hominum vexata injuriis, et variis adversitatibus, ibidem stare non possem, inde ego et germanus meus Adalricus, vobis et fratribus bestris petivimus, ut ad monasterium Sancti Petri habitare sub regula vel ordine in Dei nomine deberem; quod et vos pro charitatis studio concessistis. Ideo monasterium Dornatiacum in honore S. Martini sacratum, quod genitor meus Amalgarius et Aquilina mater mea construxerunt, et ei maximam partem de suis facultatibus delegaverunt, hoc recipere in Dei nomine debetis, cum villis ad eumdem locum pertinentibus, et omnibus universaliter appenditiis suis ; villam scilicet Assonam, villam Parniacum, Potentiacum, et medietatem quam in Balatonna genitores nostri tenuerunt. Reliqua vero, quæ ad ipsum monasterium Dornatiacum genitores nostri delegaverunt, a die præsenti in Dei nomine recipite. Et de villa Montaniaco quod genitor noster Amalgarius, et Amoloaldus de fisco pariter promeruerunt, portionem nostram a die præsenti in vestra dominatione revocate, ut nec ego, nec quislibet de parte nostra, vel ulla opposita persona, adversum vos de supradictis rebus calumniam ac laborem generare præsumat. Si quis vero fecerit, conferat una cum sacratissimo fisco auri libras viginti, argenti pondo quinquaginta. Actum publice Fonte Besua monasterio. In Dei nomine ego Adalsinda hanc traditionem nostram subscripsi. Hermena monacha jussu domnæ meæ Adalsindæ subscripsi. Aga monacha jussu domnæ meæ Adalsindæ subscripsi. Subsignavit Daginus hanc donationem. S. Manaulfus presbyter. S. Victor. S. Proculus. S. Walibertus. S. Landebertus. S. Trasgarius. S. Rogitus. Ego Allo hanc traditionem scripsi et dictavi, anno ab Incarnatione Domini 652, indict. x, epacta VI, Clotario rege regnante in Francia, primo anno regni ejus, venerabili viro Donato Besonticam sedem tenente. Die Mercurii proximo, ante medium mensis Februarii. »

Monasterium Besuense vastatum, chartæque direptæ. — Tempore igitur Clotarii regis cum locus iste copiosissime ditatus fuisset, et religionis studio floreret, inimicus totius boni diabolus omni conamine efficere voluit ut bona quæ ibi fideles donaverant, inde auferrentur, et si fieri potuisset, in perpetuam oblivionem traderentur. Nam mortuo Amalgario duce, Francis inter se discordantibus, et intestino furore inter se dimicantibus, et terras suæ potestatis bello plusquam civili vastantibus, contigit hoc monasterium rabiem talium perpeti, et damna rerum omnium sustinere, in tantum, ut etiam instrumenta chartarum et donationum, quæ præfatus Amalgarius, aliique Deum timentes et honorantes eidem monasterio contulerant, tollerent, et in perditionem darent. Sed hanc jacturam prædictus Waldalenus abbas relevare satagens, egit cum Sichelmo duce, tunc in Burgundia ducatum agente, ut relationem acciperet rerum ipsius monasterii, multorum bonorum hominum confirmatam consensu et subscriptionibus. Tali igitur auctoritate fretus ad regem Clotarium se contulit, eique cuncta innotuit, et ut ejus præceptum ad perpetuam tuitionem mereretur, super hoc pacto expetivit. Cujus prædictus rex assensum præbuit, et suam præceptionem clementer concessit. Quod ex ipsis conscriptionibus melius edocebimus.

Epistola Sichelmi ducis transmissa majoribus palatii.

Dominis nostris propriis Reideberto, Chrodeberto, Emerulfo majoribus domus sacri palatii, Sichelmus cum reliquis fidelibus et servientibus vestris, quorum subscriptiones vel signacula in hanc suggestionem subter tenentur inserta.

Credimus quod gloriosissimus dominus noster auditum habeat, qualiter illustris vir Amalgarius tempore ducatus sui in loco Fonte Besua nuncupato, in pago Attoriense, in honore sanctorum apostolorum Petri et Pauli monasterium construxit, ubi etiam monachorum congregationem ad habitandum conjunxit, et de facultate sua maximam partem supradicto monasterio delegavit. Credimus etiam ad vestram pervenisse notitiam qualiter ipsum monasterium ante hos dies a malis hominibus irruptum fuerit, atque vastatum, et omnes res, quas ipsi monachi habebant, cum ipsis chartis deportata, et omnis habitatio eorum in direptionem et devastationem missa; unde humiliter pietati vestræ suggerere præsumimus ut hoc gloriosissimo domno nostro innotescere faciatis, ut per suam clementiam talem auctoritatem ipsi loco conscribi jubeat, ut supradictas res, quas boni homines ibidem delegaverunt, nullus invadere, aut violare, vel inquietare præsumat, sed quæ in præsenti habere vel possidere videntur ipsi monachi, vestris et futuris temporibus sine inquietudine per vestrum præceptum habere et tenere possint. Ut et eos pro vita vestra, et stabilitate celsitudinis vestræ et regni vestri, Dei misericordiam attentius delectet exorare. Dominicus audivit suggestionem. Farulfus subsignavit. Abbo subg. Ermerbertus subg. Frodoaldus subg. Warato subdg. Fulgoaldus subh. Eurcharius subg. Data sub die Kalendas Octobris. Regnante domno nostro Clotario rege.»

Hanc suggestionem regi innotuerunt, et quid ipse de hoc decreverit, ejus præceptum declarabit.

Præceptum Clotarii regis. — Confirmat cuncta Besuæ collata.

« Clotarius rex Francorum, viro illustri Sichelmo duci. Regem cœlorum, qui super omnes reges termino immenso, et nullo imperio regitur, et qui super omnes sedes angelicas sua pietate et potentia tenet principatum, erga solium regni nostri, quod ipse nobis ad regendum commisit, credimus esse cultorem, si opportuna beneficia ad loca sanctorum devota mente præstamus, vel nostris oraculis confirmamus. Igitur venerabilis vir Waldalenus abbas ad præsentiam nostram veniens, gloriæ regni suggessit quod genitor suus Amalgarius, et genitrix sua Aduilina, quondam pro Dei amore monasterium nuncupatum Fontem Besuam, in pago Attoariarum suo opere in honore sancti Petri et Pauli ædificassent, el monachos ibidem sub regula beati Colum-

A bani, seu beati Benedicti (2) adunassent et maximam partem de facultate sua ipsi monasterio delegassent; sed postea insidiante parte adversa, ipsum monasterium a malis hominibus irruptum et exspoliatum fuerit, et omnes chartæ, quas de supradicto loco vel de reliquis locis, memoratus Amalgarius, vel conjux sua ibi delegaverunt, cum multis aliis rebus ablatæ. Unde memoratus Waldalenus relatione vestra pro firmitatis studio petiit celsitudinem nostram, ut quascunque res ipsius monasterii seu præscripti loci in Dei nomine per præcepti nostri auctoritatem deberemus confirmare. Cujus petitione mercedem æternam et divinam nobis in omnibus acquirere cupientes, nos id præstitisse et confirmasse cognoscite. Præcipimus igitur, ut quidB quid constiterit a præfato Amalgario et ejus matrona Aquilina, vel ab aliis Deum timentibus hominibus, ipsi monasterio collatum, ad integrum hoc habeat, teneat et possideat, et nostris et futuris, Deo auxiliante, temporibus, ipsam scilicet Besuam cum omnibus appenditiis suis, cum terris et ædificiis, cum sylvis et accessibus omnibus, cum mancipiis et colonis ei servientibus, totum liberrime et integerrime: Vetusvineas cum omnibus appenditiis suis et sylvis. Tilerias, Beriam, Tregias, Cypetum, Buxatellum, Vendoveram, Auxiliacum cum appenditiis suis, et sylvis, et colonicis, Blaniacum, Berlariam, Bayman, Variacum, Attiniacum, Noviliacum; villam Calatunnam, Curtem Molinensem, Marcennacum cum vineis duodecim, et vinitoribus, et colonicis, qui excolere videntur. Apud CocheiaC cum vineas non minimæ quantitatis. In pago Belnensi vineas octo, cum vinitoribus et colonicis. In villa quæ Vaona dicitur, vineas et terras, cum servis et ancillis excolentibus eas. Terras quas habebat in Divione, et in fine domni Petri, et Longovico, et in Canavis, et in Arzilias, et Tremoldo, et Proviso, et Disto. In Gibriaco vinearum non modicam quantitatem, cum vinitoribus, et colonicis, et sylvis, et pratis, et omnibus adjacentiis suis, cum servis et ancillis, et omnia omnino liberrime. In villa et in Chaciaco quidquid habebat ipse Amalgarius. In villa quæ Patriniacus dicitur, mansum unum optimum cum omnibus appenditiis suis. Villam Majescum cum adjacentiis suis. Villam Alteriacum, et Villam Boensem similiter cum omniD bus appenditiis suis. Villam Talamarum, et villam Ginceniacum. Omnia hæc integerrime, ac liberrime cum omnibus ad ea pertinentibus.

« Ut autem hæc scriptio firma et stabilis in ævum permaneat, et a nullo nostrorum successorum sit permutanda, nostro nomine insigniri, et annuli impressione jussimus sigillari.

« *Signum Clotarii regis.*

« Datum mense Augusto, anno ab Incarnatione Domini 658, indictione prima, anno viii regni Clotarii. Actum Nemauso feliciter. »

(2) *Seu beati Beuedicti.* Quin hæc verba e margine in textum translata sint nullatenus dubito.

Non solum autem hæc confirmavit, sed et defensorem et advocatum Gengulfum, virum illustrissimum prædicto monasterio constituit, quod ejus litteræ indicabunt.

Quomodo Clotarius constituit advocatum beatum Gengulfum huic loco.

« Venerabilis vir Waldalenus abbas de monasterio S. Petri Fontis Besuæ, quod suus genitor Amalgarius ejusque matrona Aquilina quondam suo opere visi fuerunt ædificasse, clementiæ regni nostri suggessit, eo quod ipsum monasterium a malis hominibus fuisset vastatum, et instrumenta chartarum una cum reliquis rebus quamplurimis exinde fuissent deportata. Ob hoc petiit a nobis, ut illuster vir Gengulfus omnes causas ipsius monasterii ad persequendum et reintegrandum deberet recipere. Cui nos hoc beneficium præstitisse cognoscite. Quapropter per præsens hoc præceptum jubemus ut memoratas omnes causas ipsius monasterii ex nostro permissu licentiam habeat prosequi, et unumquodque, ut justum est, restituat. Sic tamen quandiu eorum pariter fuerit voluntas.

« Data xv Kalend. Septemb., anno x regni domini Clotarii regis. »

His igitur auctoritatibus regis et principum adjutoriis fultus prædictus Waldalenus abbas, res ad ipsum monasterium pertinentes legitime et quiete tenuit, et monasticum ordinem cum suis monachis, sicut multis indiciis clarum est, regulariter et devote custodivit. Cujus exemplo multi ad monasticam religionem se contulerunt, sua, secundum Domini præceptum, quædam pauperibus, quædam eidem loco sancto conferentes : quorum donationes adhuc retinemus, cum instrumentis chartarum.

(*An.* 664 *sive* 674.) Clotarius igitur rex, postquam aliquot annis tenuit regnum, immatura præventus morte, reliquit illud sine hærede. Cujus obitum dolentes Francorum principes, germanum ejus Childericum regem Austrasiorum, quem audierant sapienter et provide regnum disponere, in omni sublimant Francorum regno. Adeptus vero principatum, quidquid adversus leges regum priorum ac majorum principum quorum vita quondam laudabilis exstiterat, ineptum atque contrarium reperit, ad pristinum statum prudentissime revocavit.

(*An.* 677 *vel* 679.) Childericus ergo rex, paucis annis quibus regnum Francorum obtinuit, æquo moderamine justisque legibus disponens ipsum regnum, defunctus est. Et germanus ejus Theodericus in regno fratris loco sublimatus, quod tenuit annis xvi. In diebus ejus sanctus Leodegarius est interfectus ab Ebroino majoredomus, et sanctus Lambertus Tungrorum episcopus a Dodone comite. Ii uno tempore innocentes occisi, coronam martyris sunt adepti. Iste Theodericus rex munificentiam largitatis suæ huic loco impendere dignatus est, cujus exemplar præcepti necessarium subjicere judicavimus.

Incipit præceptum regis Theoderici. — Bona Adalrici ducis fisco suo adjudicata, rex confert Besuensi monasterio.

« Merito beneficia, quæ possident, amittere videntur, qui non solum largitoribus ipsorum beneficiorum ingrati exstunt, verum etiam infideles eis esse comprobantur. Ad hujusmodi igitur exemplum postquam omnibus patefactum est qualiter Adalricus dux Deo sibi contrario, nobis infidelis apparuit, et se Austrasiis consociavit, ut adversum nos et nostros fideles scelera sua, si Dominus Deus permisisset, exercuisset, nos propter ipsum facinus omnes res suas ad nostrum fiscum jussimus revocari. Cognoscat itaque utilitatis vestræ magnitudo, quod res nominatas Fiscafelinis una cum appenditiis, suis, et adjacentiis, et cum colonica, trevario, et quidquid supradictus Adalricus de quolibet attracto ibidem tenuit, vel possedit, ei monasterio quod appellatur Fons Besuæ, quod est in honore sancti Petri et Pauli ac cæterorum sanctorum constructum, ubi venerabilis vir Waldalenus præesse dignoscitur, plena et integra gratia totum nos concessisse. Quapropter per hoc nostrum præceptum decernimus ordinandum, et in perpetuum volumus esse mansurum, ut memoratus abbas Waldalenus prædicto monasterio Fontis Besuæ res jam dictas una cum ædificiis, mancipiis, accolabus, terris, et pratis, sylvis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, accessibusque omnibus, vel reliquis quibuscunque beneficiis, cum omni usu fructuario, ex nostræ largitatis munere perpetualiter recipiat possidendas. Et ut hæc præceptio firmior habeatur, et futuris temporibus inconvulse teneatur, manus nostræ subscriptionibus eam decrevimus roborare. »

« *Signum Theoderici regis.*

« Datum mense Septembri die iv, anno iv, regnante Theoderico rege.

« Glybertus notarius. »

Primi Besuæ abbates — Tempore igitur prædicti Waldaleni monasticus ordo regulariter floruit, quem successores ejus abbates, ut boni filii mores paternos æmulantes, in regulari institutione imitati sunt : Bercangus videlicet, qui illi in regimine successit, et Ferreolus, qui post Bercangum regimen monasterii suscepit. Sed et Syrannus vir religiosus pastoralem curam nobiliter tennit. Talibus itaque fundatoribus, plantatoribus, rigatoribus, Deo incrementum præbente, in prædicto cœnobio monastica institutio solerter viguit, permansitque usque ad tempora Pipini, Magni Caroli genitoris. In illo tempore, deficientibus jam a pristino vigore regibus, cura totius regni administrabatur per duces et principes domus, inter quos omnes præeminebat Pipinus, quem supra retulimus, vir omni sapientia adornatus, ejusdemque regni maxima pars erat in manu ejus. Hic devicta Frisia, atque ipsius regni fugato rege, nomine Ratbodo, misit illuc ad prædi-

candum servos Dei venientes ex Britannia, Willebrordum et socios ejus qui non parvam populi multitudinem ad Christum converterunt. Theoderico rege defuncto, Childebertus filius ejus successit in regnum.

Anno ab Incarnatione Domini 709, Pipinus perrexit in Suvanos, etc., *ut in Chronico S. Benigni.*

Res Ecclesiæ Lingon. laico, et monasterium Besuense mulieri a rege tradita. — Anno 752, domnus Pipinus rex sacratus est per manus Stephani papæ, et duo filii ejus Carlomannus et Carolus, qui Magnus dictus est.

Pipinus igitur rex habuit quemdam fratrem, nomine Remigium, cui in Burgundia plurima loca concessit. Inter quæ etiam res ad episcopatum Ecclesiæ Lingonensis pertinentes, quas sicut sibi visum est, suis asseclis dimisit. Sed, o nefas! monasterium hoc Anglæ uxori cujusdam Theodardi, quia ejus stupro potitus fuerat, non custodiendum, sed diripiendum dedit. Quam præsumptionem, ut dignum erat, indigne ferentes monachi, monasterium reliquerunt, præter paucos ætate et debilitate confectos. Reliqui vero Luxovium cœnobium expetiverunt, aliaque monasteria, in quibus noverant ordinem monasticum permanere.

Prædicta autem Angla res monasterii, ut talem decebat, disponebat. Ab ingressus autem sacrosanctæ basilicæ apostolorum senibus illis qui remanserant prohibentibus, aliquandiu temperavit; sed postquam cætera sacra loca impune temeravit, etiam ipsum oratorium audacter ingredi præsumpsit, statimque quia contra Deum vesaniret, experta est. Nam ut a viris fide dignis, qui ab eis qui præsentes fuerunt, et viderunt, et audierunt, comperimus (3); statim ut ingressa est prædictum oratorium, invisibili igne ardere cœpit, magnisque clamoribus se exuri vociferans, ut in fluvium Besuæ, qui juxta decurrit, deportaretur, postulabat. Quod illico factum est, sed non valuit talis aqua talem exstinguere ignem. Tunc ad fontem misericordiæ cucurrit, prædictis senibus monentibus et docentibus, sicque salvari meruit; prius tamen temeritate confessa emendationem in reliquo talis præsumptionis promisit. Honoravit etiam prædictum locum donariis quibus potuit, quorum quædam, ob testimonium tanti ausus, apud nos servantur.

Eliminatis monachis canonici substituuntur. — Postquam autem remoto Remigio episcopatus Lingonensis episcopis legitimis cessit, hoc monasterium ab episcopo receptum est. Sed non fuit illi cura digna, pastore, ut oves dispersas ad proprium ovile revocaret; magis gaudens quod res monachis delegatæ in suos suorumque usus cederent: sicque monasticus ordo ex hoc loco penitus est deletus, nullique succedentium episcoporum curæ fuit, ut pristinam religionem in hoc loco repararet. Sed alii abbates canonici ordinis constituerunt, alii sibi serviendum decreverunt, donec ad piissimi augustæ recordationis Ludovici imperium ventum est.

Pipinus rex inauguratur. Anno IV Pipinus rex intravit Longobardiam, etc., *ut in Chronico S. Benigni.*

In diebus Ludovici imperatoris episcopus Lingonensis, Betto nomine, fecit quasdam divisiones de terra Sancti Petri, sicut hic demonstrabimus.

Res ablatæ monachis Besuensibus restituuntur. — « Notum fiat posteris, et memoriæ commendetur, quod ante illustrem virum, Hildegarnum comitem, seu judices, quos scabineos vocant, et quamplures personas, qui cum eo aderant, in montaniaco villa, in mallo publico, ad multorum causas audiendas et rectas justitias terminandas, ibi veniens Betto episcopus et advocatus suus Burgoardus, novem legitimos testes ibi præsentavit, quorum nomina hæc sunt, Simeon, Agano, Bertramus, Gono, Marchirius, Adalardus, Gervio, Gerento, Sirannus. Isti testificaverunt et juraverunt de finibus Besuensis monasterii, quod a fine Pontense, et a fine Vendobrinse seu Vilense, et Vetus-vendobrinse, et Vaurinse, et Tillense, et vetus Viniense et Bustellense, et Bustense, et Lucense, Burbureninse, et Berechelpo villare, per istos marcatas, inter ipsos fines immunitas sancti Petri est ad integrum, et in loco qui dicitur Boscus monachorum similiter; et in alio loco qui dicitur Longo Bosco immunitas sancti Petri ad integrum. Et in alio Longo Bosco communitas. Et in ipso fine Bustellense immunitas ad integrum, et ab ipso fine Bustellense usque ad viam Petrosam. Et deinde usque ad stratam fractam: et deinde usque ad finem Burburenensem, atque Vilarum, immunitas sancti Petri est ad integrum. Per istas marcatas euntes ipsi novem testes, quos supra nominavimus, misso secum Balacterio illustri viro ab Hildegarno comite, et a suis scabineis, dixerunt et per judicium testificaverunt quod a tempore Pipini regis et deinceps per tempus domini Caroli Magni imperatoris vidissent inde legitimas vestituras ad partem sancti Petri haberi, ita ut nec Aldo, nec hæredes, ullam legitimam vestituram exinde unquam habuissent, sed per legem et per justitiam vestitura S. Petri Fontis-Besuensis erat. Tunc ipsi scabinei unanimiter judicaverunt quod omni tempore ipsæ res per illas marcatas ad partem sancti Petri essent vindicatæ atque legibus conquisitæ. His præsentibus testibus: Balacterio, Madalberto, Beato, Eppleno, Baldrico, Aisono, Vormerio, Milone, Aibrico notario, Ferlagio, Leuduino, Arberto, Servio. Walterius præsens fuit et subscripsit. Data notitia die Mercurii proxima in mense Maio, anno II, regnante domno nostro Ludovico rege atque imperatore. »

(815) Notitia, qualiter ante Bettonem episcopum et Balactarium vicecomitem, ad vicem Hildegarni comitis, seu scabineorum qui ibidem aderant, veniens Bernardus advocatus monasterii sancti Petri Fontis Besuæ, et Betto episcopus, in fines Bodin-

(3) Nota auctoris ævum.

gis villæ, et Alteriaci-villæ, ibi dedit tredecim testes appellatos his nominibus : Ursnaldum, Aglardum, Guirindum, Marcherium, Aggónem, Symeonem, Carinum, Adalardum, Syriannum, Winierium, Ulgerium, Amalerium, Flauminum, isti testificaverunt quod inter illas veteres villas, quarum una pergit de Alteriaco-villa ad Colonias villam, et altera pergit de Furto-villa ad Villarum inter istas duas vias usque ad locum qui dicitur Vaccaria, et illum fontem, qui dicitur Springus, terra sancti Petri est, tam in campis, quam in sylvis, et semper exinde vestita fuerit ipsa casa Dei, monasterium scilicet sancti Petri Besuensis, per legem et per rectum. Actum his præsentibus, Madalberto, Adalelmo, Ballaterio vicecomite, Ursnado, Gunduino, Flaumiro, Syranno, Aglardo, Marcherio, Aggone, Girvio Adalardo, Winerio, Ulgerio, Bettone vicario et misso ab Hildegarno comite Zizone, Unibaldo, Hugberto, Arisbato, Vebalto, Laipno. Ego Aldocrius lector hanc notitiam scripsi, anno quarto imperii Domni nostri Hlucdovici regis atque imperatoris (817).

Quandiu monachi a Besuensi cænobio exulavere. Qua de causa revocantur monachi. Albericus episc. Lingon. Besuense monast. instaurat. — Cum vero inimicus totius boni diabolus comperisset hoc Besuense monestarium religione florere, indoluit terrigenas illuc humilitate et obedientia conscendere, unde ipse superbia et inobedientia corruerat. Egit itaque ut monasticus ordo ex hoc loco penitus deletus esset. Nec hoc parvi temporis intervallo, sed a tempore Pipini regis, et tempore Caroli usque ad tempus domni Hlucdovici imperatoris duravit. Hic enim Bettone episcopo defuncto, Albericum virum dignum episcopatu, ecclesiæ Lingonensi constituit. Qui hunc locum tali ex causa noscitur restaurasse. Erat prædictus episcopus in Besua sanus et hilaris, cum subito gravissimo dolore intestinorum corripitur, nullumque remedium tanti cruciatus consequi poterat. Medicis autem multum laborantibus, et nihil proficientibus, desperare cœpit, et de sola morte cogitare. Omnibus autem suis gementibus et flentibus, et mortem ejus exspectantibus, ipse in sommum deductus est, viditque in somnis venire ad se veneranda canitie reverendum virum, a quo cum interrogaretur quomodo se haberet, respondit, ut erat, nimiis doloribus urgeri ad mortem. Tum ille requisivit quam mercedem retribueret illi, qui ei a Domino, non solum vitam impetraret, sed et salutem, et diuturnitatem. Respondit : Quamvis nulla recompensatio digna esset talibus promissis, tamen, quantum posset et ab illo imperaretur, rependeret. Tum ille senex : Monasterium hoc, inquit, sub meo et fratris mei Pauli nomine, Domino consecratum fuit, et bonis fratribus ac Deum timentibus monachis habitatum, nunc vero, ut ipse cernis, desolatum est : promitte ergo mihi ut hunc locum restaures, et monasticum ordinem in eo repares, et tibi a Domino salutem impetrabo. Promisit sub jurejurando, et a somno excitatus est, statimque eum omnis dolor deseruit, as si illis diebus nullum esset expertus cruciatum, surrexit sanus, luctusque omnium in gaudium conversus est. Retulit quid viderat, quid etiam ipse promisserat, et sub qua conditione salutem meruerit. Precatur omnes ut adjutores existerent ad implendam promissionem. Quanto autem studio, quantaque cura memor juramenti et promissionis hoc monaterium reparavit, melius ipsa opera quam verba testantur. Monachos ex monasteriis sumptos adunavit, abbatem præfecit, et non solum res ad ipsum manasterium pertinentes restituit, sed et alias res de episcopatu ecclesiæ suæ, cum consilio synodi provincialis, et consensu ecclesiæ suæ subjecit. Hic itaque Albericus episcopus timens quod experimento didicerat de eodem Besuensi monasterio, ne de rebus quas ei donaverat per successorum pravam pervasionem iterum spoliaretur, studuit non tantum sua, sed etiam regali auctoritate confirmare quæcunque ad præsens sua vel in posterum aliorum fidelium munificentia possideret. Adiit itaque Ludovicum imperatorem, et super hac re regale præceptum quæsivit. Annuit imperator, et sicut scriptum est infra, sua auctoritate confirmavit.

Præceptum Hlucdowici imperatoris.

« In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu-Christi, Hlucdowicus et Hlotarius, divina ordinante providentia Imperatores Augusti. Si petitionibus servorum Dei justis et rationabilibus divini cultus amore favemus, superna nos gratia muniri non diffidimus. Poinde comperiat omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet ac futurorum solertia, quia suggessit mansuetudini nostræ vir venerabilis Albericus Lingonensis ecclesiæ præsul, qualiter quamdam abbatiam, cujus vocabulum est Fons-Besuus, ex rebus videlicet episcopatus sui, ubi quondam monachi regulariter viventes fuerant, sed moderno tempore penitus erat destructa, a fundamentis rædificavit, ædificia congrua construxit, monachos adunavit, abbatem etiam nomine Seraphim præfecit. Et, ut monachi in eodem loco Domino adjuvante congregati melius et liberius sub norma sanctæ regulæ Deo militarent, non solum res quæ ad prædictam abbatiam legaliter pertinebant, ibi reddidit, sed etiam alias res de præfato episcopatu ibidem subjecit ; sed et constitutionis chartulam, qua ipse una per consensum metropolitani suo Agobardi archiepiscopi, et suffraganeorum suorum, necnon et cleri sibi subjecti, et quorumdam laicorum nobilium confirmaverat, nobis ostendit, in qua plenius conscriptum erat, non solum res ad jam dictam abbatiam legaliter pertinentes ibi reddidisse, verum etiam ei quasdam res de memorato episcopatu suo ibidem subjecisse. Quarum hæc sunt nomina Pauliacum cum appenditiis suis, Bellenavum vicum cum suis appenditiis, Arconem cum appenditiis suis. Istas villas cum omnibus adjacentiis, seu et omni re superposita, campis, pratis, silvis, pomiferis, pascuis, accessibus aquis, aquarumque decur-

sibus, et omnes redditus, totum ad integrum, una cum mancipiis, libertis, cum omni peculio ipsorum, una cum accolabus dedit ad servitium monachorum, jure perpetuo ad possidendum. Ecclesiam etiam, quæ est in ipsa Belenavo villa, in honore sancti Stephani prorsus ab omni consuetudinali exactione liberrimam. Ecclesiam quoque de villa quæ dicitur Dabrum cum appenditiis suis. Et villam Damblim cum ecclesia et omnibus appenditiis suis. Et villam Trescasas cum ecclesia, et omnibus appenditiis suis. Item ecclesiam de villa quæ dicitur S. Sequani cum appenditiis suis; et ecclesiam de villa Morniaco cum omnibus ad eam pertinentibus. Necnon ecclesiam quæ est in valle Verona in honore sancti Mauricii. Ecclesiam de villa Beria in honore sancti Laurentii cum omnibus appenditiis suis. Præterea in territorio Divionensi decimas illarum vinearum, quas donaverat huic ecclesiæ domnus Amalgarius dux et fundator hujus sacri cœnobii. Apud villam quæ dicitur Ficinis vinearum non modicam quantitatem, cum pratis et campis, et servis et ancillis ad ea excolenda. Et in villa Fisciaco vineas similiter; et in Marcennaco similiter. Horum omnium facta donatione, precibus quibus valuit exorans nostram clementiam, ut super eadem constitutionem nostram auctoritatem firmitatis gratia mererentur habere, qualiter prædictus locus, quem pro divino amore et nostra eleemosyna restauravit, et monachos ibi congregavit, qui pro nobis et cuncto populo nobis subjecto perpetim Domini misericordiam exorent, nostra auctoritate confirmatus esset. Videlicet ut si cuilibet successorum ejus animo sederit ut alias res ibi superaddere velit, in suo jure et potestate, salva discretionis ratione, id faciendi permaneret. Sin autem sua devotio, quæ per consilium tantorum bonorum virorum facta et confirmata est nostro liberalitatis præcepto firma et stabilis permaneret. Cujus petitionem dignam ac rationabilem judicantes, hos nostros imperiales apices fieri jussimus: per quos decernimus atque jubemus ut memoratus ordinationis modus, quem prædictus venerabilis Albericus episcopus in præfato loco constituit, inviobilis permaneat, et nullus rector qui in eodem loco successerit, licentiam habeat præscriptam ordinem permutare, aut res quas ibi reddidit, sive subjecit, ullo modo auferre; sed ejus constitutio per hanc nostram confirmationem firma et stabilis permaneat. Et ut hæc auctoritas confirmationis nostræ per futura tempora inviolabilem atque inconvulsam obtineat firmitatem, de annulo nostro subter illam jussimus assignari.

« *Signum Hludovici imperatoris.*

« *Signum Hlotharii filii ejus.*

« Actum anno ab Incarnatione Domini 830. Indictione VIII. Epacta. XV. »

Suscepta deinde regali auctoritate Albericus episcopus, confirmatisque ut prædiximus, rebus, rediens domum, ut præsentibus notum atque futuris fieret, propriam inde conscriptionem fecit, in qua omnia quæ huic cœnobio donaverat, quæque in posteram futurorum fidelium largitate donanda sperabat, inserens, sic ait:

Charta domni Alberii episcopi.

« In nomine Domini Jesu Christi, notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, quod ego Albericus dono Dei episcopus Lingonensium reperi locum jam dirutum, quod dicitur Fons-Besuus, in honore constructum sanctorum apostolorum Petri et Pauli, nec non et aliorum, ubi jam olim monachi regulariter Deo famulati fuerant, sub Almalgario duce, permittente Clotario rege. Ideoque ob amorem Dei et veniam delictorum meorum, Deo inspirante, cogitavi reædificare supradictum locum, permittente gloriosissimo Augusto Ludovico, et consentiente piissimo filio ejus Lothario imperatore, congregavi ibi monachos sub abbate nomine Seraphim, qui regulariter degerent et Deo in perpetuum fideliter deservirent. Concessi enim eis quidquid supradictus locus per chartarum donationem assecutus est; et quidquid nostri prædecessores de hoc loco abstraxerant propter eleemosynam supradicti principis ejusque filiorum libenter restauravi. Ideoque per consilium archiepiscopi nostri Agobardi et consentientibus coepiscopis nostris nec non et piissimis nostris principibus, seu omni clero, nec non omnibus fidelibus ecclesiæ nostræ addidimus de episcopatu nostro villas his nominibus: Pauliacum cum appenditiis suis, Bellenavum vicum cum suis appenditiis; Arcionem cum appenditiis suis. Istas villas cum omnibus adjacentiis, seu et omni re superposita, campis, pratis, silvis, pomiferis, pascuis, accessibus, aquis, aquarumque decursibus, et omnes redditus, totum ad integrum, una cum mancipiis, libertis, cum omni peculio ipsorum, una cum accolabus, dedi ad servitum monachorum jure perpetuo ad possidendum. Ecclesiam etiam, quæ est in ipsa Bellenavo villa in honore sancti Stephani, prorsus ab omni consuetudinali exactione liberrimam. Ecclesiam quoque de villa quæ dicitur Dambrun, cum appenditiis suis, et villam Trescasas cum ecclesia, et omnibus appenditiis suis. Item ecclesiam de villa quæ dicitur sancti Sequani cum appenditiis suis; ecclesiam de villa Morniaco cum omnibus ad eam pertinentibus; nec non etiam ecclesiam quæ est in valle Verona in honore S. Mauricii, et ecclesiam de villa Beria in honore S. Laurentii, cum omnibus appenditiis suis. Præterea in territorio Divionensi decimas illarum vinearum, quas donaverat huic ecclesiæ domnus Amalgarius dux et fundator hujus sacri cœnobii. Apud villam quæ dicitur Ficinis vinearum non modicam quantitatem, cum pratis et campis, et servis, et ancillis, ad ea excolenda. Et in villa Fisciaco vineas similiter. Et in Marcennaco similiter in substantiam monachorum et alimoniam pauperum, et ut ibidem delectetur servus Dei Domino servire, et pro rege ejusque conjuge, et liberis ipsius, et totius imperii ejus statibilate, jugiter Domini misericordiam implorare. Ea videlicet ratione

hoc constituimas ut semper subjectus sit jam dictus locus ecclesiæ sancti Mammetis,et ut nec ego ipse, nec ullus de successoribus meis hanc conscriptionem violare præsumat, domni imperatoris confirmationem in ea fieri postulavi. Actum Lingonis civitate publica.In Christi nomine Agobardus Lugdunensis ecclesiæ archiepiscopus subscripsi.Angericus episcopus subscripsi. Albericus episcopus a me facta subscripsi. In Christi nomine Faova Cabilonensis subscripsi. Modoinus Augustodunensis subscripsi. Winitarius indignus abbas Calticensis subscripsi. Audinus indignus corepiscopus subscripsi. Motuinus indignus presbyter subscripsi. Hiltibaldus Matiscensis episcopus subscripsi. Ragenardus presbyter subscripsi. Ego in Dei nomine Jacob licet indignus corepiscopus subscripsi. Sigoaldus presbyter subscripsi.Woanilo presbyter subscripsi. Adalbertus presbyter subscripsi.Simeon presbyter subcripsi. Unricus diaconus subscripsi.Bajus diaconus subscripsi. Beatus diaconus subscripsi. Fridericus subscripsi. Teuthmarus subscripsi. Rogenaldus subscripsi. Signum Humberti. Signum Hillanni.Signnm Bertardi. Signum Fulcrini. Signum Eruic. Signum Radaldi. Betto subscripsi. Bernorogitus subscripsi. Ragnoardus subscripsi. Bavo subscripsi. Ragenardus subscripsi. Hilpericus subscripsi. Hildegisus presbyter subscripsi. In Christi nomine Bernardus archiepiscopus subscripsi. Godelsadus abbas subscripsi. Birico ac si indignus levita subscripsi.Actum anno ab Incarnatione Domini 830,Indictione VIII, Epacta XV, XII Kalend. Decemb. Anno, Christo propitio, XIV, imperii domni Lucdovici imperatoris, et Lotharii augusti filii ejus VI. »

Tempore vero Domini Alberici episcopi, factæ sunt plurimæ commutationes,vel coemptiones terrarum, tam ab ipso pontifice,quam a rectoribus loci istius. Inter quas facta est commutatio a Seraphim abbate nostro, et Herleberto abbate Divionensi. Dedit Herlebertus in villis Luco et Verona, quidquid erat juris S. Benigni : et Seraphim e contra tradidit terras S. Petri, quæ erant in Divione,et in fine Domini Petri et Longo vico,et in Canavis,et in Arzilerias, et Tremoldo, et Fontanis, et Proviso, et Disto. Nec suffecit huic loci istius amatori Alberico episcopo, suo tempore munificentissime locum istum ampliare, sed audiens qualiter Betto episcopus,prædecessor suus,fines Besuensis territorii legaliter novem legalibus testibus terminaverat, sua auctoritate idipsum confirmavit. Ipso tempore quidam Hligarius nomine dedit ad hunc locum in Aquatovilla terram hæreditatis suæ, pro peccatis suis minuendis. Hoc est mansum indominicatum, una cum domo et horreo. Habet vero ipsa terra perticas arpennales in longo quadraginta tres, et pedales X,et in lato de uno capite superiore perticas novem, et pedes IV.Totum ad integram, tam terris, curtiferis, quam ædificiis desuper positis, campis, pratis, silvis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, totum ad integrum dedit.

Similiter quidam Widaldus nomine, vendidit domno Alberico episcopo terram in villa Casoto mansum unum,et de terra jornales septem.Domnus vero Albericus dedit eam sancto Petro. Item alius quidam Aylardus nomine,res juris sui sitas in pago Atoariense, in loco,qui dicitur Bustellus,et in ipsa fine Bustellense seu et ibidem aspiciente,quidquid ibidem genitrix sua visa fuit habere,tam in mansis, quam campis, pratis, silvis, pomiferis, pascuis,accessibusque omnibus vendidit domno Alberico episcopo, per manus abbatis Seraphim, Radulpho, et Amalarico testibus XII, in Kal. Feb. anno XVI imperii Lucdovici.

Charta Teutonis abbatis.

Similiter etiam facta est commutatio inter abbatem Besuensem nomine Seraphim, et abbatem Theutonem monasterii Sancti Leodegarii, quod capellense nominatur, cujus series ita se habet :

Auxiliante Domino nostro Jesu Christo placuit atque convenit coram domno Alberico Lingonensi episcopo, inter abbatem Seraphim et Theutonem abbatem de monasterio Sancti Leodegarii,ut aliquid de terris Sancti Petri Besuensis,et sancti Leodegarii, pro communi opportunitate mutare deberent, quod ita fecerunt. Dedit Theuto abbas de parte sua ad partem Seraphim, coram Alberico episcopo in cœnobio S. Petri Besuensis, curtile unum situm in villa Besua. Habet idem curtile in longo perticas arpennales 48 et in transverso perticas arpennales 3 et pedales 7.De utroque latere terra sancti Petri est. Dedit autum Albericus episcopus, et Seraphim abbas de terra Sancti Petri Besuensis,ad partem Theutonis abbatis Sancti Leodegarii,curtile unum situm villa Baciaco. Terminatur autem ab uno latere terra Flaviniacensis monasterii, et habet perticas arpennales 16 in transverso perticas arpennales quinque. Similiter in alio loco in ipsa fine Basciacense peciolam unam de terra,quæ habet in longum perticas arpennales 8 et in transverso perticas arpennales 4. Si quis vero, quod nec fieri credimus, de hæredibus nostris, aut quælibet persona contra hanc communicationem venire conatus fuerit,inferat ei,cui litem intulerit, duas uncias de auro. Actum Fonte-Besua monasterio publico 3 Kalend. April. anno 13 imperii domni Hlucdovici imperatoris.

Charta de Bustello.

Anno quinto decimo imperii Hlucdovici,domnus Albericus Lingonensis episcopus emit terram de quadam femina,nomine Adda,et Laburdo, et Albuino, et Laibulfo,quæ sita est in loco qui dicitur Bustellus, qui est in fine Vetus vineis,omnia quæ habere videbantur in ipso Bustello, et in Blaniaco, tam terris curtiferis,quam ædificiis desuper positis,campisque, pratis, silvis, exaratis, pomiferis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, accessibusque omnibus. Omnia ex integro vendiderunt, et acceperunt pretium solidos quinquaginta.

Item alio.

Anno 18 imperii Hlucdovici iterum emit domnu

Albericus Lingonensis episcopus servos, Arlebardum, atque Hayconem, cum ancilla, nomine Humeldi, et filiabus suis, Adalberga et Eldeardi, de quodam Nerduino nomine, qui accepit in pretium solidos 15.

Ludovico Pio terreni insignia regni anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo quadragesimo perpetua felicitate commutanti, etc. *ut in Chronic. S. Benigni.*

De obitu Alberici episcopi.

Non est nostræ possibilitatis verbis ostendere, quantæ dovotionis erga hunc locum domnus Albericus episcopus exstiterit, quantumque eum dilexerit. Verumtamen si verba nostra ad hoc non sufficiunt, opera ipsius et beneficia clamant et ostendunt. In hoc enim apparet illum monasterium istud super omnia dilexisse, quod quæcunque potuit, et undecunque huic loco attrahere, non omisit. Annotavimus quædam de donariis ipsius, prout tenuitas memoriæ nostræ recordari potuit. Quorum quædam adhuc retinemus et possidemus, quædam partim debilitate nostra, partim infidelitate pervasorum perdidimus. Est apud nos pallium satis pulchrum visu, columbis in eo seriatim et pulcherrime contextis, unde ipse multis diebus infulam habuit. Sunt apud nos de libris, quos ipse sanctis apostolis Petro et Paulo obtulit. Textus Evangeliorum unus. Augustinus ad litteram. Liber Regum cum Actibus Apostolorum in eodem volumine. Beda super Lucam. Quippe non immerito sperabat salutem, et vitam animæ per eos Domino Jesu Christo consequi, per quos sanitatem corporis et valetudinem receperat. Hujus itaque spei atque fidei constantia fisus, postquam plurima huic loco ante se præmisit, ad extremo vitæ propinquans, in hoc monasterio se sepeliri voluit: quod et factum est. Jacet namque benedictum corpus istius ad dexteram partem altaris sanctæ Mariæ: anima vero ipsius cum electis et sanctis requiescat in pace. Amen.

Charta de Auxiliaco.

Walcaudus abbas Besuensis. — Per idem tempus defuncto Seraphim abbate qui vices pastoris in loco tenuerat, successit ad regimen animarum Walcaudus abbas, eumdem in ecclesiasticis gerens officium. Obeunte itidem Alberico episcopo Lingonum, Teutbaldus episcopus adeptus est cathedram. Hic sicut prædecessor suus, studiosus hujus loci cultor, fecit commutationem terrarum in aliquibus locis cum quibusdam hominibus. Quidam namque, Eurulfus nomine, pro remedio animæ suæ per consilium Teutbaldi episcopi, dedit sancto Petro Besuensis cœnobii unum campum, situm in villa quæ dicitur Auxiliacus, cui terminatur de uno latere terra Sancti Leodegarii, de alio vero ipsi hærdes tenent, de una fronte fluvio percurrente, de alia vero fronte, strata publica. Infra vero istas terminationes totum contulit ad integrum sancto Petro. In alio etiam loco campum unum, in eadem villa, quæ habet terminationes, ex uno latere silvam communem, de altero vero latere viam publicam. Ex una fronte terram Godefridi, de alia itidem fronte ipsi hæredes tenent. Similiter in alio loco pratum unum, qui habet terminationes, ex una fronte, fluvium procurrentem, ex alia vero fronte, et ex uno latere ipsi hæredes tenent. Signum Adalmari. Signum Odolgarii.

Charta de Maiasco.

Domnus itaque Teutbaldus episcopus, et Walcaudus abbas fecerunt commutationem cum quodam Wlfrico nomine, de terris eorum. Dedit ergo Wlfricus de parte sua ad partem sancti Petri, campum unum situm in pago Atoariense, in villa quæ dicitur Maiascus, seu in ipsa fine; qui habet terminationes, ex uno latere terram sancti Petri, ex alio vero terram ipsius donatoris, et ex una fronte terram sancti Mammetis, ex alia vero fronte stratam publicam, et habet perticationes in longo, perticas xxv, pedum x, et in lato perticas xi, et ex ambabus frontibus perticas xi, pedum iv, Econtra dedit Walcaudus abbas de parte sancti Petri ad partem Wlfrici, campum unum situm in pago Atoariense, in villa quæ dicitur Maiascus.

Ubicunque ergo potuit, Teutbaldus episcopus hunc locum nostrum immeliorari curavit. Post cujus obitum domnus Isaac suscepit præsulatum. Hic prædecessorum bonum sequens exemplum, multa bona huic monasterio contulit.

Carolus igitur, qui cognominatus est *Calvus*, imperium adeptus, ecclesiarum Dei cultor devotus, omni nisu, quo potuit, studebat in cultu religionis depravata corrigere, destructa reædificare, collapsa erigere. Anno Dominicæ Incarnationis 871 regens Francorum regnum, erga cultum ecclesiæ fuit studiosissimus; quapropter multa evicit pericula, et regni ejus semper augmentabatur gloria. Defuncto siquidem Pipino fratre suo rege Aquitaniæ, filioque ejus in regno subrogato, moderationem regni non strenue agens, a suis derelictus ac dejectus est, et monachus in monasterio sancti Medardi factus. Carolus vero a cunctis principibus expetitus, Aquitaniæ regnum est adeptus. Post non multos etiam annos mortuo Lothario imperatore fratre ejus, Carolus suscepit imperium. Sed Lucdovicus alter frater cupiens invadere monarchiam regni, iterum contra Carolum bellum concitat, Northmannos cæterasque gentes in regnum Caroli evocat: auxiliante autem Domino Carolus fratrem de finibus suis expulit, et Northmannos intra Neustriam compressit. Hæc fuit secunda eruptio Northmannorum in Franciam. Aliquantis transactis annis Lucdovicus defunctus est, relinquens tres filios, Lucdovicum scilicet, Carlomannum et Carolum.

Charta de Lueo.

Warinus et Teutbertus abbates. — Defuncto igitur Walcaudo abbate, Warinus successit. Hujus itaque diebus, quidam homo, Baldricus nomine, pro remedio animæ suæ et genitoris sui, nomine Romani, reliquorumque antecessorum suorum dedit sancto Petro unum mansum, qui est in Luco superiori, vel in ipsa villa Lucensi, cum omnibus appenditiis suis, et habet terminationes ex uno latere, et de una

fronte terram sancti Marcellini,et ex alio latere, et de una fronte,fiscum similiter.De rebus autem suis, quæ sunt sitæ in ipso pago, et in fine Lucensi,seu in ipsa villa Luco, mansum cum supra positis, campis, pratis, curtiferis, silvis, pascuis, pomiferis, et uno molendino in Busceria, aquis, aquarumque decursibus, exitibus et regressibus, accessibusque omnibus, quidquid de parte genitorum suorum,vel quidquid per instrumenta chartarum conquisivit,totum jure perpetuo, eidem cœnobio tradidit. Post aliquantos autem annos veniens quidam Utlaius nomine, ante Evam dominam suam in campo limito proclamabat quod partem habere deberet in molendino, quem Josmundus clericus et frater suus Baldricus dederunt sancto Petro in Luco,absque ullius contradicto. Jussit itaque Eva fidelibus suis ut irent cum prædicto Utlaio, ad monasterium Besuæ pro tali causa inquirenda.Venit ergo Aldricus a partibus Utlaii cum cæteris quam plurimis,novens rationem de prædicto molendino contra abbatem vel monachos. Itaque monachi testes habuerunt quam plurimos, e contra Utlaius nullum inde habuit testem, quia omnes sciebant eum esse mendacem. Sicque spe sua fraudatus, quidquid calumniabatur,totum monachis dimisit, ac wirpivit. Postea vero Teutbertus abbas qui supra memorato Warino successerat, ipsum molendinum Utlaio ea ratione recondonavit, ut si in deterius devenisset, XXX solidos persolveret. Habet autem idem molendinum terminationes de ambabus partibus tilam, et ex una fronte Isaccus et uxor ejus tenent, et de alia fronte est exitus, et regressus, et semita, quæ ad ipsum farinarium pergit.

Charta de Vetus-vineis.

Quidam etiam miles Divionis castri, Epplenus nomine, pro remedio sui,atque parentum suorum, dedit huic Besuensi ecclesiæ,in villa,quam Veteresvineas vocant, vel in finibus ejusdem villæ tantum spatium de terra arabili, ubi possunt seminari annonæ modi centum.

Charta de Auxiliaco.

Alius quidam homo, nomine Rogerius, donavit eidem ecclesiæ campum unum,qui est situs in pago Atoariorum,in villa Auxiliaco, et habet terminationes de uno latere, terram sancti Petri, de alio terram fiscalem, de una fronte stratam publicam, de alia Vincennam fluvium percurrentem.

Charta de Luco.

Cum resideret venerabilis episcopus Isaac in cathedra episcopali, in villa Basiaco,omnisque clerus ipsius promptus undique ad eum congregaretur: caterva quoque admodum nobilium abbatum cum archidiaconibus et presbyteris, cœtuque universo in synodo generali, quiddam de causis ecclesiasticis ordinatura : inter cætera sancta colloquia, quæ pariter habuerunt, altercatio quædam exorta est inter Ansuinum sancti Martini Lucensis presbyterum,et Adalardum ejusdem villulæ sancti Macellini presbyterum, de decimis ipsarum ecclesiarum, loquente Ansuino, quod omnis decima cum integritate ab antiquo suæ foret ecclesiæ ; quæ e contrario profitente, et toto annisu Adalardo reluctante, suæ ecclesiæ prorsus magis esse debere ; continuo itaque in ipsa synodo exsurgentes testes valde præclari et idonei, superius memorati Ansuini presbyteri,qui veris indiciis Adelardum refutantes, approbaverunt et definierunt, secundum quod antiquitus fuit, stare debere, scilicet Magenardus abbas et archidiaconus, Otbertus, qui eodem archidiaconatus fungebatur officio, Arnoldus eodem florens honore, Isaac, Fredardus, Adalmannus, Evorinus, et omnis fere synodus, horum veridicorum testium testimoniis satis confirmatus et roboratus est presbyter Ansuinus ; et taliter uterque eorum querelæ hujus finem accepit. Acta sunt hæc anno Dominicæ Incarnationis 870, indictione III. Regnante Carolo rege, ecclesiam autem Lingonensem regente venerabili Isaac pontifice.

Obitus domni Isaac episcopi.

Mortuo Isaac episc. subrogatur Geilo. Corpus S. Prudentii Besuæ donatum. — Isaac deinde hujus vitæ diem obeunte, ejus loco Geilo substituitur episcopus, huic Besuensi monasterio amicissimus ; et nobis fere omnibus melioribus optimus.Cum enim alii nobis providerint terrena subsidia, iste apud Deum procuravit animarum patrocinia. Rediens enim ex Aquitania, beatissimi Prudentii martyris corpus huic loco intulit, et cum aliis multis sanctorum pignoribus ad exorandum Deum pro se et pro nobis, ut decuit, collocavit. Ad quorum honorem, et reverentiam quædam de episcopio suo ad luminaria obtulit exhibenda, et eorum quæ obtulit facta legaliter et publice donatione, scriptum edidit hoc modo.

De collatis huic loco a Geilone episcopo.

Omnibus dignitatibus, sublimibus ac mediocribus utriusque sexus et ordinis notum esse volumus, qualiter ego Geilo Lingonensis ecclesiæ humilis episcopus, Dei omnipotentis inspiratione commotus, beatissimumPrudentiummartyremChristi,Besuensi monasterio in honore sanctorum apostolorum Petri et Pauli constructo, digno honore collocaverim.Qui beatus martyr ante introitum atrii et in ingressu templi, ac deinceps miraculis, ut omnibus Christi circumquaque fidelibus patefactum est, claruit. Nutu ergo divinæ majestatis pulsatus, contuli illi aliquid ad luminaria præbenda ex redditibus sancti Mammetis in Luco superiori capellam videlicet sancti Mraccllini, cum appenditis suis et mancipiis utriusque sexus, quæ ab episcopo Virdunensi ante paucos dies digna commutatione evindicavi. Pontiliacum etiam cum adjacentiis suis, et ecclesiam in honore sancti Hippolyti in eodem loco consecratam, eidem sanctissimo martyri Prudentio contuli. Ecclesiam quoque de Chasuit ad integrum cum omnibus appenditiis suis,eidem sancto delegavi ; ita ut ab hac die has donationes habeat, teneat atque possideat in perpetuum, nullo contradicente. Hoc so-

lum ea successoribus meis in Deum et propter Deum obnixis precibus exorando deposco, ut si adjicere aliquid placuerit, faciant; et si non, hæc parva a nobis tradita non demant, nec subtrahant. Quod et si qui tentati a diabolo invadere hæc dona conati fuerint, nec permittatur eis locus in ecclesia cum cæteris Christianis, et nisi cito resipiscant, maledictionibus cum Dathan et Abiron, et cum Juda traditore Domini, pœnis gehennalibus subjiciantur: insuper et auri libras quinque in ultione refectoribus ecclesiæ Besuensis persolvant. Ego Geylo humilis episcopus hanc traditionem in synodali conventu peregi, et confirmari rogavi. Anno ab incarnatione Domini 883, indictione I, epacta IX. Regnante Carolo Magno (4). Signum domini Geilonis episcopi, harum rerum donatoris. S. Heliæ. S. Oberti. S. Galcaudi. S. Helgaudi. S. Arnaldi. S. Guntardi. S. Odonis, et reliquorum omnium, qui illi synodo affuerunt; die Dominico mensis Octob. VIII, Idus ejusdem mensis.

Charta de ecclesia S. Martini de Luco.

Synod Cabilonensis. — Anno Incarnationis Dom. 886, anno quoque domni et serenissimi Caroli imperatoris Augusti in Gallia imperantis II, indictione V, XV Kal. Junii, sacer episcoporum conventus ob pacem et tranquillitatem sanctæ Dei Ecclesiæ statuendam, et ecclesiastica negotia decernenda, apud ecclesiam sancti Marcelli martyris, in suburbio Cabilonensi, in Christi nomine coadunatus est, ubi fuerunt domni et sanctissimi archiepiscopi, Aurelianus, Bernuinus, nec non et reverendissimi episcopi, Adalgarius, Geylo, Stephanus, Geyraldus, Adalbaldus, Isaac et Loboinus. Geylo denique supra memoratus Lingonensis ecclesiæ reverendissimus antistes, una cum supra scriptis patribus in hoc sacro-sancto residens conventu, eorum auribus intimavit de supra scripta notitia; qualiter domnus Isaac antecessor suus, res ecclesiæ in Luco, in honore S. Martini in sua S. synodo a partibus S. Martini de Luco superiori, capellæ videlicet sancti Marcellini, contra Adalardum ejusdem capellæ presbyterum, juste et legaliter evindicavit de rebus et decimis. Tunc omnes episcopi præfati hæc audientes, in communem relationem Geylonis, venerabilis episcopi, et notitiam evendicationis domni Isaac, simul consenserunt, et consentiendo roboraverunt, ut si quis temeraria sacrilegaque præsumptione convictus, atque cæca cupiditate cæcatus, hoc, quod Dei et domni Isaac et nostra confirmamus auctoritate, in aliquo infringere præsumpserit, æterna se sciens damnatione multandum, et cum diabolo et angelis ejus sempiterno incendio concremandum, atque cum Juda traditore Domini, et cum Dathan et Abiron perpetuali pœna cruciandum, et insuper a liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ, et cœtu omnium fidelium Christianorum tandiu habeatur extorris, donec de illicita præsumptione resipiscens, condigna pœnitentia sublevetur.

(4) *Caroto Magno*, Aut *Carlomanno*.

A *Charta de Luco Mediano.*

His diebus, homo quidam cujus nomen erat Isaac, dedit monasterio Besuensi mansum unum, qui est in pago Atoariensi, in villa quæ dicitur Lucus Medianus, et habet terminationes de una fronte Philam fluvium procurrentem, de alia fronte stratam publicam. Donavit quoque supradictus Isaac eidem loco in fine, quæ dicitur mons Mainberti, in loco, qui dicitur Spinido, terræ jornales duos; in alio vero loco, qui dicitur Cabrario, jornales duos, et in alio, qui dicitur Fontinella, jornales tres. Ipsamque donationem Walcaudo, tunc temporis ipsius loci abbati, et successoribus ejus perpetuo contradidit.

Charta de Vetus-vineis.

Alius quidam homo nomine Ingelgerius, et uxor B ejus Amalildis, vendiderunt fratribus Besuensis cœnobii in villa, quam Veteres-vineas appellant, unum hortum, qui terminatur de uno latere, terra ipsius hæreditatis, de alio latere terra sancti Leodegarii, de una fronte, terra sancti Petri, de alia vero, strata publica. Habet etiam idem hortus perticationes agripennales de una fronte a parte vineæ sancti Petri perticas duas, pedum sex, de alia fronte perticam unam. Habet et in longo perticas undecim pedum novem. Infra istas perticationes, seu terminationes, totum ad integrum vendidit prædictus Ingelgerius monachis Besuensibus, acceptoque ab eis pretio solidis duobus et denariis octo, concessit perpetualiter possidendum.

Item alia.

Vir quidam Otgerius nomine, pro remedio animæ C patris sui Isaac et fratris sui Waldrici, dedit sancto Petro Besuensis cœnobii, servum quemdam Amalerium nomine, eo quod ipse Waldricus frater datoris, cuidam servo sancti Petri, qui Lanfredus dicebatur, oculos eruisset.

Charta de Novo Vico.

Item alius quidam Bernardus et uxor ejus Miltrudis dederunt Teutberto Besuensi abbati, et monachis sub eo viventibus, partem de vinea quadam sita in pago Atoariorum, in villa Novo-vico, ut haberent potestatem faciendi de ea quidquid potius elegissent.

Charta de Villare.

Miles quidam Portuensis pagi, Aigardus nomine, et conjux ejus Rotlindis vocata, concesserunt bea- D tissimo Petro in Besuensi cœnobio famulantibus, cunctas res juris sui sitas in pago Portuensi in villa nuncupata Villare, et totum quidquid in ipsa villa, vel in finibus ejus possederant: campos scilicet, prata, pascua, decimas, rivos, fontes, aquas, aquarumque decursus cum adjacentiis suis, et quodcunque dici, aut nominari potest, et quod per eorum nomen ibidem vindicare monachi possent: acceptoque ob hoc ab ipsis monachis pretio, quod convaluit ad IV libras argenti, hanc tantam donationem testamento confirmaverunt, et possidendam eidem cœnobio perenniter decreverunt.

Item alia charta.

Quidam, Guttinus nomine, dedit eidem Besuensi, cœnobio mansum unum in pago Atoariensi, et quidquid ad ipsum mansum pertinebat, in campis, pratis, silvis, aquis et mancipiis utriusque sexus in eodem manentibus.

Charta de Ponto.

Aurailus quidam et uxor ejus Ermengardis vendiderunt monachis Besuensibus mansum unum cum appenditis suis, campis scilicet, pratis, silvis, pascuis, arboribus pomiferis, aquis, aquarumque decursibus, quod situm est in pago Atoariorum, in villa quæ dicitur Pontus et habet terminationes, de uno latere terram sancti Leodegarii, de alio terram fiscalem, de una fronte stratam publicam, de alia vero, prata. Vendiderunt etiam et alias suas res sitas in fine Vendourensi, et in fine Potensi, et in fine Lulensi; acceptisque a monachis pro hac largitione 60 solidis, potestati eorum eam perenniter possidendam tradiderunt.

Item alia.

Quidam miles nomine Waldrannus pro requie animæ suæ, et parentum suorum, dedit præfato cœnobio ancillam unam nomine Lampacem, ut ibidem deserviret, cum omni semine suo ex ea progenito: et annis singulis in festivitate sanctorum Petri et Pauli, denarios duos persolveret, et ut cæteræ colonæ servitium omne facerent.

Charta de Lujat.

Landrada quoque quædam femina mansum juris sui in villa quæ dicitur Lujat, situm, dedit eidem cœnobio Besuensi: quod mansum terminatur de uno latere terra Flammeria; de alio terra sancti Leodegarii; de una fronte strata publica; de alia vero Thila fluvio percurrente.

Item alia charta.

Quidam etiam colonus sancti Petri, qui Vautsonius vocabatur, et uxor ejus Manuheldis, servum juris sui, nomine Gunduinum, dederunt eidem sæpe nominato loco; ea tamen ratione, ut colonus permaneret, sicut et ipse Vautsonius.

Item alia.

Miles quidam Hugo nomine, pro requie animæ suæ et antecessorum suorum, dedit ad ipsum locum Besuensem servum quemdam nomine Wlfingum, nec non uxorem illius, nomine Aymam, et infantes illorum, Ermenasiam, Suffuciam, Susannam, Adalsinam, Suppliciam et Godolbergam.

Charta de Picangiis et Mercennaco.

Mulier quædam nobilis, nomine Wandalmodis, pro requie animæ mariti sui Humberti et reliquorum antecessorum suorum, donavit ad locum SS. apostolorum Petri et Pauli, nec non et sancti Prudentii martyris, in villa Fractomonte, servum nomine Gundulfum, cum filiis suis Wlferio, Waringaudo, Rambaldo, et dimidium mansum, quem ipsi tenebant; tali servitio, ut omnibus annis in corvata monachorum, jornalem unum de tritico, et alium de avena persolverent, et eulogias, et in cera duos denarios. Dedit etiam eadem Wandalmodis supradicto loco in villa Pichanias servum nomine Humbertum cum matre Plectrude, et mansum unum ibidem, et quidquid ad ipsum mansum pertinebat. Similiter etiam dedit eidem loco in pago Divionensi, in villa Mercennaco, jornalem unum de vinea.

Charta de Vivers.

Nobilis quædam femina, nomine Eva, dedit eidem ecclesiæ Besuensi res proprii juris sitas in pago Atoariorum, in loco qui dicitur Vivarius, ipsam videlicet villam Vivers appellatam; et quidquid ibi adjacet, totum ex integro prædicto loco concessit, mansa, servos, ancillas, curtiferas terras, silvas, aquas, aquarumque decursus, cum mancipiis utriusque sexus; et per servum, nomine Ajembaldum, vestivit ex his rebus prædictam ecclesiam Besuensem.

Charta de Brescono.

Levita quidam nomine Helias, dedit in pago Divionensi, in villa Brescono, ad luminaria ejusdem Besuensis ecclesiæ, vineam unam bene cultam, ut in perpetuum eam possideret sine aliqua contradictione.

Charta de Fissiaco.

Adoerius quidam in eodem cœnobio ex laico conversus, in villa Divionensis pagi, quæ Fissiacus appellatur, dedit vineam unam, quæ terminatur de uno latere terra sancti Benigni de Longovico, de alio via publica, de una fronte vinea sanctæ Mariæ de Balma, de alia terra, sancti Eusebii de Escubilibus.

Habet ipsa vinea ex uno latere in longum perticas agripennales 24, de alio perticas 20, pedum 2; de una fronte perticas 20, dealia vero perticas 15; pedum 7.

Karolus autem imperator secundo Romam ire disponens, Italiam ingreditur: e contra Karlomannus Lucdovici regis fratris ejus filius, per aliam viam, eamdem terram ingressus, cum immenso exercitu fit ei obvius. Karolus vero Galliam regressus, atque fines Lugdunensium pertingens, ibidem vita functus est, atque in monasterio apostolorum Petri et Pauli conditus, loco, qui dicitur Nantoade a multitudine aquarum inibi confluentium. Postmodum per admonitionem angelicam inde translatus, Parisius in ecclesia S. Dionysii regali sepultura est tumulatus. Successit patris in solio Lucdovicus, biennio vix regio nomine functus. Hujus in diebus Joannes papa Romanus Franciam venit, et apud Trecas, civitatem cum eodem rege collocutus, parvo tempore ibidem moratus, sicque Romam est reversus.

His diebus effera Danorum natio tertiam Neustriacis inflictura cladem advenit, intulissetque majorem superioribus, ni Hugo per Gallias abbatis honore præditus, eorum temerarios compescuisset ausus. Auxiliante namque Deo parva manu tantas hostium phalanges fudit, ut vix superesset, qui nuntiare potuisset. Qua plaga humiliati Dani, Gallias per ali-

quod spatium temporis quietas reliquerunt. Huic bello præfuit Lucdovicus rex. At Hugone ultimos vitæ suæ claudente soles, Lucdovicoque principe post administratum, ut diximus, biennio regnum, diem obeunte, Carolus, qui Simplex postea est dictus, in cunis ævum agens patre orbatus remansit. Supererant duo filii Roberti Andegavorum comitis, fratres Hugonis abbatis. Senior Oddo dicebatur, Rotbertus alter, patrem nomine referens. Ex his majorem natu Oddonem Franci tutorem pueri, regnique elegere gubernatorem, quia recidivi Northmannorum incursus imminebant. In partibus vero regni, quas Lotharius et Lucdowicus tenuerant, filii ejusdem Lucdowici regnabant; nam Lotharius sine filiis obierat. Ex his tribus fratribus unus patris nomine vocatus, alter Carlomanus, tertius Carolus est dictus. Sed duobus intra quinquennium defunctis, ad juniorem Carolum rerum summa pervenit, postque imperii monarchiam est adeptus.

Refert quidam scriptor, etc., *ut in Chronico S. Benigni.*

His temporibus Incarnationis Christi 891 volvebatur annus.

De destructione hujus loci.

Veniens ad obitum præfatus ac venerabilis Geylo episcopus, cognoscens et ipse multa ad dimittendum seu purgandum in seipso, antequam occurreret cum omnibus nobis in resurrectione generali, et in cujus conspectu non sunt mundi, etiam ipsi cœli, quibus in vita deservierat, in morte non solum animam, sed etiam corpus commendavit. Præcepit itaque corpus suum ad hoc Besuense monasterium deferri, et se totum Deo et SS. ejus apostolis, quibus datum est claudere cœlum, vel aperire quibus voluerint, committens, necnon et gloriosissimo aliorum sanctorum quorum hic reliquiæ habentur, patrocinio, cum prædecessore suo Alberico Lingonensi itidem episcopo sepultus est.

Circa idem fere tempus, secundum quod scriptum est, risui nostro dolor admistus est, et extrema gaudii nostri luctus occupavit. Nam venientibus per Franciam in Burgundia Northmannis, monasterium istud Besuense penitus contigit desolatum iri. Et cum septies inveniamus locum istum a perfidis christianis, seu a paganis violatum atque destructum, hæc ultima destructio non immerito a nobis emphatice dicitur *desolatio desolationum*. Dicamus igitur, sicut in antiquis membranulis nostris vix recolligere potuimus, quomodo et a quibus sexies devastatum sit, ut tandem ad hanc ultimam et atrocissimam desolationem paulo latius disserendam accedamus. Prima vice a Christianis per intestina bella, qui hunc locum invadentes, abstulerunt inde cum aliis rebus, etiam omnes chartarum auctoritates: unde jam in præcedentibus aliquantulum mentionem fecimus. Alia vice a Wandalis, perfidis paganis. Tertia vice a Sarracenis, quando Augustidunum civitatem destruxerunt anno ab Incarnatione Domini 831. Fertur etiam una vice a monachis hunc relictum fuisse

A locum, ob metum cujusdam morbi, qui hanc vastabat regionem. Quarta vice tempore Remigii, fratris Pipini regis, Magni Caroli patris, per quamdam fœminam, nomine Angla, cui prædictus Remigius hunc locum donaverat: unde et nos in superioribus mentionem fecimus. Cujus rei ordinem qui plenius nosse desiderat, ad eam descriptionis narratiunculam recurrat. Sed et hoc sciendum, quod ex hoc tempore usque ad domnum Albericum, qui hunc locum reparavit, ab ordine monastico penitus cessavit.

Jam vero dicendum est de illa ultima desolatione, quæ non solum huic loco obfuit, verum etiam totam Franciam ipsis Northmannis vastantibus, neque uspiam Francis tutam resistendi firmitatem

B reperientibus, multa sanctorum corpora Divioni castro invecta sunt, eo quod firmissimum et inexpugnabile videretur, quorum quædam postea sunt relata, quibusdam ibi remanentibus; alia sunt ad alia loca translata.

Delatum est a Suessionicis corpus beati Medardi episcopi. Delatum est a Tarwanensibus corpus beatissimi Silvini eorum episcopi. Nostri quoque patroni, beatissimi Prudentii corpus eodem delatum, et in basilica beati Stephani collocatum, multis annis permansit. Tandem Deo nobis propitio, paceque reddita beatissimi Prudentii corpus inde delatum, et beati Silvini corpus cum beata Anglia, ejus familiarissima, nobis a Deo donatum. Sicque factum est, ut cum hujus loci protectionem

C principaliter habeat cum Paulo princeps apostolorum Petrus, unum ipsius exornet latus beatissimus martyr Prudentius, alterum cum venerabili Anglia beatus Silvinus episcopus.

Aliquantisper protelavimus desolationis nostræ narrationem nolentes silentio contegi, qualiter nobis, qui putabimur nostro patrono desolati, postmodum a Deo sint pro uno duo procurati. Nunc ad ea quæ omisimus redeamus.

Audientes hi qui hic erant monachi Northmannorum adventum, quidam timore pœnæ ac mortis se occultaverunt, quidam ad alia monasteria demigraverunt. Nec mirum quoniam qui hic remanserunt, gladio interfecti sunt, quorum nomina hæc sunt: Ayrmannus monachus, Genesus monachus, Beraldus monachus, Sifardus monachus, Rodco

D monachus, Ansuinus presbyter, Adalricus puerulus. Hi omnes pro Christo pie jugulati talionem Deo reddentes, sacrificium, Deo effecti sunt anno ab Incarnat. Dom. 838.

Northmannos oppugnat Richardus dux. — Verumtamen cum nemo repertus sit, qui eis posset vel auderet resistere, fuit iisdem temporibus quidam dux nostrarum partium, Richardus nomine, qui a justitiæ studio dictus est et ipse *justificator*. Hic pro libertate patriæ partim zelo succensus, plurimum vero pro ecclesiis Dei defendendis, Deum habens adjutorem, expugnare illos aggressus est. Et licet usque ad hanc Besuam hostilis impetus procurrerit,

et hic rabies insaniæ eorum adeo efferbuerit, ut et monachos nostros, ut prædiximus, gladiis interemerit et omnia vastaverit, in tantum ut et fontem ipsum de se gurgitem magni fluvii evomentem, potatione quadrupedum innumerabilium per totum quatriduum exsiccaverit; ad Divionem tamen eos aspirare, nec loci firmitas, nec ducis nominatissimi permisit metuenda bellicositas. Quin imo occurrens eis præfatus dux Richardus, in loco vocato Argentoilo, commisso cum eis prælio cæsa est eorum quamplurima multitudo. Sicque Dani cum Northmannis retro redire sunt coacti.

Anno Incarnat. Verbi 893. Odone regnante, etc., *ut in Chronico S. Benigni.*

Anno 911 Incarnat. Verbi, XII Kalend. Aug. in Sabbato, cum obsiderent Northmanni Carnotinam urbem, et jam esset penitus capienda, supervenientes Richardus et Robertus cum suis, Dei auxilio et Beatæ Mariæ patrocinio roborati, fecerunt stragem maximam paganorum, a paucis qui remanserunt obsides capientes. Habuit idem Richardus filium nomine Rodulphum, qui fuit rex Francorum. Alter filius vocatus est Boso, qui Burgundiæ superioris, quæ Gallia Comata dicitur, accepit regnum. Tertius filius dictus est Hugo, cognomento Capito, qui fuit dux inferioris Burgundiæ. Exorta discordia inter Karolum et regni principes, lites ac bella, rapinæ et incendia, innumera undique sæviunt mala; tandem rex facti pœnitens principes ad concordiam commovet, pacemque exoptatam cum eis firmat.

De commutatione facta inter Walcaudum abbatem, et Theuthardum.

Eo tempore facta est commutatio inter quemdam Teuthardum, et Walcaudum abbatem, de terris quæ sub jure eorum videbantur esse. Dedit itaque Teuthardus de parte sua ad partem Walcaudi abbatis campum unum, situm in pago Atoariense, in fine Pauliacense; et contra Walcaudus abbas de parte sua dedit Teuthardo campum unum situm in ipso fine Pauliacense.

Obitus Geylonis.

Geyloni episc. Lingon. successere Teutbaudus, et Agrinus sive Algrinus. — Defuncto vero Geylone episcopo Teutbaudus successit. Sed et isto defuncto, Agrinus episcopus successit, in cura pastorali valde sollicitus. Hic Pontiliacum et ecclesiam S. Hippolyti a quodam Waltario nobis injuste ablatam restituit, sicut hic demonstrabimus.

Charta et confirmatio Agrini episcopi de collatis a Geylone episcopo huic loco.

« Agrinus divina dispensante clementia humilis episcopus, omnibus Ecclesiæ Dei fidelibus utriusque sexus et ordinis, usquam locorum degentibus. Ad multorum constat pervenisse notitiam, qualiter Geylo piæ recordationis episcopus, prædecessor meus, sanctum Prudentium de Aquitania transferens, in nostrum episcopium Lingonense detulit, et in Besua monasterio ad laudem et gloriam nominis Dei solemniter collocavit. Ubi ob amorem Dei, et

A reverentiam ejusdem S. Prudentii, quasdam res ecclesiæ suæ, videlicet Pontiliacum cum adjacentiis suis, et ecclesiam in honore sancti Hippolyti consecratam, eidem monasterio contulit, quatenus monachis et Dei servis ibidem Domino famulantibus, futuris temporibus proficiant in augmentum. Quo quidem de hac vita sublato, sicut reliquæ res ecclesiæ nostræ irrationibiliter ad votum diripientium distractæ sunt, ita quoque et Pontiliacus a loco ubi fuerat a præfato præsule collatus, est a Waltario, sicut certissimum est, sacrilege invasus et indebite alienatus. Unde Gaulcaudus abbas præfati monasterii Besuæ, cum confratribus suis monachis, nostram humilitatem adiens, præjudicium injuste loco illatum lacrymosis questibus innotuit, et ut nostra munificentia sublata indebite redderentur, pro amore Dei, et
B reverentia Petri et Pauli apostolorum principum, sanctique Prudentii humiliter deprecatus est. Nos igitur deprecationem illius paterne suscipientes, eamque cum fidelibus ecclesiæ nostræ clericis ac laicis pertractantes, et justam rationabilemque et rectam prospicientes, consilio et consensu totius Ecclesiæ nostræ, sicut præfatæ res ab antecessore nostro sæpe dicto loco concessæ sunt, et nos quoque præsentialiter concedimus, et hac nostra auctoritate, regnante Domino nostro, in perpetuum consecramus.

« Ut autem præsens nostra restitutio futuris temporibus vigorem inviolabilem obtineat, et de cætero indebitam injustamque nesciat pati jacturam, manu propria roboravimus, fideliumque nostrorum subscriptionibus confirmare jussimus: successori-
C bus nostris per sanctam et inextricabilem Trinitatem humiliter obnixeque suggerentes, ut quæ a nobis pie statuta sunt, ab illis inviolabiliter conserventur. Agarinus sanctæ Lingonensis ecclesiæ humilis episcopus in Christi nomine roboravi et signavi. Otbertus præpositus et archidiaconus signavi. Bernardus archidiac. sign. Madalgaudus diacon. sign. Isaac archidiac. sign. Emmarricus archidiac. sign. Ewardus diaconus signavi. Helgaudus presbyter signavi. Arnaldus archidiac. sign. Fuculsus diacon. sign. Albericus diacon. sign. Aclevertus subdiac. sign. Willeus subdiac. sign. Siquinus subdiac. sign. Josselmus acolythus signavi. Gislerius acolythus signavi. Et ego Brantio indignus presbyter hanc restitutionem scripsi et dictavi, II Id. Aprilis, indict.
D VIII, anno II regnante Odone rege (an. 889). »

Charta de Taxnatello.

Quidam homo, nomine Alardus, dedit res suas proprias, in villa, quæ dicitur Taxnatello, velut in ipsa fine, id est, curtile unum, quod terminatur de uno latere terra sancti Leodegarii, de alio latere terra Willeri; de una fronte, strata publica, de alia fronte Fisco. Infra ipsas terminationes, et quidquid ad ipsum mansum aspicit, tam terris, quam etiam pratis, silvis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, exitibus et regressibus, omnia ad integrum dedit Deo et ecclesiæ Besuensi.

Charta de Luco.

Eodem tempore quidam homo, nomine Karlus, et uxor sua Retrudis, dederunt ecclesiæ Besuensi, et abbati Walcundo res proprias, sita in villa, quæ dicitur Lucus, habentes terminationes de uno latere terram sancti Vincentii, de alio stratam publicam; de una fronte fiscum, de alia fronte coturnum vicinorum. Similiter dedit in ipsa fine jornalem unum et peciolam de terra: et in alia fine, quæ dicitur Campanias, dedit jornales duos. In alia autem fine, quæ dicitur mons Mainberti, jornalem unum et peciolam de terra. In alio vero loco dedit ubi possunt seminari de trictico modii octo, ancillam nomine Mainbergam, tempore regis Odonis.

Defuncto igitur Agrino episcopo, successit Warnerius episcopus. Hic petentibus monachis hujus cœnobii beatum Prudentium martyrem retulit de Divione cum innumerabilibus clericis diversi ordinis et a plebe innumerabili utriusque sexus cum honoris tripudio suceptus est. Denique monachis prædicti cœnobii cum infinito populo eminus a monasterio ei obviam occurrentibus, cum immensis laudibus receptus est, anno Verbi Incarnationis divini 921, IX Kal. Octobris die.

Abbates Besuensis cœnobii. Warnerius et Gotselmus episc. Ling. Robertus rex. — Defuncto autem Walcaudo abbate, Walcadus successit, sed et isto obeunte Galcaudus successor efficitur; sed et isto defuncto successit abbas, nomine Milo, postmodum Matisconensis episcopus qui nihil boni in hac domo gessit. Obeunte autem Warnerio Lingonensi episcopo, successit Gotselmus in episcopatus honore, anno I regni Roberti. De quo, quia mentio facta est, oportet dicere quomodo regnum acceperit.

Odone rege defuncto, Rotbertus frater ipsius sperans, etc., *ut in Chronico sancti Benigni.*

Defuncto autem Gotselmo episcopo, successit ei in episcopatus honore Letericus episcopus, post hunc Ericus. Deinde Achardus. Atque post Widricus. Transierunt sub his pontificibus anni ferme 40 et amplius, in quibus semper in deterius processit loci hujus status, episcopis et abbatibus alia magis quam id curantibus.

Rodulpho rege defuncto absque liberis, etc., *ut in Chronico Sancti Benigni.*

De Brunone episcopo.

Anno ab Incarnatione Dom. 980, indictione VIII, regni Lotharii regis XXV anno, dedit idem rex Brunoni Remensis ecclesiæ clerico, suo vero parenti propinquitate consanguinitatis existenti, episcopatum Lingonicæ civitatis. Ordinatus est autem idem Bruno episcopus per manus Burchardi Lugdunensis archiepiscopi, in ecclesia sancti Stephani viginti quatuor gerens annos ætatis: et eodem anno susceptus est a clero Lingonicæ urbis, ab Incarnatione videlicet Christi 981. Is assecutus episcopatum, omni, quo potuit, nisu, sequi studuit exemplum boni Pastoris.

Monasteria igitur ipsius ad diœcesim pertinentia A in spiritalibus religione, ut temporalibus necessaria pene annullata gubernatione considerans, cœpit quærere quatenus Dei dispensante nutu, suum in statum ea quivisset reparare.

Cum vero de hujus Besuensis monasterii multimodis desolationibus dissereremus, diximus prout memoriæ occurrere potuit, secundum quod in scedulis veteribus invenimus, sexies desertum et fere annullatum fuisse. Verumtamen postea diligentius cætera perscrutantes, invenimus hunc eumdem locum ab Hungris combustum quinquies, quippe cui nullum erat a terreno principe defensaculum, nec loci ad resistendum inimicis munimentum. Harum combustionum duæ quo tempore evenerint, notum nobis est. Anno namque 936 Incarnationis Verbi venerunt Hungri in Burgundiam mense Julio. Iterum anno 937 Incarnationis Verbi Lucdowico filio Karoli uncto in regem, et nondnm eo anno evoluto, Hungri venientes per Franciam et per Burgundiam atque Aquitaniam, devastaverunt omnia: quæ vastatio in tantum huic loco obfuit, ut per 51 annos, usque ad annum scilicet Incarnat. Verbi 981, quo domnus Bruno Lingonensi ecclesiæ præficitur episcopus, respirare ad priorem statum nequiverit.

Videns igitur domnus Bruno episcopus statum hujus loci, et abbatiæ sancti Benigni Divionensis, in ambiguo positum, supplex adiit domnum Majolum Cluniacensis monasterii abbatem, multaque prece poposcit, quatenus ejus auxilio quivisset eas C reparare in melius, et interius religionem, et exterius possessiones. Cujus precibus flexus, etc., *ut in Chronico S. Benigni.*

Tempore, quo hæc gerebantur, Hugo rex, Hugonis magni filius, cum Rotberto filio, Francorum potiebatur regno, etc., *ut n Chronico Sancti Benigni.*

Domnus autem episcopus Bruno considerans patrem Willelmum ita ferventem in religione ac monastica institutione, et loca ei commissa de die in diem in melius proficere, omnia in suo episcopio monasteria ipsius delegavit prudentiæ. Videns vero abbatiam istam Besuensem in honore et nomine beatorum Petri et Pauli apostolorum dicatam, pene ad nihilum redactam, monuit instanti D prece, ut eam secundum regularem emendare curaret institutionem. Cujus annuens precibus istud cœnobium in paucis annis ad regularem commutavit statum, etc., *ut in Chronico Sancti Benigni.*

Cœperunt denique ex patria sua, hoc est, Italia multi ad eum convenire, aliqui litteris bene eruditi, alii diversorum operum magisterio docti, alii agriculturæ scientia periti, quorum ars et ingenium huic loco profuit plurimum. Cum vero Willelmus abbas Augustorum seu regum palatia adiit, in eis, non quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi quæsivit, ut ex eorum scilicet familiari collocutione subveniret oppressis sua interventione, aut certe ex sæculari vel clericali habitu Deo lucrifa-

ceret; ut juxta Domini præceptum propria relinquerent, et sæcularibus curis semotis, Deo in tranquillitate servire deberent, etc., *ut in Chronico. S. Benigni.*

De Rodulpho vices abbatis agente sub S. Guillelmo. — Cum primum abbatis suscepit officium venerabilis Willelmus, quidam castri Divionensis civis, nobili genere ortus, Rodulphus Albus vocatus nomine, venit ad conversionem inter ipsa primordia ejus novæ ordinationis; cujus pecuniis relevata est paupertas prædicti patris, et consilio atque adjutorio sublevata sollicitudo regiminis hujus loci Besuensis monasterii; adhuc quippe erat ei paucitas monachorum; quem prædictus frater ita juvabat in exterioribus curis, ut solus supplere videretur solamen plurium. Sed præter ejus votum, hoc solatium tulit illi paucitas dierum.

Si hujus viri mentionem facientes, paululum excesserimus ordinem rationis, ne cuiquam veniat in fastidium; curæ enim nobis fuit, eos præcipue annotare, qui erga hunc locum devotiores seu munificentiores exstitere. Hic vero Rodulphus, quoniam hæc ecclesia secundum quantitatem, quia parva erat, tantis patronis, Petro, dico, et Paulo, non videbatur condigna, a fundamentis incipiens et ad perfectum usque perducens, in eo statu, quo modo est, consummavit. Rexit autem hunc locum sub abbate Willelmo prior magnus, tam in exterioribus, quam in interioribus providendis et administrandis strenuissimus: quippe qui hoc ipsum jugi cura et exercitio didicerat. Fuerat namque antequam veniret ad conversionem vice comes Divionensis. Convertens itaque studium sæculare in ecclesiasticum ex bonis initiis meliores fines obtinuit. Obiit vero hujus vitæ diem Idibus Novembris, cujus anima requiescat in pace. Amen.

Alter quidam monachus vocatus Hunaldus, etc. *ut in Chronico S. Benigni.*

Longum est enumerare singula, quæ domnus Bruno episcopus in hoc loco egit bona, sed tamen, quæ in chartis nostris reperire potuimus, demonstrabimus.

« In nomine Domini Dei et Salvatoris Jesu Christi, Bruno divina dispensante clementia, sanctæ Lingonensis ecclesiæ humilis episcopus. Si locis omnibus, et præcipue sacris, eorumque rectoribus nostræ indignitati divinitus commissis, in sibi necessariis prout valemus pie et opportune consulimus, eorumque anxietatibus sollicita cura subvenimus, non solum in hoc venerabilium et Deo devotorum pontificum piorumque pastorum usum et consuetudinem exsequimur, sed etiam saluti animæ nostræ providemus. Idcirco noverit omnium nostrum, et nostri solertia, quod veniens domnus Abbas Willelmus (quem ob sanctitatem et venerabilem religionem locis in nostra diœcesi manentibus, Divionensi atque Besuensi, amanter præfecimus) insinuaverit nobis quasdam res de ipsis abbatiis inter se necesse esse, reddendi census gratia transferri, nosque id laudare et omnimodo consentire debere. Cujus providentiam et laudabilem discretionem non solum laudavimus, sed etiam, ut secundum suum velle locorumque necessitatem id accelerare deberet, attente monuimus. Sumptum est itaque de abbatia Sancti Petri Besuensis, et conjunctum abbatiæ Sancti Benigni Divionensis, quidquid habere dignoscitur in Bruciaco villa; eo tenore, ut omni anno octo modios vini ante festivitatem sancti Prudentii in censum reddant; et quidquid supra diximus, perpetualiter monachi sancti Benigni possideant. Quod si negligentia vel oblivione hoc termino redditum non fuerit, censum duplo restituant, et conventum inconvulsum permaneat. Quod si quisque post decessum nostrum, hoc decretum multorum nobilium ore laudatum, infringere tentaverit, nisi cito resipuerit et pœnitentiam condignam habuerit, anathematis jugulum caveat, quo ferire decrevimus quoscunque, qui nostrorum decretorum cupiunt statuta evellere. Et ut hoc per sæcula inconvulsum permaneat, manu nostra subterfirmavimus, et ut a pluribus firmaretur rogavimus. Signum Brunonis episcopi. Signum Lamberti præpositi. Sig. Teudrici archidiaconi. Sig. Beraldi archidiaconi. Sig. Widonis presbyteri. Sig. Teudonis archiclavi. Sig. Widonis archidiaconi. Sig. Beraldi hypodiaconi Sig. Oddonis. Sig. Amelii. Sig. Brunonis pueri. Sig. Humberti pueri. Sig. Nivardi. Sig. Gozelmi. »

De collatis huic loco a Brunone episcopo.

Crescente autem in hoc religionis studio, domnus Bruno episcopus nimium exhilaratus de bona eorum conversatione, de suo jure quodcunque necessarium et utile eis foret, libenti animo tribuebat. Inter cætera igitur quæ huic loco contulit, statuit ut de ecclesiis a sex leucis vel infra a Besua, tempore Rogationum omnes tam viri, quam mulieres cum oblationibus ad sanctorum apostolorum Petri et Pauli limina convenirent.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis.

Oblationes Besuensi ecclesiæ faciendæ. Monachis facultas audiendarum confessionum. — « Considerans ego Lingonensium Bruno episcopus officii mei negligentiam in damnationem animæ meæ cedere, juxta sensus mei modum celaboravi ecclesiis Dei provisores efficere, qui in eis talentum verbi Dei disseminantes, mecum pariter de eo, ipsi Domino Jesu Christo lucrum reportantes, æternæ vitæ remuneratione ditarentur.

« Volui igitur ecclesiæ Besuensi domnum Willelmum virum religiosissimum abbatem præesse, qui dum in ea cuncta regulariter ac religiose disponeret, intelligens propria in quibusdam non satis sufficere, quæsivit ab ecclesia Lingonensi, ecclesiæ Besnensi aliquid ad luminarii opus conferri. Cognoscens itaque petitioni viri Dei non esse contradicendum, cum consilio totius capituli Lingonensis statui ut de ecclesiis a sex leucis vel infra a Besua, tempore Rogationum, tam viri, quam mulieres

cum oblationibus ad sanctorum apostolorum Petri et Pauli limina conveniant. Illud quoque non otiose mecum reputans, quia cum tempore eodem Lingonas venire deberent, alii longitudine viæ, alii imbecillitate corporis, seu aliquibus aliis occasionibus retardati, pabulo divini verbi et peccatorum remissione, quam ibi deberent accipere, frustrabantur. Veniant igitur illo tempore statuto, et de peccatis suis veniam postulantes ab eis, quorum linguæ claves cœli factæ sunt, a monachis illis Deo servientibus de salute animarum suarum admoniti, facta absolutione et data benedictione, læti revertantur in pace. Quicunque vero huic nostræ institutioni contraire præsumpserit, Dei omnipotentis auctoritate, et eorum qui quæ ligaverint in terra, erunt ligata et in cœlo, atque omnium sanctorum anathematizentur et excommunicentur. Amen.

« Et ut hoc per sæcula inconvulsum permaneat, manu nostra subter firmavimus, et ut a pluribus firmaretur, rogavimus. Signum Brunonis episcopi. Sig. Willelmi abbatis. Sig. Lamberti præpositi. Sig. Beraldi archid. Sig. Teudrici archid. Sig. Brunonis archid. Sig. Teudonis archiclavi. Sig. Widonis archid. Sig. Amelii. Sig. Widonis presb. Sign. Beraldi hypodiaco. Sig. Nivardi. Sig. Gocelmi, et aliorum multorum. Ego Airardus cancellarius scripsi, et cum cæteris laudator et roborator exstiti. Acta sunt hæc anno ab Incar. Dom. 1008, indict. VI. Epacta XI, concurrente IV, regnante Roberto rege, et D. Brunone sedem Lingonicam tenente. »

Benevolentiam dom. Brunonis episcopi atque devotionem erga hunc locum, notitiæ futurorum commendare volumus, nobis, hodieque et posteris nostris, quandiu sæculum durabit, profuturam.

Est ecclesia non multum distans ab hoc Besuensi loco in honore sancti Leodegarii dedicata, largissimis prædiis et latifundiis a regibus, et ducibus, et comitibus dotata. Cujus loci monachi non minimas injurias et importunitates huic loco inferebant, terras nostras occupantes, injustas consuetudines in ipsis terris imponentes. Et quoniam possessiones nostræ intra possessiones eorum contiguæ erant, justo latius manus extendentes, utpote terrenorum principum quamvis injusto auxilio confisi, quacunque poterant de nostris rebus locum suum ampliabant.

Est villa, quæ dicitur Cusiriacus in parochia nostra ejus villæ qui dicitur Belenava, ubi cum monachi S. Leodegarii ecclesiam et novam parochiam construere voluissent: audiens hoc dom. Bruno episcopus, excommunicavit et anathematizavit eos, qui ibi ecclesiam construerent et qui divinum officium ibi celebrarent. Considerans tamen quoniam parochialis ecclesia, Belenava scilicet, nimis longe aberat; ut bonus pastor animarum curæ prospiciens, neve longinquitate viæ, aut negligentia sacerdotis, aut ignorantia plebis, animæ divini verbi pabulo fraudarentur, statuit ut ad villam, A Besuunculam nomine, quæ prope erat, ad missas et christianitatis officium convenirent; eo vero tenore, ut quia dignus est operarius mercede sua, medietatem eorum, quæ ad presbyteratum pertinerent, illi ecclesiæ condonarent.

Item in villa quæ dicitur Anblins, quoniam ipsi in aqua partem nobiscum habebant, cœperunt calumniari, et si quid vellemus ædificare, ipsi quantum poterant impediebant. Accessit pater Bruno episcopus, et ipse in medio aquæ sudem acutam infixit, quæ hodieque ibi manet, ut monachi sancti Leodegarii medietatem aquæ usque ad palum haberent, et alia medietas usque ad palum nobis in pace remaneret.

In villa nostra, quæ Trecasas dicitur, voluerunt B aliquando corvatam consuetudinaliter facere. Cum vero non fuisset alius, qui resisteret, quidam rusticus zelo justitiæ et fidei accensus, accessit ubi boves juncti fuerant, et juncturas super capita eorum, quas rustici convinculas appellant, omnes truncavit. Tamen timens ne pro hoc facto, quamvis injuste ei malum inferretur, aufugit. Iterum Bruno episcopus noster, et nomine et re, cum hoc audisset, non piguit ad locum accedere, et prius quam de hac re incœpisset disserere, rusticum illum qui timore delituerat, nec audebat redire, demandans: Ubi est, inquit, filius meus, qui hoc fecit, et ita viriliter loco mei egit? Qui cum venisset ante eum: Tu es, inquit filius sancti Petri, et meus: ne paveas pro certo habens, quia qui te odit, me odit. Securus esto: nam qui te lædet, mecum quoque C dividet illud. His dictis, cum per indigenas loci et antiquos, quibus notitia et memoria præteritorum fuerat, comprobatum fuisset, nullo modo monachos illos consuetudinem illam quam reclamabant, in nostram villam habere, domnus episcopus remeavit ad sua.

Charta de decimis Novæ Villæ.

De restitutione decimarum. — Per idem tempus quo dom. Willelmus abbas Besuense regebat monasterium, miles quidam, nomine Gyrardus, cognovit se non recta consuetudine accipere decimas cujusdam ecclesiæ ad ipsum monasterium pertinentis, quæ in comitatu Atoariense, loco nuncupato Nova villa, in honore S. Prudentii est consecrata: eo quod decimæ illius ecclesiæ ad alteram quasi maD trem transportabantur ecclesiam, constitutam in villa, quæ dicitur Frasnetum. Cum igitur apud Castellum suum, cui nomen est Fons-venti, VII Kal. April. resideret, reddidit pro remedio animæ suæ, et uxoris, filiique sui, nomine Humberti, ipsas decimas ad jam dictum monasterium, cui ipsa jure hæreditario subjacebat capella. Hoc autem factum est sub præsentia et consensu uxoris suæ, nomine Gertrudis, et prædicti filii sui Humberti, atque ut nemo de hæredibus vel successoribus eorum jam amplius ipsas decimas repetendi haberet licentiam, hanc fieri notitiam jusserunt: quam si quis calumniatus fuerit, perpetuæ excommunicationis feriatur

anathemate. Nomina testium qui hanc notitiam firmaverunt, hæc sunt. Theodoricus, Humbertus, Aymo, Joffredus, item Humbertus, Arembertus, Gybuinus, Mainfredus, item Haymo, Wido presb. Deodatus, et ali quam plures illustres viri, qui omnes testimonium firma ratione præbuerunt, melius et rectius jam dictam ecclesiam per se debere stare cum decimis suis in parte et possessione Besuensis monasterii, quam alteri cuilibet subjacere ecclesiæ.

Item alia.

« Cum apud Lingonicam sedem nostram, ego in Dei nomine Bruno episcopus, nostrique archidiaconi, collecta diœcesis nostræ filiorum multitudine, generalem ageremus synodum, adiit præsentiam nostram quidam monachus Besuensis monasterii, nomine Benedictus, præmonstrans chartulam quam ante fecerat miles quidam nomine Girardus, ex consensu uxoris suæ, nomine Gertrudis, et filii sui Humberti, reddens ad jam dictum locum decimas cujusdam ecclesiæ in comitatu Atoariensi, Nova scilicet villa, sub honore sancti Prudentii consecrata. Quam videlicet chartulam omnes pariter audientes firmavimus atque laudavimus. Et quia eadem ecclesia in prædio præscripti monasterii erat constructa, decrevimus atque statuimus ut decimæ ipsius omni tempore jure hæreditario ad idem devenirent monasterium, nullo de nostris successoribus, neque de hæredibus prædictii Girardi contradicente, neque calumniam faciente. Siquis hoc testamentum calumniatus fuerit repetantur ab eo cuncta delicta, usque ad novissimum quadrantem. Actum publice Lingonis. Nomina testium, qui hoc testamentum firmaverunt Lambertus præpositus. Teudo abbas et archidiac. Beraldus archid. Item Beraldus archid. Bruno archid. nepos dom. Brunonis episcopi. »

Charta de Bustello.

« Notum esse volumus præsentibus, et futuris, quod Fulbertus et Berengerius fratres recedentes de Bustello, pro inimicitiis, quas vicini eorum contra eos exercebant, dederunt alodium ipsius vici Bustelli S. Petro, et seipsos et omnem posteritatem suam commendaverunt perpetualiter eidem sancto, una denerata ceræ omni anno, tam virum, quam mulierem. Ea conventione, ut si ipsi aut aliqui ex eorum progenie reverterentur in regionem, hæreditatem suam, quam sancto dederant, ab abbate loci et monachis tenerent. Dicedentes itaque de episcopatu Lingonico, tempore Brunonis episcopi et ducis Henrici, venerunt in diœcesim archiepiscopatus Vesuncionensis tempore Hectoris archiepiscopi, et comitis Willelmi, pervenerunt in locum, qui dicitur Rollens, el Remanserunt ibi super terram Teduini et Beroardi fratris ejus qui scilicet Teduinus pater fuit Bernardi. Ea vero conventione in terra illorum remanserunt, ut ipsis reditus et consuetudines terræ persolverent, sancto vero Petro Besuæ censum, quem debebant annuatim, deportarent. Timentes autem monachi, ne per succedentia tempora hæredes Teduini et Beroardi fratris ejus, ipsis hominibus aliquam violentiam irrogarent, vel in servitutem eos redigere vellent cum abbate suo Willelmo adeuntes concilium, in quo archiepiscopus Hector et episcopus Bruno cum aliis episcopis residebant, deprecati sunt ut hanc chartam pariter et libertatem istorum hominum ecclesiastica auctoritate roborarent. Quod ipsi libenter concedentes cum consensu aliorum episcoporum et totius sancti concilii eosdem homines liberos sancti Petri esse statuerunt, et perpetuo anathemate excommunicaverunt, qui illis servitutis jugum ullo modo imponere ausi fuissent. Signum Hectoris archiepiscopi. Signum Brunonis episcopi. Signum Walterii episcopi. Signum Burchardi episcopi. Signum Gosleni episcopi. »

Charta de Buxiaco et de Lama.

Quidam homo, Gybuinus nomine, dedit Deo et Besuensi ecclesiæ unum servum nomine Walcaudum, cum sua conjuge atque omnibus, qui ex his fuerint propagati: et unum mansum, qui divisus est in duas partes. Una pars est in villa, cujus vocabulum est Buxiacus, quæ de duobus lateribus dividitur a terra Girardi militis, et de tertio a terra S. Petri Besuensis, et de quarto ab aqua quæ vocatur Tyla, in qua 32 *jornales* appendunt; et alia pars est in villa, qui dicitur de Lama; quæ partitur undique a terra sancti Petri, in qua appendunt 28 *jornales*. Postmodum vero in die depositionis suæ cum fuisset delatum corpus ejus ad sepulturam, omnis affinitas ejus dederunt unam ancillam nomine Abdiardam, et confirmaverunt hanc iterum chartam. Quicunque vero dempserit quidpiam ex his supradictis rebus, sit anima ejus abstracta a consortio Dei.

Item alia.

Hisdem etiam diebus, Oggerius calumniam inferens ancillis, cum propriis filiis, uni Susannæ, et nomen alteri Hildegardæ, a monachis. S. Petri per multorum curricula temporum jure possessis, conabatur in suam pertinaciter transducere servitutem Quaproter jubente Brunone episcoporum præcellentissimo, fidelium suorum factus est conventus, insuper etiam campiendi (5) est dies statutus. Sed, ne homicidii vel perjurii noxam incurreret ipse Oggerius, oblati sunt ei a monachis ibidem manentibus 50 solidi : quibus acceptis, sic tandem ab hac querela sponte reticuit. Et quamvis injuste tentasset eas ad suum inflectere servitium, accepto in redemptionem, ut ita dicam, pretio, sancto Petro, cui verius pertinebant, reddidit coram testibus; ita ut nec ipse, nec sui cohæres, vel aliqua suspecta persona, audeat de his aut eorum progenie aliquando aliquam calumniam inferre. Hi sunt testes. Girardus comes, Walterius, Nerduinus, Aldo, Odo, Hugo comes, Odilo,

Charta de Gibriaco.

Per idem tempus, quidam homo Jozaldus nomi-

(5) *Campiendi*, hoc est, duellum in campo ineundi.

ne, pro remedio animæ suæ per consilium filiorum et amicorum suorum, dono tradidit ad locum sancti Petri Besuensis quamdam vineam in villa Gibriaco, in loco nuncupato Casallo, cum jacente, quæ habet in longo 26 perticas, in lato perticas 17, et terminatur de uno latere terra sanctæ Mariæ, ex alio latere de ipsa hæreditate; de una fronte strata publica; de alia, terra fiscali. Hanc autem hæreditatem duo antecessores sui, Wicherannus scilicet et Archirannus, donaverant ei, et uxori suæ Tetsanæ, et duobus infantibus suis Ostrado et Vucheranno. Sicut ergo ab ipsis duobus antecessoribus suis donata sunt, ita et ipse Deo, et sancto Petro, et Besuensi monasterio tradidit perpetualiter habendam et possidendam.

Charta de Setis.

Noverint fideles per succedentia tempora, quod quidam homo, Lambertus nomine, cum esset ingenuus, maneret apud Seras cum uxore sua, nomine Eremburgi, ac liberis Framuero et Dominico, ejusdem conditionis, gratis se tradidit sancto Petro ad serviendum in loco, qui dicitur Fons-Besua, ac monachis ibi degentibus, famulantibus Deo; quatenus libertas proveniret animabus eorum. Sed hoc fecit eo tenore, ea conditione, eo fœnore, ut ipse, et successores ejus fideliter custiodirent eleemosynam quam comes regionis Rainaldus una cum sua conjuge tribuit supradicto sancto Petro. Nam quidquid in lucro et negotio aliquid exinde potuerint lucrari, reddant ad vestitum fratrum in camera supradicti loci. Et ut hæc scriptio firma maneret, in præsenti dederunt in recordatione huic conventui, vir duos asinos, et ejusdem viri uxor 10 solidos ad restaurandam caldariam. Similiter et unam navim dederunt. Nam noverint monachi ipsius loci, non eum habere alium advocatum, nisi ipsos, et ideo omni tempore eum in vestitu, in calceatu ac cibo semper gubernari. Et ut insuspecti manerent, anathematizaverunt seniores loci quicunque in aliquo aut quidpiam ei moleste fecerit, aut ejus liberis, perpetua anathematizatione, ex auctoritate Dei, sanctique Petri, ob cujus amorem se tradidit ipse Lambertus ad serviendum, nisi satisfactio facta promeruerit veniam. Testes huic subscriptioni omnes habitatores sancti loci ipsi sunt. Aldo præpositus, Humbertus, Wido decanus, Obertus, Necteus, Rainerius. Hæc enim acta sunt tempore Willelmi abbatis, ac præpositi loci, Benedicti nomine.

Charta de Talamaro.

Perversorum calliditas dolos corde machinantium, exigit ut res decretæ litterali tradantur scedulæ, ob cautelæ studium, et muninem sequentium. Quos ita sæpe levis circumvolvit inconstantia, ut etiam testimoniali manu roborata, sinistrorsum subdola certent refragari solertia. Talium præcaventes versutias fratres loci Besuensis, sub domni abbatis Guillelmi excubantes regimine, descripsimus conventionem quam fecimus cum parochianis villæ Talananci, de atrio ecclesiæ sancti Valerii. Timentes enim hostiles impetus, ad nos venere unanimes, poscentes ipsum atrium sibi dari in auxilium, ad construenda domicilia, et condenda propria. Horum itaque evicti importunitate, atrium in commune census sub ratiocinio indulsimus; eo videlicet conditionis ordine, ut qui senum pedem 7 vel mensuram usurparet in dominio, duorum; qui vero aut duodecim, aut tredecim, quatuor denariorum censum die festivitatis sancti Benigni solveret. Qui vero statutum transiret terminum, jam sciret cum usura secundum legem reddendum.

Charta de Luco Ibuxiaco.

Quædam femina, Hildegarsis nomine, pro remedio animæ suæ, et viri sui, filiorumque, scilicet Norgaudi et Hildeberti, tradidit hanc terram cum appenditiis suis, quam jure hæreditario possidere videbatur monastario sanctorum apostolorum Petri et Pauli, quod est situm in loco, qui dicitur Fons Besuæ. Et ut profeturum posteris foret, et firmius crederetur, litteris assignare rogavit.

Igitur in Bussiaco villa 4 sunt curtilia, 2 ex una parte fluvii, qui dicitur Tila: et alia 2 ex alia parte ejusdem fluvii. Ex uno latere est terra sancti Salvatoris, ex alia terra Gibuini; ex uno capite currit prædictus fluvius, id est Tila: ex alio est via publica. Juxta autem alia duo curtilia, quæ sunt ex alia parte ejusdem fluvii, ex una parte est terra Girardi; ex alia terra Gibuini; ex una fronte terra prædicti Girardi, ex alia sæde dictus currit Fluvius. In Luco autem villa secus pontem curtile unum : ex omni parte est terra ejusdem prædicti monasterii. In eadem vero villa est et aliud curtile, ex una parte terra sancti Petri; ex alia, terra Willeri, ex una fronte via publica, ex alia sæpe dictus fluvius.

Item in alia villa, Luco dicta ad sanctum Martinum, 2 curtilia; ex una parte est quidam exitus ad aquam pergendi; ex alia est terra sancti Leodegarii; ex una fronte currit Tila, ex alia prædicta via. Item in jam dicta villa Luco ad pontem sunt 3 curtilia modica, ex omni parte ejusdem monasterii terra consistit. Item in eadem villa unum curtile, ex una parte est terra Giraldi, ex alia terra sancti Salvatoris; ex una fronte tenet ipsum monasterium, ex alia fluvius jam jamque vocatus. Item in eadem villa unum curtile; ex duabus partibus terra sancti Leodegarii; ex una fronte terra Gibuini, ex alia sæpe dictus fluvius.

Hæc ergo supradicta Heldegarda cum prædictis filiis jam dicto contulit monasterio, et fideli subscriptione legitimis testibus corroboravit, regnante Roberto Francorum rege. Contulit nihilominus cum omnibus his prædictis curtilibus omnia quæ ad ipsa pertinent: id est prata 4 terras arabiles, et pascua, et cuncta quæ hæreditario jure possidebat in his prædictis tribus villis.

Charta de Lu et Fracto monte.

Item alia quædam femina, Heremburgis dicta, pro anima sua, animabusque seniorum suorum seu filiorum, dedit Deo, nec non sacrosanctæ ecclesiæ, in loco qui Besua dicitur, in beati Petri apostoli honore dicatæ, quasdam res juris sui; scilicet colonicas 4 si-

tas in pago Lingonico. Quarum in villa, qua dicitur Lu ad sanctum Martinum, tres sunt.

Has igitur tres cum servis supermanentibus jam dictæ dedit ecclesiæ, eo pacto, ut in vita sua jure usuario eas possideret; post obitum vero suum ad rectores illius ecclesiæ perveniant. Alia autem colonica sita est in eodem pago, in villa quæ dicitur Fractus-mons. Hanc jam dictæ ecclesiæ in vestitura tradidit, ut rectores ejusdem loci teneant et possideant. Nomina vero servorum et ancillarum his in terris degentium, hæc sunt: Stephanus et uxor ejus Deodata, et filii eorum Mainardus, Leotasius, Danucia, Ermengarius, Reinardus, Ernincia, Mainardus, Bernardus, Fulgerius, Rotrudis, Olosma.

Has igitur cum servis et omnibus appenditiis sanctæ ecclesiæ prædictæ, cui domnus Guillelmus abbas præerat, jam dicto conventui concessit, pro his quorum superius memoriam feci, nec non pro anima Leudonis, qui ei has contulit. Signum Heremburgis, quæ fieri et firmare præcepit. Signum Lebaldi præsulis. Sign. Adalardi presbyteri. Sign. Joannis levitæ. Sign. Haymonis levitæ. Signum Constantini. Data per manum Ranulfi levitæ, VI feria primo die mensis Januarii. Regnante Roberto rege.

Item alia.

Quidem miles vocabulo Hirmuinus, Besuense adiens monasterium ex consensu uxoris suæ nomine Bertilæ, dedit ad ipsum locum pro amore sancti Petri ac sancti Prudentii, nec non et pro remedio animæ cujusdam filii sui, nomine Hirmuini nuper defuncti, quemdam servum vocabulo Ewardum, cum uxore sua, nomine Stephana, et infantibus illorum; ea ratione, ut tam ipsi, quam omnis posteritas illorum, ab ipsa die in servitio et dominatione monachorum jam dicti monasterii jure hæreditario pertineant, nullo contradicente, neque calumniam faciente.

Charta de Flaciaco.

Alius miles, Hugo nomine, tradidit sancto Petro pro sepultura uxoris suæ Wandelmodis, et pro remedio animæ ejus mansum unum, in vico qui Flaciacus dicitur, cum omnibus appenditiis suis, terris scilicet arabilibus, silvis atque pratis. Et ut hæc donatio nulli unquam calumniæ pateat, sed jugiter inconvulsa permaneat, hanc chartulam altari ejus superposuit, et eam manu sua firmavit, roborandamque testibus fidelibus tradidit.

Charta de Beria.

« Notum esse volumus omnibus fidelibus, tam futuris, quam præsentibus, quod quidam miles, Milo nomine, de villa quæ dicitur Beria, domni Willelmi abbatis, qui huic monasterio Besuensi præesse dignoscebatur, ac domni Benedicti, qui post ipsum prioratus officio fungebatur, clementiam adierit, poscens sibi de rebus ejusdem monasterii in beneficio donari, promittens se in omnibus jam dicti monasterii servitiis subditurum, ejusque utilitatibus pro posse omnimodis profuturum. Qui cum in precibus suis, tam per se quam per suos internuntios assiduus perstaret (6-7), ejus coactus postulationibus jam dictus prior domnus Benedictus, ex consensu supradicti domni abbatis Willelmi, dedit ei tertiam partem ecclesiæ præscriptæ villæ, Beriæ scilicet, parte altera retenta. Nam tertiam presbyter pro servitio tenebat. Dedit etiam ei mansum unum in vico quod dicitur Alta-villa, et unum quartarium in villa, quæ dicitur Juvenalis, et unum jugerum de vinea in villa, quæ dicitur Curtis Adonis. Ea tamen convenientia ut hoc ipsum beneficium diebus vitæ suæ teneret: post obitum vero suum nec filius ejus, nec filia, aut aliquis ex ejus parentela, se de eo intermittere aut præsumere auderet, nisi eis bona voluntate, aut gratanti donatione abbatis, aut monachorum ejus concederetur. Quam convenientiam in persona sua ac filii sui Aduini sub jurejurando firmavit, præsente ipso filio suo, ac gratanter consentiente. Cui rei etiam fideles testes adhibuit, quorum hæc sunt nomina : Odo, Rotbertus, Wido decanus, Luitprannus, Aldo præpositus, Albertus monachus, Rotbertus monachus. »

De obitu Brunonis episcopi.

Quia longum est enarrare cuncta, quæ huic loco collata sunt tempore Brunonis episcopi, ad ipsius vitæ finem veniamus. Sed ante paucis describere curabimus quis fuerit modus vitæ ejus.

Fuit itaque in eleemosynis largus, etc., *ut in Chronico S. Benigni.*

Anno ab Incarnatione Domini 1016, Domnus episcopus Bruno obiit II. Kalend. Februarii, peractis in episcopatu anno XXXV. Cui successit Lambertus episcopus, et ipse augmentator bonorum hujus loci devotus.

Charta de Nova-villa.

In cujus diebus, quidam Henricus, et filius ejus Vilgerius, et uxor sua nomine Aduldis, sepulturam sunt adepti in monasterio sancti Petri Besuensis. Ex hac videlicet causa, quo villam Novæ villæ, quam tenuit pater ejus in beneficium, reddiderint sancto Petro pro remedio animarum suarum. Ne autem hæc redditio frustraretur, dedit et domnus Benedictus prior mansum unum in villa, quæ Corcellis vocatur, tempore vitæ suæ, et post obitum ejus rediret ad sanctum Petrum. Hoc autem ne oblitteraretur, monachis sibi tunc cognitis decedentibus, his litteris sub testificatione priorum manifestandum rogavit posteris annectendum. Et hoc ut sicuti fratrum defunctorum anniversaria dies celebratur, ita et ipsius celebretur. Humbertus clericus Tilecastri testis. Wido decanus testis, et alii multi.

Item alia.

In nomine summæ et Individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Notum esse omnibus volo, quod ego Henricus, quidquid sanctus Petrus in Nova-villa videtur habere, quondam in beneficio tenueram, sed a Brunone episcopo subla-

(6-7) *perstaret*, editum erat *prestaret.*

tum, monachis est restitutum. Sed ego post mortem Brunonis resanxivi;unde abbas Willelmus indignatus cum monachis versis ad Lambertum episcopum clamoribus,compulsus sum Novam-villam intermittere. Postea vero præsumptione in humilitate mutata,ipsum Lambertum episcopum promerui adjutorem;quo intercedente ipsam terram quæ tribus mansis et dimidio dividitur, hac conditione monachi mihi reddiderunt, ut retenta corvata suis usibus, et David, et filio, et Rainaldo, cum terra, quam tenent, alios jornales haberent, et carroperam et censum cum eulogiis. Monachi vero de hominibus receptum et placitum reciperent,cum quo etiam quidquid super tria mansa et dimidium in ipsa villa inventum est. Quidquid etiam assum est, et in curtilis et terra arabili, pratum quoque indominicatum, et sylvam et molendina.Hoc etiam mea promissione firmatum est, ut ab hominibus præter legalem censum terræ nec occasione hospitii, nec nova necessitate aliquid exigerem. Quod si præsumerem. iterum terram perderem, nisi monachos satisfactione placarem.

Hujus igitur terræ indulto servitio militari, nihil aliud a me exigitur, nisi continua defensio contra prædatores et fraudatores ejusdem ecclesiæ. Sed ne in hoc viderer gravari, ne contra potentiores, sed contra æquales mihi genere et potestate, et contra inferiores mihi in utroque:in qua defensione si negligens comprobabor, iterum perdendi terram conditione constringor.

Hanc ergo terram Novæ-villæ hac conditione receptam cum omni alia, quam ex parte sancti Petri habebam, id est monasteriolum cum ecclesia, in ipso alodo sita,et in Fracto monte mansum unum, et in Wainart dimidium mansum. In Manneio quoque quartarium unum pro remedio animæ meæ, in jus ac proprietatem præbendæ monachorum retrado; et omnes posteros meos alieno, et in omnibus bonis, quæ ex parte sancti Petri pro beneficio tenui, ne jus hæreditarium requirant, exhæredo, et ad excludendam requirendæ hæreditatis occasionem omne quod habui per hanc chartæ notitiam coram positis testibus reddo.

Ego quoque Lambertus Lingonicæ sedis episcopus, hujus redditionis testis assisto. Et quia mea dispositione id actum est,ut ad præbendam monachorum redeat Nova-villa, et omnis alia terra, quam Henricus tenuit in beneficio, gratanter confirmo. Et ne ulterius beneficiali more post obitum Henrici ab usibus monachorum subtrahatur, interdico, et auctoritate Patris, et Filii, et Spiritus sancti cum invocatione sancti Petri apostolorum principis consentientes et subtrahentes excommunico. Signum Lamberti episcopi. Signum Beraldi. Sign. Rotgeri. Sign. Widonis. Ego Henricus propria manu firmo, testesque adhibeo. Signum Girardi comitis. Signum Milonis. Sign. Oldebranni. Acta sunt hæc Tilecastro publice, præsente domno Lamberto episcopo, anno ab Incarnatione Domini

A nostri Jesu Christi 1017, Indiction. xv, regnante Roberto Francorum rege, mense Februario.

Charta Fontis Vennæ.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, omnibus, orthodoxæ fidei cultoribus. Luce clarius patet humanum genus tam diabolica seductione, quam propriæ naturæ fragilitate Creatorem suum quotidie offendere, ejusque iram incessanter irritare, juxta illud Apostolicum : *In multis offendimus omnes.* Et si omnes, quod verum est, offendere dicit, neque cautos ac perfectos a generalitate offendentium excludit, quanto magis nos omnino sæculares, qui Dominicorum vix præceptorum meminimus, in quorumque actibus, nihil pene nisi peccatum cognosci potest, offendere credere debemus? Multa

B enim mala scienter perpetramus,et in multa ignoranter incurrimus, de quibus necessitas magna instat, ut antequam ad districti judicii tribunal duci cogamur,quomodocunque absolvi laboremus. Et quia Dominicis et evangelicis verbis receptorem prophetæ et justi, mercedem prophetæ et justi accipere instruimur, si quem Dei servitorem, quod nomine justi sonare videtur, receperimus, aliquantulum offensarum nostrarum sarcinam leviare existimamus. Sed ne diutius in loquendo moremur, jam cœptorum intentionem ad medium deducamus.

« Ego Lambertus Dei gratia Lingonensis ecclesiæ præsul,notum iri volo cunctis sanctæ Christianitatis filiis præsentibus,et futuris, quod Girardus Fontis-vennæ castri dominus, ante prædictum castrum

C monasterium in honore et memoria sancti sepulcri ac sanctæ Mariæ semper Virginis,ædificare volens, ibi monachos, qui semper Deo serviant, locare disponit.Ad claustrum quoque et officinas,ad hortum et horrea, et ad cuncta necessaria ipsius loci componenda,dat eis terram ab ulteriori ripa Vennæ aquæ, quæ est Lingonis venientibus ad castrum sinistra, usque ad sylvam quæ est eisdem dextera: de altera vero parte a cruce, quæ fixa est in media calmæ usque ad ipsum castrum per viam quæ ducit ad sylvam. Et quia ipsum castrum cum adjacenti terra de casamento nostræ diœceseos noscitur esse, per laudamentum nostrum concedit sancto Mammeti commutationem prædictæ terræ apud Arcionis curtem villam,quam de hæreditate Geretru-

D dis uxoris suæ contigit habere. Quam etiam terræ commutationem pro remedio animæ meæ prædictæ laudo ecclesiæ, ut et ipse particeps fiam eleemosynæ.

«Vult autem prædictus Girardus hunc locum tali conventione construere, ut in subjectione et in disciplina sancti Petri Besuensis, atque abbatis ipsius ecclesiæ permaneat omni tempore. Similiter quidquid ipsi loco ad præsens dat, et quidquid in futurum dederit vita comite, et cæteri quique fideles pro remedio animarum suarum voluerint impertire, in prædicta abbatiæ Besuensis semper consistat ditione.

« Rogat etiam me obnixe episcopali auctoritate confirmare, ut omnium militum defunctorum corpora, quæ ab hoc Fontis-vennæ castro ad Besuam, ut consuetudo eis est, non potuerint portari, in cœmeterio istius loci a me consecrato, consuetudinaliter tumulentur. Cuncti etiam, qui intra castellatum, vel in ipso habitu et receptu castellati mortui fuerunt, in prædicto sanctæ Mariæ cœmeterio perpetua observatione sepeliantur. Cujus petitionis intentionem fidelem et devotam intelligens, libenter cum consensu omnium archidiaconorum et aliorum fidelium, quod poscit annuo et confirmo, et sancto Petro Besuensi illum locum laudando : et insuper hanc litterarum notitiam fieri jubeo, quam etiam propria manu firmo. Quam petitionis firmationem, sive conventionem, ac scriptionem, si quis perversa mente deceptus aliter mutare aut penitus evertere exorsus fuerit, anathematis æterni et perpetuæ maledictionis vinculo vulneratus, ac legis rectitudine convictus, centum auri libras persolvat, et quæ in ista charta continentur, inviolata permaneant. Ego Lambertus Lingonicæ sedis episcopus, ut sit memorabile sæculis, hanc chartam fieri jussi et signavi. Beraldus Suessionis civitatis episcopus signavi. Beraldus veteranus archidiaconus et abbas sign. Girardus comes Fontis-vennæ sig. Bruno archidiaconus sig. Alius Girardus sig. Hugo comes sig. Oddo archidiaconus et abbas sig. Wido sig. Rotgerius sig. Hugo capellanus sig. Item Hugo sig. Rainoldus sig. Acta publice Lingonis, anno ab Incarnatione Domini 1019 indict. II, epacta XII, concur. III, mense Maio. Regnante Rotberto Francorum rege. Ego Odolricus dictavi ad vicem Beraldi cancellari, die Jovis scripsi et subscripsi. »

Item alia.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Girardus, notum volo esse omnibus fidelibus adhuc in carne degentibus, ei in futurum venientibus, me cum Gertrude uxore mea quamdam partem hæreditatis meæ, Lamberto episcopo in excambio per unum conventum dedisse.

« Erat quædam campestris terra subtus meum castrum quod Fons venti vocatur, in qua monasterium construere volebam. Videns ergo hoc me non posse adimplere, sine episcopi licentia, tantumdem terræ dedi ipsi domno meo pro eodem loco in villa, quæ dicitur Arcuncurtis. Terminatur autem ipsa terra in fronte terra sancti Petri Genovensis ecclesiæ, et circumquaque hæreditas mea noscitur cumjacere. Tali vero tenore tradidi, ut locus ille, in quo sedes constructa est monasterii, in honore sancti sepulcri et sanctæ Mariæ semper Virginis, abbatiæ Besuensi sancti Petri semper subjaceat et sub abbatis potestate permaneat.

« Si quis ergo contra hoc factum (quod non spero per Dei gratiam futurum) ex hæredibus nostris aliquam calumniam inferre tentaverit, coactus legibus in fiscum regis persolvat unam libram auri. Hæc autem traditio omni tempore permaneat firma et stabilis, quam propria manu firmavi, et firmandam tradidi testibus subscriptis. Signum Girardi. Sig. Gertrudis. Siq. Girardi clerici. Sig. Humberti filiorum eorum. Sig. Haimonis. Sig. Otberti. Sig. Nocheri. Sig. Aymonis. Sig Arluini. Sig. Norduini. Sig. Willelmi. Sig. Lentilli. Sig. Arulfi. Sig. Otberti Normanni, Sig. Teubaldi. Acta sunt hæc Lingonis XVI. Kalendas Maii, Indictione II, regnante rege Rotberto XXXII, anno, et Hugone filio ejus III. Ego Odolricus dictavi ad vicem Beraldi cancellarii, die Jovis scripsi et subscripsi. »

Charta de Arcionis curte.

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Manifestum iri cupimus tam præsentibus quam futuris, quod ego Lambertus, gratia Dei Lingonensis Ecclesiæ episcopus, dedi Deo et monasterio Sancti Sepulcri et Sanctæ Mariæ quod est constructum ante castellum Fontis-vennæ a Girardo et Gertrude uxore ejus in terra casamenti nostri, me laudante, terram Arcionis curtis, quam mihi ipse Girardus et uxor ejus pro commutatione terræ casamenti nostri, in qua monasterium ædicaverant, reddiderunt. Ergo illis rogantibus tradidi eam liberam Deo, et Sancto Sepulcro, et Sanctæ Mariæ, et Sancto Petro, ad monasterium Fontis-vennæ, eo tenore ut ipse particeps fiam eorum eleemosynæ. Et quia ipsa terra de potestate Lovuncurtis erat, separaverunt eam ab ipsa potestate, et ex toto liberam fecerunt, ut nullus ministerialium ipsius potestatis in ipsa terra amplius præsumat accipere aut tollere ; et homines, qui in ipsa terra habitaverint, silvam ipsius potestatis ad ædificandas domos et faciendum sibi focum, sicut ante, utantur, et pastionem ad suos porcos et alias bestias, quas habuerint, consuetudinaliter similiter utantur. Et quicunque pro ipsa silva, aut pro ipsa potestate aliquid demandare præsumpserit, perpetua maledictione, et excommunicatione feriatur. Signum Lamberti episcopi. Sig. Girardi. Sig. Geretrudis: Sig. Humberti patris Theoderici. Sig. Haymonis patris Widonis Burgundionis villæ. Sig. Haymonis patris Manasse. »

Charta Helprici curtis.

« In nomine summæ et individuæ Trinitatis, videlicet Patris, et Filii et Spiritus sancti. Ego Lambertus, gratia Dei Lingonensis præsul, notum cupio fieri omnibus Christum Deum vere credentibus, quod cum quadam die essem apud Lingonas, et pro modulo cum meis tractarem clericis, simul et catholicis laicis, de statu sanctæ Matris Ecclesiæ confirmando, et de religionis depravatæ vigore recuperando, ecce quidam Besuensis cœnobii fratres meis sese præsentavere obtutibus, supplicibus efflagitantes precibus, quo eorum necessitudini charitate fraternitatis compatiens, altare ecclesiæ Helprici Curtis concederem ad sup-

plementum præsentium ac futurorum fratrum. Cujus petitionis implorationem auditam incunctanter studui rebus adimplere, quoniam subsidio fulciebatur mercedis futuræ.

« Consentientibus itaque Lingonensis Ecclesiæ clericis pariter ac fidelibus laicis : B. videlicet præpositus, nec non et L. archidiaconus, in cujus supradictum est altare ministerio, Besuensi ecclesiæ prælibatum, altare æternæ retributionis gratia, ad fratrum relevandam necessitatem tradidi, ea conditione, ut obsequia nostræ sedi debita, temporibus congruis, persolvantur. Inter cæteros præsens aderat miles quidam, Humbertus nomine, in cujus beneficio altare prædictum videbatur situm. Hic Dei gratiam consequi desiderans, beneficium illud fratribus ejusdem loci concessit, dicens : Ego Humbertus, ob omnipotentis Dei amorem et animæ meæ salvationem, dono sancto Petro et fratribus Besuensis cœnobii beneficium ecclesiæ Helprici-curtis, consentiente mea conjuge, Histiburge scilicet nomine, et Siguino filio meo, perpetuo jure possidendum, ita ut ab hac die suis usibus illud attribuant, et inde subministrent, et licentiam faciendi quidquid inde sibi placuerit habeant. Si quis vero hæredum meorum, quod absit, huic donationi calumniam inferre tentaverit, legibus coactus auri libras decem persolvat; et hæc donatio firmitatis et stabilitatis vigorem perpetuo obtineat. Actum Lingonis publice, VI Idus Januarii, Indictione V, anno Incarnationis Verbi 1022, regnante Rotberto. Signum Lamberti episcopi. Sig. Brunonis archiclavi. Sig. Girardi archidiaconi. Sig. Humberti archidiac. Sig. Oddonis decani. Sig. Ansculfi presbyteri. Sig. Hugonis presbyteri. Sig. Constantii presbyteri. Sig. Mauricii presbyteri. Sig. Widonis laici, Sig. Gotzelmi laici. Sig. Odolrici laici. Sig. Widonis laici. Sig. Rotgerii laici. Sig. alterius Rotgerii. Sig. Humberti. Sig. Siguini filii ejus. »

Charta de Vetus vineis.

« Notum sit fidelibus Christianis, præsentibus et futuris, post constructionem Besuensis cœnobii ab Amalgario duce in honore beatorum apostolorum Petri et Pauli, non parvæ amplitudinis prædia inibi ab eo collata : cum quibus et alodum, quod dicitur ad Vetus vineas concessit. In quo loco servorum Dei aggregans multitudinem sub regulari disciplina vivere paratos, filium suum eis præfecit nomine Wandalenum. Post multorum vero temporum curricula, partim invasione hostium, partim irruptione Hunorum, a quibus idem locus quinquies traditur concrematus, nec minus incuria pontificum ut prius augmentum, perpeti cœpit detrimentum, donec Betto Lingonensem promeruit adipisci sedem ; qui quandiu rebus humanis interfuit, ut idoneus pastor præfuit. Quo decedente, Albericus successor eligitur. Quique per visitationem apostolicam, divina sibi opitulante misericordia, ipsum locum in pristinum reparavit statum, nec non suis

A ampliavit donis; diuque in honoris perseveravit stabilitate, et religionis. Postea autem utrum gratia beneficii, an præsumptionis, Vetus-vineas quidam Hugo tenuit : quo defuncto iterum locus resumpsit, et quietam ac solidam tempore Brunonis Lingonensis episcopi possedit. Post cujus decessum, sicut cætera loca sanctorum, locus Besuensis in direptionem cecidit. Tunc qui videbantur pacifici, prædones sunt effecti. Inter quos quidam Gerardus, et frater ejus Lambertus, de progenie supra scripti Hugonis progeniti, quasi jure hæreditario Vetus-vineas invaserunt. Sed cum tali invasione nihil proficerent, tandem convicti justitia, locum sponte restituerunt. In qua restitutione, si qua sibi ab antecessoribus rectitudo videretur, sponte indulserunt, tam pro remedio animarum B suarum, quam parentum suorum, et pro promerenda indulgentia, prædæ porcorum, et arsuræ Fielinx villæ quam injuste fecerunt, adhibitis testibus, qui restitutionem viderunt, et satisfactionem. Et ut hæc restitutio et satisfactio memorialiter permaneat, hanc notitiam fieri petierunt, manu sua et horum testium corroboratam. Signum Girardi. Sig. Lamberti, qui hanc chartam fieri petierunt. Sig. Helvidis matris eorum. Sig. Widonis, et uxoris ejus. Sig. Walterii clerici. Sig. Widonis decani. Sig. Oddonis. Sig. Rotberti. Sig. Erlebaldi Sig. Aldonis. Actum publice apud Divionense castrum, XIII Kalendas Martii, anno ab Incarnatione Domini 1023, regnante Rotberto rege. »

Item alia, et de Tusleio.

C Quædam mulier nomine Ezelina, uxor Nerduini militis, tradidit unum mansum pro redemptione animæ præscripti mariti sancto Petro Besuensi, in villa, cui vocabulum est Vetus-vineis, cum uno servo et cum omnibus quæ ad ipsum mansum pertinent. Dedit etiam ad Tusleium unum mansum in quo sunt quatuor jugera, et de terra arabili 29, et pratum ad unam carratam. Ut hæc donatio in perpetuum firma sit et stabilis, his subscriptis testibus firmavit et firmare rogavit. Hi sunt Gibuinus frater supradicti militis, Bernardus, Aldo. Reddidit etiam salvamentum de villa, quæ vocatur ad Septem-fontes, quæ jam sancto Petro fuerant. Acta publice Besua, anno ab Incarnatione Domini 1027, Indict. X, Epacta XI, Conc. VI, mens. Octob., regnante Rotberto Francorum rege. D

Charta de Flaciaco.

Quidam etiam homo, nomine Haymo, unum mansum cum omnibus appenditiis suis, terris scilicet arabilibus, silvis atque pratis, in vico, qui Flaciacus dicitur, monasterio SS. apostolorum Petri et Pauli, sanctique Prudentii martyris dedit, quod est situm in loco qui dicitur Fons-Besuæ. Et ut hoc profuturum posteris foret et firmius crederetur, litteris assignare rogavit sub legitimis testibus, anno ab Incarnatione Domini supradicto. Hi sunt testes : Sign. Bernardi. Sign. Odonis. Sign. Rotberti. Sig. Aldonis. Sig. Hugonis.

De obitu abbatis Willelmi.

Sunt adhuc plurima, quæ describit possent, sed his omissis obitum patris Willelmi intimare curamus, etc. *ut in Chronico S. Benigni.*

Ipso eodem tempore quo rex Rotbertus monarchiam regni tenebat, cum audisset in partibus istis quosdam existere, qui circumquaque res alienas violenter diripientes, ut liberius impuneque retinerent, firmitates et castella nova sibi construxerant : cum copioso, ut regem decebat exercitu, Miribellum ad expugnandum et diruendum advenit, erat enim illud una ex mansionibus raptorum : quod et Deo favente in brevi effecit. Sed dum ibi obsideret, nuntius advenit, dicens patrem nostrum Willelmum abbatem ad hac vita decessisse.

Nolens itaque Rotbertus rex locum istum diu sine pastore manere, ne lupi rapaces gregem invaderent, domnum Ulgerium, qui tunc vicem prioris sub abbate Willelmo tenebat, huic loco abbatem substituit. Obiit vero prædictus pater noster Willelmus anno ab Incarnatione Dom. 1031. etc. *ut in Chronico S. Benigni.*

De abbate Wilgerio.

Monachi Besuenses vi expellnntur. — Hujus itaque Hugonis ordinatione instante, cum esset deductus ab Henrico rege juvene ad civitatem Lingonas cum magna ambitione, nuntiata est regi mors patris sui Rotberti regis, qui regnavit annis XLI, et ipse Henricus regni VI jam annum agebat. Supradictus vero episcopus cum suscepisset episcopatum, non fuit ut decuisset circa Dei ecclesias sollicitus augmentator, sed e contrario negligens et distractor. Quapropter cum huic loco multas importunitates inferret, et exactiones insolitas, et domnus Ulgerius abbas nullomodo ei vellet assentire, ipse Halinardum Divionensem abbatem, huic loco constituit abbatem. Qui veniens cum suis monachis, per violentiam Hugonis episcopi domnum Ulgerium abbatem nostrum, cum quibusdam ex nostris monachis captos Divionem duxit; suos autem monachos hic dimittens, non ad conservandum et ædificandum, sed ad destruendum et diripiendum quæ intus erant, locum istum eis contradidit. Quod postea claruit; nam quadam vice simulantes se ituros ut vinum deferrent, vas vinarium, quod tunnam vocant, plaustro superponentes, ornamenta cum libris et thesauri maxima parte in vase illo reposuerunt. Sed hujus villæ homines hoc intelligentes, maxime ex eo, quia tunna erat nimis ponderosa, eam aperiunt, et res nostras intus invenientes retinuerunt. Ferunt quidam ex nostris tunc temporis, excepta aliorum ornamentorum non minima quantitate XIII cappas, cum textu Evangeliorum et cruce pretiosissima, Divionem a monachis illis deportatas.

Factum est autem dum domnus Ulgerius abbas ita Divioni haberetur, monachi illius, qui ex hoc loco dispersi fuerant, notificaverunt ei quatenus A ad exeundum de monasterio se præpararet. Illi vero mittentes ei equos cum quibus aufugeret, competenti loco collocaverunt. Quo comperto, ipse de monasterio exiens, equos ascendit cursuque perpete castrum illud, quod juxta nos est, Bellimontem dictum, expetiit. Unde ipse cum suis monachis, Divionenses, qui male locum istum invaserant, expugnans, vellent, nollent, ad propria redire coegit. Ipse autem ecclesiæ suæ redditus et locum istum diu bene ac regulariter gubernavit.

Charta de Monardo.

« Culpa primi parentis faciente, accidit ejus generi post ipsum, ut qualis ipse exstitit, tales post se natos relinqueret. Qua de re sicut ipse miseria B non caruit, ita omnes miseros genuit : et sicut ipse oblitus est beatitudinis a Deo sibi collatæ, sic omnes homines obliviosos reddidit. Quia ergo obliviosum est animal, et sæpe labefactari possunt causæ rerum gestarum a mente humana, nisi atramento scribantur, et chartarum apicibus inserantur, quibus futuri ea quæ vel visu vel auditu non didicerunt, harum exemplis erudiantur, idcirco nos quæ temporibus nostris acta sunt, et priscorum senectus meminit, notificanda intimamus.

« Omnibus itaque notum esse volumus, præsentibus et futuris, qualiter quamdam terram in villa Mornado sitam, quæ jure sancto Petro debebatur, tres fratres his mominibus, Wido, Odilo, Ansericus, sanxiverunt. Nam tempore Brunonis C episcopi exstitit quidam miles Lezelinus nomine, qui ipsam terram contra jus ipsius episcopi et seniorum loci supra scripti tenere voluit, quod videlicet nequivit. Post hunc exstitit alius Humbertus cognomine, qui ipsam terram similiter invasit : qui ad obitum veniens, reddidit ad limina sanctorum Petri et Pauli loco jam dicto, quæcunque in ipsa terra tenere videbatur, sive juris sui, sive injuste ablata, omnia reddidit per caligulam suam, quæ vulgo osa dicitur, quam implevit de ipsa terra, et virgulam de viridario sumpsit ad testimonium; quæ videlicet transmisit per nuntios suos, sed per incuriam non admissa fuerunt sancto loco.

« Hinc ergo fratres suprascripti hæreditari cupientes, terram invadunt, quasi a proavis sibi di- D missam, et ut eis libitum fuit, agentes, multaque vi insistentes, contra voluntatem seniorum loco sancti Petri degentium, conati sunt agere, quod et fecerunt. Attamen illi non destiterunt a proposito voluntatis suæ, tam per semetipsos, quam et per principes regni semper clamantes, et injustum eorum calumniam patefacientes. Tandem Deo volente, et ipsis resipiscentibus, cum consilio suorum seniorum adierunt simul limina SS. apostolorum Petri et Pauli, pœnitentiam agentes, ibique quidquid in supradicta terra tenere videbantur, sive juste, sive injuste, omnia contulerunt ad ipsum locum eo scilicet tenore, ut post obitum eorum ipsa terra in testi-

monium sit sepulturæ et societatis eorum, quam et pro hoc reddiderunt. Insuper etiam aliam terram sitam in villa Osiliaco dicta, quæ in convadio contra ipsos erat, illis reddiderunt seniores loci suprascripti. Actum est publice Besua monasterio, die festo sancti Benedicti abbatis, videlicet XII Kal. Apr., anno 1 ordinationis D. Ulgerii abbatis. Sig. Hugonis comitis Belmontis, qui hanc redditionem fieri jussit. Sig. Oddonis nepotis ejus. Widonis decani. Willerii, Odonis militis. Leutpranni. Aldonis præpositi. Et hæc nomina fratrum. Sign. Widonis, Odilonis, Anserici. »

Charta de Fracto-Monte.

«Præsentium ac futurorum pro certo charitas agnoscat, quod Milo quidam de Tilecastro dedit sancto Petro, sanctoque Prudentio, pro remedio animæ suæ apud Fractum-Montem, unum mansum, ad quem appendunt 9 jugera de terra aratoria et una sectura prati. Et ut hoc profuturum posteris foret et firmius crederetur, litteris assignare rogavit sub legitimis testibus. Anno ab Incarnatione 1026. Indict. VIII. Ep. nulla concur. 4, mensis Julii, regnante Rotberto Francorum rege. Hi sunt testes: Sig. Widonis. Sign. Oddonis, et fratris ejus Roberti. Sign. Aldonis, et filii ejus Milonis. Sig. Otberti. »

Charta de Beria.

Hoc etiam anno Milo de Beria, dedit sancto Petro in monasterio qui dicitur Fons-Besuæ, pro remedio animæ suæ in ipsa villa unum mansum ; ad quem adjacent 9 jugera de terra aratoria et una sectura prati, cum servo nomine Lamberto, uxore et infantibus. Testes Wido, Bernardus, Aldo, Lambertus. Grimejus, Romarus, Hugo filius Aldonis.

Charta de Icio.

Elinandus etiam dedit unum mansum sancto Petro Besuensis cœnobii apud Icium, pro animæ suæ remedio, cum servo nomine Teduino, uxore et infantibus, ad quem appendunt 9 jugera de terra aratoria et una sectura prati. Testes Wido, Hugo, Aldo, Stephanus.

Item alia.

Odilo dedit similiter in eadem villa sancto Petro Besuensis cœnobii unum mansum, cum servo nomine Ansaldo, cum uxore et infantibus. Testes Wido, Aldo, Berarmannus, Robertus.

Charta de Besueta.

Odonis militis donum insigne.— « In Dei omnipotentis nomine: Notum fore volumus quibusque scire cupientibus, qualiter pro remedio animæ Odonis optimi militis, atque elegantissimæ juventutis filii, videlicet Nerduini, ictu repentino interfecti, dederunt ad memoriam SS. apostolorum Petri et Pauli, sanctique Prudentii martyris in loco Besuensis monasterii, avunculus ejus, Hugo videlicet comes Belmontensis, et ipsius Odonis uxor Gertrudis, fraterque ejusdem Hugonis servum nomine Theodericum : itemque alium nomine Stephanum, atque ancillam unam nomine Leutgardam, cum omni successione generis filiorum et filiarum eorumdem.

« Item dederunt mansum unum liberrimi alodi permaximum, seu coloniam pergrandem in villa Besueta, cum omnibus appenditiis, quæ ad ipsum mansum pertinent, id est, terris cultis, et incultis, et pratis, et cursus, et decursus, et usus aquarum, et usus silvarum in gyro circumjacentium, tam circa Besuam, quam circa Vinzennam fluvios, quemadmodum prædictus Oddo, vel pater ejus, seu avus, in vita tenuerunt, absque ullo contradicente illorum generis, seu extranei. Debet enim prædicta terra per annos singulos, frumenti modios IV et de tremisse modios III, et dimidium : et mense Maio denarios VI. Deinde multonem, et porcum, et per vindemias carroperum, et vini sextarium: et in Nativitate Domini, vini sextarios duos. Et ut ab hodierna die, et deinceps sit in dominium prædictorum sanctorum Besuensis cœnobii, ut faciant monachi inibi Deo deservientes quidquid illis utilitatis melius videbitur et placuerit.

« Et ut hæc firma in omni tempore et stabilis elemosyna sive donatio maneat, cum voluntate parentum et consensu omnium fidelium nostrorum, publice tangentes manibus propriis roboramus, et nomina nostra et præcipuorum nostrorum conscribi facimus. Si quis vero, quod absit, huic nostræ factioni, quam pro Dei amore, et animæ chari parentis nostri redemptione fecimus, in aliquo contrarius calumniator exstiterit, iram æterni judicis, ejusque clavigeri Petri sentiet, si non cum satisfactione emendaverit.

« Nomina firmatorum, qui hanc cartam firmaverunt: Sig. Hugonis comitis. Sig. Letgardis comitissæ. Sig. Gertrudis, uxoris Odonis militis. S. Gybuini. Sig. Richardi. Sig. Nerduini filii ejus. Sig. Widonis archid. Sig. Hugonis. Sig. Widonis et Odilonis, et Joffredi. Sig. Bernardi. Sig. Bernardi alterius. Sig. Willerii. Sig. Richardi. Sig. Ulrici. Sig. Olgerii. Sig. Willenci. Sig. Humberti. Actum Besua, publice, anno ab Incarnatione Domini 1034. Indict. II, Epa. XXVIII, regnante Henrico rege, VIII anno regni ejus, mense Novembris. Ego Heldemannus monachus, scripsi et subscripsi. »

Charta de Fontanellis.

Quidam miles, Richardus nomine, mente non inconvenienter pertractans, et admodum timens, sacri eloquii consilio fretus, confidenter aggrediens illud: *Facite eleemosynam, et ipsa orabit pro vobis, et omnia munda sunt vobis.* Et, *Date, et dabitur vobis,* atque similia. Unde pro remedio animæ suæ cœlesti Janitori atque apostolorum principi sancto Petro Besuæ-Fontis donavit mansum unum, in loco qui vocatur Fontanellas. Quod quidem conjux sua, Radmodis nomine, et filius ejus Hugo, fautores libenter concesserunt, imo amplius etiam se daturos sancto loco promiserunt. Actum vero hoc publice in præfati sancti cœnobio, et super ejusdem altare. Regnante Domino nostro Jesu Christo cum Spiritu sancto in

paternæ majestatis dextera, anno Incarnationis ipsius 1036, Indict. IV, Epacta XX, pridie Kal. Julii, IV, feria, III. Lunæ, in qua B. Pauli passio celebris recolitur, pridie, coapostoli ejus Petri festo, debito honore peracto, rege Henrico in sceptris Francorum agente, Hugone vero in pontificatus honore Ecclesiam regente sanctæ sedis Lingonicæ.

Charta de Caviniaco, et Priniaco, atque Blaniaco

Quidam Gybuinus clericus, tactus timore divino, ob peccaminum suorum remissionem, seu fratris sui Nerduini, filiorumque ejus nepotum suorum: Oddonis videlicet, et Hugonis donavit dimidium mansum unum in villa, quæ Primiacus dicitur, et unum curtile cum servo, qui in eadem terra stabat, nomine Humbertus, cum filiis duobus Dodone et Humberto. Reddidit etiam terram quamdam sitam B in Caviniaco villa, quam frater suus supra nominatus Nerduinus tenere visus est aliquando injuste. Reddidit salvamentum de villis Auxiliaci atque Blaniaci. Reddidit etiam Oldierium cum fratre ejus nomine Hugone, et sorore, nomine Fratburga, quos tenebant in salvamentum supradictus frater suus et nepotes sui. Donavit etiam servum Guntarium et Ingerranum cum filio Stephano. Nam Ingerrannus pro Oddone ante fuerat datus: filius vero ejus pro Hugone. Ipse Gybuinus, qui donationem fecit, firmavit charta.

Charta de Vetus-vineis.

Quidam homo, Otbertus nomine, reddidit sancto Petro Besuæ-Fontis, quidquid reclamabat in villa, quæ Vetus-vineas dicitur, die scilicet qui Dominicus C habetur, cum in media Quadragesima *Lætare Hierusalem* in voce exsultationis sacris concentibus ad missas extollitur: ubi a domno Olgerio ejusdem loci abbate et monachis peram peregrinationis simul et absolutionem Romam profecturus, suscepit. Actum vero hoc publice super altare memorati sancti apostolorum principis, V Kalend. April., XXVI lunæ, rege Francorum Henrico strenue in sceptris agente, Hugone vero pontificali in cathedra feliciter præsidente, Ecclesiamque Lingonicæ sedis pie regente, anno ab Incarnatione Domini 1036. Indict. IV, Epact. XX.

Charta de Blaniaco.

« Luce clarius constat quemque cupientem vafri hostis proterere molimina, indefesso nisu sectatorum Christi sequi debere vestigia. Rectorum quippe D operum casta gestans præcordia, cœlorum gliscit gaudia capescere felicia. Quæ procul dubio consequitur ad cœlestes thesauros terrena transferens patrimonia, et inopum solans miserias liberalitatis munificentia. Admonet hoc nos divina Scriptura, redemptionem animæ viri contestans proprias divitias. Redimuntur namque misericordiis pauperum peccata, et ut ignis aqua, sic eleemosynis æterni rogi restinguitur flamma. Ob quam rem ego Gybuinus clericus, frater Hugonis castri Bellimontis, divina respectus misericordia, et ad dierum meorum perductus extrema, concedo et do Deo omnipotenti

A et S. Petro omnem hæreditatem meam in villa Blaniaco nuncupata. Omnem scilicet terram arabilem cum campis, pratis, silvis, pascuis, sive piscatoria, ex quibus ejusdem villæ constat pars maxima. Præterea addo servos Rotgerium et Alcherium, Utbaldum, Warnerium, Sendradum, Archimbaldum, eum uxoribus eorum, et filiis, omnique familia, et omnes servos, et ancillas ad eamdem hæreditatem meam pertinentes, quibuslibet locis habitent, ut ab hinc sancto et monachis ei servientibus, sicut hactenus mihi, serviant et consuetudines persolvant mente devota. Ne vero post decessum meum, hujus eleemosynæ aliquis violator vel falsator accedat, præsumptione injusta, Ulrico nepoti meo commendo coram omni populo ad altare sancti Petri sua ratione eam demonstrare, et vice mea sancto et monachis tradere, et testem veritatis chartam fieri, subnixa stipulatione, adhibitisque testibus et signantibus roborare. Signatorum nomina subsequenter exprimit scheda: Sign. Ulrici nepotis ejus. Sign. Anserici militis. Sign. Willenci militis. Sign. Walterii militis, Sign. omnium monachorum qui adfuerunt. Sign. Widonis archipresb. Sign. Constantii presb. Sign. Rotberti presb. Sign. Haymonis clerici. Sign. Hugonis præpositi, et totius familiæ. Actum publice monasterio Besuensi, anno ab Incarnat. Domini 1044 Indict. XII, Epacta existente XVIII, III. Idus Junii die festivitatis sancti Barnabæ Apostoli: Henrico regnum Franciæ tenente, Rotberto fratre ejus Burgundiam imperante, et Hugone, qui postea repulsam meruit, in præsulatu sanctæ Lingonensis matris Ecclesiæ, nunc vero pastoris nomine præsidente. »

Item alia.

Sane post defunctionem antefati Gybuini in illa terra, et servis qui eam incolebant, quos ipse sancto Petro et monachis reliquerat, Fulco, qui neptem ejus in matrimonio habebat, consuetudines cœpit requirere, et quidam duo milites, Hugo frater Oddonis Montis Saligonis, et Wilencus de villa sancti Sequani, quibus in beneficium eas tradiderat. Sed sæpe admonitus et justitiæ ratione compulsus, ad monasterium veniens, coram altare Deo et sanctis, monachisque ipsis, servis et ancillis, easdem consuetudines perdonavit, et eisdem, qui a se in beneficio tenebant hoc ipsum facere coegit, et a se et ab omnibus hominibus liberos eosdem servos et ancillas constituit. Sign. Fulconis. Sig. Ulrici. Sig. Walterii. Sig. Widonis.

Charta de Luco, Genciniaco, et Cinciaco.

« In nomine Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Quia mens humana labilis est, et cito excidunt memoria res gestæ, nisi chartarum apicibus inserantur, dignum ducimus nos minimi ea quæ nostris modo temporibus geruntur mandare posteris, ne sicut præmisimus, oblivione depereant.

« Notum esse volumus omnibus tam præsentibus quam futuris, qualiter Erembertus quondam miles, beneficium, quod temporibus pristinis, videlicet domni Willelmi abbatis, seu Rodulphi præpositi

tempore visus est tenuisse, reddiderit. Hic enim Erembertus nobili erat ortus prosapia, secundum sæculi dignitatem, sed propter intestina bella, quæ inter falsos christianos geruntur, pene ad nihilum redactus erat, ita ut beneficium, unde agimus, vendere vellet et manibus alienis tradere. Quod nos agnoscentes, fratres videlicet sancti Petri Besuensis, damnum esse arbitrantes, si alienis manibus terram sancti venumdaret, ipsum advocantes in nostro consilio, admonuimus eum non recte agentem erga fidelitatem sancti Petri, verum ipsum pretium, quod ab aliis cupiebat sibi tribui, nosmet persolveremus. Quod et factum est. Nam ipse miles adiens cœnobium sancti Petri Besuensis, domno Olgerio abbate præsente, et cæteris fratribus ejusdem congregationis assumptis, sed et aliis quam plurimis Deum timentibus clericis sive laicis adunatis, in conventu ipsorum, ante altare principis apostolorum Petri apostoli, reddidit ipse, et filius ejus Wido nomine, accepto pretio centum solidorum, pro commutatione terræ. Non habens omnino, neque ipse, neque ullus hæredum ejus aliquam occasionem repetendi; quod si repetere præsumpserit, anathematis vinculo agnoscat se arceri, auctoritate Petri apostoli. Beneficium vero, unde res agitur, diversis in locis continetur. Nam in villa, Luco nomine, ibi terminatur, dimidium mansum; nihilominus aliud dimidium Vendovera villa; Tasnato unum mansum; Genciniaco unum mansum; Cinciaco unum mansum. Testes sunt hi quos adnotamus: Signum Widonis decani. Sign. Hugonis præpositi. Sign. Odolrici Belmontis, filii Hugonis comitis. Sign. Walterii. Sign. Odilonis. Sign. Haymonis. Sign. Alerici. Sign. Brunonis Camboni. Sign. Rainaldi. Sign. Rotmari. Sign. Hervæi. Sign. Raineri. Sign. Otberti. Sign. Umberti. Actum publice Besua in monasterio, anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu-Christi 1043, regnante Henrico rege in Francia, Rotberto fratre ejus Burgundiam imperante. »

Charta de Gibriaco.

« Ego in Dei nomine vocatus Higmarus, notum esse volo cunctis sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, et cunctis meis parentibus, ac propinquis, præsentibus ac futuris, quoniam sanctæ religionis cultor eximius et monasterii, quod Besuense vocatur, almiclavigeri Petri sub nomine et honore dicatum, abbas nomine Olgerius, cum pluribus suæ ditionis monachis adiit fundum nomine Gibriacum, situm in comitatu Oscarensi mecum placitandi gratia, pro quibusdam querimoniis, quas inibi contra eum eram habiturus.

« Considerans igitur prædicti abbatis et ejus cœnobitarum in Dei servitio innocentiæ puritatem, et per eos placare Deum mihi posse considerans, consultu bonorum hominum, qui aderant, et præmaxime Rotberti monachi, atque Otberti militis, necnon Henrici sororii mei, pro Deo et animæ meæ, et patris, et matris, atque omnium parentum meorum requie beata, perdono omnem querelam, quam contra præfatum abbatem, ejusque monachos habebam. Servos meos Fulcherium et Albertum, pro quibus calumnia creverat, absque ullo contradictore mea ex parte dono Deo et sancto Petro, ad monasterium Besuense monachis ibi degentibus, quoad vixerint servituros, et filios eorum, quos habent, et habituri sunt, omnesque qui ex eis processuri sunt usque in æternum.

« Hanc autem donationis chartam fratri meo Bernardo et sorori meæ Evæ confirmare faciam et filio ejus Odiloni. Si quis vero hanc donationem calumniare conatus fuerit, non evindicet, sed insuper iram superni judicis incurrens, prædicto loco decem libras auri coactus solvat. Actum Gibriaco publice. Signum Higmari qui fieri et firmare rogavit. Sign. Bernardi fratris ejus. Sign. Henrici sororii eorum. Sign. Evæ uxoris ejus. Sign. Odilonis filii eorum Sig. Otberti. Sign. Gisleberti. Sign. item Gisleberti. Sign. Waldrici. Sign. Humberti. Sign. Arnulfi. Signum Widonis. Sign. Walterii. Sign. Otranni. »

Charta de Renavis.

« Ego Helgerius cum fratre meo Guntardo beneficiis domni Benedicti, prioris Besuensis monasterii et monachorum ejusdem loci prævocati, pro beneficio, quod dederunt nobis in villa, quæ Colonica dicitur; dedimus sancto Petro, in villa, quæ Renavis dicitur, de alodo nostro mansum unum, habentem appendentia decem et octo jugera, et pratum ad tria carra feni, et usuarium silvæ, quæ ad eamdem villam pertinet. Ipsa autem terra ex una parte villam ingreditur, ex altera strata publica, quæ ad campanias vadit, terminatur: tertia quoque nostro alodo concluditur. Dedimus etiam et alium mansum, in jam dicta villa colonica, habentem appendentia 6 jugera, et pratum ad unam carradam feni, ut usuarium silvæ, quæ ad eamdem villam pertinet. Ipsa autem terra ex una parte villam ingreditur, ex altera, terra S. Petri dividitur: tertia terra Aremberti determinatur, quarta autem proximo rivo concluditur.

« Hanc autem donationem eo tenore fecimus, ut tempore vitæ nostræ, cum prædicto beneficio ipsam terram teneremus, solventes pro ea censum duorum solidorum annuatim in festivitate sancti Petri. Si autem unus ex nobis prior mortuus fuerit, ejus pars statim ad eos revertetur, nisi forte eorum spontanea voluntate, iterum alteri concedatur. Et ut hæc donatio firmior permaneret, hanc chartam manu nostra firmavimus, atque altari sancti Petri superposuimus. Testesque fideles adhibuimus. Signum Guntardi. Sign. Helgerii. Sign. Oddonis. Sign. Rainardi. Sign. Saleconis. Sign. Bernardi. Data II Non. Junii. »

Charta de Fontinellis.

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Ego Hildeberga præsentibus et futuris manifesto quia filius meus Odilo, immatura ætate præventus, diem clausit ultimum, qui et sepultus est in cœmeterio sancti Petri Besuensis cœnobii. Pro cujus anima, simul et mea, dedi ad ipsum locum, unum mansum

apud Fontenellas, quem tenebam lege dotalitii, in quo manebat quidam servus, Hamedeus nomine : ea ratione, ut quandiu vivam, usu fructuario teneam, et uno quoque anno, festivitate S. Petri, investitura duodecim denarios persolvam, atque post meum decessum ad dominatum sancti Petri ejusdem loci sine omni contradictione pertineat. Et ut hæc donatio firma permaneat, hanc chartam ob notitiam posterorum fieri jussi, et manu mea, cum filio meo Joffredo, coram testibus firmavi, quorum ista sunt nomina : Signum Landrici filii mei. Sign. Hagani Longi. Sign. Girardi Deujustrui. Sign. Humberti de Campanis. Sign. Rotberti de Baleneva. Sign. Oddonis. Sign. Aldonis præpositi. »

Charta de Gentiniaco.

Quidam miles Arembertus nomine, de Longo campo, tenens beneficium sancti Petri Besuensis in diversis locis, adiens locum supra nominatum, reddidit illi quamdam partem, hoc est beneficium, quod situm est in villa, quæ Ginciniacus vocatur, ad integrum, ita ut neque ipse neque alius hæredum suorum repetere valeant. Istam redditionem fecit præsente domno abbate Olgerio, et aliis et monasterio ejus adstantibus ante altare sancti Petri.

Charta de Caviniaco.

Quædam mulier, Alburga nomine, in conjugio juncta cuidam militi, nomine Poncio, dedit, sive, ut quidam putant, reddidit terram, quæ est sita in villa vocitata Caviniaco, quam et antecessor quidam non mediocris nobilitatis progenitus, nomine Gibuinus, sancto Petro concesserat, sed ab ea jure hæreditario, sicuti videbatur, taxata atque retenta fuerat. Signum Olgerii abbatis. Sign. Moroni præpositi. Sign. Joannis prioris, et aliorum multorum.

Charta de Calmontis-villa.

« In nomine summæ et individuæ Trinatis. Notum esse volumus tam præsentibus quam futuris, quod ego Moronus cognomine, timore Dei et timore peccaminum meorum tactus, adii Besuense cœnobium, ubi multorum sanctorum patrocinia continentur, præcipue sancti Petri apostolorum principis, cum collega suo Paulo apostolo, ubi præesse dignoscebatur domnus abbas Olgerius. Ibi ergo adstantibus quibusdam ejusdem cœnobii monachis, et fidelibus christianis Deum timentibus, quorum nomina subtus annectentur, feci me tonsurari et monachum devovi sub norma regulæ sancti Benedicti confessoris permansurum.

« Dedi ergo ad prædictum cœnobium medietatem, quidquid jure hæreditatis possidere videbar Calmontis-villa, vel cæteris circumjacentiis possessionibus, in pratis, in aquarum decursibus, in silvis, molendinis, sicut præfatus sum, omnem medietatem per servum nomine Arnaldum, quem dedi sancto Petro, et per ipsum omnes servos et ancillas tradidi sancto loco adstipulatione subnixa. Actum publice Besua monasterio, Benedicto præposito adstante, Heldelmanno monacho, Adelmo monacho, Oddone mona-

A cho, Giberga comitissa Fontis-Vennæ, et aliis multis. »

Charta de Altrisiaco, Maxiaco, Bodenaco, Lentiliaco.

« In nomine summæ et individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Notum sit omnibus fidelibus, tam vivis quam et futuris, quod ego Gibuinus, et neptis mea Eraungardis, tradimus sancto Petro quatuor colonias in vico qui Altrisiacus dicitur, pro remedio animæ fratris mei Hugonis, qui jam dictas colonias adhuc vivens B. Petro destinaverat, cum servis et ancillis, quorum hæc sunt nomina : Rodulphum cum uxore, et infantibus suis. Abraham et Danninum fratres, cum uxoribus et natis eorum. Orannum et Laibonem cum uxoribus et cum infantibus eorum. Lamber-
B tum cum uxore et infantibus suis. Erbertum qui adhuc erat puer. Concedimus hæc beato Petro libere cum omnibus appenditiis suis, ut sicut a diebus Gibuini proavi mei, et filii ejus Hugonis, nec non et Hugonis patris mei stetit in nostra potestate, sic permaneat in potestate sancti Petri, ab ista die, et deinceps, pro remedio animæ fratris mei Hugonis, ut ipsi habeant consuetudinem, quam ante habebant, tam in silvis, quam in pratis, aquis, campis, et cunctis confiniis. Et ut nullus deinceps major, sive forestarius, vel decanus, de potestate Altriaci, hominibus jam dictis vel natis eorum, qui de progenie eorum per succedentia tempora exierint, aliquam molestiam inferre præsumat. Et si per negligentiam acciderit, ut bestiæ istorum hominum sine custode in prato indomini-
C cato, vel corvata incurrerint, non cogantur per legem emendationem solvere, sed tantummodo æstimationem damni reddant. Hanc eamdem consuetudinem concedimus sancto Petro de duobus curtilibus, quos ante habebat in eadem villa. Item damus sancto Petro mansum unum in villa, quæ Maxiacus dicitur, cum appenditiis suis.

« Præterea dimittimus et abnegamus omnes consuetudines, quas pater meus, et fratres mei, Hugo, et Wido accipiebant in villa, quæ Bodens dicitur, et in Lentiliaco pro remedio animarum illorum, et nostrarum, excepto corvatam, quam pro silva faciunt. Et si quis hæredum meorum (quod minime futurum esse credo) hæc calumniari tentaverit, repetere non valeat, et in dextera Dei omnipotentis,
D et auctoritate Petri apostolorum principis, anathema maranathà fiat. Et ut hæc charta firma et stabilis permaneat, manu propria firmavi, nepti, et sponso ejus Fulconi; cæterisque fidelibus firmare præcepi. Signum Gibuini. Sig. Fulconis. Sig. Ermingardis. Sig. Bernardi. Sig. Widonis archid. Sig. Richardi. Sig. Goffredi. Sig. Widonis. Sig. Odilonis. Sig. Odolrici. Sig. Willenci. Sign. Leubranni. Sig Milonis, et Gosberti, et Humberti, et Lamberti, et Ulgerii. »

Charta de Luco.

Eodem tempore quædam mulier Adilina nomine, cum filiis suis Nocherio et Poncio, dedit unum man-

sum in villa,cui cognomen est Luco,cum omnibus appenditiis suis et censualibus pensionibus, domumque in eo consistentem, et servum nomine Albericum.

Charta de Buxiaco.

Similiter Ezilinia dedit alodium in vico, cui nomen est Buxiaco, cum omni integritate sua,appenditiis, colonicis, campis, sylvis, aquis, laudante Kalone filio suo.

Item alia.

Alius quidam homo, Bernardus nomine, dedit quidquid juris sui videbatur esse in finibus Vetusvineis.

Charta de Longa Boella.

Item Bernardus,qui vocatur Francus,dedit sancto Petro 2 jornales de terra, in fine quæ vocatur Longa Boella.

Alia.

Ewardus etiam de Ponto dedit duas petiunculas de prato, in loco, qui vocatur Molonga prata, et duos campos, ad Montannos unum, et alium ad Pontem-villam.

Item alia.

Anna quædam femina, pro sepultura sua dedit sancto Petro unum curtile ad Pontem.

Charta de Mariaco.

Benigna mente futuris consulentes sepia membranis imprimere capimus, quod Milo, qui dicebatur Bicellus, frater Majoli, cujus cognomen Mazilinus, dederit sancto Petro in Mariaco villa unum mansum cum appenditiis suis,et servum nomine Gerardum, cum uxore et infantibus suis.

Charta de Vachiriaco.

Adnotandum credimus futuris quod Teto,Montis Salionis miles,tradiderit sancto Petro unum mansum in Vachiriaco quondam vico, sed nunc deserto, simulque servum nomine Ewrino fratre suo.

Charta de Luco.

Justum arbitramur memoriæ tradere quod Hugo clericus de Launna delegaverit S. Petro unum mansum die festivitatis ejusdem generalem missam celebrantibus senioribus. Publice itaque accedens ad altare,tradidit donationem circumspiciente populo, affirmans patrem suum Gibuinum,ipsum mansum sibi dedisse die,quo benedicta est ei capitis corona. Est autem ipse mansus in Luco villa : terra autem ad illum pertinens conjacet in valle,quæ pro fluviolo Vernela, qui per eam fluit, Vernevallis dicitur. Signum Olgerii abbatis. Sig. Hugonis. Sig. Joannis. Sig. Widonis decani. Sig. Rotberti presbyteri. Sig. Girardi clerici.

Eodem tempore Henricus III imperator Burgundiæ regnum gubernabat, etc., *ut in Chronico S. Benigni.*

Veniens ergo idem papa ad civitatem Lingonas ordinavit ibi dom. Arduinum episcopum pro illo, qui fuerat ejectus Dumque ibi demoraretur, proferrenturque in medium diversæ diversarum ecclesiarum disceptationes,ac inter se calumniæ,utpote ante patrem universalem et apostolicum recte et canonice terminandæ;contigit etiam de nobis et de canonicis Lingonensibus rationem haberi.Ipsi namque volebant de vinea nostra,quæ est sub Gibriaco decimam habere. Unde cum rationem intellexisset domnus papa Leo,erupit in voce, et quid in archivis sanctæ Romanæ Ecclesiæ inde viderat,ostendit dicens : Sanctorum Patrum, qui ante me sanctæ Romanæ sedi præfuerunt, auctoritate sancitum est, ut nulla ecclesia quæ in honore B. Petri apostolorum principis sit fundata, alteri ecclesiæ censum vel decimas persolvat. Cujus rationis et auctoritatis pondere repressi ipsi canonici conticuerunt.

Idem vero venerabilis Arduinus episcopus inter cætera beneficia, quæ huic loco contulit, petente abbate Olgerio, a summo pontifice Romanæ Ecclesiæ petiit fieri decretum,in quo continetur, ut nullus præsumat huic monasterio vim inferre, vel eum in subjectionem cujuscunque monasterii redigere ; et ut nullus audeat infra unam leuviam a monasterio vim aliquam inferre : cujus exemplar decreti placuit huic libro inserere, ut audientes discant quantum immineat illis periculum,qui non timent obligari anathematis vinculo per Petri apostoli vicarium. Anno Incarnationis Dom. 1052. Præsidebat sanctæ Romanæ Ecclesiæ domnus Leo papa. Cujus hæc sunt verba :

Privilegium domini Leonis papæ.

« Leo episcopus, servus servorum Dei, Olgerio abbati Besuensis monasterii,tuisque successoribus, perpetuam in Domino salutem.

« Convenit apostolico moderamini, » *Vide in Leone XI, Patrologiæ t. CXLIII, sub. num.* 110.

De obitu Olgeri abbatis.

Defuncto igitur abbate Olgerio, successit in regimine pastoralis officii abbas Oddo.Quæ autem in diebus ejus data vel empta sunt in possessione agrorum, non est silendum.

Charta de vetus vineis.

Quidam igitur miles hujus nostræ religionis, nobili prosapia ortus, Olgerius nomine, cum multis aliis loca Hierosolymitana expetiit, sed in revertendo post multa pericula pro Christo tolerata, felici, ut credimus obitu, lucem præsentis vitæ reliquit.

Præsentibus autem conviatoribus et audientibus, sancto Petro Besuæ et ejus monachis,apud Vetusvineas unum mansum vestitutum cum servo in eo habitante, nomine Arnaldo delegavit, ita sicut pater ipsius Arnaldi vocabulo Ademarus usque in diem mortis suæ tenuit, et eidem filio suo Arnaldo dimisit.Uxorem etiam ejus nomine Tedindem cum filiis et filiabus simul cum eo dari jussit; pariterque parmas,quas testes peregrinationis suæ, a Jericho tulerat, altari superponi rogavit. Quam donationem conjux ejus Tetburgis appellata,et filii ejus libenti animo laudaverunt, et suos homines laudare compulerunt Debet vero iste mansus porcum et arietem, sex panes et tres sextarios vini, carroperam

et omnes consuetudines quas dominis persolvere debent servi. Quos suos protulerunt testes signamus calamo omnes : Signum Tetburgis conjugis ejus. Sig. Henrici, et Ulrici filiorum ejus. Signum Tetbaldi. Signum Aldonis, et Formaldi, et Nerduini, et Humberti, et Nerduini juvenis, et Widonis decani. Sig. Hugonis præpositi, Sig. Rotberti presbyteri. Sig. Joannis. Sig. Arengerii, et omnium servorum ipsius apud mansiones commorantium.

Charta de Altrisiaco, et Villare, et Cinciaco.

Alius quidam miles, nomine Humbertus, omni prolis fiducia destitutus, tradidit Deo et sancto Petro ad locum Besuensem sanus et incolumis existens, omnem hæreditatem alodii sui, quæ jure paterno cesserat, absque contradictione hominis B ullius. Divisus enim erat jam a fratribus suis,Hugone, et Ulrico, et unusquisque partem suam singillatim separaverat a fratre suo.Quam donationem ad mortem perductus iterato confirmavit,et calumniatores æternæ maledictioni, in ipsa mortis hora obligavit. Omnem partem alodii in Altrisiacensi villa, cum omnibus consuetudinibus in omni potestate Altrejaca, in silvis, in campis, in pratis. Apud villare etiam omnem partem suæ hæreditatis, sicut ipse in vita sua tenuit. Nova casa, cunctum suum alodum, sicut ipse possederat. In Cinciaco vero similiter alodum suum, cum omni consuetudine, in aquis, in campis, in pratis, in silvis.Calmetis, nec non totum suum alodum, sicut ipse possedit. Romaniaca etiam,et Ponto,cunctum alodum C cum omni consuetudine in aquis,in pratis,in campis, in silvis. Est etiam ibi molendinum unum, cujus tertiam partem sancto Petro tradidit. Beriæ etiam omnem partem alodi sui, in aquis,in campis in pratis, in silvis.In comitatu Alsensi,in villa quæ dicitur Velinniaco, et in Villari Corcellis. Bretoneria omnem alodum suum,cum omnibus appenditiis in campis, in pratis, in aquis, in silvis. Signum domni Oddonis abbatis. Sig. Moroni monachi Sig. Hugonis monachi. Sig. Theoderici monachi Sig. Willelmi comitis.Sig.Fulconis senioris Bellimontis. Sig. Gisleberti senioris Beseiæ. Sig. Wallonis senioris Beriæ. Sig. Odilonis. Sig. Willenci. Sig. Landrici. Sig, Widrici. Sig. Rodulphi, et Olgerii fratris ejus. Sig. Widonis. Sig. Tetzilini. Sig. Rotberti. Sig. Bernonis. Sig. Herialdi. Sig. Girardi D Sig.Isamberti.Sig.Hugonis.Hanc donationem frater ipsius Humberti Hugo coram omni populo laudavit, et omnem partem suam ex ipso alodo,quia tantumdem habet post mortem suam, sancto Petro concessit.

Charta de Mornado.

Noverint omnes præsentes et futuri quia quidam miles, Rotbertus nomine, pro timore et amore Dei delegavit ad locum sancti Petri Besuensis monasterii quoddam mansum, quod quædam matrona,nomine Ermengardis, et filius ejus Odricus clericus, destinaverant. Conjacet autem mansum illud in A Mornado villa. et habet ad se terras pertinentes, cultas et incultas,servos et liberos in eis manentes, prata pomiferas arbores, et aquarum cursus et recursus, quæ omnia ad jam dictum locum sancti Petri destinavit atque restituit. Et ut ex meliori voluntate hoc factum esset, accepit a monachis ipsius loci caballum unum et societatem in omnibus benefactis eorum,et ex inde hanc chartam fieri curavit, quam propria manu firmavit, et amicis atque parentibussuis tradidit firmandam atque laudandam. Actum Besuensi monasterio publice,VI Idus Februarii.Signum Rotberti, qui hanc chartam fieri mandavit. Sig Oddonis. Signum Goffredi. Sig. Achardi, et aliorum multorum.

Charta de Genevrerias.

B Quædam mulier, Sufisia nomine, pro remedio animæ filii sui Widonis,quem ex Gisleberto suscepit, dedit unum mansum sancto Petro, in villa Bellifontis cum omnibus appenditiis suis, et habet omnem consuetudinem in campo, in aqua,in silva. Servum etiam in eo habitantem,nomine Martinum. Alterum mansum apud Genevrerias. cum omnibus appenditiis suis habentem consuetudinem in campo,in aqua,in silva ; ea conventione ut 15 jornales arabiles de alodo suo in fine ejusdem villæ eidem manso ad perficiendum quod minus habebat,adderet. Servum quoque in eodem commorantem, nomine Albericum, cum uxore Fratburge appellata, cum infantibus suis. Et ut perpetuali fulcimento perduraret eleemosyna. horum testiumsubtus inC scribi rogavit nomina : Signum Sufisiæ. Signum Æduini patrasti ejus. Signum Warnerii mariti sororis ejus. Sig. domni Oddonis abbatis. Sig. Moronis monachi, et aliorum multorum.

Charta de Mariaco.

Manifestum etiam esse volumus modernis et successuris, quod quidam miles, nomine Sewaldus ex monte Saligone, dederit sancto Petro pro redemptione animæ fratris sui Eliranni unum mansum apud Mariacum villam prope Tilecastrum, cum omnibus appenditiis suis, simulque unum servum, nomine Odilardum. Sig.Sewaldi. Sig.domni Oddonis abbatis. Sig. Moroni. Sig. Petri. Sig. Pontii militis.

Charta de Flaciaco.

D Notum esse volumus omnibus post nos futuris, quod quidam miles, nomine Sigefredus, dederit sancto Petro ad extrema perductus,2 mansos apud Flaciacum villam. In uno quidem Erbertus manebat ejus servus,et debet festivitate Omnium Sanctorum dimidium sextarium vini : Nativitate autem Domini unum sextarium vini,duos panes,et duas gallinas : alius vero in eadem villa conjacet desertus. Tradidit etiam 10 diurnales terræ in finibus ejusdem villæ, ad eosdem mansos pertinentes,cum pratis,silvis et omnibus appenditiis suis. Signum Ruzindis uxoris Rotberti,fratris ejusdem Sigifredi, quæ hanc donationem loco ipsius Sigifredi super altare posuit,Si

gnum Oddonis fratris Mazilini. Sig. Willeri. Sig. A Amalrici. Sig. Petri clerici.

Charta de Bodens, et de Lentileio.

Divina auctoritate inspirata nobilis matrona, Ermengardis nomine, sanctum Petrum sibit fecit hæredem, omnesque fratres Besuensis monasterii Deo ac ipsi summo apostolorum principi servientibus, suis usibus admisit, reddens illis salvamentum de Bodens et de Lentileio, atque de cunctis quæ ad ipsum salvamentum pertinent, pro remedio animæ suæ, ac senioris sui Hugonis, filiique sui Widonis, qui tunc fuerat defunctus, quique ipsum salvamentum post mortem patris jure hæreditario possidebat. Cujus rei cooperatores fuerunt filii ipsius, Hugo videlicet et Nerduinus, simul Gibuinus qui adhuc vita perfruebantur. B Et ut hæc traditio nota fiat futuris, sicut est præsentibus, scripto mandare fecit, ut quod post mortem testare non poterat, testetur charta servata, in ipsius monasterii arcario. Hanc ergo, ut inconvulsa permaneat, testibus adhibitis subscripsit manu propria. Ermengardis subscripsit, Hugo, Nerduinus, Gibuimus. Hi sunt testes.

Charta de Buxiaco.

Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris, quod Gertrudis uxor Girardi militis de castro Fontis-Vennæ, cum filiis suis Girardo et Humberto, tradidit unum mansum pro redemptione animæ præscripti mariti sui et filiorum suorum, ab ipso jam donatione facta sancto Petro Besuensi in villa, cui vocabulum est Buxiacus, ad integrum sicut tenere videbatur C Rotbertus Major, cum ipso videlicet Rotberto, et uxore, et filiis, cum omnibus quæ ad ipsum mansum pertinent, tam in terris, quam silvis et in pratis, vel in pascuis, sive in aquis. Et ut hæc donatio in perpetuum firma sit et stabilis, his subscriptis testibus firmavit et firmare rogavit. Hi sunt. Aymo, Olgerius, Joffredus, Librandus, Oddo, Arlebaldus, Wido, Aldo, Reddidit etiam unum mansum quod dudum sancti Petri alodus fuerat, in villa Patriniaco, acceptis pro pretio duobus militantium instrumentis, quæ vulgo dicuntur Helmum et Osbergum.

Charta de Moringas et Mornado.

Notum sit præsentibus et futuris, Richardum de Belmonte quamdam terram sitam inter Moringas et Mornadas villas. D ad abbatiam sancti Petri Besuensis monasterii pertinentem, diu calumniasse mulieris suæ ex parte et multa præjudicio abstulisse. Quam calumniam monachi sancti Petri satisfactionis causa sæpe voluerunt juramento, vel qualibet lege determinare, cum præfatus Richardus, Dei nutu aspiratus, eamdem calumniam, sive justa, sive injusta esset, sancto Petro donavit, præsentibus senioribus loci sub stipulatione super altare posita. Ego Richardus cum uxore mea Wandelmode firmavimus, et testibus roborandam tradidimus. Signum Widonis decani. Sig. Aldonis. Sig. Benedicti monachi. Sig. Heldemni. Sig. Alberti.

Charta de S. Mauricio.

Notum facimus charitati fidelium quia miles quidam, nomine Herenbertus, diu languoris molestiis pressus, tandem cum sibi finem vitæ imminere sentiret, ad memoriam beatorum apostolorum Petri et Pauli, in Besuensi loco se sepeliri rogavit, quod et factum est. Pro cujus animæ absolutione pater ejus, nomine Oddo eidem loco dimidium mansum cum dimidia mansione, quia partem alteram frater ejus cum manso tenebat in villa, quæ dicitur ad sanctum Mauricium cum terris adjacentibus, pratis et silva. In ipsa, et in altera villa Romania nominata, cum legali traditione dedit et manu testium corroborari fecit; quorum ista sunt nomina: Hugo, Theodericus, Alelmus, Joannes, alter Hugo, Teudinus, Hemma. Quem ipse et brevi tempore subsecutus, non solum apud eumdem locum est sepultus, sed etiam sicut petierat, monachili habitu indutus, hujus vitæ in bono fine diem clausit. Post cujus obitum nos unum fœdiolum, quem tenebamus, filio ejus dedimus et tria jugera in commutatione accepimus, et nostris terris junximus, et duobus hominibus sub servitio manendum dedimus, ex quibus unus servus ejus et loco dedit.

Charta de Tasnato et Germanico.

Manifestum esse volumus tam præsentibus quam futuris, quod quidam miles nomine Walo pro redemptione animæ conjugis suæ, vocabulo Addilæ, dedit sancto Petro unum mansum alodi apud Tasnatum, et alium apud Germaniacum, qui persolvit in debito census dimidiam heminam frumenti, dimidiam heminam avenæ, unum sextarium vini, unum porcum pretii 6 denariorum, quinque denarios pro censu prati, unam rotam et unum bovem tempore vindemiæ. Dedit etiam servos Hunaldum cum uxore et infantibus suis, et Mainerdum et medietatem infantum ejus, absque ulla calumnia. Et ut hæc donatio perpetuum obtineret vigorem litteris petiit notum fieri, et testibus corroborari. Signum Wallonis. Signum Fulconis. Signum Odilonis. Signum Milonis. Signum Warnerii. Signum Widonis. Signum Henrici. Signum Widrici. Signum Warnerii.

Charta de Colonica villa.

Notum esse volumus omnibus fidelibus tam futuris quam præsentibus, quod quidam miles, Gontardus nomine, cum fratre suo Helgerio, nos adierit deprecans ut eis aliquid daremus in terra sancti Petri in beneficio, promittentes se omnimodis in servitio S. Petri et nostro fideliter permansuros. Quod cum diu peterent, victi eorum precibus, dedimus ei quidquid sanctus Petrus in villa, quæ Colonica dicitur, habebat, quam dudum tenuerat frater eorum Henricus cum ecclesia in ipsa villa posita, indicentes eis annuatim in festivitate sancti Petri censum duorum solidorum: eo scilicet tenore ut tempore vitæ suæ idipsum quod dedimus tenerent, post decessum vero eorum ad jus sancti Petri et monachorum ejus rediret: ita ut nullus posterorum eorum ullo modo ex eo se intermitteret, ni spon-

tanca voluntate vel amicabili abbatis aut monachorum ejusdem loci concessione. Si autem unus ex eis prior mortuus fuerit, ejus pars statim ad nos revertatur nisi forte nostra spontanea voluntafe iterum ei concessum fuerit. Ut autem hæ convenientiæ firmius permanerent, hanc chartam manu sua firmaverunt, testesque fideics adhibuerunt. Signum Gontardi. Signum Helgerii Signum Rainardi. Signum Saleconis. Signum Bernardi. Data II Non. Junii.

Charta de Lu.

Notitia, quam Bernardus Belmontis, et nepos ejus defunctus, nomine Richardus, fecerunt sancto Petro Besuensis de terra quadam cumjacente in fine villulæ, quæ vocatur Lu sancti Martini : in ipsius finibus dedit mansum unum, 9 jornales habens de terra arabili cum duobus servis.

Charta de villa curte.

Quidam miles, nomine Stephanus, in gravi infirmitate decidens, adivit monasterium quod in honore principis apostolorum est consecratum, qod dicitur Besua, ibique ob remedium animæ suæ traddidit ad ipsum locum unum mansum, qui est in villa quæ Curtis dicitur, et 4 jornales de terra in campo, qui appellatur Fistiliacus, cum servo nomine Gaudio, et est de ambabus partibus terra Gislerii. Cujus cooperatores sunt filii sui, Wido, Walterius, Hugo, et uxor sua, nomine Fera, in cujus dotalitio erat ipsa terra quam reddidit ei. Et ut hæc donatio ejus nota fiat posteris, hanc charlutam fieri jussit et super altare sancti Petri possuit, testibusque roborandam traddidit. Ego Stephanus subscripsi. Sig. Widonis filii mei. Signum Walterii filii mei. Sig. Hugonis filii mei. Sig. Aymonis. Sig. Widonis. Sig. Milonis.

Item alia.

Alii vero duo milites, Adunus et Milo frater ejus, et Teburgis soror eorum, tradiderunt Deo et sancto Petro Gibergam cum infantibus suis. Et ut hæc donatio eorum nulli calumniæ pateat, in conventu publico statuerunt decretum ut nullus hæredum eorum nullam partem jure hæreditario violentiam inferat. Quod si fecerit, excommunicationis vindictam solvat. Aduinus et frater ejus firmaverunt hanc chartulam. Signum Sophiæ. Signum Teburgis. Sig. Widonis archipresbyteri. Sig. Lezelini. Sig. Hugonis præpositi et totius familiæ. Actum publice monasterio Besuensi, præsente domno Oddone abbate.

Item alia.

Similiter et Humbertus, et conjux ejus, et filii, qui injuste conabantur detinere servum sancti Petri, Fuldradum scilicet, et conjugem ejus, nomine Richeldem, et filios eorum, dimiserunt eos liberos, quatenus ad proprium dominum cœlestem clavigerum redeant.

Charta de quadam vinea.

Item Samson de Vadona et uxor ejus dederunt Deo et S. Petro unum jugerum de vinea in loco

A qui dicitur Adalechassana. Item in alio loco, ad Austivaca dicto, duo. Testes donationis hi sunt : Sylvester mon. suscepit, Grimaldus villicus, Harbertus.

Charta de Mariaco.

Doda etiam de Mariaco, consentiente viro suo, Jocero, dedit unum pratum habentem ad summum exclusam molendini ejusdem villæ, sancto Petro nec non monachis ibidem Deo servientibus. Hujus autem donationis, quam viva voce fecit, vivos testes adhibuit quorum nomina hæc sunt : Folradus, Nero, Grimaldus, Lambertus.

Charta de Icio.

Notificamus modernis et successuris quod Hildeberga, soror Ærleii sapientis clerici, delegavit sancto Petro mansum unum in villa cui nomen Icio,

B et unius diei arationem in fines ejusdem villæ ad eumdem pertinentem; eo tenore, ut in eo consistens homo, et excolens eum, cui nomen Jordanius, liber tamen, ut sensum, quod sibi reddere consueverat, monachis persolvat. Insuper etiam unam ancillam, quæ vocatur Raimburgis, solitum capitis sui duorum denatorium omni anno reddituram debitum. Testes hujus donationis sunt hi : Robertus, Widricus, Joannes Hugo.

Item alia.

Hildescendis sanctimonialis dedit sancto Petro puellam quamdam, nomine Osannam; filiam Humbertis et Retrudis.

Item alia.

C Altrudis etiam nobilissima femina, mater Aduini et Milonis, dedit sancto Petro uxorem Ulrici presbyteri Granantis-villæ, Girburgam nomine, cum infantibus suis.

Charta de Buxiaco.

Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris quod Betta uxor Hermiuini milits, cum filiis suis tradidit unum mansum pro redemptione animæ præscripti mariti sancto Petro Besuensi in villa, cui vocabulum est Buxiacus ad integrum, sicut tennit Lambertus Major, cum omnibus quæ ad ipsum mansum pertinent, tam in terris, quam in silvis et in pratis, vel in pascuis, sive in aquis. Et ut hæc donatio in perpetuum firma sit et stabilis, his subscriptis testibus firmavit. Hi sunt : Wido, Aldo, Gonterius, Otbertus.

D *Charta de Pruncethel.*

Similiter Sejuvoldus et ida conjux ejus dederunt sancto Petro Besuensis cœnobii mansum unum, cui terræ arabili 9 jugera adjacent, et pratum unum, ex quo 2 carratæ feni possunt per singulos annos colligi, in loco, qui Pruncethel vocatur. Ea videlicet ratione ut quidquid exinde facere monachi ejusdem loci voluerint, libero in omnibus potiantur arbitrio faciendi. Testes vero hujus donationis hic sunt subnotati : Albertus monachus, Odo, Rotbertus sacerdos, Dares Joannes cocus.

Charta de Vetus-vineis.

Aymo etiam de Vetus-vincis natus, frater Wido-

nis et Waroni monachi, alodum suum ipsa villa existente sancto Petro dedit, et cum filio suo Widone super altare sancti Petri posuit, et filiam suam Gortrudam laudare fecit. Signum Domini Odonis abbatis. Signum Girardi. Signm Ulrici.

Charta de Flaciaco.

Quidam archidiaconus, Ærleius nomine, canonicus sancti Mammetis, dedit sancto Petro unum mansum in villa quæ Flaciacus dicitur cum suis appenditiis pro remedio animæ fratris sui Milonis. Addidit etiam unum servum, binaque tapetia mirifici operis et enormis magnitudinis. Ne vero per succedentia tempora ab aliqua opposita persona quivisset frustrari, rogavit propinquos et circumstantes hujus donationis chartam manu propria testimonioque firmare. Signum Ærleii. Signum Odonis. Signum Joonnis prioris. Signum Widonis decani.

Charta de Dalaima.

Notum facimus præsentibus et futuris quod Hugo summæ probitatis canonicus, ædificator monasterii sanctæ MARIÆ Lagonniacensis, dedit sancto Petro suam partem de omni alodo patris sui apud Dalaimam villam situm, laudantibus fratribus suis et nepotibus. Signum Hugonis. Sig. Ottonis. Sig. Radaldi. Sig. Petri.

Charta de Luco.

Notificamus quibusque modernis et successuris quod quædam mulier nomine Helisabeth filia Willerii, ex Campaais villa nuperrima viri sui Ozillini morte destituta, adierit Besuense monestarium, tradideritque sancto Petro unum mansum in villa quæ vocabulum est Luco, congruum valde et opportunum cum suis appenditiis. Signum Helisabeth. Signum Eizilinæ matris ejus. Signum Hugonis et Radalonis fratrum ejus monachorum.

Charta de Blaniaco.

Manifestum iri cupimus quod quidam nomine Rainardus, ex villa Varona natus, concessit sancto Petro alodum quod ipse dudum in Blaniaco villa comparaverat, pro abolitione suorum criminum. Cujus donationem eleemosynæ fratres ipsius, Sewinus clericus et Albericus, benigne annuentes. feretro impositum corpus ejus deducentes ad monasterium, firmiter stabilierunt et ad altare vice ipsius, sancto et fratribus delegaverunt et subnixis testimoniis coram omnibus roboraverunt. Signum Sewini. Signum Alberici. Sig. Vilrici militis.

Charta de Busciaco, Lujato, Luco.

Scripto etiam volumus digerere quod Helizabet, quæ etiam Liezilina cognominata est, mater Hugonis monachi, dederit sancto Petro in villa Busciaco dicta unum mansum eum colonica sua, et cæteros mansos ad ipsum pertinentes, cum bolonicis suis, et omnibus appenditiis suis, in campis, in silvis, in pratis, in aquis, in aquarum decursibus, in piscatoriis, sive in eadem villa, sive in aliis eidem adjacentibus, id est, Lujato, Luco, Dalaima, vel ubi- A cumque ipsa terra conjacet, in integro, cum consensu filiorum suorum atque fratrum su rum, tradidit Deo et sancto Petro ie præsentia universorum monachorum. Signum Hugonis monachi filii ejus, Richardi filii ejus, Bernardi fratris ejus.

Charta de duabus præbendis Sancti Gensulfi.

Henricus igitur rex Francorum cum jam morbo et senectute premeretur, Philippum filium suum congregatis Francoram primoribus, cunctorum consilio, consortem sibi totius regni constituit, impositoque, capiti ejus diademale, regem jussit appellari.

Anno autem primo regni ejus (1060), domnus Arduinus Lingonensis episcopus, pro solo orationum præmio dedit sancto ac Besuensi congregatio- B ni, laudantibus cunctis canonicis, duas præbendas, quantum accipitur a duobus canonicis, sicut hic demonstrabimus.

Priscorum felix solertia hoc salutiferum remedium providere studuit succedentibus sibi, ut quod non poterant tempora meantia mandare posteris, allegarent apicibus, auctoritate fultis illius principis, sub cujus præsentia firmatio foret cum scriptione chartis, aut impressione sigilli. Quod et nos providentes, ecclesiæ nostræ filiis et sancti Mammetis sacræ concioni fore commodi, qnaliter unanimes sint effecti, litteris adnotamus juxta tenorem utriusque partis.

Largitione itaque famosi Hugonis præsulis Lingonensis, ecclesiæ Besuensi attributa est ecclesia san- C cti Gengulfi, pariterque stipendium quod consequebatur is qui famulabatur in loco deserviens liminaribus sacris.

Non hæc solummodo venerabilis episcopus contradidit, quæ prædeximus, verum etiam villam, quæ vocatur Baunus, jure perpetuo concessit. Quod postea quidam indigne ferentes, exempto rebus humanis, antequam venerabilis Arduinus decoraretur sede pontificali, auxilio fulti Girardi præpositi sua procurantes, non quæ Jesu Christi, redegerunt in potestatem, ut possessum fuerat prius ab eis. Quod venerabilis Arduinus infula pontificali jam insignitus ut cognovit, compati cœpit, pietateque qua affluebat, universam congregationem rogare cœpit, ut qui villam abstulerant, quam prædecessor contulerat, saltem misererentur Deo servientibus inibi, D et aliquam rem providerent, ex quo sustentari possent ecclesiæ alumni. Exegit denique ab e.s in præsentia Alberonis abbatis Divionensis, laudantibus cunctis canonicis, ut bis edentibus supradictis canonicis quantum percipiebatur a duobus ex illis, tantum susciperent et ipsi monachi, videlicet mane et sero, etsi semel cibum sumpserint, eodem modo, quo et supra quantitas tribuatur panis et vini, ut accipitur a duobus canonicis.

Quia vero pecunia tunc defuit, qua debebatur consuetudinaria lege cibus præberi universis ecclesiæ filiis, conditione usi sunt tali ratumque visum est cunctis ut susciperent societatem, quæ offerebatur

illis pro commutatione cibi:eo tenore, ut si aliquis nuntiaretur exuisse hominem, taliter celebraretur dies depositionis a monachis, sicut consueverunt pro cunctis congregationibus sibi conjunctis;insuper et nomina eorum inscriberentur cum nominibus fratrum,quo agnosci possset dies eorum anniversarii et celebrari a cunctis.Et ut hæc quæ diximus firmius teneantur,a nostris eadem et ipsi laudavere agere pro nostris.

Ne quando ergo aboleatur in succedentibus schedis quæ conscripsimus,præsente viro venerabili Arduino episcopo hujus sanctæ sedis,subtus adnotamus ejusdem jussione præsulis nomina vivorum, qui interfuerunt, conditione tali. Sign. ejusdem Arduini episcopi. Sign. Willenci archidiaconi. Sig. Rainardi, qui cognominatus est Hugo S. Rogeri thesaurarii. Sig. Ewardi decani. Sig. Ærlei archid. Sig. Girardi archidiac. Sig. Warneri. S. Gybuini Sig. Hildegari. Sig. Milonis de sancto Lupo. Sign. Emmarrici.Signum insuper omnium canonicorum, qui unanimiter laudaverunt in capitulo.Actum Lingonis, anno Incarnationis Domini 1059, Ind. XII, Epacta IV.Quicunque autem hoc violare præsumpserint,vel aliquid abstulerint sancto Petro, rectoribusque Besuensis cœnobii contraire conati fuerint, auctoritate omnipotentis Dei,Patris,et Filii, et Spiritus sancti, beati quoque Petri, omniumque sanctorum,et nostra sint excommunicati,anathematizati,et a sorte justorum expulsi,et æternaliter,nisi digne satisfaciendo emendaverint,damnati.Signum Oddonis abbatis et omnium monachorum ipsius. cœnobii.

Charta de villa Coriaut.

Notum sit omnibus præsentibus et futuris quod Berno, villicus Janlint villæ, quoddam alodum juris sui,quod jacet in villa Coriaut dicta, ea conditione dedit S. Petro, et propria manu super altare misit, ut ipsius alodi usurium fructum retineret tempore vitæ suæ:post discessum vero vitæ suæ ad locum sancti Petri rediret cum omni integritate. Hujus donationis, quam viva voce fecit, vivos testes adhibuit ; quorum nomina hæc sunt : Odilo præpositus, Rodulfus, Bado, Aldo, Ewardus.

Charta de vinea, quæ es in Briscona.

Albordis matrona pro remedio animæ quondam senioris sui, nomine Eremberti,consentiente fratre ejus Ozelino nomine,tradidit sancto Petro Besuensis cœnobii vineam, quæ appellatur Clausmors, in villa, quæ Briscona vocatur.

Charta de Vetus-vineis.

Item Alburgis filia Willenci fratris Hugonis senioris castri Belmontis,quidquid in villa Vetus-vineas habebat in pratis,campis, silvis, pariterque servos Widonem, Theodericum, Bilinamque sororem eorum, tresque alias ancillas, Heldegardam, Evizaidam et Teodradam sancto Petro dedit perpetualiter possidendas.Sig.Pontii senioris ejus. Widonis militis. Walterii militis.

A *Charta de Moringis.*

Adnotandum credimus futuris quod Willencus dedit Deo et sancto Petro 2 mansos in Moringis vico cum omnibus appenditiis suis, et servum nomine Ulricum cum uxore et infantibus suis.Et ut hæc donatio perpetuam firmitatem obtineat, signatorum nomina subtus demonstrat scheda. Sign.Pontii filii ejus, Fulconis, Odilonis, Bernonis clerici.

Charta de Condilico.

Notificamus modernis quibusque et futuris quod Helvindis quædam matrona dederit sancto Petro pro Walterio marito suo, qui vocabatur Albus, unum mansum apud Condiliacum, et servum nomine Erimbertum. Signum Gisleberti,Hugonis,Willerii, Mauricii filii ejusdem dominæ.

B *Charta de Vaunna.*

Eadem videlicet Helvidis tradidit post primam donationem sancto Petro unum mansum apud Vaunnam pro ipso Mauricio filio suo, quem ex præfato Walterio habuerat.Qui scilicet mansus ita liber est ab omni consuetudine alicujus hominis ut non dux vel ministeriales sui in eo aliquid requirere possint, ab aliorum etiam principum vel hominum exactione omnino extraneus sit.Dedit quoque servum nomine Richardum. S. Haymonis filii ejus, Gisleberti.

Charta de Creponensi villa.

Volumus quosque præsentes et futuros scire quod Rainaldus de Autriaco delegaverit sancto Petro unum mansum apud Creponensem vicum cum omnibus appenditiis suis,qui debet ministeriali Fontanæ potestatis, singulis annis, unum denarium, si tamen homo in ipso manens silvam ipsius potestatis frequentaverit. Sig. Rainardi, Odilonis, Odonis. C

Charta de Fontanellis.

Ejusdem Rainaldi consilio et exemplo provocatus quidam sobrinus ejus Oddo,qui appellabatur Gibbosus,dedit et ipse sancto Petro quidquid alodi in vico Fontanellas vocitato habebat.Signum Oddonis,Odilonis, Rainardi.

Charta de Buciaco vico.

Clarum esse cupimus omnibus quod Arlebaldus et Odo fratres concesserunt sancto Petro unum campum quindecim jugerum in Buciaco vico. Signum Domini Odonis abbatis,Moroni,Benedicti.

Charta de Flaciaco.

D Manifestum iri optamus tam præsentibus quam futuris quod Odilina,mater Pontii de Besoeta, attribuit sancto Petro unum mansum in Flaciaco. Signum Pontii, Hugonis præpositi, Joannis.

Charta de Lisciaco.

Patere voluimus cunctis præsentibus et futuris quod Wido de Lisciaco dedit sancto Petro apud eumdem vicum Lisciacum,unum mansum cum omnibus appenditiis suis. Dedit etiam sedem molini, ubi ipse molinus construeretur,cum uno servo, nomine Drogone ; reddidit quoque servum quem ante pro fratre suo Anserico dederat, cui nomen Odo. Signum Odilonis, Anserici, Hugonis præpositi.

Charta de Moringis.

Cognitio, quod Aduinus tradidit sancto Petro pro Milone fratre suo, qui vocabatur Albus, quamdam partem alodi quem habebat in vico, Moringas nominato ; eo tenore,ut post excessum suum alia pars in dominicatum monachorum deveniret. Dedit quoque servum, nomine Ærbertum .Nec non ante donaverat pro matre sua,Altrudi nominata,uxorem Ultrici presbyteri Granantis villæ,cum omnibus infantibus suis.Signum Aduini, Henrici filii ejus, Æremberti.

Charta de Domno Apro.

Notum iri volumus omnibus quod Hugo Lanfredi curtis concessit sancto Petro unum mansum in villa quæ vocatur ad Domnum Aprum,propter ecclesiam quæ in eadem villa constructa est in honore sancti Apri. Dedit quoque servum in eo manentem cum uxore et infantibus suis. Sign. Landrici filii ejus, Hugonis filii ejus, Odonis.

Charta de Arciaco villa.

Tradimus litteris ad posterorum memoriam quod Odo clericus de Gimellis concessit sancto Petro unam villam in Arciaco villa,pro Dodone fratre suo. Signum Odonis, Bernardi, Beraldi.

Charta de Beria.

Apertum esse desideramus omnibus secuturis quod Aduinis de Beria tradit sancto Petro unum mansum apud eamdem Beriæ villam cum omnibus appenditiis suis,et unum servum nomine Algrinum. Sign. Walonis, Warnerii, Milonis.

Item alia.

Scire volumus quosque tam modernos quam futuros quod Walo concessit sancto Petro unum mansum in Beria cum appenditiis suis, et unum servum nomine Hugonem de Vado, cum uxore et infantibus suis.Signum Aldonis,cujus nomen Rusticellus, Milonis, Maioli,cognomento Mazilinus.

Charta de Nogdanti Villa.

Omnibus cognitum iri cupimus quod Hildelerius delegavit sancto Petro pro filio suo Widone, apud sanctum Julianum a balistrario occiso,unum mansum in Nogdanti villa cum appenditiis suis et consuetudinibus : pariterque duas ancillas quæ erant sorores. Signum Odonis, Walterii, Bernardi, Beraldi.

Charta de Albiniaco villa.

Idem quoque Hildelerius concessit sancto Petro in villa Albiniacensi,quæ est in comitatu Divionensi,pro uxore sua,duos mansos cum appenditiis suis, in terris, campis, pratis, silvis, pascuis. Signum Odonis, Walterii.

Charta de Pinriaco.

Clarescere volumus cunctis quod Milo de Bellomonte concessit sancto Petro pro uxore sua unum mansum in Pinriaco viro cum appenditiis suis, et unum servum nomine Ewardum cum sorore sua. Signum Milonis, Fulconis, Odilonis.

Charta de Campanis villa.

Hoc etiam ad monimentum futurorum pandere volumus quod Gislebertus de Rescia concessit sancto Petro pro uxore sua unum mansum in Campanis villa cum omnibus appenditiis suis simulque servum nomine Lotzelmum. Signum Frodonis, Widrici.

Item alia.

Cunctorum notitiæ patere volumus quod Odo Montis-Salionis senior dedit sancto Petro pro Hugone fratre suo unum mansum in eadem Campanis villa cum appenditiis suis, pariterque servum nomine Lozuinum. Signum Pontii, Hugonis, Arlebaldi.

Charta de Genciniaco.

Manifestare justum duximus quod Walo de Scuviliaco dedit sancto Petro prædecessoribus suis unum mansum cum appenditiis suis, in Genciniaco villa, et servum nomine Isembardum, cum sorore sua. Signum D. Odonis abbatis. Moroni, Benedicti.

Charta de Nogdanti.

Operæ pretium duximus litteris tradere quod Hilderius, quem præfati sumus,dedit sancto Petro pro filia sua,uxore scilicet Odonis qui dicebatur Vetulus, unum mansum in villa prænominata Nogdanti,cum una ancilla.Signum Odonis, Bernardi, Beraldi, Walterii,

Charta de Vaura.

Pandi volumus modernis et futuris quod Hugo Rufus tradidit sancto Petro pro Humberto patre suo,filo Hildebranni,duos mansos cum appenditiis suis,in villa quæ dicitur Vaura,cum servo. Signum maldi,Theoderici, Bernardi, Beraldi,

Item alia.

Hoc quoque incausto diplomati inscri volumus quod pro Viserio milite delegaverit uxor sua sancto Petro,in præscrioto vico Vaura,unum mansum cum apprenditiis suis. Signum Milonis, Rotberti presbyteri, Hugonis præpositi.

Charta de Curte Salonis.

Censemus apicibus notificandum præsentibus et futuris quod Rotbertus Montis Salionis miles,frater Widonis Magni,concesserit,sancto Petro,ad exitum veniens et monachicum indumentum capiens,unum mansum in vico Curtis Salonis,in parochia Ruciacensis villæ amplissimum, cum uno servo, nomine Alberico. Signum Widonis fratris ejus. Odonis senioris montis Salionis. Hugonis fratris ejus. Item Hugonis Lanfredi curtis.

Charta de Verona villa.

Cunctorum notitiæ patere cupimus quod Milo Balbus,Tilensis castri miles,delegaverit sancto Petro unum mansum in Verona villa pro uxore sua, cum appenditiis suis. Signum Formaldi, Aldonis privigni ipsius Milonis.

Charta de Luco.

Isdem quoque Milo cum Odone Divionensi præposito,qui neptem ejus in conjugio habebat, mononachi certaturus pugna ottribuit sancto Petro terram quam habebat in Luco prope atrium ecclesiæ,

quo sibi adjutor in disposito bello existeret. Signum A Lamberti, Odonis, Formaldi.

Item alia.

Omnium cognitioni clarum esse volumus quod Pontius de Besœta pro violentia quam irrogavit asylis sancti Petri, adita violando, quando quemdam Harduinum inde abstraxit, dederit ipsi sancto unum mansum amplissimum cum appenditiis suis, in Luco. Signum domini Odonis abbatis, Moroni, Benedicti.

Item alia.

Hoc etiam de eo grammis allegare congruum duximus quia pro multis tortitudinibus, sceleribus, sive deprædationibus, in loco sancto, vel in pauperibus ejusdem loci, ab eo commissis quodammodo pœnitens, delegaverit sancto Petro alium mansum B in eadem villa cum appenditiis suis, et unum servum nomine Josbertum, qui etiam Babilinus appellabatur. Signum domni Odonis abbatis, Moroni, Benedicti.

Charta de Villari vico.

Congruum ducimus litteris notificare omnibus quod Hugo præpositus pro uxore sua concesserit sancto Petro unum mansum in vico, Villari nominato, prope Gradicum castellum ; et unum servum vocabulo Lambertum. Signum domni Odonis abbatis. Sign. Benedicti, Tetbaldi.

Charta de Auxiliaco.

Necessarium remur pro utilitate sequentium scripturæ tradere quod Willerius de Criciaco dederit sancto Petro unum mansum in villa Auxiliacensi C cum appenditiis suis, et servum nomine Humbertum. Signum domni Odonis abbatis, Benedicti Girardi leviri ejus, Humberti, exactoris cauponum.

Charta de Bettonis-Curtis.

Notum esse volumus præsentibus et futuris quod Hagano de Vissiaco veniens ad mortem dedit sancto Petro, pro redemptione animæ suæ, unum mansum apud villam Bettonis-Curtis et unum servum, nomine Dominicum, cum uxore sua et filiabus. Et ut hæc charta perpetuam firmitatem obtineat, nomina testium subter adscribi rogavit. Sign. Gisleberti, Hugonis, Willerii, Rotberti.

Charta de Rainaldi Curte.

Quidam miles Humbertus, in extremo vitæ constitutus, pro remissione peccatorum suorum dedit D sancto Petro apud Marceacum-villam dimidium mansum, jam pridem a fratre suo Girardo alterius medietatis donatione facta ipsi sancto Petro. Tradidit etiam servum nomine Constantium cum uxore et infantibus suis : pariter etiam unum apud Rainaldi-Curtem, in quo habitabat David, cum omnibus appenditiis suis, in campis, in pratis, in silvis, in aquarum decursibus. Piscatoriam etiam prædicti Constantii, sicut vivente eo tenuerat, attribuit monachis loci. Et ut hæc donatio obtineat firmitatem vigoris perpetui, litteris solemniter adnotavit. Sign. Girardi fratris ejus, Odonis, Hugonis, et Adelaidis uxoris ipsius Humberti.

Charta de S. Sequano.

Scire volumus quosque futuros quod Raimodis quædam matrona spectabilis, ad exitum veniens et multæ quantitatis pecuniam diversarum specierum sancto Petro relinquens, dimidiam coloniam apud sanctum Sequanum Helpricurtis dedit cum una ancilla. Ne vero per succedentia tempora hanc eleemosynam ulla oblivio valeat delere, membranis deprecata est ad confirmationem tradere. Sign. Hugonis filii ejus. Gertrudis filiæ ejus. Reginæ filiæ ejus. Landrici generi ejus.

Charta de Picangiis.

Notum iri volumus omnibus præsentibus et futuris quod hac spe animatus Hugo, qui pro salvamento Grilliacensis villæ salvator dicebatur, pro anima sua et filii sui Widonis dudum interfecti, dedit sancto Petro 7 mansos apud Picangias villam, et servum nomine Halinardum conductorem suum, ancillamque, nomine Addetam, cum filio vocabulo Giraldo, et sorore ipsius. Signum Hugonis, Formaldi, Halinardi, Odonis filii ipsius Hugonis.

Charta de Ewaldi Curte.

Notum esse volumus præsentibus et futuris quod Rismodis uxor Otberti, ad exitum veniens et divina inspiratione tacta, dedit sancto Petro apud Ewaldi-Curtem unum mansum cum servo, nomine Haymone, in eo habitante, et uxorem ejus et infantes: et in villa quæ Fontanas dicitur, proxima Vilecastro, unum mansum cum uno cliente, qui Christianus dicitur. Signum Otberti, Humberti filii ejus, Aldonis filii ejus.

Charta de Vetus-vineis.

Notum iri volumus tam præsentibus quam futuris quod Henricus, pro fratre suo Ulrico, dedit sancto Petro dimidium mansum apud Vetus-vineas, et servum ejus. nomine Giraldum cum uxore sua ; eo tenore, ut quos ex hoc tempore genuerint infantes, in servitium monachorum cedant. Signum Henrici, Humberti Rufi.

Charta de Icio.

Patere velumus modernis et successuris quod Odo, qui dicebatur Vetulus, ad extrema perductus tradidit sancto Petro in villa Icio unum mansum et 3 jugera terræ in finibus ejusdem villæ cum uno servo, nomine Erberto, et filium ejus cum eo. Signum Formaldi, Walterii, Bernardi.

Charta de Icio et Verona.

Cognitum esse optamus omnibus quod Wido de Fossato delegavit sancto Petro, pro fratre suo Aldone pincerna, duos mansos, unum in villa Icio, alterum in villa Verona, cum uno servo, nomine Aldone. Signum Widonis, Amalrici, Aldonis.

Charta de S. Sequano.

Notitia quomodo quidam miles, nomine Wido, pro remissione peccatorum suorum apud sanctum Sequanum Helpricurtis attribuit sancto Petro mansum unum, et unum curtile in ipsa villa, et quartam partem Tachiriacensis silvæ, et unam ancillam, nomine Annam, cum duabus filiabus suis. Sign. Pontii, Widrici, Belini.

Charta de Pauliaco.

Omnibus præsenti vita vigentibus et futura servitutis manifestum esse volumus quod Formaldus de Icio dederit sancto Petro pro anima uxoris suæ, quæ fuit soror Willenci, mansum unum apud Pauliacum, sub testimonio utrorumque parentum. Signum Formaldi, Bernardi, Beraldi.

Item alia.

Quia labilis est hujus vitæ status, notum iri volumusmortalibus quod quædam matrona uxor Hildemodi, Emma nomine, tradidit sancto Petro unum mansum apud Pauliacum, cum una cortina sub testimonio præsentium fratrum. Sign. Widonis, Æremberti, Anselmi.

Charta de Lalandi curte.

Quidam etiam miles. Lambertus nomine, vitricus Wilenci, pro remedio animæ suæ, concessit sancto Petro unum mansum apud Lalandicurte. Signum Willenci privigni, Formaldi, Pontii.

Charta de Saviniaco.

Scire quosque volumus quod Wido de Porta, ad exitum veniens, concesserit sancto Petro duos mansos; unum in Saviniaco, alterum in Granciaco in regione Divionensi, et unum servum nomine Tedonem, habitantem in villa Verona. Sig. Tetbaldi, Widonis, Humberti.

Charta de Arciaco.

Manifestum iri volumus omnibus quod Te.baldus, filius ipsius Widonis, tradiderit sancto Petro unum mansum in Arciaco villa, et unum servum nomine Mauricium, sororemque ejus, quam Ewardus recalvester de Acetis villa in conjugium habebat. Signum Widonis fratris ejus, Humberti, Gunzonis.

Charta de Auxiliaco.

Pandi volumus quibuscunque quod pro Moranno uxor ejus et filius dederunt sancto Petro unum mansum apud Auxiliacum, simulque servum, nomine Waldricum. Sig. uxoris ejus, Joffredi filii ejus, Henrici.

Charta de Ponto.

Cognitio, quod Wido frater Moranni delegaverit sancto Petro unum mansum in Auxiliaco, et alium in villa, quæ dicitur Pontus, beneficium quod a monachis tenebat reddiderit et manu miserit. Sig. Widonis, domni Odonis abbatis, Moroni, Benedicti.

Charta de Calmis.

Manifestum esse volumus omnibus præsentibus et futuris quod Mainfredus, pro Mauricio filio suo, dederit sancto Petro duos mansos apud Auxiliacum, et quidquid alodi in villa Calmis, quæ propinqua est Miribello castello, habebat, concessit. Signum Mainfredi, Leutbranni filii ejus, Arlebaldi.

Charta de Ponto.

Isdem quoque Mainfredus, pro uxore sua priori, quæ fuit soror Tethaldi abbatis, dedit ipsi sancto Petro unum mansum in villa Ponto. Signum Mainfredi, Mauricii, Leutbranni.

Item alia.

Apud Cruciacum etiam dedit pro secunda uxore quidquid alodi ex ejus partein eadem villa tenebat; laudantibus fratribus ejusdem dominæ. Signum Mainfredi, Theoderici, Widonis.

Charta de vico Chimiscensi.

Scire volumus quosque quod Odo et Hugo tradiderint sancto Petro, pro fratre suo Widone interfecto, unum mansum cum appenditiis suis, in vico Chimiscensi, cum una ancilla nomine Helgardi. Sig. Odonis, Hugonis, Milonis.

Charta de Wandaleni-curtis.

Universorum notitiæ cupimus patere quod Hildemodus delegaverit sancto Petro omnem alodum quem habebat in vico Wandaleni curtis, qui est in potestate Hortesis, cum uno servo nomine Theoderico, sub censu pretii duorum denariorum ceræ. Sig. Odonis, Pontii, Hugonis.

Charta de Nogdanti villa.

Limitis vitæ velocitas cogit ut memoranda quæque grammis chartarum imprimantur, ne longitudine temporum intercurrente a memoria hominum deleantur. Quapropter notificare omnibus optamus quod Arlebaldus Montis Salionis miles tradidit sancto Petro unum mansum in villa Nogdanti, cum uno servo. Signum Odonis, Hugonis, Pontii.

Charta de Villari vico.

Omnium noverit industria quod Aymo, qui erat glabrio, concesserit sancto Petro mansum unum in vico, Villari vocabulo cum uno servo nomine Raimbaldo. Signum Henrici, Odonis, Widonis.

Charta de Auxiliaco.

Hoc etiam simili modo intimare curavimus quod Joffredus dederit sancto Petro in villa Auxiliacensi 10 jugera terræ. Sig. Oddonis, Henrici, Willerii.

De obitu Arduini episcopi. — Rainardus Arduino episcopo successit. Et Odoni abbas Wido, et huic Gausbertus.

Defuncto autem venerabili Arduino episcopo, Raynardus adeptus est cathedram. Obeunte itidem Odone abbate, successit in locum ejus Wido, ex monasterio Areomarensi monachus. Hic paucis annis in regimine peractis repedavit ad suum monasterium, dimissa hujus loci gubernatione; cui successit ad regimen animarum Gausbertus, in monasterio sancti Benigni Divionensis prioris gerens officium.

Charta de ecclesia S. Remigii.

In nomine sanctæ Trinitatis et unicæ Deitatis. Noverit omnis sæculorum tam præsentium, quam futurorum successio, quod domnus Rainardus Lingonensis episcopus petente abbate Gausberto, et ejusdem luci monachis, fecerit liberam sancti Remigii ecclesiam ab omnibus consuetudinibus quæ in polyptycho continentur paratas, sive debitum, quod in synodo debebat presbyter, remittens; ita tamen, ut presbyter quidem ad synodum consuetudinaliter cum cæteris pergat, censum vero alium

nullum persolvat. Quod ut immobile purseveraret, jam dictus pontifex exemplar hujus subscriptionis firmitatisque fieri jussit, ne quisquam suorum successorum hanc donationem evacuare præsumeret interminationem damnationis perpetuæ ab omnipotente Deo substituens, qui huic notioni infracturum tentaverit inferre. Actum Lingonis in plenaria synodo, anno ab Incarnatione Domini 1080, Indictione III. Signum Rainardi episcopi qui hanc notitiam fieri jussit. Totius sui synodalis conventus archidiaconorum suorum, seu decanorum. Signum Girardi archidiaconi. Ærleii archidiaconi. Walterii decani. Hugonis de Butgiaco canonici.

Item alia.

Idem etiam episcopus reclamabat quemdam hominem vocabulo Rotbertum de Gurziaco, cum uxore sua et unica filia, pariterque ipsius filiæ infantes, quos ex Lamberto servo sancti Petri habebat; sed acceptis centum solidis, quidquid ei eis rectitudinis sibi habere videbantur, fratribus concessit, et ex suo jure in eorum dominicatum transfudit. Sig. Walterii, Rainerii, Richardi, Gisleberti, Aymonis.

Charta de ecclesia S. Valeriani et villa.

« Constat omnes perfectionis summam volentes arripere, Dominici præcepti regulam mentis oculis anteponere, quo suum quemque pro ipso sua distrahere et pauperibus mandat devote distribuere. Quia talium justitia per cuncta manebit sæculorum volumina, et cornu ipsorum, id est, remuneratio certaminis eorum cœlesti exaltabitur in gloria, cum ad cœlestes thesauros translata terrena patrimonia, dantibus proderunt in perenni vita. Hac ergo spei fiducia confortatus ego Pontius castelli Bellijoci dominus, Redemptori omnium volo tradere de meis rebus, quæ mihi jure hæreditario relictæ sunt a parentibus. Do itaque Deo et sancto Petro Besuensi capellam constructam in honore sancti Valeriani cum honore et libere sicut hactenus visus sum habere, fratre meo Eromuino laudante, cum vinea; et campum usque ad petrosam et usque ad fontem, et quidquid de sylva, quæ est juxta vineam, monachi vel homines illorum ad culturam agri poterunt trahere. Nec non etiam de illa sylva, quæ inter ecclesiam et Sagonnam flumen est, quidquid ad usum prati ipsi et homines eorum voluerint acquirere.

« Concedo etiam mercatum cum omni libertate, et omnes consuetudines quas ego et frater meus videbamur habere; aliamque consuetudinem pastionis quam nos et homines nostri in cunctis silvis, quæ in circuitu castelli Bellijoci sunt, habent, monachi et homines illorum similiter habeant, ita ut homines illorum nostræ partis pastionaticum ipsis monachis solvant, et materiam ædificandi domos ipsis, et hominibus eorum qui illic voluerint remanere, concedimus ex sylvis nostris sine pretio; et inventionem venationis, sive apum, quæ nostræ partis est, et quam homines illorum invenerint, monachis concedimus, et totius culturæ terræ, quam eis damus, decimas et tertias monachi habeant, ut ubicunque carruca illorum cujuscunque hominis terram infra parochiam exercuerit, damus eis decimas.

« De latrocinio vero, vel qualicunque proclamatione ex delicto in ipsa terra commisso, monachis concedimus legem, et errantem et vetitum legaliter habeant, et nullius districtione judicabitur deprehensus nisi judicio monachi.

« Si autem homo monachorum delictum commiserit, nullius violentia constringetur, antequam proclamatio ad monachos facta fuerit; et si monachi rectitudinem exsecuti non fuerint, ad abbatem prius ipsa proclamatio referatur. Actum publice Bellojoco, vigilia Ascensionis Domini. Anno ab Incarnatione Domini 1083, Hugone ex notario archiepiscopatum Bisonticensis ecclesiæ gubernante, Philippo Francorum rege existente. Oddone ducatum Burgundiæ regente, Rotberto fratre ejus Lingonensis ecclesiæ præsulatum moderante, Willelmo comite in rebus prospere agente, Gausberto Besuensis abbatiæ moderamina providente. Sig. Pontii, Hermumi, Herluini, Walterii vice comitis, Heurelmi, et Pontii alterius. »

Charta de Salvamento Neronti-villæ.

Notum esse volumus præsentibus et futuris quod Fulco et Joffredus filius ejus, salvamentum sive commendationem, quam in Nerontis-villa accipiebant, proclamatione facta a fratribus, apud ducem Hugonem et comitem Willelmum in generali placito ipsis præsentibus Besuæ et cæteris quibusque nobilibus viris instantibus, sancto Petro et monachis eo tenore dimiserint, ut quidquid sibi juste præteritis temporibus monachi poterant in causa violentiæ et tortitudinis, præter fundum terræ et caput hominis ullo modo amputare, id totum remitteretur, et prædictæ villæ habitatores a suprascripta calumnia et omnibus injuriis vel tortitudinibus perpetuo liberi manerent. Quæ remissio ut perpetuæ firmitatis obtineret vigorem, et nullus de eorum hæredibus, ullo modo supradictam violentiam posset repetere, rogaverunt eam annotari litteris, et ad futurorum memoriam arctius retinendam, signatorum vel testium nominibus confirmari. Sig. Hugonis ducis. Willelmi comitis. Widonis comitis Matisconensis. Girardi Fontis-vennæ. Widonis Wangionis Rivi. Pontii Glanæ. Aldonis Tilecastri, Sewini, Wldenaii. Gisleberti. Actum publice Besuæ in publico conventu, anno ab Incarnatione Domini 1076, indict. XIV, imperante Philippo Francorum rege, Hugone duce præsente, et Willelmo comite Burgundiæ, II Kal. Junii die Martis.

Igitur postquam Rainardus episcopus hujus diei lucem clausit, vitæ præsentis finem faciens, secundum quod scriptum est: *Plures facti sunt sacerdotes, eo quod morte prohiberentur permanere* (*Heb.* VII. 23): necessarium fuit loco ipsius alium substituere. Et quoniam ipse Rainardus satis clare et gloriose Lingonensem rexerat sedem, omnium quotquot eum pastorem habuerant animos in desiderium et æmu-

lationem hanc accenderat, ut Deo favente, imo Deo donante talis sibi constitueretur pastor, qui domini Rainardi, sicut successor, ita foret etiam imitator. Quid plura?

Domnus Rotbertus eligitur, satis et ipse clarus in omnibus, ex Francorum regum prosapia editus, frater autem ducis Odonis cognomento Borel. Fuit statura non nimium longus, nec tamen brevi, sed medie temperata. Et quamvis geminæ scientiæ eloquentia floreret, verba ejus rarissima, nisi forent necessaria. Ut ergo dignum erat, communi voto tam cleri, quam populi, Rotbertus eligitur, et pontificali decoratus infula, ecclesiæ Lingonensi pontifex præficitur.

Ingrati videremur si eorum quæ huic ecclesiæ contulit beneficiorum immemores, silentio contegi pateremur. Primo itaque dicamus qualiter ipse capellam castri, qui Fons Vennæ dicitur, Deo et sancto Petro ecclesiæ Besuensis contradidit.

Charta capellæ de Fontvenz.

Quoniam genus humanum carnis mole corruptibili præoccupatum, labilis ac defectuosæ memoriæ contraxit vitium, bene visum est prædecessoribus nostris ut quidquid ratum et insolubile teneri vellent, fideli litterarum custodiæ commendarent. Nos igitur eadem usi ratione, ea quæ subtitulantur, ne quandoque delerentur oblivione, retinere studuimus litterarum traditione. Ego itaque Rotbertus Lingonensis episcopus, Humberto de Fontvenz Lingonensis ecclesiæ casato, pro servitio ejusdem ecclesiæ interfecto, capellam prænominati castri ecclesiæ Besuensi, in cujus cœmeterio eum sepelivimus, laude et consilio conjugis suæ, fratrumque suorum ejusdem castri omnium casatorum, perpetualiter tenendam concedimus; quatenus, per interventionem beati Petri apostolorum principis et orationes monachorum ibi Deo servientium, suorum obtinere valeat veniam delictorum. Ita etiam hoc donum Lingonis in plenaria synodo tenendum dijudicamus ut si quis clericus, vel laicus, de beneficiis ad capellam præmissam pertinentibus præter voluntatem monachorum Besuensium aliquid facere præsumat, ordinis sui periculo, si clericus sit, si laicus, excommunicationi, donec resipuerit, subjaceat. Hujus dationis testes sunt: Willelmus comes Burgundiorum, Rainaldus filius ejus, Humbertus Rufus et frater ejus Wido: Wido Rufus, et cæteri casati. Facta sunt hæc regnante Philippo, episcopante Rotberto, Stephano dictante cancellario.

Jobertus abbas Besuensis. — In illo tempore huic cœnobio præerat dom. Josbertus abbas, vir totius simplicitatis et religionis; sed quia in Ecclesia Dei alii sunt muri ædificati cum propugnaculis, alii ostium compinctum tabulis cedrinis, hic vir, quia non poterat sicut murus expugnare domus Dei inimicos, exterius existentibus innumeris raptoribus, interius periculis in falsis fratribus, erat tamen ad aperiendum et claudendum ostium compinctum tabulis cedrinis, quia habebat os ad loquendum et tacendum, defloratum diversorum excelsorum et imputribilium Patrum sententiis. Prospiciens igitur animæ suæ bonum esse in superni inspectoris oculis habitare secum, optimam partem elegit, quæ non auferetur ab eo. Cluniacum namque expetiit, et ibi reliquum vitæ suæ exegit, pacem quærens, et pacem inveniens, ei qui pax est angelorum et hominum Christo consociatus, Amen.

De cella S. Eugendi. — Interea dom. Rotbertus præfatus Lingonensium episcopus, bene sollicitus, animo volvebat quem huic ecclesiæ loco dom. Josberti abbatem substitueret. Vertebat circumquaque cordis oculum, quærens cui committeret hujus ecclesiæ baculum. Nec passus est eum Deus pro voto defraudari, sed nec in quærendo longius fatigari. Est namque cella S. Eugendi, non multum distans ab urbe Lingonensi, in eodem episcopio, in comitatu vero Tercassino, ecclesia in honore B. Stephani protomartyris dedicata, in eminenti quodam monte, qui Barrus dicitur, decentissime fundata. Factum est autem ut hic inveniretur, quod quærendum diu longeque fuerat, ut haberetur. Præerat namque illi loco domnus Stephanus, quamvis ætate non multum maturus, pietate tamen et religione circumfultus, in Dei timore et amore, et secundum Apostolum, in charitate radicatus et fundatus.

De Domno abbate Stephano.

Stephanus abbas nobili ortus genere. Ejus acta percurruntur. — Videtur haud incongruum lineam generis ipsius paululum attingere, quoniam solet plerumque nobilitas et sibi ad conservandam humilitatem, et ecclesiis Dei ad resistendum raptoribus plurimum prodesse. Exstitit itaque patre nobilissimo progenitus, Joffredo nomine, qui et ipse non solum consul, sed etiam a patre et avo consulibus originem duxit. De matre vero præfati domni Stephani quid dixerim, nisi quod ex utraque parte, patris videlicet et matris, ex progenie consulum, imo ab ipsis consulibus est generata. Fuit namque Arnulfi nobilissimi et audacissimi consulis de Risnel filia, matrem habens clarissimi consulis Gerardi de Fontvenz filiam. Quod autem iste leonum catulus, in agnum primo mutatus, postea ut aries ad defendendum eam cornibus, et ad generandum in ea spirituales agnos in ecclesia sit constitutus, fuit hoc gratia Dei, fuit hæc mutatio dexteræ Excelsi. Volo, si possim, quamvis non faceto, vero tamen sermone percurrere, qualiter iste leonem rugientem reliquerit, et leonem de tribu Juda secutus sit; et qualiter ab agno immaculato agnus effectus sit, ut sequatur eum quocunque ierit.

In diebus illis vocavit sponsus ad se sponsam suam, Christus videlicet ecclesiam, venire a cubilibus leonum et montibus leopardorum, per montem myrrhæ et colles Libani. Principes enim qui prius fuerant similes leonibus propter crudelitatem et terrorem, et leopardis propter diversarum iniquitatum varietatem, hyssopina, humili scilicet confessione mundati, per myrrhæam mortificationem libanino candore sunt super nivem dealbati.

De Simone Crespiensi comite. Fit monachus cum aliis pluribus nobilibus in monas. S. Eugendi, seu S. Claudii. — Horum vero exstitit caput et dux quidam comes Francorum nobilissimus, Simon nomine Rodulphi comitis. Hic divina respectus misericordia, mundum fugientem fugit, et Christum vocantem se secutus est. Expetiit autem cœnobium sancti Eugendi Jurensis, ibi Christo se sacrificaturus. Præmiserat ante se duos illustrissimos viros, domnum Rodulfum, et dom. Franconem, secum vero duxit domnum Rotbertum, dom. Arnulfum et dom. Warnerium. Hi omnes et secundum genus sæculi clarissimi, postea se holocaustum Deo obtulerunt.

Inter quos Stephanus. — Erat adhuc domnus Stephanus (de quo nobis sermo) tenellus, militaribus tamen armis decoratus: sed saniori usus consilio imo Deo inspirante, Patres prædictos secutus, sæculari balteo abrenuntians, Christique jugum suscipiens, in præfato cœnobio monachilem vitam arripuit, ibique sub domno Hunaudo abbate per decem annos se in Dei servitio mactavit. Deinde Cluniacum expetiit, ubi cum avunculo suo domno Widone priore magno, per annum demoratus est. Quo Widone postea pro religione et sanctitate vitæ facto abbate, ipse eum Pictavis secutus, semper seipso melior efficiebatur. Novissime ad monasterium suum regressus, apud Barrum cellam sancti Eugendi missus est. Fiebant hæc omnia Dei dispositione, sine cujus nutu nec passer cadit super terram. Hic igitur inventus est domnus Stephanus, atque a venerabili præfato Rotberto Lingonensi episcopo et ab abbate suo huic loco concessus, quamvis renitens abbas effectus est, anno Incarnationis Domini 1088, ind. XI, epacta XXV.

Abbas Besuæ effectus, instaurat omnia. — Jam vero quanta cura, quanto studio hunc locum emendare et augmentare studuerit, et si cessent verba ipsa testantur opera. Nam, quamvis monasterium istud a quingentis, aut eo amplius annis primitus fuerit constructum, a tempore domni Stephani abbatis videtur sumpsisse principium, ita omnia innovata, omnia sunt in melius immutata. Nam, quocunque gradiebatur, hoc illi erat desiderium, hæc illi mentis cupiditas, ut si alicubi aliquid vidisset honestum aut ecclesiæ suæ necessarium, aut illud ipse asportaret aut simile in ecclesia sua ipse construeret. In religione vero ita refloruit locus iste in diebus illius, ut usque ad mundi dominam Romam, famosum nomen haberet Besua, et per totam Galliam usque ad maris littora. Unde factum est, ut cum primum huc veniret, vix viginti essent monachi; in diebus vero ipsius quinquaginta seu sexaginta Deo servientes et victus ac vestitus necessaria accipientes.

Insignes qui sub disciplina Stephani exstitere monachi. — Si vero computemus eos, qui in cellis nostris extra Besuam habitant, numerus usque ad centenarium consurget. Sed et illud est ei a Deo præstitum, quod in diebus ejus aliqui conversi ad A Dominum, et ab eo in hoc loco accipientes religionis habitum, postea facti sunt et ipsi lumen ecclesiarum. Præficitur namque ecclesiæ sancti Michaelis Ternodorensi domnus Wido abbas. Præficitur ecclesiæ sancti Sequani dom. Henricus abbas. Præficitur domnus Eustasius ecclesiæ Noviomensi sancti Eligii. Præficitur ecclesiæ S. Joannis dom. Godefredus. Et quamvis ipse non fuisset noster monachus, de nostro tamen monasterio est assumptus. Sed et alii quamplures sub eo æmulatione paterna ducti, in ædificando et acquirendo eum imitabantur patrem, et hanc ecclesiam dilataverunt, et ornaverunt, et munierunt ut matrem.

Ecclesiæ e Besua pendentes. — De ædificiis et acquisitionibus tam intra Besuam, quam extra, de B instauratione corporis ipsius monasterii, seu officinarum, de Bibliotheca tam veteris, quam Novi Testamenti, de ornamento ecclesiastico in tabulis, in capsis, in calicibus, in crucibus, in thuribulis, in vestimentis ad officium ecclesiasticum pertinentibus, de cappis et cortinis, de pallis et signis ab eo et aliis fratribus, et filiis hujus ecclesiæ ipsius tempore comparatis, et huic loco collatis, aliquantulum latius in sequentibus disseremus. Nunc interim dicamus de ecclesiis, quæ huic loco in diebus ipsius collatæ sunt, tam in hoc episcopatu, quam in aliis. Ecclesia sancti Symphoriani de Albiniaco. Ecclesia sancti Benigni. Ecclesia sancti Christophori Canlintensis. In episcopatu Tulensi, ecclesia sancti Willegaudi, apud Romonem castrum. Et hæc qualiter et a quibus sint collata, chartæ huic libello insertæ C ostendunt.

Charta de Albiniaco, et de ecclesia S. Benigni.

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Quoniam antecessores nostri quidquid ratum et indissolubile teneri voluerunt, litterarum custodiæ commendaverunt: ut videlicet, quod segnis deleret oblivio, litterarum aperiret repræsentatio, dignum duximus litteris commendare ea quæ perpetualiter volumus permanere. Ego igitur Rotbertus Lingonensis episcopus ecclesiam de Albiniaco et atrium ejus, paratas etiam et eulogias quæ ad episcopum pertinent, et ecclesiam sancti Benigni et atrium ejus, consensu et consilio fratrum Lingonensium, ecclesiæ Besuensi tenen-D dam concedo, et in plenaria synodo Lingonis habita Stephano præmissæ ecclesiæ abbati, de manu in manum trado, et successoribus ejus perpetualiter habendam instituo. Hoc etiam donum ita tenendum et permanendum dijudicamus ut si quis clericus vel laicus auferre eis præsumpserit, vel inde eos injuste inquietaverit, si sit clericus, ordinis sui periculo; si laicus, anathemati, donec resipuerit, subjaceat. Sig. Gozelmi archid. Hugonis arch. Guarnerii archid. Norgaudi arch. Girardi archipresbyteri. Guidrici archipresbyteri. Facta sunt hæc Philippo regnante, episcopante Rotberto, Stephano dictante cancellario.

Charta de Sivoio.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Notum sit omnibus fidelibus Christi, qualiter media pars ecclesiæ de Sivoio subnixa est ecclesiæ Besuensi. Abbas Stephanus, vir religiosus dum remigando per Segunnam ad ecclesiam Besuensem remearet, ab Hermuino, orto nobili progenie in ea villa hospitio susceptus est. Benignissimo amore eum suscepit, atque omnem humanitatem hospitalitatis ei exhibuit, et in crastino die pro æternis peritura commutans, in portu Prantenensi mediam partem ecclesiæ de Sivoio et ecclesiam S. Dionysii in eadem villa, sicut erat sibi in patrimonio, anima sua, antecessorumque suorum sub testimonio legali, per manus supradicti abbatis tradidit, apostolis scilicet Petro et Paulo, ecclesiæ Besuensis. Acta sunt hæc anno ab Incar. Dom. 1093, Indict. I, Epact. XX, Luna VIII, regnante imperatore Henrico anno XXXIV, Principante Stephano comite, Hugone archiepiscopo archiepiscopalem cathedram tenente. Si quis hanc chartam violaverit, separetur ab angelorum choris, societurque Datan et Albiron, hic et in æternum in inferno inferiori. Signum testium nostrorum. Signum Hermuini. Aimonis. Lavenchæ. Giraldi. Albrici. Teberti. Stigandi. Ego Godefredus cancellarius abbatis dictavi et bene subscripsi.

Charta de Camlintensi ecclesia et de Majasco.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Quoniam consuetudinarium est, et ab antecessorum nostrorum industria ductum, ut ea, quæ memoriæ commendanda videntur, litterali tradantur custodiæ, dignum duximus, ea quæ subinferuntur ne oblivione dispereant, nec vel quod inde actum est, quandoque aliqua immutetur fraudulentia, in ejus chartæ sinu fideliter recondere. Ego igitur Rotbertus sanctæ Lingonensis ecclesiæ episcopus, previbus Stephani abbatis Besuensis ecclesiæ sæpius admonitus, voluntati illius tandem acquiescens, cum in ecclesia Lingonensi synodum celebraremus, et de ecclesiasticis negotiis pro posse diligenter tractaremus, consilio et assensu archidiaconorum consedentium, duos presbyteratus Camlintensis videlicet ecclesiæ, et ecclesiæ de Majasco, B. Petro Besuensis cœnobii et fratribus ibi Deo servientibus, deinceps habendos concedimus; ita ut presbyteri parochiales, qui in eis decantaverint, medietatem omnium ad eosdem presbyteratus pertinentium per manus Besuensis abbatis obtineant, archidiaconibus aliisque ministris debita servitia exhibeant, paratas et eulogias suo tempore communiter persolvant. Facta sunt hæc Lingonis in plenaria synodo, Urbano papa existente, Philippo in Galliis regnante. Signum Willenci archidiaconi. Gocelmi archidiacomi. Garnerii archidiaconi. Norgaudi archidiaconi. Gosberti archipresbyteri. Stephanus cancellarius dictavit: Durannus notarius scripsit.

Charta de Albiniaco.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Præ-
A sentis Ævi scire volentibus futurisque deinceps clarificetur hominibus quod Odo Montis-Salionis dominus, pœnam æterni supplicii cupiens evadere et paradisi præmia percipere, in die sepulturæ fratris sui Hugonis sua spontanea voluntate partem non minimam militum de Monte-Salionis, et clientum, nec non amicorum et vicinorum suorum in Besuensi capitulo antequam corpus defuncti ad tumulum deferretur, convocavit, ibique dona, quæ antea fecerat de ecclesiis, scilicet de Albiniaco, de sancto Benigno, de capella Montis-Salionis, de Icioma, hoc modo confirmavit. In præsentia namque dom. Stephani abbatis et monachorum, et eorum quos ipse convocaverat, prædictus Odo et domnus Petrus avunculus ejus iterum donationem supra-
B dictarum ecclesiarum ex toto fecerunt et confirmaverunt Deo et sancto Petro Besuensis ecclesiæ, possidendam in perpetuum.

Tevtum etiam Evangelii coopertum de argento ad donationem confirmandam super altare posuerunt, pro anima supradicti Hugonis, et pro animabus omnium antecessorum suorum, et pro semetipsis. Addiderunt etiam huic eleemosynæ unum mansum in Albiniaco, et unum servum et unam ancillam.

Rogatu itaque eorum pro confirmatione hujus rei domnus abbas Stephanus, ab episcopo Roberto in synodo supradictum Hugonem, et patrem ejus, et antecessores suos defunctos absolvi fecit. Ut vero donatio ista inconvulsa permaneat, assignamus testes. Sig. Stephani abbatis. Sig. Widonis prioris. Willenci. Sig. Odonis et Petri, qui hoc donum fe-
C cerunt.

Acta sunt hæc tempore, quo Pascalis summum pontificatum tenebat in Roma, Philippus regimen in Francia, Rotbertus cathedram episcopalem in Lingonis, Stephanus abbas pastoralem curam in Besua. Anno ab Incarnat. Domini 1101, Indict. VIII, Epacta XVIII. Sig. Teboldi. Theoderici. Landrici. Lanfricurtis. Lamberti de Domarim. Widrici præpositi. Ricardi de Vircillis. Rodulfi. Odonis de Bellomonte. Haimonis de Fontanis. Odonis. Walonis de Calmis. Clericorum vero, Humberti archipresbyteri. Willenci sacerdotis. Joannis sacerdotis.

Charta de ecclesiis quas dederunt nobis Humbertus et Wido.

Agnoscat hoc vita credentium quod res nulla me-
D lius in factis hominum, quam eleemosyna quæ bono fit animo, placabilem reddit Deum, dicente Scriptura: *Sicut aqua mortificat ignem, sic eleemosyna occidit peccatum.* Ergo de hac sententia non surdi, sed fideles auditores fuere duo fratres, Humbertus Rufus et Wido, filii Humberti Fontisvennæ. Hi in flore juventutis suæ pro remedio suarum animarum, suorumque majorum fidelium, ecclesias quas de proprio jure retinebant, citra aquam quæ Asmantia dicitur, Deo et sancto Petro, et Besuensi cœnobio concesserunt, ut charitas altius firmaretur, apud Bisonticam civitatem, secus basilicam sancti Vincentii, in præsentia Hugonis archiepiscopi, supra-

dictas ecclesias Stephano abbati et Besuensi ecclesiæ perpetualiter tradiderunt. Licet scire quartam partem basilicæ sancti Martini de monasterio, et quidquid habebat ecclesia sancti Christophori Camlintensis,et quartam partem ecclesiæ sancti Mauricii de Sivoio, medietatem ecclesiæ Fontis vennæ villæ,similiter capellam de Castro, simili modo ecclesiam de Livocurte sub tali testimonio. Sig. Hugonis archiepiscopi, Mainerii archidiaconi, Bernardi magistri, Ermuini Seweni.

In ipsa die prædictus episcopus annuit Stephano abbati omnes ecclesias licenter habere,quas posset acquirere in diœcesi sua.

Acta sunt hæc anno ab Incarn. Dom. 1098, Indict. VI, Epact. XV,Urbano papa præsidente Romæ, Henrico imperante in Romano imperio.

Charta de Albiniaco.

Firmissime sciat omnis ordo fidelium quod Odo, filius Hugonis, senior Montis Salionis, postquam suscepit honorem suum a Roberto Lingonensi episcopo in Calma de Perciaco, reddidit, supradicto Rotberto ecclesiam de Albiniaco;tali modo,ut eam suo rogatu et suo concessu traderet sancto Petro et Besuensi ecclesiæ perpetualiter possidendam. Hoc audiens pontifex, alacri animo suscepit donum, quod abbati Stephano et ecclesiæ Besuensi, ut supradictus Odo suggesserat, firmiter concessit, sub testibus istis : Signum Rotberti episcopi. Stephani abbatis. Albrici monachi. Warnerii archidiaconi. Humberti archipresbyteri. Willelmi Fontis-vennæ. Widonis de Radiaco. Sewini filii ejus. Odonis, qui donum fecit. Widrici præpositi.Tetboldi. Landrici. Walonis, Alelmi,et fratris ejus. Pagani de Icioma, Acta sunt hæc anno ab Incarnatione Domini 1098, Ind. VI, Epact. XXVI, regnante Philippo rege Francorum, Odone ducatum tenente, Rotberto, fratre ejus, episcopalem cathedram regente.Si quis hanc chartam violaverit,separetur ab angelorum choris, societurque Datan et Abiron hic et in æternum in inferno.

Charta de Lisseiaco.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris, et Filii,et Spiritus sancti.Notum sit omnibus præsentibus et futuris, Odilonem Lisseiacensem militem,Deo sanctoque Petro liberrime dedisse quidquid apud eamdem villam Lisseiacum habebat,cum servis et ancillis.Qui etiam cum morti esset proximus,Anxiricum nepotem suum substituens hæredem sibi,præcepit ei ut nisi prædictam servaret donationem,sua nullomodo retentaret. Sign. Joffredi Belmontis. Sign. Hugonis Magni. Sign. Gibuini. Sign. Hugonis Columbæ.

Item alia.

Quædam etiam mulier generossissima, Facies vulgo dicta, consobrina Albrici Arcionensis monachi, quæcunque in ante facta villa possidebat, Besuensibus contradidit monachis, una cum duobus servis Girardo et Willelmo,cum uxoribus eorum et filiis,eo tenore, ut ab eisdem alimonia donaretur

A monasterii,quoad viveret. Quæ tamen possessiuncula sacristæ ad luminaria ecclesiæ postmodum data est,precatibus et pia importunitate præmemorati Ansirici.Signum Anserici. Sign. Odilonis fratris ejus. Sign. Albrici monachi. Sign. Ulrici monachi.

Charta de Cypeto.

Operepretium visum est ac necessarium posteris commendare memoriæ,quod Odo Chaterius de Cypeto eleemosynam socrus suæ Elizabet,quæ et Charitas appellata fuerat, videlicet partem suam de silva,quæ adjacet villæ, quam dicunt Veteres-vineas licet injuste calumnians,postmodum resipuit, et priorem donationem, sicut facta fuerat, sancto Petro et ecclesiæ Besuensi liberrime concessit. Ad-
B didit etiam ut monachus, qui Cypeto manebit, habeat usuarium liberrimum in silvis,campis, pratis et in omnibus aquis piscationem, excepto vivario Domni dato, sed et in ipso, si abbas in ipsa villa Cypeto venerit. Testes hujus rei : Signum Odonis, qui hoc donum fecit. Signum Odonis Viridis.Sign. Stephani abbatis. Sign. Wilenci. Et de familia sancti Petri : Sign. Otberti Cocci. Sign. Hugonis, et aliorum multorum.

Charta de Fontanis.

Clarificetur cunctis viventibus postque futuris, quod Hugo juvenis de Fontanis miles, veniens ad obitum suum,quæsivit habitum monachi et devote suscepit, factusque monachus pro remedio animæ suæ suorumque antecessorum fidelium dedit Deo et
C sancto Petro Besuensis ecclesiæ in supradictis Fontanis unum mansum liberum cum omni libertate, et septem jugera terræ et tres falces de prato. Ut hæc donatio inconvulsa permaneat, assignamus et testes veraces : Signum Bertranni militis de Fontanis. Sign. Theoderici filii ejus.Sign.Hugonis Carrucæ. Sign. Widrici filii ejus. Sign. Wilenci militis. Sign. Walonis Columbæ de Bello monte. Sign. Rodulfi militis de Aquis. Sign. Rodulfi rustici de Fontanis. De monachis : Sign. Wilenci. Sign. Warnerii. Sign. Odilonis, et aliorum multorum.

Charta de Lixiaco.

Inter cæteras eleemosynas,quæ factæ sunt ecclesiæ Besuensi,notum sit omnibus fidelibus quod Wido miles de Insula Bollini dedit Deo et sancto
D Petro,et Besuensi ecclesiæ, quidquid habebat vel habere existimabat ab antecessoribus suis in Lixiaco, pro remedio animæ suæ suorumque antecessorum fidelium.Et hoc factum est antequam pergeret Hierusalem. Postquam hoc iter cœpit, et obitum suum cognovit, remisit sancto Petro et Besuensi ecclesiæ, per socios suos, Hugonem militem de Excuviliaco,et per Constantium de Diniaco sex uncias auri,et eleemosynam suam, quam fecerat de Lixiaco ; et eleemosynam matris suæ de Flexo, concessit sancto Petro et Besuensi ecclesiæ, habere in perpetuum.Signum Widonis Militis,qui hoc donum fecit. Sign. Hugonis militis. Sign. Constantii. Sign.

Stephani abbatis. Sign. Wilenci prioris. Sign. Albrici Captivi, et aliorum multorum.

Charta de Capella Montis Salionis.

In nomine summæ et individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Quoniam consuetudinarium est, et a prædecessorum nostrorum ductum industria, ut ea quæ perpetuæ memoriæ commendanda videntur, litterarum tradantur custodiæ, dignum duximus eas quæ subinferuntur, ne oblivione dispereant, ne vel quod inde legitime actum est, quandoque aliqua immutetur fraudulentia, in hujus chartæ sinu fideliter recondere. Ego igitur Rotbertus almæ sedis Lingonicæ Dei nutu episcopus, dum in matris basilicæ gremio, nobis a Christo collatæ degeremus; et secundum nostrum dogma una cum fidelibus præfatæ ecclesiæ de statu et profectu illius, cum consilio et voluntate eorum unanimiter tractaremus, adfuit inter eos amicus noster Besuensis ecclesiæ abbas domnus Stephanus, nostram benignitatem humiliter expetens, quatenus capellam, quæ est in castello Montis-Salionis sita, ad ecclesiam de Albiniaco pertinentem in honore sanctæ Dei genitricis dedicatam, sancto Petro Besuensis ecclesiæ per instrumenta apicum concedere et misericorditer largiri non dedignaremur. Cujus nos justam et rationabilem petitionem libenter suscipientes, hoc quod pie et rationabiliter postulavit, per consilium fidelium nostrorum, recto ordine ad effectum perducere curavimus. Dantes et concedentes suprascriptam capellam salvis omnibus Lingonensis ecclesiæ consuetudinibus. Ea tamen conditione ut capellanus eidem capellæ inserviat, et beneficiarios usus ab ipso abbate Besuensi habeat et possideat. Ut autem hujus nostræ concessionis testamentum futuris temporibus conservetur, et absque diminutione aut immutatione aliqua custodiatur, manu propria eam firmamus, et archidiaconorum nostrorum firmandam tradimus. Signum Gocelmi archidiaconi. Wilenci archid. Hugonis archid. Almarici archid. Warnerii archidiac. Acta sunt hæc Lingonis plenaria, synodo, Romanæ sedis Pascali apostolatum gubernante. Philippo regnante, Rotberto episcopo Lingonensem ecclesiam regente, Stephano cancellario, Duranno notario, suas vices utroque exhibente.

Item de eadem Capella.

Notificetur cunctis, qui has legerint vel audierint litteras, quod domnus Stephanus Besuensis abbas Widrico clerico de Orgis, scilicet nepoti Widrici præpositi dedit capellæ de Monte-Salionis, tempore suæ vitæ tali pacto et tali ratione ut per hanc partem ex toto servitium faciat, et fidelis sancto Petro, et Besuensi ecclesiæ, et supradicto abbati existat. Si autem ipse, vel presbyter capellanus, qui ibi pro eo vicarius fuerit, de nostra divisione aliquid male subripuerit, defraudaverit, admonitus inde se et presbyterum apud Besuam representet coram abbate propter justitiam faciendam, sicut suus homo. Si quoque domnus abbas in longinquo itinere ire voluerit, supradictus clericus paratus cum suo equo

A ad sibi serviendum existat. Hoc, ut supra diximus, tempore suæ vitæ agat, post mortem vero ejus in manu abbatis et in potestate redigatur. Huic subscriptioni assignamus testes: Signum Stephani abbatis. Widonis prioris. Wilenei, Joannis, Warnerii, Landrici, Albrici, Joffredi. De laicis: Widrici, præpositi de Monte-Salionis, Girberti de Miribello, Oberti coci, Hugonis famuli.

Charta de tenimentum Germani presbyteri.

Fidelis concio tam præsentium quam futurorum pleniter agnoscat quod domnus Odo juvenis, de Monte-Salione dominus, in solemnitate sanctorum apostolorum Petri et Pauli apud Besuam venit, ibique oblationem Deo, et sancto Petro et Besuensi ecclesiæ pro sua anima suorumque antecessorum

B fidelium, per textum Evangelii super sanctum altare supradictorum apostolorum, tenimentum Germani presbyteri dedit, pertinentem et adjacentem altari sancti Symphoriani de Albiniaco, scilicet decimationem de propria vinea domini Montis-Salionis, et tertiam partem de decimis, quæ pertinent ad dominicationem episcopi de vineis, de corvatis, de tertiis, et omnem decimationem de terra sancti Petri. Nec non et querimoniam quam injuste querelabat super cœmeterium de Albiniaco, de cellariis et de omnibus rebus, postposuit et concessit jure perpetuo tenendum Besuensi ecclesiæ et monachis cum omni libertate. Hoc totum factum est rogatu Germani presbyteri filiorumque ejus, qui post inde noster effectus est monachus. Huic rationi assignamus testes: Signum

C Odonis, qui hoc concessit, Tetboldi militis, Richardi de Vircillis, Widrici præpositi, Lamberti militis de Domarim, Calonis de Silviniaco, Girardi Crispi militis, Humberti militis de Bigorna, Hugonis militis de Torciniaco, Theoderici de Divione militis, aliorumque multorum.

Charta de Petro domino Miribelli.

Omnis fidelis sexus, tam de laicis, quam de clericis, plane sciat et agnoscat quod domnus Petrus de Monte Salionis senior de Miribello, propter quoddam infortunium quod sibi contigit quodam die veniens ad Besuense monasterium, in præsentia domni Stephani abbatis et monachorum, nec non et laicorum multorum, supradictus Petrus et domnus Odo nepos ejus de monte Salionis dominus, ambo omnem calumniam de piscatione, quam habe-

D bant super aquam nostram, quæ est a Molendino, quod est ultra Neronem villulam nostram usque ad Besuam, ex toto postposuerunt, et si quid juris inibi ex parte sua vel suorum antecessorum unquam fuit, Deo et Besuensi ecclesiæ in illa die æternaliter condonaverunt. De hac re supradictus Petrus, et de suis malefactis, quæ antea male egerat adversus ecclesiam satisfaciens in præsentia domni Stephani abbatis, de omnibus querimoniis finem fecit. Et ut pax firmius teneretur et bonus finis omnibus diebus vitæ suæ, manu sua coram omnibus finem et pacem supra sanctas reliquias juravit. nec non et Rainaldus præpositus ejus de Miribello, et

Hugo clericus, et Lambertus de Jergeiaco, hoc juraverunt perpetualiter tenendum. Nec non et milites, quorum auctoritate hoc fecit : Dedit fidei jussores domnum Joffredum cum suis filiis, Hugonem et Fulconem, Hugonem Columbam cum suo filio Walone, Milonem cum suo filio Ewino. Dom. Odonem nepotem suum ; Theodericum de Divione, filium Stephani, Aymonem de Divione, cognomento Chag, Odilonem de Lisiaco. Sig. D.Stephani abbatis, Widonis prioris, Wilenci, Albrici, Landrici, et aliorum multorum.

Charta de Burbureno.

Notum sit omnibus hominibus,qualiter homines nativi de illa, qua dicitur Burburena, commanentes in Besua post combustionem domorum, quas in nostra terra primitus habuerant,alias reædificare B cupientes, ad abbatem loci istius, nomine Stephanum, convenerunt, reæficandi licentiam quærentes. Quibus ipse ait : Absit ut unquam deinces in nostro fundo ita mansiones habeatis, sicuti hactenus habuistis,nisi consuetudinaria servitia reddideritis, sicut nostri et alii faciunt, qui in nostra potestate consistunt. Si autem nolueritis,construendi ulterius licentiam a me non consequemini.Bæc autem verba abbatis videlicet illi audientes, inter se consilium inierunt,et cum eo pactum firmiter statuerunt,utdeinceps unusquisque de generali placito tantummodo duodecim nummos persolveret, alias vero consuetudines facerent, excepto carritum vini de Gibriaco, nisi per suam bonitatem aliquis ex eis vellet facere.

C Constituit etiam ipsis idem abbas Stephanus, ut nec ipse,nec aliquis in posterum super eos talliam faceret ; alias vero consuetudines ab eis exigeret : Et hoc etiam statuerunt ut si quis illorum injuriam a monachis vel a servis sancti Petri pateretur,nullam proclamationem,neque alienam justitiam quæreret,donec justitia abbatis et præpositi monasterii ei deficeret. Signum Stephani abb.Landrici præpositi. Ex familia vero sancti Petri fuerunt illic tunc multi. Sig. Aydulfii,Giraldi, Albrici, Villici de Burburena villa, et aliorum multorum.

Charta de Majasco.

Agnoscat firmiter omnis ordo fidelium quod Wido miles de villa, quæ Firmitas nuncupatur, decidens in infirmitate, noster effectus est monachus,ipse et D frater ejus Theodericus, et uxor, cum filiis et filiabus ipsius Theoderici, totum alodium ex parte generis sui et ex parte Gybuini de Bello monte, et ejus uxoris, quod habebant in villa, quæ Majascus dicitur, in mansis, in agris, in pratis, in sylvis, in eleemosina devote obtulerunt Deo, et sanctis apostolis Petro et Paulo, et Besuensi ecclesiæ pro remedio sui suorumque ancessorum pro vivis sive defunctis.

Ut donum istud firmius teneretur, uxor Theoderici inde pro signo habuit unum annulum de auro, et Richardus filius ejus unum cyphum de refectorio. Supradictus quoque Wido post hoc dedit om-

A nem partem ad se pertinentem de proprio fundo quem possidebat,ultra Sagunnam fluvium, scilicet in villa, quæ Valerius vocatur, et in alia villa deserta quæ Arcensis appellatur ; et in alia villa,quæ Luvinensis nuncupatur, in mansis, in agris,in sylvis, in servis et ancillis. Sig. Hugonis de Gunvulensi castro, Heinrici, Ramaldi, Widonis, Bernonis Domini Stephani abbatis, Girardi monachi, Warnerii, Wilenci, Albrici, Aymonis. Acta sunt hæc tempore illo, quo Philippus rex regnabat in Francia, Robertus episcopus in Lingonis,Stephanus abbas in Besua, Odo dux in ducatu.

Charta de Balenavo.

Notum sit omnibus fidelibus tam laicis, quam clericis, nec non monachis, quod ministri ducis Odonis, præpositus et alii super terram nostram, quam sanctus Petrus et ecclesia Besuensis habet in Baleneva,quærelabant consuetudines malas,scilicet talliam pro cibo ducis,pro qua re acceperunt 5 solidos de hominibus.Pro hac injuria domnus abbas Stephanus proclamationem faciens ad ducem supradictum et ad ducissam uxorem ejus, inde ex utraque parte terminaverunt placitum apud Divionem; ad quod pergens D. abbas Stephanus,armatus suis chartis suisque testimoniis,liberaliter disseruit quod supradicta terra penitus duci, neque suis ministris,nullam debebat consuetudinem, nec alicui viventi, nisi sancto Petro et Besuensi ecclesiæ. Hoc audiens dux et uxor ejus statim fecerunt restituere supradicto abbati illos 5 solidos suprascriptos per Ervejum præpositum. Ille quoque non habens in promptu nummos,abstulit pelles suas de collo suo, reddit eas fidejussori, scilicet Joscelmo.Ille nempe illps reddidit abbati Stephano;abbas quoque secum eas detulit, et tandiu ipsas pelles habuit, donec vellet,nollet. Ervejus præpositus illos quinque solidos reddidit.

Charta de Picangiis.

Quædam matrona Alburgis cognomine, pagana, Walterii de Minoio conjux honestissima,ab hoc sæculo discessura, B. Petro et abbati Stephano,cæterisque fratribus apud Besuense monasterium in Dei servitio persistentibus distribuit terram apud villam, quæ Picantias vocatur, vel prata, nemusque cum aqua,veluti ea in vita sua possederat ; Waltero et Raimundo filiis suis, præsente Sevaldo fratre soo,et coram plurimis testibus gratanter concedentibus, Signum Landrici monachi, Theoderici,atque Albrici mon. Petri Grancejacensis canonici.Odonis Iciacensis militis. Anno 1100 ab Incarnatione Domini, regnante Philippo rege in Gallia,et Rotberto episcopo existente apud Lingonas,et cum eo regentibus Wilenco,atque Goscelmo Singonensem ecclesiam archidiaconibus.

Charta de Villarium.

Notum sit omnibus, qui has legerint vel audierin litteras, quod terram Hugonis cognomento Barbe quam dedit sancto Petro in villa deserta quæ vocatur Villarium, hanc Richardus filius, Milonis suc-

cessor, et gener Hugonis Magni, qui noster effectus est monachus, injuste invasit, et per 2 annos eam super calumniam abbatis Stephani ac monachorum ejus tenuit, dehinc resipuit, et terram et fructum ex toto, sancto Petro et dom. abbati Stephano, cum satisfactione reddidit. Ipse quoque abbas eum videlicet Richardum tali conditione de præterito delicto ita absolvit, ut si ille, aut aliquis successor ejus, illud repetere vellet, sub anathema maledictionis permaneret. Signum hujus rei, Stephani abbatis, Wilenci, Joffredi, Aimonis, Richardi. Sig. quoque Milonis patris ejus, Hugonis villici, Oberti, Girardi de Virduno, Hugonis famuli, Gisleberti famuli, Giraldi filii, Gunterii, ct aliorum multorum.

Charta de Bellojoco.

Notificamus modernis quibusque et futuris quod Aludis nobilis matrona de Bellojoco, soror Ermuini, et uxor Ulrici de Trevia castro, in suo obitu pro remedio animæ suæ suorumque antecessorum, dedit fideliter Deo, et sancto Petro, et Besuensi ecclesiæ unum mansum in Bellojoco cum servo nomine Rotberto, in illo manso habitante, cum uxore ejus et uno filio nomine Tebaldo, et una filia quæ vocatur Gimoeldis, et simul dedit unam vineam novellam, scilicet nuper plantatam. Hoc totum, et mansum, et vineam, et servos, et ancillas, sicuti ipsa de proprio jure possidebat, honorifice et cum omni libertate dedit Deo, et sancto Petro, et Besuensi ecclesiæ, ut supradictum est, ipsa et filii ejus omnes. Ne aliquis infidelis falsum hoc existimet, assignamus testes : Sig. Theoderici filii ejus, Pontii similiter filii ejus. Theoderici pueri, Odonis de Bellomonte et uxoris ejus, Hugpnis Columbæ, Odonis de Scia, Millonis de Bellojoco, Fulconis, Hugonis, Herberti villici, Giraldi coriarii. De clrricis, Acilini sacerdotis, Ramaldi diaconi, Tebaldi de Agiliaco. De nostris monachis, Widonis prioris, Wilenci, Warnerii, Landrici, et aliorum multorum.

Charta de Vetus-vineis.

Notum sit omnibus modo viventibus, post nosque futuris, quod Oltrudis fiiia Widonis de Vetus-vineis, neptis Waronis munachi debit omnem hæreditatem suam Deo et sancto Petro et Besuensi ecclesiæ, quam possidebat in supradictis Vetus-vineis, in mansis, in terris, in pratis, in silvis, et Dom. Odilo monachus noster, qui tunc regebat, obedientiam dedit ei pro signo, medietatem eminæ frumenti, et aliam mensuram de milio. Ut hæc donatio firma teneatur, assignamus testes : Signum Widonis prioris, Wilenci, Joannis, Joffredi, Pontii, Odilonis. De laicis, Rotberti villici de Vetus-vineis, Bernardi, Rotgerii, Petri, Hugonis famuli. Rainaldi.

Charta de Luco.

Audiant omnes tam præsentes quam futuri quod Raimuudus de Granciaco miles, qui apud Salinam vulneratus fuit, antequam obiisset coram multis testibus, pro sua anima suorumque antecessorum, dedit sancto Petro et Besuensi ecclesiæ duos mansos : unum apud Lusum cum suis appenditiis, et alium apud Rariacum ; et duos servos, Waldricum et Humbertum. et duas ancillas, Aluvidem et Ermessendem. Huic rei assignamus testes : Signum uxoris ejus, et filii, et fratris ejus, Walterii, Artaldi militis, Pontii militis, Henrici de Icio, et aliorum multorum.

Charta de Secuniaco.

Clarum fiat omnibus, qui has litteras viderint vel audierint, quod Odo miles de villa, quæ Icius vocatur, veniens ad obitum suum, dederit Deo, et sancto Petro, et Besuensi ecclesiæ, pro sua anima suorumque antecessorum, unum mansum in villa, quæ dicitur Secuniacus, cum appenditiis suis tam liberum et tam bonum quod partem in se retineat de pastionibus, et de tertiis, et libertatem per omnes fines illius villæ. Huic dationi subscribimus testes : Signum Odonis, et uxoris ejus, et filii ipsius Pontii militis, qui eleemosynam fecerunt. Signum Sevaldi Balbi, Raimundi, Aymonis militis, Pagani præpositi, Martini Barbati, et aliorum multorum.

Charta de Gaviniaco et Auxiliaco.

Sciant omnes tam præsentes, quam futuri, quod Wido, miles, de Auxiliaco, veniens ad obitum suum, dedit Deo, et S. Petro, et Besuensi ecclesiæ, unum mansum cum omnibus appenditiis suis et omni libertate apud Gaviniacum, Dedit etiam Viridarium de Ponto cum appenditiis suis, cum smni libertate, nec non et tertiam partem molendini de Auxiliaco, cum piscibus, si ibi capti fuerint. Ut hæc eleemosyna inconvulsa permaneat, subscribamus ei testes : Signum Widonis filii supradicti defuncti, qui eleemosynam loco patris sui super altare posuit, sanctorum apostolorum Petri et Pauli. Signum fratris ejus Rainaldi, Hugonis militis de Bellomonte, Joffredi militis, Walonis militis, cognomento Columbi, Giisleberti, Warnerii, Hugonis fratris ejus, et aliorum multorum. De monachis, Wranerii, Wilenci, Landrici.

Charta de Romanisca.

Dignum duximus memoriæ tradere quod Hugo cognomento Rubeus et uxor ejus, cognomento Regina, per manum Stephani abbatis, dederunt Deo, et sancto Petro, et Besuensi ecclesiæ terram, quæ dicitur de Romanisca, ad integrum cum appenditiis suis, in quocunque loco jaceret cum servis et ancillis, nec non et ecclesiam de Verona. Tali pacto, si supradicta matrona vivens vellet ire ad Besuam post obitum viri sui, susciperent eam monachi cum terra procurandam. Sin autem nollet usque ad mortem post obitum suum cum omni libertate, et cum servis et ancillis, sicuti supra taxatum est. Pro hac quoque eleemosyna dedit domnus abbas Stephanus et viro et mulieri societatem et omne bonum quod factum fuerit in Besuensi ecclesia usque ad finem mundi, pro remedio animarum suarum suorumque antecessorum fide-

lium. Ut hæc traditio firma permaneat, assignamus ei testes : Ulrici militis, qui fuit frater Hugonis. Widonis militis, filii ejus. Richardi militis de Vircillis. Widonis fratris ipsius. Widonis capellani. Petri presbyteri Rogerii qui fuit filius Hugonis. Duranni de Majasco. Fanuelis, et aliorum multorum. De monachis autem, Sthephani abbatis, Warnerii prioris, Wilenci, Widonis capellani, Albrici.

Item alia.

Notum esse volumus præsentibus et futuris quod Virberga, uxor Marcelli sutoris, dederit semetipsam sancto Petro apostolo cum filiis suis, id est, Martino, Ermengarde, Maria, Richilde, Ada. Præsente Godefrido priore, Girardo, Walterio, Rotberto, Drogone præposito, Tebaldo, Ingelranno, Stephano, Lamberto præposito. Joanne filio Joannis Majoris Willelmo sutore. Marcello sutore.

Charta dc Cusiaco et de Chimissin.

Sacra Scriptura testatur quod eleemosyna liberat animam de morte æterna, et conducit eam ad vitam perpetuam. De qua re non immemor Hugo miles, cognomento de Chimissins, ipse veniens ad obitum suum, pro suo anima suorumque antecessorum fidelium, dedit Deo, et sancto Petro, et Besuensi ecclesiæ quatuor mansos, duos apud Ruvriacam, quæ est villa deserta cum omnibus appenditiis suis. Alium apud Cusiacum cum appenditiis suis. Alterum apud Chimissinum, cum 4 jugeribus terræ et unam falcem de prato. Et hos mansos liberos dedit cum omni libertate subscriptus Hugo. Ut hæc eleemosyna inconvulsa permaneat, assignanus ei testes : Signum Hugonis, Widonis filii ejus, Walonis, Aymonis, Hugonis nepotis ipsius, Awini de Beria, Nerduini militis, Andreæ prebysteri, Richardi, Constantini, et aliorum multorum.

Charta de Nogdantium Ferrosum.

Notum sit omnibus viventibus, post nosque futuras, quod Hugo puer, filius Wilenci de villa, quæ Roseius dicitur, et Avunculi ejus, Walo monachus et Wido miles, fratres supradicti Wilenci, pro anima ipsius Wilenci, et pro animabus fratrum suorum, et omnium antecessorum suorum, tam pro vivis quam pro defunctis, tradiderunt Deo et Besuensi ecclesiæ duos mansos. Unum apud Nogdantium ferrosum scilicet mansum Arnulphi, cum suis appenditiis; et alium in villa, quæ dicitur Neronis, juxta Gradiacum castrum, cum duobus servis, Lethaldo et Widone fratre ejus, et cum appenditiis suis. Ut hæc charta inconvulsa permaneat, assignamus testes. Signum Widonis, Walonis, Widonis, Wilelmi filii ejus, Hugonis, Raimodis de Longocampo, Hugoniis de Nerone.

Charta de Burgundion.

Fiat clarum cunctis viventibus modo, postque venturis, quod Henricus miles de Firmitate decubans in lecto veniensque ad suum obitum, consensu et consilio uxoris suæ et filiorum, et omnium domesticorum suorum, dedit Deo, et sancto

A Petro, et Besuensi ecclesiæ, pro sua anima suorumque antecessorum fidelium unum mansum apud villam, quæ dicitur Burgundion, cum omnibus appenditiis suis, liberum cum omni libertate, et tres servos manentes in ipso manso, scilicet Arnulfum, Henricum, Gislebertum, et medietatem de filiis vel filiabus supradicti Arnulfi, et de alia parte unam ancillam. Huic chartæ assigamus testes : Signum Leodegardis, quæ donum fecit, Hugonis de Comulensi castro, Richardi de Vircillis, Widonis fratris ipsius. De clientibus, Henrici, Ulrici, Julonis filii ejus. Roberti villici, Bernardi, Arnaldi clerici, Widonis presbyteri, et aliorum multorum.

Charta de S, Sequan.

B In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Fiat notum cunctis fidelibus quod Alwidis, uxor Wilenci de villa quæ Altason vocatur, dedit Deo, et sancto Petro et Besuensi ecclesiæ, duos mansos liberos cum omni libertate pro anima viri sui Wilenci, nec non et pro anima filiii sui Rainaldi, qui juvenis mortuus est, et pro sua anima suorumque antecessorum fidelium. Unum in villa, quæ sanctus Sequanus nuncupatur cum appenditiis suis, et alterum apud Viriniacum cum suis appenditiis. Ut hæc charta firma et inconvulsa permaneat, assignamus ei testes : Signum Alwidis, quæ donum dedit, Humberti de Bellomonte, Widonis, Eldeberti, Hugonis. De monachis, Stephani abbatis, Warnerii prioris, Wilenci, et aliorum monachorum. Si quis huic donationi instigante diabolo contraire voluerit, aut diminuere, cum Dathan et Abiron anathema sit. C

Charta de Viriaco.

Habet etiam alium mansum sanctus Petrus, et Besuensis ecclesia apud Viriniacum, quem dedit pro anima sua Falco miles de Riveria, et Wicardus fratrer ipsius, cum omnibus appenditiis suis, et habet usum et communitatem per omnem potestatem de Montiniaco, in silvis, et in pratis, et in pascuis et ubique, et Petrum, qui mansum tenet, quantum eis suppetit, tradiderunt suprascripti milites. Et est alius mansus in supradicta villa scilicet, Viriniaco, quem dedit pro remedio animæ suæ sancto Petro, et Besuensi ecclesiæ, Petrus villicus, et Tebertus frater ejus, villicus de Montiniaco, cum
D appenditiis suis. Et sunt ibi in supradicta villa alii quatuor mansi cum appenditiis, quos tradiderunt alii benefactores, pro animabus suis, Deo et sancto Petro, et Besuensi ecclesiæ cum omni libertate, sicuti Ismahel de Granciaco, et allii fideles sub testimonio Christi.

Charta de Cusiaco.

Liqueat cunctis modo viventibus, et futuris post nos, quod quidam miles Rainerius de villa, quæ Cusiacus dicitur, veniens ad mortem, pro remedio animæ suæ parentumque suorum cum magna devotione tribuit sancto Petro et Besuensi ecclesiæ tres mansos, sicuti ipse eos possidebat in

ipsa supradicta villa Cusiaco. Duo ex his debent 2 sextaria vici, et panem carnem ; et tertius quia minor est medietatem sextarii, et panem et carnem. Deditque unam ancillam inibi manentem cum tribus filiis, quæ Rolendis nominatur; sub tali testimonio : Signum Odonis Senioris Montis-Salionis, Theodebaldi, Odilonis fratris ipsius mortui, cum filiis suis.

Charta de Fontanis.

Notum permaneat omnibus diligentibus hæc, quod miles quidam de Monte-Salione, nomine Pontius de Bigorna, in die suæ dormitionis, pro sua anima suorumque antecessorum fidelium, Deo, et sancto Petro, et Besuensi ecclesiæ, perpetualiter habendos duos mansos tribuit unum in villa, quæ Fontinellas nuncupatur, cum suis appenditiis, et alterum in villa quæ Curcellas vocatur juxta Fontem vennam, et unum servum cum filiis et filiabus suis, in villa Campaniæ. Signum Humberti filii ejus, cum sua matre, Walonis de Calmis, Alelmi de Icioma.

Item alia.

Fideliter retineant omnes, qui has audierint vel legerint litteras, quod miles quidam de Bellomonte, Milo nomine, pro remedio animæ filii sui defuncti Ugonis, addita sua suorumque antecessorum, sanctis apostolis Petro et Paulo, et Besuensi cœnobio duos mansos tradidit in villa, quæ Fontinellas nuncupatur, cum appenditiis suis, ex toto liberaliter, et unum servum comparem terræ, nomine Widonem, et filium ejus Albertum et filiam ejus Alixem. Signum Milonis, qui donum fecit. Richardi filii ejus, Æwini, Walonis, Aymonis de Fontana. Widonis filii ejus, Stephani abbatis. Wilenci, Joffredi, Albrici. Acta sunt hæc tempore Philippi regis.

Charta de Vachiriaco.

Sciant omnes tam præsentes quam futuri, quod Hugo, cognomento Troaudus, et fratrer ejus junior Waldinus, donaverunt Deo, et sancto Petro, et ecclesiæ medietatem villæ, quæ Vachiriacus vocatur, pro anima patris sui Rainaldi, et matris suæ, et omnium fidelium antecessorum suorum, sicuti illi tenebant, et antecessores illorum tenuerunt, in terris cultis et incultis, in pratis et in silvis, et in usus aquarum omnino totum cum omni libertate : et pro signo dedit illis duobus fratribus Wido monachus qui Pauliacum tenebat undecim solidos nummorum. Ut hæc charta incovulsa permaneat, asisgnamus ei testes : Signum Odonis mitlitis de Bellomonte. Sig. Uxoris ejus, Aladis vocatæ, Widonis militis, cognomento Margot, Rodulphi militis fratris ejus. Hugonis villici de Pauliaco. Widonis monachi, et aliorum multorum.

Item Alia.

Simili modo per aliud tempus duo milites fratres, scilicet Achardus et Paganus de sancto Juliano delegaverunt Deo, et sancto Petro, et Besuensi ecclesiæ pro remedio animarum suarum, quidquid de A proprio fundo habebant in illa villa deserta, quæ Vachiriacus nuncupatur, in terris, in pratis, et in silvis, et in decursibus aquarum Signum. Warnerii, Ulgerii, Widonis, Walterii, Humberti, et aliorum multorum.

Charta de Wascum Curtis.

Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris quod Sewinus miles de Raico, pro anima patris sui Widonis, et pro anima sua suorumque fidelium antecessorum, dedit Deo, et sancto Petro, et Besuensi ecclesiæ, in præsentia domni Stephani abbatis et monachorum, unum mansum de suo proprio fundo cum omnibus appenditiis suis, in villa, quæ Wascum curtis dicitur, de agris, de sylvis, de pratis, cum omni libertate, sub tali testimonio : B Signum Sewini, et uxoris ejus, Widonis, qui est dommus Fontis-vennæ, Odonis de Bellomonte, Hugonis de villa, quæ Geniperias dicitur, Beraldi fratris ejus. Kalonis de Silviniaco, et aliorum multorum.

Charta de Firdriaco.

Ratum et cognitum permaneat modo viventibus, post nosque futuris, quod Sewinus miles, et ejus uxor de loco, qui Villesona dicitur, sancto Petro et Besuensi ecclesiæ, pro remedio animæ suæ et suorum parentum in eleemosyna duos mansos concessit : unum in villa, quæ nuncupatur Firdriacus cum servo, Bisontico nomine, manente ; et alium in villa, quæ Wascum curtis appellatur, cum servo ad emdem mansum pertinente Signum Widonis de Raiaco, Sewini, Hermuini, Theoderici, de C Trevia, Fulconis, Odonis, Moranni archipresbyteri.

Charta de Morengis.

Summopere curandum est omnibus, quibus Deus dedit feliciter frui de præsenti vita, ut sint semper solliciti de perpetua. De hoc bene fuit memor in vita sua quidam miles, Pontius de villa, quæ nuncupatur sanctus Sequanus juxta Polliacum, qui pro remedio animæ sui filii, scilicet Widonis, sua addita, et parentum suorum, tradidit principibus apostolorum Petro et Paulo, et Besuensi ecclesiæ servum unum, Terwinum, et terram de Morengis, et nemus quod vocatur Noaino ex toto sicut possidebat. Signum Pontii, qui hoc dedit. Nerduini fratris ejus, Widrici de Arco, Odonis Bellimontis, Aimonis, Hugonis Columbæ, Hugonis villici de D Palliaco, Lamberti filii ejus, Joannis filii ejus.

Charta de Vetus-vineis.

Per has cognitum fiat litteras quod Gertrudis, uxor Henrici de Nova-villa, et Warnerius gener ejus et filia ejus uxor Warnerii, cognomine Cara, pro remedio animæ supradicti Henrici, et suarum suorumque antecessorum, obtulerunt Deo et sancto Petro Besuensis ecclesiæ, super altare in Vetusvineis villa, medietatem mansi, cum sex jugeribus terræ, de proprio fundo; et simul unum servum, nomine Tetbertum, et unam ancillam, istius sororem, nomine Oltrudem : uterque et servus et an-

cilla, nati sunt de Petro Rustico de Vetus-vineis. Signum illorum qui fecerunt donum : Odonis, Richardi fratris ejus; Hugonis de Conulensi castro, Rainaldi servi ejus de Vetus-vineis. Sign. dom. Stephani abbatis, Wilenci monachi. Joannis cantoris, et aliorum monachorum.

Charta de Picangiis.

Pro certo sciant omnes tam futuri, quam præsentes, quod Alburgis, cognomine Pagana, uxor Walterii de Mignoio, veniens ad obitum suum, pro sua anima dedit Deo et sancto Petro, et Besuensi ecclesiæ, partem suam, scilicet quidquid habebat vel possidebat in vita sua, in villa, quæ Picangias vocatur, in terris, in pratis, in silvis, omnino totum. Hanc eleemosynam confirmaverunt filii supradictæ matronæ, Raimondus videlicet. et Walterius, nec non et Sewaldus avunculus illorum, cognomento Balbus. Ut hæc charta inconvulsa permaneat, assignamus ei testes : Sign. Odonis militis de Icio, Pontii filii ejus. Haimonis militis. Henrici, qui erat minister ipsius dominæ. Widonis sacerdotis. Petri canonici de Grancianco. De monachis, sign. dom. Stephani abbatis, Wilenci. Joannis, Albrici : et de familia sancti Petri quam plures adfuerunt, Otbertus, Hugo, Gislebertus, Joannes, Aidulfus.

Charta de quodam plastro domus in Besua sito.

Sciant omnes tam præsentes quam futuri quod D. Petrus, Montis-Salionis dominus, et uxor ejus Eva, quamdam sedem domus vacuam, quam Plastrum vocant, quod tenebat ipse et antecessores ejus de abbatibus Besuensibus et de monachis, compunctus corde pro remedio animæ suæ suorumque antecessorum, reddidit illud sancto Petro, et Besuensi Ecclesiæ, et Monachis penitus liberum : tali modo ut si aliquis de hæredibus suis deinceps aliquam calumniam super hoc facere voluerit, anathema sit, maranatha in perpetuum. Ut hæc redditio inconvulsa permaneat, subscribamus ei testes : Sign. Petri, Hugonis de Varva, Rodulfi militis de Aquis, Hugonis clerici de Miribello; de familia sancti Petri, Rotberti præpositi, Otberti cocci, Hugonis, Willelmi, Lamberti, Tebaldi, Joannis cocci, et aliorum multorum. De monachis, sign. dom. Stephani abbatis, Warnerii prioris, Wilenci, Joannis, Philippi, Widrici, Roffredi et aliorum.

Charta de nemore, Valle Victoris dicta.

Hoc ad memoriam reducatur quod duo fratres fuerunt, Henricus scilicet, et Bernardus de Fractomonte. Hi dicebant se habere quoddam alodium infra terram nostram in valle Victoris. Supradictus quoque Henricus, veniens ad paupertatem, dedit domno Hugoni de Beria omnem suam hæreditatem, et ipse tutavit eum usque ad mortem; et partem supradicti alodii Henrici dedit supradictus Hugo Deo, et sancto Petro, et Besuensi ecclesiæ pro anima filii sui defuncti Warnerii pueri. Partem quoque Bernardi de ipso alodio dedit Euvinus filius Bernardi; et mater ejus Poncia, et sororius ejus Milo, et Richardus frater Euvidi, dederunt et confirmaverunt utramque donationem, pro anima patris sui Bernardi, et pro animabus suis suorumque antecessorum. Domnus Odilo monachus noster dedit illis pro signo quinque solidos nummorum. Ut hæc charta inconvulsa permaneat, adnotamus testes; Signum Stephani abbatis, Widonis prioris, Albrici, Odilonis. De laicis, Euvini, Milonis, Hugonis famuli, Gisleberti, Rotberti de Vetus-vineis, Bernardi, Rainaldi. Et in ipso die supradictus Euvinus junctis manibus effectus est homo domni Stephani abbatis, pro quibusdam, quas super eum habebat, calumniis.

Charta de hominibus S. Petro a Pontio datis.

Clarificetur cunctis modo viventibus, post nosque futuris, quod Pontius miles, filios Henrici de Firmitate, quæ dicitur Anrosiacus, pro anima patris sui suorumque antecessorum, et pro anima sua, per consilium suorum fidelium, dedit Deo, et S. Petro, et Besuensi ecclesiæ liberaliter et perpetualiter quinque homines, tres mares et duas feminas, scilicet Gandradam cum tribus filiis suis, quorum hæc sunt nomina. Primus, Petrus; secundus, Albricus ; tertius, Theodoricus; altera de feminis vocatur Elizabeth, uxor Petri desuper nominati. Hoc donum fecit supradictus Pontius in festivitate sancti Petri, et propria manu donum roboravit super altare per librum qui vocatur Regula S. Benedicti, coram multis testibus; tali pacto ut si unquam aliquis de parentibus suis, sive aliquis instigante diabolo, huic chartæ contraire aut calumniare voluerit, anathema sit. Huic chartæ assignamus testes : Sig. ipsius Pontii, qui hoc donum fecit. Sign. Richardi et Widonis fratris ejus de Vircillis. Julonis de Granando. Widonis filii Rainaldi Conulensis. Willelmi de Fossato. Odilonis de Lissiaco. Hugonis de Torcennaco, et aliorum nobilium, qui præsentes fuerunt. De monachis vero, sig. Stephani abbatis, Wilenci, Albrici captivi, Antonii fratris ipsius. Pontii, et multorum aliorum.

Charta de Feodo Giraldi de Luco.

Notum sit omnibus modo viventibus, post nosque futuris, quod Giraldus noster villicus de Luco, multotiens discordatus est a nostro servitio, propter quasdam injurias, quas faciebat de terris nostris, quæ non pertinebant ad suum feodum. De qua re dom. abbas Stephanus per consilium fratrum volens terminare ex utraque parte pacem et concordiam, suo jussu et jussu Giraldi per monachos et laicos fecit inquirere ad purum feodum Giraldi de villicatione. Inquisitione facta inventi sunt 52 jugera terræ, et 4 falces de prato. Hæc jugera terræ, et has falces de prato, concessit dom. abbas Stephanus, et monachi nostri, supradicto Giraldo : decimum..... ad suum feodum; medietatem quoque illius annonæ, quæ vocatur Ungranus, de qua erat contentio inter illum et monachos, quam ibi ex toto dimisit, scilicet in supradicto placito dom. abbas et monachi conceeserunt ei illam supradictam medietatem Ungrani tempore vitæ suæ, et non amplius,

propter misericordiam et bonum finem; et in uno quoque anno examen de horreo monachorum, vel unum becharium, hoc est medietatem *heminæ* de frumento vel de sigillo. Hoc concessit D. abbas Steph. per consilium fratrum. Giraldo, ut fidelis permaneret sancto Petro et Besuensi ecclesiæ, melius quam antea fuerat ipse et frater ejus Olardus. Hujus rei assignamus testes: Signum Stephani abbatis, Widonis prioris, Wilenci, Albrici, Landrici, Theoderici. De laicis, Giraldi, Olardi de Luco, Hugonis villici, Euvrardi, Giraldi filii Gunterii. Giraldi, Hugonis famuli, et aliorum multorum.

Charta de Molendino apud Fontanas.

Operæ pretium duximus adnotare litteris quod Alisendis uxor Aymonis de Fontanis, veniens ad mortem, dedit pro sua anima Deo et sancto Petro, et Besuensi ecclesiæ, cum omni honore et omni libertate medietatem molendini de prato Hairardi, laude et concessione Aymonis viri sui, et Widonis filii sui. Ut hæc donatio firma et inconvulsa persistat, assignamus testes: Signum Aymonis de Fontanis, qui hoc donum fecit Widonis filii ejus, Hugonis Carrucæ, Wilenci militis, Hugonis de Porta, Bertranni militis de Fontanis, Herberti villici, et Odonis fratris ejus, Hildemari presbyteri, et aliorum multorum. Et de monachis nostris, Sign. dom. Stephani abbatis, Wilenci, Girardi, Joannis, Albrici.

Charta de Luco.

Memoria et recognitio sit omnibus modo viventibus, postque futuris, quod Giraldus de Luco villicus noster, et Humbertus, cognomento Ingelricus de Cipeto, quandam partem decimæ de terra, quæ dicitur S. Vincentii de Luco, quam per aliquot annos male subripuerant, et sub anathemate et furto retinuerant, agnoscentes reatum suum et culpam clamantes, restituerunt sancto Petro et Besuensi ecclesiæ, in præsentia dom. Stephani abbatis et monachorum, promittentes nunquam per se, neque per aliquem successorum suorum, tam exsecrabilem rapinam repetere.

Charta de pertinentibus ad Arcionem.

Cum præcedentium patrum statuta a posteris quotidie videamus dissolvi, et ea quæ in mundo firmius stare videbantur, aut jam ceciderint, aut casum minitentur, ne dum verba, quæ cum formari cœperint, jam non sunt, litterarum tenaci memoriæ commendare studuimus, qualiter inter monachos sancti Leodegarii, ex diutina contentione pax et concordia firmata sit. Hæc vero contentie fuerat de decimis duarum ecclesiarum sancti Petri, videlicet Danblin, et Danbrun, et de una silva, quam Ferrerias vocant, et de uno campo.

Placuit itaque Rotberto venerabili Lingonicæ sedis episcopo Stephanum Besuensem abbatem et Hugonem. Antissiodorensem illius loci, videlicet sancti Leodegarii abbatem, Jerentonem quoque Divionensem convocare, ac demum prædicta contentio hoc modo terminata est. Laudatum est atque sancitum ab abbatibus Stephano Besuensi, et prædicto Hugone Antisiodorensi, et Roberto tunc temporis priore sancti Leodegarii, et ab utriusque partis hominibus, quod parochiani S. Leodegarii ex eo quod in ipsis parochiis, videlicet Danblin et Danbrun, laboraverint, medietatem decimarum secum deferent, et medietatem ecclesiis relinquent, in prædicta silva, quam Ferrarias vocari diximus, communitatem nostri homines, et illorum habebunt, de tribus silvis sancti Leodegarii, quarum hæc sunt nomina: Granzuvaure, Chalmes, Droul, faciet monachus, qui Arcioni erit, domum suam, et, ut vulgariter dicitur, Aasimentum domus suæ. In prædictam sylvam quam Ferrarias vocari diximus, si laboratum fuerit, cujus erit fundus terræ, ipsius erit et tertia. Pasturam in nostris et illorum terris communem habebunt, utramque sine damno tantum. Et si damnum factum fuerit, si sine clamore redditum fuerit, pax erit. Quod si clamor ad dominum pervenerit, damnum restaurabit, et legem domino persolvet ipse qui damnum fecerit. Campum illum qui est intra terram villæ, quæ dicitur Trescasas, sicut fuerat monstratus et aratus, dimisit dom. abbas Stephanus Besuensis S. Leodegario et dom. Hugoni Antisiodorensi abbati.

Facta est hæc concordia in uno campo super Cyriacum ab abbatibus Stephano Besuensi, et Hugone Antisiodorensi. Ex monachis Besuensibus affuerunt Warnerius prior, Lebaldus, Alberius, qui Arcioni morabatur, Landricus frater Hugonis cognomento Columbæ. De monachis Antisiodorensibus affuerunt Robertus prior de sancto Leodegario, Itherius secretarius, Emelbertus, Artaldus prior de S. Marcello. Ex militibus, Humbertus de Lissei, et Odilo frater ejus, et Hugo Columba, Wido de Agullini, Wido de Danbrun, et Humbertus frater ejus, et Hugo præpositus de S. Leodegario. Emelbertus præpositus Antisiodorensis. De familia sancti Petri, Arlebaldus de Belenava præpositus, Otbertus coccus, Gislebertus famulus. De familia S. Leodegarii, Hugo de Ballenava villicus, et Odilo, Paganus præpositus de Magnei, et Humbertus, et Hugo fratres ejus. Petrus de Mosteriolo. Acta sunt hæc anno ab Incarnatione 1109, Indictione II, Epacta XVII, concurrente IV, Hlucdowico rege filio Philippi regnante, Anno II imperii ejus, episcopali cathedræ Lingonensium præsidente domno Rotberto, qui hoc placitum tenuit et hanc concordiam laudavit. Die XXVIII mensis Octobris.

Considerans etiam dom. Stephanus abbas charitatem refrigescere, veritatem a filiis hominum diminui, nec solum largitiones, quæ olim fiebant ecclesiis Dei maxima ex parte remanere, verum etiam largita auferri; Romam petiit, et ad eum qui tunc apostolicæ cathedræ sedebat papam, domnum videlicet Pascalem accessit, et B. Petri auctoritate, nec non et illius qui tunc loco ipsius universalis atque catholicæ Ecclesiæ curam habebat, prædicti papæ privilegio inviolabili confirmari fecit, quæ-

cunque istud Besuense cœnobium possidebat, sive in futurum concessione pontificum, liberalitate principum, vel oblatione fidelium juste atque canonice posset adipisci. Potitus autem eo quod quæsierat, ea quæ retro sunt obliviscens, et in anterioribus se extendens, pericula et labores vitæ (hiems enim erat) parvipendens, non reminiscebatur pressuræ propter gaudium subsecutum. Nos vero exemplum privilegii illius curavimus subscribi infra.

Privilegium domni Pascalis papæ.

« Pascalis episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Stephano Besuensi abbati, ejusque successoribus regulariter promovendis in perpetuum.

« Religiosis desideriis dignum est facilem præbere consensum, etc. : *Vide in Paschali Patrologiæ tom. CLXIII.*

Pascalis papa cænobium Besuense invisit. Concionem habet ad monachos (1108).

Evolutis igitur annis duobus contigit eumdem papam Pascalem, Galliarum partes invisere. Deveniens autem usque ad nos, a domno Stephano abbate, et a nobis aliis cum copioso cardinalium tam episcoporum quam presbyterorum ac clericorum suorum comitatu, nec non et aliorum episcoporum, abbatum diversorumque graduum ecclesiastici ordinis in hoc monasterio Besuense devote susceptus est. Ubi usque in tertium diem demoratus, cum situs hujus loci multum, fratrumque conventus et ordo plurimum ei placuisset, omnia laudans, omnia benedicens, ad ultimum in capitulum veniens consedit, ubi sermonem faciens, ab eo loco incæpit, ubi dicitur : *Fratres, quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum, spem habeamus* (*Rom.* XV, IV). Et quia monachis loquebatur, quibus maxime patientia necessaria est, eam posuit quasi fundamentum. Deinde ostendens quod patientia spem operetur, de spe disserens, pervenit ad fidem. Fidem autem nos docens tenere non fictam : de ea etiam multa nos edocens tandem ad charitatem, quæ Deus est, conscendit. Dixit et de ea, imo de eo, ut tempus et ratio expetebat. Cumque sermonem terminasset, rogatus a D. abbate et ab aliis fratribus, utpote qui locum tenebat ejus, cui data est potestas ligandi et solvendi in cœlo et in terra, ut nobis et fratribus nostris, tam vivis quam defunctis, absolutionem daret, et benedictionem annuit; et incipiens L psalmum, cum Orat. Dominica, et collecta uti rogatus fuerat, nos absolvit et benedixit.

Nec illud prætermittendum quod altare sanctorum Petri et Pauli, ipse in honore eorumdem consecravit, ibique missam solemniter celebravit; et eum diem sicut diem natalis Domini quot annis celebrari præcepit.

Nomina vero cardinalium, episcoporum, abbatum, presbyterorum, seu clericorum, qui cum eo adfuere, quantum memoriæ occurrere potuit, subter scripsimus. Richardus card. episcopus Albanensis, Divizo card. sancti Martini, Risus Card, sancti Laurentii. Gregorius card. sanctorum apostolorum, Joannes diaconus card. sanctæ Rom. Ecclesiæ; episcopus Lingonensis, Rotbertus ad cujus petitionem hæc acta sunt, episcopus Placentinus, episcopus Vivariensis, episcopus Cameracensis, Henricus abbas Angeriacensis, Lambertus Pultariensis abbas, Henricus abbas sancti Sequani, Wido abbas sancti Michaelis, et alii multi. Inferioris vero ordinis clericorum, seu laicorum, fere innumera multitudo.

Quoniam vero Dei dispositionem ab æterno cuncta sequuntur, suisque quando et quomodo vult, miseretur, gratuita pietate nos voluit apostolica benedictione relevari. Acta sunt hæc anno ab Incarn. Dom. 1107, Indict. XV, Epa. XXV, die XII Kal. Martii.

Charta de vinea sacristæ in Bessua. — Hujusce Chronici auctoris nomen et ætas.

Evangelicæ auctoritatis exemplo didicimus quod servus fidelis, et prudens in modico, a Domino JESU super multa constituetur. Studui igitur ego Joannes, terram quæ circa basilicam sanctæ MARIÆ jacet, ecclesiæ sanctorum Petri et Pauli revocare, quæ jamdiu aliquo modo distracta fuerat, sicut infra docebimus.

Domnus namque abbas Odo dederat eam Warnerio, patri Ulgerii, excolendam, et ad plantandam vineam, ut in vita sua illam teneret; post decessum vero ecclesiæ redderetur. Sed eo mortuo, haud ita evenit. Cum enim filio ejus Ulgerio prædicto pecunias deberet ecclesia, concessit ei D. abbas Stephanus terram illam, eo modo quo pater ejus habuerat. Ego vero cupiens talentum mihi creditum ampliare, donavi Ulgerio 120 solidos, id est sex libras, et ipsi ac filii ejus quidquid in terra clamabant Deo et sancto Petro in manu domni abbatis Stephani reddiderunt. Domnus autem abbas Stephanus donavit et concessit eam secretario monasterii, per manum meam, in perpetuum habendam libere absque censu et omni consuetudine quæ de aliis vineis persolvitur. Concessit etiam eam consuetudinem quam Warnerus et Wlgerius habuerant; scilicet, ut de sylva illa, quam Castanetum vocamus, liceret in vinea fieri perticas, furcas, paxillos et quidquid in ea opus fuerit. Et ut hæc charta inconvulsa permaneat, assignamus etiam testes : Signum domni Stephani abbatis, Warnerii prioris, Joannis secretarii, Theoderici præpositi, Landrici, Giraldi. De laicis vero, Otberti cocci, Martini clerici, Ulgerii, Amalberti, Giraldi, Stephani de Beria, Formati, Petri, Humberti et Warnerii filiorum Ulgerii.

Charta de Mercennaco.

Sanctorum Patrum exemplis piæ considerationis oculum ad imitationem infigentes, nos qui regimen sanctæ Ecclesiæ suscepimus, necessarium, imo æquum et salubre esse cognoscimus, eam fideliter ordinare et in ea quidquid boni ordinate disponimus, ne citius destruatur, aut pereat, sapienter providere.

Notum igitur facimus omnibus tam præsentibus quam futuris nostris successoribus, ego Stephanu abbas Besuensis ecclesiæ, cæterique qui mecum sunt ejusdem cœnobii provisores, quamdam vineam, quam apud Gibriacum frater Joannes emerat, nos cum vineis, de quibus vinum ad commune deportatur cellarium, terminasse; sibi etiam cunctisque post eum venturis, quidquid terræ sive vinearum, atque consuetudinum apud Mercennarium habebamus id concessisse, quatenus ex redditibus earum, ea quæ sunt in nostræ ecclesiæ ministerio apta comparentur: et insuper altare sancti Martini in sinistra parte situm monasterii, exinde jugiter illuminetur. Quod statutum litteris imprimentes, auctoritate qua debemus, inviolatum permanere præcipimus. Signum domni Stephani abbatis, Warnerii prioris. Wilenci, Joannis, et cæterorum monachorum.

Item alia.

Sciant omnes præsentes et futuri quod Thebaldus, qui nunc nuncupatur de sancto Prudentio, quidquid ædificii habuit super campum, qui capellæ sanctæ Mariæ adjacet, scilicet de vinea, reddidit beato Petro et Stephano abbati et secretario Joanni in perpetum possidendum, et pro tali commercio, dedit illi Joannes secretarius 25 solidos et unam combam quam plantaverat: communicavit ei taliter ut per medium excolat, et per medium fructum capiat. Eo tenore, si fidelis cultor exstiterit, habeat eam cum honore tempore vitæ suæ absque censu. Post ejus obitum si quis legalis hæres ejus supradictam vineam habere voluerit, cum secretario qui dominus et socius inde est imprimis eam offerat. Si ipse eam sibi retinuerit, bene; sin autem noluerit, per consilium abbatis et monachorum vendat eam alicui de servis sancti Petri qui eam fideliter excolat, et censum et consuetudines secretario reddat. Huic chartæ assignamus testes: Signum Stephani abbatis, Wilenci, Joannis secretarii, qui hoc fecit, Girardi, Albrici, Thebaldi, Hugonis villici, Haidulfi, Hugonis famuli, Berengarii, Baldi, et aliorum multorum de familia ecclesiæ.

De obitu Rotberti episcopi.

Cum per multorum annorum curricula domnus Rotbertus ecclesiam rexisset Lingonensem, gravissimo correptus morbo ad extrema propinquans, apud castellum, quod Castellion dicitur, abbates suos, Stephanum Besuensem, Widonem Molimensem, item Widonem Ternodorensem, ad se mandans, humiliter se in conspectum Dei accusans, et veniam peccatorum exposcens, a domno Widone Molimense abbate monachilem habitum suscepit; deinde non post multum, Viaticum ipsum corpus Christi accipiens, vitam finivit: sepultusque est apud Molimense monasterium in capitulo decenter ut decuit. Cujus loco substituitur domnus Jocerannus Lingonensem sedem gubernaturus.

Charta Hugonis ducis de Karris apud Divionem.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. Quantam animi devotionem erga sanctam Dei Ecclesiam habere debeamus, divina sanctarum Scripturarum demonstrant testimonia, quæ siquidem eam et muneribus præcipiunt fieri locupletem, et omnimoda veneratione testantur, et commendant effici gloriosam. Hac igitur animadversione compunctus, et a sancto Spiritu spiritualiter instinctus, ego Hugo dux Burgundiæ notum facio omnibus tam modernis, quam futuris fidelibus, quod redemptionem carrorum, quam in porta Divionensi capere consueveram, Deo et sancto Petro, et abbati Stephano omnibusque Besuensis ecclesiæ monachis donaverim ut amodo quibuscunque annis vel temporibus Divionem venerint ipsi denominatæ ecclesiæ monachi, tam claustrales, quam in cellis manentes, hanc sibi libertatatem a me meisque successoribus obtineant, ut sine omni impedimento et absque alicujus redemptionis exactione, cum suis carris indubitanter pertranseant. Cujus siquidem doni largitionem zelo Dei succensus, hujus gratia rei pro animæ patris mei remedio, Besuensi ecclesiæ contuli: ut videlicet singulis annis apud eamdem ecclesiam ipse in memoriam sit omnium, et sicut mos est catholicus, anniversarium ei a filiis Ecclesiæ celebretur omnibus, quatenus orationibus fidelium Dei famulorum, sibi meisque omnibus antecessoribus remissio omnium concedatur peccatorum. Proinde quoniam multa et maxima parentum nostrorum instituta, eos qui modo sunt in silentio et oblivione, conspicio præterire, authentico placuit hoc donum commendare privilegio, et subscripto approbatorum virorum roborare testimonio. Sig. Hugonis ducis, Henrici fratris ducis, Walonis abbatis, Hugonis dapiferi, Waleranni militis, Hugonis præpositi, Ewrardi præpositi, Dominici juvenis. Signum Stephani abbatis Besuensis, Warnerii prioris, Albrici. De laicis, Otherti, Ewrardi, Girardi, Arnaldi villici Lingonensis. Acta sunt hæc anno ab Incarnatione Domini 1113, indictione VI, Epact. I, regnante Hlucdowico rege Francorum, episcopante Joceranno in urbe Lingonensium.

Charta de decima Casoti.

Operæ pretium duximus litteris adnotare quod Richardus, qui nepos Esemberti de Casoto fuit, omnem calumniam quam habebat super decimam de supra taxata villa postposuit et omnino dimisit in præsentia Stephani abbatis et monachorum nec non et laicorum. Quapropter ut de hac re firma pax teneretur ex utraque parte, dedit ei supradictus Stephanus abbas quatuor heminas de annona in supradicto Casoto annuatim: duas de tritico, et duas de hordeo qualiscunque ibi fuerit per fœdum tali pacto et tali ratione, si supradicta villa ad supradictam destructionem pervenerit, ut ibi capere non valeat supradictam mensuram, scilicet de quatuor heminis, tandiu patienter exspectet, donec villa melioretur, et quod sibi competit, iterum recipere possit. Hoc laudaverunt frater ejus Sewinus et soror. Huic rei assignamus testes: Signum Richardi, qui hoc fecit. Thetbaldi militis de Casoto, Pagani præpositi de

Tilecastro. De familia sancti Petri, Oberti, Amalberti, Fisleberti, Hugonis, Girardi.

Item alia.

Sciant omnes tam præsentes quam futuri quod filia Pontii, quæ cognominata est Besueta, et Odo miles filius ejus, quidquid juris vel proclamationis habebant super pueros Girardi, qui cognominatus est Aligrinus, dederunt Deo et sancto Petro, et Besuensi ecclesiæ, æternaliter pro remedio suorum antecessorum, ante aram sanctorum apostolorum Petri et Pauli, et in præsentia Stephani abbatis et monachorum. Ut hæc charta inconvulsa permaneat, assignamus ei testes: Signum Odonis militis, et matris ejus, qui hoc fecerunt. Benzonis sacerdotis de Tilecastro, Humberti, qui cognominatur Angelricus, Viviani. Hugonis villici, Joannis, et aliorum multorum.

Charta de ecclesiis, datis a dominis Montis-Salionis.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Notitificamus omnibus fidelibus, quorum usque ad aures chartula ista pervenerit, quod domnus Petrus, cum nepoti suo domno Odoni in honore et dominio Montis Salionis successisset, dona quæ ipse Odo et avunculus ejus Rainaldus contulerant Deo et ecclesiæ sancti Petri Besuensis, de ecclesiis videlicet calumniari cœpit. Accidit interim archiepiscopum Jocerannum Lugdunensem, et episcopum Cabilonensem, et episcopum Augustidunensem Divionem advenire. Ibique ratione consilii, imo rationabili consilio suo commonitus domnus ipse Petrus, quidquid in rebus præfatis calumniatus fuerat in manu domni Joceranni archiepiscopi Lugdunensis reddidit. Archiepiscopus autem donum illud in manu domini Stephani abbatis posuit, et ecclesiam Besuensem inde revestivit: assignamus testes: Sign. Joceranni archiepiscopi Stephani Eduensis episcopi, Walterii Cabilonensis episcopi. Wilenci archidiaconi, domni Joceranni archidiaconi. Stephani abbatis. Verentonis abbatis. Stephani Novi Monasterii abbatis. Warnerii prioris, Joannis, Albrici. De militibus, Willelmi Fontis-vennæ, Hugonis dapiferi, Petri qui hoc donum fecit, Wibrici, Otberti cocci, Hugonis famuli.

Charta de Arcione.

In nomine sanctæ ac individuæ Trinitatis. Dignum duximus litteris adnotare quod Arlebaldus, præpositus sancti Petri de Beleneva, reddidit Deo, et sancto Petro et Besuensi ecclesiæ, omne fœdum, quod habebat de abbate et de monachis super mansos de Arcione, sicut supradiximus, omnem consuetudinem et quidquid calumnii vel juris habebat super supradictos, super altare in dono posuit, pro sua anima suorumque antecessorum, ipse et uxor ejus, et filii ejus æternaliter. Et propter hoc, ut hæc donatio inconvulsa permaneat, dedit illi Albericus monachus qui tunc temporis Arcionem gerebat, duas heminas frumenti et unam vaccam, et redemit illi de Ranaldo de Miribel quinque heminas annonæ, quas perdiderat apud Cusiriacum, cum 40 solidos. Huic

A rei assignamus testes: Sig. Stephani abbat. Wilenci, Joannis, Joffredi. Et de familia sancti Petri, Otberti, Hugonis, Gisleberti, Nerduini, Joannis, et aliorum multorum.

Charta de Caviniaco.

Clarescat hoc cunctis modo viventibus, post nosque futuris, quod Suffisia uxor Pontii de villa, quæ sanctus Sequanus nuncupatur, et Humbertus gener ejus de Lisiaco, pro anima supradicti Pontii, qui Hierosolymitano itinere mortuus est, pro sua requie suorumque antecessorum fidelium, dederunt Deo, et sancto Petro, et Besuensi ecclesiæ unum mansum, cum suis terris et suis appenditiis in nostra villa quæ Caviniacus dicitur, et unum servum cum medietate suorum infantum, in supradicta villa sancti Sequani, Utricum nomine. Ne talis memoria

B deleatur, assignamus testes: Humberti militis de Lisiaco, qui donum fecit, cum socru sua, Widrici de sancto Sequano, Theoderici de campo curto. De clericis, Wilenci archidiaconi, Humberti canonici, Joannis presbyteri. De monachis, Wido prior, Wilenci, Henrici, Joannis, Joffredi, et aliorum. De familia nostra, Hugonis famuli, Adulfi, Arnulfi villici de Caviniaco, Rotberti filii.

Charta de hominibus Novæ villæ.

Notum sit omnibus qui modo sunt postque futuri quod Deodatus de Nova villa et uxor ejus censum de capitibus ejus reddiderunt sancto Petro, et Besuensi ecclesiæ, et Stephano abbati, ut alii servi sancti Petri et ancillæ, vir quatuor nummos, et mulier duos. Hoc adnotamus litteris, ne filii et filiæ

C horum, vel posteritas, si negare voluerint, hoc unquam negare possint. Nempe litteræ de hoc scriptæ, testimonium veritatis semper habebunt.

Charta de Fontinellis

Clarificetur cunctis modo viventibus postque nos futuris quod Wido miles de Fontanis, filius Haymonis, decumbens in infirmitate veniens ad obitum suum, ipse et manipulares ejus et Rotbertus frater ejus puer dederunt Deo et sancto Petro et cœnobio Besuensi, mansum unum in villa quæ Fontanellas dicitur, cum appenditiis suis, qui nuncupatur mansus Hugonis præpositi, et quatuor servos, Constantium, qui vocatur miles, cum filiis suis, sub tali testimonio: Signum Richardi de Vircillis, Hugonis Carrucæ, Wilenci militis de Fontanis, Herberti vil-

D lici. Hugonis de Convulensi castro, domini Rotberti pueri, qui donum fecit et laudavit, et aliorum multorum.

Charta de Beria.

Agnoscat pleniter et retineat memoriter fidelis natio, tam de præsentibus, quam de futuris, quod Humbertus cognomento Solitarius, filius Arlebaldi, dedit Deo, et sancto Petro, et Besuensi ecclesiæ unum mansum pro suà anima suorumque antecessorum fidelium in Beria villa, cum omnibus appenditiis suis, de pratis, et de terris cultis et incultis, ornatum omni libertate. Dedit etiam supradictus Humbertus unum servum et unam ancillam, fra-

trem et sororem Humbertum et Rotrudem, pertinentes ad supradictum mansum jure perpetuo. Huic rei assignamus testes: Signum Hugonis militis de Chimissiaco, Leterii et filiorum ejus, Stephani, Richardi, Joannis presbyteri, Andreæ presbyteri, et aliorum multorum de Beria. Si qxis perversus huic eleemosynæ contraire voluerit, aut aliquid demere voluerit, anathema sit.

Item alia.

Est in eadem villa Beria mansus, quem honorifice et cum omni libertate dedit Deo et sancto Petro Milo miles de Bellomonte, et uxor ejus Adilina, in die quando primum Joffredus filius eorum celebravit missam, sub tali testimonio : Signum Milonis. Sig. Joffredi monachi, qui per cultellum suum donum recepit, Odonis, Stephani, Rotberti, et aliorum multorum.

Charta de Majasco.

Omnis fidelis homo pleniter agnoscat quod eleemosyna fideles vivos ad vitam dirigit, et animas defunctorum a morte liberat. De qua re non immemor Odo miles de Cipeto, qui Caterius cognominatur, fideliter pro anima matris suæ, quæ Besueta nuncupata est, patrisque sui suorumque fidelium antecessorum dedit Deo, et sancto Petro, et Besuensi ecclesiæ in eleemosyna corvatam apud Majascum cum omnibus consuetudinibus, quæ illi succedebat liberaliter de proprio jure, et 5 jugera terræ, nec non et partem suam de campo, qui supra castellum jacet, qui Vinea nuncupatur. Nos quoque Besuenses monachi pro signo recompensavimus illi suisque fidelibus orationes et benefacta ecclesiæ, tam vivis, quam defunctis in sempiternum. Huic chartæ assignamus testes : Sign. Odonis qui eleemosynam fecit. Willelmi Fontis vennæ, Humberti de Cipeto, Benzonis sacerdotis de Tilecastro, Pagani præpositi, Willelmi de Fossato, et de nostra familia quamplurimorum.

Item alia.

Notum sit omnibus tam præsentibus, quam futuris, quod Odo miles de Bellomonte concessit et ex toto donavit Deo, et sancto Petro, et Besuensi ecclesiæ, quidquid unquam habuit, vel ipse, vel antecessores sui, calumnii super infantes Lamberti qui Grossus denarius nuncupatus est, sive juste, sive injuste. Huic notitiæ assignamus testes : Signum Odonis qui hoc fecit ex parte, et omnium antecessorum suorum. Sig. Sewini de Rejaco, Odilonis militis de Lisiaco, Hugonis Columbæ de Bellomonte : Lamberti, Otberti filii ejus, Widrici. De monachis, Warnerii prioris, Landrici, Theoderici, et aliorum multorum.

Charta de hominibus Burbereni.

Sciant omnes per notitiam istarum litterarum quod homines nativi de Burbureno, qui terram acceperunt sancti Petri ad plantandas vineas, de manu Stephani abbatis, scilicet Albricus, Warnerius, et Nerduinus, cum fratribus suis, tali pacto concessa est eis prædicta terra, ut si quis ex filiis eorum acceperit ancillam sancti Petri in uxorem et in servitio ecclesiæ remanere voluerit, ipse habeat ædificium et terram supra nominatam. Et qui hoc non fecerit, post mortem ejus recipiet ecclesia et ædificium et terram in suo proprio jure.

Charta de ecclesiis pro Humberto Bruno datis.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Omnibus qui has legerint vel audierint notulas, certum fiat quod in die illa quando corpus Humberti Bruni, Fontis-vennæ Senioris, apud Besuæ monasterium traditum fuit sepulturæ, consilio et laude Rotberti Lingonensis episcopi, et fratrum, et militum, et clientum supra taxati Humberti, uxor ejus pro ejus anima in illa die dedit Deo, et sancto Petro, et Besuensi ecclesiæ capellam de castro Fontis vennæ, et illam partem quam habebat in ecclesia S. Valentini de Lurocurte, habendam et possidendam jure perpetuo. Nec non ei duos scyphos argenteos : tali pacto ut annuatim, in suo anniversario, ejus memoria et antecessorum suorum fideliter celebraretur in conventu monachorum. Ut hæc charta inconvulsa permaneat, subscribamus ei testes idoneos : Sig. Rotberti episc. Willelmi comitis Burgundiæ, Rainaldi filii ejus, Widonis de Raiaco, Widonis de Burgundione villa, Hugonis de Bellomonte. Lebaldi de Petro, Henrici de Nova-villa, Henrici de Firmitate. Rotberti capellani, et aliorum multorum. De mon. Sig. Gausberti abbat. Warnerii præpositi, Benedicti prioris Fontis-vennæ, Constantii. Facta sunt hæc regnante Philippo, episcopante Rotberto.

Item alia.

Notum sit omnibus tam præsentibus quam futuris quod Odo filius Hugonis, qui frater fuit abbatis Odonis, propter quamdam vineam quam sibi concessit habere D. abbas Stephanus post obitum patris sui, scilicet supradicti Hugonis, seipsum spopondit permanere in servitio et in fidelitate sancti Petri et monachorum sicuti liber. Et tali modo, si ipse absque proprio hærede moriatur, qui non sit de ancilla sancti Petri, ipsa supradicta vinea, et quidquid ibi ædificatum fuerit, veniat in jure et in proprietate sancti Petri et monachorum, pro anima ejus : sin autem ancillam sancti Petri accepit, infantes ejus vineam possideant, quandiu servierint : et per istam pactionem, si circa nos morte præoccupatus fuerit, quasi nostrum commissum obtinebimus.

Charta de Veona.

Ad memoriam reducatur modo viventibus, post nosque victuris, quod Thebaldus capellamus de Verziaco pactum fecit et confirmavit cum Stephano Besuensi abbate super 2 jugera de terra sancti Petri, quæ est in Veona, quæ ad plantandum quæsivit tali ratione ut annuatim tempore vitæ suæ 12 nummos Besuensi ecclesiæ pro signo persolvat. Post obitum vero ejus supradicta ecclesia terram suam cum omni ædificio liberam et ædificatam recipiat. Huic rationi subscripsimus testes : Signum

Stephani abbatis, Guilenci, Albrici, Joffredi Divionensis prioris, Rotberti presbyteri de Gibriaco, Humberti clerici de Divione, nec non et aliorum multorum.

Charta de terra Lamberti apud Novam villam.

Descriptio terræ Lamberti de Poliaco, quæ est apud Novam villam, super fontem, diurnalem et dimidium in villenas : 2 in Campanolas : 4 in cuncta de villa Marcelli ab ea parte ubi fuit capella Sancti Langisi : 4 ad campum juxta pratum, qui appellatur Campus natoriæ. Et in milliario 2 in campo d'Elchallo, et in campo Delfinum, 3. De prato ad 4 falces et dimidiam.

Charta de uxore Ewrardi.

Clarificetur cunctis modo viventibus, post hosque futuris, quod Humbertus puer, filius Humberti de Cipeto, pro anima patris sui suorumque antecessorum, dedit Deo et Besuensi ecclesiæ Helizabeth filiam Wanerii de Burburano, sponsam Ewrardi, filii Gisleberti de Fonte. Ne aliquis infidelis hoc mendacium existimet, assignamus testes : Sig. Humberti qui donum fecit, Pagani præpositi de Tilecastro, Walterii, Hugonis fratris ejus de Tilecastro, Otberti de Picangis, Tebaldi de Casato, Humberti, Engelrici, Albrici de Burburano. De familia sancti Petri, Ewrardi, Gunterii, Giraldi, Albuini, Giraldi, Otberti, Hugonis famuli.

Charta de Majasco.

Religiosorum fides ac devotio virorum eo maxime semper fuit laudabilis, quo non solum ecclesiis Dei acquisita retinere, verum etiam alia undecunque studuerunt acquirere. Quorum formam prout potu imitatus, ego Stephan. eccles. Besuensis, licet indignus, abbas, et ecclesiam juxta castrum quod dicitur Confluentum construere cupiens, quæsivi ab Iterio, qui tunc dominus ipsius castri fuerat, quatenus Deo et ecclesiæ sancti Petri Besuensis concederet quodcunque usuarium habebat in pratis, in sylvis, in aquis, seu in campis ; qui petitionem nostram intelligens de fonte pietatis descendere, annuit quod petebam, ipse cum matre sua et fratribus ac sororibus suis. Annuit hoc ipsum Warnerius de Fulcherolis, quantum ad se pertinebat. Item Poncius de Castello, quod Firmitas dicitur, ubicunque ad se pertinebat, eodem modo et ecclesiæ Besuensi concessit.

Charta de Lentiliaco.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Religiosa fidelium rebus sanctæ Ecclesiæ invigilans industria, sic suæ possessioni oportet ut provideat, ut quidquid tenet, inconcusse teneatur, et quæcunque ex propriis laboribus vel ex piorum oblationibus adipiscitur, cuncta se perenniter obtinere in futurum grātuletur. Quamplures etenim hujus temporis homines crudeles et sævissimi sponsam Christi, videlicet Ecclesiam, non solum non curant

A augmentare, verum etiam omnimodis moliuntur de propriis annullare. Proinde notum sit omnibus et præsentis et futuri sæculi fidelibus, domnum Joffredum dominum Bellimontis, cum Gertrude sua conjuge suoque filio Hugone, pro anima filii sui Fulconis antecessorumque suorum remedio, in loco eleemosynæ, Deo et S. Petro, fratribusque Besuensis cœnobii, unanimiter concessisse quidquid [apud] Lentiliacum in terris, in aquis, in sylvis possidebat, id est, quidquid prorsus in reditibus vel appenditiis aliquibus proprio jure ibidem obtinebat. Quod donum a se suisque hæredibus collaudatum, ne procursu temporis vel aliquo oblivionis dissolvatur dispendio, opportunum esse cognoscitur solidari privilegio, virorumque qui adfuerunt roborari testimonio. Sig. Joffredi qui donum

B fecit, Hugonis filii ejus, Widonis qui fontis vennæ est dominus, Willelmi avunculi ejus, Hugonis de Poliaco, Seuvini de Raiaco, Odilonis de Lixiaco, Humberti de Faberniaco, Mainfredi de Arco, Audonis de Fontinellis. De familia dom. Joffredi adfuerunt Wido præpositus, Warnerius cognomento Pirdix, et Hugo frater ejus, Gislebertus de Alteriaco præpositu, et Rodulfus de Alteriaco, Gislebertus de Poliaco, Warnerius de Solario, et alii quamplures. Acta sunt hæc anno ab Incarnatione Domini 1114, indict. VII, epacta XII, Hlucdowico rege regnante in Francia : Joceranno episcopo præsidente in Lingonis, et Stephano abbate in Besua.

C *Item charta de eodem postea facta, propter contentionem de illa prima donatione habitam.*

Omnipotentis edoctus consilio, simulque illud considerans, quod pro omnibus, quæ in hac vita geruntur, aut puniatur quisque, aut remuneretur a Christo, deliberavi ego Joffredus cum uxore mea Gertrude, et Hugone filio meo, vitæ meæ tempus et dies quoniam mali sunt, redimere.

Concedo igitur cum uxore mea et filio ecclesiæ Sancti Petri Besuensis quidquid apud Lentiliacum habeo in ipsa villa, et in campis, et in pratis, et in aliis appenditiis, ita ex toto liberrimum, sicut unquam liberius ab antecessoribus meis seu a me possessum est. De Sylva illa quæ vocatur Brouls medietatem a parte villæ Lentiliaci, omnino ab omni consuetudine liberrimam possideat. In alia

D medietate mea, monachi et homines ac mulieres qui apud Lentiliacum manebunt, libere et consuetudinaliter sibi et bestiis suis procursum habeant. Ingressus usque in eam partem sylvæ, quæ mea est erit ab ea parte, quæ angulus lirratus dicitur : et eo tenore, ut si eundo damnum nesciens factum fuerit, simpliciter reddatur ; si vero scienter, aut exspectando, damnum cum lege (8) restituetur. Quod si guerra mihi aut hæredibus meis supervenerit, a castello Fontisvennæ, aut ab Aquato, aut a Chargeiaco, ingressus usque in meam partem

(8) *Cum lege*, hoc est, cum mulcta pecuniaria, et quidem levi.

sylvæ, erit mihi et meis per antiquas et originales vias. Et iterum eo tenore, ut si damnum in eundo factum fuerit nescienter, simpliciter reddatur, si vero scienter, damnum cum lege restituetur. Huic donationi assignamus testes : Jocerannum episcopum Lingonensem, Stephanum abbatem Besuensem, Warnerium priorem, Lebaldum, Theodericum præpositum, Albricum. De clericis, Josbertum decanum, Lambertum. De militibus, Joffredum cum uxore sua Grtrude et Hugone filio suo. Humbertum de Lisseio cum Odilone fratre suo, Widonem villicum de Gradeio, Rocilinum. Rotbertum de Furt, Richardum de Poiens, Virricum de Altreio, Widonem fratrem ejus, Hugonem de Pauliaco.

Charta de ecclesia S. Martini.

Præsentis ævi futurisque deinceps hominibus clarificetur quod domnus Girardus, ecclesiæ Lingonensis archidiaconus, dedit ecclesiæ Besuensi pro quiete suæ animæ suorumque antecessorum quidquid habebat in ecclesia Sancti Martini castri, quod dicitur Bellimons ; scilicet medietatem ecclesiæ et presbyteratum, laudante idipsum domno episcopo Rotberto et omni capitulo Lingonensi. Nos vero contuentes pene cuncta a memoriis hominum dilabi, chartis hoc placuit inseri, ut si quis deinceps huic donationi contraire voluerit, harum auctoritate litterarum retineatur. Hujus autem testes rei quamplurimi exstitere, ex quibus nobis quosdam placuit hic nominatim subtexere : Domnus Rotbertus episcopus, abbas Stephanus. Warner. Constant. ; et de militibus, Rainaldus de Monte Salionis, et frater ejus Petrus. Domnus Stephanus abbas, cum Gibuino sacerdote, et fratre ejus filiis Berengarii, ex eadem re hujusmodi pactum firmaverunt. Tertiam partem decimæ de omnibus annonis sibi retinuit, excepto Canabo. De oblationibus vero quatuor festivitatum, Nativitatis, Purificationis sanctæ Mariæ, Paschæ, et omnium Sanctorum quartam partem, et candelabrum, et oblationum pro defunctis.

Ut vero pax utrinque teneretur, Gibuinus presbyter dedit fidejussores Warnerium Perdicem et Warnerium de Solario, taliter ut si isti defecerint, alii ab eo restituantur. Hoc etiam statutum est ut si domnus abbas, seu quislibet ex monachis Besuensibus, venerit in domo presbyterii, libenter suscipiat et serviat ei. Illud etiam additum est : quod si presbyter quid ex nostra portione interceperit, si domno abbati vel monacho, seu ministro rem requirenti reddiderit in pace erit ; sin alias, semel et iterum per fidejussores admonitus, nisi reddiderit, postea summam et legem persolvet.

Charta de Vactis.

Cunctorum notitiæ patere volumus quod Alefridus miles de Vactis, veniens ad obitum, dedit sancto Petro et Besuensi ecclesiæ omnem hæreditatem quam possidebat de proprio fundo scilicet mansum proprium cum domo et sedem molendini cum prato, omnemque possessionem alodii sui, ut supra diximus, in agris, in sylvis, in pratis ubicunque. Et ut hæc charta inconvulsa permaneat, assignamus testes : Signum Andreæ presbyteri de Beria, Sign. Walterii presbyteri de eccles. Sign. Stephani præpositi de Beria. Sign. Hugonis de Chimissiaco. Sign. Humberti qui fuit nepos ejus. Sign. Walterii de Vagtis, qui fuit filius Laifini. De monachis nostris, Signum Warnerii. Signum Aymonis. Signum Odilonis, et aliorum multorum.

Charta de Beria.

Pateat cunctis modo viventibus, postmodumque futuris, quod domnus Hugo miles et dominus de Beria, in die qua peram assumpsit ad Hierosolymitanum iter faciendum, scilicet in die Ramis palmarum, veniens in Besuensi capitulo, misit se ad pedes monachorum orans et petens ut sui misererentur, et in suis orationibus memoriam illius habere dignarentur. In ipsa die et in ipso præsenti capitulo coram testibus dedit Deo, et sancto Petro, et Besuensi ecclesiæ, duos mansos optimos pro se et pro anima sua, et pro animabus antecessorum suorum fidelium, unum in villa quæ Beria dicitur, cum omnibus appenditiis suis, scilicet mansum Ogerii, quem tenet Walterius filius ejus vetulus, frater Stephani præpositi, qui vocatur Albus. Alium in villa quæ dicitur Luecurtis, cum omnibus appenditiis suis, quem nominavit mansum Oberti de Arbore. Ne aliquis perversus hoc frivolum existimet, assignamus testes. Signum Hugonis, qui donum fecit. Signum Nerduini, qui habet filiam ejus. Signum Hugonis Columbæ de Bellomonte. Signum Milonis de eodem castro. Signum omnium monachorum qui ibi præsentes affuerunt.

Item alia.

Per has ergo litteras agnoscant omnes tam præsentes quam futuri quod Nerduinus miles de villa, quæ Pinus dicitur, et uxor ejus Hermengardis, quæ filia Hugonis de Beria fuit, donaverunt Deo, et sancto Petro, et Besuensi ecclesiæ, unum mansum in Beria villa, scilicet mansum Gunterii, cum omnibus appenditiis suis in pratis et in terris, et unum servum nomine Stephanum, quem supradictus Hugo antea concesserat, et unam ancillam quæ Osana vocatur, necnon et sororem ejus. Hoc totum tradiderunt Deo et sancto Petro, ut supra diximus, Nerduinus et uxor ejus, pro anima Walonis pueri, et pro anima patris sui suprataxati Hugonis, necnon et pro remedio animarum omnium antecessorum suorum, tam pro vivis, quam pro defunctis. Huic rei assignamus testes : Signum Nerduini qui eleemosynam fecit. Sign. Milonis de Bellomonte. Sign. Richardi filii ejus. Sign. Hilberti militis de Salice. Sign. Walonis fratris ejus. Sign. Hugonis militis de Chimissiaco. Sign. Andreæ presbyteri. De nostra familia quamplurimi. Hoc donum et hæc eleemosyna

tradita est per manus Nerduini et uxoris ejus, per frustum lapidis, super altare apostolorum Petri et Pauli, cum omni honore et omni libertate æternaliter possidendum.

Charta domni Petri.

Ecclesiæ Dei fidelium donatione collata, ob id sine dubio litterarum traduntur monimentis, ne temporum longo succedentium volvente curriculo a memoria mortalium aboleantur. Quapropter non inutile fore venturis arbitramur, si nuper ecclesiæ nostræ concessa tenacibus apicum scriptis commendemus. Quæ ita sese habent. Petrus dominus castri Montis Salionensis, agnomine Malus respectus, Deo et sanctis apostolis Petro et Paulo, Besuensique ecclesiæ concessit, laudantibus conjuge et filiis, alodium, quod quondam apud Lentiliacum dederat, libertate in posterum possidendum. Addidit quoque in capitulo, abbate assidente cum monachis, servum nomine Walterium, et ancillam dictam Alvide, in villa, quæ Trescase appellatur, habitantes. De quibus, ne qua supervenientibus temporibus nascatur controversia, idoneos assignamus testes : Signum ejusdem Petri et uxoris ejus. Sign. Otonis et Rainaldi, filiorum ejus. Sign. Rodulphi militis. Sign. Gaudini militis. Sign. Walterii præpositi. Signum Humberti filii Olgerii. Signum Girardi abbatis. Sign. Wilenci prioris, et totius conventus.

Charta Hugonis Herli.

In nomine Domini. Sciant omnes tam præsentes, quam futuri, quod Hugo miles de Renavis, cognomento Herles, grati et cum magno affectu dedit Deo et sancto Petro, et Besuensi eccclesiæ alodium suum totum cum omni libertate, quod habebat et possidebat in villa, quæ dicitur Ausiliacus, pro anima sua et pro animabus antecessorum suorum in campis, in pratis, in mansis, in sylvis, in aquis. Ut eleemosyna ista et donum firmum persistat, assignamus ei testes idoneos. Sig. Hugonis de Bellomonte. Sig. Walonis, et Haimonis Columbæ. Sig. Richardi. Sig. Milonis de Poiens. Sig. Urrici de Renavis. Sig. Rodulphi fratris ejus. Sig. Rodulphi filii Urrici. Sign. Widonis, cognomento Chiminal. De mon. Sig. Girardi abb. Sig. Theoderi. Signum Widonis de Renavis. Sig. Lebaldi. Sig. Remigii presbyteri, et aliorum multorum.

In tempore illo Rodulfus filius Urrici, de supradicto alodio concessit sancto Petro et Besuensi ecclesiæ unum mansum quod ei contulit avia sua post obitum suum, ubicunque obiisset.

Charta de Secuniaco.

Sciant omnes tam præsentes, quam futuri, quod Galterius miles de Chortoson, veniens ad obitum suum, Deo et sancto Petro, et Besuensi ecclesiæ, pro anima sua suorumque antecessorum, dedit unum mansum liberum cum omni libertate, apud villam quæ vocatur Secuniacus, cum nemore et terris, et omnibus appenditiis quæ ad ipsum mansum pertinent. Omnia quæ ibi videbatur habere et ipse Galterius nepos ejus, in terris et in sylvis, tra- A diderunt S. Petro et Besuensi ecclesiæ jure perpetuo ; et unam ancillam, quæ vocatur Doda. Et ut nullus falsator possit contraire huic eleemosynæ, assignamus ei testes : Sig. Milonis militis. Sig. Walonis et Hilberti, filiorum ejus, qui donum fecerunt cum matre illorum. Signum Galterii nepotis ejus qui similiter donum fecit. Et de militibus de Beria, Sig. Walonis. Sign. Hilberti. Sig. Pagani fratris illorum. Sig. Mainfredi de Archo. Sig. Andreæ presbyteri de Beria.

Charta de Lisseiaco.

Notum fiat fidelibus quod Odilo de Lisseiaco ecclesiæ Dei et sancti Petri et Besuensis contulit in eleemosyna quidquid habebat apud Lisseiacum ubique, tam in terra, quam in aquis, in pratis, in pa- B scuis, in sylvis, ita honorifice, sicut ipse tenebat ea. Sed et ipsi monachi Besuenses concesserunt et Odiloni ea quæ ipsi habebant apud Brucciacum eo tenore, ut ipso ex hac vita exeunte, cum omnibus quæ ibi ædificavisset, ecclesiæ Besuensi remaneret. Obtulit autem super altare Sancti Petri, per textum Evangelii deauratum, et hoc ipsum, sicut diximus, de Brucciaco coram testibus tam monachis, quam laicis. Quorum quædam nomina hæc sunt : Sig. Odilonis qui hoc donum fecit. Sig. Mauricii militis de Probato. Sig. Otberti. Sig. Hugonis. Sig. Gisleberti. Sig. Euvardi. Sig. dom. Stephani abbatis. Sign. Wilenci, Lebaldi, Albrici.

Similem donationem fecit Hugo senior, frater Odilonis, de insula Bollina, de sua parte de Lissiaco, C ipse et filius Wido puer, et uxor ejus, et filia ejus Aia, ad integrum cum libertate tenendum et possidendum B. Petro et Besuensi ecclesiæ in perpetuum pro sua anima suorumque antecessorum fidelium. Sig. Hugonis, Widonis filii ejus. Sig. Humberti de Lissiaco. Sig. Odilonis fratris ejus. Sig. Gisleberti sacerdotis de Malliaco. Sig. Humberti provisoris vel ministralis, et aliorum multorum.

Charta de Majasco

Sapientium virorum consuetudinem esse cognoscimus, præsentia litteris assignata futuris æternaliter reservare temporibus. Scribere igitur dignum duximus quod Rotbertus de Rinei, calumniam quam faciebat de terra quæ apud Majascum sita est, in finem et pacem posuit pro duobus equis quos ab D abbate Stephano et fratribus Besuensis ecclesiæ accepit. Quapropter quidquid in prædicta terra juste vel injuste habere se dicebat, Deo et sancto Petro, et fratribus prædictis libere concessit in æternum possidere. Quod ut firmius pertineat, testes qui affuerunt subsequens scriptura demonstrat. Sig. Rotberti militis de Fontanis et uxoris ejus Avilinæ. Sig. Richardi militis de Vircillis. Sig. Odonis Viridi. Sig. Haymonis de Monte Salione. Sig. Bertranni militis de Fontanis. Sig. Wilenci militis de Fontanis. De familia sancti Petri. Sig. Otberti. Sig. Hugonis, alterius Hugonis. Sig. Aygulfi, et aliorum multorum.

Charta de Luat.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Dominus dicit in Evangelio : *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis.* De qua re non surdus auditor fuit miles quidam, Otbertus scilicet de Tilecastro, Senior de Cypeto, ut de suis propriis liberius eleemosynam faceret, seipsum in primis eleemosynam fecit. Qui veniens ad conversionem ad Besuense monasterium, dedit Deo et sancto Petro, et Besuensi ecclesiæ, unum mansum in villula, quæ vocatur Luat, cum adjacentiis suis, cum terris et pratis, sic libere et honorifice, ut iste mansus, qui vocatur mansus Letaldi, habeat præcursum et consuetudines per omnia nemora quæ sunt de Cypeto citra Tylam et ultra, et servum unum Bricionem, cum omni suppellectili sua, qui erat ministralis de terris suis ; et unum mulum optimum quem habebat, et quidquid calumnii habebat super terram sancti Petri et super homines postposuit. Ut hæc charta inconvulsa permaneat, supponamus ei testes idoneos : Sig. Humberti de Cypeto filii ejus. Sig. Aimonis filii ejus. Sig. Widonis clerici filii ejus. Sig. Injulrici. Sig. Humberti filii ejus de Tilecastro. Sig. Aldonis Senioris. Sig. Odilerii militis. Sig. Widonis de Fossato militis, et aliorum multorum. De monachis, Sig. Josberti abbatis. Sig. Benedicti. Sig. Constantii. Sig. Rotberti præpositi. De familia sancti Petri, Sig. Joannis villici. Sig. Humberti Cocci. Sig. Giraldi clerici.

Habet sanctus Petrus et nostra Besuensis ecclesia plurimam terram in ipsa villula, quæ vocatur Luat, infra et per confinia ipsius. Terram scilicet Isemberti de Casoto cum adjacentiis suis. Terram Walterii de Bellomonte pincernæ cum adjacentiis suis. Terram Landrici cum adjacentiis suis.

EPITAPHIUM.

Omnibus ostendit monachi pia cura Joannis :
Qualis in Ecclesia fuit a puerilibus annis,
Abbatis Stephani studium quærens imitari.
Plus studuit reliquis ea quæ bona sunt operari
Abbas Ecclesiam venerabiliter renovavit,
Desertasque domos, veluti patet, ædificavit.
Hic partem cupiens ipsius habere laboris,
Libris scribendis operam dedit omnibus horis.
Stephanus Ecclesiæ possessa suæ duplicavit,
Dum reditus, fundos et prædia multiplicavit.
Hic rerum custos sibi credita dum bene servat,
Multiplici studio libros studiosus acervat.
Stephanus Ecclesiæ thesauros amplificavit,
Omnia septa fere melius mutando locavit.
Hic rerum custos dum curis invigilavit,
Plus in ea reliquis custodibus ædificavit.
Stephanus Ecclesiam ditem de paupere fecit,
Quam melius statuendo, superflua quæque rejecit.
Cujus et iste sequens factum non degeneravit,
Dum res Ecclesiæ pro posse suo decoravit.
Stephanus Ecclesiæ caput extendit super amnem.
Novimus auxilium simul impendisse Joannem.
Quique modo famulando suo dat plurima, proque
Fine cui cursus bravio sit dignus uterque.
Ecclesiæ Domini dilexit uterque decorem,
Dum pro posse sui famulatus præstat honorem.
Fidus uterque cliens Domini sepelire talentum
Noluit, ex uno dum quærit reddere centum,
Vita patris Stephani pastoribus est imitanda :
A Vita Joannis erit non immerito memoranda.
Hic erit exemplo prælatis, iste sequendus,
Quis in officio suus est successor habendus.
Nos igitur qui tot tanti bona patris habemus,
Quique Joannis opus tot florida scripta videmus,
Expansis regi manibus qui regnat ubique,
Conferat, oremus, meritum pietatis utrique,
Ut qui justificat majores atque pusillos,
Connumeret patriæ cœlestis civibus illos.

Hic sunt libri prætitulati, quos Joannes fecit describi : videlicet magnam partem Josephi : Augustinum etiam super 50 psalmos ultimos, a *Domine exaudi*, usque *Omnis spiritus laudet Dominum.* Exameron Ambrosii ; Ambrosium de Officiis, de Sacramentis et de morte Satyri fratris sui ; Ambrosium de Virginitate, et Historiam Wandalorum ; B Historiam Orosii ; Historiam Justiniani ; Historiam de Hierusalem, Homeliam Origenis. Confessiones Augustini. Collectaneum novum. Musicam Widonis. Duos Antiphonarios optimos de Musica. Gradalem, et Nocturnalem. Vitam sanctæ Fidis ; et Pastoralem sancti Gregorii. Gregorium, de Miraculis. Vitam S. Galli, et alias multas vitas, et passiones sanctorum. Vitam S. Leonis, et Hieronymum super Sophoniam, Aggæum, Joelem et Malachiam. Decem collationes Patrum, et alias septem. Vitas Patrum B. Hieronymi. Librum Scintillarum. Quæstiones Bedæ in libros Regum. Istum etiam librum de diversis rebus et chartis composuit.

Charta de Preopapa.

Sciant omnes tam præsentes, quam futuri, quod C Milo quidam miles de Monte Salionis, cognomento Paganus, veniens ad obitum suum, cum magno affectu suscipiens habitum monachi, pro remedio animæ suæ, ipse et Ascherius miles, nepos ipsius, tradiderunt Deo et sancto Petro, et Besuensi ecclesiæ, in villa, quæ nuncupatur Preopapa, tres falces de prato, et quartam apud villam quæ dicitur Præciacus, et unum mansum cum sex jugeribus terræ, et de silva quæ pertinet ad villam superius nominatam Preopapa, dederunt monachis de Albiniaco præcursum et consuetudinem de pastione, et si ibi miserint porcos suos, et omnia quæ necessaria illis erunt de illa silva ad domos faciendas et ad omnia habitacula sua, et ad omnia utensilia sua, quæ de ligno fieri possunt, tradiderunt illis jure perpetuo cum omni honore. Ille quoque rusticus, qui in su- D pradicto manso habitaverit, habeat similiter cum honore omnes consuetudines de villa supradicta, de sylvis, de aquis, de pratis, de pascuis, et nulli unquam serviat, nisi sancto Petro et monachis. Et dederunt adhuc in hac eleemosyna unum plastrum juxta capellam de Monte Salione. Si quis falsator huic eleemosynæ contraire voluerit, anathema sit. Ut hæc charta inconvulsa permaneat, supponamus ei testes. Sign. Archerii qui hoc donum facit. Sign. Lamberti de Domarim. Sign. Hugonis militis de Cortiniaco. Sign. Odonis Viridis. Sig. Aymonis militis. Sig. Rotberti presbyteri. Sig. Dominici. De monachis, Sig. Constantii. Sig. Joannis. Sig. Ulgerii.

Charta de sylva Vetus vinearum, et mansili, quod appellatur Domos.

Quemadmodum invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum. eo ipso adnitente ut nemo ad vitam possit redire; vix est qui faciat bonum, vix est usque ad unum. Necessarium remur, ut si quis aliquid ecclesiæ contulerit, litterali memoria futurorum fidelium notitiæ transmittere. Quædam mulier et ortu et actu satis in sæculo clara, filia Henrici de Nova villa, nomine Elizabeth, cognomento autem Caritas, dum ad obitum propinquaret. ecclesiæ sanctorum Petri et Pauli contulit in eleemosyna, pro remissione peccatorum suorum et antecessorum suorum, quidquid habebat in sylva Veterum vinearum, et ejus mansilis, quod appellavit Domos. Dedit etiam servum nomine Joannem, et ancillam nomine Emmam, ita omnino libere et honorifice habendum ut melius scivit et potuit, Laudantibus filiis suis, Widone et Philippo. Testibus vero Alinardo clerico Odone de Bellomonte, Seuvino de Raiaco, Gerardo Crispo, Hugone de Voslun, Theoderico ministro, Pagano capellano. De monachis, Gerardo priore, Ulgerio Calvo, Albuco captivo, Gerardo, filio ejusdem mulieris.

Charta de Lixiaco.

Perspicientes hujus sæculi casus et mutationes, operæ pretium duximus ea quæ nostris temporibus ecclesiæ Besuensi collata sunt, memoriæ commendare perenni. Notum itaque fiat quod Humbertus de Lissei, quidquid in eadem villa habebat, seu habuerat ipse et antecessores ejus, Deo et S. Petro Besuensi, ita omnino liberrime contulit ut deinceps neque in cœmeterio, neque in ipsa villa, cuiquam homini, neque suo, neque alterius, liceat ei, seu hæredibus ejus, aut alicui loco ejus personæ, injuriam, vexationem seu exactionem inferre; et ut prætulimus, in tota villa illa non solum hominem, sed nec quidquam omnino violenter capere. Data ab Humberto præfato, cum uxore et filiis suis, coram testibus annotatis infra : Albrico fratre ejus, Theoderico monacho. Alduino, Lencilino, Pontio militibus, eo die quo ecclesia consecrata est a Dom. Joceranno Lingonensi episcopo : anno ab Incarnat. Verbi Dei 1119, indict, XII, epact. VIII, concurrente II Kal. Junii, die Dominico.

Eodem tempore et eadem hebdomada feria IV, quidam miles, Humbertus de Cynciaco, dedit sancto Petro pro anima filii sui Widonis et antecessorum suorum 12 denarios, de ecclesia cujusdam villæ, quæ dicitur Mentusca, et unum mansum apud Cynciacum villam, ad portum cum pontinatico et piscaria, quæ omnia obtulit ad altare, imponens librum super illud coram testibus : Letbaldo, Wilenco, cæterisque quamplurimis monachis, et Widone fratre ejus, malterio de Beria, cum aliis multis.

Charta de ecclesiis Cypeto et Tasneto.

Non minimum successoribus nostris credimus profuturum, si juxta majorum nostrorum consuetu-A dinem nos quoque de rebus huic ecclesiæ collatis memoriam, etsi non luculenta, vera tamen oratione, posteris relinquamus. Notum sit igitur quod dom. Jocerannus Lingonensis episcopus ecclesiam de Cipeto donaverit ecclesiæ sancti Petri Besuensis, per manum domini Stephani abbatis, in capitulo sanctæ Mariæ Fontis vennæ castelli, coram archidiaconis suis, et laudantibus, Wilenco archidiac. et Ayrardo archid. Humberto canon. Sig. Stephani abbatis, Ulgerii, Rodulphi monachis.

Dedit etiam ecclesiam de Tasneto prædictæ Besuensi ecclesiæ, in sylva quæ vocatur Volort, coram Warnerio archid. laudante eo, et donante quidquid in ea habebat. Coram pluribus, Rotberto præposito, et aliis.

B *Charta Joceranni episcopi de Mentusca.*

Ego Jocerannus nutu Dei Lingonensis episcopus, cum pro possibilitate mea, una cum fidelibus, et filiis nostris, de negotiis et commodis Lingonensis Ecclesiæ fideliter agendo disponeremus, venit ad nos venerabilis abbas dom. Stephanus, humiliter et devote postulans quatenus deserta cujusdam solitudinis in territorio Attoarensium juxta flumen Ararim posita, nostræ tantum episcopali dominationi proprie pertinentia, Deo, et fratribus Besuensis monasterii donaremus, et supradictæ possessionis hæredes illos constitueremus. Cujus justæ et rationabili petitioni citissime consentientes, et laude et consilio fidelium nostrorum Lingonensis Ecclesiæ archidiaconorum, quidquid in villa, quæ vocatur C Mentusca, episcopali jure possidere debemus ; ecclesiam quoque ipsam cum omnibus appenditiis suis, supradicto abbati, et successoribus ejus in posterum, salvis Ecclesiæ Lingonensis consuetudinibus, libere donamus, et episcopali auctoritate donata confirmamus. Signum Wilenci archid. Sign. Garnerii archid. Sign. Azrardi archid. Sign. Widonis archid. Hujus rei testes sunt domnus Gualo canonicus regularis, Jozaudus decanus Cabilon. Guilencus mon. Albericus mon. Rodulfus. Acta sunt hæc anno ab Incarn. Dom. 1119, indict. XII. epacta VII, concurrente II. Apostolicæ sedis Calixto anno I pontificatum regente. Ludowico Francorum rege, Joceranno Lingonensis Ecclesiæ episcopatum gubernante, Duranno notario dictante.

D *Item de Mentusca.*

Audiat omnis homo, quod Gualo de Ruphiaco castro, filius Ulgerii de Coloniis, et Guala sororius ejus, cum Haimone fratre suo, donaverit Deo, et sancto Petro Besuensis ecclesiæ quidquid habebant, seu tenebant in ecclesia de Mentusco villa, videlicet cœmeterium, et presbyteratum ipsius ecclesiæ cum omnibus ad ipsum presbyteratum pertinenbus in mansis, et pratis, et terris, sed etiam tertiam partem de decima ejusdem villæ, et usuarias consuetudines in omnibus terris, et pratis, et silvis, et aquis ipsius potestatis. Signum Stephani abbatis. Sig. Wilenci. Sig. Joannis monachorum. Sig. Walc-

nis qui hoc donum fecit. Signum Walonis. Sig. Haymonis fratris ejus. Item Sig. Walonis de Vilar. Sig. Henrici. Sig. Rotberti præpositi. Et de familia nostra. Sig. Tebaldi hospitiarii. Sig. Humberti pistoris, et aliorum plurimorum.

De foro Bellimontis falso.

Ex divini paginis didicimus Testamenti, condemnationis æterno maledicto debere eum subjici, qui ecclesiam Dei persequi, et contra ministros ejus nititur altercari. Pacem enim quam angelus in Redemptoris cecinit Nativitate hominibus bonæ voluntatis, impium est exturbare.

Ego igitur Hugo Bellimontis dominus, pœnitentia ductus quod mea Besuensis cœnobii fratres toties vexaverim imperitia, animum apposui jam ab eorum injuriis cessare, et eis amodo perenni dulcedine concordare. Ad sopiendam ergo fori, quod eis abstuleram, calumniam, ante Lingonensem episcopum, cui clamor ab abbate prædicti loci factus super hoc fuerat, veni, et quia pro eo, qui siquidem abbatias sui episcopatus tueri ac defendere deberet, justitiari, rationemque facere nolueram, rectum feci, et de cætero me emendaturum promisi. Quadam itaque solemni die cum apud Besuam dedicaretur ecclesia Beati Remigii, ac pro tantæ celebritatis devotione innumerabileo undecunque confluxissent populi, in monasteris beatorum Apostolorum Petri et Pauli fratribus cum prædicto pontifice quamplurimis nobilibus, clericis, ac militibus, et quod eis forum amplius non auferrem, nec in castro meo, nec in tota terra mea; neque in toto posse meo forum venale constituerem, nec homines meæ terræ a mercato Besuensi prohiberem, promisi, iliumque meum Hugonem promittere et jurare feci. Ego ipse Hugo dexteræ manus meæ juramento armavi, et insuper ne successorum aliqua redeat in futurum calumnia. Deo, et sancto Petro, et fratribus Besuensis ecclesiæ quidquid est, vel erat, quod meum jus juste aut injuste possederat de hoc mercato, totum super altare posui, et ipsum mercatum dono donavi.

Ne autem alicujus longævitatis hoc dispereat oblivione, virorum subscriptorum testimonio placuit hanc chartam roborare. Signum Guillenci episcopi. Sig. Gocelini archidiaconi. Sig. Fulconis archidiaconi. Sig. Garneri Rufi archidiaconi. Sig. Pontii de Rivel. Sig. Gerardi abbatis. Sig. Wilenci prioris. Sig. Rodulfi sacristæ. Sig. Josberti præpositi. Sig. Albrici de Arcione. Sig. Tebaldi de Ganibreris. Sig. Ramaldi de Granceio. Sig. Milonis de Poiens. Sig. Odelrici de Renavis. Sig. Guidonis Ranivel. Sig. Oberti. Sig. Hugonis Dapiferi Sig. Constantii, Giroardi, et filii ejus.

Charta de redditibus annuis cantoris.

Fideles quique aut orationibus aut donariis, se invicem debent sustentare, ut hi qui quietam agunt vitam, eos qui circa multa occupantur precibus juvent, et illi cum charitate ad utilitatem ipsorum necessaria administrent. Necesse est enim, ut sic transitoria peragant, quatenus pro his præmia æterna consequi valeant.

Igitur domnus abbas Gerardus audiens, quod ex quo venerabilis Joannes cantor ex hac vita migravit, monimento librorum nemo condidisset, instituit ut omni anno cantori de unaquaque obedientia hemina frumenti daretur, nolens, quamvis majora vellet, aliquem gravare, quo libentius ditiores et pauperiores præberent assensum, et futuris non esset onerosum. Omnes vero obedientiarum præpositi huic decreto, quod eis remissionem peccatorum injungebatur, assenserunt, et libenter se hoc acturos promiserunt. Sancitum est hoc a prædicto abbate omnibus laudantibus, die festivitatis apostorum Petri et Pauli, atque statum, ut a Kalend. Octobris usque in Kalend. Novembris idem donum unusquisque cantori solutum habeat. Signum Wilenci prioris. Sig. Warnerii præcentoris. Sig. Rodulphi sacristæ. Sig. Albrici de Arcione. Sig. Josberti præpositi. Sig. Bartholomæi subcentoris, et omnium monachorum.

De Haymone et filiis ejus

Præsentibus, futurisque fratribus nostris clarificetur, quod domnus abbas Gerardus, omnisque conventus, Haymonem, et ejus filios post obitum illius telonearios fori esse constituit, quandiu illud ministerium fideliter et sine fraude servaverint. Si vero inde aliquis eorum fraudator deprehendatur, perpetuo careat prædicto ministerio. Signum Wilenci prioris. Sig. Rodulphi sacristæ. Sig. Warnorii præcentoris. Sig. Tigerii cellerarii. Sig. Josberti præpositi. Sig. Otberti famuli. Sig. Willelmi. Sig. Hugonis de Ulmis.

Charta de Beria.

Omnium cognitioni clarum esse volumus, quod Ewinus dominus de Beria, in die depositionis matris suæ dedit ipse, et uxor ejus Annilina, Deo, et sancto Petro, ac Besuensi ecclesiæ unum mansum in villa Beriæ, et 5 jugera alodii, nec non etiam unam ancillam quæ vocatur Gocia, cum tribus filiis suis; quorum hæc sunt nomina: Ogdierius, Girardus, Hugo. Alteram quoque ancillam, vocabulo Hodiernam, et medietatem cujusdam prati: siquidem alia pars a priscis temporibus nostra esse dignoscitur. Ut vero insolubilem firmitatem præsens charta contineat, assignamus ei testes: Signum Haymonis. Sig. Heberti. Sig. Widonis. Sig. Rotberti. Sig. Humberti. Sig. Lamberti. Sig. Gunterii. Sig. Warnerii clerici, et Bartholomæi fratris ejus. De monachis. Sig. Gerardi abbatis. Sig. Wilenci, Warnerii, Josberti. Hanc eleemosynam in foro Besuæ laudavit Wido frater Ewini, coram Mainfredo de Arco.

Item de quodam plastro sito in hac Besuensi villa.

Niat notum filiis Ecclesiæ, quod Ayvinus miles de Beria dominus, quoddam plastrum quod possidebat in villa *Besua* sive per jus, sive injuste, dedit sancto Petro. et Besuensi ecclesiæ perpetualiter, et uxor ejus, et Willermus puer. Ut hæc eleemosyna

firma permaneat, assignamus ei testes. Signum Girardi abbatis. Wilenchi, Rodulphi. De laicis, Sig. Ayvini, Widonis de Chimisi, Roberti, Ilberti militis de Salice, Lamberti, et filii ejus, Rainardi, Humberti filii ejus, Gunterii, Ricardi. Henrici filii ejus, Heinrici, et aliorum multorum.

Chartu domni Galonis Columbæ.

Omne quod est natum tendit ad interitum, secundum Salomonem, nedum verba, quæ cum prolata sint, jam non sunt. Idcirco hic assignamus Galonem Bellimontis cognomine, dictum Columbam, habitum sanctæ religionis suscipientem, sancto Petro et Besuensi ecclesiæ dedisse in villa Lentiliaco medietatem decimarum ad se pertinentium, de propriis scilicet bubus monachorum, et mansum cum terra, et pratis pertinentibus ad ipsum, in villa Sancti Benigni Divionensis Casneto, atque medietatem molendini apud villam Percejum, simulque medietatem plastri siti in hac villa Besuensi.

Addidit etiam mansum apud Lisseium cum terra quæ montis Salionis dicitur, pertinente ad ipsum, ibidemque in pratis, paniciariis dictis, quidquid eximi potest a nemore in pratum. Laudante hoc et concedente domino Montis Salionis Odone, domno Girardo abbate, testibus assistentibus Alberto Tullensi, et Guidone de Vircillis. Hanc donationem a prædicto Galone factam Hugo filius, Haimo frater, et uxor ejus propriis manibus librum super altare ponentes, laudaverunt, quam roboramus testimonio proborum virorum : Domni Girardi abbatis, Guilenci prioris, Alberti Tullensis, Bartholomæi, et reliquorum monachorum, laicorum, Milonis de Poiens, Hugonis de Roife, Humberti Salomonis, Humberti Divitis, Roberti præpositi, et aliorum multorum.

Charta Hugonis de Torcennaco.

Memoriæ posterorum litteris imprimimus, quod Hugo miles de Torcennaco, habitum religionis suscipiens, dedit sancto Petro, et Besuensi ecclesiæ quoddam mansum apud Rosecium, partemque suam nemoris Montanici, laudantibus filiis suis, testibus Roberto capellano Montis Salionis, et Widone milite de Ortis, fratreque ejus Hugone Rufo, cum aliis multis.

Noscant omnes qui hos legerint aspices, quod Odo miles de Picangiis cognomine, dictus Saxo, monachus ad finem factus, quidquid in molendino apud villam Lucum calumniabatur, sancto Petro concessit, ipsumque molendinum fratribus suis laudantibus, Besuensi ecclesiæ perpetuo habendum devote tradidit. Et ne hoc in posterum quisquam irritare præsumat, supponimus signa testium qui præsentes affuerunt. Signum Gerardi abbatis, Rodulphi sacristæ, Hugonis de Bellojoco, Lebaldi de Genevreris. De laicis, Sig. Hugonis, Walterii, Milonis, Humberti fratrum prædicti Odonis. Sig. Roberti præpositi, Humberti Divitis. Otberti Cocci Giraldi villici.

Charta domni Ascherii Montis Salionis.

Idcirco eleemosynæ fidelium litteris annotantur, ut hi qui post futuri sunt, legendo quod non viderunt, agnoscant, et si hinc aliqua forte calumnia pravorum hominum orta fuerit, auctoritate priorum resistere valeant. Notificandum ergo posteris censemus, quod Ascherius quidam miles Montis Salionis, ad obitum veniens dedit Deo, et sancto Petro Besuensi, in terra, quæ Craias dicitur, mansum quoddam ita libere ut ipse habebat, cum hominibus scilicet et pratis, cæterisque appenditiis suis, duos etiam fratres, villæ Albiniaci incolas, Albricum, Stephanum, neptemque eorum Avilinam. Testes hujus eleemosynæ sunt Gerardus prior, Rodulphus sacrista, Heinricus, Garnerius præcentor, et Gunterius. De militibus, Hugo et Odo fratres prædicti Ascherii, Paganus de Buiris, aliique quamplurimi.

Charta domni Willelmi Fontis Vennæ.

Quia præsens vita ad malum proclivis est, oportet ut eleemosynis, vel operibus quisque mala admissa a conspectu Domini abscondat, quoniam Apostolus tempus redimi præcipit, eo quod dies mali sint. Quod Guillelmus Fontis vennæ gratia Dei adimplens, piscatoriam quamdam cum manso appendenti ad ipsam, piscatoremque Albricum nomine, cum uxore et filiis, Besuensi ecclesiæ in villa Calintensi tribuit, cum adhuc in sæculari militia positus esset. Postquam vero divino respectu monachus effectus est, delegavit in villa quæ Cortesours vocatur, Deo, ac sancto Petro Besuensi, duos mansos cum appenditiis suis, duosque homines Stephanum, et Theodericum, habitatores eorum, cum uxoribus, et filiis, omnibusque ad se pertinentibus, atque omnes usuarios fructus, quos tertias nominant, duarum villarum de Cortesours, et de Lare ; excepto quod duo fratres Verduinus, et Amalricus, villici dom. Girardi, filii ejusdem Guillelmi, pro manso Majorali 60 jugera retinuerunt. Hæc, ut prædictum est, Besuensi ecclesiæ concesserunt Guillelmus, et Girardus filius ejus, laudantibus Guido domino Fontis vennæ, cum filio suo Theoderico, et Guidone domino Jovis villæ.

Præterea in die sepulturæ prædicti Guillelmi, Girardus et Guido domini Montaniaci reliquerunt injustam consuetudinem quam erga homines nostros de Pauliaco habebant, decreveruntque ut si aliquis eorum de aliquo homine sancti Petri justitiam pro aliquo forfacto appeteret, alter nullo modo tale ab eodem exigeret. Nam antea uterque ab uno ex uno forfacto duplex rectum exigebat. De his omnibus testes adhibemus, domnum Girardum abbatem, Guilencum priorem, Rodulfum sacristam, Garnerium præcentorem, Widricum priorem Fontis vennæ, Albertum Tullensem. Item Hugonem de Tilecastro, dominum Bellimontis, filiumque ejus Hugonem, Haymonem de Tilecastro, Hugonem de Bellojaco, Milonem de Poiens, Odonem de domna Petra, Widricum de Monz, Ulgerium de Burgo, Walterium, Odilonem præpositum Calintensis, Otbertum Coc-

cum, Hugonem dapiferum fratresque præmemoratos Nerduinum et Amalridum.

Charta Milonis cognomento Pautenerii.

Secundum prophetam monentem : *Dissolve obligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes,* Milo Tilecastri miles dictus, agnomine Gyrovagus, Humberti Vetulæ filiam, uxorem scilicet Odonis Maleth, filii Evrardi Divionensis, Oddilinam vocatam, servitute, et famulatu suo, et progenitorum suorum absolvit, et super altare sancti Petri liberam proclamans posuit, audientibus, videntibus, et laudantibus suis fratribus Humberto, et Willelmo Desfosses, et filiis suis. Hanc donationem confirmamus subscriptis testibus: Girardo abbate Besuensi, Guilenco priore. Roberto præposito, Otberto Cocco, Girardo filio Aidulfi, Drogone filio Gerberti, Hugone de Ulons, Lamberto Falsart, Aldone, et Odone fratribus de Fontanis, aliisque multis.

De Dominico Malner.

Memoriali digno his litteris adnotamus, Rodulfum militem S. Michaelis, quidquid super Dominicum Malogrinum, quem sicuti servum ab antecessoribus juste vel injuste habuerat ac possederat, sancto Petro Besuensi donasse, et super altare posuisse, testibus assistentibus multis, Girardo abb. Henrico, Lebaldo, Richardo. Hugone monachis. Laicorum vero affuerunt milites, Wido Ravines, maritus sororis datoris, Ewinus de Excelso, Walterius Malsualez Granciaci, Odo de Furno : familiæ nostræ, Humbertus Salomon, Guilielmus, Petrus Pauliaci, Petrus etiam et Robertus de Monte Salionis.

De Orcevalis.

Sciant omnes tam præsentes, quam futuri quod Nerduinus dominus Asperimontis, et Hugo filius ejus miles, et Galo de Willer, et Haymo filius ejus pro animabus suis, et antecessorum suorum, tradiderunt Deo, et sancto Petro, ac Besuensi ecclesiæ, in loco qui Orcevallis dicitur, 40 jugera terræ. Huic dono assignamus testes : Sig. Hugonis Francigenæ. Sig. Rodulfi de Renavis, Hugonis Conitensis, Ewini Spinelli.

De uxore Theodorici Carpentarii.

Firmiter retineat quisquis has legerit litteras, quod Mainfredus de Arco uxorem Theoderici cum liberis suis, Deo, sanctoque Petro Besuensi pro anima sua concessit, ipsique Mainfredo domnus abbas Stephanus ob hanc causam, imo magis gratia amicitiæ, 20 solidos dedit. Sed quoniam mens humana sæpe a bono deviat, idem Mainfredus post obitum Theoderici cum coram domino Besuensi abbate de hac re quasi non gratia vel libere filios ejus dedisset, queritando placitarent, commotus ratione, eos se libere concessisse recognovit, atque eamdem eleemosynam confirmans, denuo liberrime huic ecclesiæ perpetuo contulit, et uxori suæ ac filiis laudari fecit. Abbas vero Girardus ob pacem vel memoriam hujus pacti, dedit ei decem solidos, et Humberto de Baleneva duos. Huic chartæ testes idoneos, qui affuerunt, supponimus : Signum Girardi abbatis, Guillenci prioris, Heinrici, Albrici, Lebaldi. Signum Hugonis Bellimontis, et Hugonis filii ejus, Guidonis præpositi S. Juliani, Humberti villici de Baleneva, Valeth, Oberti Cocci, Girardi villici.

De villa quæ dicitur Trescase.

Præsentium ac futurorum memoriæ clarescat, quod Hugo villicus de Baleneva, et filii ejus Humbertus, Joannes, Petrus, terram sancti Petri apud Trescasas, quam per multos annos calumniati fuerant, reddiderunt in pace sancto Petro et Besuensi ecclesiæ, atque se peccasse quod eam invaserant, cognoscentes, absolutionem delicti sui a domno Girardo abbate, et omnibus fratribus, in capitulo petierunt, et acceperunt. De hoc facto assignamus testes, Girardum abbatem, Guilenchum priorem, Albricum, et reliquos capituli. Mainfredum etiam de Arco, Guidonem præpositum S. Juliani, Valeth de Baleneva, et Otbertum.

De villa S. Sequani.

Quoniam facta præcedentia per litterarum adnotationem cognovimus, placuit et nobis scribendo posteris relinquere, ut inviolabile in æternum permaneat, quod Joffredus Bellimontis dominus cum Gertrude uxore sua, pro salute animarum suarum, sancto Petro, et abb. et monachis Besuensibus villam quamdam quæ vocatur Sanctus Sequanus in Baascha, sicut ipsi eam libere tenebant, concesserunt; laudante Hugone filio, et nepote Joffredo, agnomine Martello, omnibusque qui hoc donum in postremo perturbare videbantur.

Contigit autem instigante diabolo, ut successsr Martellus post mortem prædictorum antecessorum suorum, violare non erubesceret, quod prius laudaverat, videlicet ut justitiam et latrocinium in prædicta villa clamaret. Postea vero animante Domino qui Ecclesiam suam eleemosynis privari non patitur, et dom. Girardo abbate hoc ei admonente, ad seipsum reversus, devotus capitulum fratrum adiit, fraternitatem accepit, et pro requie animæ suæ, et antecessorum, gratis quidquid in villa clamabat, vel quæcunque habebat, libere concessit, excepto manso Odilonis, et fratris ejus Galonis, servorum suorum. Sig, Girardi abb. Sig. Lebaldi. Sig. Richardi monachi : de militibus, Martelli, Welfonis, Elvini, Haimonis, Savarini, Odilonis, Wiberti. De familia sancti Petri, Sig. Otberti Cocci. Signum Widonis, Humberti divitis, Humberti Salomonis.

Arbitramur rectum fore fidelium memoriæ tradere census ecclesiæ, ne quando per incuriam nostram a pravis hominibus minuantur. Ideoque assignamus hic quemdam militem, Haymonem nomine, filium videlicet Galonis de Viller, clamantem in atrio S. Martini de Montusca justitiam, et latrocinium. Nam ob hujuscemodi causam prædam abduxit, et alia multa ecclesiæ Besuensi irrogavit. Cui, cum in hac pertinacia diu permaneret, placitum terminavit abbas Girardus in eadem villa. Convenerunt igitur utrique

die terminato, consultus a matre quæ secum placitatura venerat, et a reliquis amicis suis, querimoniam quam super familiam monachorum nostrorum ibi degentium faciebat, in pace abbati proclamavit: insuper de duobus hominibus, quos monachus foris atrium habitare faceret. Ita tamen ut si aliquod scelus a suis vel ab aliis hominibus illic committeretur, iisdem ad abbatem Besuensem clamationem faceret, et pro ullo patrato scelere, si etiam homicidium aut adulterium esset, quorum lex major esse dignoscitur aliis sceleribus, ultra quinos solidos lege rectitudinis inde quidpiam haberet.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis.

Universi fidei Christianæ domestici sanctam Dei Ecclesiam animi devotione gloriosam, et muneribus in quantum possunt largissimis, facere debent locupletem. Qua siquidem animadversione compunctus, et a Spiritu sancto spiritaliter instinctus, ego Hugo de Bellomonte cum filiis meis Hugone, et Joffredo, pro remedio animæ meæ, antecessorumque meorum, Deo, et sancto Petro Besuensi, abbatique Gerardo, monachisque Besuensibus in parrochia Sancti Martini Deo servire volentibus, dono concessi quidquid domnus Remigius ejusdem loci presbyter, in ecclesiis, in agris, in pratis, in silvis, in domibus et universis humanæ vitæ usibus, tenebat; et insuper quidquid vadimoniorum quæ prædictis monachis, aut jam dederit, aut in futurum dare voluerit, possidebat.

Placuit etiam huic dono annectere, quod homines, qui apud Sanctum Martinum hospitati erunt, et circa monachos habitabunt, in terris castri Belmontensis, omne usuarium libere habeant in silvis, in pratis, in pascuis, et in omnibus, quibus vivunt homines usibus: ita scilicet quod si homines damnum nescienter fecerint, damnum sine lege reddant: monachi vero quoquomodo aut ipsi, aut sui famuli scienter, vel nescienter damnum fecerint, damnum sine lege prorsus restituant. Piscarium etiam ipsis donavi a Belmonte desuper, ubi, vel quando, vel quomodo eis placuerit piscari: subtus vero Belmontem pede tenus piscari tantum concessi. Quod donum ne qua tegatur oblivionis nebula, placuit litteris commendare, approbatorumque qui adfuerunt virorum testimonio roborare. Sig. Girardi abbatis. Sig. Richardi de Vircillis. Sig. Lebaldi de Genevreris, Josberti præpositi, Henrici capellani, Humberti negotiatoris. Petrus Rufus, Joannes famulus, Christianus, Hugo Bellimontis dominus, Hugo filius ejus, Remigius presbyter, Milo de Poiens, Hugo de Aces, Ewrardus de Rolens. Fredericus de Campaneio, Wido de Renavis. Rodulfus filius Odolrici, Erbertus capicium. Acta sunt hæc anno ab Incarnatione Domini 1134, indictione XII, epact. XXIII, concur. VII.

De atrio S. Martini.

Omnium hominum est, qui nominis censentur vocabulo Christiani, in lege Domini die ac nocte jugiter meditari. Lex enim Domini irreprehensibilis, A cum convertat animas, et testimonium sit fidele, sapientiam præstat parvulis. Ego igitur Haymo de Tiricastro parvulus scientia, multorumque malorum quæ egeram oneratus insipientia, cum ante meum obitum longa depressus fuissem ægritudine, ad meipsum rediens, et insuper cogitans quod ante Deum nullum ferrem manipulum justitiæ, pro remedio animæ meæ, parentumque meorum, Deo, et sancto Petro, et monachis Besuensis cœnobii, atrium Sancti Martini de Luco concessi, et quidquid ibidem juste vel injuste possederam totum eis dimisi. Testes adfuerunt Ricardus capellanus, Petrus capellanus ejusdem Ricardi, Hugo de Conulent, Joannes clericus, Thebaldus de Casoto, Wido Talanat.

B Ego Agnes uxor domni Haymonis de Tiricastel, cum ipse Haymo maritus meus in paradiso Sancti Florentii fuisset tumulatus, assistentibus clericis, parentibus, et amicis, cum insimul in claustrum regressi fuissemus, et cum de eleemosyna ejus tractaremus; visum nobis est esse bonum, ut donum quod domnus Haymo fecerat ecclesiæ Besuensi de atrio Sancti Martini de Luco, cum liberis meis facerem, et coram eis bonis ac pluribus viris qui affuerunt illud confirmarem. Dedi igitur et confirmavi donum quod fecerat, atrium videlicet Sancti Martini de Luco monachis Besuensibus, quietum, et cum omni libertate et pace pro anima mariti mei in æternum possidendum. Quod ne deleatur, aut oblivioni tradatur temporum intervallo, virorum subscriptorum roboramus testimonio. Petrus abbas C Sancti Stephani Divionensis, Tebaldus Decanus, Ricardus presbyter, Dominicus prior Sancti Florentii, Bonet de Mare. Joannes clericus, Petrus capellanus, Haymo de Nimie, Wido de Saut, Nocherus, Wido Talanat, Thebaldus de Casoto, Wallerus, Rollanus, Wido, Marescallus, Malveslot, Tebaldus Excotex, Robertus filius ejus. Hoc factum est et recognitum, quod donum quod fecerant de atrio, non ideo fecerant, quod atrium suum esset, sed ideo quia in atrio, quod sancti Petri erat rapiebant, et ablationes faciebant, et ea quæ jure vel rectitudine in ipso atrio non habebant, injuria et violentia rapiebant.

De Montigniaco.

Cum transeant cuncta, et ea quæ in hoc mundo D sunt, nunquam in eodem statu sint diu permanentia, litteris adnotamus, quod Rodulphus, et Milo frater ejus, qui suo agnomine dicti sunt Bigornenses, pro animabus fratrum suorum Guidonis, et Rogerii, et pro animabus patris, et matris suæ, antecessorumque suorum remedio, Deo, et sancto Petro, et monachis Besuensis ecclesiæ dederunt duos mansos apud Montiniacum, unum mansum qui dicitur mansus Odonis Eurvini, et alterum, qui dicitur mansus Widonis Malæ filiæ. Hoc donum apud Besuam fecerunt in Parasceve, id est in die Passionis Domini, tenentes ambo librum, per quem hanc donationem in præsentia domni abbatis

grapha beneficiorum nostrorum ecclesiasticorum : A redituumque institutorum privilegia scripta in usibus nostris ad præteritorum memoriam revocandam habere nos instituit, suorumque institutorum quamplurima nobis exempla reliquerit, omnia beneficia a nobilibus fidelibus nostris, vel innobilibus clericis, vel laicis, pro Christi nomine nobis collata memoriæ sanctæ scriptis commendare consuevimus, ut ostensis beneficiorum nostrorum frequentissime scedulis, benefactorum nostrorum animarum in orationibus frequens memoria habeatur : illaque beneficia memoria teneantur, ne pro deleta eorum memoria importunus error sequatur. Nos ergo inter alia pleraque beneficia nostra, unum speciale, et magnum beneficium a Burgundiorum consule Renaldo nobis illatum, operæ pretium sub B silentio occulere non existimavimus, tum quia res tanta intitulatione est digna, tum quia a tanta et tam digna persona est acta.

Omnibus itaque catholicis notificare hac præsenti scriptura satagimus, quod Renaldus comes potentissimus, Deo, et sancto Petro ejus apostolo, Besuensis basilicæ patrono, sanctoque Dei martyri Christophoro, Calentensis cellæ nostræ advocato, instinctu divino nulla coactus offensa, sed voluntate pia, et bona, libere, et absolute donavit quidquid de feodo suo unusquisque de eadem villa tam nobilis, quam ignobilis, clericus, vel laicus, pro se, vel prædecessorum suorum animarum requie, prædictæ cellæ nostræ fratribus dederat, vel daturus fuerat, dum tantummodo ex hoc totum feodum suum ipse non C omittat, assumpta hujus rei occasione, ex hoc quod Odo præpositus suus tyrannide sua, septem marcas argenti hominibus de Nova villa abstulerat, quas ipse dom. Girardo abbati, statim ut injuriam præsensit, redditurum se firmiter edixit. Hujus etiam redditionis fidejussores domnum Hugonem de Bellojoco ; et dom. Girardum de Strabona, necnon Othonem de Durnecto, et Humbertum de Trimolario prædicto abbati dedit. Quo toto beneficio definito, ecclesiam Sancti Dei et martyris Christophori, se comitantibus multis, festinus intravit, ac ibi ante altare flexo poplite coram omnibus astantibus, de injuria supradicta, manu etiam super ipsum altare imposita, Deo, ac S. Christophoro, et abbati Girardo fecit rectum. Et hoc faciendo, quod nullum jus, nullamque calumniam ejusdem inju- D riæ in supradicta hominibus faciendæ, habuisset, recognovit.

Hoc autem factum est die quadam Dominica diluculo, cum etiam divina missa in supradicta ecclesia celebratur. Qua die etiam ad colloquium contra episcopum Lingonensem proficiscebatur. Hujus rei testes sunt quatuor supradicti argenti fideijussores : Hugo videlicet de Bellojoco, Gerardus de Strabona, Otho de Durneto, et Humbertus de Trimolario, et Odo suus præpositus, et Guillermus Sylvestris, Odo Albus, et Hugo frater ejus. Isti de parte consulis. De parte abbatis, Guirricus prior de Fonte vennæ, Gothefridus prior Calentensis. Poncius de Silvenneiaco. In Christo Jesu Domino nostro.

EPITAPHIUM HUGONIS DE BELLOMONTE.

Qui decreta decreverunt,
Ex decretis hoc sanxerunt,
Quod scriptura notaretur
Quidquid jam definiretur,
Aut sigillis insignirent
Quidquid omnes stabilirent,
Ne periret vetustate,
Vel dierum quantitate.
Hoc majores statuerunt,
Et statutum reliquerunt.
Tales usus antiquorum
Cura servat modernorum,
Sua namque per scripturas
Instituta vel figuras
Semper solent designare,
Vel signando demonstrare.
Sed cum talis vigens usus
Apud omnes sit diffusus
Nos sequentes usuale,
Donum quoddam speciale,
Donum dico tale, magnum
Vel memoriale dignum
. . . . . satis annotari
Scriptis, et astipulari
Diligenter studeamus,
Ut perfecte describamus.
Ergo cunctis innotescat,
Nec ab ullis evanescat,
Noscat omnis litteratus
Simul et illiteratus,
Quod Hugo de Bellomonte
Donavit de sua sponte,
Corde bonæ voluntatis,
Et affectu pietatis,
Deo simul, et fratribus
In Christo confidelibus
Besuensis ecclesiæ,
Pro defunctorum requie,
Pro se et Joffredo filio,
Pro parentum remedio
Tam pro cunctis fidelibus
Quam pro suis hæredibus,
Inter primam coloniam,
Vel si mavis coæveiam,
Simul et quamdam terrulam,
Dictam vulgo Rupeculam,
Bis binis prati falcibus
Accumulata grandibus.
Hæc supradictis fratribus
Donavit Besuensibus
Qui deservirent sedule
Sancti Martini cellulæ.
Hæc sunt in territorio
Bellimontis sub prædio.
Hæc præter per injuriam
Suamque violentiam
Quemdam facta calumnia
Male fugarat patria,
Et sine rectitudine,
Carbonem dictum nomine,
Qui juxta dictam cellulam
Construxerat domunculam,
Servire volens fratribus
Inibi famulantibus,
Quem mox liberum credidit,
Et absolutum reddidit.
Ad hæc totam justitiam
Suam dedit per gratiam,
De Boiens, rebus omnibus
Simul dictis et actibus.
Post hæc sibi collibuit,
Quod salvimentum tribuit
De Cavennei prædio,
Quod tenebat in proprio.
Postremo querimoniam
De Blegne vel calumniam

Justam, vel non exposuit,
Ita quod nil retinuit.
Rursus unam filiolam,
Quam domi nutrit parvulam,
De concubina genuit.
Quod sancta lex prohibuit
Hanc quidem sibi garcio
Legali matrimonio
Quærebat semper jungere,
Tali decreto fœdere
Quod Hugonis præsidio,
De Besuano prædio
Sibi foret redditio,
Præfecturæ vel ratio,
De qua fecit calumniam
Nec justam querimoniam.
Sed quidquid sic disposuit,
Garcio non obtinuit.
Hugo namque supplicibus
Monachorum clamoribus,
Et dare natam renuit,
Et opem ferre noluit.
Hæc prædicta donaria
Facta sunt in ecclesia
Besuensis cœnobii
Super gradus altarii,
Per textum evangelicum.
Nota res est in publicum.
Quod Pater fecit, filius
Hugo gessit libentius.

De Bellanava.

Catholica mater Ecclesia gaudens de suorum profectibus filiorum et mœrens pro defectibus, quos patitur a privignis insurgentibus, loco filiorum Davidica voce proclamat, dicens: *Retribuebant mihi mala pro bonis* (*Psal.* XXXIV, 12). Et per Isaiam: *Filios enutrivi, et exaltavi : ipsi autem contemnentes spreverunt me* (*Isa.* XII). De quibus profecto exstitit quidam Robertus, natus ex servis et ancillis hujus Besuensis ecclesiæ, et exaltatus ab ea ministerio præposituræ, sæpe numero ipsam exaltatricem plagis, placitis, rapinis, incendiis devastavit. Postmodum itaque respectu clementiæ Dei de tantis malis pœnitens, et nullo alio modo se posse salvari credens, ministerium ipsum, id est præposituram, cum omnibus pertinentibus ad ipsam, reliquit ecclesiæ Besuensi, et concessit in præsentia domni Stephani abbatis, et aliorum multorum, quorum hæc sunt nomina: Eodulfus, et Vigerius monachi, Obertus Coccus. Hugo dapifer, Berno. Die vero depositionis uxoris suæ, idem donum iterando confirmavit in capitulo nostro. Hanc donationem multis diebus in pace, et quiete et sine calumnia tenuit ecclesia, donec quadam die. Humbertus de Balenava adiens abbatem Girardum, proclamavit eumdem Robertum ejusdem præposituræ se suosque fratres hæredes statuisse.

Unde Robertus nimium exacerbatus, et istud viriliter abnegans, protestatus est se quondam in captione positum fuisse, et si in illa captione moreretur, jus suæ præposituræ eis dedisse. Quid plura? Duellum inde firmaverunt, sed statuto die pugnæ Roberto convenienter astante, Humbertus et sui non advenerunt, neque contra mandaverunt. Sic ista sopita calumnia, post dies aliquot supradictus Robertus monachatum expetiit, accepit, eamdem concessionem et donum quod fecerat, et iteraverat reiterans, totius capituli nostri testimonio roborari fecit. Eo autem viam universæ carnis ingresso, insurrexerunt contra nos colloquentes pro ipsa præfectura, videlicet fratres de Balenava, Humbertus, Petrus et Joannes : præpositus etiam de sancto Juliano, cum nepotibus, quorum causa in curia ducis Hugonis per manum ipsius, et uxoris ejus, et optimatum Curiæ ita terminata est. Nam victi ratione et donorum largitione, quidquid juste, vel injuste, vel parentela, vel dono alicujus in præfectura proclamabant totum abnegaverunt et devoverunt, fide data contra omne genus suum et contra omnes homines guarantiam portaturos. Hoc assignamus vidisse, et audisse Hugonem ducem Burgundiæ, et uxorem ejus, Widricum Besuensem abbatem, Petrum abbatem Divionensem, Guidonem priorem, Nerduinum de Asperomonte, Pontium de Silviniaco, Humbertum de Virzeiaco, monachos Besuenses.

Urricus vero de Renavis, et filii sui, nacta occasione quod Haimo frater Roberti defuncti filiam ipsius Urrici uxorem duxerat, contra nos insurrexerunt calumniantes eamdem præposituram, sed resipiscentes ipsam cum omnibus pertinentibus suis abnegantes adjuraverunt. Ipse quoque Urricus et filii sui, Rodulfus, Milo, Wido, et Hugo, et filia, pro qua clamabant, annuerunt, et laudaverunt ecclesiæ Besuensi quiete et liberrime in perpetuum possidendam. Quod roboramus testimonio proborum virorum : domni Guidrici abbatis, Rodulfi prioris, Alberti Tullensis, Nerduini de Asperomonte, Pontii de Silviniaco et reliquorum ; militum vero, Euvini Daleelz, Haymonis Cobumbæ, Milonis de Poiens, Mainfredi.

Charta Joffredi Bellimontis juvenis.

Cuncti fideles in corpore sanctæ Ecclesiæ compaginati, qui veri capitis Christi membra se cognoscunt, perpendant qualiter invalida membra sua refovere debeant, juxta quod ait Apostolus : *Si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra* (*I Cor.* XIII, 26). Sancta enim Ecclesia more sagenæ missæ in mare, sinu suæ pietatis cunctos advenientes colligit, alios solido cibo reficiens, aliis lac potum dulcedinis infundens, nonnullos vero de naufragio mortis liberans. Hoc igitur naufragium instigante diabolo Joffredus miles, Hugonis domini Bellimontis filius, incurrens in exercitio militari morte deprehensus, litus orationum fidelium evasurus expetiit, et eleemosynis sua facta redimere studuit. Quæ eleemosyna quanta memoria sit digna, in subsequentibus demonstrabimus. Pro tanti igitur criminis exsecratione, mortuum corpus illius anno et amplius sepultura caruit, donec Deo disponente, qui neminem vult perire, venerabilis Gothefredus, qui tunc Lingonensi Ecclesiæ præerat episcopus, Romam iret.

Expletis vero prospere cunctis, pro quibus ierat, cum et apostolica auctoritate et licentia rediens,

eumdem Joffredum a suæ excommunicationis nodo absolvit, et pro eo hostiam salutarem offerens, inhumata ejus membra honorifice tumulavit. Aderat tunc Besuæ cum episcopo consul Burgundiæ Renaldus, cum multa militum caterva, qui eo die coram cunctis juravit tenere pacem Ecclesiæ, et omnes eam deprædantes manu bellicosa expugnare. Ante quorum præsentiam devotus Hugo, pater Joffredi defuncti cum Hugone filio suo adveniens, D. Widrico abbati et Besuensi ecclesiæ promisit pacem tenere, et contra omnes qui de rebus monasterii aliquid usurparent, quasi propriam terram depopularentur, auxilium ferre. Post hæc autem uterque Hugo pater cum Hugone filio, eleemosynam, quam prius pro Joffredo fecerat, per manum Godefredi episcopi coram multis testibus confirmavit.

Dedit igitur Deo, et sancto Petro, et Besuensi ecclesiæ, pro anima filii sui, et pro animabus antecessorum suorum, astante, et laudante Hugone filio suo corveiam propriam, quam Remigius presbyter in vadimonio ab ipsis habebat, et quamdam terram, quam dicunt Rupeculam, a via quæ ducit Lucillæ, usque ad villam quæ vadit Fleix, et quatuor falces prati juxta cellulam nostram Sancti Martini, et hominem nomine Carbonem, quem ob multas injurias de patria fugaverat.

Præterea dedit justitiam et Corveias quas proclamabat, liberrime, et absque consuetudine in villa nostra quæ Boens dicitur. Dedit et salvimentum Cavaneiaci villæ nostræ, et calumniam quam faciebat in terra nostra apud villam, quæ Blaineis nuncupatur, sive justam sive injustam libere concessit,

Hanc autem donationem roborari volumus proborum virorum testimonio, quorum ista sunt nomina : Sig. Hugonis qui hanc eleemosynam fecit, et Hugonis filii ejus. Sig. Euvini de Acels, et Hugonis filii ejus. Die vero sepulturæ ipsius Joffredi, quando hæc eleemosyna iterum confirmata est per manum episcopi, fuerunt et alii quamplures, quorum ista sunt nomina : Sig. Godefridi episcopi. Rainaldi comitis. Sig. Widonis abbatis. Sig. Haymonis Columbæ. Sig. Mainfredi Darc. Sig. Richardi de Fretis. Sig. Milonis de Poiens. Sig. Hugonis Chaine. Sig. Urrici de Renavis, et filiorum ejus. De monachis, sig. Widrici abbatis. Sig. Pontii. Sig. Nerduini de Asperomonte. Sig. Warnerii. Sig. Alberti. Signum Matthæi. Sig. Rodulfi chartæ istius dilatoris, et aliorum multorum.

De medietate decimarum in Majasco.

Cum quædam patrum nostrorum instituta erroribus succedentium oblivioni perpetuæ tradita videantur, adjudicamus de præsentibus institutis magnopere fore curandum, ut ea serie litterarum semper memorata teneantur. Nos igitur quantum est possibilitatis nostræ, styli officio commendamus, quod Bartholomæus filius Rodulphi Villici de Majasco, patre ac matre ejus nescientibus, ecclesiæ Besuensis a domno Girardo abbate, laudante conventu, monachus effectus est. Illis vero temporibus prædicti Bartholomæi pater in villa quæ dicitur Majascus de minimis decimis medietatem a Guidone capellano pro 15 solidis in vadimonio habebat, tali scilicet conditione, nisi vivente eo redimeret, Guidone defuncto, ipse Rodulfus, et filii ejus super eam hæreditarent. Illam siquidem decimarum medietatem, de qua superius sermonem fecimus, donavit Rodulfus pro filio Bartholomæo beatis apostolis Petro et Paulo, et sanctæ Besuensi ecclesiæ, in præsentia domni Gerardi abbatis, uxore sua cum filiis laudantibus. Quo facto petiit uxor ejus a domno Girardo abbate, ut quod de decimis illis sua pars in Canabo sibi conferebat, ea vivente retinere concederet, cujus petitioni domn. abbas Girardus coram cunctis qui aderant, favit.

Charta de duobus fratribus de Beria, scilicet Roberto et Walterio.

Præsentibus litteris notificamus, quod domn. Hugo de Beria Stephanum cum suis hæredibus sancto Petro, et Besuensi ecclesiæ dederit. Post cujus mortem Hugo de Magne cum Aldone fratre suo, qui de filiâ ipsius Hugonis de Beria orti fuerant, cœperunt prædicti Stephani filios proclamare, nolentes acquiescere, nec laudare, quod avus eorum Hugo eos dedisset. Quapropter cognitum examen quod sibi judicatum fuerat, manu tulerunt, quod domn. Hugo avus eorum totum quod in patre suo, et in hæredibus suis habebat, Deo, et sancto Petro dedisset. Prædictus vero Hugo, qui eos calumniabatur, videns querimoniam suam annullatam, injuste eos proclamasse, concessit Deo, et sancto Petro, ponens per librum super altare in Besuensi ecclesia. Præsentes qui affuerunt hujus rei testes idonei sunt, Haymo, Odo Malenutritus, Haymo Strabus. Et de nostris, Vidricus abbas, Nerduinus de Asperimonte, Poncius de Silvinne, Ulricus de Renavis. De laicis Berno, Petrus, Humbertus. Cum hoc laudassent apud Besuam prædictus Hugo cum Aldone fratre suo, statuerunt diem, quo hæc matri suæ et uxori facerent laudare; quo die affuit Pontius monachus apud Magne, et laudavit coram eo mater Hugonis, et uxor, et unicus ejus juxta cappellam ligneam, præsentibus Hugone, et Aldone, et Haymone, Odone Malenutrito, Hugone, et Ulrico de Angele.

De nemore quod Rotardus dicitur.

Notum sit omnibus, quod Pontius de Sancto Sequano, et Humbertus frater suus pro pace, et fine quam fecerunt cum Gisleberto d'Avenne de morte fratris sui Willelmi, qui apud villam Sancti Sequani fuit occisus, et avunculis ipsius Widone, et Renaldo, dederunt Deo, et sancto Petro, quidquid habebant in nemore, quod dicitur Rotardus.

Item pro hac eadem pace et fine Hugo Belmontis dominus quinque solidos censuales apud Montaniacum in manso de Siligne, sanctæ Mariæ de Fonvenz, ubi corpus defuncti jacebat, dari constituit tertia die post natale sancti Bartholomæi, quo

anniversaria dies ejus agitur. Quod etiam testimonio proborum virorum roborari volumus. Sig. abbatis de Tusleio. Sig. abbatis do Caritate, Rotgeri de Abens monachi Bellæ vallis, Odonis de Furno. De monachis nostris, Sig. Richardi præpositi, Poncii, Nerduini. De militibus, Haymonis, Hugonis Channe.

De Sancto Martino et Lissiaco.

Clemens paterfamilias Conditor noster non solum eos, qui a pueritia fideliter in vinea sua, sancta scilicet Ecclesia, laborant, mercede non privat, verum etiam eos, qui sero venientes, hoc est, jam senio gravati in eadem devote vivere student, denario æternæ beatitudinis remunerat. Divino itaque respectu Humbertus de Bigorna, in senectute mundo renuntians, Besuense monasterium devota mente petiit, ac eidem cœnobio 4 falces prati, 3 apud Sanctum Martinum Bellimontis, 1 apud Lisseiacum contulit. Dedit etiam mansum apud villam Casotum, et campum trium jugerum inter Albiniacum, et castrum Montis Salionis. Hanc eleemosynam ipse Humbertus, et fratres ejus Rodulfus, et Milo, et Pontius nepos eorum, sancto Petro Besuensi super altere ponentes librum, dederunt. Signum Widrici abbatis, Gunterii capel. Richardi præpos. Willelmi famuli, Petri Pauliaci, Widonis, et Petri Cocci.

De Genciniaco.

Gidelium memoriæ tradimus, quod Urricus de Renavis pro anima filii sui Hugonis, dedit sancto Petro Besuensi mansum apud Ossilliacum, singulis annis nummos duodecim duoque membra, sive duas gallinas in Natale Domini jure persolventem. Addidit, et medietatem quam possederat corveiæ nostræ Genciniaci; quatenus ipsa corveia Besuensi ecclesiæ maneat. Sig. Rodulfi, Milonis, et Widonis filiorum prædicti Urrici. Sig. Widonis Rufi nepotis ipsius Urrici.

De Podiens.

Præsens vita, ut beatus ait papa Gregorius, via est, qua ad patriam pergimus. Qui ergo ad patriam vitæ pervenire desiderat, dum in via est, ante mortem legationem bonorum operum aut eleemosynarum ad Dominum præmittere studeat. Assignamus itaque Odonem immatura morte hac de vita sublatum, pro cujus anima pater ejus Milo de Podiens, ecclesiæ Besuensi dedit campum decem jugerum, uxore cum filiis, et propinquis ejus laudantibus. Signum Widrici abbatis, signum Matthæi Alberti, signum Bartholomæi et Richardi fratrum. De militibus, signum Hugonis domini Bellimontis.

De Boilliaco.

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, amen. Ecclesia Dei, quæ ex piorum largitatibus ampliari gratulatur, eosque gaudet adipisci, propter oblivionis incommodum devitandum semper debet reminisci. Nam quia morte prohibente unusquisque pastor non potest in æternum permanere, quidquid agit, vel cognoscit ad commodum suæ esse Ecclesiæ, litteris, et scripto suis debet successoribus demon- A strare. Ego igitur Stephanus abbas notifico omnibus tam præsentis quam futuri sæculi fidelibus, domnum Simonem de Bellojoco, et domnum Hugonem fratrem ejus, antequam fuissent uxorati, filiam Geraldi divitis, quam parentes, et amici Petro filio Lamberti de Pauliaco in matrimonium dare disponebant, sancto Petro et mihi, qui præesse videbar, et monachis Besuensis ecclesiæ liberam, et sicut sancti Petri feminam absque omni retractactione authentica concessione coram multis concessisse. Quod ne alicujus malivoli invidia vel improbitate possit *in calumniam* suscitari, justum mihi visum est hanc chartam subscriptorum qui affuerunt virorum testimonio debere roborari. Sign. Simonis. Sig. Hugonis fratris ejus. Sig. Poncii de Silviniaco. Sig. Fulconis B de Vore. Sig. Rainaldi presbyteri. Sig. Bernardi fratris ejus. Sig. Geraldi divitis. Sig. Gaulteri filii ejus Sig. Stephani abbatis. Sig. Gerardi prioris de Fonsvens. Sig. Guillenci. Sig. Alberti Tullensis prioris Sancti Valeriani. Sig. Lamberti de Pauliaco. Sig. Joannis fratris ejus. Sig. Gileberti famuli.

De eodem.

Sciendum vero est, quod post mortem Lamberti Pauliaci, quæsivit Audo fratri suo Petro partem de domo quæ erat in mercato. Cui respondens Petrus dixit, se ei de hac re nullo modo respondere, quia Lambertus pater suus sine parte cæterorum filiorum suorum et filiarum, dedit ipsi, quando uxorem duxit. Hoc Audo se ignorare respondit. Venerunt itaque ambo ad judicium, et judicatum est in curia Girardi abC batis, ut si idem Petrus de hac re legatos testes haberet, in pace esse deberet. Die autem placiti vento, affuit etiam Petrus cum testibus suis, Roberto scilicet præposito, et Hugone dapifero, cum matre ejus, hoc affirmantibus, et ita domo libera, atque in pace Petro reddita. Audo fidejussores pacis tenendæ dedit supradictos. Isti sunt, qui ad judicium fuerunt. Josbertus præpositus, Lebaldus, Albricus, Albertus. Hæc domus Petro domnum intulit, scilicet 30 libras.

De Sancto Martino.

Quoniam rerum mutatione plura, quæ melius stare videbantur destructa, et quasi non fuissent, videantur esse abolita, litteris commendare ratum fore ducimus eas quibus Ecclesia Christi in exterioribus augetur, quo earum auctoritate defendatur, vel futuris D clarificetur. Et ideo annotamus, quod quidam miles Belmontensis, nomine Richardus, cognomento Truta, habuit filium, nomine Haymonem, quem in ecclesia Besuensi monachum fieri deliberavit. Qui accessit ad domnum Girardum, qui tunc ecclesiam Besuensem regebat, et ad fratres ipsius monasterii, filium ipsum coram multis testibus abbatis et fratribus tradidit, et pro eo ecclesiam ipsam ex propriis amplificari curavit. Dedit ergo huic ecclesiæ apud Sanctum Martinum in confinio Belmontensi medietatem corveiæ, quam hæreditario jure possidebat: et pratum Roseros, quod similiter habebat. Consuetudinem etiam, quam in nostris hominibus habebat apud Artasiam

manentibus, scilicet corveiam, et cætera quæ habebat, concessit. Nec multo post medietatem corveiæ de Sancto Martino, quam retinuit, vendere sibi placuit. Qui cum ex hoc supradictum abbatem Girardum prius convenisset, emit ab eo isdem abbas ipsam medietatem, laudante hoc uxore sua, et filius in capitulo Besuensi.

Postea vero quidam frater ejus, nomine Theodericus, Jerusalem iturus omnia quæ a fratre suo nobis data fuerant vel vendita, cœpit calumniari, consentiente fratre suo Richardo, ut postea res innotuit. Abb. vero Girardus 30 solidos eis dedit, et super sanctum altare in capella sancti Bartholomæi coram multis testibus, adstante, et laudante uxore sua, et filiis, uterque superposuit. Evolutis vero aliquantis annorum curriculis, et de medio exempto bonæ memoriæ Girardo, et succedente in loco ejus venerabili Widrico, Richardus, de quo hic agimus, abbati Widrico, quasi rudi, et nescienti, et monachis apud Sanctum Martinum manentibus, totum abdicavit, et contradixit. Cui abbas Widricus quasi pastor bonus lupo rapienti, obstitit, placitumque cum eo terminavit. Qui cum uterque ad diem venisset, abbas supradictus sapienti consilio fultus, testes idoneos, qui hoc audierunt, et viderunt, secum adduxit. Quibus cum non posset contraire, cognovit injuste et necessitate urgente se hoc calumniasse. Promisit etiam nunquam amplius molestiam inferre, sed fidelem se in hoc et aliis quibus posset, existere. Quæ res ne amplius inquietetur, proborum virorum testimonio roboramus. Sign. Hugonis Belmontis domini, Widonis de Sauz. Sign. Nocherii. Sig. Euvini Daces, et Hugonis filii ejus, Milonis de Poiens, et Hugonis fratris. Sign. Pontii Crassi. Widonis Ravinel, Widonis Rufi, et Wiardi ; et de clientibus Humberti de Soleri, et Warnerii fratris, Alberti Christiani, Warnerii Crassi, Dominici ministri.

Charta Hugonis Bellimontis domini.

Ad omnipotentis Dei laudem providentes futurorum utilitatem, monimentis tradimus litterarum, ne aliqua oblivionis obfuscetur nebula, vel malorum aliquando perturbetur audacia. Præsentibus igitur cunctis fidelibus notificamus, quod domnus Hugo Bellimontis dominus divino igne succensus, et de salute animæ suæ sollicitus, dederit Deo, et sancto Petro, et huic Besuensi ecclesiæ molendinum, quod Petrus Rufus tenebat, ante ecclesiam Sancti Martini situm, cum molendinario, et ejus domo, et prato, et omnibus appenditiis suis, laudante filio suo Hugone, qui tunc prædicto castro dominabatur, et uxore sua Mathilde, per manum Gotefridi Lingonensis Ecclesiæ pontificis, die qua prædictam ecclesiam consecravit. Hujus donationis testes idoneos assignamus. Sig. Gotefridi episcopi. Sig. Euvini Dacels, et filiorum ejus Hugonis, et Hugonis cognomento Werra, et Milonis. Sig. Milonis de Poiens, et Hugonis fratris. Sign. Hugonis filii ejus. Et de clientibus, Humberti de Solerii, et Warnerii fratris ejus, Christiani, et Alberti, et aliorum multorum.

A Post non multum temporis cum superna Providentia incitasset fideles ad confutandum paganorum perfidiam, compunctus Hugo, filius supradicti Hugonis, cum in expeditione Hierosolymitana proficisci deberet, incertus quid de se rei eventus daret, devotus capitulo fratrum, vale dicturus eis, adiit, de malis a se ecclesiæ Besuensi irrogatis veniam postulavit, fratrumque orationibus se commendans, eleemosynam fecit. Habebat namque in villa sancti Petri quæ Pauliacus dicitur, medietatem justitiarum, et terram, et homines ipsam tenentes. Quæ cuncta eis concessit, præsente et laudante patre suo Hugone. Testes hujus rei sunt qui affuerunt in capitulo cum eo pene omnis Besuensium hominum et monachorum multitudo, et
B de militibus Hugo pater ejus, Josbertus Gloseius, Wido Dessartinis, Viardus de Renavis, et Wido Rufus, Hugo Chaine, Wido Ravinellus, et alii multi.

Adjungimus etiam quod alius quidam miles Fredericus nomine de Campaniis, Hierusalem iturus, in eodem capitulo concessit sancto Petro, et fratribus Besuensis cœnobii molendinum cum appenditiis suis apud Blainiset, et terram, et cuncta, quæ habebat in eadem villa, adstantibus, et laudantibus Hugone domino Belmontensi, et Hugone Chaine fratre suo, et cæteris supradictis.

Charta qua dom. episcopus Lingonensis dedit nobis quasdam ecclesias et capellas apud Sanctum Martinum supra Vigunnam et Bellomontem.

C Rerum mundanarum varietas, quam multimoda sequitur defectio, sapientem ducit ad consilium, ut ad cautelam providentiæ, ne si quid boni fecerit, pereat, mentis oculum extendat in futurum. Quidquid enim in humanis agitur, aut transcursu temporis, aut oblivionis nebula citius aboletur, nisi sit, quod in exemplis Patrum, et in usu sanctæ cognoscimus Ecclesiæ eleemosynas, et bona, quæ sancti viri operantur opera litteris propter memoriam studeamus annotare. Quapropter ego Gotefredus, Dei gratia Lingonensium episcopus, notum facio omnibus tam præsentis, quam futuri sæculi fidelibus, venerabilem fratrem nostrum Widricum, Besuensem abbatem, præsentiam nostram adiisse, et devotæ supplicationis precibus postulasse, ut ecclesias, quas tenuit dominus Remigius Belmon-
D tensis castri presbyter ; quas siquidem bonæ memoriæ antecessor noster domnus Wilencus Lingonensis Ecclesiæ præsul, domno Girardo abbati Besuensi ante dederat ; ut firmior esset donatio, iterato donarem, et auctoritate nostra roborarem, ac propter evitandas malorum hominum calumnias, quas ecclesiastica semper nititur evitare prudentia, sigillo nostro sigillarem.

Dono igitur, salvo jure Lingon. Ecclesiæ, Deo et sancto Petro, et venerabili fratri nostro Widrico abbati, monachisque Besuensis cœnobii, ecclesias quas, sicut dictum est, Remigius presbyter tenuit. Ecclesiam videlicet Sancti Martini, cum capella S.

Bartholomæi,et Ecclesiam de Auxiliaco, et Ecclesias de Campaniis, S. videlicet Juliani, et S. Hilarii, et Ecclesiam de Domna Petra, auctoritate confirmans pontificali ne quis amplius abbatem, vel fratres Besuensis cœnobii de tenore harum Ecclesiarum exturbet,aut audeat inquietare,aut alicujus controversiæ fraudibus usurpure.Quod si quis præsumperrit, proprio reatu exigente,sententiæ anathematis se cognoscat subjacere.

De Nerone.

Ecclesiæ Dei filiis etsi simplicitas auctoritate divina teneri præcipitur, serpentina tamen calliditas eodem præcepto adhibenda cognoscitur, quatenus et innocentes ad malum non festinemus, et ea quæ videntur utilia exercere studeamus. Cum etenim mundus secundum Prophetam ollam succensam,id est humanam conscientiam, ad faciem extendat Aquilonis,et moderni quam pluribus præ cupiditate mali vitiorum immergantur procellis, justum est, ut Ecclesiastica providentia, et sua innocenter teneat, et sapienter quod tenuerit,in futurum non amittat. Proinde ad excitandam futurorum memoriam, et obstruendam oblivionis nebulam, scripto commendamus Domnum Widonem de Lyscio,cum veniret ad obitum, pro animæ suæ antecessorumque remedio, Deo et Monachis Besuensibus, in eleemosynam dedisse quidquid apud Neronem habebat,et quidquid jure hæreditario, vel quolibet alio modo debere esse suum inibi reclamabat. Quæ siquidem eleemosyna super altare S. Petri per manum uxoris suæ Chartei,et filii sui Wilenci posita est, assistentibus fratribus ipsius Widonis Poncio, et Willelmo, qui et ipsi hoc donum fecerunt, audientibus et videntibus quampluribus approbatis viris, Monachis, Clericis, et Laicis, subscriptis, qui adfuerunt. Dedit etiam tunc querimoniam prati quod tenebat Albricus. Signum Widonis Alberti sulprioris, Alberti Tullensis, Richardi Monachi.

Titulus de Guidone Molendinario.

Beatitudinem, quam universalis Ecclesia de oratione intelligit Dominica, Adveniat regnum tuum, omni nisu mentis et corporis assequi debemus; ut cum sanctis postmodum, qui cum eo regnabunt gaudere valeamus. Qua animadversione ducta ego Cæcilia, uxor Ewardi de Rollens, cum filio meo Willelmo, quemdam servientem meum Widonem, Deo, et sancto Petro, et Monachis Besuensis Ecclesiæ, pro remedio animæ mariti mei, antecessorumque salute dedi:et hoc donum tenens librum Evangelii cum prædicto filio meo super altare posui,et filiam meam Elizabeth, hanc donationem laudare feci. Quod ne irritum fiat, vel oblivionis nebula depereat, testes qui adfuerunt assignari benigne concessi. Sign.Guidonis Prioris. Sig. Alberti Tullensis. Signum Widonis. Signum Lamberti de Racio. Signum Bartholomæi de Arcu. Signum Patri Cellarii de coquina. Signum Humberti Divitis. Sig. Geraldi. Sig. Chalucoth fabri- Sig. Stephani nepotis Abb. Widrici. Sig. Petri Ministri de Bassei.

De Aldrico servo.

Ecclesia Dei variis et crebris tribulationum procellis, sicut maris insula sæpius percutitur, vento turbinis flante, id est, inimici suasione pestifera, fidelium qui nocte ac die servitio Dei videntur mancipati, quietem perturbante. Quapropter ipsis solerter invigilandum est, ut quæ habent et possident, pacifice queant retinere ne malorum aliquorum versutia perdant quod debent conservare.

Memoriale igitur æternale esse volumus, scripto commendantes qualiter calumnia, quam Domnus Guillelmus de Tricastel, de Aldrico homine sancti Petri faciebat,fuerit terminata. Ipse Guillelmus dicebat prædictum Aldricum apud Veronam mansisse, et pecuniam fratris sui qui mortuus fuerat, ipsum Aldricum habuisse. Aldricus dicebat e contrario se nunquam in terra Domni Guillelmi mansum accepisse, nec pecuniam defuncti fratris habuisse. Mediantibus igitur bonis qui adfuerunt viris,Aldricus Domno Guillelmo 4. libras, et 10. solidos dedit; et ipse Guillelmus quidquid clamabat super eum, dimisit: et ita calumniam suam et hominem in pace dereliquit. Quod ut inconvulsum permaneat, et oblivionis nebula non deleatur,virorum qui adfuerunt testimonio roborare,et eorum nomina opus est sigillatim nominare. Sig. Widrici Abbatis, Alberti Tulensis. Sig. Widonis Capellani. Sig. Humberti Divitis. Sig. Waruerii. Sig.Petri de Pauliaco. Sig. Audonis. Sig. Joannis. Sig. Haymonis. Hæc facta sunt apud Besuam. Postea vero apud Tricastel ipsius uxor domni Guillelmi laudavit, et benigne concessit pacem quam de Aldrico fecerat maritus ejus.Testes adfuerunt ipse Guillelmus,Ulricus Capellanus de Claro monte, Richardus Presbyter, Warnerius nepos ejus, Joannes Clericus. Nocherius Miles, Willelmus de Casoto, Bardulfus, Walterius, Wido Checevath, Paganus, Willelmus filius Miribelli, Warnadus, Hugo, Wido, Villici de Luco. Signum Bardulfi, Walterii de Pichangi, Wasleri Malvasloth, Lamberti de Marcelliaco. Serianth, Milonis Falsart, Warnerii de Veronna, Warnerii de Solunge.

Charta de Nemore Rothart.

Ecclesiasticæ dispensationis providentia, etsi præcepto Domini serpentina calliditate debeat augmentari,columbina tamen simplicitate jubetur temperari,ut sic a nobis teneatur,ne plus justo temperata imprudenter dissolvatur. Cui considerationi invigilans Ego Widricus Abbas, Notum facio meis omnibus in perpetuum successoribus, quomodo Besuensis Ecclesia, cui præesse videor, de vexationibus, et doloribus, quos diu sustinuerat pro calumnia, quæ erat de Nemore Rothart, tandem fuerit liberata. Quidam enim Belmontenses, qui Præpositales dicuntur,in prædicto Nemore partem hæreditario jure proclamabant, et infestatione non

modica, malis quam pluribus illatis, nobis insurgebant. Cujus doloris vehementia cum multo tempore percrebresceret, Deo, ut credimus, volente, accidit quod quidam ex ipsis, nomine Brutinus, quadam die cum in fabrica fabri cultellum emoleret, et eum ad terram incaute deponeret, ipso cultello vulneratus cecidit, et absque viatico, et confessione quantocius exspiravit. Cum igitur tali morte defuncto parentes et amici condolerent, et excommunicatum fuisse cognoscerent, cœperunt inquirere quomodo in terra cœmeterii adhibito Christianitatis officio posset tumulari, quod non posse fieri visum est, nisi a malis absolutus esset, quæ propter nemoris calumniam Ecclesiæ fecerat, pro quibus excommunicatus apparebat. Clarino, igitur fratre ejus agente, qui sapientior erat, cum Widrico alio fratre actum est, quod uxor ipsius Brutini, quam Baldulfum vocant, et pueri ejus Petrus, et Willelmus, et omnis familia calumniam prædicti nemoris dimiserunt, et heminam milii, quæ tunc cara erat pro tempore, a nobis suscipientes, Deo et sancto Petro et monachis Besuensis Ecclesiæ pro absolutione illius concesserunt : testibus appositis, Haymone monacho, Clarino, Widrico, Christiano, Humberto, Loir, qui videntes et audientes adfuerunt. Proinde periculosam illius mortem adducentes sibi in exemplum fratres et consanguinei, Clarino agente, qui melioris, sicut dictum est, fuerat scientiæ, omnes in hoc convenerunt, ut prædictæ Ecclesiæ pacem facerent, et ne ante Deum rei pro calumnia nemoris apparerent, omnes concorditer ipsum nemus Deo et sancto Petro dimiserunt ; insuper benedictionem temporalem a Monachis susceperunt. Widricus 40 selidos, et heminam milii, Clarinus, et Willelmus frater ejus 40 solidos. Hugo Præpositus, pro eo quod nemus ipsum Deo, et sancto Petro guilpivit, filium suum in Ecclesia nostra fieri Monachum obtinuit. Dimissa sic nemoris calumnia, omnes pacem bonam et concordiam fecerunt, et super altare sancti Petri quidquid in prædicto nemore, et appenditiis ejus, seu juste vel injuste proclamabant, totum Deo et sancto Petro dederunt, guilpiverunt, et insuper juraverunt quod amplius non repeterent. Et si calumnia exinde veniret aliqua, fideli enarratione, guarantiam portantes legitimam, nobis contra omnes calumniatores enarrarent. Quæ pax ne temporum intervallo, vel oblivionis depereat incommodo, legitimorum, qui adfuerunt, roboranda est testimonio. Haymo Columba, Willelmus de S. Sequano, Petrus, Aldo frater ejus de Pauliaco, Malet, Humbertus, Warnerius, Christianus, Humbertus de Solio, Clarinus, Widricus, Guillelmus, Sibyla uxor Hugonis laudavit pacem et donum nemoris, quod fecit maritus suus Hugo, et pueri ejus, Milo et alii. Malvaslet cum moreretur prædictum nemus guilpivit præsente Abbate, Poncio Capellano Fisneta, Gisleberto filio ejus et Christiano. Hugo de Aquato iterum cum moreretur hoc nemus guilpivit, præsente uxore sua. Testes adfuerunt, Christianus, Malvaslet, Amalricus, Garnerius Silvestris.

Charta de S. Sequano in Beesca.

Quantæ pietatis desiderio debeamus æterna meditari, labentis mundi casus indicat, qui quotidianis defectibus videtur annullari. Præsens etenim vita, quæ in suis stipendiis ærumnosa conspicitur, quidquid confert, infirmum est et fragile, et quod sui amatorem tandem reddat miserrimum evidenter comprobatur. In cujus siquidem dispendiis, quia multiplex pro imbecillitate carnis patimur detrimentum, ipsa mors per quam omnis caro destituitur, doloris et timoris nobis est argumentum. Pro respectu hujusmodi, nolens ampliue acquiescere carni et sanguini, sed Majestatem cœli propitiam promereri ego Martellus de Malleio, volensque de peccatis agere pœnitentiam, quæ per meæ juventutis commisi lasciviam, animo proposui sepulcrum Domini Jerusalem invisere, ac Besuensem Ecclesiam, quæ mea est parrochia, prout patris, antecessorumque meorum testatur sepultura, largiori bonorum meorum erogatione, consilio charitatis placuit augmentare. Deo itaque et sancto Petro fratribusque Besuensis cœnobii, in præsentia Domini Abbatis Gerardi, concedente et laudante comite Guillelmo, cui in custodia, et protectione terram meam dimisi, donavi duas in Sagonna piscarias, unam quam ante dederam, aliam quam dedi cum hoc iter arripui. Dedi autem hoc tenore, ut si opus fuerit, piscator servientem habeat, qui ad gubernandam navem eum adjuvet, et ea quæ in arte vel officio piscandi sunt necessaria, ei famulando subministret. Hominem enim, qui solus nititur operari, cum parum aut nihil proficiet, oportet adjuvari.

Dedi etiam pratum unum, quod dicitur, Brachium Lamberti. Denique nemus, quod juxta Sagunnam Wevra appellatur, et omnia nemora quæ habeo circa villam, quæ Beesca vocatur, dedi Monachis ibidem manentibus..... et illis omne quodcumque fuerit necessarium Monachis et hominibus ipsorum in alimentum.

Dedi etiam decimas de Flogei, ei parochiaticum. et omnem usum, et consuetudinem in nemoribus, et in sylvis ipsius villæ cum omni libertate. Ad hanc donationem addidi decimam quartæ partis de portu. Dedi etiam paagium S. Sequani, quod meum erat, concessique et donavi Monachis Besuensibus ut porcos suos indominicales in nemora mea ubcunque habuero mittant, et sine pastionatico per omnia libere currant. Monachi vero, qui apud Beescam manebunt similiter faciant per omnia nemora mea porcos suos indominicabiles sine pastionatico mittant, et centum desuper si attrahere porcos voluerint. Qui siquidem Beescenses Monachi, quia pro remedio antecessorum meorum ibi sunt mancipati, nolo quod aliqua vexatione mala per meos homines videantur fatigari. Quapropter concessi, et in loco eleemosynæ mihi constitui, ut villam illam, Beescam videlicet, in qua habitant, cum omni libertate ha-

bitent ipsi Monachi, et præcepi ut homines mei, qui terras habent in villa, illas claudant, et sepes opportunas apponant, ne animalia villæ quod intus fuerit devastare prævaleant. Quod si claudere noluerint, et aliquod damnum evenerit, homo villæ in causam non trahatur, et nemini respondeat, nec damnum, nec legem inde persolvat. Ut si homo prædictæ villæ damnum per clausuram male factam susceperit, comiti Guillelmo ostendat clamorem, et ipse Comes plenariam super hoc faciat justitiam. Et ut hæc donatio authentico roboretur privilegio, subscriptorum virorum firmamus testimonio. Sig. Martelli, qui hoc donum fecit. Sig. Willelmi Comitis. Sig. Girardi Abbatis. Sig. Constantii Abbatis. Sig. Pontii. Sig. Gileberti Prioris Beescæ. Sign. Farisii canonici de Masenot. Sig. Roberti Militis de Bille, Wido Trosellus, Walo de terra Divion. . . . . pro sua suorumque salute. . . . . filii sui Guillelmi nuper defuncti et Besuæ sepulti, dedit liberrime Deo, et Ecclesiæ Besuensi hæc subtus annotata perpetuo jure possidenda, volentibus atque laudantibus uxore cum filiis, nec non et fratribus, Richardo scilicet et Girardo. Mansum unum videlicet apud Balenavam, eo tenore ut habitator ipsius usus consuetudinales habeat, sicut prius, in aquis, in terris, in pascuis, et in sylvis ejusdem Humberti et successorum ipsius. Dimisit quoque nummos 4 quos Monachus Arcionensis ei debebat annuatim pro ripa molendini sui in festivitate sancti Martini. Dedit etiam 4 jugera terræ, quæ habentur prope arborem ulmum, quæ de Mulmis dicitur. Addidit his et falcem prati prope Arcionensem siti. Cujus donationis testes idoneos etiam subscribere curavimus. Quorum nomina sunt hæc. De Monachis abbas Joffredus, Poncius Prior, Guido Sacrista. Bartholomæus frater ejusdem Humberti, Robertus Verna. Milites, Hugo de Asperomonte, Aymo Columba, Aymo de Minure, Aymo Bornus. Burgenses, Petrus de Pauliaco, Maletus, Joannes cocus, et alii quamplures.

Charta de Fontinellis.

Mansuris est imprimendum litteris quod Hugo miles de Fontanis pro anima fratris sui Haymonis nuper interfecti, et apud Besuam honorifice sepulti, laudante sorore cum nepotibus, et cæteris, ad quos res pertinere videbatur, dedit Deo, et Ecclesiæ Besuensi apud Fontenellas mansum unum cum falce prati, et tertiam partem medietatis minutæ decimæ. Hoc autem fieri fecerunt, Milo miles dominus de Fossato, cum fratre Roberto (ad quos maxime attinebat) in die sepulturæ ipsius Besuæ, multis præsentibus, quorum nomina partim subnotantur. Abbas Jofredus, Hautic prior, Wido sacrista, Bartholomæus, Gybuinus Monachi. Milo de Fossato, et Robertus frater ejus, Milites.

ANNO DOMINI MCXVII

PETRUS CHRYSOLANUS

MEDIOLANENSIS ARCHIEPISCOPUS

—

NOTITIA HISTORICA IN PETRUM CHRYSOLANUM

(FABRIC., *Biblioth. med. et inf. Lat.*, I, 436)

—

Crisolanus Thrithemio cap. 397 de S. E (Baronio Cangioque *Chrysolanus*), Ughello tomo III, pag. 126, et Allatio *Petrus Grosolanus*, aliis *Arisolanus, Grysolanus*, vel *Proculanus* etiam : ex Savonensi episcopo archiepiscopus Mediolanensis ab anno 1102, sed ob simoniæ objectum crimen depositus A. 1112. Exsulem Paschalis II papa misit Cpolin ad Alexium Comnenum, ut Græcos ad Romana sacra amplectenda reduceret, ubi scripsit *De Spiritus sancti processione* ad Alexium imperatorem; et cum respondissent illi e Græcis Joannes Phurnus, Montis Gani primarius, Nicolaus Methonensis et Eustratius metropolita Nicænus, idem Joanni Phurno opposuit *disputationem de eodem argumento.* Incertum est Græce ipse scripserit an Latine potius, sed Græce exstant e Latinis ut videtur versa mss. in bibliotheca regis Christianissimi. Vide Allatium De consensu utriusque Ecclesiæ, II, 18, pag. 626 seq., et Baronium ad annum 1116, num. 7 seq., ubi Disputationem ad Alexium imperatorem, sive compendium illius atque argumentum refert ex Latina versione Federici Metii, episcopi Thermularum. Trithemius hunc Chrysolanum quoque *librum De S. Trinitate*, et *Epistolas* ac *Sermones* et alios diversos tractatus, sed non visos a se scripsisse adnotat. Diem obiit Chrysolamus Romæ A. 1117.

PETRI CHRYSOLANI

MEDIOLANENSIS ARCHIEPISCOPI.

ORATIO DE SPIRITU SANCTO

AD IMPERATOREM ALEXIUM COMNENUM

(Edidit Græce ex mss. et Latine ex interpretatione Federici Metii, Thermularum episcopi, Leo ALLATIUS *Græciæ orthodoxæ* tom. I, pag. 379.

—

Πετροῦ ἐπισκόπου Μεδιολάνων, πρὸς τὸν βασιλέα κύριον Ἀλέξιον τὸν Κόμνηνον λόγος συνιστῶν τὸ ἐκπορεύεσθαι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ Πατρὸς, ὁμοίως καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ.

A *Petri episcopi Mediolanensis ad imperatorem dominum Alexium Comnenum, oratio probans Spiritum sanctum ex Patre et ex Filio procedere.*

α'. Ἄκουσον καὶ νόησον ἃ ἐγὼ πρὸς σὲ φθέγγομαι, τοῦ Θεοῦ ἐπιπνέοντος, φρονιμώτατε καὶ ἀνεξίκακε, δυνατὲ καὶ πρᾶε βασιλεῦ Ἀλέξιε, καὶ μή βλέπης εἰς ἐμὲ τὸν ὄντα πάντων τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ ἔσχατον, ἀλλ' ἀπόβλεψον πρὸς ἐκεῖνον αὐτὸν, οὗ τὸ προκείμενον πρᾶγμά ἐστὶν, τὸν Κύριον, φημὶ, Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν ὄντα βασιλέων Βασιλέα, καὶ πάντων τῶν βασιλευόντων μείζονα· δι' οὗ οἱ βασιλεῖς βασιλεύουσι καὶ οἱ ποιηταὶ τῶν νόμων τὸ δίκαιον κρίνουσιν. Ὑπὲρ οὗ καὶ περὶ οὗ κἀγὼ ὁ δοῦλος αὐτοῦ, εἰ καὶ ἀνάξιος καὶ ἄχρηστος, ὁμιλῶ πρὸς σὲ, ὅπως μὴ ἀνέχῃ γίνεσθαι αὐτῷ ὕβριν ἐν τῇ βασιλείᾳ σου· μή πως αὐτὸς βαρεῖαν, καὶ βασιλικὴν τὴν ἐκδίκησιν δέξηται παρὰ σοῦ ἐν τῇ βασίλειᾳ αὐτοῦ. B Οὐχῖ ἄρα ὕβριν ἐμποιεῖ τῷ Υἱῷ τοῦ Θεοῦ, ὁ λέγων· Οὐκ ἔστιν ὁ Υἱὸς ἴσος τῷ Πατρὶ; περὶ αὐτοῦ γὰρ λέγει ὁ Ἀπόστολος· « Ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπαρχων, οὐκ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ. » Ἰδοὺ ὁ Υἱὸς λογίζεται ἴσος τῷ Πατρὶ. Ἀλλ' ἐκῖνος ὅστις λέγει τὸ πνεῦμα μὴ ἐκπορευεσθαι ἀπὸ τοῦ Υἱοῦ, οὐχ ὑπολαμβάνει τον Υἱὸν ἴσον τῷ Πατρὶ. Καὶ γὰρ πῶς ἔσται Υἱὸς ἴσος τῷ Πατρὶ, ἐὰν μὴ ἐπίσης ἔχῃ τὴν δόξαν μετὰ τοῦ Πατρὸς; Καὶ γὰρ δόξα τοῦ Πατρός ἐστιν, ἵνα τὸ Πνεῦμα τοῦ Πατρὸς καὶ ἀπὸ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύηται, ἥτις ἐὰν οὐκ ἔστιν ἐν τῷ Υἱῷ, ὅπως τὸ Πνεῦμα τοῦ Πατρὸς ἐκπορευθῇ καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ, φανερόν ἐστιν ὡς μείζων ὑπάρχει ἡ δόξα τοῦ Πατρὸς ἤ ἡ δόξα τοῦ Υἱοῦ. Εἰ τοίνυν ἐκείνη μείζων ἐστὶν, καὶ αὕτη ἐλάττων, φανερόν ἐστὶν ὡς οὐκ ἔστιν ἴση ἡ δόξα τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ. C Ἐὰν δέ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ οὐκ ἔστιο ἴση ἡ δόξα, οὐδὲ ἡ ἐξομσία ἴση, οὐδέ ἡ θεότης μία, οὐδὲ ἡ μεγαλειότης.

1. Audi et intellige quæ tibi dico, Deo inspirante sapientissime et clementissime, potens pariter, et mitissime imperator Alexi: neque respicias me, licet sim omnium servorum Dei postremus, sed potius ad illum respice, cujus res agitur, Dominum videlicet Jesum Christum, qui est Imperator imperatorum, et omnibus imperatoribus major, per quem reges regnant, et legum conditores justa decernunt. Pro ipso itaque et de ipso ego illius servus, licet indignus et inutilis, tecum verba facio, ne ullo pacto sinas in regno tuo aliquam ipsi fieri contumeliam, ne etiam et ipse graves, et quas decet imperatores, a te exigat pœnas in regno suo. Et quomodo contumeliam Filio Dei ille non infert, qui dixerit, quod Christus Dominus non sit æqualis Patri? Dum Apostolus de ipso affirmat: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, se esse æqualem Deo* (*Phil.* II). Ecce quomodo Filius arbitratur seipsum Deo Patri æqualem. Sed quicunque dicit Spiritum sanctum non procedere a Filio, opinatur Filium non esse æqualem Patri. Quomodo enim Filius Patri erit æqualis, nisi æqualem cum Patre gloriam obtineat? Gloria enim Patris est, ut Spiritus Patris a Patre, et a Filio procedat, quæ si non reperiatur itidem in Filio, ut Spiritus Patris a Filio etiam procedat, aperte patet quod Patris gloria longe est major quam gloria Filii. Si igitur Patris gloria est major, et Filii gloria minor, utique patet quod non sit æqualis gloria Patris et Filii. Si vero Patris et Filii non est æqualis gloria, non erit æqualis potestas, nec una deitas, nec una majestas.

β'. Ἀλλὰ τίνος ἕνεκεν οὐ δίδοται τῷ Υἱῷ τοῦ Θεοῦ, ὅπως τὸ Πνεῦμα αὐτοῦ ἐκπορευθῇ ἐξ αὐτοῦ, ἐν τῷ ὁμολογεῖσθαι τὸ Πνεῦμα παρ' αὐτοῦ στέλλεσθαι καὶ δίδοσθαι; Τὸ Πνεῦμα τοίνυν τὸ ἅγιον. Πνεῦμα τοῦ Υἱοῦ ἐστι, καὶ ἀποστολὴ τοῦ Υἱοῦ, καὶ χάρεσμα τοῦ Υἱοῦ, καθάπερ ἐστὶ τὸ Πνεῦμα τοῦ Πατρὸς καὶ ἀποστολὴ τοῦ Πατρὸς, καὶ χάρισμα τοῦ Πατρὸς. Πρὸς τελειότητα γοῦν τῆς πίστεως ἐνδέχεται, ἵνα ὅστις πιστεύει ὅτι τὸ Πνεῦμα τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ ἐξ ἀμφοτέρων ἐπίσης στέλλεται καὶ

2. Sed quanam de causa non datur Filio Dei ut suus Spiritus ab ipso procedat, dum confitemur Spiritum sanctum ab ipso mitti, et ab ipso dari? Spiritus itaque sanctus, Spiritus Filii existit, et Filii missio, et donum Filii, quemadmodum idem Spiritus est Patris missio, et donum Patris. Ad perfectionem itaque fidei pertinet ut quicunque crediderit quod Spiritus sanctus a Patre et Filio, ex utroque æqualiter mittitur et datur, idem ipse credat Spiri-

δίδοται, ὁ αὐτὸς πιστεύσῃ ὅτι τὸ Πνεῦμα τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ ἐξ ἀμφοτέρων ἐπίσης ἐκπορεύεται. Ὅστις δὲ πιστεύει ἐκεῖνο, καὶ οὐ πιστεύει τοῦτο, ἐπ' ἔλαττον πιστός ἐστιν.

γ' Ἀλλ' ἴσως ὁ τοιοῦτος μέλλει εἰπεῖν· Εὐλαβοῦμαι μή πως ἡ δόξα τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Πνεύματος τοῦ ἁγίου ἐλάττωσιν δέξηται, ἐὰν τὸ Πνεῦμα τὸ παράκλητον, οὕτως ἀπὸ τοῦ Υἱοῦ, καθάπερ ἀπὸ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεσθαι δειχθείη. Μὴ γένοιτο. Ἡ δόξα γὰρ τοῦ Υἱοῦ δόξα τοῦ Πατρός ἐστιν, καθάπερ ἡ δόξα τοῦ Πατρὸς δόξα τοῦ Υἱοῦ ἐστιν. Οὐδεμίαν γάρ ποτε ἑνικὴν δόξαν ζητεῖ ὁ Πατὴρ ἄνευ τοῦ Υἱοῦ, οὔτε ὁ Υἱὸς ἄνευ τοῦ Πατρὸς, εἰ μὴ ἐκείνην, δι' ἧς ἐκεῖνος Πατήρ ἐστιν· οὗτος δὲ Υἱός· εἰ τάχα γὰρ κοινή ἐστιν, ἀλλ' οὐ μία. Ἑνικὴ οὖν δόξα τοῦ Πατρὸς, δι' ἧς Πατήρ ἐστιν· μᾶλλον δὲ κἀκείνη τρόπῳ τινὶ δόξα τοῦ Υἱοῦ ἐστιν, ἐπεὶ ὁ Πατὴρ μᾶλλον ἐν τούτῳ δοξάζεται, ὅτι ἐκεῖνος Υἱός αὐτοῦ ἐστιν. Ὅπερ δὲ λέγομεν περὶ τῆς δόξης τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ, τὸ αὐτὸ πιστῶς νοοῦμεν καὶ περὶ τῆς δόξης τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, Ἡ γὰρ δόξα τοῦ Πνεύματος δόξα τοῦ Υἱοῦ ἐστιν· οὐ γὰρ ἔχουσι πρὸς ἄλληλα μεσάζουσάν τινα ἑνικὴν δόξαν, εἰ μὴ ὅτι ἐκεῖνος τοιοῦτός ἐστιν, ἀφ' οὗ τὸ Πνεῦμα ἐκπορευθείη, καὶ αὐτὸ τοιοῦτόν ἐστι, τὸ ἐκπορευόμενον ἐκ τοῦ Υἱοῦ. Ὁμοίως δὲ λέγομεν καὶ νοοῦμεν περὶ τῆς δόξης τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος. Ἡ δόξα γὰρ τοῦ Πατρὸς, δόξα τοῦ Πνεύματός ἐστιν, καὶ ἡ δόξα τοῦ Πνεύματος, δόξα τοῦ Πατρός ἐστιν. Ὅμως ταύτην τὴν μονομέρειαν ἔχουσι πρὸς ἄλληλα, ὅτι ὁ Πατὴρ τοιοῦτός ἐστιν, ἀφ' οὗ ἐκπορεύεται τὸ Πνεῦμα, καὶ τὸ Πνεῦμα τοιοῦτόν ἐστιν, ὃ ἐκπορεύεται ἀπὸ τοῦ Πατρός.

δ', Ὅπως δὲ πληρεστάτως θεαθείη πρός τι ταῦτα λέγομεν, οὕτως ἐπισυνάπτομεν, καὶ ζητήσομεν διὰ βραχέος τὰ ἀνωτέρω ῥηθέντα, Ἀπεδείχθη οὖν ἄνωθεν, ὅτι ὁ Πατὴρ δύο ἔχει, ὡς εἰπεῖν, δόξας ἑνικὰς, μίαν ὡς πρὸς τὸν Υἱὸν, καὶ μίαν πρὸς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ ὁ Υἱὸς δύο, μίαν εἰς τὸν Πατέρα, καὶ μίαν εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον. Καὶ τὸ Πνεῦμα ὁμοίως δύο ἔχει, μίαν πρὸς τὸν Πατέρα, καὶ μίαν πρὸς τὸν Υἱόν. Ὅστις ἄρα εἴπῃ· Τὸ Πνεῦμα ἐκπορεύεται ἀπὸ τοῦ Πατρὸς, καὶ οὐκ ἐκπορεύεται καὶ ἀπὸ τοῦ Υἱοῦ, δύο μὲν δόξας καταλιμπάνει τῷ Πατρί. ἀλλὰ μίαν ἀφαιρεῖ ἀπὸ τοῦ Υἱοῦ, καὶ μίαν ἀπὸ τοῦ ἁγίου Πνεύματος· πρὸς ὃν ἡ καθολικὴ πίστις ἀνθίσταται καὶ ἀντιμάχεται ὁμολογουμένως, ἥτις τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος τὴν δόξαν ἐπισης εἶναι βεβαιοῖ. Ἴση γὰρ δόξα ἐστὶ τῇ Τριάδι ἐν τῇ τριάδι καὶ τῇ μονάδι, καὶ τῇ Τριάδι ἐν τοῖς ἄλλοις ἅπασι, σῴας κατὰ πάννα φυλαττομένης τῆς ἰδιότητος τοῦ Πατρὸς ἐν τῷ Πατρί, καὶ τῆς ἰδιότητος τοῦ Υἱοῦ ἐν τῷ Υἱῷ, καὶ τῆς ἰδιότητος τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐν τῷ Πνεύματι τῷ ἁγίῳ, Οὐ γὰρ οὐδεὶς δυνηθείη εἰπεῖν τι περὶ τοῦ Πατρὸς, δι' οὗ φανείη εἶναι γεννητὸς, ἢ ἐκπορευτὸς, οὔτε περὶ τοῦ Υἱοῦ, δι' οὗ φανείη, ἢ ἐκπορευτὸς εἶναι, ἢ γεννήτωρ, οὔτε περὶ ἁγίου Πνεύματος, δι' οὗ φανείη εἶναι γεννήτωρ ἢ γεννητός.

A tum sanctum Patris et Filii ex utroque æqualiter procedere. Quicunque vero illud crediderit, et hoc non credit, non est perfecte fidelis.

3. Sed fortasse dicit ille : Caveo equidem ne quo pacto Patris gloria et Spiritus sancti, aliquod detrimentum et imminutionem patiatur, si Spiritus sanctus ita a Filio, quemadmodum a Patre procedere ostendatur. Absit hoc! Gloria enim Filii, gloria Patris existit, sicut econtra Patris gloria est gloria Filii. Nullam enim unquam singularem gloriam quærit Pater a Filio segregatam, neque Filius sibi gloriam quærit segregatam a Patre, præter illam solam qua ipse Pater est et qua ipse Filius est; secus enim communis est et non singularis. Singularis igitur gloria Patris ea est, qua Pater existit; B sed potius etiam illa quodammodo gloria Filii est, quoniam Pater hac in re magis glorificatur : Filius enim ille ipsius Patris existit. Quod vero dicimus de gloria Patris et Filii, hoc etiam fideliter sentimus et de gloria Filii et Spiritus sancti. Spiritus enim sancti gloria Filii etiam gloria existit; neque enim habent inter se aliquam singularem gloriam et privatam, nisi quod ille talis est, a quo Spiritus sanctus procedat, et iste talis, qui a Filio procedat. Similiter dicimus et sentimus de gloria Patris et Spiritus sancti. Gloria enim Patris Spiritus sancti est gloria, et Spiritus sancti gloria est Patris gloria. Tamen hanc singularitatem et distinctionem habeut inter se, quod Pater talis est, a quo Spiritus sanctus procedat, et Spiritus sanctus talis est, qui a C Patre procedat.

4. Ut vero apertissime appareat quorsum hæc nos dicamus, ita brevius quæ superius dicta sunt, colligamus et perpendamus. Ostendimus igitur supra quod sicut Pater duas habet, ut ita dicamus, singulares glorias, alteram quidem quoad Filium, alteram quoad Spiritum sanctum, ita etiam Filius duas habet glorias alteram quoad Patrem, alteram quoad Spiritum sanctum. Spiritus quoque sanctus similiter duas habet glorias, alteram quoad Patrem, alteram quoad Filium. Quicunque igitur dixerit Spiritum sanctum procedere a Patre et non a Filio, duas quidem glorias relinquit ipsi Patri, sed unam aufert Filio, sicut et Spiritui sancto ; quibus refragatur catholica fides, et repugnat communis omnium consensus. D Fides enim catholica, Patris et Filii, et Spiritus sancti gloriam æqualem esse confirmat. Æqualis enim est gloria Trinitati in trinitate et unitate, et Trinitati in omnibus aliis, juxta omnia integra permanente proprietate Patris in Patre, et proprietate Filii in Filio, et proprietate Spiritus sancti in Spiritu sancto, ita ut nullus affirmare posset aliquid de Patre, per quod Pater vel genitus, vel procedens esse cognosceretur, neque quidquam de Filio, per quod Filius vel procedens, vel genitor ostenderetur; neque de Spiritu sancto, propter quod Spiritus sanctus, vel genitus, vel genitor appareret.

ε'. Ἰδοὺ τοίνυν, φρονιμώτατε καὶ πρᾳότατε βασιλεῦ, διὰ A τῶν ἀνωτέρω γεγραμμένων νεύσει Θεοῦ ἀπεδείξαμεν, ὅπως ἴση δόξα ἐστὶν ἐν τοῖς τρισὶ, καὶ ἑνικὴ ἐν ἑκάστοις ἄνευ συγχύσεως τῆς γεννήσεως καὶ τῆς ἐκπορεύσεως. Ἀπεδείξαμεν δὲ μᾶλλον, ὡς ὁ λέγων τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι, οὐδεμίαν ἐλάττωσιν ποιεῖ τῆς τοῦ Πνεύματος δόξης, ἀλλ' ἐκεῖνος, ὅς τις λέγει τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Υἱοῦ μὴ ἐκπορεύεσθαι, ἀπὸ τῆς δόξης τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματός τι ἀφαιρεῖ, καὶ ἁμαρτάνει οὗτος εἰς τὸν Υἱὸν, καὶ εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, καὶ οὐκ ἀφεθήσεται αὐτῷ ἐν τῷ παρόντι αἰῶνι, καὶ ἐν τῷ μέλλοντι, εἰ μὴ μεταγνοὺς πιστεύσει, καὶ ὁμολογήσει τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ ἐκπορεύεσθαι. Τοῦτο γὰρ γνωστόν ἐστιν ὅτι καθάπερ ἐν ταύτῃ τῇ Τριάδι οὐδέν μεῖζον ἢ ἔλαττόν ἐστιν, οὕτως ἐν αὐτῇ οὐδὲν πρότερον ἢ ὕστερον νοητέον, ἐπεὶ πᾶσα ἡ Τριὰς ἰσότιμός B ἐστι καὶ συναιώνιος. Οὔτε γὰρ ὁ Πατὴρ ἦν πρὸ τοῦ Υἱοῦ, οὔτε ὁ Πατὴρ, ἢ ὁ Υἱὸς πρὸ τοῦ ἁγίου Πνεύματος ὁμοίως οὔτε ὁ Πατὴρ μείζων τοῦ Υἱοῦ, οὔτε ὁ Πατήρ, ἢ ὁ Υἱὸς μείζων τοῦ ἁγίου Πνεύματος, ὅτι ἐν τῇ Τριάδι ὁ Πατήρ παντοίως ἴσης δόξης ἐστὶ μετὰ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, καὶ παντοίως ἴσης δόξης εἰσὶ μετὰ τοῦ Πατρὸς καὶ τὸ Πνεῦμα καὶ ὁ Υἱός. Ὥστε ἄλλως νοεῖσθαι ἀδύνατόν ἐστιν, εἰ μὴ νοηθῇ τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεσθαι ἅμα καὶ τοῦ Υἱοῦ.

5. Ecce igitur, sapientissime et clementissime imperator, quomodo iis quæ supra diximus, divina favente ope, ostendimus æqualem gloriam in tribus esse divinis personis, et singularem in singulis absque ulla confusione generationis et processionis. Ostendimus præterea quicunque dixerit Spiritum sanctum a Filio procedere, nullum detrimentum inferre Spiritus sancti gloriæ, sed ille potius qui dixerit Spiritum sanctum non procedere a Filio, Filii et Spiritus sancti gloriæ aliquid ipse subtrahit, et in Filium, et in Spiritum sanctum pariter delinquit, nec illi remittetur, nec in præsenti, nec in futuro sæculo (*Matth.* XII), nisi pœnitentia ductus crediderit et confiteatur, Spiritum sanctum a Patre et Filio procedere. Hoc enim tibi pateat manifestum quod sicut in hac Trinitate nihil majus aut minus existit: ita in eadem nihil prius aut posterius intelligi debet. Tota enim Trinitas æquali honore est veneranda, et coæterna existit, neque enim Pater præcessit Filium, neque Pater, aut Filius Spiritum sanctum. Similiter neque Pater major est Filio, neque Pater, aut Filius Spiritu sancto major est, quoniam in Trinitate Pater omnino æqualis est gloriæ cum Filio, et Spiritu sancto, et omnino sunt æqualis gloria cum Patre, et Spiritus sanctus, et Filius. Quapropter aliter intelligi omnino nequeunt, nisi intelligatur Spiritus sanctus a Patre procedere simul et a Filio.

ϛ'. Ἀλλὰ λέγει τις· Ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ εὑρίσκεται τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεσθαι, καὶ οὐχ εὑρίσκεται καὶ ἀπὸ τοῦ Υἱοῦ. Τοῦτον τὸν τρόπον οὐ βούλομαι ἐγὼ C σιωπῶν παρελθεῖν, ἀλλ' ἐπιμελῶς ὡς μαθησόμενος ζητῆσαι, μή πως, τοῦ Θεοῦ διδάσκοντος, δυνήσομαι ἀναμφισβητήτως εὑρεῖν τί πιστὸς ἄνθρωπος ὀφείλει περὶ τούτου νοεῖν. Ἡ Ἀλήθεια λέγει. Τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται, ἀλλ' ὁ Γραικὸς προστίθησι καὶ λέγει, Τὸ Πνεῦμα ἐκπορεύεται ἐκ τοῦ πατρὸς μόνου. Ὁ δὲ Λατῖνος προστίθησι καὶ λέγει, Τὸ πνεῦμα ἐκπορεύεται ἐκ τοῦ Πατρὸς καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ. Προστίθησι τοίνυν ὁ Γραικὸς, προστίθησι καὶ ὁ Λατῖνος, ὅτι ἐν τοῖς προῤῥηθεῖσι ῥήμασι τοῦ Εὐαγγελίου οὐχ εὑρίσκεται τὸ « μόνου, » οὔτε τὸ « ἐκ τοῦ Υἱοῦ. » Εἰ οὖν ἀλήθειά ἐστιν ὃ λέγει ὁ Γραικὸς, ψεῦδος ἂν εἴη ὃ λέγει ὁ Λατῖνος. Ἀπὸ τῶν ῥημάτων τῶν ὄντων ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ οὔτε ὁ Γραικὸς διαφωνεῖ, οὔτε ὁ Λατῖνος, ἀλλ' ἀπ' ἐκείνης τῆς προσθήκης ἣν προστίθησιν ὁ Λατῖνος, διαφωνεῖ ὁ Γραικός. Σὺ τοίνυν φρονιμώτατε ἄναξ, ἀνάβηθι πρᾴως εἰς τὸ βῆμα τῆς καρ- D δίας σου, καὶ καθίσας ὡς κριτὴς ἐν τῷ θρόνῳ τῆς διανοίας σου κρῖνον κρίσιν δικαίαν, καὶ μὴ ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, περιθάλπῃς τὸν Γραικὸν, ὡς πεκούλιόν σου. Ἡ γὰρ οἰκειότης συχνοτέρως ποιεῖ τοὺς κριτὰς κάμπτειν ἀπὸ τῆς ἀληθείας. Θοῦ τοίνυν τῶν ἀμφοτέρων τοὺς λόγους, καὶ μὴ ᾖ παρὰ σοὶ στάθμιον καὶ στάθμιον, ἢ μέτρον καὶ μέτρον. Ἀμφότερα γὰρ βδελυκτά εἰσι παρὰ τῷ Θεῷ. Ἄκουσον οὖν ἐλευθέρᾳ καρδίᾳ σου, δι' ἣν αἰτίαν προστίθησιν ὁ Γραικὸς τὸ « μόνου, » καὶ διὰ ποίαν αἰτίαν προστίθησιν ὁ Λατῖνος « καὶ ἐκ τοῦ Υἱοῦ· » καὶ ἔνθα ἴδῃς μετὰ λόγου τὴν προσθήκην, τῷ λόγῳ ἀναπαύθητι, καὶ ἐκείνῃ τῇ προσθήκῃ ἕνωσον σαυτὸν, ἔνθα δὲ ἴδῃς τὴν προσθήκην μὴ μετέχουσαν

6. Sed inquit aliquis: In Evangelio reperitur Spiritum sanctum a Patre procedere (*Joan.* XV), non tamen legitur et a Filio. Sed hoc quidem nolo silentio præterire, sed potius diligenter quærere, ut ipse discam, si quo pacto, Deo docente, valeam invenire absque ulla dubitatione quid fidelis homo de hac re sentire debeat. Veritas itaque dicit Spiritum sanctum a Patre procedere. Sed Græcus addit præterea, et dicit Spiritum sanctum procedere a Patre solo. Latinus addit etiam ipse et dicit Spiritum sanctum procedere a Patre et Filio. Addit igitur Græcus, addit et Latinus, quoniam in prædictis Evangelii verbis non invenitur, neque ex solo Patre, neque ex Filio. Si igitur vera sunt quæ dicit Græcus, mendacia essent procul dubio quæ dicit Latinus. Sed a verbis quæ habentur in Evangelio, neque Græcus dissentit, neque Latinus, sed ab ea additione quam addit Latinus, dissentit Græcus. Tu igitur, sapientissime rex, ascende benigne ad tribunal cordis tui, et sedens quasi judex in solio mentis tuæ, judica judicium justum (*Joan.* VII), neque, ut fieri solet, Græcos, quasi peculium tuum, foveas. Familiaritas enim plerumque a veritate declinare facit judices. Pone igitur utrorumque rationes, et non sit apud te pondus et pondus, vel mensura et mensura: utraque enim abominatur Deus (*Deut.* XXV). Audi igitur ingenuo corde tuo quanam de causa addat Græcus illud, *a solo*, et qua iterum de causa addat Latinus *et a Filio*, Spiritum scilicet sanctum procedere, et ubi videris cum ratione additionem appositam, ibi mente acquiescas tua, et illi

λόγου, σὺ μὲν τῷ λόγῳ ἀκολούθησον, ἀπ' ἐκείνης δὲ τῆς προσθήκης χώρισον σεαυτόν. Βούλομαι θεῖναι τὴν ὑπόθεσιν τοῦ Γραικοῦ, καὶ τὴν ὑπόθεσιν τοῦ Λατίνου, ἵνα θεαθειζῶν ἀμφοτέρων τῶν ὑποθέτεων παρὰ σοῦ τὸ ἀληθὲς δυνηθῇ κριθῆναι ἐπ' ἀμφοτέραις ταῖς προσθήκαις.

ζ'. Ὁ Γραικὸς λέγει, « Ἐγὼ ὀρθῶς πιστεύω τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεσθαι, καὶ οὐκ ἀπ' ἄλλου· καὶ ἐπεὶ ἐκεῖσε οὐ προσετέθη ἀπὸ τοῦ Υἱοῦ, ἤ ἀφ' ἑτέρου, τούτου ἕνεκα οὐ βούλομαι ἀφ' ἑτέρου προσθῆναι, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ Πατρὸς μόνου νοεῖν. Ἐπεὶ ἐὰν ἡ Ἀλήθεια ἀφ' ἑτέρου ἐνόησεν, ἀφ' ἑτέρου πάντως εἶναι εἶπε.» Πρὸς ταῦτα ἐγὼ ὑπὲρ τοῦ Λατίνου ἀπολογούμενος, οὐκ ἀναγκαῖον ἔχω ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ τούτου ἕνεκα νοεῖν ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς, ὅτι μόνον τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς ἐκεῖσε τίθεται· ὅτι ἐν πολλαῖς τῆς θείας Γραφῆς γνώμαις, καὶ ἀποφάσεσι μόνον τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς τίθεται, ὅμως οὐχ οὕτως μόνος ὁ Πατὴρ νοεῖται, ἵνα μὴ μᾶλλον καὶ ὁ Υἱὸς ἁρμοζόντως ἐκεῖσε νοηθείη, καθὼς ἐκεῖνο τὸ τοῦ Εὐαγγελίου ῥητόν· « Οὐ γὰρ ὑμεῖς ἐστε οἱ λαλοῦντες, ἀλλὰ τὸ Πνεῦμα τοῦ Πατρὸς ὑμῶν.» Ἰδοὺ ἡ Ἀλήθεια, μόνου τοῦ ὀνόματος τοῦ Πατρὸς τεθέντος, φησὶ ταῦτα τὰ δύο, τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται, καὶ, τὸ Πνεῦμα τοῦ Πατρὸς ὑμῶν τὸ λαλοῦν ἐν ὑμῖν. Ὀφείλομεν τοίνυν οὕτως νοεῖν, τὸ Πνεῦμα τοῦ Πατρὸς ὑμῶν, καὶ οὐ τοῦ Υἱοῦ, καθὼς ὁ Γραικὸς νοεῖ, τὸ Πνεῦμα λέγων ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεσθαι, καὶ οὐκ ἐκ τοῦ Υἱοῦ; Ἐὰν δὲ τὸ Πνεῦμα τοῦ Πατρὸς οὐκ ἔστι πνεῦμα τοῦ Υἱοῦ, τί ἐστιν ὁ λέγει ὁ Ἀπόστολος· « Ἀπέστειλεν ὁ Θεὸς τὸ Πνεῦμα τοῦ Υἱοῦ αὐτοῦ ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν· » καὶ πάλιν, « Ἐάν τις τὸ Πνεῦμα τοῦ Χριστοῦ οὐκ ἔχῃ, αὐτὸς οὐκ ἔστιν αὐτοῦ; » Μήτιγε ἡ Ἀλήθεια λέγει Πνεῦμα τοῦ Πατρὸς, καὶ οὐκ ἔστιν ἀλήθεια ὁ ἀπόστολος τῆς Ἀληθείας λέγει, Πνεῦμα τοῦ Υἱοῦ, καὶ Πνεῦμα τοῦ Χριστοῦ; Ἐὰν δὲ ἄμφω ἀληθῆ εἰσιν ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ, καὶ ὃ ἡ Ἀλήθεια λέγει Πνεῦμα Πατρὸς, καὶ ὃ ἡ Ἀλήθεια σιωπᾷ Πνεῦμα Υἱοῦ, τίνος ἕνεκεν οὐχ ὁμοίως ἀμφότερα ἀληθῆ εἰσιν ἐν ἐκείνῳ τῷ τόπῳ μᾶλλον ὅπου ἡ Ἀλήθεια λέγει, τὸ Πνεῦμα ἐκπορεύεσθαι ἀπὸ τοῦ Πατρὸς; Τίθημι δύο ἕτερα παραδείγματα ἐκ τοῦ Εὐαγγελίου, ἐν οἷς μόνον τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς τίθεται, ὅμως μόνος ὁ Πατὴρ ἄνευ τοῦ Υἱοῦ οὐ νοεῖται. Ἵνα δὲ ἐν στόματι δύο, ἤ τριῶν μαρτύρων σταθῇ πᾶν ῥῆμα, ὁ Κύριος Ἰησοῦς εἶπεν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ· « Ἐὰν ἀφῆτε τοῖς ἀνθρώποις τὰ ἁμαρτήματα αὐτῶν, ἀφήσει ὑμῖν ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ οὐράνιος τὰ παραπτώματα ὑμῶν. » Ἐν ἑτέρῳ πάλιν τόπῳ λέγει· « Ὅστις ἂν ποιήσει τὸ θέλημα τοῦ Πατρός μου, τοῦ ἐν οὐρανοῖς, ἐκεῖνος ἀδελφός μου ἐστίν. » Ἰδοὺ ἐν τούτοις τοῖς δυσὶ τόποις μόνου τοῦ Πατρὸς τὸ ὄνομα τίθεται. Ὅμως ἡ καθολικὴ πίστις οὐκ ἀνέχεται ἵνα μόνος ὁ Πατὴρ, ἄνευ τοῦ Υἱοῦ νοῆται ἐν αὐτοῖς, ὅτι ἐν τῷ θελήματι μόνον τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς τίθεται. ἀλλὰ μόνος ὁ Πατὴρ οὐ νοεῖται ποτε. Τὸ θέλημα τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ ἐστι, καὶ ἡ ἄφεσις τῶν ἁμαρτιῶν, ἥτις ἀπό τοῦ Πατρός ἐστι, ἡ αὐτὴ καὶ ἀπὸ τοῦ Υἱοῦ ἐστιν. Ὁμοίως ὅταν λέγηται τὸ Πνεῦμα ἀπὸ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεσθαι, εἰ τάχα μόνου τοῦ Πατρὸς τὸ ὄνομα τίθεται, ὅμως ἡ πίστις τῶν Χριστιανῶν οὐκ ἀνε-

A additioni teipsum adjungas. Ubi vero videris additionem, a tratione alienam, tu quidam rationi adhærens, ab ea additione teipsum segrega. Volo equidem argumentum Græci et Latini in medium afferre, ut utroque argumento per te perpenso, veritas a te dignosci valeat circa utramque additionem.

7. Græcus inquit : « Ego recte credo Spiritum sanctum a Patre procedere, et non ab alio ; et quoniam inibi, in Evangelio scilicet, non est additum a Filio, vel ab alio, hac de causa nolo dicere ab alio, sed a Patre solo intelligere. Si enim Veritas ab alio etiam procedere intellexisset, utique ab alio esse omnino dixisset. » Ad hæc ego respondeo. Latinos tutatus : « Non est necesse hoc in loco hac de
B causa intelligere a solo Patre Spiritum sanctum procedere, quoniam solum Patris nomen in Evangelio ponitur ; multis enim in locis et sententiis sacræ Scripturæ solum Patris nomen ponitur, nihilominus non hac de causa solus Pater intelligitur, ut non magis Filius etiam congrue ibidem intelligatur, quemadmodum in illis Evangelii verbis : *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis* (*Matth.* x). Ecce enim Veritas, solo Patris nomine posito, dicit hæc duo, Spiritus videlicet sanctus a Patre procedit, et Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis [cum tamen eadem veritas Filius dicat iisdem discipulis : *Ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere, et contradicere adversarii vestri* (*Luc.* xxi). Per os et
C sapientiam, nihil nisi Spiritum, quem accepturi essent credentes, intellexisse, palam facit idem Evangelista in Actis apostolicis, dum ait Stephano : *Non poterant resistere sapientiæ, et Spiritui, qui loquebatur.* (*Act.* vi). Idem ergo Spiritus Patris et Filii a Patre dari dicitur, et a Filio, et non a Patre solo, licet dixerit, *Spiritus Patris vestri.*] Debemusne igitur ita intelligere Spiritum sanctum Patris vestri, et non Filii, quemadmodum Græcus intelligit. Spiritum, inquiens, a Patre procedere, et non a Filio ? Si vero Spiritus Patris non est Spiritus Filii, quid est igitur ? quod inquit Apostolus, *Misit Deus Spiritum Filii sui in cordibus nostris* (*Gal.* iv) ; et iterum : *Nisi quis Spiritum Christi habuerit, hic illius non erit?* (*Rom.* viii.) Num Veritas dicit, Spiritus Patris, et non erit veritas quod dicit Veritatis Apo-
D stolus, Spiritum sanctum Filii esse Spiritum et Christi ? Si vero utraque vera sunt hoc in loco, et quod Veritas dicit, Spiritum Patris, et quod Veritas tacet, Spiritum Filii, quanam de causa non similiter utraque vera sunt, illa in illo loco magis, ubi Veritas dicit Spiritum sanctum a Patre procedere ? Porro iterum alia duo exempla ex Evangelio proferam, in quibus solum Patris nomen ponitur, solus tamen Pater absque Filio non intelligitur. Ut vero in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum (*Deut* xix), Dominus Jesus dixit discipulis suis in Evangelio : *Si remiseritis hominibus peccata ipsorum, remittet vobis Pater cælestis delicta vestra* (*Matth.* vi).

χεται, καὶ πάσχει ἵνα μόνος ὁ Πατὴρ ἄνευ τοῦ Υἱοῦ νοῆται.

A Alio etiam in loco dixit : *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ille est frater meus* (*Matth.* XII). Ecce in his duobus locis solius Patris nomen ponitur. Catholica tamen fides non patitur ut solus Pater absque Filio in illis intelligatur, quoniam in voluntate solius Patris nomen ponitur, sed solus Pater nunquam intelligitur, et voluntas Patris est Filii voluntas, et peccatorum remissio, quæ est a Patre, eadem est et a Filio. Similiter quando dicitur Spiritum sanctum a Patre procedere, si fortasse solius Patris nomen ponatur. Christianorum tamen fides non tolerat, neque patitur ut solus Pater absque Filio intelligatur.

η'. Τοῦτο δὲ νοητέον ἐστὶν, ὡς ποτὲ μόνον τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς τίθεται, καὶ μόνος ὁ Πατὴρ νοεῖται, ὡς ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ· « Ἡ φωνὴ τοῦ Πατρὸς ἠκούσθη, οὗτός ἐστιν ὁ Υἱός μου. » Ἰδοὺ ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ δύναται ὁ Γραικὸς φωνὴν τοῦ Πατρὸς εἰπεῖν, ἀλλ' οὐχὶ καὶ τοῦ Υἱοῦ· φωνὴ γὰρ ἠκούσθη ἀπὸ τοῦ Πατρὸς, οὐ μὴν ἀπὸ τοῦ Υἱοῦ. Ὅμως οὐκ ἐξ ἑαυτοῦ δύναται λέγειν τοῦτο, ὅτι μόνον τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς ἐκεῖνο τίθεται· ἀλλ' ἐξ αὐτοῦ, ἐπεὶ τοιαύτη φωνή ἐστιν ἐκείνη, ἥτις εἰς μόνον τὸν Πατέρα ἀνήκει· « Οὗτός ἐστιν ὁ Υἱός μου. » Ἐπιμελῶς τοίνυν ἐν πάσῃ προτάσει, καὶ σημειώματι, ἐν ᾧ μόνον τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς τίθεται, σκεπτέον ὁποῖόν ἐστι τὸ προτιθέμενον. Εἰ μὲν γὰρ τοιοῦτόν ἐστιν, ἵνα εἰς μόνον τὸν Πατέρα ἀνήκῃ, καὶ ὁ Γραικὸς, καὶ ὁ Λατῖνος, καὶ πᾶς Χριστιανὸς ὀφείλει ἐκ μόνου τοῦ Πατρὸς νοεῖν. Εἰ δέ γε τοιοῦτόν ἐστιν τὸ προτιθέμενον, ἵνα καὶ εἰς τὸν Πατέρα, καὶ εἰς τὸν Υἱὸν ἅμα ἀνήκῃ, οὐκ ὀφείλει ἐκεῖ Χριστιανὸς ἄνθρωπος τὸν Πατέρα ἀπὸ τοῦ Υἱοῦ, ἢ τὸν Υἱὸν ἀπὸ τοῦ Πατρὸς χωρίσαι, ἀλλὰ νοεῖν ἅμα τὸν πατέρα καὶ τὸν Υἱόν. Ἐν ταύτῃ δὲ τῇ προτάσει καὶ σημασίᾳ τῇ λεγούσῃ τὸ Πνεῦμα ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεσθαι, καὶ τῷ Γραικῷ καὶ τῷ Λατίνῳ σκοπητέον ἐστὶν πότερον ἡ ἐκπόρευσις τοῦ Πνεύματος τῷ Πατρὶ μόνῳ, ἢ ἅμα τῷ Πατρὶ καὶ τῷ Υἱῷ ἀνήκει. Ἐξ αὐτῆς τοίνυν τῆς ἁπλῆς σημασίας οὐδεὶς ἀναμφισβητήτως δύναται συλλαβεῖν. κἂν ἀπὸ μόνου τοῦ Πατρὸς, κἂν ἀπὸ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ τὴν ἐκπόρευσιν τοῦ Πνεύματος νοεῖν ὀφείλει. Εἰ οὖν ὁ Γραικὸς βούλεται, ὅπως ἡμεῖς ἐκεῖσε ἀπὸ μόνου τοῦ Πατρὸς νοήσωμεν, ἀναγκαῖόν ἐστιν ἵνα τινὰ αὐθεντίαν εἰς τὸ μέσον θήσῃ. ἢ τινὰ ἐνδεχόμενον λόγον ἀποδείξῃ, δι' οὗ ὀφείλομεν τοῦτο πιστεύειν. Ἐὰν δὲ οὐδεμίαν αὐθεντίαν, ἢ μαρτυρίαν περὶ τουτου δυνήσεται ἀποδεῖξαι, ὁμολογούμενόν ἐστιν, ὡς οὐχ ὀφείλει ἐκεῖσε ἀπὸ μόνου τοῦ Πατρὸς νοεῖν. Λοιπὸν οὖν οὐκ εὔλογος αἰτία ἐστίν αὕτη, ἣν ἄνω ὑπὲρ τοῦ Γραικοῦ εἴπομεν, εἰ μὴ ἑτέρα ἴσως λεχθείη.

8. Hoc autem intelligendum, aliquando solum nomen Patris ponitur, et solus Pater intelligitur, ut in Evangelio : *Vox Patris audita est : Hic est Filius meus dilectus* (*Matth.* III). Ecce hoc in loco potest Græcus dicere vocem Patris intelligendam, non vocem Filii ; vox enim ex Patre audita est, non autem ex Filio. Nihilominus ex ipso hoc dicere non potest, quoniam solum nomen Patris illud loquitur, sed potius ab hoc ipso quod hæc vox ea est quæ ad solum Patrem refertur : *Hic est Filius meus*, B Diligenter itaque est animadvertendum, in unaquaque propositione et significatione, in qua solum Patris nomen ponitur, qualenam sit illud quod proponitur. Si enim tale est, ut ad solum Patrem referatur, et Græcus, et Latinus, et Christianus omnis debet de solo Patre illud intelligere. Si vero tale exstiterit quod proponitur, ut ad Patrem et ad Filium simul referatur, non debet eo in loco Christianus homo, Patrem a Filio, et Filium a Patre segregare, sed simul intelligere et Patrem et Filium. In hac vero propositione et significatione qua dicitur Spiritum sanctum a Patre procedere, tum Græco, tum etiam Latino est considerandum utrum processio Spiritus sancti soli Patri, vel simul Patri et Filio tribuatur. Ex ipsa igitur simplici significatione C nullus aperte potest intelligere an a Patre solo, vel a Patre et Filio Spiritus sancti processionem intelligere debeat. Si igitur Græcus voluerit ut nos eo in loco a solo Patre intelligamus, necesse est ut auctoritatem aliquam in medium afferat, vel rationem aliquam ostendat congruentem, per quam hoc credere debeamus Si vero auctoritatem nullam, vel testimonium de hoc poterit demonstrare : aperte patet quod non debet in illo loco a solo Patre procedere Spiritum sanctum intelligere. Non igitur rationi congrua est illa causa quam superius diximus pro Græco, nisi alia fortasse congruenter afferatur.

ANNO DOMINI MCXVII.

B. ROBERTUS DE ARBRISSELLO

ORDINIS FONTIS EBRALDI FUNDATOR.

—

VITA DUPLEX

(*Acta sanctormu Bolland.*, Februarii tom. III, pag. 593)

—

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

§ I. *Ordinis Fontis Ebraldi a B. Roberto instituti primarium monasterium, nomen, sanctitas.*

1. Fons Ebraldi nobile est feminarum in Gallia monasterium, unde originem ac nomen traxit celeberrimus ordo, quem in monachos monachasve distinctum, sed diversa incolentes cœnobia, abbatissa Fontis Ebraldi, tanquam generalis antistita, moderatur. Varie a scriptoribus nomen expressum: usitatius *Fons Ebraldi,* sive *Euraldi*, Gallice *Font Evrauld*, appellatur. Alii *Fontem Everardi* vocant, Willelmus Neubrigensis lib. I, c. 15, *Ebraudi*, Joannes rex Angliæ in diplomate, quod datum die 30 Augusti, anno I regni ipsius, qui erat Chr. 1199. in Monastico Anglicano pag. 193 exstat, nunc *Fontem Ebraldi*, nunc *Ebrardi* nuncupat : Rogerius Hovedenus parte posteriori Annal. ad. ann. 1177, *Frunt Everoit :* Joan. Bromton abbas Jornalensi in Chron. ad eumdem annum *Ebrardi* et *Embraldi* : alii aliter.

2. Factum autem monasterio nomen a fonte loci, in quo situm. De eo ista Baron. to. XII, Annal. ad ann. 1118 ex vulgari fama : « Ferunt, inquit, Ebraldum quondam juvenem, genere nobilem, sed moribus corruptis, magna sicariorum manu stipatum, adjacentes vias regias latrociniis olim infestasse, silvasque tunc temporis frequentes insedisse, quarum hodieque reliquiæ manent non parvæ. Posthæc theologum quemdam Parisiensem eximiæ doctrinæ virum, divinique verbi concionatorem insignem, Robertum de Abruscellis nomine, eo adventasse, sanctisque exhortationibus suis non modo juvenem illum, ut mores vitamque mutaret, impulisse ; sed multos prætere omnium generum homines ad despiciendam sæculi vanitatem, austeriorisque vitæ leges subeundas permovisse : ad quorum habitationem distincta iisdem in septis monasteria condidit, sua seorsim viris, virginibus, ægrotis, et mulieribus reliquis ædificando ; universæ porro congregationi abbatissam præposuisse, » etc. Ista Baron., quæ totidem verbis, eo tamen minime citato, descripsit Mi-

A ræus l. II, Origin. monasticar., c. 10. Eademque multo prolixius narrat in commentario de Trecensium sanctitate ad an. 1106, n. 8 et seqq. Guerrosius, et *veram historiam* esse affirmat. Cui vero ea probari queat, contrarium attestante Baldrico Dolensi episcopo, antea abbate Burguliensis cœnobii, leucis pauculis a Fonte Ebraldi distantis, et quidem B. Roberti æquali ? Nam is n. 16 ita scribit : « Locus erat incultus et squalidus, spinetis obsitus et vepribus, ab antiquo Fons Euraldi nuncupatus, ab hominum cohabitatione sequestratus : a Condatensi autem cella quasi duobus distabat milliariis, diœcesi adjacens Pictavensi. » Si cum eo venit B. Robertus, jam ab antiquo is locus Fons Euraldi dicebatur, non igitur ab Euraldo, B quem adhuc juvenem illic ipse converterit, nomen duxit.

3. Nolim tamen inficiari fuisse illic fortassis olim densis in silvis prædonum latibula. Nam vulgo id accolarum sermonibus celebratur, S. Martinum Turonensem episc. cum ad Condatensem sui episcopatus vicum venisset, quæsisse quis ille esset locus arboribus frequens, quem eminus spectabat : cumque audisset saltum esse rapinis ac latrociniis infamem, respondisse, olim saltum eum sanctis precationibus ac religioso cultu Numinis illustratum iri : atque hoc demum septingentis post annis evenisse. Ea tamen ipsa narratio nullo veteri testimonio confirmatur.

4. Jacet vicus Condatensis (jam oppidum, quod Galli *Candes* vocant) in extremis finibus diœcesis C Turonensis ad Vigennam amnem, qui haud inde procul Ligeri miscetur. Duobus inde milliaribus, ut Baldric scribit, sive modica Gallica leuca (tribus a Salmuro oppido ad Ligerim sito, distat Fons Ebraldi. Franciscus Ranchinus Andium provinciæ primarias abbatias esse scribit Burgulium et Fontem Ebraldi. At cum de Pictionibus agit, Fontem Ebraldi ait ad Turonum Andiumque confinia, sed in Pictavensi esse diœcesi. Gervasius monachus Dorobernensis in Chron. ad an. 1177, *Fontem Ebraldi de*

Andegavia vocat. Et Joan.Bromton ad eumdem annum, « Rex, inquit, in Andegaviam ad Fontem Ebrardi pro uno conventu, sanctarum monialium misit. At postea ad ann. 1189. « Processit, inquit, Richardus comes Pictaviensis, cum corpore patris sui Henrici II regis Angliæ, usque ad Fontem Embraldi in Northmannia. » An in Northmannia illud cœnobium locavit,quod Northmannia primaria erat earum ditionum quas in Gallia Angliæ reges possidebant, an memoriæ lapsu, supervacaneum est quærere. Miræus scribit loco antea cit. « In Fonte Ebraldi, intra unius velut oppidi ambitum esse quatuor monasteria, tria monialium,quæ sunt circiter ducentæ, et unum monachorum, qui sunt circiter quadraginta et suum habent priorem.» Ac paulo inferius : « Altare majus cœnobii monachorum Fontis Ebraldi situm est in confinio diœcesis Pictaviensis, Turonensis et Andegavensis.» Et hæc aliaque : « A. R. P. Gulielmo Richerio abbate S. Vincentii Cenomanensis, Fontis Ebraldi olim visitatore, anno 1017 sese accepisse » testatur.

5. Hoc religiosissimi ord. caput, hæc abbatissæ, quæ toti illi præest, sedes. Voluit enim fundator (quod loco antea cit. annotat Baron. et infra clarius patescet) ut abbatissa « in omnes tum viros tum feminas jus summum obtineret, statuens ut viri, S. Joan. evangelistæ exemplo, virginibus seu mulieribus parerent; et hæ vicissim, beatæ Virg. exemplum sequentes, religiosos tanquam filios amplecterentur. Statuta denique et constitutiones pro utrisque separatim prescripsit.» Ac paulo post, ait ordinem multorum pontificum authenticis bullis approbatum, qui eum docent « ab illis verbis Christi, *Ecce filius tuus*, *Ecce mater tua*, institutionis suæ originem rationemque petiisse.» Edita sunt nuper varia diplomata summor.pontif.qui vel fundatoris sanctitatem laudarunt, vel congreg. ab eo institutam apostolicæ auctoritatis privilegio muniernnt. Ita Paschalis II, diplomate dato VII, Kal. Maii, indict. XIII, anno Chr. 1106, itemque alio dato Nonis Aprilis, an. Chr. 1113 : « Dilectis in Christo sororibus sanctimonialibus in monasterio Fontis Ebraldi omnipotenti Deo servientibus » inscripto, quo se fatetur « de ipsarum religiosis studiis ardentioribus provocari, » etc.

6.Calistus II Turonibus apud Majus-Monasterium dato diplomate, XVII Kal. Oct., indict. XIII, an. 1119, ita loquitur : « Dilectæ filiæ Petronillæ abbatissæ monasterii S. Mariæ de Fonte Ebraudi, et iis quæ post eam regulariter in eodem regimine successerint in perpetuum. Cum per Pictaviensem parochiam pro Ecclesiæ servitio transitum haberemus venerab. fratris nostri Guillelmi Pictaviensis episc. suggestione, ad B. Mariæ de Fonte Ebraudi monasterium declinavimus: ubi monastici ord. disciplinam vigere per omnipotentis Dei misericordiam cognoscentes, locum ipsum cum omnibus ad eum pertinentibus B. Petri decrevimus patrocinio confovere. Unde etiam nostris tanquam B. Petri manibus in honore beatissimæ et gloriosissimæ Dei Genitricis semperque Virg.Mariæ oratorium dedicavimus » Idemque in alia bulla : « Apud B. Mariæ de Fonte Ebraldi monasterium,monasticæ relig. disciplina,sicut ipsi præsentes perspeximus, per omnipotentis Dei gratiam perseverat : unde viri religiosi et Dominum timentes, qui circa ipsum sunt, locum ipsum diligunt. » Callisti quoque decessor Gelasius II : « Ubi, inquit, per omnipotentis Dei gratiam ex longo jam tempore maxima religionis observantia custodita est. » Postea quoque Innocentius II : « Quam spectata et famosa sit religio monasterii Fontis Ebraldi, quantumque ex ea bonum, ipsius gratia cooperante,proveniat,» etc.Lucius quoque II qui anno 1144, sedebat.» Sane,ait Petronillam abbatissam alloquens, pro ampliori religionis prærogativa, quæ de loco vestro per Dei gratiam longius divulgatur.» etc.Ipsas etiam idem pontifex sanctimoniales compellans, « Quoniam de vobis, inquit, valde confidimus,charitatem vestram per omnipotentem Dominum deprecamur, ut ipsæ speciales pro me ad Dominum orationes faciatis, et per omnes congregat. vestri ordin. fieri studeatis. »

7. Sugerius abbas S. Dionysii in epist. ad Eugenium III papam, quam ex mss. edidit Jacob. Sirmond.noster in notis ad Goffridi Vindonensis epist. inter cætera in commendationem sanctimonialium Fontis Ebraldi ita scribit : « Placeat igitur excellentiæ vestræ ab his molestiis (quas nimirum illis facessebat episc. Pictaviensis, Gilbertus Porretanus, ut reor) eas eripere, et ut in pace Deo deserviant, eis in multitudine misericordiæ vestræ providere, sub protectione Dei cœli, et vestra apostolica auctoritate confovere et protegere : utpote tantum tantæ religionis locum, quem,cum in partibus illis in scholis essemus, noviter incœptum esse vidimus, et per Dei voluntatem fere ad quatuor aut quinque millia sanctimonialium jam excrevisse audivimus, et gaudemus. » Obiit Sugerius ineunte anno Christi 1152, ætatis suæ 79, ut tradit Claudius Robertus.

8. Biennio fere ante Sugerium jam memoratum S. Dionysii apud Parisios abbatem, anno nimirum 1150, « VIII Kalend. Maii, ut dicitur in Necrologio Fontis Ebraldi, migravit a sæculo piæ memoriæ domina Petronilla,venerabilis monacha, incomparabilis et irrecuperabilis mater nostra, a domino nostro magistro Roberto prima constituta abbatissa.» Idem autem B. Robertus,ut scribit loco cit. Baronius, et ex eo Miræus.« statuerat, ut cum abbatissa, quam crearat, diem suum clauderet, ea illi succederet quam religiosæ ipsæ suis suffragiis elegissent.Quod ab illis semper observatum est,quandiu electionum usus in monasteriis permansit. Cæterum et quandiu stetit eligendi potestas,et postquam auctoritate pontificis constitui abbatissæ cœperunt, optimas semper easque memorabiles abbatissas sortitæ sunt, vitæ integritate ac sanctitate quam genere illustriores : tametsi pleræque regum et principum, aut ne-

bilissimorum certe equitium filiæ fuerint. » Miror unde hæc acciperit Baronius, quem ita gravem auctorem cur non auderet Miræus sequi? Nobis quo utriusque opinionem vel firmaremus vel refelleremus, argumentum nullum suppetebat. Didici deinde postquam hæc mandata prælo fuere, adhuc penes religiosas Majoris Monasterii (quod solum abbatissam habet, reliqua monasteria priorissas) at non penes religiosos jus esse eligendi abbatissam.

9. Ex eo tempore celebrata late sanctimoniæ hujusce congregationis est, atque in Hispaniam quoque et Angliam hinc accersitæ sanctimoniales, quæ solutam in nonnullis veteribus aliorum ordinum monasteriis disciplinam restituerent, aut nova conderent. In Angliam certe an. 1177 evocatas, datumque iis Ambresburiense in Wiltonensi ægro cœnobium, quod olim S. Eduardi regis ac martyris noverca et interfectrix Alfritha fundarat, traditur in Monastico Anglicano, pag. 191, ex Rogerio Hovedeno. Hujus ista sunt verba ad eum annum in parte posteriori Annalium : « Eodem an. idem rex Henricus II, expulsis sanctimonialibus de abbatia de Ambresbirie propter incontinentiam suam, et per alias domus religiosas in arctiori custodia distributis, ipsam abbatiam Ambresbirie dedit abbatissæ et domui de Frunt Everoit (*lege* Fonte Ebraldi) in perpetuum possidendam : et misso a Frunt Everoit uno conventu sanctimonialium, Richardus Cantuariensis archiepiscopus introduxit eas in abbatiam de Ambresbirie, II Kal. Junii, die Dominica, » etc. Idem in Chronico Joannis Bromtoni narratur, diciturque abbatissa illa «per mandatum Alexandri III papæ deposita, ac sanctimoniales omnes ibidem, quæ errorem et vitæ suæ turpitudinem relinquere, et ordinem Fontis Febrardi tenere nolebant, a domo illa dispersæ. Quibus sic dispersis, rex in Andegaviam ad Fontem Ebrardi pro uno conventu sanctarum monialium misit, » etc. Ubi vides sanctas moniales appellari monachas Fontis Ebraldi. De eadem hac Ambresburiensi colonia agit Gervasius Dorobernensis in Chronico.

10. Idem Bromto « famosum et nobile monasterium Fontis Ebrardi» appellat : Guillelmus Neubrigensis l. I, c. 15, « famosissimum illud monasterium feminarum de Fonte Ebraudi» vocat. Et l. III, cap. 25, « famosum et nobile monasterium, » ac deinde, « monasterium celeberrimæ religionis titulo inclytum. » Willelmus Tyrius l. XIV, c. 1, de Mathilde (ipse *Mahaldem* vocat, secunda Fontis Ebraudi post Petronillam abbatissa loquens, ita scribit : « Anglorum regis Henrici (primi ejus nominis) filio desponsata fuerat : sed antequam convenirent, sponsus in Angliam navigans, naufragium passus, pelago submersus est : ejus vero sponsa perpetuum vovens cœlibatum, in claustro puellarum religioso admodum apud Fontem Ebraudi sanctimonialem perpetuo vitam duxit. » Willelmi Tyrii suffraganeus fuit, ac dein S. R. E. cardinalis. Jacobus de Vitriaco. Is Historiæ Occidental. c. 20, de monachis nigris scribens, ita

A inter alia loquitur : « Hæc autem prædicta diximus, salva pace et reverentia quorumdam hujus ordinis sanctorum et venerabilium conventuum, qui adhuc in honestatis et laudabilis conversationis proposito et religionis districtione perseverant. Ejusmodi sunt Cluniacenses in capite, et in quibusdam eorum membris, a capite, non discrepantibus; sicut apud S. Martinum de Campis in Parisiensi civitate et præterea monachi religiosi Cantuariensis in Anglia, et illi qui sunt de Afflengien in Brabantia, *Sanctimoniales nigræ de Fontevraut*, cum quibusdam aliis Deo devotis monachorum nigrorum conventibus: quorum charitatem et humilitatem, labores assiduos et onera pene importabilia novit ille qui eis patientiam et perseverantiam subministrat; ut aliis in via deficientibus ipsi ad destinatum sibi bravium festinantes, finem consequantur optatum. »

B

11. Wilhelmus quoque Malmesburiensis, utroque paulo senior lib. V De regibus Anglorum ita et originem Fontis Ebraldi describit, et prædicat sanctitatem : « Hujus Petri (Pictaviensis episcopi) fuerunt contemporanei et religione socii Robertus de Arbeisel et Bernadus abbas Turinensis, quorum primus omnium hujus temporis sermocinatorum famosissimus et profusissimus, tantum, non spumea, sed mellea viguit eloquentia, ut hominibus certatim opes congerentibus, illud egregium sanctimonialium monasterium apud Fontem Ebraldi construeret, in quo, tota sæculi voluptate castrata, feminarum Deo devotarum, quanta nusquam, multitudo in Dei fervet obsequio. Nam præter cæterarum illecebrarum abdicationem, quantulum illud est, quod in nullo loco loquuntur, nisi in capitulo, proposita a magistro perennis taciturnitatis regula; quia semel laxato silentio feminæ pronæ sunt ad mussitandum frivola? »

C

12 Monet tamen Joannes Picardus Bellovacus ad S. Victorem Parisiis canonicus regularis in notis ad c. 15, l. I Historiæ Neubrigensis, «has regulares disciplinas, alioquin paulo severiores fuisse mitigatas auctoritate summi pontificis sub annum 1450...Maria enim Britanna, virgo tum piissima, simul et nobilissima, Fontebraldensis Antistita, curarat, ope consilioque virorum prudentium, seligi ex regula S. Benedicti, Robertique institutoris sanctionibus capita, et diligentius servari in universis suæ familiæ parthenonibus; quæque videbantur subobscurioria, planius describi. Eorum vero quæ duriora censebantur, nempe silentium, ubique locorum, nisi in capitulo, interdicens collocutionem, temperatum ut liceat loqui post preces, ut vocant, primas: dein post signum ad laborem factum. »

D

§ II. *B. Roberti patria, vitæ historia, anniversaria memoria beati ac sancti prærogativa nomenclatio.*

13. Hujus igitur celeberrimi monasterii et ord. fundator fuit B. Robertus. Variant auctores in cognomine, ut obvervant Andreas Chesnæus in epist. 17, l. II Petri Venerabilis, Honoratus Nicquetus no-

ster l. II Hist. Fontis Ebraldi, c. 3; Joannes Baptista Souchetus in notis ad c. 11 Vitæ B. Bernardi de Tironio. Appellatur ergo a Gaufrido in dicta Vita B. Bernardi, *de Arbrissello, Abrissellensis*, et c. 23, si mendum abest, *Orbreselensis* : *de Abrezello* in quadam inscriptione citata a Soucheto, in ms. Rotensi apud eumdem *de Abrincello* : a Petro Pictavensi episcopo in charta data an. 1105, *de Herbressello* : a Neubrigensis *de Arbusculo;* de Arbrussello in ms. codice Cenomanensi opusculorum Goffridi Vindocinensis : *de Brussello* a Petro Venerabili : a Joan. Boucheto, *de Bruxelles* : *de Bruxello* a Joanne Hirceo citato apud Souchetum : *de Arborecello* in quibusdam actis publicis apud Guillelum Catellum: *de Arbricellis* in Chronico S. Albini Andegav, *de Arbricel et Arbrisel* in chartis Rotensibus : *de Arbeisel* a Malmesburiensi : a Niqueto *d'Arbruissel*, Souchetus rectius censet *de Abrissello;* nos *de Arbrissello* retinemus, quod vulgatissimum apud scriptores.

14. Ductum id a loco natali, exili vico septem leucis distante ab urbe Redonum in Britannia Armorica, qui tunc *Arbrissellum* vocabatur, teste Baldrico, Dolensi in eadem Britannia episcopo : nunc vulgo *Arbesec* dicitur. At Guerrosius in Commmentariis de Tricassium sanctitate ad an. 1106 n.7, natum in Tricassibus affirmat, altero ab Augusta Trecarum lapide, vico cui *l'Aubrussel* nomen : nec auctorem citat ullum qui eam illi patriam tribuat, nec argumentum promit quod id firmet præter unicam illam vocem, Baldricus, qui et Robertum novit, et propinquam Fonti Ebraldi Burguliense cœnobium rexit, et deinde Doli in Britannia antistes fuit, illum ait c. 1 Vitæ, n.7, « Britanniæ minoris alumnum fuisse, ex pago Rhedonensi oriundum, villæ, quæ vulgo Arbrissellum nuncupatur, indigenam et colonum.» Ac n.8 Silvester Redonensis episcopus ita eumdem Robertum ad se Lutetia accersitum alloquitur: «Vides, frater charissime, quomodo sancta Redonensis Ecclesia, mater tua sine regimine vacillat. » Qua enim ratione Redonensis Ecclesia mater ejus dici potuit, si erat in diocesi Trecensi natus, solumque in Patria antheac et Lutetiæ versatus ?

15. Non viderat Guerrosius, quam in damus B. Roberti geminaro Vitam, unam, ut diximus, a Baldrico scriptam alteram ab religioso Fontis Ebraldi, ejusdem sancti viri discipulo, quem vulgo Andream fuisse existimant, de quo in ipsa eadem Vita c. 6, n. 36, mentio est. Atque ejus videtur in veteri quodam Necrologio ita mentio fieri : III Id. Augusti obiit Andreas sacerdos capellanus magistri Roberti.» Utraque ea vita e mss. Fontebraldensibus edita primum ab Michaele Cosniero oppidi ejusdem parocho : qui dein alia perscrutatus archimonasterii monumenta, haud pauca nobis submisit sibi in priori editione desiderata. Vita utraque postea Cosniero mortuo nitidius edita Flexiæ an. 1647, addita ex opposito luculenta paraphrasi Gallica, a P. Joanne Baptista Chevalier societatis nostræ presbytero concinnata. Omnium vero accuratissime historiam Fontis Ebraldi Gallice scripsit Honoratus Nicquetus noster libris quatuor : quorum primo res a B. Roberto gestas secundo ejus sanctitatem, tertio ordinis explicuit instituta : quarto omnium abbatissarum acta succincte enarravit. Idem scriptor tomum alterum prelo paratum habet, in quo omnibus omnino prioratibus ordinis agit sive quæ in Hispania, et quidem opulenta, sive quæ in majori Britannia, sive quæ in Gallia exstitere olim, aut etiamnum exstant, florentque religiosa disciplina, et quidem magno numero. Atque in hoc tomo, tribus libris distincto, vitam describit tum virginum, doctrina, natalibus, virtute illustriorum. Fortassis et tertium adjunget tomum, si septuagenaria majorem et alia habentem præ manibus, jam affecta, vita ac vires non destituant.

16. Quæ nunc ordinem illum sanctissimum pari pietatis et prudentiæ laude administrat, tricesima prima a Petronilla B. Roberti discipula, est Joanna Baptista de Borbonio, Henrici IV Galliarum Magni regis filia. Ea cum summo studio ad conservandum, qui adhuc in ordine viguit, spiritum religios æque exercitationis dignitatem, incumbit; tum præsertim sanctissimi fundatoris Roberti honorem nititur, quibus potest modis amplificare. Eaque causa geminas, quas dixi, vitas, anno 1641 et 1647. Flexiæ editas, ad nos mitti curavit, cum allis libellis, opera præcipue nostri Honorati Nicqueti compositis : quorum unus « Summorum pontificum; S.R.E. cardinalium, antistitum, principum, clarorumque scriptorum de B. Roberti Arbressellensis sanctitate testimonia » complectitur; alter inscribitur, *Gloria B. Roberti de Arbrissello, ordinis Fontis Ebraldi fundatoris, sive vitæ epitome, virtutes, elogia.* Tandem pro summa qua minimam societatem nostram prosequitur, benevolentia, dignata est nobis per litteras commendare, ut in vasto nostro de SS. Actis opere locum quoque Vitæ B. Roberti daremus. Id vero jam antea ultro constitueramus, ut ex iis quæ 7 Jan. de B. Vitale Saviniacensi dicta sunt, perspicere licet, quamvis nullam tunc adhuc Vitam B. Roberti nacti eramus, sed quædam solum illius e variis scriptoribus elogia. Non pauca ex duobus hisce libellis, historiaque Nicquetis, ad illustrandam sancti viri memoriam decerpsimus.

17. Non est adhuc quidem Robertus in cœlitum tabulas ita pontificis maximi sententia ascriptus, ut de eo ecclesiasticum officium recitari missæque offerri sacrificium possit verum id impetrare eadem Joanna Baptista antistita omnibus nervis contendit Ursit quoque jam a pluribus annis, ut hic publicus in Ecclesia cultus B. Roberto haberetur, serenissima Magnæ Britanniæ regina, quæ sæpius super hac re ad pontificem scripsit, et per oratorem suum an. 1645. supplicem libellum obtulit, e quo ista referuntur in citata *Gloria B. Roberti*, unde intelligere quisque possit, qua tandem ratione mota, cœlitibus debitum honorem Roberto procurare aggressa sit; «In tanto, inquit, Majoris Britanniæ tumultu, quo pene

jam totum regnum sus deque vertitur....remedium et præsentissimum malorum levamen futurum mihi erit, si insignis alicui jus servi Dei gratiam favoremque mihi conciliem, honorem ipsi in terris procurando, quo ipse in cœlis pro felici Anglicanarum rerum successu apud Deum advocatus existat. Quare cum omni humilitate supplex peto, ut per sanctitatem vestram liceat in ordine Fontis Ebraldi officium dicere et celebrare missam de V.P. Roberto ejusdem ordinis fundatore qui fuit olim acceptissimus atque adeo consiliarius Fulconis Junioris comitis Andegaviæ, Turoniæ et Cenomaniæ, postea regis Hierosolymitani, unius ex progenitoribus serenissimi regis Majoris Britanniæ sponsi mei : cujus etiam antecessores alii Henricus II. Rithardus I, Angliæ reges ; ac nonnullæ reginæ Anglicanæ, Eleonora, Elisabetha, multæque principissæ, in eodem templo, in quo venerabilis servi Dei reliquiæ jacent, sepeliri summa pietate exoptarunt, ordinemque ab eo fundatum per varias Anglicani regni provincias propagarunt. »

18. Hactenus ex serenissimæ reginæ supplice libello. Rex quoque Christianissimus, ut accepimus, de eadem causa ad Innocentium X pontif. max. scripsit, negotiumque urgeri ab oratore suo mandavit. « Urget etiam (ut jam indicavimus, et iisdem, quæ his damus, verbis in citata *Gloria* refertur) excellentiss. et reverendissima domina Joanna Baptista a Borbonio, abbatissa Majoris Monasterii, et caput totius Ordinis Fontis Ebraldi. Urget ordo universus, cum Condatensi B. Martini, aliisque adjacentibus canonicorum capitulis, ut eumdem Robertum Sancti nomine constanter hactenus insignitum, utpote vitæ sanctitate et magnis in sanctam Ecclesiam meritis celeberrimum, apostolica eloquentia et constantia præfulgentem, sanctæ Romanæ sedi addictissimum, et apostolicæ auctoritatis retinentissimum, perpetuum hæreticorum malleum, martyrii avidissimum, et pietatis causa ab impiis quamplurima perpessum, summorum pontificum, antistitum, clarorumque scriptorum commendatione nobilem, justitæ omnis et sanctitatis propugnatorem invictissimum, tot sanctorum perentem, tot hominum utriusque sexus millia Deo lucratum, omnium cujusque generis miserorum asylum certissimum, cujus sanctitatem cœlum crebris miraculis loquitur, terra quotidianis precibus, votis ae donariis testatur, » Apostolicæ sedis nutu atque auctoritate colere ut aanctum liceat.

19. Quæ hic conglobatim celebrantur præconia, ea partim ante probata, partim suis locis in Vita, atque ex eodem de ejus Gloria libello hic probabuntur. Beatum certe jam ab annis circiter 537 prædicavit Baldricus episcopus, insigni sapientia præditus scriptor. Ita c. 1, n. 7, « Fuit igitur beatus (de quo loqui disposuimus) Robertus, Christianæ professionis cohæres et filius. » Et n. 24 : Pater illa quæ fecit B. Robertus miracula. Ac demum n. 25 : « Annis revolutis et annis, quibusdam indiciis sensit beatus Robertus finem suum appropinquare. »

20. Citata sæpius *Gloria* pag. 33, ostendit non beati solum, sed sancti titulum Roberto ab omni retro memoria solere tribui : « Habet, inquit, et in priscis litaniarum supplicationibus ecclesiasticus ordinis ritus hanc B. P. Roberti, post S. Benedicti, invocationem : *S. Roberte, magister bone, ora pro nobis.* Et vero hactenus fons ille, qui antiquitus Fons Ebraldi vocabatur, in honorem B. Roberti qui ex eo fonte bibit, et in valle, in qua scaturit, monasterium ord. caput instituit, non aliter quam *Fons S. Roberti* appellatur. Adeo hæc sancti appellatio servo Dei adhæsit, ut communi populorum ore celebretur. »

21. Antea vero pag. 13 ista erant relata : « Corpus in Fontis Ebraldi monasterium magno cum apparatu portatum prosecutus est Leodegarius archiepiscopus Bituricensis. Obviam sacris reliquiis ierunt Fulco comes Andegavorum, Radulphus Turonensis archiepiscopus, Raginaldus episcopus Andegavensis, abbates multi, innumeri sacerdotes, cum infinita populi multitudine. Cor Ursani retentum, ubi honorifica inclusum est pyramide. Ara quæ proxima est, *Ara sancti cordis* appellatur. » Et pag. 29 dicitur Leodegarius archiepiscopus Bitericensis sepeliri voluisse « Ursani, ubi sanctum cor B. P. Roberti magna populorum veneratione colitur. » Non veremur ergo ue quis nos sugillet, quod tam libere eum Beati titulo ornemus, qui jam a 500 annis, et quod excurrit, a gravissimo antistite ei tributus sit, quique sanctus ab immemorabili tempore, unanimi populorum pietate, etiam in sacris litaniis, sit appellatus.

22. Anniversariam B. Roberti memoriam annotat Saussajus in Corollario ad Martyrologium Gallicanum, pag. 1217, et Jacobus Rinaldus noster in Liliis Galliæ sanctæ, ad 30 Augusti consignari debere atque insigni eum ambo elogio celebrant. Jacobus Sirmondus noster in notis ad Goffridi abbatis Vindocinensis spistolas, pag. 84, verum Roberti natalem aperit ex Chronico S. Albini, ubi ista habentur : « Anno 1116, obiit Robertus de Arbrissellis v Kalen. Martii. Iste fuit fundator monasterii Fontis Ebraldi. » Idem asserit Carolus Saussayus l. xi Histor. Aurelian., n. 12. Idem quoque per litteras nos edocuit Nicquetus noster : nam quod antea existimarit eum vi Kalendas Martii obiisse, id in Historia l. 1, c. 35, ut corrigatur curaturum. Satis quidem constare, ex consensu totius ordinis, anno eum decessisse 1117 Christi, qui secundum Francorum illius ævi calculum, 1116 dicebatur, cum anni auspicium a solemnitate Paschalis duceretur, quod demum sub Carolo IX rege emendatum ; cæterum festo S. Mathiæ ista in diem sequentem in Martyrologio ord. Fontis Ebraldi prælegi : « Eodem die in Biturica patria, apud Ursanum, præclara dormitio reverendi domini Roberti de Arbrissel, doctoris theologi, venerabilis presbyteri, charissimi Patris nostri : qui vir fuit Christianissimus, sanctæ Ecclesiæ lucifer splendibus, et in sancta prædicatione alter quo-

dammodo Paulus. Redonensis diœcesis, provinciæ Britannicæ fuit oriundus, fonteque cœlestis doctrinæ funditus repletus, et in religione probabiliter fundatus, a primo lapide auctor Fontis Ebraldi, basilicam ejusdemque basilicæ quamplures cellas fundavit, ædificavit, multiplicavitque, et in eisdem locis, Deo inspirante, viros ac mulieres ad serviendum Deo omnipotenti fideliter coadunavit : quos etiam, dum adhuc viveret, et sanctorum Patrum exemplis et regulis, omnique sana doctrina, verbo et exemplo ad plenum informavit. Hic fortis athleta verbi Domini fidelissimus dispensator, dum ex more suo ad exteras nationes prædicationis sanctæ gratia procederet ; apud prædictum locum, quem ipse Deo favente ædificaverat, qui Ursanus dicitur, et a Biturica civitate duodeviginti milliaribus, hoc est, duodecim leucis, disjungitur, vocante Deo, senex et plenus dierum, viam universæ carnis ingressus est, cœlo gaudente, terra plorante, glorioso fine quiescens, corpus terræ spiritumquo polo reddidit, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo decimo septimo. »

§ III. *B. Roberti sanctitas illustrium virorum testimoniis celebrata : ejus sepulcrum.*

23. Operæ pretium fore existimo, si hic ex utroque jam citato opusculo strictim encomia colligam, quibus Roberti virtutes ac sanctimoniam eximii scriptores aliique viri illustres, ac præsertim pontifices decoravere. Urbanus II [pont. mox. prædicatorem apostolicum instituit : « Intellexit etenim, » ut in Vita refert Baldricus, « quod Spiritus sanctus os ejus aperuerit. » Paschalis II « magnæ religionis virum, virum venerabilem, » dum adhuc viveret, appellavit. Callistus II mortuum, « bonæ memoriæ, venerabilis memoriæ ; » Honorius II « felicis recordationis. » Lucius II « bonæ memoriæ, spectatæ religionis presbyterum ; » Delegati a Sixto IV « Patrem memoria dignum. »

24. Baldricus episcopus, qui, ut superiore § diximus, absolute B. Robertum aliquoties vocavit, alibi « virum sanctum et justum » nominat. Alibi ita scribit : « Sanctus igitur Spiritus obeditioni meæ adminiculetur, et domini Roberti mihi sanctituto suffragetur. » Deinde : « Hunc profecto dixerim, habitaculum Jesu Christi et organum Spiritus sancti, responsalem et vicarium Altissimi, ipsius delibutum sermonibus. » Ac] postea : « Dominus Robertus, fons prædicationis, fons religionis, singularis se . iniverbius, doctor illustris et eximius, verbis et operibus admirandus, vir extollendus et imitandus. » Sed hæc aliaque infra in ipso Baldrico licebit legere. Petrus II episcopus Pictaviensis in instrumento quodam scripto Pictavis anno 1106 : « Quidam vir apostolicus, inquit, nomine Robertus de Herbressello, verbo divinæ prædicationis sagaciter invigilans, et tonitruo sanctæ exhortationis plures tam viros quam mulieres a sæculari luxu revocans, in nostra diœcesi ecclesiam quamdam in honore S. Mariæ Virginis fundavit, in loco qui fons Ebraudi vocatur, quem locum Aremburgis uxor Widonis, filii Osmundi, et Rivaria filia ejus, ad ædificandam prædictam ecclesiam sibi dederunt. » Idem Petrus in alio scripto eum vocat « virum religiosum, verbo sanctæ prædicationis deditum ; » idemque alibi, « virum magnæ religionis et bonæ opinionis. » Girardus Engolismensis episcopus vir maximus, nisi eximia virtutum ornamenta postea fovendo Anacleti schismate dedecorasset, « bonæ memoriæ ac magnæ sanctitatis virum.

25. Petrus Abelardus abbas, « egregium præconem Christi. » Tabulæ abbatiæ S. Mariæ de Rota, « virum magnæ auctoritatis et infinitæ religionis. » Fulco comes Andegavensis, « magnæ religionis et honestatis virum clarisssimum. Fulco Junior itidem Andegavorum comes, » hominem religiosissimum, cujus admirabilis doctrina verbo sanctæ prædicationis et tonitruo sanctæ exhortationis per totam Ecclesiam sua fulget eloquentia. » Aremburgis comitissa Fulconis uxor, » magnæ religionis virum, verbo evangelicæ prædicationis sagaciter dispensatorem. » Alii denique, « hominem sanctissimum. » Andreas autem Vitam, quam infra dabimus, ita exorditur ; « Ipsius, de quo locuturus sum, intercedentibus meritis, Spiritus sancti adsit mihi gratia. » Postea eum vocat « lucernam eremitarum, virum omni ore laudabilem. » Abbates, quos B. Robertus consuluit, cum de primæ abbatissæ electione ageretur. « Tuum, inquiunt, charissime Pater, super hac potius tenendum est consilium, præsertim cum pro certo sciamus, inter cæteros nostræ ætatis mortales tuum vigere consilium : te enim donavit Deus mundo consiliatorem animarum. »

26. Si quis recentiorum scriptorum de eodem sancto viro testimonia requirat, habet superius § I, num. 2, magni cardinalis Cæsaris Baronii, in cujus Annalium epitome ad annum 1117 Henricus Spondanus, Apamiensis in Gallia episcopus, B. Robertum vocat « eximiæ virum doctrinæ et probitatis. » Antonius Yepes tom. VIII Historiæ Benedictinæ, « hominem pium et sanctum. » Claudius Robertus in Gallia Christiana agens de abbatia S. Mariæ de Rota, « virum magnæ auctoritatis et infinitæ religionis. » Egregium quoque illius encomium contexuere Andreas Saussaius et Jacobus Rinaldus, antea citati, qui absolute « B. Robertum » appellant.

27. Plerasque aliorum laudationes collegit aut superavit Leodegarius archiepiscopus Bituricensis, qui (ut in *Gloria B. Roberti* dicitur) « venerabilis servi Dei reliquias in sua diœcesi, in qua obierat, retinere cum non posset integras, ne tanto thesauro Bituricensis diœcesis penitus orbaretur, saltem cor tandem obtinuit a Petronilla prima abbatissa, quæ præsens aderat, ipseque defuncti corpus prosecutus usque ad majus monasterium Fontis Ebraldi; » ubi eum oratione funebri honestavit, quam Gallice edidit F. Ivo Magistri. Ex ea ista sunt Latine expressa : « Custodit Dominus corpora sanctorum suorum: id

quod sacræ eorum testantur reliquiæ. Testatur et A corpus Patris vestri, quod licet nullis aromatibus conditum, nihil tetri odoris ad hanc usque diem exhalavit, etiamsi jam a multis diebus exanime remanserit. Quod certissimum est insignis ejus sanctimoniæ argumentum, quam non nisi abstinentia voluptatum sæculi, fervore spiritus, et austero vivendi genere tutatus est, » etc.

28. « Providerat Deus huic sæculo piissimum Patrem magistrum Robertum : ut quandiu in vivis ageret, lucerna esset non abscondita sub modio, quæ peccatorum mentes, pulsis improbitatis tenebris, Solis justitiæ radiis illustraret. Quis enim vestrum nescit eximium illum eremi cultorem, aliis quidem fuisse odorem vitæ in vitam, aliis vero sagittam potentis acutam ? Ausim dicere, reverendo B huic Patri non defuisse Josephi patientiam, constantiam Jeremiæ, zelum Phineæ, et Tobiæ charitatem. Davidem retulit, cum pertransiret in deserto, et per mille vitæ pericula tenderet ad regnum. Particeps fuit consilii et solertiæ Danielis, et Samuelis obtinuit æquitatem. Præcursorem Domini imitatus, anachoreticam vitam duxit; herbis famem, sitim frigida duntaxat levavit, cilicioque corpus texit. Paulinæ eloquentiæ participem fuisse aio, » etc. « Pes fuit claudorum, cæcorum oculus, solatium afflictorum, orphanorum pater, sponsus sanctarum viduarum, virginum custos et paranymphus, refugium miserorum, vitiorum omnium depulsor, auctor virtutum, concordia dissidentium, » etc. Atque hoc postremum mirabile fuisse notatur, in B. Roberto, C ut quisque proprium donum habet a Deo, qui dividit singulis prout vult.

29. Hæc aliaque ab archiepiscopo illo dicta in exsequiis B. Roberti, cujus mausoleum, ut vocat Baldricus, ante aram majorem, quatuor columnis innixum erat superiori saxo insculpta ejus effigies : habitus ei sacerdotalis, pedum pastorale, manus chirothecis tecta, insertus digito annulus. Tanta porro illud mausoleum in veneratione fuit, ut olim coram eo vota religiosa nuncuparent sanctimoniales. Anno 1623 novum multoque magnificentius erectum est altare, 8 Octobris, consecratum a Philippo Cospeano Nannetensi tunc episcopo, qui ei reliquias inclusit deiparæ Virginis, sanctique Joannis evangelistæ (quorum præcipue honori dicatum), aliquas etiam S. Joannis Baptistæ, ac S. Ludovici regis. D Ob hujus aræ fabricam debuit B. Roberti paulo longius tumba submoveri, sub novo itidem posita, per quam affabre elaborato, mausoleo : cujus ad angulos variæ e sacra Scriptura sententiæ, nigro in marmore litteris aureis exaratæ : effigies ejus albo e marmore, cultu sacerdotali, in tumba itidem marmorea recubans. Priore aperto tumulo ossa complura integra reperta sunt : quæ in arculam plumbeam, cum non exigua copia pulveris, in quem cætera erant membra resoluta, itemque pulveribus in sepulcro Petri Pictaviensis episcopi repertis, condita sunt.

30. Addita hæc novæ illi tumbæ inscriptio : « Venerabilis quondam Robertus de Arbrissello, vir admodum pius, et zelo animarum exæstuans, divina, qua plurimum poterat, eloquentia, ad Dei obsequium, ad sæculi contemptum, multos utriusque sexus mortales, qui eum ad deserta loca sequebantur, induxit, eaque occasione ordinem Fontis Ebraldi primus instituit : variaque domicilia, devoto præsertim femineo sexui, exstruenda curavit. Quorum omnium caput esse voluit hocce monasterium : in quo abbatissam, non solum virginibus ac mulieribus Deo dicatis, sed etiam religiosis viris, præposuit, qui hoc vitæ sequuntur institutum, a sancta sede apostolica, jam a sui exordio ad hæc usque tempora, approbatum, variisque privilegiis regiisque muneribus auctum. Obiit anno 1117. Ejus ossibus ac sacris tegendis cineribus Ludovica de Borbonio, hujus cœnobii, atque adeo totius ordinis antistita, hoc mausoleum novo pegmate exornatum, totius ordinis nomine, tanquam parenti optimo, perficiendum curavit, an. 1623. »

§ IV. *B. Roberti in eremitica et apostolica vita primi socii.*

31. Ex iis Roberti encomiis, quæ § 2, n. 18, congesta sunt, unum restat, ut ostendamus sanctitatem ejus miraculis esse cœlitus confirmatam. Sed prius mantissa quædam attexenda est rerum ab eo gestarum, quæ ab utroque Vitæ scriptore prætermissæ, sunt tamen ab antiquis auctoribus traditæ. De primis B. Roberti in apostolicorum laborum susceptione sociis atque adjutoribus, Guilielmus Neubrigensis, qui se anno 1135 natum testatur, l. I De rebus Anglicis, c. 15, jam antea citato, ita scribit: « In transmarinis partibus, sicut a majoribus accepi, tres memorabiles viri uno tempore fuere, scilicet Robertus, cognominatus de Arbusculo, Bernardus et Vitalis. Hi non ignobiliter eruditi et spiritu ferventes, circuibant per castella et vicos, seminantesque secundum Isaiam super omnes aquas, de conversione multorum fructus uberes colligebant: pio inter se placito constituto, quo Robertus quidem feminarum communi labore ad meliora conversarum sollicitudinem gereret, Bernardus vero et Vitalis maribus propensius providerent. Robertus itaque famosissimum illud monasterium feminarum de Fonte Ebraudi construxit, et regularibus disciplinis informavit : Bernardus vero apud Tyrocinum, et Vitalis apud Saviniacum monachis regulariter institutis, suos quisque ab aliis per quasdam præceptorum proprietates distinxit. Cumque ex his tribus radicibus servorum atque ancillarum Dei per diversas provincias religiosa germina pullularent, quidam Saviniacenses monachi Bellelandam nostram condiderunt. » Quæ quidem ita accipienda sunt, quod cum Bernardus ac Vitalis virorum congregatione instituerint, Robertus etiam feminas aggregarit, ac præcipuo quidem studio, ut quarum spiritali ministerio viros, seque adeo ipsum subjecerit : quare ad hunc præcipue feminæ, etiam

fortassis quæ a duobus illis erant conversæ, accurrebant.

32. Qua vero ratione inter sanctos illos viros amicitia coaluerit, ita in B. Bernardi Pontivensis, primi abbatis Tironensis, Vita, tradit Gaufridus Grossus auctor coætaneus c. 11. Nam Bernardus cum cœnobium S. Savini priori titulo administraret, Gervasio abbate peregre profecto, jamque mortuo; « cognita (ut ille scriptor ait) monachorum voluntate, qui eum sibi abbatem facere disponebant, clam discessit ab eis, rem sibi a multis annis desideratam quærere intendens, scilicet anachoreticæ vitæ studium, et ut sibi victum acquireret labore manuum. Manebat autem non multum longe a monasterio S. Savini vir quidam venerabilis et religiosus eremita, Petrus nomine de Stellis, qui illius postea monasterii fundator exstitit, quod Fons Gombaudi dicitur. Ad quem Bernardus divertens, eo quod sibi jam antea notus ac familiaris esset, causam, qua venisset, aperuit. Quem Petrus magna cum animi alacritate suscepit : sed quia in vicinia monachorum erat, qui eum invitum abbatem sibi facere satagebant, illum diu secum, licet nimis exoptaret, tenere non potuit. Bernardus vero exæstuans cum desiderio jam optatæ paupertatis ac solitudinis, tum vehementer reformidans, quod, nisi citius recederet, abbas, implicandus sollicitudinibus curæ pastoralis, impellente abbate suo vel episcopo, coactus fieret; Petrum obnixius rogabat, ut se inde citius latenterque subduceret, atque ad ignotas remotissimæ regionis solitudines perduceret. Petrus itaque precibus rogantis acquiescens, factus ductor itineris, quod postulat et complevit. Erant autem in confinio Cenomanicæ Britannicæque regionis vastæ solitudines, quæ tunc temporis, quasi altera Ægyptus, florebant multitudine eremitarum per diversas cellulas habitantium, virorum sanctorum ac propter excellentiam religionis famosorum. Inter quos erant principes et magistri Robertus de Abresello, atque Vitalis de Mauritonio, Rodolphus quoque de Fusteja, qui postea fundatores exstiterunt multarum atque magnarum congregationum : quibus divina dispositio per Petrum, qui eos antea noverat, hunc quartum adjungere curavit, ut illis tribus quarto adjuncto firma fieret quadratura, quæ postea magna et lata ædificia erat portatura. »

33. Pergit deinde c. 12 : « Petrus vero de Stellis, multorum dierum itinere confecto, pervenit ad domnum Vitalem, unum ex supradictis, quos principes et magistros eremitarum fuisse jam diximus. » Ita ille. « Fuit autem Radulphus (qui hic cum tribus illis sanctis eremitis jungitur) magister quoque sanctimonialium, itidem ut B. Robertus. De eo Joannes Baptista Souchetus Carnotensis canonicus in Observationibus ad c. 11 Vitæ B. Bernardi, pag. 178, ista scribit : « Fuit Radulphus primum Hendionis asceterii, quod nunc S. Jovinus de Marnis in Pictonibus dicitur, monachus ; deinde eremi cultor ; ad extremum director et procurator (quo nomine etiam

A Robertus Arbressellensis in elencho codicis Cenomanici apud Sirmundum in observationibus ad epist. 47, lib. IV. Goffridi Vindocinensis appellatur, pro fundatore) S. Sulpitii monialium : apud quas hominem exuit XVII Kalend. Septembr. 1129, et in ipsarum ecclesia, magna sanctitatis opinione, situs est. »

34. Illa porro sanctorum virorum in solitudine commoratio contigit post concilium Claromontanum, quod an. 1095 habitum est : ante tamen Pictaviense, quod 1100. De hoc Ivo Carnotensis epist. 211, ad Radulphum Remorum archiepiscopum : « Computaverunt eamdem consanguinitatem alio tempore in prædicta curia (scilicet domni papæ, ut antea dixit) legati Fulconis Andegavensis comitis et probaverunt.
B cum accusaretur rex Francorum, Philippus, quod eidem comiti consanguineo suo uxorem suam subtraxerat, quam etiam illicite retinebat. Propter quam accusationem, et patrati sceleris comprobationem excommunicatus est rex a domno papa Urbano in Claromontensi concilio. Et cum post factum divortium prædictus rex esset reversus ad prædictæ mulieris consortium, excommunicatus est in Pictaviensi concilio a cardinalibus Joanne et Benedicto. » Meminit et alibi Ivo illius concilii ; cujus canones ad eum annum recitat Baronius in Annalibus. Adfuerunt eidem concilio B. Robertus de Arbrissello et B. Bernardus de Tironio, ut in hujus Vita c. 23 narrat Gauffridus : « Per idem tempus, inquit, duo cardinales Joannes atque Benedictus, apostolicæ sedis legatione fungentes, ad urbem Pictavium concilium
C convocarunt, in quo CXL Patres adfuerunt : qui et Philippum regem Francorum, propter Fulconis consulis Andegavensis uxorem, quam in adulterio tenebat, anathematis vindicta percusserunt.

35. « Qua excommunicatione comperta, Guillelmus dux Aquitanorum, qui aderat, totius pudicitiæ ac sanctitatis inimicus, timens ne similem vindictam pro consimilibus culpis pateretur, nimio furore succensus, jussit illos omnes deprædari, flagellari, occidi. Quod ministris suis facere incipientibus, pontifices et abbates huc illucque diffugiunt, et ut temporalem vitam retinerent, tuta latibula quærere contendunt. At vero Bernardus atque Robertus Orbreseiensis, qui concilio intererant, fortissimi justitiæ propugnatores, ac totius iniquitatis et injustitiæ ex-
D pugnatores, aliis turpiter diffugientibus, ita immobiles constantesque pestiterunt, ut nec ab incœpto excommunicationis desisterent ; sed pro Christo mortem vel contumeliam pati gloriosissimum ducerent: et quamvis eis persecutores mortem non intulerint, isti, quantum in ipsis est, martyrium pertulerunt. »

36. Souchetus ex Chronico Maleacensi apud Beslyum citato, ista notat : « XIII Kal. Nov. fuit concilium, quod tenuerunt duo cardinales Joannes et Benedictus... uni eorum, Joanni nomine, apparuit S. Hilarius, et dixit ei confirmando : *Joannes, noli timere, viriliter age, cras ero tecum* : et excommunicavit regem Philippum. » Joannes Bouchetus in An-

nalibus Aquitaniæ parte III, c. 2, tradit, cum rex cogendum Pictavis concilium didicisset, a Guilielmo duce Aquitaniæ et comite Pictavensi agnato suo petiisse, ne in urbe sua talem sibi injuriam inferri pateretur : mandasse illico Guilielmum, ut urbe legati cæterique antistites illico excederent ; unum e legatis spatium deliberandi postulasse, eique nocte insequente S. Hilarium apparuisse, et ne minis ducis terreretur monuisse, ei enim se adfuturum : ducem, cum ei legatus postridie hoc retulisset, permisisse ut pro arbitrio cuncta perficeret. Idem apud Baronium ex Boucheto narratur, et in notis ad concilium Pictavense t. XXVI Conciliorum, ut edita Parisiis sunt ex Regio typographio. De eodem concilio agitur in fragmento Hist. Francorum tom. IV Chesnæi, sed nulla ibi mentio apparitionis S. Hilarii. Dux ille Guilielmus, cujus hic mentio est, pater fuit Guilielmi, quem S. Bernardus Clarævallensis a schismate ad deferendam legitimo pontifici obedientiam revocavit. De patre egimus 10 Febr. ad S. Gulielmi Eremitæ Vitam, § tertio, ac postea de filio.

37. Erat illius concilii Pictavensis tempore B. Bernardus abbas monasterii S. Cypriani juxta Pictavos : Robertus abbatiam de Rota forsan jam dimiserat, aut certe mox dimisit uti et Bernardus suam. De hoc Gaufridus c. 24 Vitæ ejus : « Exæstuans amore paupertatis ac solitudinis, ad secretum eremi, a quo fraudulenta violentia abstractus fuerat, rediit, et mentem suam, quæ ibi remanserat, invenit. Qui domno Roberto de Arbressello atque Vitali de Mauritonio, quorum jam superius mentionem fecimus, conjunctus, Gallicanas regiones nudis pedibus peragrabant : in villis, castellis atque urbibus verbum Dei prædicant, homines ab erroribus vitæ suæ eruentes, quasi validi ac robustissimi arietes divinæ potentiæ viribus adjuti, muros infidelitatis atque vitiorum impellentes confringebant, corda hominum ab errore caducarum rerum evellebant, mala eorum colloquia bonos mores corrumpentia destruebant, malorum operum nequitias disperdebant, totius iniquitatis coadultam congeriem dissipabant, virtutes, Deo auctore, cordibus eorum inserentes plantabant, et plantatas exemplo corroborantes ædificabant : et quamvis mortuorum cadaverum resuscitatores non essent, quod majus est faciebant, id est animas in peccatis mortuas vivificabant, et vivificatas Deo veræ vitæ conjungebant. Talia igitur signa facientes, quandoque simul, aliquando vero singulatim diversas provincias circuibant : quibus, machinante diabolo, tribulationes non deerant. »

38. Idem scriptor c. 42 : « Dum igitur Bernardus monasterium suum ædificaret in Francia, Robertus Arbressellensis suum construxerat in Aquitania, Radulphus Fusteiensis in Britannia, Vitalis vero de Mauritonio suum fabricabat in Normannia, quorum supernus arbiter, longe a se positos, et in diversis regionibus separatos manere voluit, quia tot et tanta unusquisque illorum monasteria construxit, ut una eos regio minime caperet, una provincia congregationibus ab illis adunatis, minime sufficeret. » Ita ille. Conditum a B. Bernardo monasterium SS. Trinitatis de Tironio in Carnotensi est diœcesi Fontis Ebraldi, ut antea dictum, ultra Ligerim, qui limes Arctous est Aquitaniæ. Saviniaeum in Abrincensi diœcesi, extrema Normanniæ ora, Cisterciensibus deinde institutis addictum a venerabili Serlone, cum aliis XXVIII, idque an. 1153, Eugenii III pontificis max. auctoritate. Radulphus S. Sulpitii cœnobium sanctimonialium apud Redonas construxit. Enumerat singillatim Souchetus, in observationibus ad dictum 42 caput Gaufridi, monasteria omnia quæ a Saviniaco, quæque a Tironio, et Fonte Ebraldi dependent.

§ V. *B. Roberti miracula.*

39. Veniemus nunc ad miracula. Recte auctor *Gloria B. Roberti*, in ipso principio opusculi : « Commendarunt ejus sanctitudinem summi pontifices, archiepiscopi, episcopi, abbates, historici variique scriptores ; qua sit in existimatione sanctitatis, testatur qui sacris reliquiis habetur honor, et veneratio : testantur etiam miracula. »

40. Baldricus episcopus sola ea videtur vel perspecta habuisse vel publicare voluisse, quæ in animarum curationibus facta ab eo erant miracula. « Exprimat quis, inquit in Vita, quid senserit : ego audacter dico, Robertum in miraculis copiosum, super dæmones imperiosum, super terrenos principes gloriosum. Quis enim nostri temporis tot languidos curavit, tot leprosos mundavit, tot mortuos suscitavit ? Qui de terra est, terrena loquitur, et miracula in corporibus admiratur : qui autem spiritualis est, languidos et leprosos, mortuos quoque convaluisse testatur, quando quilibet animabus languidis et leprosis suscitandis consulit et medetur. Denique (ut omnium pace dixerim) per quem pastorum tot locutus est, tot operatus est Dominus ? » His consonant quæ § superiore, n. 17, de B. Roberto beatoque Bernardo a Gaufrido scripta retulimus, majus quid eos fecisse, dum « animas in peccatis mortuas vivificabant et vivificatas Deo veræ vitæ conjungebant ; » quam si corporum morbos gravissimos ac vulnera persanassent.

41. Quod vero optari miraculum illustrius potest, quam ordo religiosus præclaris ab eo institutis conformatus, itaque dilatatus, ut eo superstite capitum tria millia censerentur, cœnobia triginta et, quod caput est, post tot sæcula constanti florens opinione sanctitatis ; non sine manifesto fundatoris sui apud Deum patrocinio ? Memini ante annos circiter 44, cum apud Matthiam Hovium archiepiscopum Mechliniensem ac Belgii nostri primatem sermo incidisset de B. Ignatio Societatis nostræ parente in SS. tabulas referendo, et dixisset nonnemo ut ea res perageretur miracula proferri debere, dixisse sapientissimum illum gravissimumque antistitem, non alia se miracula desiderare præter ipsam societa-

tem ab eo conditam : se ampli archiepiscopatus proventibus, principum Alberti et Isabellæ Austriacorum favore, secundis cleri omniumque ordinum studiis subnixum, tot annis in seminario erigendo laborare ; cum ille nullis fortunæ præsidiis, nulla principum gratia aut commendatione fretus, exiguo tempore tantam religiosorum hominum congregationem instituerit, viderītque optimis firmatam legibus, ad ultima terrarum propagatam, uberrimos afferentem fructus. Idem profecto de Fontis Ebraldi ordine dici merito potest ; neque coalescere tantillo tempore potuisse hominis unius industria, sine peculiari auxilio numinis ; neque tandiu vigere in eo studium perfectionis, nisi cœlo receptus fundator, illius identidem curam gereret, sancta excitaret cœlesti ope desideria, labores prevehcret sanctimonialium juxta ac monachorum.

42. Non defuerunt tamen etiam ea Roberto quæ mortales præcipue suscipere solent, externa miracula. In Gallicani Martyrologii Corollario ita de eo scribit Andreas Saussaius : « In omni sanctitate consummatus, apud Ursanum monasterium feliciter exspiravit, signis postea clarificatus divinis, quibus etiamnum coruscat. » Jacobus Rinaldus in Liliis Galliæ sanctæ supra citatis : « Ab Ursonio cœnobio, pugnis et victoriis suis debitas accepturus coronas, in cœlum abscessit, dum hic triumphat in miraculis. » Nec mirum a Baldrico quæ post B. Roberti mortem contigerint, miracula nulla commemorari, cum brevi post ejus decessum temporis lapso spatio Vitam ejus nimis quam succincte collegerit. Andreas vero illa fere solum prosecutus est, quæ extremo tempore Robertus gessit. Speciem non vanam habere miraculi visum Leodegario archiepiscopo, ut ipse supra § 3, n. 27 testatur, quod « corpus ejus, licet nullis aromatibus conditum, nihil tetri odoris exhalarit, etiamsi multis diebus exanime remanserit. Quod certissimum est, inquit, insignis ejus sanctimoniæ argumentum. »

43. Recentiora quædam narrat Nicquetus in Hist. Fontebraldensi : atque hoc quidem ex l. I, c. 36, primum fuit, ut diximus, cor B. Roberti in templo cœnobii Ursani pyramidi marmoreæ impositum, tres altæ pedes, quæ etiamnum ibi visitur altari primario ad cornu Evangelii, ut vocant, satis propinqua, ad templi parietem. Non tamen integra nunc est : an. enim 1570, cum dux Bipontinus cum Germanicis copiis ad hæreticorum auxilia venisset in Galliam, quidam ejus miles eam confringere cupiens, ictibus aliquot contudit. Neque defuit cœlestis vindicta : cæcitate percutitur sacrilegus, et, ut quidam tradiderunt, brachii alterius rigore. Sed mox velut translato in animum lumine, cur ea sibi inflicta sit pœna agnoscit, flagitium detestatur, et, unde id ortum erat, hæresim : vovet novendiales illic peragendas in precibus excubias, atque his finitis illi restituitur videndi facultas. Ita memorant etiamnum Ursani incolæ, qui a parentibus suis, testibus oculatis, acceperunt.

44. In eadem Ursanensi æde an. 1634, ubi B. Roberti cor asservatur (quod populus *cor sanctum* appellat, et magna frequentat et veneratur pietate), cœpere missæ de sanctissima Trinitate celebrari, quibus gratiæ agerentur Deo pro eximiis donis sancto illi viro divinitus collatis. Tum vero suavissimo odore ultro eadem completa est ædes, cœlesti quodam et invisibili suffitu. Palam id testatæ ejus cœnobii sanctimoniales, quarum apud Nicquetum l. II, c. 15, expressa nominà, ac Hugaultius medicus atque alii, quibus intra septa monasterii ad infirmarum curationem ingredi fas est. Eumdem nidorem percepisse se Ludovicus Perrierus ordinis ejusdem sacerdos, tum Ursani coram sancto illo corde, tum in Fontebraldi cum intra cellam suam aliquas B. Roberti reliquias haberet, testatus est.

46. In eodem Ursanensi monasterio sorori Gabrielæ d'Assy brachium utrumque paralysi dissolutum fuit a Decembri anni 1633 ad menses omnino quinque. Plurima admota medicamenta, irrito labore. Tandem feria secunda Paschæ, die 17 Aprilis, placuit horis XL assiduas fieri preces, quibus divina bonitas ad succurrendum infirmæ, eoque modo manifestandam sancti fundatoris gloriam flecteretur : sumptaque ab omnibus eum in finem sacra eucharistia, Gabrielæ restituta divinitus sanitas est : idque omnium earum, medicique suprascripti testimonio confirmatur.

46. Joannæ Moussiæ Ursanensi religiosæ sinistram manum tetrum carcinoma, nucis magnitudine, mensibus aliquot excruciarat. Implorata identidem B. Roberti ope, nulla præteorea adhibita medicina, festo Omnium Sanctorum, anni 1634 resedit malum, omniumque evanuit. Testata id ipsa, ac medicus.

47. Anno 1635, Caudenaci in Borbonio, Henricum Assium acuta febris pene ad extrema deduxerat ; frustra erat ars omnis medicorum : matris Margaritæ Lassaigniæ animum subit recordatio miraculorum quæ fieri B. Roberti meritis dicerentur : votum ei nuncupat ; momento remittit febris, reditque puero salus.

48. Concludam hoc caput verbis hisce, quæ in *Gloria B. Roberti*, pag. 49, leguntur : « Quam multi vero variis morbis liberati, servi Dei invocatione, aut aliquo ad ejus sepulcrum exhibito cultu, vel hausta fontis aqua, cui nomen a S. Roberto, videre est in informatione facta anno 1644, mense Junio, monasterio Fontis Ebraldi, auctoritate illustriss. et reverendiss. domini episcopi Pictavensis. Et quoniam jam apud sanctam sedem apostolicam urgetur ejus canonizatio, pergit Deus mirabilibus signis servi sui prodere sanctitatem. »

§ VI. *Refutatur epistola sub nomine Goffridi Vindocinensis abbatis contra B. Robertum conficta.*

49. Priusquam B. Roberti Vitam, a duobus coævis scriptoribus editam, proferamus, maculam unam, quæ posset universa, et quæ jam memorata sunt a nobis, et quæ in Vita memorabuntur, illius

decora offuscare, sentio hic obiter detergi oportere. A
Ea aspersa est ex probrosa epistola, quæ in libro IV Epistolarum Goffridi Vindocinensis abbatis numero quadragesima septima exstat, hoc titulo : « Goffridus Vindocinensis monasterii humilis servus, suo in Christo multum dilecto fratri, servare modum discretionis, et terminis, quos patres posuerunt, esse contentum. » In ipso deinde contextu epistolæ : « In nullo agere, præter id quod est agendum, est angelica perfectio; quam habere minime potest, quandiu hic sumus, nostra conditio. Dum igitur non habemus perfectionem angeli, nullatenus habeamus præsumptionem diaboli. Hæc idcirco, venerabilis frater, proposuimus, quia te talia egisse, et adhuc agere, fama discurrente sinistra audivimus, quæ si vera sunt, ut nulla excusatione illa defendas, sed cum omni festinatione corrigas, tuam simplicitatem B germanæ charitatis visceribus commonemus. Audivimus enim, quoniam circa sexum femineum, quem regendum cepisti, duobus modis, altero alteri prorsus contrario, te ita sollicitum reddis, quod modo in utroque modum discretionis penitus excedis. Feminarum quasdam (ut dicitur) nimis familiariter tecum habitare permittis : quibus privata verba sæpius loqueris, et cum ipsis etiam, et inter ipsas noctu frequenter cubare non erubescis. Hinc tibi videris, ut asseris, Domini Salvatoris digne bajulare crucem, cum exstinguere conaris male accensum carnis ardorem. Hoc si modo agis, vel aliquando egisti, novum et inauditum, sed infructuosum genus martyrii invenisti. »

50. Ac quibusdam in eamdem sententiam interjectis, hæc adduntur : « Tu quidem in mundo quasi C montem excelsum ascendisti : ac per hoc in te linguas et oculos hominum convertisti. Ergo stans in monte vide ne corruas; nec per martyrium martyribus sanctis penitus ignotum, religiosæ vitæ principio notam infamiæ derelinquas. Nulla etiam tua actione mundo, qui pene totus te sequitur; suscites scandalum. Nam fieret tibi damnatio gravior, ruina plurimorum. Mulierum quibusdam, sicut fama sparsit, et nos ante diximus, sæpe privatim loqueris, et earum accubitu novo quodam martyrii genere cruciaris. Illis siquidem te semper sermone jucundum ostendis, et alacrem actione, omneque genus humanitatis exhibes, nulla servata parcitate. Aliis vero, si quando cum ipsis loqueris, semper locutione D nimis durus appares, nimis districtus correctione : illas etiam fame et siti ac nuditate crucias, omni relicta pietate, » etc. Ac tandem epistolam ita scriptor concludit : « Vale, et nos tuarum sanctarum precum, suppliciter precamur, participes effice. »

1. Ea omni tempore dæmonis vafrities fuit ut quos videret viros præstantes virtute ac scientia, ad aliorum simul procurandam salutem incumbere; neque ullis ipsius circumvenire fraudibus, revocarique a proposito colendæ et aliis inculcandæ pietatis posse, iis infamiam aliquam inurere conaretur, doctrina eorum aut moribus in suspicionem adductis: ita futurum ratus, ut si quæ erroris aut etiam ignorantiæ opinio, si quæ cupiditatis, si quæ libidinis, aut certe levitatis, excitata foret, continuo spernerentur, vitarentur, et quæ antea seminarant salutaria consilia abjicerentur. Nihil opus est id exemplis confirmare, quando Christum ipsum, sapientiam æternam, omnis sanctimoniæ auctorem, nefarii homines vinolentum esse ac blasphemum, et dæmonum opera ad facienda miracula uti jactarunt.

52. Præcipue tamen si quis feminis ad sanctiorem vitam informandis operam navare cœperit, infamia eum turpitudinis alicujus notare satagunt dæmonis hoc in negotio administri. Nam cum sunt feminæ natura magis verecundæ ac timidæ, illico, si quid tale audierint, verebuntur ne subdolis sermonibus vel pudori suo sensim labes inferatur, vel honestati certe nominis probrum consciscatur. S. Hieronymus summus ille et castissimus doctor, quod quibusdam matronis ac virginibus Romanis, quarum erat eximia in studio pietatis sedulitas, sacras Scripturas exponeret, traductus est a multis ut homo parum pudicus, præcipue cum eæ luxui pompisque sæculi nuntium remissent. Testatur ipse et refellit invidorum hoc in genere calumnias epist. 99, ad Assellam, ubi hæc inter alia scribit : « Pene certe triennium cum eis vixi. Multa me virginum crebro turba circumdedit. Divinos libros, ut potui, sæpe multis disserui : lectio assiduitatem, assiduitas familiaritatem, familiaritas fiduciam fecerat. Dicant quid unquam in me aliter senserint, quam Christianum decebat. Pecuniam cujusquam accepi ? munera vel parva vel magna non sprevi? in manu mea æs alicujus insonuit? obliquus sermo, oculus petulans fuit? Nihil mihi aliud objicitur, nisi sexus meus : et hoc numquam objicitur, nisi cum Hierosolymam Paula et Melania proficiscuntur. » Ac paulo post : « Antequam domum S. Paulæ nossem, totius in me Urbis studia consonabant : omnium pene judicio dignus summo sacerdotio decernebar. Beatæ memoriæ Damasus meus sermo erat; dicebar sanctus, dicebar humilis et disertus. Nunquid domum alicujus lascivioris ingressus sum? Nunquid me vestes sericæ, nitentes gemmæ, picta facies, auri rapuit ambitio : Nulla fuit alia Romæ matronarum, quæ meam posset edomare mentem, nisi lugens atque jejunans, squallens sordibus, fletibus pene cæcata, quam continuis noctibus misericordiam Domini deprecantem sol sæpe deprehendit? Cujus canticum psalmi, sermo Evangelium, deliciæ continentia, vita jejunium ? Nulla me potuit alia delectare, nisi illa, quam manducantem nunquam vidi ? Sed postquam eam pro merito castitatis venerari, colere, suscipere cœpi, omnes me illico deseruere virtutes ? O invidia primum mordax tui ! o Satanæ calliditas semper sancta persequens ! » Plura adjicit in eumdem sensum.

53. Si cujus autem ejusmodi mystagogi ita pu-

blice probata est virtus, ut nulla in eum flagitii cadere suspicio possit aliquid comminiscuntur improbi homines, quo notam illi aliquam saltem temeritatis, nimiæque sui fiduciæ, impingant. Notus ille in nostris annalibus religiosissimi ordniis professor, qui cum parum æquo in nostros homines esset animo, nec ferret totius populi sermonibus eorum celebrari integritatem, et circumspectam cum omni ordine et sexu conversandi rationem, sparsit in vulgus, eos peregrinæ cujusdam herbæ præsidio libidinis motum reprimere. Atrocior fuit, quæ in sanctissimum virum Robertum de Arbrissello, conjecta calumnia est, vel dissipatis per ora hominum sinistris rumoribus, vel conficta, sub Goffridi viri gravissimi nomine, quam diximus, epistola. Ait hujus auctor epistolæ, se ea quæ scribit, « fama discurrente sinistra audivisse. » Qui vero potuit ea *dircurrere fama*, cum ita arcte ab aspectu, etiam religiosorum ejusdem instituti, arceantur sanctimoniales, ut ne quidem abbatissa, decana, priorissa, si morbo correpta confiteri velit, ad lectum accersere sacerdotem possit; sed his verbis in constitutionibus præscriptum sit, apud Nicquetum l. III, c. 12, ut, quæ cunque illa sit, « ad capellam transportata, ibi confiteatur et communicetur, et communicata, egresso sacerdote, ad lectum reportetur. » Quid ergo ad eas sit conclusas accedere Robertus, vel ipsæ ad eum poterant? aut cui credibile sit, qui tanta cura earum consulere voluerit pudoris securitati, ipsum cum iis etiam nocte versatum esse?

54. Si porro ea late fama manarat, ut usque in Caruutes ad Goffridum pertingeret, quomodo non ad Pictavensem episcopum vicinum pervenit, effecitque ne Robertum ita luculente apud pontificem commendaret, aut etiam in sua diœcesi tolcraret? Quomodo non ea dein fama alio quopiam modo aulam pontificis afflavit, ubi raro ignorantur res eæ quæ de viris ecclesiasticis, præsertim non longe summotis, censura dignæ narrantur? At non illi tanto favore Robertum essent prosecuti, non tam amplis privilegiis ordinem ornassent, si quid simile ipsis vel leviter suboluisset. Non tanto numero huic se ordini addixissent honestissimæ matronæ ac virgines, si quid tale accidisse cuiquam audissent: non ei adhærere tot viri pii voluissent, si se sensissent ejus exemplo in tales conjici illecebras. Quid sancti ejus sodales Bernardus et Vitalis? Ei præcipue feminas erudiendas tradidissent, velut peculiari ad eam rem industria divinitus dotato, si tantæ impudentiæ, vel impudentiæ potius, obnoxivm essent suspicati? aut non ad illos quoque fama eadem pervenisset, atque e suis eos monasteriis excivisset, ut illi in faciem resisterent? Vere enim reprehensibilis fuisset, si tale quid tentasset. Spiritus pietatis ac timoris Dei qua ratione accendi foverique poterat in mulierum animis, quas plurimas e peccatorum cæno extraxerat, si non quam longissime eas omni abstinebat ejusmodi delinimento? Facessant igitur filii Belial, si qui, etiam per jocum, de viro sanctissimo tale quidpiam dixerunt. Nec reor quemquan disciplinæ adeo rudem, qui ista viro pio ac sapienti venire in animum potuisse existimet.

55. Quid ergo Goffridus, cur tanto pondere verborum amicum reprehendit, si non credidit? Cur non potius scripsit, se proborum ejusmodi inaudisse, sed credere non potuisse? Non inficior, viros quosdam zelo vehementi præditos, etiam alioqui doctos, nonnunquam quæ conficta sunt in pios homines crimina, etiamsi ab uno illa alterove solum audierint, iis fidem tribuere; aut saltem quia metuunt ne vera sint, gravius iis auditis commoveri. Possem, nisi reverentia, quam debemus religiosæ antiquitati, vetaret, proferre nonullos, qui vel unius relatione etiam falsa, vel temere exaggerata, violentum in quosdam stylum contorsere. An hic etiam scriptor humani aliquid passus, petulantis alicujus hominis dicterium, « famam discurentem » vocavit. Asperior certe nonnullis visus.

56. Dicam plane quod sentio. Non est ea a Goffrido scripta epistola nec tempus facile ostendit quispiam, quo scribit ab eo potuerit, aut a Roberto ansa, ut scriberetur præberi. Tempore Urbani II ita Roberti facundia cum summa pietate conjuncta, secundis hominum sermonibus celebrabatur, ut eum ad se idem pontifex accersierit, concionari coram se Andegavis ad infinitam prope multitudinem hominum juserit, ac deinde apostolicum prædicatorem constituerit, sive, ut Baldricus ait, « secundum a se Dei seminiverbium. » Non ego adhuc sinistra illa de Roberto fama Goffridum afflarat: alioquin pro summa sua cum pontifice familiaritate admonuisset, ne tanta auctoritate hominem amaret, cujus in publicum ita periculosa esset conversatio. Et qui poterat, id tunc ad eum, ab eo ad pontificem deferri crimen, cum necdum ullæ feminæ Robertum consectarentur, ac ne proximis quidem post annis, quando abbatiam instituit et rexit Rotensem canonicorum regularium?

57. Habitum tempore Paschalis II an. 1100, uti antea diximus, concilium Pictavense: « Nec multo post (ut ad epist. 32, l. IV ejusdem Goffridi, notat Sirmondus noster ex Chronico Turonensi) abbatia Fontis Ebraldi in Pictavensi diœcesi fabricatur. » Eo nimirum tempore, dices, id, si non gestum a Roberto, sparsum certe est, et Goffrido relatum; cum necdum sanctimoniales ita essent arcte conclusæ. At non erat, quod tunc ad Robertum scribere Goffridus, qui ipse frequens erat in Fonte Ebraldi, etiam priusquam ita claustro includerendur sanctimoniales, ab aspectibus virorum penitus summotæ. Testatur id ipsemet eodem lib. IV, epist. 32. « Quod vobiscum, inquit, in Paschate non fui, nostri corporis infirmitas causa exstitit. Gibbus enim mihi crevit in dorso, unde me secari oportuit. Et quamvis inter manus et lacrymosas voces dilectarum Deo sanctimonalium de Fonte Ebraldi, rasorio scribente in notra carne suas litteras, corpus nostrum infirmitate pariter et vulnere non mediocriter fatiga-

tum teneretur, nec infirmitas, nec secantis crudelitas, nec statim impositi salis asperitas, ut vos vel ad momentum obliviscerer, facere potuit. » Tam familiaris erat in Fonte Ebraldi Goffridus, ut illic resecari sibi gibbum vellet, sub ipsa monasterii, ut reor, exordia, cum ei ministerium impendisse sanctimoniales dicantur, quas et « Deo dilectas » appellat. Cur non tunc Deo quoque dilectum Robertum monebat, si quid de illo, quale dicitur, inaudierat? Cur necesse erat tam acrem epistolam mittere, atque ut posteritati quoque innotesceret, in adversariis eam asservare? Idem l. I, epist. 24, venisse se ad Fontem Ebraldi scribit, ut cum episcopo Pictavensi colloqueretur. Epistola deinde 26 ait se « ultra Fontem Ebraldi progredi secure non posse. » Ergo ille frequens ac familiaris erat, non sanctimonialibus magis quam Roberto.

58. Neque videri cuiquam potest, posteaquam ordo jam fundatus, suisque legibus formatus erat, scripta epistola : qui enim cum Roberto et sanctimonialibus idem Goffridus sanctissimam inire tunc societatem voluisset, cum potius tum illum, tum istas, propter tantam temeritatem violatumque si non pudorem, pudoris certe nitorem, aversari debuisset? Habetur autem ea societas in Chartulario Majoris Monasterii Fontis Ebraldi, charta 27, hac formula : « Notum facimus ita futuris sicut præsentibus, quod domnus Goffridus abbas Vindocinensis, ante omnes et supra omnes abbates, hujus loci qui Fons Ebraudi dicitur, familiaritatem habet et beneficium : et cum ipse obierit, per singulos annos ipsi solemniter celebrabimus anniversarium. De fratribus autem Vindocinensis monasterii, de quibus breve habuerimus, tantum faciemus quantum pro nobismetipsis. Ipse vero domnus abbas partem telonei, quam apud S. Florentium habebat de sale, nostro monasterio donavit in perpetuum et habendam concessit. Facta sunt hæc in capitulo Fontis Ebraldi, præsentibus domno Goffridi abbate Vindocinensi et domno Roberto magistro nostro, anno 1114, indict. VII. »

59. Satisne jam manifestum non potuisse eam vel famam spargi de Roberto, vel ep. scribi a Goffrido? Ac ne in monasterio quidem Vindocinensi, in codice mss. opusculorum et epistolarum Goffridi, ipsiusmet loci abbatis, ea exstat ep., quod testati sunt ac propria manu subscripserunt, prior ac subprior ejusdem abbatiæ, rogante excellentiss. et reverendissima Joanna Baptista de Borbonio, Majoris Monasterii totiusque ordinis Fontebraldensis, ut ante diximus, generali abbatissa; servaturque in archivo ejusdem monasterii. Cum vero hic agatur de insigni calumnia quæ impingitur sanctissimo fundatori, imo et toti ordini, mirati sunt multi P. Jacobum Sirmondum nostrum, cum Goffridi ep. aliaque opuscula edidit, e duobus mss. codicibus uno monasterii Cenomanensis S. Petri de Cultura, altero cœnobii Vindocinensis, non saltem adnotasse, in hoc eam epistolam non haberi : unde minimum suboriri lectori dubium posset, eam vere Goffridi non esse. Fatetur id quidem, se in editione epistolarum Goffridi præcipue secutum esse codicem Cenomanensem, quod in Vindocinensi non omnes exstarent. At nos hinc conjicimus, eum qui Cenomanensem codicem primus conscripsit, unique collectas, quæ Goffridi esse viderentur, epistolas etiamque istam, quæ nomen ejus præferret, in unum volumen redegisse. Ipsum quoque Jacobum Sirmondum certo auctore didici (non enim mihi cum viveret, quamvis frequens inter nos et familiare erat commercium litterarum non tamen mihi tunc venit in mentem uti eum de illa Goffridi epistola interrogarem), sed ab alio viro sincero et gravi e nostris accepi, omnino postea indicasse eam epistolam Goffridi germanum fetum non esse, re maturius considerata, perpensaque Petri Abælardi, quam mox citabimus, epistola; ac deliberasse, si Goffridi opuscula denuo prælo mandaret, eam epistolam expungere.

60. Quis ergo tandem epistolæ auctor? Suspicari liceret, cum in concilio Pictavensi anno 1100 ita fortiter pro auctoritate sedis apostolicæ stetisset Robertus, aliquem e Philippi regis subditis ideo illi iratum, hoc in eum sub Guilielmi ducis imperio in Aquitania degentem, virulentum scriptum contorsisse : aut e sacro ordine non neminem invidentiæ œstro percitum, quod, ut in ipsa epistola dicitur, totus mundus post eum abiret, hunc architectatum esse calumniam. Certe enim etiam in pluribus cœnobiis, ut loco antea citato queritur Jacobus de Vitriaco, restincta pietas, solutaque disciplina erat : sæculares vero sacerdotes in Britannia, ut ex Baldrico colligitur, atque in Northmannia, ut Gaufridus in Vita B. Bernardi scribit (forsan et alibi), status sui dignitatem fœdissimis vitiis inquinabant : ideoque in Bernardi necem conspirarunt Northmanni presbyteri, ac « presbyterorum (nam ita vocat) uxores. » Potuit ergo quispiam ex eo genere hominum hanc in Robertum, nimium moribus suis dissimilem, excogitare calumniam.

61. Sed (quod et Sirmondus sensit) verum ejus auctorem indicare mihi videtur Petrus Abælardus epist. 21, ad G. Parisiensem episcopum, videlicet Rozelinum, sive Roscelinum, qui in concilio Suessionensi anno 1140 damnatus, scripta sua coactus est igni tradere. De eo in citata epistola Abælardi inter alia : « Deo gratias refero.... quod numero bonorum hominum jam esse videor, ex ejus infestatione quem solis bonis semper constat esse infestum, cujus tam vita quam disciplina omnibus est manifesta. Hic contra egregium illum præconem Christi Robertum Arbrosello CONTUMACEM ausus est EPISTOLAM CONFINGERE : et contra illum magnificum Ecclesiæ doctorem Anselmum Cantuariensem episcopum adeo per contumelias exarsit ut ad regis Anglici imperium ab Anglia turpiter impudens ejus contumacia sit ejecta, et vix tum cum vita evaserit. Vult enim infamiæ suæ habere participem, ut per infa-

miam bonorum suam consoletur infamiam : nec nisi bonum odit, qui bonus esse non sustinet. » Hæc Abælardus, aliaque contra scelesti hominis fraudes ac fallacias, illud præcipue expendendum, quod « epistolam confictam » scribat : quia non quocunque modo ea composita sycophantia est, sed epistolæ forma et quia sub alieno nomine merito « conficta » dicitur, non simpliciter scripta : ac fortassis neque Roberto superstite, neque ipse Goffrido, qui decessit anno 1129, sed postea, ut utriusque nomini macula inureretur, quæ in contemptum totius ord. ac publicæ pietatis detrimentum redundaret; nisi flagitiosi hominis mature retecta ac supressa fuisset fallacia : quam Abælardus merito « contumacem epistolam » vocat, quod cum omnium sermonibus ord. innocentia, fundatorisque sanctitas celebraretur, obstinatione quadam malitiæ, utrique impudenter obtrectaret.

VITA B. ROBERTI DE ARBRISSELLO

AUCTORE BALDRICO EPISCOPO DOLENSI.

(Ex veteribus mss. Fontis Ebraldi edita Flexiæ an 1641 et 1647.)

PROLOGUS AUCTORIS.

Baldricus, Dei gratia Dolensium sacerdos, licet indignus, ancillæ Christi Petronillæ (1), venerabili monasterii Fontevraldensis abbatissæ, omnibusque ejusdem cœnobii sanctimonialibus sub ejus regimine, salutem.

1. Nequaquam sine (2) te, imo ad erudiendum te, quæ sponsa Dei es, hujusmodi dictum opinor : *Audi, filia*, et *vide* (*Ps.* XLIV, 12), etc. Audisti siquidem, et re vera audisti vocem illius annuntiantis : *Egredere de terra et de cognatione tua* (*Gen.* XII, 1). Egressa es de quibuslibet penatibus tuis, lares paternos aufugisti, seductorias carnis illecebras, quæ tibi blandiebantur, abhorruisti, et ad Fontem Euraldi venisti, ubi fontem uberem, fontem prædicationis, fontem religionis invenisti, et hausisti, dominum videlicet Robertum, nostris temporibus singularem seminiverbum (3), doctorem illustrem et eximium, verbis et operibus admirandum, virum extollendum et imitandum. Hic aliquando sorores inter demorata, et in sancta conversatione erudita, populum tuum et domum patris tui oblita prævio Spiritu sancto, domino cooperante Roberto, in abbatissam promota es, quamvis thalamorum inquietudini prius deservisses. Sanctæ siquidem Ecclesiæ necessitas et utilitas institutiones humanas, nec immerito, frequenter obnubilant. Inaltavit (4) igitur Deus id solium excelsum te, et genti suæ, Paschali papa collaudante (5), præfecit te. Tali nempe (6) gens illa, gens mendica, gens pupilla, indigebat matre. Tali, inquam, mulieres, accepta pro Deo duntaxat paupertate, sustentendæ erant procuratrice. Tu autem bene feceris, si te totam in earum procurationem extenderis; si te oneri suscepto, tanquam jumentum immolaveris, si te, velut omnium infimam autumaveris.

2. Prædictus siquidem Robertus viam patrum nostrum ingressus est, et, ut creditur, exuta mortalitate, immortalitatis stolam a Deo laureatus adeptus est. Quid autem in hujus recordatione potissimum sit flere, an gaudere, difficulter discerni potest, cum flere pro absentia charissimi nostri nos cogat humanitas ; et quia pro nobis intercessurus ad aulam Dei nostri evolavit Robertus noster, nos gaudere jubeat securitas. Quia vero nondum alterum horum præcipue faciendum novimus, ad utrumque interim nos extendamus, et in utroque ad hoc usque nos exerceamus, donec de lacrymarum convalle pedetentim eruamur. Defleat igitur et defluat oculus noster, quoniam bonus facundusque doctor et amicus Dei a nobis recessit. Lætetur cor nostrum, quia Robertus noster ab hujus mundi cœnulento exsilio ad incolatum nobis destinatum nos præcessit. Istius conversationem, quoad in terris vixit, quam longe a communi hominum conversatione remota fuit, Mater charissima, parvitati nostræ describendam præcepisti, quatenus litterarum tenori mandaretur, quo utilitati humanæ fragilitatis olim quoquo modo consuleretur. Vestigia siquidem Patrum si scripta repe-

(1) De hac fuse agit Nicquetus l. IV Historiæ Fontebraldensis, cap. 2, censetque antea nuptam fuisse alicui ex antiqua et illustri familia *de Chemiliaco*, sive *Camilliaco*, vulgo *de Chemille*.

(2) Cosnieri editio, *sine re*.

(3) Ita utraque editio : alias *seminiverbium*.

(4) Aliud ms., ut nos olim monuit Cosnierus, *exaltavit*.

(5) Diplomate dato VII Kal. Maii, indict. XIII, anno 1106. Is pontifex creatus 12 Aug. 1099, obiit 22 Jan. 1118.

(6) Cosnieri editio, *maxime*.

rimus, multo libentius imitamur, quos pro nobis supplicantibus intercessores confidimus. Virgilianum, seu Tullianum stylum hoc nimirum opus expeteret. Sarcinam grandem, et gravem imbecillitati nostræ, domina Petronilla, imposuisti; cum me et multa mundi fluctivagi inquietet procella (7), et maxime minoris Britanniæ, in qua cum scorpionibus habito, bestialis, geminaque circumvallaverit ferocitas. Denique quomodo coloratam legem scribendi tenebit, quem nulla Sallustianæ situlæ stilla unquam roravit? Rogo, quo ausu temerario, quo ore hiulco Robertum virum sanctum et justum nominabo, multiplici superonustus peccato? Ad ultimum quid dicam? Schedulas mihi quasdam dedisti, quæ prope nihil de domino Roberto continebant, præterquam quod ipsum de Britannis nostris oriundum referebant.

3. Tamen cum recordor quod Deus etiam immeritis suam præstat gratiam me audisse; et bruto animali, asellæ videlicet, humanæ linguæ officium opificem summum ad horam præstitisse recolo me legisse; non ambigo quin ille qui linguas infantium facit disertas, illam mibi (8), non pro meis, sed pro sæpe nominandi Roberti meritis inspiret facundiam, qui, et si voluerit, per plumbeam fistulam meam aquam limpidissimam ætati successuræ profuturam diffundat. Attentabo igitur, sorores sanctissimæ, vestris orationibus, quibus me specialiter commendo, coadjutus, de magistro nostro, pro quo continuo suspiratis, modicum quid dicere, sed vereor, ne errabundus viator in via deficiam. Quo in studio si quid bene dixero, dono Dei, quæso, deputate; si secus, quod pertimesco, vel ætati nostræ decrepitæ, vel manui tremulæ, vel meæ socordiæ, seu conversationi meæ in peccatis inveteratæ tandem imputate. Mementote tamen omnes homines, præter unum, peccatis obnoxios vixisse. Valete.

CAPUT PRIMUM

B. Roberti ortus, studia, archipresbyteratus, publica scientiarum professio, pœnitentiæ.

4. Gratias agamus Domino Deo nostro, qui huc usque non destitit visitare nos, tanquam sol matutinus *oriens ex alto* (*Luc.* I). Nec mirum, cum id ipsum Veritas prædixerit, cum id ipsum ipse Jesus in hæc verba taliter promiserit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Si autem nobiscum Deus est, quomodo Emmanuel, quomodo omnium opifex et A rector inter nos otiosus esset? Quomodo dies sine luce? quomodo ignis absque calore? eritne glacies absque gelu, sol absque splendore? Et quoniam nunquam et nusquam Deus esse potest otiosus; diebus tamen nostris coram nobis operatus est manifestius, dum venerabilem Robertum de Arbrissello mundo dedit speculum, suffocatorem vitiorum, propagatorem et educatorem virtutum, omnium desolatarum et erronearum personarum solamen et præambulum. Iste siquidem Robertus solis orientalis radius, lucifer irreverberatus, prædicator potestativus, occidentalem orbis plagam irradiavit, et ignorantiæ tenebras ore potestativo defuscavit.

5. Hujus admirabilem inter mortales conversationem ego Baldricus Dolensium metropolitanus B (9), licet indignus, sanctimonialium Fontebraldensium voluntatibus acquiescens, stylo, quamvis impolito, mandandam promulgandamque suscepi, quatenus sæculis futuris exemplorum illius odor redoleat, et scholæ Christianæ doctrina ejus proficiat. Pluris enim quælibet rerum gestarum historia materies erit quam lectionis series commendabit. Supersunt plurima de Roberto, calamo celebriori referenda, quibus mea multum obest imperitia; obest etiam, quæ ingenium meum obtundit, ætas annosa, et in oblivionem versa senectus æmula. Non igitur doctrinæ litteratoriæ suffultus adminiculis hoc opus aggredior, quoniam duntaxat in Domino confido. Sanctus igitur Spiritus obeditioni meæ adminiculetur, et domini Roberti mihi sanctitudo suffragetur. Amen.

C 6. De venerabili responsurus Roberto, Spiritum sanctum suggestorem veritatis imploro, quatenus quæ huic rei digna sunt subministret, sine cujus adjutorio ipsa dialecticorum loquacitas muta est, ipsa philosophorum excogitatio obtusa est. Ut igitur ipsius historiæ fundamentum altius revolvamus, qua patria, quibus parentibus processerit, et quibus temporibus effloruerit, succincte tractemus, ut de singulis veritati testimonium perhibeamus. Non enim aberrare videbimur, si de ipsius origine primitus disceptemus.

7. Fuit igitur beatus, de quo loqui disposuimus, Robertus, Christianæ professionis cohæres et filius, et Britanniæ minoris alumnus, quam provinciam decoravit sacerdos, ex pago Rhedonensi (10) oriundus, D villæ, quæ vulgo Arbrissellum (11) nunc upatur, indigena et colonus. Pater autem ipsius Damaliochus,

(7) Al. *turbella*, inquit idem.
(8) Al. *etiam et mihi*, ait idem.
(9) Hunc sibi titulum olim Dolenses in Armorica episcopi vindicarunt, contradicentibus Turonensibus archiepiscopis; multa a variis de utrorumque jure scripta. Dolenses, teste Claudio Roberto, adhuc cruce utuntur prævia in sua diœcesi.
(10) De hoc nomine actum supra § 2.
(11) Joannes Baptista Souchetus in observationibus ad c. 11, Vitæ B. Bernardi de Tironio, Cosnierum reprehendit, quod hic verba aliqua expunxerit, ac deinceps multa mala fide præsciderit. Visus est mihi Cosnierus vir perquam sincerus, tum in litteris ad me datis, tum in ipsa B. Roberti Vita, cui ad marginem ex aliis codicibus Fontis Ebraldi variantes lectiones, satis quandoque minutas, addidit, et in exemplari ad nos misso sua manu alias postea observatas, adnotavit. Souchetus vero nullum citat codicem, ex quo eum convincere possit. Citat quidem paulo ante apographum ex codice Rotensi, cujus olim sibi Joannes Picardus copiam fecerit, ubi pro *Abrisselo*, legebatur *Abrincello*, quod tamen ipse non sequitur. An ex eodem hauserit quod Cosniero objicit, minime indicat. Et vero si id assereret, quæ-

mater vero Orguendis (12) nominabatur. Ipse denique Robertus ab ipsa pueritia, maturis moribus inolescere cœpit; nec enim, ut assolet, juvenis ætatis illius sequebatur lasciviam; sed nitidam, prout poterat, amplexabatur castimoniam, et intrinsecus diligebat munditiem. Fugientes litteras per orbem persequi videbatur, quoniam ab annis infantilibus, litterarum studiis, quas assequi non poterat, fuerat deputatus. Perambulabat regiones et provincias irrequietus, et in litterarum studiis non poterat non esse sollicitus. Et quoniam Francia tum florebat in scholaribus emolumentis copiosior, fines paternos, tanquam exsul et fugitivus, exivit, Franciam adiit, et urbem, quæ Parisius (13) dicitur, intravit, litterarum disciplinam, quam unice sibi postulaverat, pro voto commodam reperit, ibique assiduus lector insidere cœpit. Illis exercitiis totus desudabat, nec ob id conversationis approbatæ observantiam prætermittebat. Inter conscholares quamdam modificatæ severitatis majestatem prætendebat, et quod de se futurum erat, id quibusdam indiciis evidenter significabat. Tunc temporis rex Philippus (14), regis Henrici filius, Francorum colonias regebat, et Gregorius septimus (15) urbis Romæ papatum tenebat. Hæc idcirco diximus, ut quibus temporibus Robertus excreverit et studuerit, patenter insinuaverimus. Reddebat etenim scholasticis, quod scholasticorum erat, nec propterea se Dei servitio minus coaptabat. Auspicabantur de eo jam aliquid, qui eum noverant, quoniam intuebantur in eo magnum quiddam.

8. Urbs interea Redonis (16) suo destituta patrono (17), ad Deum reconversa, præmissis precibus, Silvestrum (18) quemdam elegit in episcopum, quem

A et morum sinceritas, suaque commendabat nobilitas: qui, prout erat sanguine generosus, generosior erat et meritis, et licet non multum litteratus, litteratos tamen inhianter complexabatur. Spiritualis siquidem in eo vigebat disciplina, ut quod ei sanguis et caro non inspiraverant, divina ei luculenter distillaret doctrina. Convocabat igitur aliunde, si quos poterat, litteratos; quod hominum genus Britannia tunc habebat rarissimum. Relatum est sciscitanti de Roberto, et de ejus severitate et studio, et dixerunt: « De quo loquimur, Robertus, domine, tuus naturalis est, nam et Redonensis est tuisque institutionibus satis accommodus; liberalibus siquidem disciplinis apprime eruditus est, corpore vegetus, et morum honestate compositus. » Evectione

B præparata venerandus pontifex dirigit Parisius, et accersitum taliter alloquitur: « Vides, inquit, frater charissime, quomodo sancta Redonensis Ecclesia mater tua sine regimine vacillat, hoc præsertim tempore, cum me pene laicum ei contigerit præesse, Esto igitur, quæso, in responsis ecclesiasticis noster interpres, audiam te, et loqueris in me. Poteris procul dubio Dei populo prodesse, si zelum Dei habens, volueris nobiscum aliquantulum militare. »

9. Annuit Robertus loquentis obsecrationibus, et jam sollicite occupabatur ecclesiasticis occupationibus et necessitatibus. In omnibus agendis Deum ante oculos habebat, in nullo desidiosus erat, turpis lucri a se cupiditatem extricabat, et in singulis legaliter sibimet imperabat. Episcopo suo per omnia fideliter patrocinabatur; nam et ejus patrocinium episcopus,

C licet patronus, non dedignabatur. Quatuor igitur annis apud episcopum ita demoratus archipresbyter (19), pacem inter discordes reformando, Eccle-

ri posset sitne is codex pluribus Fontebraldensibus præferendus, nisi ipsos allegaret codices Fontis Ebraldi, aut plerosque, aut antiquissimos optimæque notæ. Id tamen, quod hic omissum a Cosniero queritur, nihil de sanctitate Roberti derogat, sed solum ad natales ejus pertinet.

(12) Nicqueto est *Orghemdis* vel *Oruandis* lib. I, c. 3, ubi ista citat ex Necrologio, sive, ut ibi quidem scribit, Martyrologio Fontis Ebraldi: « Migravit Oruandis, mater domini Roberti, Patris nostri III Non. Febr. » Addit fratrem ei fuisse Fulcodium, seu Fulcocium, de quo quidem Martyrologium: « Obiit Fulchodius, frater domini Roberti Patris nostri, XVI Kalend. Febr. »

(13) Ita passim medii ævi scriptores. Vulgo *Parisios* vocamus, numero multitudinis. Gentis tamen hoc nomen fuit, sed metropoli, quæ olim Lutetia dicebatur, adhæsit. Ita, quod alibi sæpe monuimus, Samarobriva, aut rectius Samarobriga Ambianorum, nunc Ambiani vel Ambianum appellatur: Nemetocenna Atrebatium populi caput, nunc Atrebatum, aliæque passim urbes.

(14) Philippus I Galliæ rex, Henrico I patri anno 1060 successit, obiitque anno demum 1108, mense Julio.

(15) Obiit S. Gregorius VII anno 1086, creatus 1076, colitur 25 Maii.

(16) Est civitas Redonum, sive Rhedonum, Gallice *Rennes* dicta, in meditullio ducatus Britanniæ Armoricæ, ut tradit Claudius Robertus, ad Vicenoniam sita amnem, qui et Vidiana quibusdam appellatus reperitur, vulgo nunc Vigeliana Papirio Masseno teste, Gallice *la Villaine*.

(17) Hic apud Claudium Robertum Mainus, vel Maino appellatur, vulgo *Meen*.

(18) Silvester de la Guerche nuncupatur ab Alberto Magno de Morlaix, diciturque arma contra Conanum Britanniæ ducem gessisse, atque ejus dein cancellarius exstitisse, anno 1071, episcopus creatus, mortuus 1095. Sed hoc non satis cum Vita convenit B. Roberti, qui mortuo Silvestro ivisse Andegavos dicitur, biennio delicatis pannis loricam, qua ad carnem induebatur, texisse, deinde in eremum secessisse, duro vestitu, etiam extrinsecus, abstinentiaque se macerasse, adventantes ad se turbas erudiisse, socios aggregasse, hisque commemoratis ista

D subnectuntur n. 14: « Contigit, in illis diebus, ut Romanus pontifex Urbanus secundus, urgente temporis necessitate, in Gallias devenerit, » etc. Atqui in Galliam venit Urbanus anno 1095, et quidem media æstate. Consequens ergo videtur Silvestrum aliquot annis prius obiisse, si quidem Baldricus cuncta, quo gesta sunt ordine, narrat. Et Claudius Robertus quidem in syllabo abbatiarum Galliæ, verbo *Rota*, scribit probatum ab Urbano II anno 1096, ut primus Rotæ abbas esset, quam erexerat, Reginaldo Credonii domino impensas ac possessiones ad fundationem conferente. Id porro non accidit ante secessum ad eremum, cum duos ipsos annos Andegavi esset commoratus.

(19) Nicquetus præterea officialem et vicarium episcopi ait fuisse.

sias ab infami laicorum ancillatu liberando, incestas sacerdotum et laicorum copulationes dirimendo, Simoniam penitus abhorrebat, omnibusque vitiis viriliter resistebat.

10. Elapso bis biennio reverendus pontifex gravi corporis tactus molestia hominem exuit, et, ut creditur, ad astra recessit, et Robertus inter orphanos orphanus solus remansit, solus, inquam, quia probis ejus actibus ipsi fratres invidebant, quorum invidentia jam ei odium pepererat. Decrevit igitur secum invidiæ cedere, et juxta Magistri sui vocem, de civitate in civitatem fugere (*Matth.* x, 23) : nolebat etenim cuilibet esse in scandalum, quod non ignorabat grande et grave piaculum. Venit igitur Andegavum, ibique scholaribus incubuit studiis (20) : nec propterea tepebat a religione, siquidem divinæ post lectionem assistebat philosophiæ ; vitabat otiosus esse, nunc orationi, nunc vero lectioni deditus. Destinans itaque carnis illecebris austerius dominari, subtus ad carnem indutus est loricam : qua veste duobus usus est annis, antequam ad eremum processerit. Ad eremum quippe postea processit, seque totum contemplationi dedicavit. In biennio autem, quo illa ferruginea veste carnem domabat, delicatis desuper tegebatur pannis, oculis et favori hominum se occultans, conspectui vero Dei se duntaxat manifestans. Favorales siquidem in omni vita sua despexit nugas, et quasi venenum, omne blandiloquium aspernatus est. Cibis interdum raris et vilibus utebatur, et interdum vigiliis occupabatur.

CAPUT II.

B. Roberti in eremo austera vita multi conversi, abbatiæ de Rota fundatio, apostolici concionatoris præclare obitum munus.

11. Dies affuit, quo ad erenum diu concupitam, ascisto sibi quodam presbytero, mundo renuntians, convolavit, divertit in silvam (21), hominum aspernatus collegium, factus contubernalis bestiarum. Ibi quantis inhumanitatibus in se totus sævierit, quot et quantis crucibus se ipse mactaverit, quam diris concussionibus sese extenuaverit, quis digne recenseat? Nam præter ea qua extrinseca videbantur, uti pilis porcorum cilicium induere, barbam, sine aqua radere, lectisternium præter unum vix nosse, vinum omnino cibosque lautos et saginatos nescire, somnum permoicum, naturali fragilitate compellente, raro capere; quidam intrinsecus in eo erat conflictus, quidam mentis rugitus, quidam penetralium singultus, quem autumare posses crudelem

A et impium cui nullum incidere poterat terminale remedium, quem multi susurrabant imbecillitati luteæ esse impossibilem et nimium. Litigabat enim ejulatu incomparabili cum Deo, et totum se vovebat pro sacrificio. Omnibus mitis et modestus, sibi soli tantum inimicabatur, obstinatus et iniquus.

12. Turbis adventantium (multæ siquidem turbæ visendi gratia ad eum adventabant) jucundus erat et alacer, affabilis et discretus, in ambiguis consultus, in responsis promptus. Redolebat in eo quodammodo odor divinæ facundiæ, nam rarus erat similis eloquentiæ. Unde factum est ut eo audito multi corda sua percuterent, suisque pravis conversationibus abrenuntiarent. Alii domum suam revertebantur, prædicationibus ejus meliorati, alii secum demorari

B cupiebant, ejusque famulatui deservire, et irremoti consodales ei adhærere rogitabant. Hujusmodi frequentias ultroneus aufugeret, et solus delitesceret, nisi propterea culpam metueret incurrere. Legerat enim : *Qui audit, dicat, veni* (*Apoc.* xxii, 17). Incumbebat igitur talentum sibi commissum distribuere, quod Dominus a nuptis veniens exigeret cum fœnore. Visum itaque est illi multos debere colligere, ipsisque dare manducare, ne forte deficerent in via, quidam enim ex iis de longinquo venerant, Vocate autem sunt collecti illi, regulares, qui more primitivæ Ecclesiæ vivere satagebant regulariter. Factum est igitur examen illud advolans de mundi lenocinio canonicorum congregatio (22). Præerat eis Robertus docens eos mellifico more apis prudentissimæ. Ædificarunt itaque commune domici-

C lium, et complexabantur diligenter monitoriis magisterium.

15. Contigit in illis diebus ut Romanus pontifex Urbanus secundus, urgente temporis necessitate, in Gallias devenerit, et ad Andegavos declinaverit. Audivit de Roberto ; non enim abscondi debebat tanta lucerna sub modio. Accersiri eum mandavit, ejusque colloquium desideranter cupivit. Celebrare ibi habuit solemne cujusdam ecclesiæ (23) dedicationem, ad quam confluxisse putares totam orbis amplitudinem. In tanto conventu Robertum loqui præcipit :

Et non insolitis mandat sermonibus uti.

14. Locutus est ergo luculenter ad populum : cujus verba valde domino papæ complacuerunt

D Intellexit etenim quod Spiritus sanctus os ejus aperuerit. Imperat denique, et injungit ei prædicadationis officium, et aliquantulum renitenti ei talis obedientiæ commendat ministerium. Secundum a se

(20) Tradunt Nicquetus l. i, c. 5, et Albertus Magnus de Morlaix, Marbodum archidiaconum Andegavensem, qui deinde Redonensis episcopus factus, scholas Andegavi, instar academiæ, erexisse. Vir doctus fuit Marbodus, scripsitque nonnullas sanctorum vitas, ut alibi diximus; suffectus demum Silvestro in Redonensem episcopatum.

(21) Saltum Credoniensem vocant : Gallice *la forêt de Craon*, a Credonio oppido provinciæ Andegavensis. Excisa tamen est magna pars illius silvæ.

(22) S. Mariæ de Rota, sive de Bosco, estque canonicorum regularium ordinis S. Augustini, de ejus fundatione jam dictum ad caput præcedens, not. 18. Nicquetus scribit distare Andegavo 15 leucis.

(23) S. Nicolai hæc ecclesia est apud Andegavos, ordinis S. Benedicti, ab Urbano II dedicata 10 Febr. anno 1095, ut scribunt Claudius Robertus et Nicquetus; hic l. i, c. 9, plures enumerat ecclesias ab eodem pontifice in Gallia dedicatas.

eum statuit Dei seminiverbum (24) : utque ubique A discurrat, adhortatur ad hujusmodi studium.

15. Hinc ex tunc summi pontificis legationi curiosus cœpit insistere, et finitorum episcopatuum regiones perambulare. Honorabatur ab omnibus, quoniam et honorandus erat, nam et gratia Dei evidenter cum illo ambulabat. Nec erat sermo illius sterilis, nec otiosus, quem commendabat laudabilis et verborum et operum comitatus. Quod prædicabat, complebat operibus, ne forte cum aliis prædicaret, nec operaretur, ipse statim reprobus haberetur. Adhærebat ei tanta convenarum multitudo ut pene canonicorum numerus reputaretur pro nimio. Mox enim numerus numerum excederet, si saltem partem decimam supplicantium canonicis aggregaret. Ipse tamen ampli pectoris, nulli deesse voluisset, B si fratrum voluntas et ordo permisisset. Cogitavit igitur ab eis discedere. Considerabat autem quomodo id absque eorum molestia posset implere. In præsentia pontificis Andegavensis (25) in cujus diœcesi morabantur canonici, ventum est, et juxta rei considerationem, et domini papæ jussionem, ex episcopi consilio, et ex clericorum permissione, Robertus libere discessit, ut liberius prædicationi vacaret, et expeditus quocunque et quibuscunque posset proficeret.

CAPUT III

B. Roberti prædicatio, conventus Fontis Ebraldi constructio, aliorumque; institutio ordinis, ac regimen.

16. Non sine communibus lacrymis avulsus a C canonicis regiones et provincias cœpit perambulare, et prius paucis associatus asseclis, per plateas et compita semen verbi Dei passim seminare. In modico, sexus utriusque plures adjuncti sunt ei, quia neminem, cui Deus aspirasset, audebat repellere. Ipse adhuc non habebat ubi caput reclinaret, nisi quem necessitas coegisset. Postquam a canonicis discesserat, noluerat adhuc locum quemlibet eligere, ut liber, et sine baculo, et sine pera, posset procedere. Videns autem subsequentium multitudinem dilatari, ne aliquid ageretur inconsulto, quoniam mulieres cum hominibus (26) oportebat habitare, ubi possent sine scandalorum scrupulositate conversari et vivere, deliberavit perquirere, et si quod desertum contigisset reperire. Locus erat incultus et squalidus, spinetis obsitus et vepribus, D ab antiquo (27) Fons Evraldi nuncupatus, ab hominum cohabitatione sequestratus, a Condatensi (28) autem cella quasi duobus distabat milliariis, diœcesi adjacens Pictavensi. Silvulam hanc, sive dumetum, in quo Dei nova familia et novus exercitus habitaret et laboraret, elegit, et dono a quibusdam possessoribus (29) accepit, et promiscuos Christianitatis tirones illuc induxit.

17. Fecerunt autem ibi pro tempore quædam tuguriola, quæ duntaxat eos tuerentur ab intempestiva aeris ingruentia. Oratorium etiam ibi quodlibet construxerant, in quo Deus invocatur, et hospitaretur in medio castrorum suorum. Castrenses illi cum Deo suo desiderabant singulariter confabulari ejusque colloquio præoptabant recreari. Inde procedebant ad opera, ut de laboribus manuum suarum vivere possent, et nunquam otiosi vivere præsumerent. Mulieres tamen ab hominibus segregavit, et inter claustrum eas velut damnavit, quas orationi deputavit; homines vere laboribus mancipavit. Non sine discretione id agere videbatur, quia sexum teneriorem et imbecilliorem commendabat psalmodiæ, et theoriæ; fortiorum autem applicabat exercitiis vitæ actualis. Laici et clerici mistim ambulabant; excepto quod clerici psallbant, et missas celebrabant, laici laborem spontanei subibant. Omnibus silentium certis temporibus indicebatur. Blande respondere, et non jurare jubebantur, et omnes amore fraterno conglutinabantur. Nulla inter eos amaritudo, nulla invidentia, discordia nulla. Flexo collo, demisso vultu incedebant, garrulitatem vitabant, vaniloquium nesciebant. Hæc erat subditorum conventio, erat ea lex sub qua militabant. Prælatum suum Magistrum tantummodo vocabant, nam neque dominus, neque abbas vocitari volebat.

18. Longo tempore non jumento cuilibet insedit, nec vinum, nec cibos saporosos gustavit. Ipse semper nudis pedibus incedebat, et tunicas et saccum asperiores induebat, quousque consilio sacerdotum, corpore jam fatiscente, calceatus jumentum ascendit, et corpusculo parumper indulsit, non ut delectaretur, sed ut ad laborem quoquo modo confortaretur; curam enim carnis facere cavebat in desideriis (*Rom.* XIII). Jejunia sæpe continuavit, orans frequenter pernoctavit, membra sua diuturna maceravit inedia, et nulla quemque exasperavit molestia. Hypocrisim a se funditus exstirpabat, facie hilaris et jucundus, simplex et blandus in respondendo, copiosus in distribuendo, sibi modicum, fratribus et

(24) Ita in utraque editione. Alii *seminiverbium* legunt.

(25) Gaufridi, de quo Claudius Robertus et Nicquetus.

(26) Id est, *cum viris*, phrasi Gallica. Ita paulo post *homines* laboribus mancipavit; et num. 20, divisi sunt *homines a mulieribus*.

(27) Non ergo, ut quidam volunt, ab Ebraldo prædone, quem illic verterit.

(28) In hoc vico (nunc oppido) mortuus S. Martinus, ut ad ejus Vitam 11 Novembr. dicetur. Nicquetus Gallice *Candes* scribit, Chevalier *Cande* vocari.

(29) Quinam hi fuerint, declarat Petrus Pictavensis episc. in Charta data Pictavis an. 1100 his verbis : « In nostro tempore quidam vir apostolicus, nomine Robertus...... in nostra diœcesi ecclesiam quamdam in honore S. Mariæ Virginis fundavit in loco qui Fons Ebraudi vocatur : quem locum Arembergis uxor Widonis, filii Osmundi, et Rivaria filia ejus ad ædificandam prædictam ecclesiasm sibi dederunt, adjicientes terram quatuor bobus excolendam in duobus temporibus. » Agit de hac donatione Nicquetus l. I, c. 15, et Sammarthni. etc.

sororibus indulgebat multum. In sermocinando contra peccatores videbatur invectivus, peccati vero desertores affectu paterno consolabatur : unde accidit ut multi publicani et publicanæ ipsi adhæserint, atque toto posse obedierint. Nullum siquidem remittebat errabundum, sed tandem in sinu suo pœnitentem confovebat collocatum. Sermo ejus non poterat esse non efficax, quia, ut ita dixerim, omnibus omnia erat ; pœnitentibus lenis, austerus vitiosis, lugentibus blandus et facilis, virga irreverentium, baculus senum et vacillantium, pectore gemebundus, oculo madidus, consilio serenus. Hunc profecto dixerim, habitaculum Jesu Christi, templum et organum Spiritus sancti, responsalem et vicarium Altissimi.

19. Ipsius delibutum sermonibus, intantum peccatis abrenuntiantium crevit examen, ut numerus pene fuerit innumerus : quos alio nolebat censeri vocabulo, nisi pauperes Christi. Multi confluebant homines cujuslibet conditionis ; conveniebant mulieres, pauperes et nobiles, viduæ et virgines, senes et adolescentes, meretrices et masculorum aspernatrices. Nec jam innumeram copiositatem præparata capiebant tuguriola, imo capacioribus tirunculi Christi indigebant mansionibus. Cui omnia suppeditavit stipendia, qui filios Israel in deserto sua saporifera pavit affluentia. Hanc quoque suam familiolam inopem et mendicam, et in his cibario suo sustentavit frutetis, cum ibi necdum araverint, necdum severint, necdum messuerint. Inspiravit etenim Deus omnium omnibus indigenis circum habitantibus, quatenus quotidianum eis miserint edulium, quotidianum eis præparaverint epulum, necdum quidem sine Deo poterat fieri, qui continuabat circumsitis colonis voluntatem panes dirigendi. Cum gratiarum actione suscipiebatur quidquid erat, et gratiarum actione laudabatur Deus cum quid deerat. In neutram partem ingrati esse volebant, quia de præsentibus gratias gaudenter actitabant, futura certiores et spe robusti exspectabant, sumebant copiam, et sine murmure sustinebant inopiam, in utroque vero benedictus Deus. Ad cibos exquirendos exibat Robertus, mater apis, apis prudentissima, et cum omnibus confabulabatur, et Dei familiæ non jam solum mittebantur pulmentaria, sed ad nuditatem suam protegendam indumentorum quælibet donaria, et habitationes construendas largiebantur munera. Omnibus una voluntas, omnibus indeficiens facultas, mittentium augmentari videbatur pecunia, cum propter hoc nulla mittentes afficerentur penuria. Adventabant principes et populi, novam Dei familiam pro parcimonia regulari marcidam et pallidam visitaturi. Nec recedebant jejuni, cum ibi verbum ædificationis prius audirent, panemque charitativum pro communione gustarent.

CAPUT IV.

Varia cœnobia a B. Roberto ædificata, alia: ejus pietas, miracula, obitus.

20. Jam igitur parietibus oratorii dilatandis et inaltandis instabatur, dabantur sumptus copiosi, offerebantur usus necessarii, claustra et claustra præparabantur ; nec tamen tria vel quatuor tantis mulierum collegiis suffecerunt. Divisi sunt homines a mulieribus, et seorsum, in locis remotioribus, præparatæ sunt eis domus, et domus. Mulieres iterum segregavit sagax magister ab invicem, et rursus per cellas et cuneos distinxit eas, catervatim collocavit illos et illas, quoniam alteruter numerus in simplicitatem extendebatur. In claustro majori plusquam trecentas insimul locavit : alias vel centenas, vel sexagenas, vel per alterius quantitatis turmas commendavit, alibi plus, alibi minus ; nec non et homines per discretos delegavit manipulos.

21. Operariis autem assistere nec volebat, nec poterat, quia nationibus multis prædicare habebat. Constituit igitur ex sororibus unam responsis et operibus assistricem et magistram, Hersendis nomine, quæ, spreta sua qua prælucebat nobilitate, choris feminarum adhæserat, imo prior conversa fuerat. Vivebat autem Hersendis et magnæ religionis et magni pariter consilii. Huic autem Hersendi conjunxit et Petronillam procurationis mansionariæ gnaram, quam ipse Robertus postea elegit in abbatissam ; nam Hersendis jam ad superos recesserat. Has itaque duas feminas quoniam cognoverat prudentes et industrias et magnæ cautelæ personas, aliis, ut dictum est præfecerat sororibus. De his autem hactenus. Dominus vero Robertus nunquam vel a prædicatione, vel ab oratione quibuslibet occasiunculis avulsus est, sed strenuitati totus deditus, finitimas et longinquas circumcursabat regiones. Erat autem acceptus regibus, episcopis, et principibus, clericis, et quibuslibet popularibus.

22. Mittebant in pauperrimi Fontebraldensis cœnobii gazophilacium reges et consules larga donaria (30). Dabant principes, et pene omnes, quæ videbantur necessaria. Alii sua dabant prædia, et singuli

(30) Multos enumerat Nicquetus l. I, c. 22, viros ac feminas, etiam principes, qui possessiones donaque varia monasterio Fontis Ebraldi contulerunt. Quædam ita loquitur in Chartulario monasterii : « Ego Soficia Rainfredis, filia Petri Achardi, habitum religionis monachorum accipere cupiens domno Roberto et monialibus Fontis Ebraudi, ibi sub regulari disciplina congregatis, me primam et alodium meum de Polineio dono et in æternum concedo. » Quæ verba ita interpretatur Nicquetus, quasi ipsa puellarum omnium prima se suaque Deo isthic consecravit ; sensus hic esse mihi videtur, quod se primum, deinde sua donet. Recte autem observat idem scriptor, duas ob causas præcipue impulsos a Deo homines, ut luculentis largitionibus necessaria Fontebraldensi congregationi suppeditarent ; prima erat, quod hæc ita large subveniret pauperibus et infirmis ; nam id genus misericordiæ plerumque Deus omnium rerum copia muneratur, secunda, quod illic eximia vigeret pietas morumque innocentia, ut proinde omnes expeterent secum merita ac fructum tam exquisitæ virtutis, quoad fieri, posset, participari.

quæcunque delegissent stipendia. Unde factum est A quatenus in brevi locus ille excreverit in domibus et oratoriis,in familiari etiam supellectili. Porro de his quæ mittebantur,eleemosynam faciebant copiosam; suscipiebant pauperes, ac debiles non repellebant; nec incestas, nec pellices refutabant, leprosos, nec impotentes. Leprosis etenim et suas mansiunculas, et monachalia claustra construxit, et unde singuli alerentur magister Robertus instituit: et persæpe, quoad vixit, tales ipse per se humillime visitavit. Missarum celebrationibus cum tota devotione singultuosus instabat, et, ut ita dixerim,nihil quod irreligionis esset,scienter admittebat. Dominus solus erat,totus anxiabatur,quoniam in turba quietus putabatur.Ejus quodlibet colloquium,moralis ædificatio erat; nam quidquid dicebat, Deum sapiebat. B Quamvis pluribus indigeret latomis, et cæmentariis, et artificibus diversis, tamen ea cura sibi videbatur postrema, quoniam ejus anima in sancta religione duntaxat erat sollicita. Cujus, putas, calamus Robertum ad unguem explicabit, cujus mens, cujus conscientia, cujus animus Deo semper adhæsit? Cum plus dico de Roberto magis obstupesco; quoniam abundantius, quid adhuc de ipso dicendum sit, invenio, sed quoniam ad ea quæ dicenda essent nequaquam sufficio, tanquam nihil dixerim, ecce succumbens supersedeo, et erubescens exclamare compellor: Inopem me copia fecit.

23. Ecce de Roberti conversatione prædicanda aliquantisper disputavimus, et licet aliquid videamur, tamen pene nihil diximus, qui quanta familiaritate C apud Deum viguerit, exprimere gestimus, sed sufficienter non possumus.Per quem enim diebus nostris copiosiora Deus operatus est miracula? Nonne Robertus evidenter illius imitator claruit, qui dixit: *Spiritus Domini super me, evangelizare pauperibus misit me?* (*Luc.* IV, 18.) Iste revera pauperibus evangelizavit, pauperes vocavit, pauperes collegit.Nam si qua mulier ad eum de nobilitate maturavit, illi qui sapit, ibi Nicodemum et Jesum, ibi Cornelium Centurionem et Petrum assimilabat, affluentia siquidem gratiarum Dei omnes allicit, neminem repellit,quia *vult omnes homines salvos fieri* (*I Tim.* II, 4). Exprimat quis quid senserit, ego audenter dico Robertum in miraculis copiosum, super dæmones imperiosum, super terrenos principes gloriosum. D Quis enim nostri temporis tot languidos curavit, tot leprosos mundavit, tot mortuos suscitavit? Qui de terra est, de terra loquitur, et miracula in corporibus admiratur; qui autem spiritualis est, languidos et leprosos, mortuos quoque convaluisse testatur, quando quilibet animabus languidis et leprosis suscitandis consulit et medetur.Denique (ut omnium pace dixerim per quem pastorum tot locutus est,tot operatus est Dominus.

24. Contemporanei nostri,nos quoque pontifices, et abbates, clerici,et sacerdotes in labores alienos introivimus,et de eorum,quam priores pertulerunt, penuria impinguati sumus, et forsitan parum profecimus, et quod pertimescendum est, fortassis ad improperium nostrum dictum est: *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum* (*Psal.* LXXII, 7). Robertus iste, iste, inquam,Robertus omnimode pro Christo pauperatus, exsul a patria,et a propriis cognationibus; turbis, quibus prædicaverat circumseptus, ne illis deesse videretur, in Fontevraldensi solitudine,sine cujuslibet reditus pecunia, multa pauperibus mansiones ædificavit propter Christum.Ibi oratoria construenda curavit; fundamentum primum,primumque lapidem posuit, servos,et ancillas Dei plusquam ad duo, vel circiter ad tria millia, congregavit, per cellas et regiones tanta Christianorum agmina collocavit; unde sustentari potuissent, præparavit; quatenus in tam brevi spatio magnis regibus hoc opus esset difficillimum. Age jam. Quis hunc mendicum,quis hunc indigentem, quis hunc pauperem, non testetur divitem? Dives quidem fuit, cui nihil quod multis sufficeret defuit: dives, inquam fuit, qui tot et tanta, quæ modo supersunt, opera non sibi, sed ipsi Deo præparare potuit, qui tot frequentias hominum in desertis cibare potuit. Sed, et verius loquar, ipse ista non potuit, sed ut facta fuerint, evidenter promeruit Deus largitor et magister: Robertus dispensator et minister. Alter δαψιλῶς (31) stillabat, alter fideliter stillas dividebat. Quamdam amicabilem contentionem inter se visi sunt habuisse, quis eorum plus posset: an ipse præsentando, an ipse distribuendo? Vere Deus Robertum fidelem noverat procuratorem,cui suam commiserat familiam, et augebat pecuniam. Scriptum enim habemus: *Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam* (*Matth.* XXIV, 45), Quomodo enim sine Deo possent hæc fieri? Fateor, et verum fateor, quia eorum non discordaverunt vota, quorum tam certissime concordarunt opera. Et hæc sunt, si nescis, præter illa quæ fecit B. Robertus miracula, Deum diligere, Deo servire, domini Roberti voluntatibus Deum tam efficaciter respondere,et omnia, quibus indigebant sui satellites, per manum ejus præbere. Noverat ejus fidem, cujus nolebat offendere voluntatem. Denique dum vixit, Robertum suum Deus semper extulit, quatenus et sua familia in manu ejus augmentaretur quotidie, et unde singula consummarentur, largiretur assidue.

25. Tempora successere temporibus,nec unquam a pacto, quod cum Deo pepigerat, refrixit Robertus, semper in amore Dei fervidior, semper recens, semper devotior. Annis revolutis et annis, quibusdam indiciis sentit B. Robertus finem suum appropinquare, quia membris fatiscentibus, corporis cœpit destitui viribus. Visitatum et salutatum ire

(31) Id est *large*.

fratres disposuit, et sorores, et ibat. Confortabat omnes in Domino, et singulos affabatur ore benevolo. Commendabat transitum suum condiscipulis, et hortabatnr ne unquam tepescerent a bonis institutis.

26. Habitis ad sexum utrumque sermonibus, sacra communione percepta, in consummatione probabili in hujusmodi videlicet salutationibus, et bonis exercitationibus se expendens, invaletudine ingravescente, imo Deo suum alumnum invitante, in loco qui dicitur Ursanum (32), inter manus singultuosi gregis spritum emisit, et ut creditur, ad astra recessit, ut ubi perenniter cœli regionarius, sed magis juxta Apostolum, hæres factus Dei, cohæres autem Christi (*Rom*, VIII, 17), gaudiis frueretur sempiternis. Opimis autem familiæ Dei, et præcipue ancillarum Christi corpusculum ejus irroratum lacrymis, redditum est Fontevraldensi monasterio, et in condigno sepultum mausoleo: Ludovico in Francia regnante (33), Paschali urbis Romæ papatum ministrante (34), Jesu Christo Domino nostro imperante per infinita sæcula. Amen

(32) Rinaldus, Ursonium vocat. Nicquetus Gallice *Orsan*.

(33) Hic est Ludovicus VI cognomento Crassus, qui an. 1108 Philippo patri successit. obiit 1137, 1 Aug.

(34) De Paschali II actum antea· obiit 22 Jan. sedis anno XIX.

VITA ALTERA
B. ROBERTI DE ARBRISSELLO
SIVE
EXTREMA CONVERSATIO ET TRANSITUS EJUS
Auctore monacho Fontis Ebraldi, Andrea, ut creditur; ipsius discipulo et confessario.

CAPUT PRIMUM.

B. Roberti ægritudo, deliberatio de abbatissæ electione.

1. Descripta per Baldricum venerabilem Dolensium metropolitanum, luculento sermone, magistri Roberti Vita (1); descripta etiam compendiose ejus recitanda conversat'one et morum honestate ? libet (2) etiam sub brevitate ad posterorum recordationem revocare, qualiter circa finem vitæ se habuerit, qualiterve ex hoc mundo migraverit. Hoc tamen hujus operis lectori notum facio, quia non omnia quæ dicenda erant, in hoc tractatu notabo; sed potius quæ dicenda sunt, breviter significabo; nam si cuncta quæ in ultimo vitæ suæ anno per eum Dominus operari dignatus est, per singula vellem recitare, fateor quia tanto pressus pondere, etiam nolens succumberem. Sed quoniam ad hæc investiganda, ingenioli mei pene nulla est scientiola; ipsius de quo locuturus sum, intercedentibus meritis, Spiritus sancti adsit mihi gratia.

2. In primis autem dicendum est quare Robertus sit vocatus; non enim sine divina dispensatione tale sortitus est nomen. Dictus namque Robertus, quasi roboratus, vel robore certus (3). Re enim vera roboratus erat, quia hunc nimirum Sriritus sanctus ad bene semper agendum roborabat. Certus etiam robore fidei fuit, et in sancta religione ad finem usque perseveravit. De quo non indigne religiosus quidam metri canorus ait:

Si quæris scilicet, similis non invenietur.
Qualis quantus erat, fructu testante docetur.

3. Hic itaque Robertus, jam plurimos annos indefessus prædicator, non solum adjacentibus, verum etiam exteris nationibus verba Dei distribuerat, cum ingravescente corporis ejus infirmitate, aliisque ægritudinibus pristinis, cœpit repente destitui viribus. Denique apud Fontem Ebraldi cogente necessitate infirmitatis, in lecto suo recubans, omnes fratres in eodem loco habitantes ad se vocari præcipit. Omnibus (4) celeriter congregatis, ait: « Ecce, filii

(1) Aliud ms. *generatione*.

(2) Ms. al. *licet*.

(3) Non placet hæc etymol. Nomen id e Teuton. lingua, sive Sicambrica, qua Franci veteres usi, formatum. De eo in fine Quæstionum Hubertinarum Joan. Roberti Arnoldus Bocopius noster, qui a *Ru*, quod *quietem* significat, et *bert* sive *beart* quod *indole præditum*, deducit; ut sit quasi *natura quietus:* vel a *Rot* sive *Root*, *rubro* quasi *ruber* aut *rufus* dicatur: vel a *rot*, *turma* aut *ordine*, quasi *indole ad militaria conturbernia propensus*. Alii aliunde deducunt. Non est saltem Latina vox.

(4) Aliud ms. *quibus*.

mei charissimi, quos in Evangelio genui; corporali pulsatus incommodo, viam universæ carnis ingredior. Quapropter deliberate vobiscum, dum adhuc vivo, utrum permanere velitis in vestro proposito; ut scilicet, pro animarum vestrarum salute, obediatis ancillarum Christi præcepto. Scitis enim quia quæcunque, Deo cooperante, alicubi ædificavi, earum potentatui atque dominatui subdibi. Si vero cum illis remanere, sicut cœpistis, non vultis; do vobis licentiam, cum meo tamen consilio, alterius religionis. » Quo audito, pene omnes unamini voce dixerunt : « Absit hoc, charissime pater, a nobis, ut unquam eas relinquamus: quoniam, te teste, nullatenus melius alibi facere possumus! Absit hoc inquiunt, a nobis, ut consilium tuum relinquamus! imo stabilitatem atque perseverantiam Fontebraldensi Ecclesiæ, coram Deo et sanctis ejus, in manu tua omnes unanimiter, atque spontanee promittimus. »

4. Concordata itaque fratrum ac sororum nostrarum taliter congregatione, voluit posteritatis suæ utilitati providere, divina, ut opinior, edoctus inspiratione. Nam paucis evolutis diebus, cum quotidie ureretur febrium ardoribus, nonnullos episcopos atque abbates ad se mandavit, et quod consilium quoddam petiturus esset, per nuntios notificavit(5). Et quoniam eodem tempore Pictavensis Ecclesia proprio viduata patrono (6), sub Willelmo principe laborabat, præcepit ejusdem Ecclesiæ ad consilium suum nonnullos accersiri primates. Tandem coadunato religiosarum atque nobilium personarum conventu non modico, aperuit ei consilii sui rationem, pro qua tantam coadunari fecerat multitudinem. « Sentio, inquit, fratres mei, finem meum imminere, et idcirco vos mandavi quatenus vestro consilio possim Ecclesiæ nostræ profectui de abbatissæ electione salubriter providere. » Cui omnes unanimiter, reverenter dixerunt : « Tuum, charissime Pater, super hac re potius tenendum est consilium, præsertim cum pro certo sciamus, inter cæteros nostræ ætatis mortales tuum vigere consilium. Te enim donavit Deus mundo consiliatorem animarum, et eo ipso opitulante, facillimum est tibi, consilium præbere successuræ vitæ tuorum. »

5. Tunc ait ad eos : « Scitis, dilectissimi mei, quod quidquid in mundo ædificavi, ad opus sanctimonialium nostrarum feci, eisque potestatem omnem facultatum mearum præbui, et, quod his majus est, et me et meos discipulos, pro animarum nostrarum salute, earum servitio submisi. Quamobrem disposui, cum vestro consilio, huic congregationi, donec sum superstes, abbatissam ordinare, ne forte, quod absit! post obitum meum aliquis præsumat huic meæ definitioni contradicere. Et idcirco Sapientis juxta menitum, volo omnia cum consilio facere, ut post factum possim non pœnitere (*Eccli.* XXXII, 24). Qui enim sine consilio majorum opera sua agit, indiscretum se esse ostendit. Unum quæro a vobis, utrum de conversa laica abbatissam mihi liceat instituere? ut dum factum fuerit, detractores (si qui fuerint) authentica nostra (7) auctoritas compescat. Scio enim hujus ordinis dignitatem, scio virginem exigere. Denique scriptum est quod qui virgines custodit, virgo debet existere. Sed quomodo poterit quælibet claustrensis virgo exteriora nostra convenienter dispensare, quæ non novit nisi psalmos cantare? Quid enim rationaliter cantavit terrestria, semper consuevit operari spiritualia? Quo, inquem, modo pondus practicæ portabit vitæ, quæ non novit nisi gaudia theoriæ? Qua ratione de exterioribus lingua ille respondebit, quæ a pueritia loqui cum Domino orando, cantando, legendo consuevit? Difficillimum etiam, ut cogatur temporalium rerum tunicam jam exutam reinduere, quæ lotos pedes congaudet se jam habere. Legi enim quia sapiens mulier domum suam ædificavit; insipiens vero ædificatam destruit (*Prov.* XIV, 1). Quam ob causam modo alicui claustrensi virgini prælationem istam committere, ne forte videar (quod nunquam fiat!) quæ ædificavi, destruere, quippe cum quod cooperante Deo ædificavi, argui potero, si scienter nescienti hanc curam commisero. Eligatur itaque, si placet, sagum cilicinum, quod tabernaculum Domini undique cooperiat, et exteriorum rerum tempestates viriliter sustineat : ut coccus perfecto colore interius rutilare valeat (*Exod.* XXVI, 7). Liceat Mariæ cœlestibus continuo inhiare, et eligatur Martha, quæ sciat exteriora sollicite ministrare (*Luc.* X). »

6. Quo audito, seniores qui aderant, assensum præbuerunt, atque omnia quæ dixerat, vera esse affirmaverunt. Et ut hæc magistri Roberti sententia firma et inviolabilis in perpetuum haberetur, interfuit huic consilio quidam archipresbyter Andegavensis, vir bonæ conversationis, affirmans quod, dum quondam Romæ esset, audivit dominum Urbanum papam (scilicet qui Roberto nostro officium prædicatoris injunxerat) concedentem, ut quædam matrona, quæ quatuor viros habuerat, pro tempore et necessitate cujusdam ecclesiæ, abbatissa fieret. Noverat sane vir vitæ venerabilis quia quod humanæ fragilitatis nostræ necessitas salva fide compellit, divina pietas suam tenens ubique temperiem non punit. Quo cognito, senatores illi lætati sunt, et quia vir prudens prudenter vellet agere, universaliter dixerunt. Postquam autem venerabilis concio finita est, solertis viri consilium laudando confirmarunt, ac dupliciter ab eo cum gaudio ad sua remearunt.

(5) Hæc, usque *Sentio*, aberant ab editione Cosnieri : quæ tamen ipsemet mihi scripsit se in alio ms. reperisse.

(6) Petro scil. qui multa a Willhelmo duce perpessus, in exsilio sancte obiit, ut Malmesburiensis et ex eo alii tradunt.

(7) Aliud ms. ut monuit Cosnerius, *vestra*, et fortasse melius.

CAPUT II.

Petronillæ abbatissæ electio, B. Roberti statuta.

7. Transeunte autem septimo mense, in quo prædictus senatus coadunatus fuerat, et appropinquante jam fine Octobr., v Kalend. Novembr. quod a memorato senatu quæsierat, alumnus noster non sine religiosorum virorum complevit consilio. Elegit itaque ad tanti honoris dignitatem Petronillam de Camilliaco (8), quæ redictis paternis rebus, ejus discipula fuerat, a conversationis suæ pene initio, præcedente tamen nonnullorum sapientum sano consilio, dicens : « Dignum quippe mihi videtur, ut quæ portavit mecum laborem peregrinationis et paupertatis, portet etiam pondus qualecunque consolationis nostræ et prosperitatis. Licet enim monogama fuerit, cogente tamen necessitate, nulla mihi convenientior videtur huic prælationi. Novit enim præ cæteris donaria nostra, et juxta Apostolum *abundare, et penuriam pati* (*Phil.* IV, 12). Scit enim sapientibus tempestivum responsum dare, scit et idiotis opportune condescendere. »

8. Postquam vero quod fecerat doctor egregius, deforis auditum est, non solum fratres nostri (9), verum etiam sæculares, hujuscemodi electionem laudaverunt. Demum etiam postquam electio facta fuerat ad notitiam ejusdem Petronillæ, longum est disserere qualiter fugere voluerit, vel quibus modis suam electionem detrectare tentaverit. Timebat namque non irrationabiliter (quod timendum erat) tanti status honoris inæstimabile onus suscipere. Metuebat ex una parte, utpote sapiens mulier, suam imbecillitatem. Considerabat ex altera parte inæstimabilem ipsius prælationis magnitudinem. Quid plura ? Licet multum repugnans, tandem, annuente Deo, suorum precibus convicta, vel, quod verius est, magistri Roberti obedientia constricta, acquievit. Multa enim sunt relatu digna, quæ de ejus conversatione possem narrare. Sed quia filium ejus, quamvis indignum, me esse confiteor, taceo interim ; ne, quod absit ! caput ejus, adulationis oleo judicer impinguare. Electione itaque charissimæ matris nostræ, communi religiosorum virorum consensu hoc modo perpetrata, unusquisque remeat ad propria.

9. Dehinc non longo post tempore cum sæpedictus Robertus cœpisset, propitiante Deo, ex infirmitate sua aliquantulum meliorari, studuit electionem quam prædiximus, Girardi (10) venerabilis Engolismensium legati auctoritate firmari : qui non solum factum solertis viri ex sua parte concessit, verum etiam, quod majus est, privilegium Paschalis Romæ papæ, missis suis nuntiis, de electione, quam Robertus fecerat, haberi fecit. Hinc factum est ut Robertus noster generale præceptum abbatissæ, quam elegerat, dedisset; ut nunquam aliqua ex claustrensibus in Fontevraldensi monasterio abbatissa fieret (11). Noverat sane vir sanctus quod multæ Ecclesiæ sunt dissipatæ propter incuriam et imperitiam abbatissarum, quæ in claustris sunt educatæ. Et, ut hoc præceptum a successoribus inviolabiliter servaretur, litterarum custodiæ traditum est, inter reliqua ejus mandata, quæ scripta sunt apud Fontem Evraldi, et usque in hodiernum diem servantur.

10. Dedit namque eremitarum lucerna, memoratus scilicet Robertus, genti suæ religiosæ quædam præcepta, ut videlicet tam viri quam mulieres unanimiter custodirent religionis suæ sanctitatem, in locutione, in actu, in victu, atque vestitu. Sciebat revera vir omni ore laudabilis quia vana est religio, quam assidue comitatur immoderata locutio. Sciebat etiam quia frustra quis se habere fidem gloriatur, nisi eamdem fidem bonis actibus insequatur, nam, Jacobo teste apostolo : *Fides sine operibus mortua est* (*Jac.* II, 20). Legerat etiam vir benignus : *Bonum est carnem non manducare* (*Rom.* XIV, 21). Et ideo voluit se et suam familiam a tali edulio pro Dei amore abstinere. Noverat denique quam vilis tunica contemptum mundi demonstrat, et ob hanc causam, et se et suos sibi subditos vilioribus indumentis vestiri volebat. Dicebat enim nobis illa vestimenta omnibus religiosis posse sufficere, quæ frigus humanæ fragilitatis possent expellere, non quæ corpus quandoque moriturum possent ornare ; quod sine dubio reprehensione dignum est et sæculare. Hæc tamen regula de vestimentis ab eo constituta est in nostra religione ; ut juxta S. Benedicti magisterium, neque fratres, neque sorores nostræ inculparentur de nativo vestimentorum colore, vel grossitate, aut latitudine (*Reg.* LV). Si quis vero hæc mandata ad plenitudinem nosse desiderat, apud Fontem Evraldi, ubi tam pro amore tanti viri quam pro magno munere scripta sunt, humiliter requirat.

CAPUT III.

Pax inter dissidentes reconciliata, B. Roberti opera, nova cœnobia ædificata, visitata.

11. Hic quidem, de quo loquimur, Robertus non-

(8) Ab aliis Chemilliaco appellatur, ut supra ex Nicqueto diximus.

(9) Ideo in archivo Ord. ut l. I, c. 28, citat Nicquetus, « Dei gratia, omnium electione Mater effecta » dicitur, itemque « Petronilla electa a M. Roberto, et constituta abbatissa, communi voluntate et petitione tam sanctimonialium quam religiosorum fratrum. »

(10) Fuit hic Girardus, ut superius innuimus, Paschalis II tempore, legatus apostolicus, vir præclarus, sed postea obstinate a partibus Anacleti contra Innocent. II stetit. Hæc gesta minimum anno uno ante mortem Paschalis II sub exitum nempe an. 1116.

(11) Notat tamen Nicquetus, post Petronillam non nisi duas ord. præfectas abbatissas, quæ non a prima ætate Deo virginitatem in monasterio vovissent Duæ illæ fuerunt, Mathildis, quam supra diximus Henr. I Angliæ regis filio desponsam, et Maria, Theobaldi Magni Campaniæ com. filia, Eudonis II, ducis Burgundiæ vidua, quæ fuit VII abbatissa.

nulla habitacula in diversis provinciis, cooperante Deo, ædificaverat, in quibus sanctimonialium cohortes, divina religione in Fontevraldensi claustro probatas, juxta locorum competentiam includebat, atque ad earum servitium aliquos ex fratribus nostris destinabat. Hæc autem erat præterea illius inflexibilis consuetudo, ut ubicunque cœnobia sanctimonialibus suis ædificare fecerat, in honorem S. Mariæ semper virginis ea construeret. Et quia S. Joannes evangelista eidem Virgini, præcipiente Christo quoadusque corporaliter in mundo conversata est, devotus magister (12) diligenter servivit, decrevit vir prudens ut fratrum oratoria in ejus venerationem dedicarentur; quod non sine divina inspiratione factum fuisse existimo, ut quem videlicet exemplum serviendi sponsis Christi fratres haberent, eumdem suorum oratoriorum patronum esse gauderent. Nec tamen talia dico, quod velim nostrum servitium equiparare delectabili Joannis obsequio, credens procul dubio quod ea excellentissima Virgo juxta filium suum in cœlo posita, sola est sine exemplo.

12. Illa vero habitacula, in quibus vir memorabilis oves Dominicas cum consilio adjacentium pontificum includebat, more boni pastoris frequenter visitabat, ut si aliquando, diabolica suasione, aliqua vitiorum fomenta pullullarent, ea pro posse suo radicitus exstirparet. Contigit autem ut daretur ei quidam desertus locus inter Galliam, concedente Ludovico (13) Francorum rege, qui nunc usque Alta Brugeria (14) vulgariter nuncupatur. Despiciebat revera intra castella, vel vicos, conventus suæ sanctæ religionis habere, nimirum aperte cognoscens proposito sanctæ religionis talia nocere. Ædificato vero loco, infra paucos annos, de quo nobis sermo est, misit ante se ad eumdem locum per Petronillam abbatissam nostram, quam ipse elegerat, aliquas ex sororibus nostris, propter quas maxime locus ædificatus fuerat; quas idem vir vitæ venerabilis usque studiose sine mora subsecutus est.

13. Quadam die in territorio Carnotensi ad vicum Bonævallis, in quo quædam monachorum abbatia erat (15), hospitalitatis gratia convenerunt, eodem tempore quo Carnotensium episcopatum regebat Yvo (16), qui adeo pro quibusdam causis cum Bernardo (17) hujus Bonævallis abbate discordatus fuerat, ut propemodum irreconciliabilis esset eorum discordia; nam multæ religiosæ personæ eos multoties pacificare tentaverant, nec tamen inter illos pacem reformare convalescebant. Postquam vero pius magister tantam discordiam invitus audivit; discordantibus illis valde condoluit, atque qualiter eos pacificare posset, apud se cogitare cœpit. Præmisit ergo ante se per Angardim religiosam monacham, quæ Fontis Ebraldi tunc priorissa erat, sanctimoniales suas ad locum destinatum; ipse vero consociato sibi Bernardo abbate religioso (18), atque Petronilla abbatissa sua, propter prædictæ discordiæ reconciliationem festinat, accurrit Carnotum. Dolebat etenim vir pacificus magistros Ecclesiæ, detestandæ dissensionis libertati infideliter subjacere, et ut verum fatear, postquam prudens concionator charitate conductus Carnotum advenit, licet multum laboravit, non solum tamen illam dæmoniacam discordiam funditus dissipavit, verum etiam, quod multi jam incredibile suspicabantur, in antiquam amicitiam illos restituit.

14. Pace vero inter magistros Ecclesiæ sanctæ reformata, appropinquante Dominica Nativitate, supradictus discordiæ mediator ad Altæ-Brugeriæ locum, de quo paulo ante mentionem fecimus, perrexit; ibique Dominicam Nativitatem cum dilectis sibi filiabus, quas non longe ante ad eumdem locum per Angardim (19) transmiserat, celebrans, in jejuniis assiduus, in orationibus præcipuus, in lectione insatiabilis, pernox in vigiliis, superabundans in lacrymis, in doctrina admirabilis, quot modis semet pro Dei in ara cordis immolaverit, vel quem fructum in domesticis suis, sive in confluentibus ad eum turbis, Domino acquisierit, nunc usque, ut reor, cæteris mortalibus manet incognitum.

15. Peracta denique in eodem loco cum summa reverentia, Dominicæ Incarnationis præclara festivitate; dispositaque interius et exterius ejusdem loci Dominici ovilis societate, iterum Carnotum rogatus advenit. Defunctus quippe jam fuerat Carnotensis antistes, quem superius prænotavimus, et in loco ejus, communi clericorum electione, alius inthronizatus. Tanta autem seditio inter clericatum et comitem illius civitatis versabatur, ut etiam nonnulli canonicorum amissis facultatibus suis, jussu comitis membratim trucidari timerent. Convenerant hujus rei gratia Carnotum nonnullæ potentes personæ. Convenit denique abbas Bernardus (19) bonorum omnium memoria dignus, cujus laus usque hodie per omnes Galliæ Ecclesias. Sed omnimo inutiliter; nec illam dissensionem jam sedare poterant, imo instigante omnium bonorum hoste, quotidie augmentabatur. Deprædetus etenim jam fuerat ejusdem urbis princeps canonicorum domos, eosque in

(12) Aliud ms. *minister*.

(13) Sextus is fuit illius nominis, ut ante dictum.

(14) Al. *Altam Brueriam* vocant, Gallice *Haute-Bruyère*. Distat VIII leucis Lutetia. Isthic Bertrada a Philippo rege dimissa, pie vitam finivit. Calixtus II in bulla, qua ordinem anno 1119 confirmavit, ita de hoc monasterio loquitur apud Nicquetum c. 31: « Confirmamus closum Auberti, ex dono Lodoici regis Francorum, locum Alta Brueria ex dono prædicti regis, et Bertreæ novercæ ejus, de cujus dote erat. »

(15) Ordin. Benedict. ea est abbatia.

(16) Celebris Ivo carnotensis doctrina et sanctitate, cujus variat exstant opera.

(17) Aliud ms. *Bernerium* vocat, ut monuit Cosnierius, itaque scripsit Nicquetus n. 31.

(18) Hic est ille abbas Tironensis, ut hic idem scriptor tradit.

(19) Al. *Augardim*. Quæ sequuntur, usque ad num. 26 deerant in Cosniari editione, sed postmodum eo procurante submissa ex alio ms.

claustro suo incluserat : et, quod dictu quoque nefas est, præclarum illum virum, Gaufridum nomine, quem clerici in loco defuncti in pontificalem cathedram canonice inthronizaverunt, ab urbe fugaverat.

16. Sed quid moror? Jam canonicis ipsis sola spes post Deum in nostro Roberto restabat : unde factum est ut missis legationibus suis præstantiam illius cum omni supplicatione postularent. Noverant sane canonici quia tantam gratiam dederat Deus viro, de quo loquimur, ut quod aliis impossibile penitus erat, hoc per illum ille, cui omnia possibilia sunt, operari dignaretur. Ille autem maxima infirmitate detentus, cum interrogatus foret utrum Carnotum venire posset, omnia sibi possibilia esse usque ad mortem, respondit. Quo veniente, quam vere Dei famulus fuerit, etsi taceat lingua nostra, exitus tamen gestæ rei aperte manifestat. Tantam namque gratiam Dominus ei contulerat, ut eum non tantum religiosi quique venerarentur, sed etiam reges et principes ejus imperio libentissime obsequerentur. Dignum quippe erat ut creatura diligeret illum, quem a Creatore diligi per operum indicia non dubitabat. Hic ad utrosque secundum sapientiam sibi a Deo tributam loquens cooperante gratia Dei, totam illam machinationem diabolicam a fundo exstirpavit. Nam per ejus monitum, prædictæ urbis comes clericis universa quæ abstulerat, reddidit, et Gaufridum illum (20), qui ad episcopatus regimen canonice electus fuerat, ejus electioni acquiescens, ad urbem redire concessit, atque (quod dictu quoque delectabile est), in anteriorem familiaritatem canonice copulavit. Credo namque quia hoc mortiferum homicidium per dilectum sibi Robertum ob hoc Dominus exstinguere volebat, quatenus nescientibus fieret cognitum, quanti meriti Robertus noster apud eum foret. Quæ vero, vel quanta beneficia sæpedictæ civitati in illis diebus per servum suum dignatus sit Dominus præstare, meæ non est possibilitatis indagare. Hoc tamen referre juvat, quia Simoniaca hæresis, quæ Carnotensem canonicorum basilicam diutissime fœdaverat, concedente Gaufrido episcopo, cujus vita nostra quoque ætate suavissime redolet, atque concedentibus a majore usque ad minimum ejusdem cœnobii canonicis, in perpetua damnatione per Robertum nostrum exstincta est. Et ut hæc pestis exsecrabilis in eadem Ecclesia in sempiternum omnino damnaretur, votum quod fecerunt, juramento firmaverunt.

CAPUT IV.

Captivi visitati a B. Roberto, latrones benignitate deliniti, Ursani et in Dolensi abbatia gesta.

17. Carnotensibus itaque pacificatis, fidelis verbi Domini dispensator Carnotensem urbem, nunquam ad eam postea remeaturus, reliquit, conjunctoque sibi Bernardo Tyronii abbate venerabili, cujus societas semper sibi gratissima fuerat, ad castellum, quod populariter Blesis (21) dicitur, ambo insimul pervenerunt. In eodem vero castello Guillelmus (22) Nivernensis religiosus comes incarceratus tenebatur, eo quod Ludovici regis Franciæ partes pro pace tenenda adversus Carnoti comitem ipse tueretur. Hic etiam Guillelmus exigentibus vitæ suæ meritis utrique charus habebatur. Apparet profecto quantæ honorificabilis tunc dignitatis consul ille fuerit, quem visitare in carcere duæ istæ columnæ Ecclesiæ sanctæ veniebant. Qui adeo confortatus fuisse narratur, ut diceret : Quis non gaudeat sediu incarcerari, ut a talibus viris possit visitari? Hæc idcirco dixerim, ut ostenderem quod Robertus noster non segnitiei vacabat, sed modo juxta evangelicum præceptum incarceratos visitabat, modo et discordantes ad pacem revocabat. Visitato itaque sibi dilecto comite, atque plusquam carceralis pœna exigebat, confortato, duo illi visitatores nunquam posthac in vita sese visuri, inseparabiliter, ut ita dicam, sunt separati; inseparabiliter namque separati sunt, quia quos charitas jungit, terrarum intercapedo non dividit. Perfecte etenim charitatis indissolubile est vinculum, quoniam, ut B. Augustinus dicit : « Charitas, quæ dividi potest, nunquam vera fuit. » O si possent modo cognoscere isti, quod se deinceps in hac mortali carne non viderent! Credo plane quia aut vix, aut nunquam viventes in carne a se recederent, præsertim si obitum suum tam propinquum esse cognoscerent.

18. Abbas autem Bernardus tunc ad propria repedavit. Pastor vero noster ad Bituricensem provinciam, talentum sibi creditum multipliciter dispensando, iter suum direxit. Nimirum sciebat vir providus quia quantoscunque aliquis suo ædificaverit exemplo; pro tot tantisque, in die judicii, retributionis mercedem accipiet a Domino. Sicut enim fertile apiastrum examina sua circumquaque dispergit; sic piissimus Pater noster melliflua sanctimonialium agmina ex Fontevraldensi claustro aliis locis dispertiebat. Ex hoc itaque venerabilium apum mystico apiastro, olim Bituricensi pago quamplurimas sororum nostrarum distribuerat, et in loco, qui Ursanus a populo dicitur, præparato primum ligneo claustro, locaverat, quarum etiam amore easdem partes catechizando sine dubio nunc visitare parabat.

19. Sed si unum quod ei in itinere contigit, recitare volumus, quantæ patientiæ, quantæque sanctitatis ipse fuerit, successoribus nostris manifeste

(20) Hic est Idonis successor. In Vita S. Guillelmi 10 Februar. c. 3, num. 12, vocatur « vir virtutis, plenus spiritu consilii et fortitudinis. »

(21) Blesæ seu Blæsæ urbs est ad Ligerim, supra Turones, de qua in Vita S. Aigulphi abb. Lirinensis 3 Septemb. : « Castrum Blesense in latere cujusdam situm est montis, cui contiguum est littus Ligerici amnis, idemque Liger perinde præterlabens præter piscium copiam, quam illi loco solemnius cæteris exhibet, aliarum quoque frugum, vini scilicet et rei frumentariæ, cæterarumque humanæ necessariarum naturæ, magnam præstat gratiam. » Gallice *Blois* appellatur.

(22) Tertius hic erat illius nominis Nivernensis

notificabimus. Nam sicut quidam ex fratribus nostris, Petrus nomine, sacerdotali præfulgens dignitate, verbo et vita fidelis, qui eo tempore cum eo aderat, nobis retulit; cum cœptum iter peragerent, quadam die inciderunt in latrones : qui secundum morem suum, maligno spiritu repleti, non solum bestias sodalium ejus abstulerunt, cæterum etiam (quod gravius est), illud jumentum, in quo mitissimus ille sedebat, per freni lora arripuerunt, illumque contumeliis affectum ad terram deposuerunt. Ille vero, ut erat benignus, columbina voce cœpit eos pie increpare, et ut se a latrocinio cohiberent, blandis sermonibus exhortabatur. Credo certe misericordem virum plus doluisse de eorum perditione, quam de sua, vel sociorum disturbatione.

20. Petrus vero socius ejus, quo narrante hoc didici, non ferens æquanimiter quod factum fuerat de magistro, locutus est talibus ad prædones : « Dicite, miseri, ubi fugietis? qui talem ac tantum virum disturbare non timuistis? Pensate, quæso, pensate quanta reverentia sit sanctis viris exhibenda, ut sic saltem desinat inimicari vecordia vestra. Nam, ut sanctæ dicunt Scripturæ, viri sancti templa Dei sunt. *Templum enim Dei*, ait Apostolus, *sanctum est, quod estis vos* (*I Cor.* III, 17). Quapropter, dum Sanctus quilibet ad iracundiam excitatur, constat nimirum quia ejusdem templi inhabitator Deus ad vindictam provocatur. Desinat ergo furia vestra, et quod fecistis malum contra sanctum Dei, deleat fructifera pœnitentia. Nunquid non scitis hunc hominem, quem modo de caballo injuste deposuistis, Robertum esse de Arbrissello, cujus odor suavis redolet in universo mundo? Audito vero Roberti nomine confestim turba latronum timore perterrita, ad pedes sancti viri provoluta est, indulgentiam deprecative postulando. Ipse vero eorum pœnitudini congaudens, eorumque petitioni æquo animo condonans quidquid circa eum male egerant, elevavit eos a pedibus suis, atque benigne deosculatus est. Quibus non solum veniam quam flagitabant, impertivit; verum etiam, quod illi propter peccatum suum minus merebantur, totius beneficii sui illos participavit.

21. O virum ineffabilem, admirabili pietate exuberantem, quem nec prosperitas, opitulante Deo, decepit, nec adversitas superavit! Cum enim, sicut scriptum est : *Doctrina viri per patientiam noscatur* (*Prov.* XIX, 11), patet profecto, quantæ patientiæ, quantæve excellentiæ in doctrina Robertus iste fuerit, qui eo modo quo diximus, etiam inimicos suos remuneravit. Pensemus, si possumus, quantæ dilectionis fervore vir iste felicis memoriæ, amicos suos diligebat, qui juxta Dominicum præceptum etiam adversariis suis tanta beneficia ultroneus impendebat. Cum enim dicat Scriptura : *Non contristabit justum, quidquid ei acciderit* (*Prov.* XII, 21), liquet patenter, in quanto justitiæ culmine vir iste fuerit, qui nec provocatus injuriis, nec pro amicis, a recto itineris tramite deviavit. Licet mihi, fratres, dicere virum hunc in hoc facto S. Samueli fuisse comparabilem, qui inimicis suis volens reddere vicem, pro ipsis se promisit facere orationem (*I Reg.* XII, 33). Non enim discrepabat ab illo qui ait : *Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus* (*Psal.* CXIX, 7). Quid ergo nos miseri in ejus congregatione ante Deum dicturi sumus, qui nec amicos, sicut debemus, amamus?

22. Postquam autem pacis amator ab inimicis pacis quodammodo pacifice discessit, ad locum Ursani, ad quem tendebat, non sine antecedente fidei dispensatione, pervenit. Quo in loco circa quindecim dies cum dilectis sibi filiis et filiabus commoratus, lectioni et orationi, atque prædicationi, cæterisque virtutum exercitiis indefessus vacabat. Exspectabat enim ibidem Petronillam abbatissam, quæ a Fonte Evraldi ad eum venire debebat. Qua veniente, placuit illi ut ad exteriora loca, prædicationis utilitate exiret ; rogaverant enim eum quidam populi prædicationis illius verba, non mediocriter famelici, ut eis prædicationis sanctæ beneficium impertire dignaretur. Ipse vero piis eorum precibus acquiescens, eorumque desiderabilem famem, cooperante Deo, satiare desiderans, cum jam cœptum iter ageret, consociata sibi Petronilla aliisque nonnullis, quadam die apud Dolensem (23) abbatiam hospitalitatis gratia pervenit. Quem monachi ejusdem cœnobii læti suscipientes, hospitalitatis jura ei honorifice præbuerunt, ut eorum animas prædicationis sanctæ pabulo reficere dignaretur, humillime postulaverunt.

23. Quorum precibus largus Domini seminiverbius commotus, altera die cum quibusdam ex suis sociis in capitulum monachorum ingressus est, ubi ultimum sermonem, quem ad populum facturus erat, prolixe faciens, quam dulciter, quam pie, quam misericorditer, quam devote, quam prudenter, quam charitative, quam simpliciter, quam discrete, auditores suos arguendo, obsecrando, increpando, declinare a malo et facere bonum ipse docuerit, etiam illi qui interesse meruerunt, fatentur se narrare non posse. Sed quid mirum, si hoc sermocinium tam excellenter implevit, per quem Deus tot et tanta sermocinia, pene incomparabilia, testantibus illis qui audire meruerunt, mundo præbuerat? Tantam namque prædicationis sanctæ gratiam ei Dominus donaverat, ut cum communem sermocinationem

comes, qui sub finem vitæ Carthusiano ord. se mancipavit, et quidem in gradu et conditione conversi, ut vocant : sed tirocinii tempore mortuus est 20 Aug. 1148. Ita Nicquet.

(23) Dolensis monasterii, præter Clau. Robertum meminit Massonus lib. De fluminibus Galliæ, qui si, tum ait ad Angerem flumen, sive Angerim, *Andriam* quibusdam dictum, Gallice *Indre*. Ipse vicus Dolensis est in Biturigum finibus, et vulgo *Deols*, vel *Bourg de Deols*, aut *Bourg-Dieu*, seu *Bourg-Dol*. Est autem ordinis Benedictini.

populo faceret, unusquisque quod sibi conveniebat, acciperet. Non erat ejus prædicatio inefficax, sed in tantum audientium corda conferebat, ut patenter daretur intelligi qui esset illic. Nimirum Spiritus sanctus aderat, sine cujus auxilio sermo doctoris exterius frustra laborat. De quo etiam scriptum est: *Non enim vos estis, qui loquimini: sed Spiritus Patris vestri* (*Matth.* x, 20). Postquam autem sermonem illum finivit, eosdem monachos, qui quamdam querimoniam adversus Fontis Ebraldi Ecclesiam habebant, secum omnino in eodem loco pacificavit, nec non etiam quemdam principem illius terræ, Alardum nomine, concordavit cum illis.

CAPUT V.

B. Roberti suprema ægritudo, susceptum viaticum, et sacra unctio.

24. His itaque peractis, Petronillam atque Angardim Fontis Ebraldi procuratrices, quæ cum eo erant, visitatum fratres atque sorores ire commonuit: atque ipse cum (24) Andrea capellano suo ad populos, qui ejus prædicationem, sicut superius diximus, avide desiderabant, et desiderantes multis precibus postulabant, perrexit. Eadem autem die, qua ipse a Dolensi monasterio recessit, quæ esse sexta feria habebatur; in ipso itinere cœpit de jumento suo sæpius descendere, et quod multum infirmaretur, sociis suis manifestare. Cui cum illi dicerent: « Charissime Pater, revertere, quæsumus, revertere, ne pejus graveris ab infirmitate, » aiebat: « Nolite, filii, nolite mihi talia dicere: sed eamus usque ad oppidum, quod Gracaicum (25) dicitur, ut, cum audierint populi, quibus meum adventum promisi, me illuc venisse, si cœptum iter non potero facere, saltem credant quia necessitate cogente reversus sum. » Venientes autem ad supradictum castrum, in eodem hospitati sunt.

25. Altera autem die, Sabbato scilicet, ita prægravatus est didascalus noster ab infirmitate, ut jam omnino non posset equitare. Quod cum ipse sentiret, ait collegis suis: « Præparate mihi, charissimi mei, quoddam ligneum feretrum, et reportate me ad Ursani locum, quoniam scio ex hac infirmitate me moriturum. » Quod postquam agnovit hospes ejus, ait ei: « Noli, quæso, magister, quod dicis facere: sed potius hic requiesce, quousque videas si poteris ex hac invaletudine convalescere. » Ipse vero quasi privatim dicebat soladibus suis: Quidquid alii dicant, nolite curare: sed quod vobis præcepi, properanter facite. » Apparet profecto quod sentiebat obitum suum imminere; sed ne sua gens pro corpore suo laboraret, volebat ad Ursanum redire, dum vivus erat. Præparato itaque sicut præceperat, ligneo feretro, ad castellum, quod Issoldunum (26) dicitur, eum apportaverunt, ibique hospitati sunt. Hospes vero qui eum suscepit, cœpit eos multis modis rogare, ut apud eum concederent infirmum suum impensare. Quod ubi ad aures magistri Roberti pervenit, vocatis sociis suis, ait illis: « Nolite, filii, hospitis nostri consilio acquiescere, sed, sicut vobis jam dixi, ad Ursanum potius me reducite. » Et quoniam ipse Petronillam et Angardim, sicut supra diximus, ad alia loca visitare Dominicum ovile transmiserat, præsentiens finem suum appropinquare, misit post ea legatum, ut venirent Ursanum festinanter eum visitare.

26. Mane autem facto Issoldunum relinquentes, ad Ursanum (sic ipse præceperat) sanctissimum infirmum deportaverunt. Eodem namque tempore quædam nobilis monacha, Agnes nomine, Ursani prioratum tenebat, quæ illi valde oppido chara habebatur, eo quod ipsa consilio ejus, fallaces sæculi divitias, quæ sibi multum blandiebantur, reliquerat, et pro Christo paupertatem delegerat. Quæ cum cognovisset tam gravem magistri infirmitatem, quantum mœrorem habuerit non facile dictu. Quis enim referre posset, quam magnum dolorem habuerunt ejusdem loci fratres atque sorores, audita doctoris nostri tam gravi infirmitate? Revera enim timebant, tanto scilicet ac tali viduari pastore. Advesperante autem Dominico die quo sanus æger Ursanum asportatus fuerat, cœpit ipse Fontis Ebraldi nomen pie ingeminare, dicens: « O Fons Evraldi, Fons Evraldi, tam æstimavi in te jacere! » Cui cum Andreas, fidelis collega ejus, diceret: « Pulcher magister, quid est quod dicis? Si sentis hic finem esse saltem fac quod tuum est, impera corpus tuum post obitum ad Fontem Evraldi portare. » Ille respondit: « Et quare meum cadaver hinc portaretur? Nam per omnes busnachias (ut verbis illius utar, ablatum esset a vobis. »

27. Alia autem die, secunda scilicet feria, rogavit sibi dari viaticum corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi: quia enim longius profecturum se esse providebat, idcirco saluberrimum illud viaticum humillima devotione sibi dari poscebat, sine quo viator quilibet errabundus omnino deviat. Allato autem ad eum corpore Dominico, cœpit cum internis gemitibus, atque profundis suspiriis gratuitam misericordiam ab eo petere, seque inutilem servum dicere, et in cunctis operibus suis se accusare. Verum sciebat prudens lector, quod Deus ita mandaverat: *Cum omnia* inquit, *quæ præcepta sunt vobis, feceritis, dicite: Servi inutiles sumus*, etc. (*Luc.* XVII, 10). Illum quippe justum imitabatur, qui cum perfectus esset, omnia opera sua vereri se fatebatur. Geminum etenim planctum agebat: dolebat multum de eo quod nonnunquam Dominica præcepta præterierat: pœnitebat ex altera parte ex hoc quod omnia mandata non observaverat. Et, ut verba ejus

(24) Quomodo si Andreas Vitæ hujus scriptor est, et hujus itineris B. Roberto comes fuit, ea quæ habentur cap. præcedenti n. 20 ait se « Petro narrante didicisse, » cum ea ipsemet spectasset?

(25) *Grassay* Gallice vocant, aut *Graçay*, oppidum est in Biturigibus.

(26) *Issoudun* Gallice, oppidum est in eorumdem Biturigum ditione.

dicam epilogando, se servum inutilem fuisse per omnia plangebat ejulando. Postquam autem innumeralibiter se ipsum accusavit, accepta pœnitentia, nihil de propriis meritis præsumens, sed misericordiam assidue deprecando, Dominicum corpus accepit. Audiant hic, qui corpus Dominicum ad damnationem suam indiscrete accipere audent : ut vel sua peccata per sanctam pœnitentiam, dum licet, deleant; vel certe si noluerint, tam admirabile sacramentum indigne suscipere vereantur. Aperte enim clamat Apostolus, quia *Qui manducat et bibit indigne*, etc. (*I Cor.* IX, 19). Si enim tantus ac talis vir tam timide sacrosanctum corpus Dominicum accepit, multo magis nos peccatores, tremebundi atque flebiles accedere debemus : qui etiamsi multum profecerimus, finem nostrum ejus pretio coæquare non audemus.

28. Præterunte autem secunda feria, quia non dubitabat vir bonus exitum suum propinquum esse, voluit omnia sanctæ Ecclesiæ sacramenta, utpote Christianissimus, in se suscipere. Petiit ergo devote tertia feria, ut benedicto oleo ungeretur : credens profecto apostoli Jacobi verbis (v, 15), quod scilicet per hujus operationem mysterii peccata hominibus dimittuntur. Unctus autem salutifero unguento, iterum munivit sese non sine interno gemitu, corpore Dominico : nec tantummodo his duobus diebus eucharitia Christi semet munivit, sed etiam omnibus diebus, quibus in ipsa infirmitate jacuit. Sed quis poterit narrare qualiter, vel quibus modis ante corpus Domini se semper studuit accusare? Fatentur illi, qui ibi esse meruerunt, quia an unquam ante corpus Dominicum se plus accusaverit, omnino nesciunt. Nullus est, nullus enim prædo (27), nullus denique sic se accusabat latro; cum enim scriptum sit : *Justus in primis accusator est sui* (*Prov.* XVIII, 17); patet profecto quod ipse justus fuerit, qui, quamvis singulari conversatione vixisset, tamen se tam multicipliter accusavit.

CAPUT VI.

Sepultura a B. Roberto expetita in Fonte Ebraldi.

29. Eadem vero tempestate Leodegarius, vir vita floridus et ætate, Bituricensis diœcesis archiepiscopatum tenebat, quem, nisi fallor, inseparabilis dilectio magistro Roberto conglutinabat : tanto namque, ut reor, amore invicem conjungebatur, ut quod unus vellet, alius vix denegaret. De hoc siquidem Leodegario multa virtutum præconia possem referre : sed quoniam (28) adhuc inter innumeras hujus exsilii procellas, in incerto navigat, ipsa humana ignorantia, velim nolim, cogit me tacere. Nec enim omnis qui cœperit, sed qui ad finem usque perseveraverit, hic salvus erit. Huic itaque felicis memoriæ Robertus nuntium quemdam transmisit, et ut eum visitare dignaretur, deprecando mandaverat. Ille vero audita ejus infirmitate festinat devotus eum visitare. Postquam autem advenit, villulam ipsam suis famulis die ac nocte caute custodire præcepit : timebat namque tanto patrono viduari, et ideo præcipiebat ipsam villulam solerter observari. Non solum Bituricencis archiepiscopus Robertum nostrum tunc visitavit, sed etiam nonnulli principes illius terræ eum curiose visitatum venere. Similiter autem et ipsi Ursani villam suam custodibus studiose munierunt, dicentes se esse beatos, si tanto mererentur decorari patrono. Quotque autem cum visitare veniebant, ab eo utique consolationis bravium accipiebant. Nam licet infirmus esset in corpore, studebat tamen ex more suo, circumstantibus populis salutifera prædicationis monita impendere.

30. Interea vero nuntius, qui transmissus fuerat post abbatissam, ad Podiam (29) usque pervenit : ibique eam reperiens, et cur eam sequeretur, aperiens continuo protulit, et ut velociter reverteretur ad Ursanum, commonuit. Illa vero atque Augardis quæ cum ea erat, tam tristi territæ nuntio, moram habere in eundo nesciverunt, sed ante diem a Podia moventur. Tandem miseræ atque flebiles Ursanum venerunt. Venientes autem ante incolumem infirmum, exlamavit Petronilla, et ait : « Heu, bone magister! jam nullum bonum nobis amodo facies. » Angardis (30) vero quæ cum ea venerat, pie increpabat eam, dicens : « Desine, bona femina, talia dicere verba : sed magis Deum rogita ut dignetur et sanitatem adhuc præstare. Ille enim qui ei hanc infirmitatem præbuit, cum placuerit, et sanitatem præbebit. » Dicebant etiam nonnulli, quod ex illa infirmitate non moreretur : ipse vero aliud affirmabat.

31. Longum quidem est per singula recitare, quomodo prudens infirmus in hac infirmitate studuerit utriusque sexus visitatores, sale condito sermone commonefacere; sed quoniam nolo lectorem meum fastidire, ad ea quæ tertia die ante finem peregit. volo transire. Quarta itaque feria ante obitum suum, jussit (31) Leodegarium vener. Bituricensem archiepiscopum, qui eum, sicut diximus, visitatum venerat, ad se vocari, et ait illi : « O charissime Pater, tu es meus archiepiscopus, meus primas ac patriarcha. Tu scis, quomodo nunc usque te semper amavi, et quomodo tibi obediens fui. Scis etiam quod propter dulcem amorem tuum in has partes primitus veni. Rogasti etenim me, ut aliquas de bonis feminis meis traderem tibi, et tradidi. Tuo monitu atque rogatu in hanc provinciam eas transmisi. Non habebam, sicut scis, hic domos, non ullas possessiones, non agros. Præparasti eis pro animæ tuæ tuorumque salute hunc locum : ædificasti eis, inspirante Deo, hoc habitaculum, quo possent faceret

(27) Cosnieri editio, *pudor*, sed postea admonuit in alio ms. haberi *prædo*.

(28) Obiit ut cl. Robertus scribit, 31 Mart. 1120, unde patet, quando scripta sit hæc Vita.

(29) Gallice *La Puye*.

(30) Aliud ms. *misit*.

(31) Aliud ms. ut superius, *Augardis*.

die ac nocte Dei servitum : nullas huc adduxere possessiones, non aurum, non argentum, non denique suppellectilia : acquisisti eis terras, victum atque vestitum, cæteraque necessaria, et facto et verbo. Gavisus es multum de earum adventu, et nunc usque multis modis honorasti,et bene servasti.Ecce itaque volente Deo, ego iter omnis carnis aggredior, et jam tempus resolutionis meæ instat : nec enim melior suum qnam patres nostri. Quaproter donec superest in me halitus, quandiu possum loqui, commendo filias meas, et omnia quæ illarum sunt, tuæ dilectioni, ut tu, qui eas huc venire fecisti, pie custodias,earumque curam sollicitus amodo habeas.

32. « Volo præterea amicitiæ tuæ voluntatem cordis mei dicere:volo sanctitati tuæ desiderium meum aperire. Appareat in fine, si vivendo unquam dilexisti : manifestum sit si charum, ut dicebas, unquam me habuisti : non enim ignoras,quod non est vera dilectio in solis verbis, sed sancta teste Scriptura, probatio dilectionis exhibitio est in operibus. *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, et veritate* (*I Joan.* III, 18). Notum igitur, charissime Pater tibi facio, quod nolo jacere in Bethleem, ubi Deus de Virgine nasci dignatus est, nec etiam Jerosolymis in sancto sepulcro; nolo etiam in Roma sepeliri inter sanctos martyres,nec in Cluniaco monasterio, ubi fiunt pulchræ processiones : nec tamen hæc dico, quod contemnam sanctissima loca, quæ scio ob reverentiam Dominicæ incarnationis vere amanda, recolenda ac veneranda. Omnes enim fideles debent Bethlehem sanctam magnifice venerari, quæ a prophetis laudata, Dominica nativitate meruit decorari. Licet enim Deus ubique sit,omnes tamen beatam Jerusalem quadam excellentia debent amando honorare, in qua Filius Dei per mortem suam dignatus est mundum redimere.Nullus etiam felicem Romam debet despicere,quæ tantorum martyrum pretioso purpurata sanguine, sacra testante Scriptura (32),omnem mundi pulchritudinem excellit. Quis denique sane sapiens audeat deprimere supremum Cluniacum monasterium, ubi quotidie Dei gratia tantum sit beneficium?

33. « Nolo postremo humari in quolibet loco alio, nisi solum in Fontis Evraldi loco, Scis enim, mi Pater, quod ego locum Fontis Evraldi omnium aliorum locorum caput constitui : ibi etiam est major pars nostræ congreg,ibi etiam fundamentum nostræ religionis. Non rogo te ut spelias me in monasterio, vel in claustro ; sed tantum inter fraterculos meos in Fontis Evraldi luto.Ibi etiam sunt presbyteri mei, atque clerici : ibi etiam sunt sanctæ virgines, viduæ et continentes, die ac nocte in Dei laudibus perseverantes : ibi sunt mei dilectissimi infirmi atque infirmæ: ibi sunt charissimi mei lepros[1] atque leprosæ meæ: ibi sunt boni socii peregrinationis meæ : ibi sunt illi, qui paupertates et labores pro Christo mecum diu sustinuere : ibi sunt, qui frigora et calores, miserias et tribulationes pro animarum suarum salute patienter sustinuerunt : qui ad vocem prædicationis meæ, inspirante Deo, et se et sua reliquerunt : quorum alii corpore vivunt, alii vero in obedientia perseverantes obierunt. Ibi jacet Hersendis monacha, bona coadjutrix mea, cujus consilio et opere construxi Fontis Evraldi ædificia. Ibi jacent boni filii mei, quorum precibus apud Deum confido me suffragari.Ibi dormiunt bonæ monachæ meæ, quarum meritis credo apud Deum adjuvari. Hæc causa est charissime, pro qua sanctissimorum locorum sepulturam refuto, quod nimirum inter parvulos fraterculos meos atque sorores in luto sepeliri cupio : scio enim quod viventes desiderant ibi me jacere, quatenus in die sanctæ resurrectionis, in hac eadem carne cum illis ad judicium Dei queam ire.

34. « Si enim ibi sepultus fuero, et viventes eumdem locum amplius diligent, et illi, quos diabolus per inobedientiam captivat, misericordiam quærere venient. Audient enim dicere, quod ego in Fonte Evraldi jaceo : et dum ad memoriam reducent, quod Deus per me eos a sæculo nequam eripuit, et quod multa bona eis per me distribuit, amore meo constricti, festinabunt ad obedientiam suam reverti. Quis enim meæ congregationis tam ferrea viscera portat, ut, dum mei perfecte recordatus fueritt,vel gemendo, vel suspirando sese non molliat? Dum itaque ad mentem revocabunt qualiter eos semper dilexi, qualiterve eos instruxi, vel quomodo doctrina sua Deus eos per me satiavit; aliqui divina inspiratione tantis benificiis vocati, atque pœnitentia commoti, ante tumbam meam misericordiam a Deo competere venient- Et quoniam sentio hoc adfuturum, commendo posteritati meæ, ut nulli misericordiam hanc quærenti, denegetur reconciliationis beneficium.Si autem placuerit misericordiæ Auctori, ut unquam, non meis meritis, de quibus nihil præsumo, sed sola sua gratuita pietate, dignetur mihi aliquid præstare; studebo ipsum misericordiæ fontem pro omni congregatione mea jugiter interpellare : quia ibi non est vita, ibi deest verus amor. Pro posse meo diligam : quoniam in hac vita illos non diligere potero. Scio enim quamlibet sepulturam defuncto non nocere : credo procul dubio Dominum ubique auxilium, cui voluerit, posse præbere : attamen hæc,quam prædixi, causa est, quare in istis locis jacere requiro : hæc occasio est, cur in cœmeterio Fontebraldensi meum cadaver inhumari jubeo. Quam ob causam, sanctitatis tuæ reverentiam humiliter prece imploro,ut tu corpus meum sanctimonialibus nostris reddas, atque ad Fontem Evraldi usque perducas, ibique tuo sancto ore, sepulturæ meæ officium facias. Modo apparebit in finem, si unquam in vita me veraciter dilexisti. Si ergo cordialis amicus mihi fuisti, si unquam tibi

(32) Imo hymno de SS. Petro et Paulo.

amicus extiti, concede mihi, obsecro, quod postulavi. »

35. Ille vero, nolens suam diœcesim tanto thesauro spoliari, respondit illi, et ait : « Ego, charissime magister, sicut jandudum cœpi, mente integra multum te diligo : sed hoc quod petis a me, non est totum in mea potestate, sed ex magna parte in principibus istius terræ. Tu enim cognoscis, quod locus iste sit in terra cujusdam principis, nomine Alardi, quem etiam ipse ex magna parte ædificavit. Nolo enim tibi me casum promittere, quam postea non possum implere : sed sine me crastina die hac re consilium accipere. »

36. Quo audito, Andreas sacerdos dixit magistro : « Noverit dilectio tua magister bone, quod Agnes hujus loci priorissa, poterit multum petitionem tuam aut adjuvare, aut nocere. Quamobrem obsecra eam, ut perficiat ex parte sua petitionem tuam : est enim indigena istius terræ, et Alardus fuit vir ejus, qui est dominus istius villæ. » Vocavit itaque eam vir prudens et ait illi : « O domina Agnes impero tibi obsecrando, et obsecro imperando, sicuti dominæ meæ, filiæ atque discipulæ, ut facias quantumcunque poteris de hac re, quam ab archiepiscopo fieri postulavi. » Cui ista respondit : « Bone magister, vultis vos ut faciam illud? » Ille vero inquit : « Volo, filia, omnino, atque desidero : et tali pacto osculari manum meam tibi præcipio. » Illa vero osculans venerabilem illius manum, promisit se facere quod flagitaverat desiderium.

CAPUT VII.

B. Roberti sub mortem preces, professio fidei, publica peccatorum sacramentalis confessio.

37. Post hæc illi qui circumstabant, cœperunt ei dicere : « O bone magister deberes Deum rogare, eo quod sentis te morti ita propinquum. » Quibus ille respondit : « Ego certe Deum deprecari multum desidero : sed propter vos, qui me impeditis, omnino non valeo recedite, et abite, ut saltem Deum meum amodo possim orare. » Omnibus vero egressis, cœpit Deum ipse humiliter rogitare, ut pro sua pietate Romanum papam, et omnes doctores (33) suæ Ecclesiæ, in proposito sanctæ religionis dignetur ad finem usque servare. Tunc etiam cœpit hospites suos nominatim referre, et pro singulis orationem Deo offerre. Oravit etiam tunc pro omnibus benefactoribus suis, et inimicis, et pro cunctis fidelibus vivis atque defunctis. Ad ultimum etiam cœpit pro Willelmo Pictaviensium comite qui exigentibus suis meritis excommunicationis gladio tunc sauciatus erat, Dominum exorare, ut si ejus providentia esset, pro sua benignitate dignaretur eum ad viam veritatis revocare. Apparet profecto quam magna vir iste plenus fuerit charitate, qui ad finem usque perseveravit pro amicis et inimicis suis tanta devotione orare. Patet liquido, quod inimicos suos ut se diligebat qui A eis dari illud orando optabat, quod sibi ipsi a Deo tribui cupiebat : quin etiam clarius constat, quam amicos suos sapienter amabat pro quibus orationis munus Domino meo dulciter offerebat. Persequamur, si possumus, qua viligantia cætera legis mandata observabat. Quin etiam, quod gravius esse solet, inimicis suis bona retribuebat : licet enim ipse, volente Deo in pace occubuerit, credo tamen quod martyrii palmam non amisit. Et ne fortassis quod dico, quoquo modo displiceat, audiat sanctam Scripturam sic affirmantem et dicentem : Martyrium non in sola effusione sanguinis, sed abstinentia peccatorum, et exercitatione mandatorum Dei perficies. Hinc rursus scriptum est : Omnia vita Christiani hominis, crux est et martyrium.

B 38. Postquam autem pro cuncto populo Christiano, orationes ad Dominum diutissime fudisset, cum jam ab eo pene omnes recessissent, intempestatæ noctis silentio Petrum quemdam fratrem laicum, qui cum eo assidue erat, ad se vocavit, et ait illi : « Voca ad me Andram sacerdotem. » Veniente autem Andrea, dixit illi : « Affer mihi, obsecro, lignum sanctæ crucis. » Allata autem sancta cruce, de stratis suis virtute qua potuit, lætabuntus exilivit, et ante crucem cum magna reverentia genua sua flexit, et quid in se de Deo sentiret, circumstantibus aperuit. Tunc confirmabatur se credere, quod Deus omnipotens, unus in trinitate, et trinus in unitate, ipsum cœlum et terram, et omnia quæ in eis sunt, imperio voluntatis suæ fecerit. Confitebatur etiam C quod Luciferum, qui mane oriebatur, qui est principium viarum Dei habentem signaculum similitudinis Dei, plenum sapientia et decore, omni lapide pretioso ornatum, in paradiso Deus collocaverit. Referebat etiam se credere, qualiter ille nullo suadente per superbiam suam sponte ceciderit; et qualiter ad (34) restaurationem ejus, Deus hominem e limo terræ ad imaginem et similitudinem suam mirabiter condiderit. Memorabat quomodo per invidiam diaboli in orbem terrarum mors introierit, vel quomodo fraudulentus hostis hominem de parasido expulerit. Revocabat etiam ad memoriam, quantas cæcitatis tenebras, quantasque miserias humanum genus usque ad mundi finem sustineat, pro eo quod primus homo Dominicum præceptum præteriit. His D autem addebat quemadmodum humanum genus, exigentibus suis peccatis, aquis diluvii perierit : et quemadmodum Deus octo animas in arca Noe salvaverit. His adjungebat, quam gloriose Deus filios Israel de Ægyptiaca servitute liberaverit, et quam mirifice (pereuntibus in deserto murmuratoribus) credentes in terram promissionis introduxerit.

39. Dicebat etiam pronus ante sanctam crucem, qualiter Dei Filius descendens in uturum sanctæ Virginis, novum, sicut ille promiserat, cœlum et

(33) Aliud ms. *sanctæ*.

(34) Ad reparandas, ut vulgo dicitur lapsorum agelor. ruinas sive ad replenda, e quibus deturbati sunt, cœlestis civitatis spatia.

terram fecerit, vel qualiter in Bethlehem nasci, et A in præsepio poni, atque vilibus pannis involvi pro nostra salute, nullis nostris præcedentibus meritis, sed sola misericordia voluerit. Profitebatur etiam quod non solum Deus homo pro hominibus dignatus est fieri, sed etiam (quod mirabilius est) circumcidi, baptizari, et jejunare. Recordabatur suspirando, quod panis vivus, qui de cœlo descendit, ut nos satieret, esuriit; quod fons vivus, ut a perpetua siti liberaret, sitivit. Revocabat etiam ad memoriam gemens atque suspirans; quod ille qui voluntate omnia condidit, factus homo pro hominibus, derisiones et sputa, colaphos atque flagella, injurias atque vulnera, et ad ultimum crucis mortem pro hominum redemptione sustinere voluntarie dignatus est. His copulabat vir pius Do- B minicam resurrectionem, et ad cœlos ascensionem, atque Spiritus sancti adventum: his etiam similiter adjungebat futurum in finem sæculi judicium, in quo Deus reddet unicuique juxta suum meritum.

40. Ad ultimum adnectebat his, qualiter Deus omnipotens ex quodam seniculo, et ex quadam paupercula muliere eum nasci fecerit: et qualiter ei postea innumerabilia bona, sine præcedentibus meritis, præbuerit. Post hæc agebat omnipotenti Deo multimodas gratias, pro his aliisque innumerabilibus beneficiis humano generi collatis gratis: reddebat etiam Deo magnificas gratias eo quod sibi, aliorum meritis, tot et tanta beneficia tribuisset.

41. Postquam autem vir catholicus suam creduli- C tatem coram sancta cruce, audientibus illis qui ibi erant, plenarie narravit; dehinc peccatorum suorum confessionem inaudite se accusando, publice manifestavit, dicens: « Audi, presbyter, peccata mea, quin etiam audite, cœli et terra; Filius Dei venit in mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum. Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis enutritus, innumerabilibus modis mea culpa peccavi. » Tunc confitebatur coram omnibus se reprehendendo, quod dum esset puerulus, et comederet cum matre, pulchriores cibos accipiebat: et dum plueret, ipse, siccitatem desiderabat, et e contrario, referebat se etiam arguendo quod, dum adhuc esset sæcularis, in ordinatione cujusdam Redonensis episcopi (35), in venenum Simoniæ semel inciderit; confitebatur etiam quod Deus magnam litterarum scientiam, atque prædicationis gratiam ei gratis præstiterat. Se pœnitebat de eo quod talentum sibi a Deo creditum non, ut deberet, multiplicaverat. Tunc dicebat quod ipse religionem mulierum coadunaverat, quæ laborem sanctæ religionis pro Deo excellenter sustinebant, sed ipse solus earum laudem habuerat.

42. Ubi quidem hic locus dicendi est, si singulatim narrare vellem, qualiter vel quibus modis coram sancta cruce sese accusaverit? Postquam autem immemorabiliter se arguendo accusavit, singula nominando peccata, omnium peccatorum suorum absolutionem a Deo humili supplicatione petiit, et ut ei finem suum in proximo donare dignaretur, post hæc exoravit. Certum quidem est quod Deus servum suum in hac oratione exaudierit; quem non longe post a vinculis carneis absolutum, a mundi hujus exsilio abstraxit.

(35) Hoc peccatum ejusdem generis videtur, cujus prædicta duo, quod « puerulus pulchriores cibos » sibi appositos comederit, quodque « dum plueret, siccitatem desiderarit; » in quibus non facile culpam deprehendere queas. Nempe bonarum mentium est, ibi quoque culpam agnoscere, ubi culpa non est. Ita referebat B. Robertus se « in venenum Simoniæ semel incidisse, in ordinatione cujusdam Redonensis episcopi. » Fuerunt illius tempore tres Redonenses episc.: Mainus, sive Meen, Silvester, Marbodus. Mainus ordinatus traditur 11 annis aut circ. ante Roberti nativitatem. Silvester vero cum forte 24 annorum esset Robertus. Quid vero tunc ut ille episcopus crearetur conferre hic potuit, tenuit in re nulla adhuc doctrinæ opinione, alteriusve rei commendatione? Nec id dicit, sed « in venenum incidisse Simoniæ, » quia fortassis, dum illum audiret aut etiam videret ordinari, eo venerit in mentem ut eniteretur ad insignem doctrinam, quo ad similem perveniret dignitatem, excogitando quibus modis principis et cleri sibi comparare favorem posset. Cum autem sub eodem Silvestro archipresbyter exstirpare Simoniam tanto studio conatus sit, ut supra narratum, non est credibile ubi Marbodus antistes est creatus, eum ulla ratione talem contrahere culpam potuisse. Et fortassis ipse tunc Redones reliquerat, atque Andegavum migrarat.

CHARTA ABBATIÆ GRANDIMONTIS

(PAVILLON, *Vie de Robert d'Arbrissel*, preuves, p. 544, ex antiquo ms.)

Robertus de Arbrissello, vir aptus ad animas lu- D crandas et ad verbum Dei prædicandum, cœnobium quod Fons Ebraudi dicitur in confinio soli Andegaviæ, Turoniæ et Pictaviæ, anno Domini 1106 ædificare cœpit, et sanctimoniales feminas sub arctissima regula ibidem congregans Petronillam abbatissam præfecit; qua defuncta ei successit in regimine ejusdem monasterii Mathildis soror Gaufridi comitis Andegavensis, etc.

Hi tres socii in religione fuerunt, Vitalis eremita, qui fuerat capellanus comitis Morithonii Abrincensis diœcesis, ac Robertus de Abrissello, et Radulphus de Fusteia. Hi singuli singula monasteria fundaverunt.

REGULÆ SANCTIMONIALIUM

FONTIS EBRALDI.

(Michael Cosnier, *Exordium Fontis Ebraldi.* Flexiæ 1641, 4o, p. 201.)

—

Hæc sunt capitula regularia magistri nostri domini Roberti de Arbrisello, Petronillæ primæ abbatissæ et nobis sanctimonialibus Ecclesiæ Fontis Ebraldi, et aliarum cellarum eidem Ecclesiæ pertinentium, data ab ipso ad custodiam religionis et disciplinæ, dum viveret.

De habitu decenti sive modestia corporis.

I. Ut claustrales sanctimoniales omni tempore silentium teneant, exceptis illis quæ exteriora procurant, quæ tamen leviter non in clamosa voce, et necessaria verba loquantur.

II. Ut quælibet signa non faciant nisi necessaria.

III. Ut honestatem et gravitatem claustralem, in quantum poterunt intus et extra custodiant.

IV. Ut omnes insimul eant ad ecclesiam, et insimul redeant, nulla earum aliquam ob causam in ecclesia remanente.

De vestimentis sive exteriori cultu.

V. Ut nunquam habeant vela nisi linea.

VI. Ut gimpæ albæ earum nunquam appareant, velis eas operientibus.

VII. Ut capillos non nuntiant suos.

VIII. Ut nunquam habeant tunicas et mantellos nisi de vilioribus pannis illius terræ, nativi coloris et intonsis, ad modum pedis et non ultra.

IX. Ut manicæ tunicarum habeant latitudinis duos pedes, et longitudinem usque ad genua.

X. Ut nunquam habeant pelles, sive pellicias, vel coopertoria in lectis nisi agnina.

XI. Ut manicas pelliciarum faciant strictas, habeantque longitudinem ad summitatem digitorum, et dimidii pedis latitudinem pugno.

XII. Ut non habeant vestimenta fimbriata, neque in dorso neque in lecto, præter belamiam, sed incisa consuantur, ut tunicæ et chlamides et cætera omnia.

XIII. Ut nunquam habeant superpelliceas nisi(1) abbas.

XIV. Ut nunquam habeant zonas ad cingendum nisi laneas.

XV. Ut nunquam induant gantos.

XVI. Ut nunquam sinant crescere capillos suos, sed tribus vicibus in anno radent illos novacula, sive forcipibus tundant per totum usque ad testam.

A *De itinere faciendo extra claustrum.*

XVII. Ut abbatissa aut priorissa non ducat secum in equitando quamlibet de nutritiis, vel juvenibus claustralibus.

XVIII. Ut nulla equitet sine duobus religiosis, et uno sæculari ; et ad minus uno religioso, et uno sæculari.

XIX. Ut nulla loquatur in itinere nisi abbatissa, aut priorissa, donec perveniant ad hospitium.

De coquina.

XX. Ut ipsæmet sanctimoniales faciant coquinam.

De librorum dispositione.

XXI. Ut nulla earum præsumat extra libros Ec-
B clesiæ alicui tradere, aut alios a foris suscipere sine licentia abbatissæ.

De introductione in claustrum.

XXII. Ut nulla præsumat, nec decana, nec priorissa, aliquem ad religionem suscipere sine præsentia abbatissæ.

De clausura et occultatione monialium.

XXIII. Ut scholares et magistræ earum semper habeant custodem unam de senioribus conversis.

XXIV. Ut nulla sanctimonialium ostendatur foris alicui nisi jussu abbatissæ : cum de aliqua hoc præceperit abbatissa, priorissa, sive celeraria custodiat illam.

XXV. Ut se de pace nunquam osculentur, sed marmor eis traditum per fenestram ab omnibus
C osculetur secretana illud administrante.

XXVI. Ut ad uulla opera facienda foras exeant de claustro.

XXVII. Ut sanctimoniales aliarum ecclesiarum non ingrediantur conventum earum, nisi abbatissa illas introduxerit, vel cui impositum est ab abbatissa.

XXVIII. Ut nulli liceat ingredi claustrum, sive

(1) Quidam tollunt *nisi*.

capitulum, sive reliquas officinas sine præsentia abbatissæ.

De clausura monialium.

XXIX. Si vero aliquis dives homo aut peregrinus Christianus claustrum earum, absente abbatissa, videre cupierit; sanctimoniales abscondentur; et omnia necessaria custodiantur; et tunc fores ecclesiæ aperiantur; et sic a majori priorissa sive celeraria et duobus vel tribus fratribus deforis intus illi homines introducentur; et claustrum, et capitulum, et monasterium et refectorium illis ostendatur.

XXX. Ut ostium ad altare a foris nunquam aperiatur nisi a celeraria; et nulla ingrediatur in chorum altaris sola, nec celeraria nec alia aliqua.

De officio celebrando et clausura.

XXXI. Ut in ecclesiis earum nunquam vigiliæ fiant a sæcularibus.

XXXII. Ut dormitorium earum semper in die una conversa custodiat, et duæ in nocte, vel quatuor: ante nocturnos una, et alia post usque ad diem, et hæc cum candela.

XXXIII. Ut sacerdote ad celebrandum missam veniente, nunquam aperiatur ostium chori monialium, nisi solummodo ad communicandum, et cum communicaverit, abbatissa, vel decana, sive celeraria ibi semper custodiat.

XXXIV. Ut etiam cum presbytero et levita unus de clericis ad eas communicandas remaneat.

XXXV. Ut matutinali missa finita, aqua benedicatur, et benedicta sacerdos egrediatur, et celeraria et secretaria ad firmandum ostium post eum: videantque celeraria et secretaria, ne ulli sacerdotes chorum ulla hora diei et noctis soli ingrediantur.

De officio ecclesiæ celebrando.

XXXVI. Ut presbyter vel diaconus nunquam ad matutinas legat eis evangelium, præter *Liber generationis* in Natali Domini et in Epiphania Domini, *Factum est.*

XXXVII. Ut in purificatione S. Mariæ presbyter post missam matutinalem cereos et candelas benedicat, et benedictis recedat.

XXXVIII. Ut in Ramis Palmarum post missam matutinalem rami et flores benedicantur, et evangelium, *Cum appropinquasset*, a sacerdote dicatur. Ipsæ postea solæ sine presbyteris et clericis faciant processionem per claustrum, et adorent crucem.

XXXIX. Ut in Parasceve cum presbyteris et clericis cantent *Popule meus*, et *Agios* sine eis, ita ut illæ nunquam eis respondeant.

XL. Ut infirmæ nunquam inungantur, aut communicentur, nisi in ecclesia.

De ritibus ecclesiasticis.

XLI. Ut defunctis, sorores eis faciant obsequium, presbyteris tantummodo collectas ad altare dicentibus; facto autem obsequio egrediantur sorores in claustrum, et celeraria sit parata, cum una de senioribus ad ostium sacerdotibus et fratribus aperiendum. Tunc sacerdotes et fratres deferant corpus ad tumulum, illis in claustro remanentibus, et nunquam ad sepulturam defunctæ euntibus.

XLII. Ut nullum scienter excommunicatum in cœmeterio suo recipiant.

XLIII. Ut major priorissa recipiatur ubique et in ecclesiis Fontis Ebraldi, et in omnibus cellis ejusdem Ecclesiæ, et obediatur ei, habeatque potestatem post abbatissam de negotiis ecclesiæ agendis.

XLIV. Ut defuncta abbatissa in status sui dignitate permaneat et plenariam potestatem habeat regendi ecclesiam, donec alia substituatur abbatissa de conversis sororibus; prout magister noster Robertus constituit et hoc cum oratione et jejunio.

Statutum abbatissæ.

Statuit etiam abbatissa ut in manum priorissæ majoris veniant decimæ denariorum et argenti, et pullorum, equarum, et vitulorum, et equorum, qui dabuntur ecclesiæ, ut ipsa ex hujusmodi donis faciat pitantias in refectorio in septimana, non in Dominicis nec in festis diebus.

PRÆCEPTA RECTE VIVENDI.

(Cosnier *ibid.* p. 208.)

Hæc præcepta recte vivendi et obediendi Deo et B. Mariæ, et serviendi sanctimonialibus Fontis Ebraldi, dedit magister Robertus presbyteris, clericis, laicis qui ejus doctrinam, habitum sanctæ conversationis susceperint; qui spontanea voluntate sua et gratuita dilectione promiserint se sanctimonialibus sub vinculo obedientiæ, usque ad mortem servituros; et cum debitæ subjectionis reverentia. Hanc autem subjectionem non tantum loco Fontis Ebraldi fecerint, sed etiam omnibus cellis loco illi pertinentibus; quibus devotis hæc præcepta dedit in sequenti posita.

De officio.

I. Ut canonicum celebrent officium.

De paupertate in victu.

II. Ut claustralem et communem vitam sine proprio teneant, contenti his quæ sibi a sanctimonialibus collata fuerint.

III. Ut regulares disciplinas teneant silentio.

De vestibus.

IV. Ut non habeant mantellos, nec camisias nigras.

V. Ut zonas et lumbaria lanea habeant.

VI. (2) Ut cutellos pretii duorum denariorum habeant, et vaginas unius denarii, et non amplius.

VII. Ut ter in annum sanguinem minuant.

VIII. Ut reliquiæ ciborum fratrum deferantur ad portam sanctimonialium; et ibi dentur pauperibus.

IX. Ut modus ciborum et lectorum apud Fontem Ebraldi statutus a fratribus ubique teneatur, et præcepta ibi descripta.

De communitate vitæ.

X. Ut omnibus Dominicis et festis diebus omnes ad habitum ad missam veniant, et ad capitulum, nec inde recedant nisi per licentiam prioris.

De segregatione a rebus sæcularibus.

XI. Ut fidei jussionibus non deserviant.

XII. Ut res aliorum in suo conductu non capiant, neque aliquam bestiam ad partem nutriant.

XIII. Ut terram suam non dent ad habitandum hominibus sæcularibus.

XIV. Ut fratres in domibus suis non recipiant mulieres ad opera sua facienda.

De processionibus.

XV. Ut in processionibus non induantur fratres clerici superpellicia, nec albas, nisi solus presbyter.

XVI. Ut fratres processiones non faciant nisi in claustra; præter in Hosanna, et in obsequiis mortuorum.

De omnium denudatione.

XVII. Ut annona, et vinum, et pisces, et denarii, et omnia necessaria veniant in manum celerariæ, et ipsa distribuet cum consilio et præcepto abbatissæ, vel priorissæ.

A *De culpis et pœnitentia.*

XVIII. Si quis frater clamaverit fratrem in capitulo, sed cum silentio suam veniam faciat, et regularem disciplinam patienter accipiat.

XIX. Ut si quis in criminali peccato, aut in furto deprehensus fuerit; aut si aliquis quempidam verberaverit, aut proprietatem habuerit, aut inobediens et rebellis abbatissæ, aut priori suo exstiterit, acriter verberetur et in carcerem mittatur.

XX. Ut de levioribus culpis regularis fiat disciplina.

XXI. Ut si quis frater inobediens discesserit, et postea pœnitens redierit, ex præcepto abbatissæ in hospitium recipiatur, et post peractam pœnitentiam ab abbatissa misericordiam requirat, et per eam
B conventum fratrum recipiat.

XXII. Ut si quis priori suo per verecundiam crimen confiteri noluerit, antequam in crimine suo moriatur, aliis sacerdotibus confiteatur.

De officio.

XXIII. Ut nullus sacerdos parochialium præsumat celebrare officium, si non fuerit præ inopia sacerdotis fratris.

De non suscipiendis religionis.

XXIV. Ut nullus præsumat quemlibet ad religionem suscipere nisi abbatissa.

Vel extraneis.

XXV. Ut nullus extraneus recipiatur in conventum fratrum absque licentia abbatissæ.

De vestimentis.

C XXVI. Ut nunquam habeant pelliceos, sive coopertoria nisi de agnis.

XXVII. Ut cappas et tunicas et caligas unius coloris, et vilis pretii, et intonsas habeant.

Deo gratias.

Quæ sequuntur ex quibusdam chartis nobis ab uno venerabili et erudito sacerdote Fr. L. Cailleau, Fontis Ebraldi monacho, communicatis desumpsimus.

Inter vetusta statuta data Petronillæ primæ abbatissæ et sanctimonialibus ecclesiæ Fontis Ebraldi ad custodiam religionis et disciplinæ a reverendissimo Patre magistro Roberto.

(3) Ut claustrales sanctimoniales omni tempore silentium teneant, exceptis illis quæ in exteriora procurant.

(4) Ut quælibet signa non faciant nisi necessaria.

Ut carnes et sanguinea nunquam comedant, ne quidem infirmæ.

(5) Ut infirmæ nunquam inungantur, aut communionem percipiant, nisi in ecclesia.

Ut Petronilla electa a magistro Roberto et constituta abbatissa communi voluntate, et devota petitione tam sanctimonialium quam religiosorum fratrum habeat, obtineatque potestatem regendi ecclesiam Fontis Ebraldi, et omnium locorum eidem ecclesiæ pertinentium, et obediant ei; venerentur eam ut suam matrem spiritualem, in
D ejusque prudentia omnia ecclesiæ negotia tam spiritualia quam sæcularia permaneant, aut quibuscunque attribuerit, et prout constituerit.

Ipsa autem abbatissa prævidens in futurum hæc ita ordinavit (6) : ut major priorissa recipiatur ubique et in ecclesia Fontis Ebraldi et in omnibus cellis ejusdem ecclesiæ et obediant ei, habeatque potestatem post abbatissam de negotiis ecclesiæ agendis.

(7) Ut defuncta abbatissa in status sui digni-

(2) Sæculi rationem attende.
(3) Ex capp. 1, 2 Capitulorum regul., supra.
(4) ibid.
(5) Ex cap. 40.
(6) Ex cap. 43.
(7) Ex cap. 44.

tate permaneat et plenariam habeat potestatem regendi ecclesiam, donec alia substituatur abbatissa.

Hæc autem presbyteris, clericis, laicis qui ejus doctrina habitum sanctæ conversationis susceperint, qui spontanea sua voluntate et gratuita dilectione promiserint se sanctimonialibus sub vinculo obedientiæ usque ad mortem servituros : et est debitæ subjectionis reverentia : hanc autem subjectionem non tantum loco Fontis Ebraldi, sed etiam omnibus cellis loco illi pertimentibus devota hæc præcepta dedit in subsequenti posita.

(8) Ut canonicum celebrent officium.

(9) Ut claustralem et communem vitam sine proprio teneant contenti his quæ sibi a sanctimonialibus collata fuerint.

(10) Ut ter in annum sanguinem mittant.

(11) Ut reliquiæ ciborum fratrum deferantur ad portam sanctimonialium, et ibi dentur pauperibus.

(12) Ut non recipiant ecclesias parochiales, nec decimas earum.

(13) Ut non accommodent res suas sæcularibus.

(14) Ut nullus extraneus recipiatur in conventum fratrum absque licentia abbatissæ.

—

Hæc vero statuta desumpta sunt ex alio ms. per eumdem venerabilem sacerdotem.

(14) Si quid fuerit necesse, potius significetur signo quam verbo.

A (15) Claustrales per cunctas officinas silentium teneant.

(16) Si abbatissa, decana, cameraria, aut cellelaria aut alicujus loci priorissa in infirmitate posita sit, volens confiteri, nullatenus ad lectum sacerdos accedat, sed in capellam transportata ibi confiteatur et communicetur, et communicata egresso sacerdote ad lectum reportetur.

Sorores nunquam loquantur cum ullo homine, sine custode qui inter ipsos sedeat audiens quæ dicuntur, an utilia sint.

Abbatissa virgines suas sacrare volens ad civitates et castella nullatenus ad benedicendum eas ducere præsumat, sed accersito episcopo in cujus diœcesi sunt, in propria ecclesia benedicantur præ-

B sente abbatissa.

Consecrandæ tonsa capita habeant et convenienter de guymplis ligatæ, teneant in manibus cereos ardentes, et sic ad Evangelium prope altare introducantur ante episcopum. Sicque (ut est consuetudo) præsentibus virginum parentibus, cæterisque sæcularibus ad consecrationem earumdem venire volentibus consecrentur ab episcopo (16).

Sacratæ vero per novem dies communicentur, et usque ad nonum diem in contemplatione permaneant, et in quantum potuerint noctes pervigiles ducant, in claustro per hos dies minime sedeant, sed in ecclesia jugiter in orationibus persistant.

De conversis autem a sacerdote benedictis similiter agatur ; sed tantummodo per tres dies.

C

(8) Sic cap. 1 Præcept. recte vivendi, supra.
(9) Sic cap. 2.
(10) Sic cap. 7.
(11) Sic cap. 8.
(12) Juxta capp. 11, 12, 13, 14.
(13) Sic cap. 25.
(14) Juxta primam et secundam regulam sanctimonialium.
(15) Juxta cap 40.
(16) Nota sanctimoniales Fontis Ebraldi quamdam benedictionem suscipere solitas ab episcopis diœcesanis.

B. ROBERTI DE ARBRISSELLO

DIPLOMATA.

(Joannes De la Mainferme, *Clypeus Fontebraldensis*, Salmurii, tom. I, 1684 ; II, 1688, III, 1691, 8o, tom. I. pag. 119, 150).

—

I.

Charta Roberti de Arbrissello qua omnia monasteria tam virorum quam sanctimonialium commendat Petro Pictaviensi episcopo, scilicet quæ in ejus diœcesi sita sunt.

(Anno 1109.)

Petro Dei gratia venerabili Pictaviensi episcopo, venerabilibusque canonicis sanctæ Pictaviensis matricis Ecclesiæ, et eorum successoribus, F. Robertus de Arbrisello, salutem et debitam subjectionem.

D Ecclesiam sanctimonialium, fratres dilectissimi, quam in honore sanctæ Dei Genitricis semperque virginis Mariæ, opitulante Filii ipsius misericordia, et tua, Petre pater reverende, cooperante solertia, in vestra diœcesi in loco qui Fons Euvrandi vocatur, fundavimus, vestræ tuitionis patrocinio, post Domini, tradimus, et commendamus in perpetuum : ut Ecclesiæ vestræ tanquam charissimæ matri obediens filia specialiter privilegio dilectionis adhæreat, et falce vestræ defensionis, hostilium impugnatio-

num sentibus de ipsa resecatis, in frugem sanctæ A religionis fructificet nova plantatio, et sanctimoniales quas Dominus noster Jesus Christus per me licet indignum sacerdotem de luxu revocatas in loco supradicto plurimas, ad laudem et gloriam sui nominis congregavit, oblitis curis sæcularibus, sub vestræ protectionis clypeo, carnem doment, spiritum roborent, divino prorsus, ut cœperunt, invigilantes servitio.

Eidem defensioni mancipamus, omnia loca quæ in vestra diœcesi sunt, tam virorum, quam sanctimonialium ad ecclesiam Fontis Ebraldi pertinentium. Sanctimonialium scilicet quæ sunt ad Podiam inter Calviniacum et Englam, et obedientiam de Jarunda, et illam de Gaina; et si qua alia loca possident, sive in posterum juste et canonice possidebunt. B Hanc autem traditionem seu commendationem vestræ defensioni de Ecclesia Fontis Ebraldi facimus, fratres dilectissimi; communi consilio sororum ejusdem ecclesiæ, et vos consilio charissimi Patris Petri venerabilis episcopi, et omnium vestrum eamdem recipitis. Pro tanto vero defensionis beneficio, ancillæ Christi quæ in ecclesia Fontis Ebraldi sunt, sive fuerint, et pro vobis viventibus quotidie orabunt, et quando aliquis vestrum obierit, tantum pro anima defuncti reddent Deo servitium, quantum pro anima sanctimonialis, quæ de congregatione illarum ex hoc sæculo decesserit. Et in memoria tantæ dilectionis sit in perpetuum censiva ecclesia Fontis Ebraldi Pictaviensi ecclesiæ de XII denariis ad synodum Pentecostes. Fraternitatem vestram Deus omnipotens in religione custodiat, fratres dilectissimi. C

Sigillum Petri episcopi
Sig. Aimerici decani.
Sig. Gaufredi cantoris.
Sig. Willelmi archidiaconi.
Sig. Hervei archidiac.
Sig. Rainerii capicerii.
Sig. Willelmi magistri scholarum.
Sig. omnium canonicorum.
Sig. Roberti de Arbrisello.
Sig. Hersendis sanctimonialis.
Sig. Petronillæ.
Sig. omnium sanctimonalium Fontis Ebraldi.

Data Pictavi in synodo, anno ab Incarnatione Domini 1109, indict. II, epacta XVII, XIII Kal. Julii, secundo Paschali papa, Petro præsidente cathedræ Pictavorum, Ludovico rege Francorum, Wuillelmo duce Aquitanorum. In Christo Jesu feliciter. Amen.

II.

Charta Roberti de Arbrissello per quam concedit monasterium in Caduniensi pago situm, domno Gerardo de Salis.

(Anno 1115.)

Ego Robertus de Arbrissello, concedo et irrevocabiliter tribuo, nullo pacto, nisi solo charitativæ germanitatis amore retento, domno Gerardo de Salis, venerabili magistro, socio meo, inter necessarios amicissimo, ejusque filiis, imo conservis tam extemporaneis, quam successuris, utrumque locum in silva Cadunensi situm, videlicet tam eum de Seguini valle, quem ipse Gerardus cum suis commilitonibus tanquam sibi sub mei persona acquisierat, acquisitum ædificaverat, quam illum qui Salvitas dicitur, et universaliter quidquid mihi vel alii vice mei præfatum infra nemus concessum est, atque ut ibidem sub dominicæ clientelæ norma Deo militent, eorum arbitrio et affectui relinquo. Hanc autem concessionem authenticam, et solemniter actam coram generali sanctimonialium capitulo, collaudante et concedente earum fidentissima Petronilla, imo ancillarum Dei ancilla, inconvulsam persistere decerno, omnisque calumniæ querelam, sive controversiam hinc funditus secludo, hinc radicitus evello, et penitus interdico.

Est prædictorum concessio facta locorum apud Fontem Ebraldi B. Benedicti die festiva V Idus Julii, anno ab Incarnatione Domini 1115, præsulatus domni papæ Paschalis anno XVI, indictione VIII, in tempore viduatæ Pictaviensis ecclesiæ, viam ingresso universæ carnis Petro antistite, Ludovico Francigenarum rege, Guillelmo Aquitanorum duce

Talia testantur, qui taliter intitulantur
Fulco Andegavensium consul.
Paganus de Claris Vallibus.
Aimericus vicecomes Toarcensis, et alii.

CONCORDIA

Inter monasterium Sancti Sepulcri Sulliensis et cœnobium Fontis Ebraldi.

(Anno 1114.)

(PAVILLON, *Vie de Robert d'Arbrissel*, p. 609.

—

Reverendissimis Patribus suisque dominis RADULPHO sanctæ Turonensis Ecclesiæ archiepiscopo et GIRARDO episcopo Engolismensi, vices apostolicæ D sedis in his partibus fideliter et prudentissime dispensanti, et reverendissimo et Deo amabili PETRO episcopo, PETRUS abbas Sulliensis et totus ejus con-

ventus humilis, et ROBERTUS de ARBRISSEL clarissimus vir et Deo amantissimus, totaque sua humilis et devota congregatio debitæ obedientiæ reverentia et sanctorum munus orationum.

Quoniam sanctis desideriis, justisque petitionibus assensum præbere Christianæ profectionis esse manifestum est, vestræ sublimitatis affusi genibus, sinceritatis vestræ clementiam humiliter ac devotissime deprecamur, ut quæ infra de pace et concordia, et dilectione quæ facta est inter nos, scilicet monasterium S. Sepulcri Sulliensis et sanctam Ecclesiam Fontis Ebraldi super quadam querela scripto adnotata videritis, eo divinæ auctoritatis pondere confirmetis, ut nulla præsentium vel futurorum inquietudine conventi nulli possint pravorum penitus hominum falsis adinventionibus ullo modo ulterius fatigari. Inter cætera itaque quæ Galterius princeps Christianissimus fundator ecclesiæ Sulliensis S. Sepulcri, eidem soluta ac libera, ac jure perpetuo possidenda de propriis possessionibus ob remedium suæ animæ dederit, hoc quoque in charta quam ipse in persona propria ab archiepiscopo Turonensi impetravit fieri, ac sigillo proprio sigillari donasse repertus est, videlicet boscum de Bort ad exstirpandum, ita ut monachi inde habeant medietatem, istud idem in prædicta charta habetur, quod quia obscure positum erat, dissensionem et discordiam inter nos quos magis injuriam pati, quam disceptare vel litigare oportuerat, generabat. Nam nos Sullienses monachi prædictorum verborum occasione, quidquid in bosco de Bort (est enim ibi locus qui dicitur Fons Evraudus ædificatum vel constructum fuerat, sive in ecclesiis, sive in officinis, vel in aliis domibus, in omnibus denique exstirpationibus nemoris quas in terram arabilem discipuli Patris Roberti redegerant clamabamus. Quapropter nobis in unum convenientibus, scilicet abbate Sulliensi cum suis monachis et venerabili Roberto de Arbrissello cum quibusdam de discipulis suis, ac de ancillis Dei apud Salicum, præsente ipso principe clarissimo Galterio de monte Sorello, quem fundatorem abbatiæ superius diximus Suiliensis, nos Sullienses tanti viri, tantique doctoris honore debito præsentiam venerantes, ejusque sanctis admonitionibus deferentes, maluimus aliquid de proprio relaxare, quam S. Spiritum in ipso, suaque gloriosissima congregatione irritare, talique conventione, tali pacto, talique tenore prædictæ querelæ concordia, supradicto adnitente Galtero de monte Sorello inter nos facta est, ut nos Sullienses monachi nihi prorsus de omnibus quæ ad D. Robertum et ad suos pertinent, ulterius clamemus, etc.

Hæc autem charta facta est anno ab Incarnat. Dom. 1114, x Kal. Octobris, regnante Ludovico rege Francorum et Fulcone Andegavorum comite.

Ego Girardus Engolismensis episcopus et sanctæ Romanæ Ecclesiæ legatus hanc concordiam apostolicæ sedis auctoritate confirmo, et sigillo meo muniri feci, et propria manu subscripsi.

S. Radulfi Turonensis archiepiscopi.

S. Petri Pictaviensis episcopi.

APPENDIX

AD B. ROBERTUM DE ARBRISSELLO

PETRI PICTAVIENSIS EPISCOPI

PRIVILEGIA PRO ORDINE ET CONGREGATIONE FONTIS EBRALDI.

I.

Charta confirmationis ordinis et congregationis Fontis Ebraldi a Petro Pictaviensi episcopo.

(Anno 1106.)

[COSNIER, *Exord. Font. Ebrald.* p. 144.]

Ego PETRUS, Pictaviensis episcopus, notum facio omnibus tam præsentibus quam futuris, quod in nostro tempore quidam vir apostolicus nomine Robertus de Herbressello, verbo divinæ prædicationis sagaciter invigilans, et tonitruo sanctæ exhortationis, plures tam viros quam mulieres a sæculari luxu revocans, in nostræ diœcesi ecclesiam quamdam in honore sanctæ Mariæ virginis fundavit, in loco qui Fons Ebraudi vocatur, quem locum Arimburgis uxor Widonis filii Osmundi et Rivaria filia ejus ad ædificandam prædictam ecclesiam ibi sederunt, adjicientes terram quatuor bobus excolendam in duobus temporibus; ipse vero in prædicta ecclesia plures congregavit mulieres, quas sanctimoniales constituit, ut ibi regulariter viverent, et mundanis voluptatibus abrenuntiantes soli Deo deservirent. Non multo vero post tempore, ego domnum Paschalem apostolicum adiens, ab eo impetravi ut ibi semper sanctimoniales essent, et apostolica auctoritate

firmavit. Ego quoque auctoritatem Paschalis papæ secutus, vice a Deo mihi concessa idem confirmo, ut nulli personæ liceat regulam sanctimonialium destruere, vel mutare, neque ipsas sanctimoniales inquietare, vel perturbare, neque de rebus quas juste possident, aliquid auferre, vel minuere, sed quidquid eis juste datum sive debitum, in perpetuum quiete possideant; et si quis aliquando contra privilegium apostolicum, et nostrum præceptum facere præsumpserit, perpetuo maledictionis gladio feriatur, et illius machinatio irrita deficiat. Hoc autem factum est ex consensu venerabilium fratrum nostrorum Pictaviensis matricis Ecclesiæ canonicorum, quod ut firmum permaneret, manu propria signavimus, et aliis signandum tradidimus.

Signum Petri episcopi.

S. Aimerici decani.

S. Vuillelmi archidiaconi.

S. Arvei archidiaconi.

S. Petri archidiaconi.

S. Willelmi magistri scholarum.

S. Reginaldi subd.

S. Rainerii capicerii.

S. Canonicorum.

Tradita Pictavis in capitulo anno ab Incarnatione Domini 1106, indictione XIV, epacta XIV, papa Paschali, Philippo rege Francorum, Petro episcopo Pictavorum, Willelmo duce Aquitanorum.

II.

Petri Pictaviensis episcopi charta confirmans omnes possesiones monasterii Fontis Ebraldi.

(Anno 1106.)

[COSNIER, *ubi supra*, p. 146.]

Ego PETRUS, Dei gratia Pictavorum episcopus, quieti sanctæ Ecclesiæ providens, et in ipsa pacem formare, et altercandi occasionem sopire desiderans, Ecclesiæ sanctæ Dei Genitricis de Fonte Evraudi, quam frater noster Robertus de Herbressello vir religiosus, verbo sanctæ prædicationis deditus, nostro tempore in nostra diœcesi fundavit; domnus Paschalis apostolicus auctoritate sui privilegii munivit; ea quæ modo possidet, quæ pro suarum salute animarum subscripti homines sibi dederunt, quiete in perpetuum possidenda sine reclamatione alicujus, vel personæ, vel Ecclesiæ concedo et confirmo; scilicet terram in qua ipsa ecclesia fundata est, quam dederunt prædicto Roberto Aremburgis et Adelaidis filia ejus, a terra Berlai quæ supra fontem est, sicut via publica dividit, usque ad secundum molendinum; præterea tantum terræ quantum quatuor boves possunt excolere in duobus temporibus, et terram quam dederunt præfatæ ecclesiæ Hugo filius Gregorii, et Berlaius de Monsteriolo, et uxores eorum et filii a terra Guidonis Osmundi filii usque ad boscum Milonis de Tuille, et usque ad closum S. Martini, usque ad terram Sanctæ Radegundis; et totum nemus usque ad ulmum de Maistre; insuper omnes consuetudines quas prædictæ ecclesiæ dedit Gauterius de monte Sorelli, quascunque homines hujus loci facturi erant per totam terram de Logiis; concessit et vigeriam, et alias consuetudines quas habebat Gauterius in illa terra, omnes pro amore Dei eidem ecclesiæ dedit, et quidquid homines ipsius Gauterii huic ecclesiæ dare voluerint (salvo suorum militum servitio), et quicunque dabit huic loco terram in silva Borni, dedit eidem ecclesiæ idem Gauterius secretariam suam, et vigeriam suam et omnes consuetudines suas. Hæc autem huic ecclesiæ data, auctoritate nostra confirmamus, ut in perpetuum quiete possideant; et si quis contra hæc machinari aliquid præsumpserit, anathematis gladio feriatur, et illius machinatio irrita deficiat. Hoc venerabilium canonicorum nostrorum consilio egimus.

† S. Petri Pictaviensis episcopi.

S. Petri archidiaconi.

S. Willelmi archidiaconi.

S. Raginaudi succentoris.

S. Willelmi magistri scholæ.

S. Rainerii archipresbyteri.

S. Willelmi Aleelmi.

S. Ularii.

S. Willelmi.

S. Joannis.

Data Pictavi in camera, anno ab Incarnatione Domini 1106, indictione XIV, epacta XIV, papa Paschali, Petro Pictaviensi episcopo, Philippo Francorum rege, Willelmo Aquitanorum duce.

III.

Ejusdem carta donationis de Rofiaco.

(Anno 1109.)

[PAVILLON, *Vie de R. d'Arbrissel*, pr., p. 600.]

Ego PETRUS, Dei gratia Pictaviensis episcopus, notum facio omnibus tam futuris quam præsentibus me dedisse sponsæ meæ sanctæ Pictaviensis Ecclesiæ, admonente dilectissimo fratre nostro Roberto de Erbressello, viro religioso, ecclesiam de Rofiaco inter Laudunum et montem Sorelli sitam, et ecclesiam de Senentio inter Englam et Calviniacum positam, ut eas amodo in perpetuum habeat et possideat, etc. Si tamen, quod absit! aliquis episcopus vel fratres Ecclesiæ nostræ ignorantia hujus nostri decreti, aut aliquo modo prædictas ecclesias alii ecclesiæ dare, aut alio modo transmutare voluerit, hoc quoque præcipio, constituo, ut eas habeat ecclesia quam supradictus Robertus in honore S. Dei Genitricis semperque virginis Mariæ in loco qui Fons Ebraldi vocatur Dei opitulante misericordia fundavit, etc.

Data Pictavi in synodo, XIII Kal. Julii, anno 1109.

IV.

Concordia inter abbatem S. Pauli de Cormerico et D. Robertum de Arbrissello.

(Anno 1109.)

[PAVILLON, *ibid.*, p. 600.]

Ego PETRUS, Dei gratia Pictaviensis episcopus, Widonem abbatem Sancti Pauli de Cormerico, et monachos ejus aliquantulum discordantes, cum domno Roberto de Erbressello et sanctimoniales de Fonte

Ebraldi, studui pacificando disponere, et disponendo pacificare, etc. Huic ergo controversiæ finem imponere volens et paci utrique consulens, statui, concedente prædicto abbate, et utriusque ecclesiæ capitulo, ut deinceps ecclesia Fontis Ebraudi, quiete teneat, habeat et possideat totam decimam de omnibus pecoribus suis, et duas partes decimæ frugum terræ illius de Gaina, etc.

Data Pictavi in synodo, XIII Kal. Julii, anno incarnationis dominicæ 1109, indict. II.

V

Ejusdem charta insignis de fundatione conventus Tucionensis.

(Anno 1112.)

[Cosnier, *Exord. Font. Ebr.*, pag. 221 et 222, ex chartul. Font. Ebr., chart. 581.]

Ego Petrus, Dei gratia Pictavorum episcopus universis catholicis notum fieri volo, et apicibus præsentis paginæ denuntio quam diligenti ratione ad honorem Dei, et sanctæ religionis observationem locus qui a vulgo Tucio nominatur nostro et canonicorum nostræ sedis communi assensu, atque consilio fuerit ædificatus. Locus namque Tucionensis olim vasta sylvarum solitudine desolatus, spinarum et veprium densitate confertus, diu inhabitabilis exstitit : in quo tamen vetustissima cujusdam ecclesiæ vestigia apparebant. Cum itaque vir quidam magnæ religionis et bonæ opinionis nomine Robertus de Arbrissello loca solitaria et divinis cultibus idonea vigilantia, cura diligenter inquireret, in quibus sanctimoniales feminas quas ad serviendum Deo viventi congregaverat, collocare valeret. Quidam vir illustris qui Fulcaudus Frenicardi vocabatur ad eum accessit, ipsumque obnixis precibus exoravit ut in supradicto loco ecclesiam ædificare dignaretur. Erat enim locus iste suæ possessionis, ejusque subditus potestati : verumtamen vir prædictus Robertus statim precibus Fulcaudi non acquievit ; sed nec hunc, nec alium in nostro episcopatu locum, nisi nostro et clericorum virorum consilio se ædificaturum sive suscepturum asseruit. Prædictus igitur Fulcaudus ardenti desiderio locum Tucionensem domno Roberto et sanctimonialibus feminis quæ sub ejus disciplina in loco qui dicitur Fons Eubraudi Deo devotissime serviebant dare cupiens, ad nos accessit, rogans et obsecrans quatenus supradictum locum prænominato viro domino, scilicet Roberto concederemus, et ei ut ibidem ecclesiam ædificaret persuaderemus. His ita transactis cum præfatus ille Robertus nostris persuasionibus acquiescens in illo loco ad honorem Dei et sanctæ religionis observantiam ecclesiam et officinas ædificari jussisset ; Nantolienses monachi locum prædictum domno Roberto calumniati sunt dicentes ; quia vetus ecclesia cujus vestigia (ut supradictum est) ibi apparebant, de jure Nantoliensis monasterii fuerat ; inquisitis igitur super hac re diligenter monachorum rationibus, cum aliquam possessionem sive investituram de hac ecclesia se habuisse, nobis nullatenus possent ostendere, nec aliqua inde munimenta haberent, domnum Robertum ut ab incœpto non desisteret monuimus. Ipse vero nostris nolens acquiescere monitis obstinato animo nobis respondit, se nihil amplius ibi facturum donec monachorum calumnia pacifice sedaretur. Nos ergo una cum clericis nostris et Fulcaudo Frenicardi ad Nantoliense monasterium accessimus, et de prædicta calumnia cum abbate et monachis ejusdem loci in communi eorum capitulo concordiam fecimus. Fulcaudus enim Frenicardi dedit pro hac concordia Nantoliensibus monachis quatuor annonæ sextarios in decima Sancti Medardi de Vertorio, qui eis annis singulis redderentur. Abbas igitur Nantoliensis nomine Gauterius in capitulo Nantoliensis ecclesiæ, nobis præsentibus, consilio et assensu monachorum suorum calumniam illam penitus absolvit, atque dimisit ; et ecclesiam Tucionensis loci, ipsumque locum ex integro domino Roberto et prædictis sanctimonialibus et viris ecclesiæ subministrantibus quiete ac perpetuo possidendam concessit. His itaque Dei auctoritate pacificatis, Tucionensem locum cum ipsa veteri ecclesia, cujus ibidem, ut sæpe dictum est, vestigia eminebant Deo et S. Mariæ de Fonte Ebraldi et domino Roberto, et sæpe dictis sanctimonialibus, consilio virorum, clericorum dedimus, et ut quiete et inconcusse perpetuo possiderent concessimus. Concessimus quoque pari tenore, ut omnia quæ in nostro episcopatu collatione fidelium legitime acquirere possent, eis firma et illibata perpetualiter permanerent. Statuimus etiam ut quicunque hanc nostram institutionem perturbare, aut inquietare præsumeret, vel contra eam temere venire tentaret, secundo tertiove commonitus, tandiu anathematis vinculo cogeretur, donec digne de perpetrata iniquitate satisfaceret. Ut autem hæc concordia atque concessio firma et illibata in perpetuum permaneat, eam scripto tradere curavimus, et propria subscriptione firmavimus, nostroque sigillo munire præcipimus. Huic autem prædictæ concordiæ atque concessioni adfuerunt : Willelmus Radulphi magister scholarum Pictaviensis Ecclesiæ, Petrus de Sancto Saturnino ejusdem Ecclesiæ canonicus, Ademarus Nantoliensis ecclesiæ prior, Petrus Fulcherii, Umbertus de Vestolio, Aimericus Candidus, Arnaudus, Arrius, et multi alii Nantolienses monachi ; Fulcaudus Frenicardi, Ademarus frater ejus, Aimericus de Pindræ, et multi alii tam clerici quam laici.

Facta est autem hæc concordia atque concessio in capitulo Nantoliensi, anno ab Incarnatione Domini 1112, indict. V regnante Ludovico Francorum rege.

GOFFRIDI VINDOCINENSIS ABBATIS

CHARTA PRO FONTE EBRALDI

(PAVILLON, *Vie de Robert d'Arbrissel*, pag. 609.)

Notum facimus tam futuris quam præsentibus quod domnus Goffridus, Vindocinensis abbas, ante omnes et super omnes alios abbates, hujus loci qui Fons Ebraldi dicitur familiaritatem habet et beneficium; et cum ipse obierit per singulos annos ejus solemniter celebrabimus anniversarium. De fratribus autem Vindocinensis monasterii de quibus breve habuerimus, tantum faciemus, quantum pro nobismetipsis. Ipse vero domnus abbas partem telonei quam apud Sanctum Florentium veterem habebat A de sale nostro dominico, capitulo suo annuente, nobis donavit, et in perpetuum concessit.

Facta sunt autem hæc in capitulo, Fontis Ebraldi præsentibus D. Goffrido abbate Vindocinensi et domno Roberto de Arbrissello, magistro nostro, annuentibus sororibus cunctis, an. 1114 Incarnation. Dom., indictione VI.

Concessio autem hujus telonei facta est in capitulo Vindocinensi VI Non. Augusti.

DIVERSORUM DONATIONES PIÆ

ABBATIÆ FONTIS EBRALDI SUB REGIMINE B. ROBERTI DE ABRISSELLO FACTÆ

I.

Coucessio Sibillæ S. Crucis abbatissæ facta abbatiæ Fontis Ebraldi.

[PAVILLON, *Vie de Robert d'Arbrissel*, p. 593.]

Ego Sibilla, S. Crucis abbatissa, volo tam futurorum quam præsentium scripto tradere placitum, quod cum domno Roberto et sororibus de Fonte Ebraudi per manum et petitionem Hersendis quæ est prior illius loci, et religiosa est mulier, firmavimus. In quadam itaque terræ nostræ silvula, quam vulgari nomine Born appellant, et loco illi affinis in parochia de Cuseio esse dignoscitur, concedimus eis omnium redditnum medietatem unam, et aliam medietatem ecclesiæ S. Crucis, cujus juris est, integre et per omnia retineant, etc. Hoc donum, et conventionem quam de hujus silvæ particula quam quomodo excolet propter divinæ pietatis timorem et domni Roberti ecclesiæ nostræ amici dilectionem fecimus, etc.

Data in capitulo S. Crucis, anno 1104 ab Incarnatione Domini.

II.

Charta donationis loci de Cadunio domno Roberto de Arbrissello.

[DE LA MAINFERME, *Clypeus Font. Ebrald.*, tom I, p. 149, ex tabulario abbatiæ de Cadunio.]

Dum venerabilis Robertus de Arbrissello Petragoricas partes advenisset, et capitulum Sancti Frontonis intrasset, ibique canonicos ejusdem sancta prædicatione reficeret, rogaverunt eum eidem canonici, B ut ad sustentationem sanctimonialium in ecclesia Fontis Ebraldi omnipotenti Domino servientium, unum de locis S. Frontonis dignaretur accipere, et ad victum sanctarum feminarum ædificare: qui precibus eorum quandoque devictus, unum de minoribus locis eorum, et eo tempore jam pene desertum accepit: et ad honorem S. Frontonis et ad recognitionem hujus nostræ donationis unam libram incensi quæ in ejus festivitate reddatur, ibi imposuit. Itaque ego Guillelmus Petragoricensis Ecclesiæ episcopus, et canonicorum S. Frontonis abbas, et eidem canonici, hunc locum qui dicitur in silva Cadunii Salvitas, domno Roberto et sanctimonialibus Fontis Ebraldi dedimus mansurum, et omnia quæ ibi possidebamus: et nostris propriis manibus subscripsimus, et ad confirmationem hujus donationis hanc chartulam sigillavimus. C

Testibus Helia præcentore de Cassey, Bernardo sacrista de Pairac, Itherio archidiacono de Solis, et aliis quam pluribus.

III.

Charta donationis de terra de Podia.

[COSNIER, *Exod. Font. Ebral.*, p. 216, ex chartulario Fontis Ebraldi, charta 686, fol, 168 *b*, et 169.]

Nos Petronilla de Montoranto, Paganus de Vallibus, Theobaudus Forescherius, Belotus de Claris Vallibus, Joannes de Tuscha, donamus et in perpetuum concedimus domno Roberto homini religiosissimo, et piissimæ Fontis Ebraldi monachorum con-

gregati, terram scilicet de Podia, avia Carbonaria usque ab Boscum Roberti, cum prato de fonte de Voigi, cum decimis et lucrariis et omnibus redditionibus, sine consuetudine possidendam. Præter illud vero donum in augmentum hoc eis donavimus, Boscum scilicet, ad omnia eorum suorumque necessaria, et omnem præcursum animalium et pasnagium porcorum illorum, ex quo aliis porcis vetitum esset. Ego vero Elias de Tellio simul et Boamundus filius meus, quidquid in suprascripto eleemosynæ istius dono habebamus similiter donamus et perenniter eis concedimus. Nos utique Gaufredus de Chaluiniaco et filii mei Bocurtus, Hector, Gaufredus, Pagani, et Longus frater episcopi †, quidquid in terra et pasnagio habebimus similiter donamus, et eis concedimus. Isti autem hæc audierunt et viderunt, Petrus Pictaviensis episcopus, magister Robertus, Longus de Turri, Joannes Oliverius, Arraudus Boschet, Aamerus de Gastina, Joannes Vilanus, Benedictus de Bernezaico.

IV.

Fulconis Andegavensis comitis donum de Pratis in Gaina.

[Cosnier, *ibid.*, p. 201, ex Fontebraldensi chartulario, charta 348.]

Ego Fulco Andegavensis comes, pro salute animæ meæ et parentum meorum, omnia prata quæ habeo in Gaina, concedentibus filiis meis Gaufrido et Fulcone, dono et concedo Deo, et beatæ Mariæ, et sanctimonialibus Fontis Ebraudi in manu domni Roberti de Arbrissello. Hujus doni sunt testes Hugo Rigardi, Gauterius de Poniaco.

Acta, Philippo Francorum rege, Guillelmo Aquitanorum duce, Petro Pictavorum pontifice.

V.

Charta ejusdem pro fonte Ebraldensi monasterio.

[J. de la Mainferme, *Clypeus Fontis Ebraldi*, II, 200].

Ego Fulco Andegavensium comes, pro salute animæ meæ et parentum meorum, omnia prata quæ habeo in Gaina concedentibus filiis meis Gaufrido et Fulcone, dono et concedo Deo, et beatæ Mariæ, et sanctimonialibus Fontis Ebraudi in manu domni Roberti de Arbrissello. Hujus doni sunt testes Hugo Rigardi, Gauterius de Poniaco.

Acta, Philippo Francorum rege, Guillelmo Aquitanorum duce, Petro Pictavorum pontifice.

VI.

Donum Fulconis junioris de Ponte Sagei.

(*Ibid.*, p. 209).

Faciendum est nobis quod monet illud evangelicum præceptum : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis ; ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* Hac igitur, ego Fulco comes Andegavensium junior, auctoritate commonitus, ad eleemosynam ancillis Dei indigentibus faciendam pro salute animæ meæ parentumque meorum remedio, de facultatibus meis Pontem scilicet Sagei (*Pont-de-Cé*) et vigeriam ejusdem pontis, furtum atque san-

A guinem totum ad integrum sanctimonialibus de Fonte Ebraudi concedo. Dono itaque illis solidum atque quietum cum omnibus expleturis, quas ibi antecessores mei habuerunt, et cum illis quæ in aqua vel extra aquam ex hæreditario jure mihi videntur habere, cum omni utilitate scilicet vel commoditate, quæ jam mihi apparet, vel emelioranda est, ut nemo donum meum violare, aut inquietare præsumat. Hujus autem eleemosynæ meæ donationem concessit Aremburgis comitissa uxor mea, ex cujus dote erat, atque Gofredus puerulus filius meus, et revestimus dominam Petronillam abbatissam cum cultro nigri manubrii. Concessi eis insuper boscum meum ac necessitatem pontis. Adfuerunt isti testes : Lisiardus de Sabilleio, Huber- B tus de Campaniis, Florus frater comitis, Papabovem de Reilleio, Guillelmus de Molendinis de Ramoforti, Gofredus frater ejus, Archardus de Escharbot. De canonicis Sancti Laudi, Radulphus de Sancto Hilario, Gofredus Caiphas, Odo de Sancto Florentio. Regnante Ludovico rege Francorum, Fulcone comite Andegavorum, Raginaudo Andegavensium episcopo.

VII.

Donum ejusdem de molendinis et pratis ad Compignas.

(*Ibid.*, p. 208).

Ego Fulco junior Andegavensis comes, Fulconis comitis filius, causa orationum apud Fontem Evraldi veniens, pro animæ meæ et parentum meorum C remedio, dono ei in perpetuum concedo habendum Deo, et beatæ Mariæ et sanctimonialibus Fontis Evraldi in manu domni Roberti de Arbrissello molendinum et prata omnia quæ sunt apud Compignas in nemore Monnesio, et aquam Vigennæ quam habeo apud Salmurum, ad exclusam et molendina facienda. Videntibus et præsentibus istis : Bertreia matre mea, Petro Pictaviensi episcopo, Rainerio Capicerio, Petro Castelli Eiraldi, Petro de Sancto Saturnino, et de militibus Galvanio de Chamilliaco, Griseia de Montesorello, et Gaufrido de Doato filio ejus, Borello de Salmuro.

Acta, regnante Ludovico Francorum rege, Rainaldo Andegavensi præsule.

VIII.

D *Donum ejusdem de* xx *jullis pratorum in Verone.*

(*Ibid.*, p. 206).

Lectio sacri eloquii curam animarum nostrarum habere sub voce modula dulciter nos invitat dicens : *Vigilate, quia nescitis quando veniet Dominus.* Cujus sacræ exhortationis dilectione animatus et auctoritate fretus, ego Fulco Andegavensium comes, Fulconis comitis filius, ardenti desiderio mea magna facinora desiderans relaxari, usque Fontem Ebraldi magna cordis compunctione orationis gratia Deo adjuvante perveni. Qui ergo qualiscunque sim, Deum Dominum indesinenti studio suppliciter deprecans, et sanctimonialium ejusdem Ecclesiæ multas multarum necessitates ibidem Deo humilitatis

devotione famulantium considerans, ad earum dilationem unam particulam donare invigilavi, ut ante tantum judicem mei peccatoris oratio dignetur exaudiri. Quam domno Roberto de Arbrissello, homini scilicet religiosissimo, cujus admirabilis doctrina verbo sanctæ prædicationis, et tonitruo sanctæ exhortationis per totam Ecclesiam et sua fulget eloquentia, in Christi nomine nominavi et in ævum illis cum omni integritate donavi, videlicet viginti julia pratorum, quæ in pascuis de Verone mihi videntur habere. Ad hujus rei donationem, eleemosynæ patris mei concessionem illis sanctimonialibus sæpe dictis confirmavi, scilicet boscum Rotardi, quem pater meus Fulco pro peccatis suis donaverat, et frater meus Gaufridus Martelli concesserat. Necnon etiam terram illam, quæ circa boscum supra dictum fuerat. Donum hoc datum est in istorum virorum audientia, Bertradis reginæ, Hugonis de Gilleio, Borelli de Salmuro, Gaufridi Maumonii, religiosis, Fulcodii magistri capellani, Caradocci.

IX.

Donum ejusdem de pratis in Gaina.

(*Ibid.*. p. 208).

Opera misericordiæ salutare nobis est seminare ut in tempore messis fructum laboris nostri mereamur, juxta illud propheticum : *Venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos.* Fulco junior Andegavensium comes pro salute animæ meæ et parentum meorum remedio, Deo et domno Roberto de Arbrissello et Ecclesiæ Fontis Ebraldi sanctimonialibus dono prata mea, quæ de monachis de Carrophio ad censum habebam, in Gaina habenda omni tempore, et solute possidenda, et in perpetuum concedo sub istorum virorum testimonio, Gaufridi de Claris Vallibus, Pagani fratris ejus, Ugonis Rigaudi, Drogonis Fetardi, Aimerici Flocelli.

X.

Donum ejusdem de Medietariis et pratis ejusdem de Borenna.

(*Ibid.*, p. 205).

Ex nonnullis Scripturarum testimoniis habemus, ut peccata nostra eleemosynis redimamus. Hujus sacræ auctoritatis commonitionem saluberrimam audiens, ego Fulco junior Andegavensium comes, Fulconis comitis filius, cogitavi quidpiam misericordiæ pauperibus Dei impendere. Dono equidem Deo omnipotenti et domno Roberto de Arbrissello magnæ honestatis viro et religiosissimo, et sanctimonialibus sibi suppositis apud Fontem Evraudi, in Ecclesia B. Mariæ semper Virginis feminis de luxu sæculi ad monasticæ religionis observantiam revocatis, omnes medietarias de Borenna et omnia prata, quæ Gaufridus Martellus senior comes Andegavensis meus antecessor antiquitus habuit, tenuit et possedit : ut spatium veræ pœnitentiæ divina Dei omnipotentis clementia mihi conferat, et locum refrigerii antecessoribus meis concedat. Hæc concessio sub præsentibus istis facta est : Aba de Bribleio, Bo-

A rello de Salmuro, Radulpho de Greio. Regnante Francorum rege Ludovico, Radulpho Turonum archiepiscopo, Raginaudo Andegavensium episcopo.

XI.

Donum ejusdem de terra Francorum.

(*Ibid.*, p. 206).

Ego Fulco comes junior Andegavensis comes, nimis mole peccaminum aggravatus, notum facio omnibus quod Deo, et domno Roberto de Arbrissello, et feminis sub monastica disciplina loco qui Fons-Ebraldi vulgariter appellatur in Christi nomine sibi suppositis, pro salute animæ meæ, parentumque meorum remedio, terram Francorum, quæ Barba Nova vocatur, ad explendas earum necessitates, et ad usus proprios solidam et quietam dono ac perpetuo jure possidendam concedo, concedente uxore

B mea Aremburga comitissa apud civitatem Turonis. (Invitatu comitis in hanc urbem Robertus se contulerat). Videntibus et audientibus Odone decano Sancti Martini, Ernulpho de Monte Gomerico, Raginaudo de Salmoncai, Petro Locha.

XII.

Donum ejusdem de terra de Brulio.

(*Ibid.*, p. 203).

Apostolus Paulus ait : *Si linguis hominum loquar et angelorum, charitatem autem non habeam, nihil sum.* Hujus igitur tantæ charitatis auctoritate ego Fulco comes cognominatus junior, Fulconis comitis filius, magis cœlestia quam terrena desiderans, et videns posse nullum evadere amarissimæ gustum mortis ad horam, Deo et domno Roberto de Arbris-

C sello magnæ religionis et honestatis viro clarissimo et feminis in Christi nomine sibi suppositis, locum sanctæ et monasticæ congregationis colentibus, qui Fons Ebraldi vulgari nomine appellantur Deo Domino devotissime ibidem militantibus, pro animæ meæ parentumque meorum remedio, terram meam de Brullio, quæ ad pontem Chinonis esse videtur, et omnes meas illius terræ expleturas, et prata, et census, ad prædictarum sanctimonialium feminarum necessitates explendas ita integerrime sicut mihi videntur habere, dono et in perpetuum concedo, libere, quiete, sine omni calumnia habenda et possidenda : et etiam omnes costumas meas, quæ de cunctis casamentis exire mihi videntur..... Hujus rei testes existunt Philippus frater meus,

D Borellus de Salmuro, Petrus de Campo Caprario, Paganus de Petrofonte, Godefredus Lesgans, Effredus miles reginæ (Bertradæ), Richardus pedagogus Philippi fratris comitis Andegavensis, Gosbertus de Morton, Horsendis priorissa et Petronilla.

Acta charta, regnante Ludovico Francorum rege, Radulpho Turonensi archiepiscopo existente.

XIII.

Donum ejusdem de molendinis ad Chinonem.

(*Ibid.*, p. 205).

Quisquis ad cœlestia toto mentis anhelat intuitu, de terrena substantia tribuere pauperibus, et ecclesiis opportuna stipendia debet, prout ei sua facultas sub-

ministrat. Scriptum enim est, quia *charitas operit* A *multitudinem peccatorum.* Hujus igitur divinæ auctoritatis attestatione commonitus ego Fulco junior Andegavensium comes, Fulconis comitis filius, ob medelam peccatorum meorum ac remissionem parentumque meorum dono Deo et domno Roberto de Arbrisello, et monachabus in Christi nomine sibi suppositis, in ecclesia B. Mariæ Fontis Ebraudi congregatis, duo molendina ad Chinonem, et exclusam, ubi molendina existunt, soluta ac quieta in omni posteritate possidenda. Sub istis testibus: Bertrade regina matre mea, Philippo fratre meo, Gosberto de Mortuno, Roberto Purello, cui præcepi eisdem tradere molendina Amaurico de Monteforti. De sororibus, Arsendi priorissa atque Petronilla.

XIII *bis.*

Concordia inter congregationem Fontis Ebraldi et Radulphum Ivonis filium a Fulcone juniore Andegav. comite constituta.

(*Ibid.*, p. 212.)

Ut posteritas omnis agnoscat, ego Fulco comes, Fulconis comitis filius, scripto statui adnotari illam discordiam, quæ erat inter congregationem Fontis Ebraldi, et Radulphum, Ivonis filium, et generum ejus Gaufridum, me omnino definiisse Cujus causa discordiæ hæc erat: Guillelmus de Monte Sorello, et uxor ejus Hersendis ab Ivone Sancti Martini canonico et capicerio omnem possessionem, quam in villa Sancti Martini Condatensis possidebat, emerunt, et Stephano filio suo eam dederunt. Et sicut ipsi eam possederant, ita Stephanus eorum filius eam annis pluribus quiete possedit. Denique Guillelmo mortuo, uxor ejus Hersendis, apud Fontem Ebraldi religionis habitum accepit. Pro cujus anima filius ejus Stephanus præfatam possessionem, quam ei et pater suus et mater dimiserant, Deo et B. Mariæ, et sanctimonialibus ibidem Deo servientibus donavit, et fratri suo primogenito Gauterio concedere fecit. Verum Radulphus et Gaufridus supradicti hanc donationem calumniati sunt. Ego vero Fulco comes nolens causam istam diutius prolongari, cum prædictis calumniatoribus talem concordiam feci, quod eis manu mea suam calumniam cum cultello nigri manubrii dimiserunt: et cum eodem cultello donavi et concessi Deo, et Beatæ Mariæ, et sanctimonialibus Fontis Ebraldi in manu domni Roberti de Arbrissello pro animæ meæ et parentum D meorum remedio supra dictam possessionem, videlicet domos, vineas, terram, ipsis calumniatoribus præsentibus et concedentibus jure perpetuo possidendum. Hujus autem rei testes sunt Robertus de Bloio, Amalricus de Monte Forti, Borellus de Salmuro, Aimericus de Averio, Raginaldus de Salmunciaco, Stephanus de Monte Sorello. Hæc charta facta est regnante Ludovico Francorum rege, Radulpho Turonensium archiepiscopo.

—

XIV.

um *Omni confirmatio donorum ab Aremburge, Fulconis junioris uxore.*

(*Ibid.*, p. 214.)

Universis sanctæ catholicæ Ecclesiæ religiosis fidelibus præsentis paginæ audientia sanum præbeat intellectum de his omnibus, quæ insigni sanctimonialium congregationi de Fonte Ebraudi me Aremburgem Andegavensem comitissam viderint affirmasse atque concessisse. Venerabilis siquidem vir meus Fulco Andegavensium comes, Fulconis comitis filius, de falcutatibus suisque propriis rebus Robertum de Arbrissella magnæ religionis virum, verbi evangelicæ prædicationis sagaciter dispensatorem, ad ædificandam ecclesiam, quam ipse ad honorem Dei, et gloriosæ Virginis Mariæ in loco qui B Fons Ebraudi vulgariter appellatur, instruebat; et ad usum sanctæ congregationis ejusdem loci sanctimonialium, divina disponente clementia, ditare largiter invigilavit. Omnia vero bona quæ prædicto Roberto feminisque sibi suppositis a supradicto meo viro comite charitative data sunt aut concessa apud Fontem Ebraudi, meæ omnimode concessionis munitione integre confirmavi, sub testimonio Gaufridi de Ramoforti, Reginaudi, Franbaudi, Gireii de Escharboto, Ugonis de Haia, Odonis de Doeio, Boterii, filii Engilbaudi, Boterii de Cenomagnis, Matthæi de Monsterolo, Beatricis magistræ comitissæ Andegavensis, Riveriæ uxoris Ugonis de Doeio, regnante Ludovico Francorum rege, Fulcone Andegavensium comite, Radulpho Turonum archie- C piscopo.

XV.

Fulconis Foterelli donum de domo sua.

(*Ibid.*, p. 216.)

Ego Robertus de Arbrissello mandavi litteris tradi donum quod donavit de domo sua et de supellectilibus quæ ad domum pertinent, Domino Deo et ecclesiæ Sanctæ Mariæ atque sanctimonialibus Fontis Ebraudi, pro Dei amore et mei Fulco Foterellus. Donavit itaque Fulco Foterellus Deo, et Sanctæ Mariæ et sanctimonialibus domum suam cum omnibus appendiciis, precibus et admonitione Fulconis junioris Andegavensium comitis, et matris suæ Bertradæ reginæ, et Eremburgis uxoris comitis, in manu mea. Hoc viderunt et audierunt Aimericus de Faia, Arduinus de Sancto Medardo, Segebrandus, Conestabulus, Carbonellus de Sancto Michaele.

Actum est istud in ipsius domo Fulconis in Castro Laudunensi, Philippo in Francia regnante, Fulcone Andegavensium comite; Petro bonæ memoriæ Pictavensium episcopo, Raginaudo de Martigniaco Andegavensium episcopo.

XVI.

Berlaii de Munsteriolo donum de terra de Bornio.

(Cosnier, *Exord. Font. Ebrald.*, p. 110.)

Ego Berlaius de Munsteriolo et Hugo, filius Gregorii, damus ecclesiæ Fontis Ebraldi terram de Bornio quæ sic terminatur: ex uno latere est terra

Guidonis filii Osmundi, ex alio Boscum Milonis de Tuille, et ex altera parte clausum ipsius Berlaii, atque ex alia terra S. Radegundis, ex altera parte est ulmus de Maistre. Concedo et ego Berlaius ipsi ecclesiæ vineas intra deserta sitas, et vineas quæ erant de feodo meo, quas ipsi homines qui eas habebant dederunt præfatæ ecclesiæ, retenta tamen vinarii consuetudine ; hæc dona fecimus, concedentibus uxoribus et filiis nostris.

XVII.

Charta prioratus de Ursano Fontis Ebraldi.

(Pavillon, *Vie de Robert d'Arbrissel*, p. 551.)

Notum fieri volumus quod Bituricensis patriæ barones Radulphus videlicet Dolensis, Gaufridus Exoldun. Joannes Lineriensis, Elias Uriacens., Umbaldus de Sancta Severa, pro redemptione animarum suarum dederunt Deo et B. Mariæ semper Virgini et sanctimonialibus feminis sub regulari disciplina in loco qui dicitur Ursan Deo servientibus quod nunquam aliquas consuetudines quæ vulgo pedagium vel teloneum, seu venditiones appellantur de earum pecuniis sive rebus ipsi vel eorum clientes acciperent. Hæc autem donatio atque concessio facta est in præsentia D. Roberti de Arbrissello sub cujus regimine locus ipse tenebatur, in manu venerabilis viri Leodegarii Bituricensis archiepiscopi in cujus diœcesi prædictus locus consistit. Ut autem hæc donatio atque concessio firma et illibata omni tempore permaneat, statuerunt prædicti barones, consilio et assensu jam dicti archiepiscopi, ut si quis de eorum, quod absit ! successoribus, hoc donum violare, vel aliquo modo inquietare præsumeret, propriis privatus possessionibus, tandiu anathematis sententia coerceretur, quoadusque huic donationi assentiret. His itaque peractis sæpedictus archiepiscopus et D. Robertus et alii reliqui fratres, qui ibidem aderant, prætaxatis baronibus eorumque successoribus, illius sancti loci fraternitatem et omnium beneficiorum suorum participationem, ex parte Dei omnipotentis et S. Mariæ semper Virginis concesserunt, etc.

Acta sunt anno Domini 1113.

Ego Leodegarius Bitur. archiep. consilio clericorum nostrorum et aliorum, absolvo et immunem constituo a synodis et pactis ecclesiam de Maisons in cujus parochia locus Ursani situs est. Præsentibus suprataxatis baronibus.

XVIII.

Multiplex Grimaudi de Montibus donum.

(De la Mainferme, *Clypeus Font. Ebrald.*, II, p. 309.)

Ego Grimaudus de Montibus, et fratres mei Pipinus, Rainaldus, Berengarius, Gofridus, notum fieri volumus, calumniam quam faciebamus de exclusa sita in Gaina sanctimonialibus Fontis Ebraldi per manum Petri Pictaviensis episcopi ad concordiam convertisse. Nos itaque dicebamus partem exclusæ in terra nostra factam fuisse sine concessione nostra : Hersendi priorissa Fontis Ebraldi contradicente ecclesiam Fontis Evraldi nobis videntibus septem annos quiete tenuisse illam, et XII denarios de censu nobis annuatim pro exclusa reddidisse. Nos itaque timentes animæ nostræ periculum, et calumniam quam faciebamus de exclusa dimittimus, et insuper Deo, et beatæ Mariæ, et sanctimonialibus Fontis Ebraldi exclusam, et ex utraque parte exclusæ terram arabilem, et prata, mareschia damus et concedimus in manu Roberti de Arbrissello, etc. Præsentibus ipso Petro episcopo qui condonavit nobis injuriam suam pro hac concordia, Rainerio capicerio, Buccardo de Derceio, Garnerio de Gaina.

Acta, Ludovico Francorum rege, Guillelmo Aquitanorum duce, Petro Pictaviensi pontifice.

XIX.

Charta donationis de valle Fontis Ebraldi ab Adelaide.

(Cosnier, *Exord. Font. Ebraldi.*, p. 110.)

Ego Adelaidis cognomento Riveria, filia Widonis Osmundi filii, notum fieri volo omnibus, quod cum concessione matris meæ Aremburgis dono domno Roberto de Arbrissello et conventui mulierum religiosarum, quas pro Deo congregavit, vallem Fontis Evraldi ad ædificandam ecclesiam in honorem beatæ semper Virginis Mariæ. Hæc vallis data sic terminatur : Ex uno latere est terra Berlaii, et ex alio via publica usque ad secundum molendinum ipsius vallis, etc. Hoc fecimus consilio et concessione dominorum terræ, scilicet Gaufridi Maumonii, et Gisleberti de Lausduno, sub audientia et testimonio proborum virorum, scilicet Gauterii de Montesorelli, Aimerici de Bernezay, Ivonis de Sessiniaco.

XX.

Charta Adelaidis filiæ Guidonis de donatione vallis Fontis Euvraldi.

(*Ibid.*, p. 110.)

Ego Adelaidis cognomento Riveria, filia Widonis Osmundi filii, notum fieri volo omnibus quod dono domno Roberto de Arbressello, et conventui mulierum religiosarum quas aggregavit, vallem Fontis Euvraldi, ad ædificandam ecclesiam in honore beatæ semper Virginis Mariæ. Hæc vallis data sic terminatur : Ex uno latere est terra Berlaii, et ex alio via publica usque ad secundum molendinum ipsius vallis. Huic ecclesiæ damus terram quatuor bobus excolendam duobus temporibus, et duos junctos terræ ante domum hospitariam. Hoc fecimus consilio et concessione dominorum terræ, scilicet Gaufridi Maumonii, et Gisleberti de Lausduno, sub audientia et testimonio proborum virorum, scilicet Gauterii de Montesorelli, Aimerici de Bernezay, Ugonis, filii Gregorii, Iveti de Sessiniaco.

XXI.

Petri de Gasnachia donum de landa de Belloquercu.

(*Ibid.*, p. 217.)

Quidquid respectu pietatis agitur, et hic et in futuro auctorem suum adjuvat, dicente enim Apostolo : *Unusquisque prout laborabit fructus sui laboris*

accipiet; hujus igitur retributionis auctoritate securus, ego Petrus de Gasnachia consilio simul et admonitione domini mei Petri Pictaviensis episcopi, disposui ecclesiam fundare in loco qui dicitur landa de Belloquercu, eamque de meis rebus dotare. Secutus itaque consilium mei episcopi, ut devotionis meæ affectus devotiorem haberet effectum, illum prædictum locum dono et concedo Deo et B. Mariæ et sanctimonialibus Fontis Ebraldi in manu domni Roberti de Arbrissello ; cujus prædicatione simul et exemplo bonæ vitæ, ecclesia illa fundata sub sanctæ conversationis habitu soli Deo militat ; huic siquidem ecclesiæ landa de Belloquercu fundatæ in honore beatæ mariæ semper Virginis, et S. Joannis evangelistæ dono, et in perpetuum habendum concedo terram, nimis de landa et decimam furnorum de Belveherio, et decimam molendinorum Nigri Monasterii quæ Chalo avunculus meus fecit, et clausum vinearum matris meæ, et marescum G. et pelles domorum Nigri Monasterii, excepto hoc quod si quis venator militum habere voluerit, de palari reddet XII denarios et de dama VI.

XXII.

Leonii de Longiaco donum de Calido Furnerio in diœcesi Turonensi.

(*Ibid.*, p. 218.)

Dominus Leonius ignem timens gehennalem, locum illum qui Calidus Furnerius vocatur cum terra (sicut ipse metaverat cum Stephano Forestario suo et Gauterio Troissello) donavit Deo et magistro Roberto bonæ memoriæ viro ad ecclesiam construendam, et congregationem ibi ponendam. Donum concesserunt uxor Leonii Barbota, in præsentia domni Roberti, discipulorumque ejus Fulconis de Coceio, Ruvallonis, Rogii, Danielis, Judicaelis, Petri, Burchardi, et aliorum fratrum. Hoc donum concessit Drogonus frater Leonii antequam iret Jerusalem ; donum etiam concessit Guido filius Drogonis Deo et domino Roberto de Arbrissello ante fores S. Martini Turonensis, etc.

XXIII.

Sophiæ Rainfredis filiæ Petri Achardi donum de Ripis et de aliis locis diæcesis Turonensis.

(*Ibid.*, p. 219.)

Ego Sophia Rainfredis filia Petris Achardi habitum religionis monacharum accipere cupiens, domno Roberto et monialibus Fontis Ebraldi ibi sub regulari disciplina congregatis, me primam et alodium meum de Polineio dono et in æternum concedo ; dono etiam terram eis ad Achaicum duobus bobus, duabus sationibus excolendam, et ad vineas ibi ædificandas quantum voluerint ; verum etiam ad hortos, ad ecclesiam, ad domos, ad claustra, et ad virgulta terram ibi quæ suffecerit, ædificanda, concedo ; Boscum ad omnes necessitates earum et exclusam dimidiam loco qui vulgariter Riva vocatur, concedo. Assensit Aimericus vicecomes de Castro Evraudi in cujus feodo erat ; concedente Arraudo, Achardi filio, Petronilla filia sua, Gauterio, filio Petronillæ. Acta, Ludovico Francorum rege, Guillelmo Aquitanorum duce, Petro Pictaviensi episcopo.

XXIV.

Charta Rainaldi de Salmanche de donatione loci Ralaii (Rolay).

(*Ibid.*, p. 221.)

Rainaldus de Salmanche, et Juliana mater ejus filia Gaufridi, filii Meynardi, dederunt in manu magistri Roberti pro remedio peccatorum suorum, in eleemosynam quæcunque habebant citra vadum de Raalio præter pratum, ecclesiæ Sanctæ Mariæ Fontis Ebraldi solute et libere in perpetuum possidenda ; et Aimericus Ruffus totum feodum Petri de Berria fratris sui defuncti præfatæ dedit ecclesiæ pro anima ejus, tradens filiam ejusdem in consortium sanctimonialium Fontis Ebraldi sacro velandam velamine : cujus feodi servitium jam dictus Rainaldus capellam de Raalaio dedicaria a domino Petro Pictaviensi episcopo, et postea cœmeterium benedici a Willelmo Alcelmi ejusdem urbis antistite. Ipseque Rainaldus ibi portavit humeris aquam benedictam in dolio.

Et cum Cœnomanis in articulo mortis positus esset, Essarta quæ dederat ad rumpendum supradictæ ecclesiæ contulit in propriam possessionem : et mandavit per armigeros suos Joannem et Gaufridum filium Gaufridi Chenfrit, Corindæ uxori suæ, et Rainaldo filio suo, atque Gaufrido fratri suo, ut donum istud concederent, et augerent ; quod ita gratanter fecerunt, dederuntque quidquid habebat a capo de Salis, usque in fossam de la Garda, et usque in filum aquæ. Concessit hoc Corinda uxor ejus, Rainaldus, et Radulphus filii eorum, et Juliana filia antequam desponsata esset, et Gaufridus patruus eorum. Testes primi doni domina Hersendis ecclesiæ Fontis Ebraldi fundatrix, domina Petronilla ejusdem loci postmodum Dei gratia omnium electione, mater effecta.

XXV.

Gauterii de Clichone donum de molendino de Ponzaio.

(*Ibid.*, p. 238.)

Ego Gauterius de Clichone, et Seria uxor mea filiam nostram Robergam omnipotenti Deo et Domino Roberto de Arbrissello, ad conversionem monacharum damus ; et simul cum ipsa molendinum nostrum de Ponzaio domino suprascripto Roberto in alimoniam monacharum absolute et in perpetuum concedimus. Concedentibus ipsius Serræ fratribus Gauterio, Bernoino et filiis ipsius. Postea unus ex parentibus Robergæ monachæ Gerorius fecit calumniam super idem donum ; quod cum audivit domna Hersendis priorissa Fontis Ebraldi, Losdunum in curiam domni Gisleberti venit, in qua finita est calumnia illa. Testes sunt Gislebertus de Losduno. Alio filius ejus, Raginaudus, Bernoinus, et multi alii de fratribus Fontis Ebraudi, Lisiardus, Gauterius presbyter, Gosbertus de Bernezaio.

XXVI.

Fromondi de Novestolo donum.

(De la Mainferme, *Clypeus Fontis Ebraldi*, II, 578.)

Cum scriptum in Evangelio habeamus : *Misericordiam volo et non sacrificium*, nullus hominum derogare debet operi misericordiæ : quod fecit olim domnus Robertus de Arbrissel,primus frater et pater vestræ congregationis, et nos pariter fecimus domno Fromundo de Novestolo,de Hugone filio suo quondam occiso ad Guirchiam : quia ipse Fromundus et filius ejus,una omnes parentes ejus,mortem filii sui condonaverant illi qui occiderat. Paratis prius omnibus, in cœmeterio eum sepelevimus. Quapropter ipse Fromundus pro redemptione animi filii sui, et pro sua suorumque salute dedit ecclesiæ vestræ et vobis dimidium illud quod habebat ad Bremium, tam de censu villæ, quam de decima ecclesiæ,quam etiam de presbyteratu,quem tum tenebat Vitalis presbyter. Quam donationem et concessionem fecerunt Fromundus et filii ejus Iberus et Joffredus in capitulo vestro, præsente Roberto abbate vestro,et videntibus canonicis,scilicet Guarino priore, Roberto sacrista. Adfuerunt autem quamplures laici,quorum nomina sunt hæc : Rainaldus, Allobrox, Henricus, filius ejus,et Suhardus de Rota.

XXVII.

Gaufredi Fulchredi donum de consuetudinibus curiæ de Rest.

(*Ibid.*, p. 249.)

† Ego Gaufredus Fulchredus dono et concedo omnipotenti Deo, et domno Roberto de Arbrissello, ecclesiæ Fontis Evraudi, et sanctimonialibus ibidem Deo militantibus consuetudines meas curiæ de Rest, videlicet portum,et ipsius dominium et vinagia, etc.,concedentibus uxore mea nomine Burgundia, ex cujus dote erat, atque Aimerico fratre meo, et sorore mea Joanna.Hujus sunt testes Lovellus de Daumerico, Bartholomæus de Bisai, Fulcoius Fessardus,Hardoinus de Vigneico,Paganus de Lucaico, Petrus Briant, Gautherius de Monte Sorello, Ivo de Sesigneico, et Hernaldus de Sesignei, Frogerius de Creveico, Petrus de Menealne. Hoc autem donum factum est in capitulo piæ et justæ congregationis sanctimonialium coram Deo et sancta Maria genitrice ejus,in præsentia domni Roberti illarum patris piissimi. Hoc enim omnibus, quod Gaufridus Fulchreius hujus eleemosynæ dator existens, domno Roberto de Arbrissello, sanctimonialiumque subjecto conventui mandavit videlicet per Guillelmum de Rest præfectum suum hoc donum supradictum dare, et præsentes confirmare absque dubio, pro animæ suæ parentumque suorum remedio,in præsentia domni Petri Pictaviensis episcopi,et Rainerii capicerii, Petri de sancto Saturnino. Testes sunt Guillelmus de Rest, Ugo de Salmoniaco, Joannes Tiramuscam,Clarenbaldus de Losduno, Rainaldus de Losduno, Normandus de Sancto Florentio.

Data,Ludovico regnante rege Francorum,Fulcone comite Andegavorum , Raynaldo Andegavensis præsule.

XXVIII.

Aimerici de Haia et Effredi fratris ejus donum de molendino.

(*Ibid.*, II, 241.)

† Nos Aimericus de Haia, Effredus frater meus, Deo omnipotenti, et domno Roberto de Arbrissello, feminisque religiosissimis de Fonte Evraudi in Dei nomine sibi suppositis molendinum de Ponchaio quiete tenendum concedimus : quod Gauterius de Clicone et Serra uxor sua sine omni calumnia in perpetuum eis dederant. Concessit etiam quidam miles meus Gauterius, qui hoc supradictum molendinum de me habebat, quem Fulco Andegavensium comes multum inde rogaverat. Videntibus et audientibus Fulcone Andegavensium comite, Chalone de Furnellis, Gaufredo de Claris Vallibus, Pagano fratre ejus, etc.

XXIX.

Aimonis Roselli donum de terra de Pociaco.

(*Ibid.*, p. 242.)

† Ait Propheta : *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem* ; *in die mala liberabit eum Dominus.* Hujus igitur tantæ retributionis auctoritate securus, ego Aimo Rosellus, dono Deo, et concedo domno Roberto et Sanctimonialium Fontis Evraudi congregationi ibi Deo humiliter servienti, alodium meum de Bociaco de Foris Trincheias, solutum ac quietum omni tempore possidendum.Hujus autem doni affirmationem in manu dominæ Philippæ Pictaviensis comitissæ ad opus monacharum manu misi. Sub istorum virorum testimonio,Guillelmi de Miribello,Raginaudi de Pellento ; ubi autem filii Aimsnis Roselli hanc donationem concesserunt in præsentia Philippæ Pictaviensis comitissæ. Testes isti fuerunt, Burchardus de Chaoriis Longus de Gastina, Puncius de Bellojoco.

XXX.

Aimerici de Castro Arraudi donum.

(*Ibid.*, p. 241.)

Ego Aimericus, vicecomes de Castro Arraudi, domno Roberto ad monacharum sustentationem scilicet Fontis Evraudi in eleemosynam mea froca quæ habeo ad molendinum de Bosco,cum omni integritate dono,et perpetualiter concedo. Videntibus istis, Beloto, de Claris Vallibus, Raginaudo de Puellento. Post hæc autem Aimericus vicecomes, infra donum istud et Jarundam dono supradictis monialibus terram quatuor bobus excolendam,quod ut supra concesserunt Bosus frater meus,Joannes de Tuscha.

XXXI.

Charta Leogart et Adelaidis de quibusdam Petrariis concessis abbatiæ Fonti Ebraldi.

(*Ibid.*, p. 241.)

Notum sit omnibus quod ego Leogart et uxor mea Eremburgis et Adelaidis de Riveria filia mea, Deo et sanctæ Mariæ,et domno Roberto et sanctimonialibus Fontis Evraudi cum aliis donis donavimus petram ad ecclesiam et ad omnes officinas faciendas.

Postea vero videntes crescere ecclesiam, et multiplicare religionem, crevimus donum de totis petrariis, etc. Hujus rei sunt testes Girardus de Podio, Gofredus de Brezay. De fratribus, Andreas prior, Sainfredus de Cleia.

Data, regnante Ludovico Francorum rege, Fulcone Andegavensium comite, Radulpho Turonum archiepiscopo.

XXXII.

Basoini et Papini de Montibus donum de feodo.

(*Ibid*,, p. 243.)

Ego Basoinus filius Aimerici de Castello, et Papinus de Montibus, et fratres mei, donamus et concedimus Deo, et beatæ Mariæ, et domno Roberto de Arbrisello, atque sanctimonialibus Fontis Evraudi feodum quem habebamus ad Varens de Aimerico Flocello pro remissione peccatorum nostrorum... Hujus rei sunt testes, Aimericus Flocellus, Petrus de Montecatorio, Aubertus de Sazai, Peloquinus filius ejus, Aimericus de calcea, et alii.

Acta, Philippo Francorum rege, Guillelmo Aquitanorum duce, Petro Pictavorum pontifice.

XXXIII.

Arvei Gionensis donum de consuetudinibus suis.

(*Ibid.*, p. 243.

Ergo Arveus Cionensis in remissionem peccatorum meorum condono sanctæ Mariæ de Fonte Ebraudi in manu domni Roberti, si quid redditus mihi contigerit de rebus suis, sive per terram meam, sive per aquam transeuntibus. Insuper omnium rerum suarum me tutelam exhibeo. Hujus rei testes sunt Affredus de Dunione, et Maheldus uxor ejusdem Arvei, et Gimo dapifer, et Hugo de Sancto Verano et Albericus de Burliaco, et domnus Aimericus domni Roberti discipulus.

Hoc factum est Philippo rege regnante.

XXXIV.

Fulchredi de Sancto Leodegario donum ad hospitium construendum.

(*Ihid.*, p. 246.)

Ego Fulchredus de Sancto Leodegario dono et concedo Deo et beatæ Mariæ et sanctimonialibus Fontis Evraudi in manu domni Roberti de Arbrisello pro remissione animæ meæ et parentum meorum Thuscam ad hospitium fratrum construendum, et pratum : concedente filio meo Gaufrido. Hujus rei sunt testes, Petrus Ottalanus, Cosbertus de Bernadaico, Gaufridus de Cleta, Paganus de Chinone.

Data, Ludovico Francorum rege, Guillelmo Aquitanorum duce, Petro Pictavorum præsule.

XXXV.

Gauterii de Montesorelli donum multiplex tribus chartis contentum.

(*Ib*:*d*)., p. 247.)

Ego Gauterius de Montesorelli, dono Deo et beatæ Mariæ, et Roberto de Arbrisello, et conventui religiosarum mulierum, vigeriam meam, et omnes consuetudines omnis terræ, quam illi habent, vel habebunt ad Fontem Evraudi, et suis hominibus per A totam terram meam, et maxime in castello meo, et per alias terras ubicunque consuetudines habeo de omnibus mercariis et de omnibus passagiis. Concedo etiam terram de Logiis et dono vigeriam et omnes consuetudines, quas ibi habeo, et quidquid homines dare voluerint, etc. Et hæc facio cum concessione uxoris meæ Griseiæ, sub horum virorum testimonio, Gaufridi Maumonii et Joannis fratris ejus Gauterii de Gisonis, Gauterii de Poeria Marcoardi, Gaufridi de Lineriis.

XXXVI.

Ejusdem donum alterum.

Ego Gauterius de Montesorelli et Guillelmus filius meus, Deo et sanctæ Mariæ de Fonte Ebraudi et sanctimonialibus ibidem Deo servientibus, donamus B et in perpetuum concedimus piscatoriam aquam, quæ ab hominibus dicitur Concha. Quæ quia de dominio meo non erat, sed de feodo, dedit Fulcoio Fissardi vicariam meam commutationem de Rivulo, Roberto filio ejus equum meum. Præterea piscationem nostram donamus eisdem sanctimonialibus de Reste in perpetuum possidendam. Hujus concessionis testes existunt Petrus Guirchia, Guillelmus de Tullegio, Ogerius de Sancto Martino, Petrus de Jarreia.

Acta sunt hæc Ludovico Francorum rege, Fulcone Juniori Andegavensium comite, Petronilla prima Fontis Ebraudi abbatissa, Angardi priorissa.

XXXVII.

Charta concessionis vallis Seguini in silva de Cadunio, domno Roberto de Arbrissello.

(*Ibid.*, p. 149.)

C Ego Guillelmus de Birontio, et Alpaidis uxor mea, filiis nostris concedentibus Guillelmo et Bertrando. pro nostri nostrorumque salute immobiliter concedimus Deo, et sanctæ Mariæ de Cadunio (*de Cadouin*) domnoque Roberto de Arbrissello, et servis Dei medietatem unius mansi in silva, quæ Caduniensis appellatur, et locum qui vallis Seguini nuncupatur. Concedimus etiam quidquid de prædicta silva ejusdem loci ædificiis vel usui fuerit necessarium. Damus præterea locum qui Bassa-Calderia vocatur, etc. Eadem dona concessit Aldebertus comes Petragoricensis; concessit similiter eodem die, eisdem testibus, Guillelmo Petragoricensi episcopo, Gerardo de Salis, Mainardo de Bainiaco, etc., quid-D quid in valle Seguini, Algerius de Moisidano, et Arnaldus de Monte-Inceaso eorumque uxores dederant. Postea firmaverunt apud Moisidanum coram domno Roberto de Arbrisello, etc.

XXXVIII.

Girardi de Podio Brunello donum de Longo prato.

(*Ibid.*, p. 252.)

Ut a Domino misericordiam consequi valeamus, ego Girardus de Podio Brunello et Aldeardis uxor mea, nos magnis et gravibus peccatis aggravatos esse cognoscentes, donamus et concedimus Deo, et sanctæ Mariæ et domno Roberto et sanctimonialibus Fontis Evraudi in perpetuum habere Longum Pra-

tum, et terram quæ est juxta idem pratum. Testes Paganus filius Bernardi Pictavis, Benedictus frater Aimerici Evraudi, Guillelmus frater Segebrandi de Salmuro.

Actum est hoc tempore regis Ludovici Francorum, Guillelmi ducis Aquitaniæ, Petri Pictaviensis episcopi.

XXXIX.

Ejusdem donum molendini de Mortono.

(*Ibid.*)

Girardus ego divina commonitione commonitus, et uxor mea Aldeardis, Raginaudus etiam Audiardus filius, damus et in perpetuum cencedimus Deo et beatæ Mariæ, domno Roberto de Arbrisello et sanctimonialibus apud Fontem Eubraudi famulantibus, quidquid de nostro jure aut generis nostri habere videbamur in molendino de Mortono, quod est situm B in jure Sancti Leodegarii de Losduno. Damns eis septem arpenta terræ, et tria pratorum, prope molendinum illud in mauu domni Petri Pictaviensis episcopi, sig. Rainerii Gapicerii, sig. Girardi, sig. Raginaudi, sig. Petri Pictaviensis episcopi. Testes sunt Rainerius capicerius, Petrus de S. Saturnino.

Acta charta regnante Ludovico rege Francorum, Fulcone Andegavorum comite, Petro Pictavorum episcopo existente.

XL.

Lamberti de Bono Oculo, et Stephani de Lineriis donum de Terra Plana.

(*Ibid.*, p. 254.)

Nos Lambertus de Bono Oculo, Stephanus de Lineriis, et filii nostri pro nostrorum peccatorum, parentumque nostrorum remissione domno Roberto, C et ecclesiæ Fontis Ebraldi, et sanctimonialibus ibidem Deo servientibus, Terram Planam, quam ad vadum de Croallio usque modo tenuimus, tenendam et possidendam in perpetuum absolute donamus. Quorum donationem ego Petrus de Brisaico ex cujus feodo erat bono et libenti animo ex parte Domini Dei et mei totam ad integrum suprascriptis monachabus concedo, et insuper prata, ad Gadum de Croallio, et aream ad molendinum faciendum illis in argumentum perpetualiter dono. Cujus rei testes sunt Richardus medicus, Petrus de Villa Coperia, Normandus de Chanzelis, Petrus filius majoris de Brisiaco, Alboinus de Senecaico, Thomas de Marcaico Guillaumus de Luchiaco.

XLI.

Willelmi el Audeberti donum loci de Villa Salem.

(*Ibid.*, p 139.)

Willelmus et Audebertus de Tremolia, qui prius medietatem Masi monachis Fontis Gombaudi dederant, post eremitis quibusdam, Gauffrido videlicet Gastinelli et Bertramno, in loco qui dicitur Villa Salem religiose viventibus dederunt. Hi autem prædicti ecclesiæ fratres formam conversationis religiosarum feminarnm Fontis Ebraldi audientes, decreverunt ut locum suum et omnia in eodem loco acquisita prædictis sanctimonialibus darent et facerent, A etc. Donum hoc beatus Petrus Pictaviensis episcopus, tanquam capitalis et superior dominus, confirmavit. Ex archivo prioratus de Villa Salem. Petrus Dei gratia Pictaviensis episcopus, omnibus hanc chartulam inspecturis, salutem in Domino sempifernam. Nos autem prædictus episcopus tanquam capitalis et superior dominus, ad supplicationem et petitionem prædicti Audeberti militis, domini totius Castellaniæ de Tremolia et pertinentiarum ejusdem, omnia et singula supradicta pro nobis et successoribus nostris confirmavimus, etc., promittentes etiam Spiritu Dei ducti et charitatis affectu, quam erga ordinem Fontis Ebraudi habemus, tanquam capitalis et superior dominus pro nobis succcssoribusqne nostris, omnia et singula supradicta religiosis garire, et defendere penitus contra omnes, etc. Hoc actum fuit in ecclesia Beati Petri Pictaviensis.

XLII.

Audeburgis de Monsterollo donum terræ et bosci de Valle Suchart.

(*Ibid.*, p. 73.)

† Ego Audeburgis de Monsterello tam præsentibus quam futuris notum faeio quod dono omnipotenti Deo et domno Roberto de Arbrissello, ecclesiæ Fontis Ebraldi, et sanctimonialibus ibidem Deo servientibus, pro animæ meæ parentumque meorum remedio, terram et boscum de Valle Suchart, imo et quidquid videbatur mihi possidere, cum duabus feminis, quas in ecclesia Fontis Ebraldi, sub sanctimoniali habitu Deo servire constitui. Hoc autem donum concesserunt filia mea nomine Mansella, et Odo filiæ meæ filius, etc. Hujus rei sunt testes Andreas de Prulleio, Archambaudus de Monsteriolo, Roginaldus de Brai, Michael de Chinon, Bodinus de Canda, et plures alii. Præsente domno Roberto de Arbrissello, et fratribus Huberto scriba, priore Andrea, etc., sororibus Petronilla priorissa, cum Agnete comitissa.

Facta, Ludovico Francorum rege, Fulcone Cœnomanensium comite, Audederto (Hildeberto) Cœnomanensi episcopo.

XLIII.

Pagani de Miribello donum nemoris de Rareto.

(*Ibid.*, p. 256.)

Unusquisque eleemosynarum beneficiis oret sua D relaxari facinora. Proinde ego Paganus de Miribello, ut meæ, uxorisque meæ, filiorumque meorum remittantur iniquitates, dono et concedo Deo et sanctæ Mariæ et sanctimonialibus Fontis Evraudi in manu domni Roberti de Arbrissello quamdam partem nemoris mei quod vocatur Raretum circa vallem Genebrosam... Et in hoc nemore, scilicet Rareto, do sanctæ Mariæ terram, duobus bobus excolendam duobns temporibus, et extra nemus damus tantumdem terræ. Do præterea unum junctum prati super Andrum. Hæc dona feci cum concessione Belutiæ uxoris meæ, et filiorum meorum Joannis, Gaufridi, Archambaudi, sub istis testibus, Garnerio

de Vilare, atque Hebone nepote Lebonis de sancto Michaele.

Acta hæc charta, regnante Philippo rege, Radulpho Turonorum archiepiscopo, Fulcone Andegavorum comite.

XLIV.

Ejusdem Pagani donum de Casamentis.

(*Ibid.*)

Ego Paganus de Miribello dono et concedo Deo et beatæ Mariæ,et sanctimonialibus Fontis Evraudi in manu domni Roberti quidquid eis de omnibus Casamentis meis datum fuerit,ita absolute, ut non amplius mihi aut uxori meæ, aut filiis meis super hoc concessio requiratur. Hoc itaque concesserunt Belutia uxor mea, et filii mei, Joannes, Gofridus, Archimbaudus. Testes sunt Garnerius de Vilareio, Raimbaudus de Columbariis. Gauterius de Dreia, Rainaudus de Aonia.

Acta. Philippo Francorum rege.

XLV.

Ogerii donum de terra in Verone.

(*Ibid.*)

Eleemosynas de nostris Christi pauperibus, ut ipsos apud summum judicem intercessores habeamus,erogemus.Ego igitur Ogerius et uxor mea,dedimus Deo et Sanctæ Mariæ et domno Roberto de Arbrissello et sanctimonialibus Fontis Evraudi terram illam quam habebamus in Verone.Testes sunt Gosbertus de Morton, Gosbertus de Lochis. Hoc etiam donum concessit Hugo de Gisoiis et filius suus petione nostra.

Testes Peloquinus de Nezi,Girardus de Corleum

XLVI.

Marcuardi donum de quatuor prati jugeris

(*Ibid.*)

Donum pauperibus datum,totius boni remunerator Deus inremuneratum non præterit. Quapropter ego Marcuardus Malus monachus dono Deo et beatissimæ Mariæ et domno Roberto de Arbrissello,et sanctimonialibus Fontis Evraudi quatuor jugera prati juxta prata Gaufridi Mali Monachi in Campaneo. Istud donum concessit Bonus filius et uxor ejus Anneis. Istius doni sunt testes Gaufridus Malus Monachus, et Guarinus de Laval.

Acta,regnante Ludovico Francorum rege Fulcone Andegavensium comite, Petro Pictavorum præsule.

XLVII.

Gasirii de Monacho donum de consuetudinibus Ligeris et maris.

(*Ibid.*, p. 250.)

Notum fieri volo quod ego Garsirius de Machcco dono Deo et beatissimæ Mariæ, et domno Roberto de Arbrissello,et sanctimonialibus de Fonte Ebraudi, omnes meas consuetudines Ligeris et maris ad proprias res faciendas pauperibus Fontis Ebraldi.Quod donum supra dictum posuit super altare Sancti Benedicti, quæ ecclesia vocatur capella infirmorum Hujus doni testes sunt Fulco Andegavensis comes, et Carbonnellus de Sancto Michaele, et Fulco de Daune.

Hoc donum datum est regnante Ludovico Francorum rege, Fulcoue Andegavensium comite,Petro Pictavorum pontifice.

XLVIII.

Joannis Girbaldi donum de Portu de Chaleio.

(*Ibid.*)

Ego Joannes Girbaldi dono et concedo in perpetuum Deo et beatæ Mariæ,et sanctimonialibus apud Fontem Evraudi Deo famulantibus,pro animæ meæ et parentum meorum remedio,in manu domni Roberti de Arbrissello, portum de Chaleio, et totam terram, quam habeo juxta ripam, etc. Hersendis vero priorissa ex charitate dedit mihi pullum ex beneficiis prædictæ ecclesiæ. Testes snnt Allo frater meus, Hogerius de Sancto Martino,Girodus præpositus archiepiscopi Candotensis (1).

Et de fratribus loci Gaufridus de Cleia, Robertus de Valleia.

Acta, Ludovico Francorum rege, Fulcone Andegavensium comite, Radulpho Turonorum archiepiscopo.

XLIX.

Multiplex Ugonis Rigaudi donum.

(*Ibid.*, p. 162.)

Ego Ugo Rigandi dono Deo et domno Roberto,et Fontis Evraldi monachabus sub regulari disciplina ibi viventibus, molendina quæ sunt in Briandia, et terram quam ibi habebam. Non post multos vero dies, Goslenus,nepos meus,Bernerius Chamelladus et uxor Gosleni eleemosynæ meæ beneficium calumniati sunt, terram scilicet et molendina ; quæ quidem calumnia, divina disponente clementia, apud castrum Mirebelli in pace est definita : et ipsi calumniatores,quidquid ex jure suo clamabant in molendinis et in terra, domno Roberto et nominatis monachabus concesserunt libere ac quiete omni tempore possidenda. Sub istorum testimonio,Petri Pictaviensis episcopi,Roberti de Arbrissello,Aimerici vicecomitis de Castello-Evraudi, Aimerici de Faia, Rainerii capellani, prioris Sancti Pauli de Cormeriaco, Hersendis priorissæ.

L.

Aimerici de Marilleio donum.

(*Ibid.*, p. 327.)

Ego Aimericus de Marilleio dono Deo et gloriæ suæ genitrici Mariæ unam meam filiam sub monacharum regulari disciplina sibi serviendam. Cum hac equidem filia mea dono domno Roberto et monachabus Fontis Ebraldi quinque julla terræ in

(1) Id est Turonensis. *Hic mentio fit archiepiscopi Candatensis* : Candatensis vero diœcesis epistola tertia Sulpitii Severi ad Bassulam socrum suam:« Martinus igitur obitum suum longe ante præscivit. Interea causa exstitit,qua Candatensem diœcesim visitaret. »

campo viridi, et hanc rectitudinem meam quam habeo in molendino de Comprigneio. Cujus doni concessores fuerunt Oda uxor mea, Archimbaudus de Melna, avunculus meus, Aremburgis, soror mea. Testes sunt Gauterius de Turonis, Josbertus de Verezia, Gauterius de Losduno, Gaufredus de Cleia, et Garinus de Tirnaio.

LI.

Frogerii Barbæ donum.

(*Ibid.*, p. 332.)

Ego Frogerius Barba fidelis dator, fideliter omnibus notum facio, quod molendinum meum de prato, et prata quæ ibi habebam, terram scilicet et Feodum Arraudi et Raimbaudi, quin potius feodum Petri Cheopelli, ipsius etiamque Besdum molendini domno Roberto, et monacharum novellæ plantationis Fontis Evraudi congregationi absolute perpetualiter habere concedo; ut duæ filiæ meæ in ecclesia Fontis Evraudi ad laudem divini nominis monachentur, etc. Sub audientia Aimerici vicecomitis de Castro Arraudi, Effredi de Borno, et aliorum.

LII.

Fulcoii Fessardi donum.

(*Ibid.*)

Ego Fulcoius Fessardi devovi Deo unam filiam, et gloriosæ genitrici ejus Mariæ, et domno Roberto sub monacharum regulari disciplina Deo Domino devotissime serviendam. Cum hac siquidem filia mea donavi sanctimonialibus Fontis Ebraudi terram in Borno, quatuor bobus duabus sationibus excolendam, et herbergementum in eadem terra, et boscum ad omnem earum necessitatem. Dedi etiam eis quatuor julla pratorum in Verone. Sub testimonio Ugonis, fratris mei, Ernaudi de Sessigneio, Odonis de Saumuro.

LIII.

Roberti Fessardi donum.

(*Ibid.*, p. 333.)

Ego Robertus, quæcunque pater meus Fulcoius Fessardus, Deo et sanctæ Mariæ, et sanctimonialibus Fontis Evraudi donaverat, ex parte mea apud Fontem Evraudi omnia eis integerrime concedo in manu videlicet magistri Roberti, et Hersendis priorissæ. Testibus istis assistentibus, Gauterio Revello, Fulcoio, patre meo, et Maria, matre mea, et domna, Petronilla.

Data, Ludovico Francorum rege regnante, Fulcone comite Andegavorum, Rainaudo Andegavensi pontifice.

LIV.

Multiplex Petri Oblinci donum.

(*Ibid.*, p. 214.)

Notum sit omnibus quod Petrus Oblinci deserens mundum, volens adhærere vitæ contemplativæ, monitis famuli Dei Roberti, ecclesiæ Fontis Ebraldi se tradidit: sequentemque partem hæreditatis in dono dedit prædictæ ecclesiæ, duos quartarios vinearum qui continentur in Bellocampo; et duas partes terræ quæ continetur in eodem campo; et partem terræ quæ est in parochia Sancti Petri Poliniaci: et in prædicta parochia septem nummos Pictavensis monetæ censuales, etc. Auditores hujus doni Giraudus de Vilamorer, Petrus Fulcardus sacerdos, et Isimbertus Escoblat. Regnante Philippo rege in Francia atque Leodegario regente Bituricensem Ecclesiam.

LV.

Plurima plurimorum dona.

(*Ibid.*, p. 261.)

Scriptum est: *Sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.*

Quapropter ego Reginaldus de Pellento dono et concedo sanctimonialibus de Fonte Evraudi, pro salute animæ meæ et parentum meorum, per manum domni Roberti, terram duabus sationibus quatuor bobus excolendam. Simili modo, nos duo fratres, Chalo scilicet et Ugo de Vivona, donamus et concedimus eis terram quatuor bobus duobus temporibus in perpetuum excolendam. Eodem quippe modo ego Salomon de Castello Evraudi, nepos Viviani de Marigniaco, dono ad quatuor boves terram eo ipso Viviano concedente, et Joanne de Tuscha consanguine meo. Præter hæc supradicta dona, nos quatuor, scilicet, Raginaldus et Chalo, Ugo et Salmon donamus eis simul prata ad opus duodecim boum, et de silvis tam viride quam siccum, quantum opus eis fuerit ad earum domos faciendas, sive quæcunque facere sibi voluerint. Testes sunt Aimericus vicecomes, Radulphus de Talniaco, Belotus de Claris Vallibus. Philippo Francorum rege regnante; Guillelmo Aquitanorum duce. Petro Pictaviensis episcopo.

LVI.

Roberti de Blodo donum de consuetudinibus suis.

(*Ibid.*, p. 260.)

Ego Robertus de Blodo, pro animæ meæ, uxorisque meæ Hersendis et parentum meorum remedio omnes consuetudines meas, quæ de terra mea, et aqua, et de omnibus meis rebus debent exire, dono et concedo omnipotenti Deo, et piæ Mariæ, et domno Roberto de Arbrissello, monialibus ejus Fontis Evraudi. Testes sunt Buccardus de Tavent, Simon de Bernezay, Uvillelmus medicus, abbatissa de Bellomonte, Hubertus presbyter de Chinon.

Data, regnante Ludovico Francorum rege, Fulcone Andegavensium comite, Radulpho Turonorum archiepiscopo.

LVII.

Donum Radulphi Barbotini, et aliorum baronum de nemore Agudella.

(*Ibid.*, p. 250.)

Notum sit omnibus quod Radulphus Barbotini, et uxor ejus nomine Emperia, pro animæ suæ, et parentum suorum salute dederunt Deo et beatæ Mariæ domnoque Roberto de Arbrissello, et sanctimonialibus ecclesiæ Fontis Ebraudi, quidquid habebant in nemore quod dicitur Agudella. Nec non et cæteri baro-

nes quidquid in eodem nemore habebant similiter A sanctimonialibus prædictis dederunt, Benedictus David, Aimericus de Bilzac, Ranulphus Tanat, Rigaudus de Berbezis, Reminundus Chaillac, et alii. Sub horum testimonio Gofranni de Pirciaco, Ranulphi de Milliaco, Petri de Grageria.

LVIII.

Donum ejusdem.

(*Ibid.*)

Per hanc chartulam notum fieri cupio quod ego Galuanus de Camiliaco pro anima patris mei et matris meæ dono Deo, et beatæ Mariæ, et sanctimonialibus ecclesiæ Fontis Ebraudi decimam molduræ sex molendinorum, quæ sunt apud Chamilliacum. Horum duorum donum factum est apud Chamilliacum sub his testibus, Cotardo de Mauritania, Gaufrido de Ver, Peloquino de Bellomonte, Uvillelmo B de Anneta. Donum vero decimæ aliorum quatuor molendinorum factum est in manu Uvillelmi Fritionis ejusdem castelli decani venerabilis, eo scilicet intuitu, ut cum magister Ulgerius venerabilis Andegavensium episcopus a Roma lætus redierit hoc donum in manu ejus confirmetur. Testes sunt Uvillelmus decanus de Chamiliaco, Poponus decanus de Chalonnia, Gaufridus de Ver. Hoc donum concessit Aalina, Galvani filia, præsente Petronilla ecclesiæ Fontis Ebraldi prima abbatissa. Hoc donum concesserunt postea Gaufridus de Argentone, et Marguarita, filia Galvani. Sub his testibus, Rainaldo de Melo, Rainaldo de Sainzaico.

Acta charta regnante Ludovico Francorum rege; C Fulcone Andegavensium comite, Ulgerio Andegavorum pontifice.

LIX.

Dominorum de Camilliaco donum.

(*Ibid.*)

Omnibus notum fieri volo quod ego Petrus de Camiliaco dono Deo et beatæ Mariæ et sanctimonialibus Fontis Evraudi per manum domni Roberti de Arbrissello omnem illam consuetudinem lanæ, quam in castello de Camilliaco et extra castellum habebam. Quæ consuetudo abusive decima vocatur. Concedente filio meo Gauvannio, ut Deus misereatur animæ meæ, et uxoris meæ et filiorum meorum. Hujus doni testes sunt Hubertus de Campania, Borellus de Salmuro, Aimericus de Averio.

Data, Ludovico Francorum rege, Fulcone comite D Andegavorum, Rainaudo Andegavensium præsule.

LX.

Eblonis et Garnerii donum de terra apud Fontem Archerium.

(*Ibid.*, p. 246.)

Notum sit omnibus quod Garnerius atque Eblo, fratrer Garnerii, donant Deo et ecclesiæ Sanctæ Mariæ, et domno Roberto de Arbrissello, et sanctimonialibus Fontis Ebraudi tantum terræ arabilis, apud Fontem Archerium, quantum viginti boves arare poterunt, atque prata, et boscum ad omnem sanctimonialium ædificationem, uxoribus eorum concedentibus, Petronilla scilicet atque Stephana, atque filiis.

LXI.

Peloquini de Insula Buchardi donum de consuetudinibus suis.

(*Ibid.*, p. 257.)

Ego Peloquinus de Insula Buchardi, omnes consuetudines meas omnium rerum sanctimonialibus domni Roberti de Arbrissello, per aquam et per terram, quæ mihi videbantur habere, dono et concedo pro Dei armore, etc. Testes sunt Bernerius de Champagnei, Burchardus de Tavent, Guillelmus medicus, et abbatissa de Bellomonte.

Hoc autem scitote factum esse in porticu Sancti Petri de Insula Buchardi. (In cujus templo Robertus mox concionem habuerat.)

LXII.

Charta prioratus de Ursano ord. Fontis Ebraldi.

(Pavillon, *Vie de Rob. d'Arbrissel*, p. 556.)

Adelardus de Castello Melano donat domno Roberto de Arbrissello silvam quæ dicitur Grosboc, et villam Ursan et terram planam cum molendino et stago, etc. Donum istud firmatum est in manu Leodegarii Bituricensis archiepiscopi.

LXIII.

Charta ejusdem P. de Ursano.

(*Ibid.*)

Ego F. Joannes Dolensis abbas et conventus fratrum mihi a Domino commissorum pro charitate quam debemus, donamus ancillis Dei quæ Deo serviunt apud Fontem Ebraldum sub magisterio domni Roberti Herbrisselli querelam quam habemus in ecclesia de mansionibus, et terram planam et boscum de loco qui vocatur Ursan.

Actum hoc Dolis in capitulo, præsente D. Leodegario archiepiscopo et eodem Roberto et clericis suis.

LEODEGARII BITURICENSIS

ORATIO DE B. ROBERTO DE ARBRISSELLO.

(Vide supra in Prolegomenis, col. 1028.)

ANNO DOMINI MCXVIII

SEHERUS

ABBAS CALMOSIACENSIS

DE PRIMORDIIS

CALMOSIACENSIS MONASTERII

ORDINIS S. AUGUSTINI IN DIŒCESI TULLENSI

LIBRI DUO

AUCTORE SEHERO PRIMO EJUSDEM MONASTERII ABBATE

(Edidit D. MARTÈNE, *Thesaur. Anecdot.*, Tom. III, col. 1160, ex schedis reverendissimi Patris Hugonis, abbatis Clarifontis et coadjutoris Stivagiensis)

ADMONITIO PRÆVIA.

Historiam Calmoniensis monasterii ordinis. S. Augustni diœcesis Tullensis debemus humanitati reverendissimi Patris Hugonis, abbatis Clarifontis et coadjutoris Stivagiensis, ordinis Præmonstratensis, viri eruditissimi, qui nostris ut faveret studiis, utque in publicam rei litterriæ utilitatem aliquid conferret, ex veteri manuscripto descriptam nobis transmisit. Auctor ipsius Scherus primus ejusdem monasterii abbas opus suum duos in libros divisit, quorum in primo primordia Calmosiacensis monasterii refert, ac contentiones quas cum abbatissa Romaricensi habuit. In secundo agit de sui monasterii benefactoribus, quorum donationes sigillatim recenset. Opus certe suo in genere optimum, ab auctore coævo conscriptum et solidissimis fundamentis stabilitum, hoc est, epistolis variisque monumentis, tum Henrici Romanorum regis, tum summi pontificis, episcopi Tullensis ac Scheri ipsius: quibus certius nihil ad faciendam fidem afferri potuit. Porro ex prolixa contentione cum abbatissa Romaricesi, quam libro primo refert, luce clarius constat inauditum fuisse tunc temporis apud Romaricenses canonicarum nomen. Et sane, id probant *monasterii, congregationis, sororum et sanctimonialum* voces, quas Scherus usurpat, quæ canonicis non conveniunt, sed virginibus per vota monastica Deo consecratis. Imo perseverasse etiam diu postea in Romaricensi parthenone Regulæ Sancti Benedicti observationem facili negotio comprobare possem, si res exigeret, nec nisi posterioribus temporibus illius usum in eo obsolevisse, unde etiam Urbanus papa VIII in bulla ad Catharinam a Lotharingia piissimam abbatissam declarat se canonicarum statum in Romaricensi ecclesia approbare nolle.

PRÆFATIO.

SEHERUS primus quidem, sed minus idoneus dispensator domus Calmosiacensis, omnibus sibi contemporaneis et post se futuris fratribus in perpetuum.

Propitia Divinitate scripturus qualecunque monumentum, de initio ac processu monasterii Calmosiacensis, in honore sancti Salvatoris Domini nostri Jesu Christi consecrati, cui, Deo auctore, licet indignus, præsideo : ante omnia de spiritualibus volo facere mentionem, ut nimirum universi in eo Domino servituri, noverint et studeant primo regnum Dei quærere et justitiam ejus, ac deinde adjectionem temporalium in necessitatibus opportunis secundum verbum Salvatoris fiducialiter exspectare. Prospiciens utilitati igitur et quieti sequentium, plena, si possum, ratione, in notitiam posteritatis nostræ transmittere cupio, qualiter omnipotens Deus in loco isto, qui Calmosiacensis dicitur, non præscientia humana, sed providentia divina et dispensatione, novellæ plantationis vineam de figurali Ægypto transferens, radicaverit, et quomodo paulatim, et sicut sibi placuit, de rudi silva, refugii et quietis domum oblationibus fidelium cumulatam sibi servire volentibus misericorditer præparavit. Siquidem moderatio divina, quæ congregationem hominum sine humano subsidio non posse consistere prævidit, corda tetigit diversorum utriusque sexus fidelium, qui tam de suis mobilibus, quam de suis fundis oblationes devotas Deo fecerunt in hujus ecclesiam. Narrationis serie, tam nomina alodiorum, quam nomina eorum qui ea dederunt, et quid de ipsis fundis meo tempore factum est, prout Dominus donaverat, litteris adnotare volo. Videtur etiam mihi non incommodum posteris intimare quomodo quorumdam controversias et inquietationes, miro omnipotentis Dei auxilio evaserimus, et ut verius fatear, ipso dispensante (cujus viæ sunt investigabiles !) per ipsas potius ad solidiorem pacem pervenerimus. Spero autem id plurimum suffragari, non solum his qui illa dederunt, verum etiam fratribus qui ea possessuri sunt : dum videlicet ignari rerum, per hanc paginam evidenter poterunt edoceri, si inde ulterius aliqua controversia, ut assolet, oboriretur. Tunc vero quibus auctoribus novella ista plantatio propagata cœperit, quomodo Deo propitio, ab ipso in locum hunc transplantata ad incrementum usque pervenerit, rerum gestarum ordinem, sicut ab initio novimus aperire tentabimus.

INCIPIT LIBER PRIMUS.

1. *Apud Castellum Anthenor sacerdos discipulos congregat. Quibus, defuncto Anthenore, præficitur Scherus.* — Inspirante bonorum omnium auctore Deo, quamplurimi pauperes spiritu, evangelica voce Salvatoris excitati, qua dicit : *Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos*, remotioris vitæ secretum unanimi devotione quærere cœpimus, in quo naufragia mundi fugientes, soli Deo attentius vacare, et requiem sine fine mansuram animabus nostris possemus præparare, cumque de mente pertrectaremus, placuit nobis locum quemdum, cui nomen Castellum est, hujus rei gratia adire, in quo quidam venerabilis sacerdos Anthenor nomine, Deo devotus quidem, et hominibus satis carus, religiosam vitam ducebat. Est autem locus ille Romarico monti contiguus, quondam sanctissimorum confessorum Amati et Romarici insignitus habitatione. Abjectis igitur mundi rebus, nec minus, juxta evangelicum præceptum, propriis renuntiantes voluntatibus, cum eo et sub eo communis vitæ societatem suscepimus : et licet adhuc incerti, quem sanctorum Patrum maxime in habitu religionis sequeremur, sub unius tamen Patris dispositione obedientiæ studentes, satagebat unusquisque nostrum, cooperante gratia divina, veteris conversationis itinera lata declinare, et imaginem Dominicam quam in sæculo deleveramus, per pœnitentiæ lamenta pro viribus renovare ; cumque crescente fratrum numero, in devotione filiorum Pater plurimum exsultaret, consummato præsentis vitæ cursu, in pace cum fidelibus, ut credimus, est assumptus ; post cujus obitum, fratres communi inito consilio, a me minimo omnium, per charitatem quæ nos collegerat, exigebant, ut non solum rerum suarum, sed etiam ipsorum curam loco prædecessoris susciperem. At ego, quem nec scientia sæcularis, nec vita tanto oneri satis congrua commendabat, primo quidem dubitabam quod mihi injungebatur suscipere, deinde, si renuerem, in fraternam dilectionem offendere nihilominus trepidabam. De divina igitur præsumens misericordia, tandem petitioni eorum cessi, nec propriis præfidens viribus, ei qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, me cum ipsis regendum et gubernandum commisi. Cœperunt interim plurimi nobiscum Deo servire cupientes convenire, et locus, qui prius nobis paucis suffecerat, multitudini suscipiendæ minus idoneus habebatur. Erat autem inter fratres quos gehennalis timor et æterni præmii amor ad convivendum collegerat, ad reparandum primitivæ Ecclesiæ statum, cor unum et anima una in Deo, placuitque nobis omnibus, quos studiosa nutrix virtutum dilectio paupertatis fovebat, secundum beati Augustini instituta, sub canonico habitu vitam dirigere, atque sub regulari disciplina de consummata obedientia a Domino bravium supernæ remunerationis exspectare.

2. *Lutulfus decanus S. Leonis condit monasterium.*

Cujus et Castelli curam Scherus gerit, et de loco ad locum fratres vicissim mittit. — Eodem fere tempore quidam vir venerabilis, Lutulfus nomine, qui tunc temporis Tulli in majori ecclesia decanus erat, visitandi gratia nos adiit, et quoniam ipse in memoriam beati Leonis papæ, qui prius ejusdem urbis antistes fuit, ecclesiam extra mœnia civitatis condiderat, humiliter a nobis postulavit, ut ipsam fovendam et gubernandam susciperemus, et ad serviendum Deo aliquos de fratribus nostris sub dispositione nostra, in ea ordinaremus; dicebat seipsum sub dispositione nostra libenter vitam velle dirigere, et multos alios, infra civitatem ad suscipiendum regularis disciplinæ jugum, doctorem idoneum exspectare : cujus petitionem tam ego, quam omnes fratres benigne suscipientes, quibusdam fratribus mecum assumptis, non multo post hujus rei gratia Tullum petii, et ab eo in eadem ecclesia honorifice susceptus cum fratribus meis, ibidem aliquantis diebus habitavi, quibus ad serviendum Deo dispositis prout Dominus donabat, vale eis faciens cum gaudio ad propria sum regressus. Cœpi deinde utriusque curam gerere loci ; et quoniam, cooperante gratia divina, ad utrumque conversandi gratia, plerique concurrebant, quos strenuos ad instruendos alios in regulari disciplina noveram, de loco ad locum vicissim transmittere satagebam : porro loci illius angustia, in quo prius convenire cœperamus, me et quosdam fratrum plurimum gravare cœpit, eo maxime quia ibidem quædam religioni contraria nobis imminebant, quæ aut sine loci mutatione, aut sine propositi nostri detrimento nequaquam vitare poteramus. Sed non diu distulit divina providentia, quæ jam nobis locum alium providebat, sperantes in se famulos super hoc consolari.

3. *Commodiorem eis locum ad habitandum offert Theodoricus.* — Deo namque, ut credimus, dispensante, cum nobis omnino incognitum hoc maneret, rumor inde exiens usque ad quamdam matronam nomine Hadelvidem pervenit, quæ, licet adhuc virum ac possessiones haberet, studio tamen bonæ intentionis illos specialiter diligebat, quos viam rectam ambulare didicisset. Cœpit itaque, hoc audito, prædicta mulier viro suo nomine Theodorico vehementer insistere, quatenus in alodiis suis illum locum ad inhabitandum nobis offerret, atque contraderet, quemcunque fraternitas nostra ad commorandum sibi habilem potissimum invenisset: frequenter siquidem illi replicabat ut, quoniam ipse hæredes carnis non haberet, Deum sibi hæredem facere omni annisu elaboraret. Denique, Deo favente, uterque concurrentes, per quemdam venerabilem clericum, nomine Ascelmum, adhuc quidem in sæculari habitu degentem, postea vero nobiscum, Deo fideliter famulantem, quod supra diximus nobis obtulerunt devote, atque ut adessemus, locumque circumspiceremus, unanimiter et obnixe rogaverunt. Communicato autem cum sapientibus et spiritualibus viris consilio qui rem a Deo fieri altius intelligebant; quod offerebatur videre descendimus, et ipsum alodium circumeuntes, in silva maxima nobis sedem accipere placuit, eo nimirum in loco qui pacificus atque a populari frequentia remotus esse videbatur. Videns autem vir Deo devotus Theodoricus quod nobis in alodio suo sedem placuisset accipere, gratias Deo egit, et portionem illam quæ nobis ad inhabitandum placuerat, præsente Widrico Spinalense, et multis aliis tam servis quam liberis sancto Salvatori nostro Deo, nobis et successoribus nostris perpetuo possidendam lætus obtulit.

4. *In vasta eremo Calmosiacense monasterium exstruit. Theodoricus miles cum uxore sua Hadelvide alodium de Calmosio sancto Salvatori et ejus Genitrici contulit.* — Mox igitur cum fratribus advenientes, incultam eremum in domesticas fabricas transferre cœpimus, et novum oratorium ad serviendum Deo construentes, in honore beatæ Dei genitricis Mariæ dedicavimus. Interim prædicta matrona voti compos effecta exsultabat ; et gratias Deo agebat quod hæredes magis animæ, quam filios carnis invenisset, et assiduis precibus virum suum, ut sicut portionem jam nobis ad inhabitandum tradiderat, sic totius alodii Calmosiacensis hæredem ecclesiam nostram relinquere satageret. Cujus tandem precibus assentiens, nobis omnino id nescientibus pari voto et desiderio ambo se totum alodium ecclesiæ nostræ tradere velle fratribus innotuerunt. Ego autem tunc temporis Metim adieram : unde fratrum nuntio revocatus, me præsente multisque aliis tam liberis quam servis, quorum nomina ad testimonium donationis hujus subscripta sunt, prædictus vir egregius Theodoricus cum uxore sua Hadelvide alodium de Calmoseis dedit sancto Salvatori nostro Deo et ipsius Genitrici Mariæ, simulque mihi indigno, qui inter alios pastoris officio fungebar, cunctis quoque fratribus et futuris in eodem loco Deo servituris. Tradidit autem illud ita libere integre et solide, sicut ipse antea possederat, videlicet cum servis et ancillis, cum agris cultis et incultis, cum pratis et pascuis, cum silva, et ea quæ per se est, et ea quam cum beneficio partiebatur, cum quoque usufructario, et redditibus universis. Cum his quoque aulogias, quas ex parte ecclesiæ ipse Theodoricus et antecessor ejus consueverant accipere simul contradidit : videlicet porcum unius anni, denarios duodecim, et duodecim panes, et tria receptacula in anno. Testes autem fidei jussores ac denarratores idonei hujus donationis hii liberi homines exstiterunt, Widricus Despinal, Landricus et Widricus, nepotes ejus, Theodoricus de Villa, Adolardus de Lusda, Renardus, Renerus, Albricus, Richardus, quæ omnia legalis investitura traditionis sancto Salvatori nostro Deo donata quoad vixit vir Deo devotus supradictus Theodoricus, solide et pacifice nostra tenuit ecclesia.

5. *Joscelmus, Theodorici frater, vastat et impugnat*

monasterium. — Theodorico autem viam universæ carnis ingresso, et a nobis in cœmeterio nostro honorifice sepulto, carnalis frater ipsius nomine Joscelmus prædictum alodium a modo Dei tentavit alienare, et sibi violenter vindicare, potestate siquidem accepta ab eo cujus paterno flagello erudiebamur ad disciplinam ; ne si ad votum temporalia cuncta succederent, minus fortasse futuram et manentem civitatem inquireremus, nocturnis diurnisque assultibus ipsum alodium cœpit vastare, et quibuscunque poterat molestiis, et deprædationibus, ut inde recederemus, non cessabat inquietare, ad ultimum etiam ad cumulum malorum suorum parochialem ecclesiam, in honore beatæ Dei genitricis Mariæ inibi fundatam, incendio cremavit, atque pro tanta crudelitate in odium plurimis venire cœpit. Tantis itaque injuriis et inquietationibus ipsius compulsi, ducis Theoderici curiam adivimus, ut judicio curiæ suæ ab injustitia et oppressione, quam nobis violenter inferebat, removeret, obnixe postulavimus ; qui, quamvis proclamationem nostram benigne susciperet, et injuriis nostris multum condoleret, ad audientiam tamen curiæ suæ sæpius eum convocans, justitiam inde facere per biennium protelavit. Nos vero cum sæpius ducem super hoc repeteremus, et adversarius noster Joscelmus justitiam omnino refugeret, tandem dux certam diem et locum statuens, utrosque ad audientiam curiæ suæ convocavit, ut si ad illum diem commonitus venire recusaret, quid ipse nobis inde facere deberet, judicio principum terræ ibidem demum discuteret. Cumque ad condictum diem venissemus, et exspectatus diu Joscelmus venire renueret, quam injuste nos persequeretur, tam præfato duci quam omnibus qui aderant manifestum apparuit.

6. *Adversus quem dux Theodoricus et proceres sententiam ferunt.* — Convocatis itaque dux principibus suis, monuit eos ut judiciali sententia discuterent quid ipse inde facere deberet, ut contemptori justitiæ inultum non cederet, si temerariis vexationibus ulterius nos inquietare præsumeret. Porro liberi qui tunc adfuere homines judicaverunt æquum sibi videri, ut si qui eum ad placitum convocassent, in conspectu omnium hoc probarent, quatenus ex ordine causa procederet, et totius quærelæ occasio adversario tolleretur : et quoniam præsentes aderant placitorum commonitores, Stephanus scilicet de Villa, et Humbertus de Damno Medardo, astantes in conspectu omnium jurejurando probaverunt se ad condictum diem sæpe memoratum Joscelmum ex parte ducis legitime convocasse : secuti ergo mox liberi judices protulerunt nihilominus æquum sibi videri, ut si qui donationi legalis investituræ vivente sæpe memorato viro Theodorico adfuissent, legitima assertione comprobarent ; assurgentes iterum protinus liberi, testes septem. Widricus videlicet de Spinaco, Theodoricus de Villa, et Stephanus frater ejus, Adolardus de Lusda, Renardus, et Renerus, et Albricus, in conspectu ducis et
A totius curiæ jurejurando comprobaverunt præfatæ donationi interfuisse, et sicut a sapientibus viris qui ipsi dono cum ipsis adfuerant, melius discerni potuit a prædicto viro Theodorico absque omni legali calumnia totius alodii investituram ecclesiam nostram ipsis præsentibus legaliter accepisse. Cognita autem prædicta placitorum commonitione, necnon manifesta donationis comprobatione, quandoquidem ipse Joscelmus ad audientiam curiæ sæpius vocatus, venire omnino refugiebat, protinus idem subsequenter judicaverunt ducem Theodoricum, ipsum alodium ecclesiæ nostræ sasire debere, et adversarium nostrum a calumnia et injuriis, quas nobis violenter inferebat, potestatis suæ objectione comprimere. Hi autem exstiterunt liberi et idonei
B hujus sententiæ judices, Fabio, Albertus, Levardus, Walterus, Waldricus, Theodoricus, eidem nihilominus judicio consentiente egregio duce Theodorico cæterisque tam servis quam liberis, in quorum præsentia habitum est hoc judicium apud Waldimacum super ripam Maldonci fluvii. Paucis itaque transactis diebus, ipse dux Theodoricus adveniens, præfatum alodium ecclesiæ nostræ sasivit, familiam quoque ipsius alodii ante fores novi oratorii nostri convocans, in fidelitate nostra posuit.

7 *Joscelmum anathemate percutit Pibo Tullensis episcopus.* — Sed quia tempus pacis necdum advenerat, adversarius noster Joscelmus nec sic a cœptis destitit injuriis, sed quibuscunque modis poterat insistebat, ut præfatum alodium a nobis posset alienare, et sibi violenter usurpare. Videns autem quod
C judicium curiæ omnino sperneret, familiæ nostræ clamoribus iterum compulsi ad gremium matris nostræ Tullensis Ecclesiæ confugimus, ut saltem sub protectione alarum suarum nobis liceret retinere quod juste atque canonice acquisisse videbamur. In qua tunc sacerdotium ministrabat piæ memoriæ Pibo ejusdem Ecclesiæ episcopus : qui benigne suscipiens proclamationem nostram, prædictum Joscelmum ad satisfactionem sæpius vocavit. Quo renuente, pro pace gregis sui pastor sollicitus, anathematis sententiam in ipsum direxit : ut saltem sic perterritus satisfaceret, et a cœpta injuria tandem resipisceret, hac denique sententia adversarius noster, Deo favente, perterritus.

8. *Sed tandem resipiscit, et acceptis* XII *libris a malo*
D *proposito desistit.*— Videns se judicio curiæ, et ecclesiastica censura undique constringi, jam in se aliquantulum reversus adversum nos mitius agere cœpit, et quoniam idem Joscelmus pauperrimus erat, quidam tam nostri, quam sui amici, id inter nos et ipsum mediaverunt : ut aliquantam pecuniam a nobis susciperet, et sic demum omni calumniæ finem imponeret. Hujus igitur rei gratia condicto die apud Ranegias convenimus, et licet nobis grave videretur, quippe quibus in rudi et agresti loco positis, ipsa quoque necessaria necdum sufficiebant, tamen ut contentiosæ controversiæ finem imponeremus, quantitatem pecuniæ (duodecim videlicet libras) da-

turos nos ei promisimus. Cum igitur hujus pecuniæ sponsionem a nobis suscepisset, mox in conspectu multorum qui aderant, ipsum alodium de Calmoseio cum uxore et filiis, qui nihilominus præsentes aderant, wirpivit et astipulavit, et totius calumniæ finem fecit. Huic autem fini facto, et paci acquisitæ interfuerunt apud Renegias hii liberi et idonei testes, Widricus videlicet, et Renerus Despinal, Widricus, et Sandicus de Lismaco, Stephanus de Villa, Albertus, alter Albertus de Darneio, Humbertus Lupus, Humbertus de Domno Apro, Widricus de Strena, et filius ejus, Ulricus Drogo, et Gerardus de Bosani villa, Widricus Pinguis de Damviliaco, Widricus de Viverio, Robertus de Senonis et filii ejus, Hotto et Hugo, Theodoricus de Salsuriis, Maselinus et filius ejus Drogo, et Anscherus et Robaldus de Damno Martino, Hugo de Pisneio, Robertus de Aldono, Cono et Albertus de Darnulio, Hugo de Folmariaco, Lanfridus de Aleia, Ascelinus nepos ejus, paganus de Monronis curte, Hugo et Walterus de Columbeio: adversarii vero nostri ipse Joscelmus et Haduidis uxor ejus, filii quoque eorum, Thonnor et Theodoricus. Deinde etiam cum eo Tullum pervenimus, et Piboni episcopo, qualiter tandem ad finem pervenerimus, per ordinem recitavimus. Porro Joscelmus ipse sicut jam pridem apud Ranengias fecerat, iterum ipsius in præsentia episcopi, et aliorum multorum sæpe dictum alodium wirpivit, et sic demum absolvi meruit. Possedit itaque deinceps, Deo favente, ecclesia nostra ipsum alodium, ita quiete, ita pacifice, ut nullius calumniam super hoc ulterius sit experta.

9. *Monasticam disciplinam et morum institutionem a fratribus Beati Rufi suscipiunt.* — Cum igitur, Deo propitio, res nostra in pace ageret, utraque ecclesia quibus intendebam, ista scilicet et illa cujus longe superius memoriam feci, plerisque concurrentibus paulatim ad incrementum usque proficeret, placuit mihi cæterisque fratribus nostris, ut non sine legibus et consuetudinibus viveremus, sed ab aliquibus sanctorum Patrum, qui nos in religione eadem præcesserant, vivendi exemplum susciperemus: verum quoniam multorum celebri relatione didiceramus, fratres qui in monasterio Beati Rufi quod in Provinciæ partibus situm est, sub canonica professione Deo fideliter famulari, et omni monastica disciplina apprime instructos vicinas ecclesias quasque religiosæ conversationis exemplis illustrare, duos ex fratribus nostris cum litteris sæpe memorati pontificis nostri ad ipsos direximus, quatenus secundum modum et institutionem vitæ eorum nos quoque vitam nostram dirigere possemus, quos cum honorifice suscepissent, omni diligentia verbis et scriptis instructos ad nos cum gaudio remiserunt.

10. *Seherus abbas eligitur. Sejunctio fratrum S. Leonis et Calmosiaci.* — Deinde cum cœnobitarum more consuetudines eorum, utpote religiosas in exemplum nobis vivendi suscepissemus, visum est divino domno Piboni episcopo cæterisque majoribus A Tullensis ecclesiæ, ut nos qui infra diœcesim ipsorum communem vitam in præfatis ecclesiis ducebamus, cum consilio eorum pastorem nobis idoneum canonice ordinaremus, unde fratres requisiti, quem potissimum de fratribus abbatem sibi vellent ordinari, me minimum, sicut prius fecerant, ad hoc onus suscipiendum unanimiter elegerunt. Vocatus igitur hujus rei gratia ab episcopo benedictionis ordinationem suscepi,...et in quo fratribus prius sola ipsorum petitione ministraveram. Sed quoniam locus iste necdum ab episcopo visitatus fuerat, neque adhuc dedicationis consecrationem susceperat, placuit nobis omnibus, ut utriusque loci fratres, ecclesiæ Beati Leonis, quæ jam consecrata erat, intitularentur, ea interposita conB ditione, ut post istius ordinationem quicunque hic ad serviendum Deo convenirent, deinceps ab ista titulum susciperent. De fratribus etiam illis qui jam convenerant, statutum est ab episcopo, ut quemcunque locum unusquisque eorum sponte eligeret, in eodem deinceps perseveraret: et ut ratum permaneret, quod communi consilio inter utrumque locum discreverat, chartam inde ordinavit, proprioque sigillo corroboratam utrique ecclesiæ tradidit hoc modo.

11. *Pibonis litteræ de ordinatione Seheri abbatis.* — « Pibo Dei gratia Tullensis Ecclesiæ provisor indignus, omnibus ejusdem Ecclesiæ filiis tam posteris quam præsentibus, salutem utriusque hominis, et divinæ benedictionis amplitudinem.

C « Charitati vestræ, filii in Domino dilectissimi, notum esse volumus, quia Seherum fratrem concordi fratrum suorum voto electum in abbatem promovimus, et in sede Tullensi ad titulum Sancti Leonis Sanctique Nicolai ordinatum, sancti Spiritus cooperante gratia, quantum in nobis fuit consecravimus, et accepta ab eo secundum beati Augustini regulam professione, omnium tam clericorum quam laicorum quicunque de procelloso sæculi tumultu sub eo in unum confluxerant, vel postea confluerent curam ei commendavimus. Postremo ne quorumdam clericalis propositi fratrum ordinatio, qui in silva de Calmesiaco quietem solitudinis præelegerant, secundum canonica decreta cassaretur, ut prædicto abbati sub eodem titulo Sancti Leonis Sanctique Nicolai quisque profiteretur, necessarium D duximus, domino tamen abbate multis precibus obsecrante, et fidelium nostrorum interveniente consilio, legitimæ professionis tenorem sic dispensativa conditione temperavimus, utque diu locus ille de Calmosiaco integritatem tituli non haberet, omnes sub tituli Sancti Leonis Sanctique Nicolai certitudine, quisque in suo ordine Domino deservirent. Si vero locus ille de Calmosiaco quandoque plenariam libertatem, ut per se esset titulus, per Dei misericordiam obtineret: nulla promissæ obedientiæ necessitas, nulla suscepti tituli auctoritas, ut in Sancti Leonis Sanctique Nicolai ecclesia perpetuo remanerent, jam dictos fratres astringeret; sed de toto

fratrum collegio quos abbas judicaret idoneos, sicut eorum voluntas ad hoc sponte accederet, communi totius capituli consilio, in ecclesia de Calmosiaco legaliter titulandos destinaret. Ut autem hoc aliquando a memoria non excideret, vel ne contra hoc humana importunitas aliquid moliretur, præsenti scripto durabile tradimus, et nostri impressione sigilli, nostraque si qua est auctoritate firmamus, proborum et credibilium virorum subscripta testificatione roboramus. Peregimus autem ista anno Incarnationis Dominicæ millesimo nonagesimo quarto, ordinationis vero nostræ anno vicesimo tertio, indictione secunda, concurrente quinto, calendas Decembris, feria prima in ecclesia majore in honore beati Stephani protomartyris sacrata. »

12. *In honore beatæ Mariæ dedicatur primum oratorium. Electione duorum locorum facta, commoratur quisque ubi elegit.* — His itaque dispositis, non multo interjecto tempore, idem pontifex Calmosiacensem ecclesiam (cui auctore Deo præsideo) visitandi gratia adiit, atque rogatus a fratribus primum oratorium nostrum in honore beatæ Mariæ Dei Genitricis semperque Virginis dedicavit, altare quoque nihilominus in superiori monasterio, in honore beati Petri apostoli consecravit, et ut in talibus consuetum est, ne quisquam ulterius locum nostrum temerariis vexationibus inquietare præsumeret, quantum potuit et debuit pontificali auctoritate et anathematis sententia interdixit. Quibus solemniter adimpletis, venerabilis pontifex, valedicens fratribus, ad propriam sedem est regressus, nec multo post a nobis rogatus, ut pro quibusdam nostris negotiis in capitulum nostrum apud Sanctum Leonem adveniret, libens assensum præbuit. Cumque condicto die advenisset, post habitum colloquium eorum pro quibus eum præcipue invitaveramus, assurgens ego humiliter postulare cœpi ut memor dispositionis suæ, quam de divisione fratrum inter duas ecclesias nostras ante istius Calmosiacensis videlicet consecrationem jam dudum per chartam ordinaverat, nunc quoniam cooperante gratia illa jam ordinata per ipsius misericordiam titulum proprium susceperat, fratrum super hoc voluntatem requirendo præsens adimpleret: at nihil cunctatus, petitionem nostram benigne suscepit, et a fratribus qui tum præsentes aderant, singulorum voluntatem per ordinem requirere cœpit, quem quisque horum duorum locorum magis eligeret, ut professione data in eodem deinceps permaneret: cumque singulorum voluntatem cognovisset, protinus ad requirendam etiam illorum fratrum voluntatem, qui tunc temporis in hoc loco morabantur, dominum Tietmarum abbatem S Mansueti direxit. Adveniens igitur prædictus abbas, singulorum voluntatem in capitulo nostro requisivit, et quem quisque locum elegit, in eodem deinceps perseverare disposuit: sicque factum est ut sicut ab initio in possessionibus, ita de cætero in fratribus unaquæque ecclesia jus proprium obtineret.

13. *Calmosiacense cœnobium sub sedis apostolicæ protectione ponitur.* — Cum igitur, auctore Deo, utrique ecclesiæ præsiderem, consilio fratrum nostrorum, et quorumdam spiritualium virorum, domum Calmosiasensem de liberis partibus venientem, Romæ a beato Petro apostolo ac ejus etiam vicario, in refugium nobis a Deo constituto privilegium promerui: in quo nimirum diligens lector, quia huic opusculo insertum est, prudenter animadvertere poterit, quid ipse papa terribiliter sanxerit, tam pro novellæ plantationis radicatione, quam pro præsentium sive futurarum oblationum affirmatione; qualiter etiam idem ipse auctoritate apostolica discreverit ac determinaverit, quomodo et nos et successores nostri, de his quæ ad christianitatem pertinent, erga Tullensem sedem nos debeamus habere. Inserimus autem ipsum huic opusculo nostro cum cæteris litteris apostolicis privilegium, quas ab eodem papa Paschali in necessitatibus nostris suscipere meruimus, ut qui crediderit, eas in serie rerum gestarum apertas reperiat: qui autem inde dubitaverit, quid quoque rescripto impetraverit noscat. Scripsit igitur ad Romanum pontificem plenam supplicatione epistolam ista continentem:

14 « Paschali sanctæ et apostolicæ sedis summo pontifici, Pibo Dei ejusque munere Tullensis episcopus, debitæ obedientiæ indefessam exhibitionem.

« Cum desiderium ingens, » etc. *Vide in Paschali, Patrologiæ tom. CLXIII.*

15. Ad hæc rescriptum domini papæ, quod apud nos continetur...

« Paschalis episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Piboni, episcopo Tullensi, salutem et apostolicam benedictionem.

« Sicut malum prohibere, » etc. *Vide ubi supra.*

16. *Condemnatio inter abbatissam Romaricensem et abbatem Calmosiacensem. Dux Theodoricus favet Romaricensi abbatissæ.* — Quod cum ad notitiam Romaricensium pervenisset, Tullensem videlicet episcopum supradictæ ecclesiæ altare, in qua portionem ipsi habebant, nobis contulisse, indigne tulerunt, unde adversum nos unanimiter concitati, clericum qui tunc temporis ecclesiæ illius vicariam tenebat, et qui nobis et præfato viro Theodorico supradictas eulogias pro eadem ecclesia eatenus persolvere consueverat, ad se convocari fecerunt, et eulogias quas nunquam eis dederat, ab eo injuste quærere cœperunt: ille vero renuente, et dicente grave sibi videri eis dare quas non debebat, et nobis persolvere quas consueverat, adjicientes portionem nullam in ea nos habere, eidem vicario ecclesiam omnimodis abstulerunt, et cuidam castellario suo nomine Walfrido protinus tradiderunt: proinde etiam Tullum adeuntes, ipsum in conspectu Tullensis ecclesiæ præsentavere, et maxime dux Theodoricus qui præsens aderat, et defensionem causæ eorum adversum nos susceperat, ut eidem Walfrido altare traderent, cum magna potentia instabat. Nos vero assumpto

vicario, in præsentia majorum Tullensis ecclesiæ, et ipsorum adversariorum nostrorum injuste ab eisdem clericum investitura sua privatum querebamur, et ne ei traderent altare quod ex domo Tullensis episcopi ad nostram potius pertinere ditionem humiliter petebamus, tunc cum consilio respondentes archidiaconi, nihil contra justam causam nostram se audere præsumere asserebant. Videntes itaque adversarii nostri, se nihil posse proficere, adjicientes ipsum fundum, in quo novum monasterium nostrum situm est, ad Romaricensem potius pertinere ecclesiam, calumniabantur: ipse etiam dux Theodoricus, qui eatenus in dilectione nobis familiariter adhæserat, ne in amicitia sua ulterius confideremus interdixit, et aspera loquens, et graviora promittens, sic a nobis nimium iratus, recessit. Nos autem exitum rei præstolantes, omnipotenti Deo, cujus benignum auxilium in necessitatibus nostris jam experti fueramus, causam nostram regendam et protegendam commisimus. Tullo itaque regressus adversarius noster Walfridus, protinus eamdem ecclesiam violenter invasit, et quæcunque poterat ad jus ecclesiæ pertinentia cum armata manu militum rapiens, ad propria asportavit, et quoniam de fundo loci nostri, quem jam Romæ beato Petro feceramus, injuste calumniam moverant, accepto a fratribus et amicis nostris consilio, quemdam fratrem meum carnalem nomine Arnulphum Spinalensem, Romam direximus, et per eum supplicationis et querimoniæ epistolam Romano pontifici, de cujus solius auxilio super hoc post Deum confidebamus, in hunc modum allegavimus.

17. *Epistola Seheri abbatis Calmosiacensis ad summam pontificem.* — « Domino papæ reverendissimo Patri, et primæ sedis pastori, Seherus Calmosiacensis Ecclesiæ qualiscunque abbas, et sibi cohærens congregatio, devotam subjectionem.

« Inter multas angustias, quæ nos ad sinum protectionis vestræ cogunt recurrere, præcipua est persecutio Romaricensis abbatissæ: acerrime enim et injustissime, et per se et per quoscunque potest insequitur, et quia aperte et violenter nos expellere vel non prævalet, vel erubescit, quibus potest factionibus machinatur, ut loco suo locus noster subjiciatur, ut vel sic nos expellendo, vicinitate nostra non gravetur. Et quia, ne vos gravaremus, machinationes quibus innititur (quia longæ sunt) non perstrinximus, rationum series, si vobis placet, a domino Richardo et a domino Arnulpho hujus chartæ portitore, quia eis nota est requiratur, et apud vos diligenter discutiatur et finiatur. Et quia, domine Pater, singulare refugium post Deum factus es nobis, suppliciter petimus ut sis adjutor noster in opportunitatibus, nobisque jam cadentibus suppone manum auxilii, ne penitus collidamur; ne, quæsumus, diutius differatis: quia jam prope est ut dicatur de nobis in nostris partibus: Ubi est Deus eorum? Sentiamus, si placet, quid protectio vestra valeat: sentiant persecutores nostri, si usque adeo disciplinæ vestræ virga se extendat, ut et nos respirantes sub protectione alarum vestrarum sperare discamus, et illi in se reversi, erubescentes et conversi tandem salvari mereantur. »

Qui benigne quidem suscepit litteras nostras, et quoniam eodem tempore, dispensante Deo, abbatissa Romaricensis legatos suos direxerat, utrosque in præsentia sua vocari præcepit: cumque ab utrisque causam diligenter investigasset, diligentius tractandam cum suis fratribus, dominis videlicet cardinalibus, ad præsens distulit, post quorum habitum consilium et judicium, revocatis ad se nuntiis, quid consilii super hoc acceperat indicavit, utrisque vero eidem judicio assentientibus, hoc ipsum Romaricensi abbatissæ litteris rescripsit dicens:

18. « Paschalis episcopus, servus servorum Dei, dilectæ filiæ Gislæ Romaricensi abbatissæ salutem et apostolicam benedictionem.

« Causam quæ inter vos et Calmosiacenses canonicos, » etc. *Vide inter epistolas Paschalis II, tomo supra citato, sub num.* 130.

19. Susceptis igitur apostolicæ sedis reverentiæ litteris, præfata abbatissa, in ipsa quidem novitate quod ei a domino papa injungebatur se completuram spopondit, sed diu idipsum procrastinando, cum tandem in communi colloquio convenissemus, id se facere omnino contradixit. Videntes denique quod neque consilio domini papæ acquiescerent, neque a cœptis desisterent injuriis, iterum necessitate compulsi secundas litteras Romam misimus, et in tribulationibus et violentiis quas ab eis frequenter sustinebamus, auxilium domini papæ flagitantes, scripsimus ei, dicentes:

20. *Altera ad papam Seheri abbatis Calmosiacensis epistola.* — « Domino papæ Paschali reverendissimo Patri et primæ sedis pastori, Seherus Calmosiacensis ecclesiæ qualiscunque abbas, et sibi cohærens congregatio, devotam subjectionem.

« Sane vobis, Pater reverende, importuni sumus, et irreverenter nostris querimoniis frequenter vos inquietamus: sed, qui nimia tribulatione premitur non a quo se sperat adjuvari, recurri obliviscitur. Quia ergo, domine, tota nostra pax et tranquillitas a vobis pendet, duplex ratio nobis illius evangelicæ experrectionis ausum præbet: *Domine, salva nos, perimus.* Hinc immensitas nostræ tribulationis, hinc vestra patientissima pietas, qua semper pauperum causas et libenter suscipitis, et diligenter investigatis. Scitis itaque, Pater sancte, quod causam quam de parochiali ecclesia cum Romaricensibus habemus nuper vobis delatam diligenter utrinque investigatis, et investigatam nostris et eorum nuntiis id concedentibus per concambium terminandam discretissime mandastis. Quod, postquam ad nos reversi sunt, in ipsa quidem novitate sic se completuros spoponderunt: sed id procrastinantes semper, et suis se rursum factiosis machinationibus implican-

tes, nunc demum in communi colloquio se facturos contradixerunt : nec hoc multum curamus, si portionem nostram in ecclesia quietam possidere nos paterentur, sed et abbatissa, et ejus suffraganei omnes, quasi conjuratione quadam invicem conglobati, suis divitiis et honoribus quibus affluunt innitentes, nosque despectui habentes, omni ratione postposita, tam nostra quam sua minantur invadere, et ut nos expellant, vel sibi subjiciant, se accingunt callide : et qui sumus nos, ut sub tantæ tempestatis impetu subsistamus, nisi validissima vestra protectione fulciamus ? Quapropter, pastor bone, quia nos et nostra in vestra protectione sumus, propter Deum cogitate de nobis, ut pacem, habeamus, et si non præfectam quia non expedit, saltem ne locellum nostrum deseramus. »

21. Graviter vero ferens dominus papa quia quod ei mandaverat implere distulisset, secundo rescripsit ei sententiam in intentando, dicens.

« Paschalis episcopus, servus servorum Dei, dilectæ filiæ Gislæ Romaricensi abbatissæ, et ejus congregationi, salutem et apostolicam benedictionem.

« Quia pax multa, » etc. *Vide ubi supra, sub num.* 131.

21. *Dissimulante abbatissa, Seherus recurrit ad Henricum regem Romanorum.*—Quas, cum per nuntium nostrum iterum suscepisset, sicut prius fecerat, ad præsens non contradixit. Communicato autem cum suis consilio, quibus grave videbatur quidquam eis a Romano pontifice pro pace nostra mandabatur, occasione inventa, quod scilicet sine rege, ad cujus ditionem abbatia eorum respiciebat, implere non possent, iterum facere dissimulavit. Nos vera injustitiæ et oppressioni eorum resistere non valentes, quippe qui divitiis et honoribus multis affluebant, solum auxilium de cœlo petentes, misericordem Deum assistere nobis protectorem in tribulationibus nostris humiliter petebamus. Contigit interea dominum Richardum Albanum episcopum, qui tunc temporis in partibus nostris legatione fungebatur, Henrici regis curiam adire; cujus comites in eodem itinere exstiterunt dominus Reybaldus Tullensis archidiaconus, et Spinalensis Arnulphus, qui benigne nostri memores, res ex ordine regi retulerunt: quomodo in quadam silva pauperes fratres ad serviendum Deo congregati, calumniam et oppressionem Romaricensis abbatissæ diu sustinuerint, et quomodo post frequentes ejus molestias, justitiam et judicium domini papæ, ad cujus ditionem locellus eorum pertineret, super hoc jam secundo requisierint, intimaverunt nihilominus ei quid de hoc ipso dominus papa decreverit, et quid iterato per litteras suas eidem abbatissæ præceperit, qualiter quoque ad ultimum occasione inventa, quod scilicet sine permissu regis hoc facere non posset, eatenus implere contempserit; petierunt itaque ab eo, quatenus propter Deum pauperibus opem suæ defensionis impenderet, et tanquam bonus Romanæ Ecclesiæ filius, quod apostolica sedes sanxerat, auctoritate regni impleri præciperet : qui quidem adhuc bene catholicus, necdum a Romana Ecclesia aversus, petitionem eorum libenter suscepit, et per litteras suas eidem abbatissæ protinus mandavit, quatenus, remota omni excusatione, apostolicæ reverentiæ præceptum effectui manciparet, sic scribens ei :

22. *Litteræ Henrici Romanorum regis ad abbatissum Romaricensem.*—« Henricus, Dei gratia Romanorum rex, Gislæ, abbatissæ Romarici montis, salutem cum gratia sua.

« Quoniam filius et defensor ego sum Romanæ Ecclesiæ, eidem universali matri meæ sub defensione mea, positæ me obedire per omnia conveniens est, offendere autem matrem meam in aliquo nimium indecens est, quia a præceptis ejus recedere periculosum animabus est. Quidquid ergo statuit sancta et venerabilis sedes, Romana, per manum summi pontificis, ne hoc aliquando cassetur, sed ut ratum et stabile fiat, quoad potero, usque ad mortem laborare non cessabo. Quapropter mandamus, sed insuper præcipimus tibi, ut quod prædictæ sedes sanxit de fratribus Calmosiacensis loci, ne præsumas aliquo modo frustrare, et ex aliqua parte sacro-sanctum præceptum exintegrare, ut ne matrem tuam, cujus filiam te profiteris, non ut matrem, sed ut novercam : non ut filia, sed ut privigna audeas exacerbare : quod si manum ad violanda præcepta matris meæ extenderis, et odium cœlestis Regis incurres, et iram terreni regis, qui gladium pro ejus defensione suscepi, non evades, quia ut supra dixi, certare pro defensione Romanæ sedis usque ad mortem non desinam. »

Supradictis quoque viris commonitus super hoc ipso, duci Theodorico, ad cujus defensionem Romaricensis abbatia pertinebat, hujusmodi epistolam misit, dicens :

23. *Ejusdem litteræ ad Theodoricum ducem Lotharingorum.*—« Henricus Dei misericordia Romani regni rex, et ecclesiarum in eo positarum defensor, Theodorico Lotharingorum duci, salutem et gratiam suam.

« Insonuit auribus nostris summum pontificem matris nostræ sanctæ Romanæ Ecclesiæ mandasse tibi per litteras, ut defensor Calmosiacensis locis existeres, ne fratres ibi Deo servientes exasperari ab aliquo permitteres; cui si vero Christiano nomine censeris, obediens eris ; et, si vere filius ejus es, alicui præceptorum matris tuæ in aliquo non derogabis. Petitioni Patris nostri petitionem meam subjungo, mandans tibi ut quod statuit inviolabilis Romanæ sedis dignitas, quoad poteris, viriliter sustineas, et ne in ecclesiis in ducatu tuo positis interburbari requiem Christi permittas: quia ad hoc tibi permissus est gladius, non ut Ecclesiam destruas, sed ut eam sicut Christi miles a pervasione persequentium incessanter defendas. Quod si feceris, a cœlesti Rege pro certamine bene certato, pro

cursu bene consummato coronam recipies, et gratiam terreni regis non amittes. Finaliter de hac re stat sententia tua: scias me nullo turbine posse excuti, quin ipsam supradictam Ecclesiam et alias ab incursu malorum defendam, et destructores earum, divina gratia subveniente, destruam. Vale. »

24. *Seherus iterum ad sedem apostolicam confugit.* —Sed ne pax nostra terreni regis imperio acquisita, minus firma perseveraret, Deo ut credimus dispensante, nec ipsis regis litteris acquiescere, sed quibuscunque poterant machinationibus satagebant, ut aut nos de loco expellerent, aut ipsum loco suo omnimodis subjectum facerent. Multas igitur ab eis rursum passi injurias, quod nobis solum singulare post Deum erat refugium, ad Romani pontificis protectionem iterum confugimus, et quomodo præceptuum suum implere contemnerent, et quotidianis malitiæ incrementis adversum nos inflammarentur, per litteras rursum insinuavimus dicentes:

24. « Paschali Patri beatissimo et in refugium tribulantium a Deo primæ sedi constituto, Seherus abbas qualiscunque cum universa sibi conjuncta congregatione, quod solum possunt obedientiam et orationem.

« Quia illius qui omnium, » etc. *Vide in Paschali, tomo supra citato, col.* 436.

Quorum pertinaciam graviter ferens dominus papa, sed tamen mirabili paternitatis mansuetudinis ad satisfactionem revocans eos, per iteratas litteras beati Petri sententiam jam secundo intentavit, sic scribens eis:

« Paschalis episcopus, servus servorem Dei, dilectæ filiæ Gislæ Romaricensi abbatissæ, et ejus sororibus, salutem et apostolicam benedictionem.

« Pro Calmosiacensibus, etc. *Vide ubi supra, sub num.* 173.

25. *Romanorum rex Romaricensem abbatissam alloquitur.*— Quibus susceptis, nihilominus obdurato corde resistentes, quidquid pro pace et quiete nostra eis præcipiebatur, tandem se facturos omnino contradixerunt. Post hæc vero cum rex positus esset apud Argentinam, cognito quod dux Theodoricus et sæpe dicta abbatissa illic in præsentia ejus adesse deberent, curiam ipsius adivimus, et cum per quosdam familiares nostros regi innotuissemus, ab eo humaniter suscepti, per eosdem humiliter postulavimus ut quod absens duci et abbatissæ per litteras suas mandaverat, et illi implere distulerant, præsens viva voce eis præcipiendo tandem finire dignaretur. Porro rex petitioni nostræ clementer annuit, et cum in præsentia sua dux et abbatissa advenissent, suggerentibus quibusdam amicis nostris, pro nobis eos interpellavit, et quod consilium domini papæ sequerentur, concambium competens accipiendo benigne adhortatus est: qui quidem inducias ab eo petierunt donec inde cum suis loquerentur; sed postea per suos familiares regi in palatio adhærentes, satagerunt ut regem a cœpta petitione averterent.

26. *Scherus abbas Calmosiacensis summum pontificem adit.*—Nos igitur videntes quod nullo modo acquiescerent, communicato cum amicis nostris consilio, Romanum pontificem qui in Placentia urbe Italiæ generale concilium indixerat, per me ipsum ipse adii: quo cum quibusdam fratribus meis cum pervenissem et non ibi, sed potius in alio loco, qui Wardastallum dicitur, reperissem, benignissime nos suscepit: cui itineris mei protinus causam aperiens, quid injustæ calumniæ et oppressionis a Romaricensibus sustineremus, tam per litteras quas mecum tuleram, quam præsens viva voce intimavi. Ille autem benigne respondens: « Ecce, inquit, ad portum venistis jam. » Ne autem ipsæ litteræ huic opusculo deessent, subsequenter sic apposui;

27. « Paschali sanctæ apostolicæ sedis summo pontifici, Seherus Calmosiacensis abbas indignus cum suis fratribus, debitæ obedientiæ devotam exhibitionem.

« Jam, Pater sancte, » etc. *Vide ubi supra, col.* 458.

28. Diutius vero non ferens dominus papa pertinacis malitiæ contentionem, non sicut in secundis et tertiis litteris intentando, sed anathematis sententiam in ipsam abbatissam direxit, et si usque ad præsentis quadragesimæ futuræ initium quod ei pro pace nostra jam tertio mandaverat, opere non implesset, ab introitu ecclesiæ eliminavit sic scribens ei:

« Paschalis episcopus, servus servorum Dei, dilectæ filiæ Gislæ Romaricensi abbatissæ, salutem et apostolicam benedictionem.

« Pro injuria religiosorum Calmosiacensium fratrum, » etc. *Vide ubi supra, sub num.* 191.

29. *Partem utramque Lingonis coram se adesse præcipit. Admonet judices ne fiat acceptio personarum. Accessit pontifex ut litem exactius discuteret. Sententia facta a summo pontifice.* — Quas, cum a domino papa suscepimus, cum salute et apostolica benedictione ad propria regressi, eidem abbatissæ per quosdam fratres nostros misimus: hac demum sententia Deo favente, perterrita sæpe dicta abbatissa, utrumque cancellarium suum ad dominum papam direxit, ut ei locus diligentius exponendi causam suam in præsentia ejus daretur obnixe flagitavit: asserebat enim rem aliter se habere, et si opportunitas daretur, non potius injustitiæ reos se comprobare nihilominus affirmabat. Volens autem discretissimus pastor eis omnem contradictionis occasionem tollere, quoniam in partes nostras eodem tempore ipse adveniebat, Lingonis utrosque nos adesse præcepit, ut ibidem in præsentia sua diligentius eadem causa utrinque discuteretur atque terminaretur. Adveniente itaque die constituto, Romaricensis abbatissa accersito secum duce Theodorico cæterisque multis cum magna potentia Lingonis perrexit, et quoscunque potuit ex domesticis palatii sibi applicuit, ut suæ parti faverent solito procuravit. Ego autem non in scientia, neque in pecunia,

neque in aliquo terreno auxilio confidens, tribus tantummodo fratribus mecum assumptis, cæterosque plurimum adhortatus ut Deum nobis fore auxilio exorarent, clementissimi Patris præsentiam adii, et ad quem finem contentio diu pertractata, Deo per eum dispensante, tandem pervenirent, sollicitus exspectavi. Venit igitur dies in qua dominus papa constituerat de causa nostra tractare; sed, quoniam ipse eodem die minutus erat sanguine, prius per semetipsum non potuit accedere. Convocatis vero ad se cardinalibus præcepit, ut cum magna discretione sine personarum acceptione causam eamdem examinarent, examinatam justo judicio terminarent. Venientes igitur in consistorio, cum utrique assisteremus, illi cum innumerabili multitudine, et totius curiæ favore; nos vero cum paucis solo divino auxilio innitentes, et cœlestis judicis aures pulsantes; cœperunt domini cardinales quæstionem ventilare, et quid quisque pro sua parte diceret diligenter investigare. Sed, dum hæc agerentur, memor universalis prior pauperum suorum, tanquam alius Daniel a Domino suscitatus ad liberandum nos, per semetipsum accessit, et quid de eadem causa agerent diligenter investigavit, cumque de fundo novi monasterii nostri (pro quo nobis licet injuste sæpe calumniam intulerant) quæstio cœpisset agitari: scientes et certi Romaricenses ex contigua datorum possessione eumdem fundum ad nos potius pertinere, in præsentia domini papæ dominorumque cardinalium, necnon aliorum multorum circumstantium se nusquam ulterius pro eadem fundi parte querelam contra nos facturos promiserunt. Mox igitur dominus papa, sicuti consuetudo ei est in talibus, eamdem fundi partem per baculum de manu Gislæ Romaricensis abbatissæ sororumque ejus, quæ præsentes tunc aderant, suscipiens, quietam et integram nobis et successoribus nostris perpetuo possidendam confirmavit. Postea vero illis referentibus quod ex antiqua possessione parochialis ecclesia Calmosiacensis ad illorum pertineret ditionem, nobis autem et contradicentibus, quod ex antiqua possessione antecessorum liberi viri Theodorici investituram portionis ejusdem ecclesiæ ab eo suscepissemus, et eam multo tempore possedissemus; discretissimus Pater, cognita utrorumque causa consilium et judicium dominorum cardinalium super hoc requisivit. Ac illi decretum papæ Gregorii septimi memorantes, qui quidem in generali concilio residens, laicos in ecclesia quidquam habere omnimodis interdixit: nihilominus etiam ab eisdem aliquid ecclesiasticum suscipi debere prohibuit, eamdem portionem quam de manu laici post memorati Gregorii septimi decretum susceperamus, nos jure canonico debere relinquere judicaverunt. Dicebant siquidem quod injuste licet ab antecessoribus possederat, jure dare non poterat. Sicque nos eidem judicio consentientes, portione parochialis ecclesiæ, quam a supradicto viro Theodorico, juste quidem, secundum consuetudinem terræ nostræ susceperamus, carere nos acquievimus. Quibus peractis, adversarii nostri arbitrabantur se decimas nostras (pro quibus tota contentio inter nos et ipsos diu fuerat agitata) acquisisse, et sic deinceps loco suo subjectos omnimodis nos habere; sed non diu distulit ineffabilis providentia Dei, quem nobis in tribulatione adjutorem assistere precabamur, pauperes suos consolari; siquidem dominus papa æstimationi eorum tali ordine obviavit, ut statim mihi illud decretum Gregorii Magni coram recitari juberet, quo nimirum ab his qui communem vitam ducunt decimas exigere evidenter interdixit. Quo recitato, protinus subsequenter judicaverunt domini cardinales ut nos qui communem vitam ducebamus, nec illi, nec alicui omnino ecclesiæ decimas redderemus, aut quisquam contra probati decreti auctoritatem, a nobis ulterius decimas seu primitias exigere præsumeret.

30. *Papa Romaricensem abbatissam alloquitur et admonet.* — Proinde dominus papa Romaricensem abbatissam advocans, paterna admonitione allocutus est, sic dicens ei: « Volo quidem, filia, et præcipio, ut sicut privilegium quod olim locus tuus in libertatem sui a Romana Ecclesia suscepit, inviolabiliter custodiri desideras, ita tu quoque quod præsenti judicio fratribus istis concessimus, privilegium etiam ipsorum, quod ipsi similiter per manum nostram a Romana Ecclesia susceperunt, integrum et illibatum custodias. De cætero ne suasione rerum temporalium aliqua inter vos controversia resuscitetur, ad testimonium contentionis diu agitatæ inter vos, et in præsentia mea tandem finitæ, litteras meas meo sigillo corroboratas vobis dare disposui, ut per hoc firma et stabilis inter vos perseveret dilectio. » Ista breviter prosecutus, dicendi finem fecit; sic igitur bonus ille moderator contentionem diu inter nos pertractatam tandem terminavit, ipsaque terminatione litteris annotata, testamentum in duobus locis eodem sensu, eademque litteratura conscriptum, de suo sigillo munitum ab utrisque nobis haberi et inviolabiliter custodiri apostolica auctoritate stabilivit. Modus autem ipsius instrumenti talis existit:

31. « Paschalis episcopus, servus servorum Dei. « Inter Romaricense monasterium et Calmosiacensem canonicam, » etc. *Vide in Paschali, sub num.* 206.

32. *Confirmata pristina amicitia inter Romaricenses et Calmosiacenses.* — Hac itaque demum, Deo favente, per manum domini papæ contentione finita, accepta benedictione apostolica, læti ad fratres repedavimus, laudantes ac benedicentes Deum qui non deseruit sperantes in se, sed, secundum multitudinem misericordiæ suæ in tempore tribulationis et angustiæ invocantibus nomen suum propitius liberator assistere non despexit. Sed, quoniam de dono altaris pro qua primum contentio cœpit in præsentia domini papæ nulla mentio facta fuerat, Romaricenses, Lingonis regressi, idem donum ab ecclesia nostra alienare tentaverunt, siquidem assumpto secum vicario suo Walfrido, Tallum perrexerunt, et adeun-

tes episcopum, altare ab eo requirebant, ut vicario A suo solito more illud traderet obnixe postulabant. Verum Deo dispensante, quoniam præsentes aderamus, eorum episcopo cæterisque Tullensibus accessimus, et ostendentes ei chartam propriam, litteras quoque apostolicas, quas ad confirmationem ejusdem doni ipse postulaverat, et impetraverat, humiliari poscebamus, ut quod ecclesiæ nostræ semel contulerat, integrum et illibatum nobis conservaret : temerarium et nimis periculosum reputans episcopus contra propriam, imo contra apostolicam ire sententiam, illis rursum dare quod nobis jam dudum tanta auctoritate firmaverat, illicitum sibi fore respondit; ac sic Romaricenses rursum frustrato conamine redierunt nihil eorum quæ postulaverant assecuti. Nos vero moleste ferentes diutinam con- B tentionem inter nos tanto tempore protrahi, ut pote quorum familiarem dilectionem prius experti fueramus, alia via in concordiam eos revocare disposuimus; adveniente namque abbatissa Romaricensi in vicinia nostra pro quibusdam suis negotiis, humilitatis proposito eam adire studuimus, et pristinæ dilectionis commonentes, in concordiam et familiaritatem ejus redire nos velle insinuavimus. Quam petitionem nostram ipsa quidem benigne suscepit, et quidquid communes amici nostri pro reparanda pace ei consulerent, libentissime se facturam spopondit. Adfuit etiam Dei cooperantis gratia, et quæ bona intentione cœperamus, longe meliori quam sperabamus acceleravit complere, subsequenti namque tempore societatem petitura nostram, locum nostrum cum suis familiaribus devote visitavit; C quam cum petiisset et accepisset, fœderata nobis in amicitia ad proprium monasterium est regressa; aliquanto autem interjecto tempore, quidam boni viri communes amici nostri, id inter nos mediaverunt, ut Romaricenses quod suum erat in ecclesia eadem nobis ad trecensum darent, et nos acquiesceremus suscipere, assensimus, ambo id nobis consulentibus, et quidquid abbatia Romaricensis in parochiali ecclesia Calmosiacensi eatenus possederat, per manum Gislæ abbatissæ ecclesia nostra possidendum suscepit. Verum, quoniam nulli personæ licet possessionem unius ecclesiæ in jus alterius penitus ac sine ullo monumento transfundere, itidem inter nos mediatum ac firmiter statutum est, ut in festivitate sancti Romarici septem solidos pro sæpe dicta ecclesia Romaricensi ecclesiæ persolvamus Deinceps itaque, Deo favente, omni suspicione depulsa, solida et familiaris inter nos perseverat amicitia.

33. *Tullensis episcopus plures ecclesias a laicis acceptas Calmosio confirmat.* — His itaque gestis, retractare nobiscum cœpimus quomodo in præsentia domini papæ portionem sæpe memoratæ ecclesiæ Calmosiacensis (quia de manu laici eam susceperamus) judicio canonico reliquerimus : unde ne quidquam simile de cætero vel nos vel successores nostri in talibus experiremur. Tullensem antistitem super hæc adivimus, humiliter ab eo postulantes quatenus ecclesias, quas non canonice per manus laicorum susceperamus, sui doni auctoritate ecclesiæ nostræ perpetuo possidendas assignaret: cumque præsentes adessent dominus Riquinus primicerius, et Rembaldus archidiaconus et hoc ipsum nobiscum peterent, libenter annuit episcopus, et, sicut possideramus, per baculum suum ab eo deinceps possidendas suscepimus, ecclesiam videlicet domini Petri, quam contulit nobis Cunegundis vidua de Richiscurt pro anima filii sui Theodorici, et quartam partem ecclesiæ de Igniaco, quam dederunt nobis Widricus de Valcurt et uxor ejus Adeleidis. Quartam etiam partem ecclesiæ Willaris, quam dederunt nobis Masclinus de Domno Martino, et uxor ejus Hersendis, dimidiam quoque partem ecclesiæ S. Martini de Domno Basolo quam contulit nobis Widricus de Unicurt, et quartam partem ecclesiæ de Riviro, quam dedit nobis Berta vidua et postea nostra conversa.

37. Hæc ad commonitionem successorum nostrorum dixisse sufficiant, ne decretorum synodalium ignari, quibus laicis interdictum est, nihil in ecclesiis debere possidere, et ideo quod injuste possident, juste dare non posse, de cætero, ab eis quidquam ecclesiasticum suscipere præsumant, sed potius cum talia obtulerint laici, ab episcopo qui tunc temporis fuerit requirant, ut canonice per manum episcopi acquisita, cum pace retinere valeant; verum quoniam singula quæque prout gesta sunt explicantes in longum sermonem protraximus, sola monasterii nostri ordinatione apposita, libelli hujus finem faciemus, ut in alio quæ restant subjiciamus.

LIBER SECUNDUS.

1. *Calmosiacensis ecclesia a Richardo Albanensi* D *episcopo consecratur. Abbates consecrationi astantes.* — Cum igitur divina clementia, quæ in omnibus nobis misericorditer providebat, undique nobis requiem contulisset, et nullus jam pene adversariorum superesset, novi nostri monasterii domicilium, licet necdum plene consummatum omnipotenti Deo consecrare disposuimus; sed quoniam sæpe memoratus Tullensis episcopns, viribus corporis præ senectute destitutus, ad hoc non sufficiebat, ad dominum Richardum Albanum pontificem, quem dominus papa, sedem apostolicam repetens, in Galliarum

partibus legatum dimiserat, proprias litteras direxit A allegans videlicet imbecillitatem corporis sui, et devote supplicans, ut vice sui monasterium nostrum ab eo convocatus dedicare dignaretur. Quas cum per nos suscepisset venerabilis Albanus episcopus, petitioni ejus benigne annuit, condictoque die ad perficiendum quod postulatus fuerat advenit, plurimi etiam religiosi viri a nobis ob dedicationis devotionem invitati convenere, inter quos primi exstiterunt dominus Thiemarus abbas Sancti Mansueti, et dominus Widricus abbas Sancti Apri, et dominus Laurentius abbas Sancti Vitoni, et dominus Waschelinus abbas Sancti Petri de Briecio; de archidiaconis quoque Tullensibus interfuere dominus Rimbaldus archidiaconus, et Hugo de Gondricourt, et Hugo junior filius Reinaldi, multitudo etiam innumerabilis B utriusque sexus fidelium, audito adventu episcopi, ad dedicationis solemnitatem undique concurrere satagebant. Exspectantibus igitur universis processit episcopus, et die Kalend. Octobrium cum summa omnium exsultatione majus ejusdem monasterii altare, et universam domum per circuitum in honore sancti Salvatoris Domini nostri Jesu Christi consecravit. In crastinum etiam altare aliud, quod in dextro latere monasterii situm est, in honore sancti protomartyris Stephani dedicavit, et atrium nihilominus circumquaque per gyrum designans santificatum ecclesiæ copulavit. Quibus rite peractis, ne quisquam deinceps sacrum locum violare præsumeret, in præsentia omnium (ut moris est in talibus) anathematis sententia interdixit.

Anno igitur ab Incarnatione Domini millesimo centesimo septimo, indictione prima, epacta VI, *concurrente* I, *Kal. Octob., consecratum est ipsum monasterium a domino Richardo, Albanensi episcopo, Romanæ Ecclesiæ legato, in honore sancti Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, præsidente apostolicæ sedi Paschali papa II, regnante in sæculo Henrico Juniore, apud nos vero imperante Domino nostro Jesu Christo, cui sit laus, honor, virtus et gratiarum actio una cum Patre et Spiritu sancto in æternum in sæcula sæculorum. Amen.*

2. Præcedenti libello, sicut in exordio ipsius præfatus sum, utilitati et quieti successorum nostrorum prospiciens, prout Dominus donavit, litteris mandans, quomodo in loco isto, qui Calmosiacus dicitur, oblatione cujusdam nobilis viri Theodorici hujus alodii hæredes facti, plures undique fratres ad serviendum Deo convenerimus, et sæculari conversationi renuntiantes, secundum beati Augustini regulam, vitam canonicam susceperimus, calumniam etiam qua a prædicti viri fratre Joscelmo, pro eodem alodio sustinuimus, et contentionem pro parochiali ecclesia Calmosiacensi inter nos et Romaricensem abbatissam diu agitatam, in eodem libello latius exposui qualiter quoque utramque tandem Deo propitio finierimus, sicut meo tempore gestum est: qui hujus ecclesiæ primus abbas auctore Deo exstiti, diligenter posteris retinendum mandavi.

3. Nunc igitur superest ut quomodo omnipotens Deus ecclesiam nostram oblationibus fidelium cumulaverit, et novellæ plantationis propaginem paulatim ad incrementum usque perduxerit, tam præsentibus quam post futuris, sicut melius novi diligenter aperiam. Multi itaque provinciæ nostræ utriusque sexus fidelium, quorum Deus corda tetigerat, familiaritatem nostram ardenter petere cœperunt, et tam de fundis suis quam de mobilibus ad sustentationem nostram oblationes devotas ecclesiæ nostræ obtulere: inter quos primus Benchelmus Castiniacensis, frequenti petitione conjugis suæ Leucardis admonitus, alodia quæ in vicinitate nostri loci possidebat, Lammiriaci videlicet et apud Hugonis curtem Liberici ecclesiæ nostræ in præsentia multorum devotus obtulit. Ipsi siquidem et Leucardi cum esset nobilibus parentibus orta patrimonii jure provenerant, magisque ea nobis quam filiis carnis relinquere satagebat, quæ sicut ab eis accepimus, sic deinceps, Deo favente, absque calumnia quiete possedimus.

4. *Donationes factæ Calmosiacensi cœnobio.* — Alia etiam Leucardis hujus prædictæ cognata, ipsius bono præcedente exemplo et voto pariter succensa, virum suum nomine Theodoricum de Villa assiduis precibus pulsare cœpit, quatenus partem quæ ei in eisdem tribus alodiis ex patrimonio obvenerat, ecclesiæ nostræ conferret. Qui quoniam filios carnis non habebat, libenter ei assensum præbuit: et sicut poposcerat, partem prædictorum alodiorum, cum ea C nobis et successoribus nostris perpetuo possidendam tradidit. Porro utraque Leucardis nobilibus orta natalibus, sicut præfata alodia libere a parentibus suis susceperant, ita deinceps ecclesiæ nostræ integre et solide possidenda contulerunt, in agris videlicet cultis et incultis, in servis et ancillis, in pratis et pascuis, in usu fructuario, et redditibus universis, nihil sibi omnino neque successoribus suis retinentes. Quæ sicut ab eis libera suscepimus, sic deinceps, Deo favente, absque omni calumnia quiete possedimus. Verum procedente tempore alodium de Lamiriaco, quod propter remotionem et parvitatem sui minus utile nobis videbatur, pro tribus quarteriis terræ alodio Hugonis curtis intermixtum adjacentibus quæ ad secretariam Romaricensis ecclesiæ pertinebant, quam nos proprie custodem ecclesiæ vocamus, D per concambium dedimus. Ut autem noverint posteri nostri quam rationabiliter factum fuerit concambium, breviter intimabo. Gislam siquidem, quæ meo tempore Romaricensem rexit ecclesiam, per memetipsum adii, et præsentibus domino Reimbaldo Tullensi archidiacono, et Widrico, Walfrido cancellariis, multis quoque sanctimonialium, et cæteris quamplurimis tam nostris quam suis amicis, tradidi ego Seherus abbas alodium de Lammiriaco in manu præfatæ abbatissæ sic liberum et integrum, sicut eatenus nostra possederat ecclesia, suscepique de manu ejus supradictam terram ad sacretariam pertinentem, sic liberam et integram (sicut nostrum

dabam alodium) nihil debentem alicui potestati, nec bannum, nec placitum, nec quidquam omnino aliud. Eadem etiam die, iisdem præsentibus, aliud concambium simili ratione inter nos confirmavimus. Alia namque tria quarteria terræ ipsi alodio Hugonis curtis intermixta adjacebant, quæ ad potestatem quæ Cohereis dicitur pertinebant, cumque circa eamdem villam, terras aliquas de diversis alodiis nostris possideremus, de ipsis, quantum competens concambium exigebat, in manu abbatissæ dedimus et iterum ipsa tria quarteria libera et integra de manu ejus sumpsimus, omni banno et placito et jure carentia. Nomina autem terrarum nostrarum, quæ pro eis dedimus, sicut lingua rustica dicuntur apposuimus, ut si quando contigerit inde aliquam controversiam oboriri, noverint fratres qui tunc temporis fuerint, quid dederimus, quid susceperimus, quæ sic se habent. De quibus ista nunc sufficiant, cætera prosequamur.

5. *Berta nobilis matrona se suaque monasterio donat.*— Fuit et alia quædam matrona nobilibus orta natalibus, Berta nomine, quæ plurima in sæculo possidebat alodia, quæ cum viro jam defuncto vidua remansisset, solo unico superstite filio, maximo cœpit æstuare desiderio, ut, relictis omnibus, mundi declinaret contagia, volens igitur seipsam suaque omnia obsequiis mancipare divinis, prudenter cogitare cœpit, ut secum filium suum tolleret, ac sic demum expedita, universa quæ habebat alicui ecclesiæ possidenda traderet. Dumque id mente tractaret, et quo se verteret animo hæsitanti fluctuaret, tandem divino inspirata consilio, per quemdam fratrem nostrum Aselinum nomine, qui sibi notus erat, humiliter postulavit ut eam cum filio et possessionibus suis in communem vitæ nostræ societatem susciperemus, cujus petitionem benigne suscipientes, quod poscebat indulsimus. Mox igitur per eumdem fratrem nostrum domnum Aselinum parentes suos apud Sanctum Memmium, villam quamdam, quæ est super Verisnam fluvium, convocavit, et quia sese suaque omnia ecclesiæ nostræ eorum consilio tradere vellet aperuit. At illi bono ejus proposito congratulantes, quomodo id rationabiliter fieret inter se tractare cœperunt : et quia præsentes eramus, ego et frater Aselinus, eam protinus in manus nostras suaque omnia tradiderunt. Verum quoniam firmiora et certiora judicant dona, quæ per manus liberorum fidei jussorum fiunt, communicato inter se consilio, fratres ex seipsis liberos homines, et provectioris ætatis elegerunt, Willelmum de Castiniaco, et Maselinum de Damno Martino, et Widricum de Unocurt, in quorum manibus præfata nobilis matrona universa alodia sua posuit, et ea scilicet quæ a parentibus suis hæreditario jure possidebat, et ea quæ a libero viro, Brochardo nomine, legitime donata per successionem filii, matrimonii jure susceperat, lacrymosis precibus efflagitans ut ea absque dilatione ecclesiæ nostræ possidenda confirmarent. Interfuerunt autem huic primo dono hi liberi et idonei testes, Widricus videlicet de Tillio, Walterus nepos ejus, Drogo de Bosom villa, Maselinus de Castiniaco, Wido de Osenviller, Letoldus de Rinvilla, Robaldus et filius ejus Albricus, Ancherus, et Droga et Rofridus de Damno Martino, Boso de Damno Juliano. Paucis subinde transactis diebus, cum a nobis imploratus dux adfuisset Theodoricus, supra memorata etiam advenit Bertha, cum prædictis liberis fidei jussoribus, et præsente duce Theodorico, et Simone filio suo, cæterisque multis liberis hominibus, quorum nomina ad testimonium hujus donationis subscripta sunt, tradidit prædicta matrona per manum trium fidejussorum universa alodia sua, quæ a parentibus et a viro suo dotalitii jure possidebat, sancto Salvatori nostro, Deo et beatæ ipsius genitrici Mariæ, mihique qui hujus loci regimen tenere videbar, et fratribus nostris tam præsentibus quam post futuris in hoc loco Deo servituris. Duo enim patrimonii sunt hæc, alodium quod habebat apud Unocurt, et pars alodii quam habebat apud Masline : quatuor vero quæ a viro suo dotalitii, jure susceperat, quorum nomina sunt hæc, alodium de Riviro cum quarta parte ejusdem ecclesiæ, alodium de Danencurt, alodium de Lifoi, pars alodii de Manili, quæ omnia absque ulla contradictione tradidit ita libera, integra et solida, sicut eatenus ea possederat, in servis et ancillis videlicet, in agris cultis et incultis, in pratis, et pascuis, et silvis, in usu quoque fructuario, et redditibus universis. Interfuerunt autem huic secundo dono in ecclesia nostra super altare facto hi liberi et idonei testes : primus dux Theodoricus et Simon filius ejus, Widricus de Sinal, et Morandus frater ejus, Paulinus de Huldonis Monte et Widricus, Videricus et frater ejus de Grimaco, Rainerus de Dalahin, Wido de Noreio, Uldericus filius Rodulphi, Gerardus de Donno pario, XVII Kal. Octobris 1098, indict. VI, epacta XV, concurrente IV, in festivitate sancti Apri. His ita gestis atque firmatis, prædicta matrona voti compos effecta sese cum filio suo monasterio tradidit nostro, et sæculari habitu abjecto, in humilitate caste servire proposuit, filio autem ejus (quia bonæ indolis puer erat) canonicum habitum dedimus, in quo cum fere biennium in simplicitate et innocentia transegisset, præsenti vita defunctus est.

Hac itaque præfata hæreditate cum ecclesia nostra esset legitime investita, Walterus de Berleivilla miles quidem de familia ducis violenter irruens, alodia illa quæ ex parte viri sui contulerat nobis sasivit, capitalia tulit, et ecclesiam nostram rebus possessis injuste exspoliavit. Dicebat enim quia prædicti viri Brocardi nepos fuerat, filius scilicet fratris sui, ad se potius hæreditatem illam pertinere, cujus frequentibus molestiis et injuriis inquietati, ducem Theodoricum compulsi sumus adire, rogantes ut injustam calumniam ejus judicio suæ curiæ discuteret, ac sic eum ab injuriis et oppressione nostra removeret : qui quidem proclamationem nostram benigne suscepit, ipsumque Walterum ad

audientiam curiæ suæ sæpius vocavit. At ille in temeritate cœpta perseverans, præsentiam ducis fere per biennium refugit.

6. Videntes itaque contemptui eum habere sæcularem justitiam, familiæ nostræ clamoribus fatigati, quos assiduis deprædationibus vastabat, Tullensem episcopum adivimus, et ut tyrannidi illius spirituali gladio resisteret, obnixe postulavimus : qui paterno affectu filiorum suorum proclamationem suscipiens, post discussam ejus obstinationem et injuriam ad ecclesiasticam justitiam vocavit, et cum venire renueret, anathematis in illum sententiam direxit. Qua tandem sententia nutu divino perterritus, cum apud Sanctum Deodatum positus esset, episcopi absolutionem postulavit. Ut autem quod poscebat assequi mereretur, ab inquietatione nostra et prædictorum alodiorum invasione se cessaturum omnino promisit, quoadusque per judicium curiæ, quam eatenus refugerat, causa ejus aut injusta convinceretur, aut si justa esset approbaretur; qua responsione firmata, anathematis vinculis tandem absolutus est. Post hæc vero in præsentia ducis apud Romaricum montem vocati utrique adfuimus, et rogatus a duce et principibus ut in audientia curiæ aperiret, et qua ratione ecclesiæ nostræ interrupisset investituram, nihil prorsus justæ querelæ adversum nos invenire potuit. Cum igitur solum superesset judicium, ut quæ injuste invaserat, juste nobis restituere sententia prolata cogeretur, boni viri fideles amici nostri paci nostræ prospicientes, ibi nobis consuluerunt, ut datis de paupertate nostra LX solidis, ejus malitiam leniremus, quatenus libentius quod judicio curiæ facturus erat exsequeretur, et nullam prorsus exinde resuscitandi querelam adversum nos inveniret occasionem. Ipse etiam Walterus, videns se nullo modo posse retinere quæ injuste invaserat, sponsionem pecuniæ ab eis accepit, et sic in præsentia ducis, ac principum, ac totius curiæ assistens alodia wirpivit, at astipulavit, capitalia distracta ex integro restituit, et totius calumniæ finem fecit.

7. Hæc itaquæ inter nos pace firmata, septem ferme integris cessavit annis, in quibus absque omni contentione et calumnia alodia ipsa nostra possedit ecclesia; quibus transactis, iterum resumpto malitiæ spiritu, denuo eadem alodia sasivit, capitalia diripuit, et majori elatus insania, familiam nostram assiduis deprædationibus et possessionibus vastavit, et attrivit, nec Deum timens, nec homines erubescens, in quorum præsentia, sicut supra memoravimus, et pecuniam nostram acceperat, et alodia ipsa per finem factum deposuerat. Iterum ergo super hac injuriam ducem Theodoricum adivimus, et ut memos eorum quæ in præsentia ejus terminata erant, pestiferum Walterum repetita audacia potestatis suæ objectione comprimeret, humiliter obsecravimus. Walterus autem, cum diu refugisset curiam, tandem in præsentia ducis apud Spinal advenit. Commonitus a duce, fratribus nostris, qui præsentes aderant, capitalia ablata restituit, ac de cætero se cessaturum promisit. Rursum ergo præfata alodia jure ecclesiæ nostræ sasivimus, et illo cessante, pauco tempore quievimus.

8. *Seherus Romam profectus novum impetrat privilegium.* — Per idem fere tempus beati Petri apostoli sedem pro quibusdam nostris negotiis adivimus, et a summo Paschali pontifice sedis apostolicæ benigne suscepti, post alia quædam imploratus a nobis, ut supradicta, et alias possessiones oblatione fidelium nobis collatas, in charta suo sigillo munita notaret, et auctoritate apostolica ecclesiæ nostræ perpetuo possidenda firmaret, clementer annuit. et sicut petieramus tradidit nobis chartam proprio scripto et sigillo corroboratam, in qua anathematizantur, et a corpore Christi separantur quicunque prædicta alodia sive alias possessiones invadere tentaverint, et ecclesiam nostram inquietare præsumpserint. Fulti itaque apostolico privilegio, accepta quoque ejus benedictione, læti ad fratres nostros repedavimus. Chartam vero ipsam inter alias chartas nostras collocavimus. Quæ qui plenius legere voluerit, in armariolo nostro condita invenire valebit.

9. *Walterius iterum molestat Calmosiacenses. Quibus tandem perfectam dedit pacem.* — Sed, priusquam Roma regrederemur, sæpe memoratus Walterus, ascito secum malitiæ suæ socio, quodam sororio suo Henrico, eadem alodia tertio sasivit, capitalia diripuit, ac totius justitiæ et honestatis oblitus, efferatis solito quibuscunque poterat molestiis et deprædationibus nos et nostra inquietare non cessabat. Videntes igitur sine ecclesiastica censura rebus pacem dari non posse, post clamorem ducis, et electi pontificis nostri domni Riquini consilio eorum fulti coacti sumus Romano pontifici litteras deprecatorias scribere, et ut eorum opportunam oppressionem et temerariam audaciam apostolico feriret gladio humiliter implorare. Nec diu distulit universalis pastor Ecclesiæ filiorum suorum petitionem implere, sed per eumdem litterarum nostrarum pertitorem scripsit duci Theodorico et electo pontifici nostro Riquino, ut adversarios nostros sæculari et ecclesiastica censura ab oppressione nostra repellerent, atque ecclesiasticæ possessionis invasores ab introitu ecclesiæ usque ad satisfactionem eliminarent. Jamjamque domni Riquini Tullensis electi episcopi litteras ad totius episcopatus decanos et presbyteros directas susceperamus, quibus Walterum et sororium suum Henricum a communione ecclesiæ arcendos præcipiebat, cum ecce subito inspiratione divina compunctus Walterus, tandem in semetipsum reversus, pœnitere cœpit, moxque domno Reimbaldo avunculo suo, qui ejus errori multum condoluerat quod ecclesiæ nostræ satisfacere vellet aperuit; quod ille gratanter accipiens, congrua exhortatione titubantem adhuc ejus animam roboravit, et condicto die satisfaciendi gratia ad ecclesiam nostram adduxit : cumque præsentes adessent multi liberi et idonei testes, quia pro frequentibus injuriis et deprædationibus excommunicatum se noverat, primo

absolutionem humiliter postulavit,et accepit,sicque a nobis in ecclesiam introductus, alioda quæ licet injuste calumniatus fuerat, super altare sancti Salvatoris nostri Jesu Christi deposuit,fundum ipsum ex toto ecclesiæ nostræ reddidit, wirpivit,et astipulavit,et totius calumniæ finem fecit. Pro capitalibus vero distractis, quia multa erant, duo quarteria terræ de proprio alodio suo apud Auncurt ecclesiæ nostræ perpetuo possidenda reliquit.Quibus ita gestis, avunculum suum humiliter postulavit, ut duo minora alodia, alodium de Davencurt, et de Lifoi tempore vitæ suæ ad trecensum ei concederemus,ut sic deinceps firma et stabilis inter nos perseveraret concordia, super quo consulentes amicos et fratres nostros, petitioni ejus acquievimus,et præsentibus multis suscepit ipsa duo alodia de manu mea,eo videlicet tenore,ut singulis annis pro trecensu duos solidos tertio die post natale Domini ecclesiæ nostræ persolveret,et in morte sua sine successione hæredum integra ea et illibata ecclesiæ nostræ restitueret,et huic fini facto et paci acquisitæ et inter nos firmatæ interfuerunt hi liberi et idonei testes :Widricus videlicet de Spinal, et Morandus frater ejus et Widricus junior, et Walterus filii Morandi ; et Videricns et Widricus et Morandus fratres de Gisniaco, et Stephanus de Villa,et Richardus de Calvo monte, et Ramerus et Cerladus de Spinal. De clericis vero domnus Rimbalbus Tullensis archidiaconus, et Arnulphus de Spinal,et alii multi tam liberi quam servi, quos dinumerare congruum judicavimus : proinde idem Walterus ut post illatas injurias veram erga nos suam comprobaret dilectionem, condicto die sorores suas apud Castiniacum in præsentia nostra adduxit,et eadem alodia quæ injuste calumniatus fuerat, wirpire fecit cum duobus supradictis quarteriis terræ,quæ propria hæreditate apud Auncurt pro distractis capitalibus nostris ecclesiæ nostræ tradiderat,nec multo post supradictus sororius suus Henricus de Italia regressus, cognito quod Walterus et uxor sua totius calumniæ fecissent finem, ad ecclesiam nostram satisfacturus properavit, alodia wirpivit, absolutionem petiit, et accepit.Sicque factum est,cooperante gratia divina,ut vera et stabilis inter nos firmaretur concordia. Hæc nunc de alodiis Berthæ sororis nostræ dixisse sufficiat,quia illa duo quæ ex patrimonio suo nobis contulerat, absque omni calumnia nostra possedit ecclesia.

10. *Aliæ donationes factæ monasterio.* — Juxta autem alodium illud quod apud Wocurt nobis contulerat quidam liber homo Albricus de Hannul villa terras quasdam optimas possidebat,inter quas locus molendino construendo congruus super Mosam fluvium habebatur, quas cum sciret utiles nobis fore pro eo quod alodio nostro cohærerent, locum nostrum cum uxore et filiis adiit,et terras ipsas præsentibus his liberis testibus Hanmone de novo Castro, Henrico fratre ejus,Alberto de Rosaltum,filiis suis Simone,et Alberto,et Bencelino de Castiniaco, ecclesiæ nostræ, sicut eis tenebat, liberas et integras perpetuo possidendas tradidit,deinde petita et accepta societate nostra, rogavit nos, et exhortatus est multum,ut molendinum in supradicto loco construeremus : quod et fecimus, ipsumque cum aliis terris usque in hodiernum diem nostra possedit ecclesia.

11. Fecit præterea et alius quidam liber homo Widricus nomine Wnocurt, qui mediam partem ecclesiæ Sancti Martini apud domnum Basolum a parentibus possidebat; qui cum hæredes non haberet, locum nostrum per semetipsum adiit, et portionem illam quem vice alodii (ut laicus tenebat) ecclesiæ nostræ possidendam tradidit.

12. Robaldus autem quidam ingenuus homo de Domno Martino cum liberos multos, quos prius habuerat, vita præsenti defunctos amisisset, ad ultimum illo mortuo in quo tota spes suæ successionis pendebat, ad ecclesiam nostram humandi gratia eum attulit, ut quia provectæ ætatis erat, magis de salute animæ suæ cogitare cœpit, et vice filiorum quibus in sæculo alodia multa studiose quæsierat,et par successio possidenda parva erat, ecclesiam nostram sibi iu hæreditatem succedere disposuit, et in præsentia multorum liberorum hominum alodia de Hosceli villa et de Sannuncurt ei possidenda confirmavit, tradens ea ita libere, integre et solide, sicut eatenus ea possederat, in servis videlicet et ancillis,in agris cultis et incultis, in pratis et pascuis, et silvis, et vinea quadam, et reditibus universis, de quibus nullam experta calumniam integra ea et illibata nostra tenet ecclesia.

13. Sed et alius quidam liber homo similiter de Domno Martino, vir senex et grandævus nomine Mascelinus, cum quidam filius ejus Drogo nomine ad nos conversandi gratia devenisset, alodium de Mattulcut quod ei jamdudum in hæreditatem deputaverat, nostræ contulit ecclesiæ, quod sicut liberum suscepimus, ita liberum et integrum absque contradictione tenemus.Aliud quoque alodium idem vir præfatus Mascelinus postea nobis tradidit. In morte namque cujusdam filiæ suæ,quam de ultima sua uxore susceperat, quartam partem alodii Truillaris,cum quarta parte ecclesiæ ejusdem ad hæreditatem puellæ ex parte matris respicientem, cum matre Adsone superstite libera scilicet et nobili matrona, ecclesiæ nostræ contulit atque in præsentia multorum perpetuo possidendam firmavit.Ipsa vero mater puellæ Hersendis nomine, honesta valde mulier,et bonis moribus ornata, cum post sepulturam filiæ a bonis recederet, infirmitate correpta, ad nos reportata est, et ingravescente morbo defuncta, juxta filiam, in cœmeterio nostro est sepulta. Illud quoque alodium nostra nunc tenet ecclesia. Aliud quoque vir ingenuus de Humberticurte, nomine Amaboicus, cum quidam filius suus clericus,nomine Rembaldus,sæculum fugiens, inter fratres nostros canonicum habitum suscepis-

set, ipse quoque de salute animæ suæ sollicitus, cum jam ætate provectus esset, mundi facultates abjecit, filiumque suum ad locum nostrum secutus, in paupertate vitam extremam ducere disposuit. Volens autem aliquid loco nostro ex sui parte conferre, tradidit nobis adveniens alodium quod habebat Bugneolis, permissu conjugis et filiorum, sicut illud liberum et quartum a liberis parentibus susceperat et tenuerat. Quod ab eo suscipientes, quia remotum erat a nobis, in processu temporis eum canonicis Sancti Gengulphi, qui Tulli habitant, annuente domno Pibone, ejusdem civitatis episcopo, per concambium mutavimus : dantes alodium liberum nostrum, ac suscipientes per manum domni Riquini primicerii ejusdem tunc Ecclesiæ præpositi, alodium eorum, quod cum longe a loco nostro apud Hundini villam possidebant cum parva quadam ecclesia Domni Martini, ad cujus parochiam idem pertinet alodium, quod sicut liberum ab eis suscepimus, ita exinde quietum et liberum usque in hodiernum diem possidemus.

13. Fuit præterea et alia matrona nobilis Hervidis de Calvomonte, quæ loco nostro contigua quod Bulherum dicitur possidebat alodium. Hæc post mortem viri sui cupiens ad augmentum loci nostri aliquid de possessionibus suis nostræ relinquere ecclesiæ, tradidit nobis medietatem ejusdem alodii, quod ad propriam hæreditatem suam pertinebat, præsentibus filiis, et hoc ipsum annuentibus. Tradidit autem ipsam portionem ita liberam, integram et solidam, sicut aliam partem filiis suis retinebat, in agris videlicet cultis et incultis, in pratis, et pascuis, et silvis, in usu quoque fructuario, et redditibus universis, quod etiam nunc quiete nostra tenet ecclesia.

15. Widricus etiam vir nobilissimus et prudentissimus de Walecurt, et uxor ejus Adeleidis familiari nobis dilectione inhærentes, locum nostrum devoti adierunt, et accepta societate nostra, contulerunt ecclesiæ nostræ, præsentibus his liberis testibus Widrico videlicet de Spinal, et Morundo fratre ejus, Widrico et Waltero filiis Morundi. Ulderico et Widrico fratribus de Gisniaco, Hugone et filio ejus Petro de Paracio, quartam partem alodii de Igniaco cum quarta parte ecclesiæ ejusdem, ipsum quoque absque omni calumnia usque in præsenti nostra tenet ecclesia, in agris, et in pratis, et pascuis usu etiam fructuario et redditibus universis. Leucardis vero uxor Theodorici de Villa, cujus longe superius memoriam feci, semper locum nostrum præ omnibus dilexit, coluit, et frequentavit: quæ cum post mortem viri sui Theodorici alium quemdam Albertum Mithensem duxisset, non multo post superveniente infirmitate correpta ad mortem usque perducta est: cumque jam sibi mortem cerneret imminere, accersistis his qui ei assistebant, partem alodii quam adhuc Darnulio de patrimonio suo possidebat, ecclesiæ nostræ per manum eorum delegavit; ad hoc quippe eam sibi pertinuerat, ut in morte sua aliquid nobis donare valeret, cumque gravi mœrore afficeretur, ne si vita præsenti excederet, in eadem urbe eam sepulturæ traderent, domesticos et familiares suos lacrymosis precibus efflagitavit, insuper et adjuravit, quatenus corpusculum ejus nulla tenus nisi in cœmeterio nostro sepeliri paterentur. Quod et factum est. Protinus namque ut defuncta est, corpus ejus levantes cum gravi labore viæ longissimæ, ad nos usque detulerunt, quod non reverenter suscipientes, honorifice in cœmeterio nostra juxta monasterium nostrum sepulturæ tradidimus. Alodium etiam quod per manum liberorum hominum nobis delegaverat, ab eis suscepimus, quod usque hodie liberum, quietum et illibatum in omnibus usibus et reditibus nostra possidet ecclesia.

16. Alia quoque libera et nobilis matrona, Cunegundis nomine, uxor Rofridi militis do Viverio, non minori erga dilectionem nostram fervebat desiderio; quæ post mortem viri sui partem alodii optimi, quam apud Basonis montem ex matrimonio suo possidebat, nostræ possidendum obtulit ecclesiæ. Fuit et alia matrona uxor Bencelini de Castiniaco nomine Biliardis, quæ post mortem viri sui pro amore cœlestis patriæ omne patrimonium suum loco nostro contulit, scilicet quidquid apud Rivirum, et apud Aquosam, et apud Laudini villam, et apud Berfredi montem possidebat. Denique dispositis rebus suis omnibus, quidquid habere potuit, tam in pecunia quam in cunctis mobilibus congregavit, et ad ecclesiam nostram gratia conversionis, relictis sæculi pompis, venit, ibique finem accepit. Huic donationi interfuerunt testes idonei, dominus Rembaldus et nepos ejus, Walterus clericus, Arnulphus Spinalensis, Stephanus de Villa, Gislibertus et filius ejus Uldericus de Domno Martino, Cono, et Theodericus de Darnulio, et Humbertus miles ejus, Landfridus Castinensis, Gerardus de Longo campo, et Albertus de Bello-monte et Wido clericus ejus.

« Paschalis episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Sehero, Calmosiacensis cœnobii abbati ejusque successoribus promovendis in perpetuum.

« Piæ postulatio voluntatis, » etc. *Vide in Paschali, sub num.* 273.

17. *Concessiones factæ apud Dornale.* — Universis filiis Calmosiacensis ecclesiæ notificamus quidquid apud Dornale possidemus. Sancfridus Jerosolymam profecturus cum filio suo Ulrico et Hugone fratre suo contulit ecclesiæ Sancti Salvatoris quidquid possidebat apud Dornale, in terris cultis et incultis, et in pratis et silvis, et in omni usu et banno, sicut eatenus possederat.

Item, Beatrix nostra conversa contulit nobis pro anima filii sui Hugonis apud Dornale quarterium unum. Item, Gerardus et Widricus frater ejus contulerunt ecclesiæ nostræ silvam pro salute animarum suarum hic prope. Item, Helfa mater Gerardi contulit nobis campum apud Alchæi pratum. Item, Jofridus contulit nobis tria jugera terræ juxta locum

qui dicitur Impedesecorum.Item. Ascelinus et filia sua contulerunt nobis duo quarteria apud Dornale in morte sua. Item,Sibilia mater Villermi contulit nobis hortum in quo fuit sita domus nostra.Sciendum est præterea quid unumquodque quarterium debeat.

18. In Natale Domini quarterium cum horto qui tenuerit debet quinque nummos, qui vero tenuerit sine horto de more tantumdem exigitur medio Maii et duos nummos in nativitate sancti Johannis Baptistæ. Est regula, in festo sancti Remigii duos nummos debet, etiam suo tempore croatam, brullium et furcam. In festo sancti Remigii debet duos modios annonæ tritici et alterum avenæ ad modium curiæ. In Nativitate Domini unusquisque hortus sine quarterio debet tres nummos. In Pascha gallinam cum quinque ovis, et croatam, brullium et furcam, sicut præfata quarteria.

19. In festo Sancti Martini duos nummos, horreum præparare, fenum et annonam deducere ad parietem horrei, ramositatem tempore Martii prati clausuram XV pedes, debet etiam trituram in horreo quæ decem cartellos continet. Item, matrona quædam vidua Hilburgis nomine, ibidem pro remedio animæ in morte sua contulit ecclesiæ nostræ quarterium unum,quæ etiam sepulta est ante ecclesiam nostram,postea Richardus ejus filius dedit nobis unum quarterium pro filia sua, quam suscepimus in conversam. Sequenti vero tempore idem Richardus in morte sua contulit ecclesiæ nostræ duo quarteria, quæ in vadis erant pro XVIII solidis, ex quibus unum dedit nobis funditus, quem etiam XX solidis redemimus.Alterum vero hac conditione redemimus pro XXVIII solidis, ut si filii ejus reddant nobis XXVIII, rehabeant suum, sin autem maneat nobis in perpetuum. Dedit etiam idem Richardus apud Pinsincurt quarterium dum adhuc viveret, et aliud quarterium quod ab eadem in vadimonio tenemus, quod pro XVI solidis a monachis de Suricis redemimus. Habebamus etiam in eadem villa domum quæ non erat nobis opportuna,quam volentes mutare,et non habentes locum congruum,emimus ab eodem Richardo duo jugera terræ pro septem solidis et equo uno et jugere terræ.Item, apud Bosonis montem Albertus de Parocia dedit nobis unum quarterium et parum silvæ, qui vocatur Joannis Terp. Dedit etiam nobis apud Pinculchort Beatris de Dornale unum quarterium, alia quoque libera et nobilis matrona Cunegundis nomine,uxor Rofridi militis de Vivenerio, non minori erga dilectionem nostram fervebat desiderio, quæ post mortem viri sui partem alodii optimi, quam apud Bononis-montem ex patrimonio suo possidebat nostræ possidendum obtulit ecclesiæ.

20. Anno 1222 VI Martii, ecclesia Calmosiacensis solvit tributum ad libertatem apud Romam Honorio III præsidente papa.

Connus chose soit à tous que Idate de Charmon ait donné et octroyé en ausmone à l'église de Chaumousis tout ce qu'elle avoit et avoir deuoit à Charmon, et au finage, en terre, en prez et bois, en moulins et XI *facuiers de prés, en Cubmont à pont ou Wamolin que Tirion tient la moitié au moulin de Charmon, la moitie la première de villenfune que tien Demangeant Brunes, le champ au franc et le tayeul que tiennent Ployresot de Walmont et Thiria de Roblagonde, et la terre de Follane, que poyera du Chene tient, et la terre de la Balloie qui effiert que Lambert de Tenimon st Thirion son frere tiennent, et la haye en foillant à deux états de terre que Thiria et Tillan de Reblagodde tiennent, ces choses doivent avoir Idate et sisnea sychesal, et si mes sont quitte et la moitié de la Curtille, mas que trois frans de Toullois aye le sieur Virion sur toute la partie de part son pere, aye ledit Virion seize frans, du vieux Toullois, et d'un prest, au moulin de Charmois ou Idate aye le tiers au Dame Doumeny que tient le moulin de Charmois s'en vient la moitié à Geate, et aux siens.*

ANNO DOMINI MCXVII

JOANNES DIACONUS

MONACHUS S. AUDOENI

NOTITIA HISTORICA ET LITTERARIA

(*Hist. litt. de la France*, X, 262)

Les études étaient en grand honneur à l'abbaye de Saint-Ouen de Rouen dans le XIe siècle, et il s'y forma alors des élèves de mérite. Jean, diacre, moine de cette abbaye, fut du nombre, et commença, dès

l'âge de vingt ans, à se distinguer par des ouvrages dont une partie est venue jusqu'à nous. Mais rien ne fait plus d'honneur au moine Jean que le choix qu'on fit de lui pour tenir la plume et faire les fonctions de secrétaire dans le concile tenu à Reims, l'an 1119, par le pape Calixte II (1).

Jean n'avait pas encore vingt ans lorsqu'il composa en prose et en vers la Vie de saint Nicolas. Il fit, à l'âge de vingt-cinq ans, des additions en vers et en prose rimée à celle de saint Ouen, faussement attribuée par Henschenius à Fridegode, auteur anglais, dont les savants reconnaissent aujourd'hui que Thierri, moine de Saint-Ouen, est le véritable auteur. Si l'on veut en croire ce qui est rapporté dans quelques manuscrits, Jean eut une vision dans laquelle saint Ouen lui ordonna d'écrire sa Vie, à quoi il obeit. Mais, ce qui est plus certain, c'est qu'il entreprit ce travail par ordre de son abbé. La nouvelle Vie de saint Ouen, que le moine Jean entreprit d'écrire, est faite sur une plus ancienne Vie du saint évêque de Rouen, écrite par un anonyme du VIII[e] siècle, ensuite mise en vers par Thierri, moine de Saint-Ouen, avec lequel Jean avait vécu. Le travail de ce dernier consiste en des additions qu'il a faites à l'ouvrage précédent, en y ajoutant quelques miracles qui avaient été omis par le moine Thierri. Ainsi ce n'est proprement que la même Vie de saint Ouen, mais augmentée. M. Baillet ne paraît pas avoir eu connaissance de cette nouvelle Vie.

On croit que le moine Jean peut être l'auteur de plusieurs discours ou sermons, qui se trouvent, avec beaucoup d'autres ouvrages, recueillis dans un fort beau manuscrit de l'abbaye de Saint-Ouen de Rouen, appelé *le livre noir*, par le P. Pommeraye. Ce manuscrit a six cents ans d'antiquité, au jugement de D. Martène, et par conséquent remonte jusqu'au temps où a vécu le moine Jean. Le même D. Martène a publié quatre pièces de ce manuscrit, du nombre de celles dont on croit que le moine Jean est auteur, sans toutefois les lui attribuer ni les lui contester (2). Ces pièces sont quatre discours, dont le premier est sur la translation de saint Ouen, faite en 918; le second, sur une autre translatien du même saint, dont le corps se trouva pour la troisième fois entier, sans aucune altération, et dans le même état où il était lorsque saint Ansbert son successeur, le transféra la première fois pour le placer à l'orient de l'autel de Saint-Pierre; et lorsque, cent soixante cinq ans après cette première translation, l'archevêque Riculfe l'éleva dans le temps du ravage des Normands, pour le mettre dans une chasse garnie d'or et de pierres précieuses. Les continuateurs de Bollandus ont publié les deux pièces dont nous venons de parler sur l'édition de D. Martène, qu'ils ont conférée avec un manuscrit; et ils ont ajouté des notes pour l'éclaircissement du texte (3). Le troisième discours porte ce titre : *Translation de saint Nicaise, martyr, et de ses compagnons*, saint Quirin, prêtre, et Scuvicul, diacre. Enfin le quatrième discours ou sermon est sur la fête des saints dont on conservait alors les reliques dans l'abbaye de Saint-Ouen, et qui ont été brûlées depuis par la fureur des calvinistes.

Si le moine Jean est auteur du troisième de ces discours, comme le P. Pommeraye le suppose, on ne peut lui en contester aucun. Ils sont si semblables pour le style et pour tout ce qui peut caractériser un auteur, qu'on ne peut lui en attribuer un sans le reconnaître auteur de tous les quatre. De plus, le temps où ils ont été faits convient fort bien au temps où vivait le moine Jean, qui les aura composés pour servir à l'office des différentes fêtes dont il est question. Ces discours sont moins des sermons que des relations historiques de ce qui a occasionné les translations de saint Ouen et de saint Nicaise, et des différents évènements qui les ont accompagnées.

Il ne faut point séparer du moine Jean, Ambroise, religieux de la même abbaye, qui employa sa plume à célébrer en prose et en vers l'illustre sainte Agnès, vierge et martyre. Cette vie se trouve dans le même manuscrit qui contient les ouvrages du moine Jean, et est écrite du même caractère; ce qui donne lieu de croire que ces deux auteurs ont vécu dans le même temps. Le P. Pommeraye le conjecture ainsi (4).

(1) *Conc.* t. X, p. 872; Ord. Vit. *Hist.* l. XII, p. 863.
(2) *Thes. anecd.* III, p. 1669 et seq.
(3) Boll. 24. Aug., p. 820, 824.
(4) Pomm. *Hist. de saint Ouen*, p. 539.

JOANNIS DIACONI

S. AUDOENI MONACHI

SERMONES QUATUOR.

(MARTENE, *Thesaurus anecdot.*, III, 1669.)

I.

Translatio corporis beatissimi Audoeni archiepiscopi Rothomagi.

(Ex ms. S. Audoeni Rothomagensis annorum circiter 600.)

1. Licet, dilectissimi, in omnium nos festivitate A sanctorum oporteat gratulari, præcipue tamen in sanctissimi ac speciosissimi patroni nostri atque antistitis Audoeni, quotiescunque evenit, celebritate, omnimodis condecet exsultare, et dignis laudum præconiis Deum glorificare, qui talem populo suo providit pastorem, ac piissimum per omnia suffraga-

torem. Hanc ergo diem annua devotione recolimus, qua corpus ejus sacratissimum a Galliis relatum, universæ genti nostræ novæ exsultationis infudit tripudium. Cum enim omnipotens Deus adoptivum sibi per fidem Galliæ populum, peccatis exigentibus, veluti quondam Israeliticam plebem sibi peculiarem a Chaldeis, per aliqua annorum curricula ab hostibus misericorditer flagellari permitteret, ne in æternum districta animadversione puniret; perfidiæ ac crudelissimæ gentis Danorum exercitus ad prædandum, barbarico more conspiratus, piraticam exercens, cum ingenti classe Oceani littora occupavit, ac finitima quæque habitationis nostræ loca depopulando, et cremando consumpsit. Tandem igitur per vastum Sequanæ fluvium irruptionem faciens, Gemmeticense monasterium cum omnibus ædificiis igne succendit, deinde Rothomagum metropolim adire disposuit. Quod ubi cives comperiunt, rabiem metuentes gentilium, sanctorum corpora exinde asportare statuunt.

2. *Corpus S. Audoeni Condatum translatum. Rolloni duci, anno* 912 *baptizato, concessa Northmannia.* — Monachi igitur beati Audoeni corpus assumentes, ad sui juris prædium nomine Condatum detulerunt, sancti vero Nicasii martyris reliquias cum sociis Wambasio reposuerunt. Denique per multa annorum volumina, scilicet usque ad Rollonis tempora, ibidem sanctorum requieverunt pignora. Hic itaque bellicosa fretus virtute et armatorum expeditione, velut fulgur fines irrumpens Galliæ, diversa urbium et municipiorum mœnia evertit, plurima quoque oppida ac rura cum ipsis sanctorum ecclesiis ad solum usque diruit, incendit, atque prædavit. Bella etiam acerrima cum Francorum principibus iniens, numerosas de Christianis strages dedit, nec ab aliquo valuit superari. Tandem divinæ propitiatio majestatis respexit in orationem humilium, et debacchantium furorem compressit gentilium. Denique rex Francorum Carolus cum Rollone pacis fœdus iniit, suamque ei filiam vocabulo Gislam, si titulum Christianitatis perciperet, jure conjugii se daturum spopondit, totiusque Northmanniæ provinciam, quam sibi isdem Rollo debellando subegerat, regali munere liberaliter concessit. Anno igitur Dominicæ Incarnationis nongentesimo duodecimo Rollo cum suo exercitu in sanctæ Trinitatis fide a Francone Rothomagensi pontifice baptizatur, et Robertus in baptismate nuncupatur. Fit gaudium sanctæ Ecclesiæ pro tanti ducis conversione et gentilium salute. Fit exsultatio sanctis in cœlo angelis, et hominibus in terra bonæ voluntatis. Fit lætitia universis pro restituta pace regni et tranquillitate temporis. Terra diu cultore nudata inhabitatur, aratris et bobus exercetur, vineta putantur, et redivivæ copia fertilitatis Francia innovatur. Princeps vero novus, uti Constantinus, præteritorum pœnitens malorum, totum se contulit ad ecclesiarum Dei quas destruxerat restaurationem, ad inopum defensionem, ad divinæ legis observationem, et sanctorum debitam venerationem.

3. *Rothomagenses conqueruntur de S. Audonei absentia.* — Interea Rothomagenses super piissimi pastoris Audonei sui corporali conqueruntur absentia, et aeris siccitate nimia : illud insigne virtutis memoriter retinentes, qualiter idem præco divini dogmatis, et tuba ductilis in domo Dei Hispaniæ populis septem annorum circulis continua siccitate afflictis, quos verbo salutis et rore fidei conspersit, velut Elias pluviam cœlitus impretravit. Hujusmodi ergo murmure populi et flebili querimonia præsulis ejusdem urbis, scilicet Franconis aures percelluntur, et ad explendum tantæ rei negotium ejus animus instigatur. Nec mora palatium principis adiit, suam totiusque plebis petitionem ac desiderium humiliter et opportune suggerit. Percunctatur rudis Christicola quantæ dignitatis, quantæque fuerit excellentiæ vir ille pro cujus reliquiis universalitas tantopere elaboraret, et sibi restitui vehementer anhelaret. Tum præsul hoc doctus oraculo, aggreditur ore facundo sancti antistitis seriatim vitam exponere in conspectu principis et procerum totius aulæ. Qualiter scilicet ab ipsis infantiæ rudimentis Audoenus senuerit probitate, quomodo sanctarum virtutum claruerit provectione, quam præpotens effulserit in miraculorum exhibitione, quam felici præsentis vitæ clausulam decoraverit resolutione, quantumve gloriosus existat in illo cœlestis curiæ senatu coram Christo summo imperatore. His intentissime princeps auditis, in lacrymas resolutus, pro tanti viri meritis in laudem prorupit nostri Salvatoris gratiarum omnium largitoris.

4. *Rollo S. corpus propriæ sedi restitui petit et obtinet a Carolo rege. Cum magno honore reducitur.* — Denique Rollo, qui et Robertus, a latere suo strenuos ad regem Carolum legatos dirigit, implorans amicabilibus verbis ut suum antiquum sacerdotem Deo dignissimum Audoenum sibi reddi jubeat, et propriæ sedi metropolitanæ mature restitui faciat, quatenus moderni pacti jura ad invicem inconvulsa serventur, ne, quod absit, aliquo dissentionis offendiculo violentur. Ad hæc rex inclytus pro tam Christiani ducis fide ac devotione, Regi regum gratias agit; deinde ad Condatense oppidum sacri thesauri custodibus mandat, ut duci Northmannorum satisfaciant, et beati Audoeni glebam ad propria remittant. Nec mora acceleratur expleri negotium, quod divinitus provisum, vel a rege fuerat imperatum. Per loca etiam ecclesiarum, quibus transferendæ erant reliquiæ, clericis et monachis regia auctoritate mandatur, ut festivo more cum crucibus ac libris, cum cerostatis et diverso processionis apparatu sacro corpori occurrant, et dignis exsequiarum laudibus ad solum usque Northmanniæ deducant. Qui omnes alacri devotione decenter et ordinate procedunt, et Deum in sanctis suis gloriosum in hymnis et confessionibus benedicunt. Personabant undique chori psallentium, clericorum scilicet, monachorum,

ac virginum,tinnulis vocibus diversa modulantium, A carmina concrepantium. Cœlestes etiam, ut credimus,non defuere exsequiæ,et angelicæ phalanges militiæ in tam sancti pontificis translatione;qui adhuc vivens sæpius angelorum fruebatur alloquio, et nunc in cœlis perenni gratulatur consortio.

5. *Fixum et immobile constitit in via.* — Constat autem verissime totum illud melliflui itineris spatium miraculis refulsisse, licet temporis obsoleverint vetustate,et eorum qui affuerant impræsentiarum incuria et remissione. Francorum proceres cum innumerabili plebe feretrum subsequuntur de illius gloria hilares, de sui irrecuperabilis damni eventu admodum tristes.Lamentatur Gallia incomparabilis pretii thesauro spoliata, et totius decoris gemma de suæ stirpis utero procreata. Compatrio- B tarum animus nimio percellitur mœrore, dolens ejus a corpore, cujus ardentissimo fervebat amore. Sic itaqne hymnis canora multitudine beati confessoris glebam prosequente ad confinium pervenitur quo utriusque provinciæ meta dividitur. Inde Gallicanus populus ad propria cum mœrore regreditur, maritimus vero cum gaudio pastoris sui vestigia comitatur.Pervenientes denique ad locum qui uno ab urbe distat milliario,sacrosanctum corpus, ac si solo fixum immobiliter constitit, nec ab ullo potuit moveri. Tunc omnibus stupore attonitis,ab his qui sanioris erant consilii, veluti divinæ virtutis indicio admonitis, ad urbis mœnia aliqui præmittuntur : duci ac pontifici sacri corporis adventus nuntiatur. Mox a præsule civium multitudo convocatur, salubriter admonetur, ut C contrito et humili corde,nudis pedibus,cum summa devotione sacro corpori occurratur. Omnibus ergo compositis quæ ad cultum et decorem pertinent festivæ processionis, universus tam ecclesiasticus quam monasticus ordo, cum ingenti populo ab urbe procedit, obviam pergens suo magno pastori, velut quondam Hebræa plebs nostro Redemptori. Sic candidatorum triumphalis exercitus cui juxta Apostolum in palæstra fidei viriliter agonizanti adversus invisibiliter aeris hujus potestates indeficiens est colluctatio,suo claro antistiti cum ingenti laudationum occurrit præconio.

6.*Rollo dona S. Audoeno concedit, S. Audoeni corpus gestat propriis humeris.* Tunc princeps Christianissimus, « Hunc, inquit, locum, quem paulo D longius ab urbe digressi hucusque pedanei convenimus,amodo Longum pedanum nuncupari censeo, et ab hoc ab usque urbis mœnia,omnem quæ infra adjacet terram beato Audoeno liberaliter concedo, ut mihi,meisque hæredibus apud Deum existat præsidio. Quidquid autem antiquitus in terris et possessionibus ejus ditionis fuisse dignoscitur, ut sibi reddatur præcipio,et ejus venerabile cœnobium cum omnibus quæ ad usum pertinent monachorum juxta priscorum privilegio regum nostra auctoritate, ut immune et absolutum maneat ob omni judiciaria exactione, auctorizaliter constituo. Quod si quis inde huic venerabili loco aliquid calumniæ aut quæstionis ingerere tentaverit, me primum requirat, me, inquam, sub manu Domini ejusdem ecclesiæ scutum protectionis et baculum defessionis.» His ita prælibatis et principali auctoritate et edicto roboratis, ante sacrosanctum corpus solotenus prostratus, et lacrymis perfusus oravit, malorum quæ in sanctos Dei commiserat pœnitens, et pro transactis reatibus graviter ingemiscens. Dehinc cominus accessit, et collum ante gentili fastu superbum ac rigidum, nunc jugo Christi edomitum, mira cum devotione feretro submisit, et primus omnium amicas sibi bajulans gazas, illum ferre gaudebat : per quem facinorum veniam sibi obtinere a Deo nullatenus ambigebat.

7.*In ecclesia S.Petri deponitur* (918).— Aderant ibi et Dani,jam ex lupis facti agni, nec ut olim prædæ cruentis rictibus inhiantes,sed una cum aliis pretiosas sancti reliquias venerantes,juxta quod propheta: *Leo*,inquit, *et bos simul comedent paleas* (*Isa*.LXV). Nec enim ulterius belluina rabie humanum sitiunt cruorem, nec more gentilium sortilegorum, vel in extis pecudum rimantur divinationem, sed geminam ex animo complectuntur dilectionem,et inepta exsecrantes ludicra,et idolorum nænias, sanctorum pronixe expetunt interventionem.Resonabant undique compita viarum dulcisonis vocibus alternatim canentium,et diversarum copia symphoniarum. Ubi vero ad suburbana civitatis pervenitur,illud pium ac solemne hosanna,quod Hebræorum pueri Domino Jerosolymam ingredienti consona vocis harmonia psallebant, beato Audoeno modulatur, et *Benedictus qui venit in nomine Domini* (*Matth.* XXIII), ab omnibus concorditer decantatur. Ad ejus namque felicem reditum super squalida siccitatis molestia se adepturos nullatenus ambigebant remedium.Ex corrupto etiam aere tabida pestis erumpens humana passim corpora inficiebat,et plurimos improvisa morte perimebat. Ab hac igitur lethifera labe ejus eximi cupiebant oramine,qui multos ab inferorum eruit voragine. Sic itaque ejus corpus sanctissimum innumeræ plebis frequentia constipatum cum hymnorum et laudum officiis, cum thymiamatum odoramentis in beati Petri apostoli ecclesiam reportatur,et ibi decentissime collocatur Kalendas Februarii, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo octavo decimo,ubi hactenus summa excolitur veneratione, ad laudem Dei omnipotentis, et æternum ejus memoriale.

8.At ubi populus ad propria discessit, per meritum gloriosi confessoris nubibus in aere collectis repente vehemens pluviæ inundatio erupit,et terram sitientem largiter infudit. Renovatur illud insigne virtutis,quod Hebræorum populis contigit, adventu egregii prædicatoris,cum ad instar Eliæ incumbens orationi ætheris claustra et nimborum obstacula patefacit. Denique specialis zeli constantia, et virgineæ integritatis gratia floruit ut Elias. Cilicii asperitate corpus edomuit, ferro collum et brachia ventremque constrinxit ; ut prolixo maceratus cum

martyribus coronaretur agone, cum virginibus novum carmen virgo modularetur, cum angelis tripudiaret, cum Christo victor regnaret. A

9. *Coruscat miraculis.* — Gaudebat tota Neustria, paulo ante mœrore confecta, super divinæ dapsilitatis opulentiam, et beati Audoeni præsentiam. Innumerabilium ad ejus sacra pignora languentium corpora convehuntur,et pristinæ sospitati reparantur. Purulentæ valetudines illo medicante curantur, et ab imminenti clade patria cœlitus liberatur. O mira benignitas nostri Salvatoris ! O præcellens gloria sanctissimi confessoris ! Ejus precibus cœlum reseratur, ejus meritis lethifera pestis effugatur ; ipso præsente mundus respirat, quo absente bellis attritus gemebat. His ergo signorum liquet indiciis et rerum colligitur argumentis,quod B nullus Audoeno præstantior meritorum gloria, potentior virtutum efficacia in tota aliquando exstiterit Gallia. Ab ipsis enim infantiæ cunabulis quantum Deo placuerit, unius e multis astipulatione comprobatur miraculi. Miro namque auspicio venerabilis jam portendebat Dei provisio qualis foret futurus in pontificali officio. Cum enim inter paternos lares adhuc Christi lucerna delitesceret, et pia mater Aïga puerum nutricaret, quadam die, non sine divino, ut reor, instinctu, solito instantius matrem commonet, ut sibi balneum citius præpararet. Cui illa : « Non possum, inquit, tam cito, fili, quia deest aqua in præsenti unde valeat fieri. Fons enim est in prædio monialium Dei Genitricis Mariæ unde debemus haurire. Supersedendum omnibus donec prius hauriant ad proprios C usus in quorum cespite manat Dei voluntate. » Ad hæc puer eximius Petri fide præditus : « Aderit,inquit,nobis Dominus per omnia potentissimus,charitate profluus, et lymphæ copiam nobis nostræque terræ colonis ministrabit,qui potum sitienti populo ex arida cote propinavit.» Hæc dicens virga quam manu gestabat in nomine sanctæ Trinitatis rupim percussit, statimque fons vivus erupit, qui cursus sui rivum ad usque limitem ejus ditionis extendit, ibi hiatum faciens terram subintravit. Liquido enim ostendit quod sui usibus famuli Dominus scissa de cilice novos latices elicuit, qui corda famulorum arentia irrigaturus erat divinorum dogmatum fluentis. Talis igitur infantiæ primordium decuit hunc virum, quem sibi assumpsit in sacerdotem D ad multorum expiationem, qui in Melchisedech stigmate quotidie sub forma panis et vini in altaris offertur libamine. Hic quoque ad instar Moysi, qui expansis in altum brachiis crucis speciem præferentibus in monte pro Hebræis orabat cum Amalech præliantibus, crucem Dominicam ferens in corde ; et in virtutum sublimiore monte pro universa plebe assidue supplicabat Regi gloriæ. Nunc etiam patri Spirituum præsentissimus,et divinæ majestatis speculator limpidissimus, eorum non desinit esse pius interventor in cœlis, quibus sui amoris pignus tam pretiosum reliquit in terris.

II.

De beati Audoeni translatione et ejus sacratissimi corporis integritate.

(Ex eodem ms.)

1. *Prima translatio corporis S. Audoeni a S. Ansberto. Ejusdem elevatio a Riculfo archiepiscopo.* — Beatissimo igitur Audoeno post hujus laudabilis vitæ cursum feliciter migrante ad Dominum,et præclara totius Galliæ lucerna repente ab oculis sublata mortalium, sanctissimum corpus ab episcopis et abbatibus et utriusque ordinis religioso conventu, procerum quoque ac innumerabili plebe reverenter et honorifice est traditum sepulturæ in ecclesia beati Petri apostolorum principis,in loco quem sibi ipse præparaverat, in sarcofago Pario marmore decenter constructo, ubi requievit annis tribus et mensibus novem. Qui beatus confessor quantum cœlicolis de suo adventu infudit lætitiam, tantum terrigenis de abscessu reliquit mœstitiam. Post hæc translatum sanctum corpus ejus a beato Ansberto successore suo,et positum ad orientalem plagam altaris sancti, Petri apostoli die Ascensionis Domini cum ingenti decore et tripudio cunctorum, et ita ab omni corruptione integrum est repertum, ac si eodem die fuisset sepultum.Fecitque super eum præfatus pontifex mausolæum ex auro et argento ac gemmis pretiosis, ubi requievit annis centum sexaginta quinque, scilicet usque ad tempora Northmannorum. qui gentili rabie furentes vastaverunt Rothomagum,et succenderunt monasterium ipsius Idibus Maii anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo quadragesimo secundo,regnante Carolo rege Francorum. Tunc a Riculfo Rothomagensi archiepiscopo, et ab episcopis et abbatibus totius regni sacratissimum corpus elevatur,et totum ex integro sine aliqua sui diminutione cum digno honore in feretro auro gemmisque pretioso collocatur.Inde etiam ob metum infandorum gentilium a monachis Wadiniacum deportatur,ubi aliquot annis miraculis coruscantibus requievit. Post hæc invalescente sævitia paganorum, et hostium dietim crescente exercitu, cum omnis pene occiduæ regionis provincia crebris irruptionibus et incendio depopularetur, prædicti monachi sancti Audoeni, et sanctorum martyrum Nicasii, Quirini, et Scuviculi corpora ad villam suam Condatum transtulerunt.Rollone igitur seu Roberto, Deo aspirante, facto Christiano, sopito bellorum turbine, et sereno pacis tempore reddito, superni imperatoris clementia sanctissimi rursum patris nostri membra a Galliis relata cum ingenti gloria propriæ Ecclesiæ Rothomagensi sunt restituta.

2. *Duo monachi corpus S. Audoeni furari meditantes divinitus puniti.* — Tempore vero Richardi primi, cognomento Senis, egregii Northmannorum consulis, qui ecclesiam Beatæ Trinitatis Fiscanni a fundamentis construxit, duo monachi e Francia, venerunt votum habentes et consilium, ut si a Deo sibi permitteretur, clandestino noctis silentio sanctissimi Patris nostri glebam effracto loculo furtim

subriperent,et secum efferrent. Triduanum itaque prælibantes jejunium cum vigiliis et instantia precum, tertiæ noctis in conticinio sacrorum custodibus alto sopore depressis, latenter ad feretrum accedunt,ut thesaurum exinde pretiosissimum asportarent,et nobis irreparabile damnum et intolerabile luctum,imo potius totius Northmanniæ genti justicium inferrent.Verum typicus ille Samaritanus,qui custodit Israel, nec dormitat in ævum, cujus Audoenus seraphim more speciali ardet amore, invasores sacri templi cæcitatis animadversione percussit, omnium etiam membrorum illos virtute privavit. Tunc illi divinæ advertentes ultionis signum, sacrilegi reatus veniam petunt, et pro suorum incommoditate membrorum Salvatoris nostri,sanctique præsulis clementiam solotenus deposcunt.Illico pius dominus sui servi meritis clementer illis indulsit, discussa caligine oculorum lumen reddidit, et pristinum in membris vigorem restituit. Qui diluculo ascensis equis fuga discesserunt, nec ultra in his partibus comparuerunt.

3. *Riehardus ea de re divinitus admonitus.* — Eadem nocte qua hæc acciderunt, præfato duci Richardo apud Bajocas remoranti, ibique palatium sibi et arcem fabricanti,Audoenus pontificalibus infulis redimitus in somnis apparuit, bisque eum admonuit, ut ocius surgens Rothomagum properaret, et Hildeberto abbati imperaret, quatenus ecclesiæ suæ diligentiorem curam atque custodiam adhiberet, et ante lucem maturius fratres excitare satageret. Cui adhuc soporis ignavia pigritanti et moras in surgendo facienti, præclarus pontifex tertio minaci vultu et terribili assistens,et baculum non pastoralem,sed tanquam detruncatæ alicujus hastæ partem manu gestans, ita eum sub quadam invectione redarguit : « Tu, inquit, tibi et hæredibus tuis palatia et arces construis, mundique præpolles divitiis, et vario vestimentorum ornatu procedis : tui vero antecessores ab exteris et barbaris nationibus erumpentes, prædia et facultates quas Deo et mihi servientibus divina opitulante gratia dederam, deprædando et incendendo abstulerunt. Insuper etiam vestimentum meum aureum monachi mei famis compellente inedia detraxerunt, et multarum incommoda egestatum in sua peregrinatione et fuga me secum ferentes ob metum et rapacitatem crudelium paganorum prætulerunt. » Verbis quoque addens verbera, beatus confessor adjecit : « Vide, inquit, vide ut competenti me tunica operias, ecclesiam meam aliorumque sanctorum humili devotione excolas,ne forte, quod absit ? typo elatus superbiæ, æternæ subeas tormenta gehennæ. » Replicavit etiam insidias monachorum ejus glebam noctu clam custodibus auferre molientium. His ita dictis, relicto baculo disparuit. Tum princeps tanto visu attonitus, simulque timore perterritus, extemplo quæ viderat aulæ suæ primoribus narrat,et ad indicium veritatis baculum monstrat.

4. *Rothomagum pergit et plura S. Audoeno dona concedit.* — A Inde ubi prima aurora polo stellas fugavit, ascensis perniciter equis, Rothomagum ipso die jejunus pervenit. Statim vero ut monasterium eminus inspexit, de equo dissiliens, et nudis pedibus humiliter incedens, baculum quem diximus manu gestans, stipatus suorum agmine procerum, ad aram sancti pontificis humiliter accessit,solotenus preces cum lacrymis fudit, lignum coram feretro posuit, multaque ibi donaria obtulit. Deinde accito venerabili abbate supra nominato, visionem quam viderat seriatim exposuit, et de monachis quod a beato præsule audierat, requisivit,quod ita veraciter factum fuisse cognovit. Quamobrem prædicto Patri interminando præcepit, ut in eadem ecclesia tam die quam nocte semper duo lucerent luminaria,unum scilicet coram altare beati Petri apo- B stoli, alterum vero ante aram beati Audoeni pontificis, qui sunt duæ olivæ et duo candelabra ante Dominum æterna claritate micantia. Deputatis perinde ædit uis, et custodibus idoneis, qui ibidem excubias agerent, et pretiosas pignorum gazas, vel aliqua quæque ornamenta diligenter servarent.Ipse princeps inclytus dedit sancto Audoeno villam Sancti Martini nomine nuncupatam, et decimam villæ quæ *Ros* dicitur. Deinde peritos accersiens aurifices, tradidit eis copiam auri et gemmas pretiosas ad deaurandum et decorandum sancti præsulis feretrum.

5. *Corpus S. Audoeni incorruptum in pretiosa theca reponitur.* — Consummato denique hoc opere. convocatis episcopis et abbatibus ac optimabus suis, C fecit detegi sanctissimi antistitis membra a quatuor monachis religiosis ejusdem monasterii cum magno metu et reverentia. Inventum itaque totum corpus integrum cum capite et absque ulla imminutione sicuti a venerabili archiepiscopo Riculfo fuerat compositum. Tunc cum magis laudum præconiis pallio valde pretioso involutum, et sindone munda coopertum, sicuti repertum fuerat, integerrimum repositum est in scrinio cum circulis ferreis quibus se vivens constringendo afflixerat pro ejus dulcissimo amore, qui nos in cruce propria redemit passione. Ipsum vero scrinium in feretro est reconditum, auro gemmisque decoratum. Ibi ergo beati Audoeni corpus sacratissimum beatæ resurrectionis diem exspectat,ut geminam incorruptionis stolam et D perennem gloriæ coronam a Christo percipiat. Adfuerunt huic tam felici obsequio et digno spectaculo dux ipse egregius. Ricardus cum conjuge sua Albereda nomine, et filio Roberto cognomine Dano, qui defunctus sepultus est apud Sanctum Petrum Carnotis, et cum aliis filiis et filiabus ex eadem uxore. Adfuerunt etiam domnus Hugo ejusdem sedis archiepiscopus, Richardus Bajocensis episcopus, Rogerius Lisiacensis episcopus, Gerardus Ebroicensis episcopus, Hildebertus abbas ejusdem monasterii, Mainardus abbas Sancti Michaelis de Monte,Frotmundus abbas Sancti Taurini Ebroicensis,et alii multi venerabiles episcopi et abbates. Convenit quoque

innumerabilis monachorum, clericorum ac proce- A rum totius regni, et alia plebs copiosa. Quatuor vero monachi qui sanctissimum corpus, ut prædictum est, detexerunt, occulta Dei dispositione ipso anno ad Dominum migraverunt. Hæc idcirco, dilectissimi, compendiose digessimus, quemadmodum veridica a majoribus nostris relatione comperimus, ut plane et absque ambiguitate sanctissimi patris nostri Audoeni corpus integrum et ab omni membrorum parte imminutum haberi apud nos, ut prædiximus, credatur.

III.

Translatio B. Nicasii martyris, sociorumque ejus.
(Ex eodem ms.)

1. Gloriosissimos martyres Nicasium videlicet episcopum, Quirinum presbyterum, ac Scuviculum B diaconum tanto propensius, charissimi, dignis ecclesiæ laudibus condecet venerari, quanto sublimiores apud Deum existunt meritis pro gloria victoriosissimæ passionis. In exercitu quippe regis nostri gloriosiores faciunt milites vulnera generosæ mortis, et purpureo cruore perfusis dulciora restant præmia divinæ retributionis. Ex quorum agmine triumphali beatus Nicasius, sociique ejus olim pro veritatis præconiis reprobi facti ludibrio immortalem angelorem vitam mortis compendio compararunt, et felici commercio pro terrenis cœlestia, pro perituris æterna commutarunt. Omissis ergo quæ a principio passionis eorum narrat historia, paucis de fine dicamus, ut ad ea quæ hodiernæ congruunt translationi competentius accedamus. C

2. Invictissimi igitur athletæ Dei post sanctæ fidei et prædicationis constantiam, post virtutum ac signorum copiam, tandem in confessione Domini gladio obtruncati divinis conspectibus sunt immolati. Dehinc succedente opacæ noctis silentio, tres viri isti pro sanctæ Trinitatis fide trino decorati martyrio, a loco occisionis surgentes, et propriis manibus capita bajulantes, hymnis canora cœlesti turba comitante vadum antea incognitum psallentes Domino transmearunt, et in amœnissima ejusdem fluminis ripa quieverunt. O magna et mirifica nostri Salvatoris gratia, qui fortissimos debellatores, et in palestra fidei adamante duriores, hac privilegii insignivit gloria, ut ferro trucidati, viventium more, haud titubante gressu incederent, parique tripudio cum angelorum melodia Dei nomen personarent! O in- D exstinguibilis dilectio charitatis seraphim ardens incendiis, quæ patienter hausta calice passionis, tota adhuc flagrat in laudibus Redemptoris! Venerabilis denique Pientia monitis sanctorum ad fidem Christi conversa, eorum corpora honorifice sepelivit, dans ipsum prædium sui juris quod Wadiniacus dicitur ad sanctorum memoriam, ubi postea in honore ipsorum constructa est ecclesia, in qua multo tempore sanctorum requieverunt corpora.

3. *Translatio S. Nicasii et sociorum ob metum Northmannorum.* — Post plurima igitur annorum curricula, effera gens Danorum barbarico more piraticam exercens, cum ingenti classe Franciæ fines irrumpere, et occiduæ religionis provinciam, quæ nunc Northmannia dicitur, devastando cœpit consumere. Horum ego infandorum metu gentilium prædictorum ossa martyrum sanctæque Pientiæ cum beatissimi Audoeni præsulis gleba ad vicum Condatensium sunt translata. Post pauci temporis interstitium B. Quirini corpus magna ex parte et ex reliquiis beatorum Nicasii ac Scuviculi ad locum qui Malmundariensis dicitur summa cum reverentia asportantur, ubi miraculorum gloria assidue illustrantur. Ibi etiam in honore B. Quirini nobile exstat cœnobium monachorum Christo militantium ad ejus memoriale perpetuum. Qua vero ex causa quove id factum sit ordine, quibus etiam signis eorum Dominus merita declaraverit in ipso translationis itinere nequaquam oblivione interlita, sed ab iis quibus hoc contigit impræsentiarum litterali solertiæ sunt tradita. Ex his tamen virtutum insigniis non abs re arbitror hic aliqua paucis memorari ad eorum gloriam quorum hodie festive celebramus memoriam. Una enim ubique est divinæ majestatis operatio, nec ulla locorum discretio, si tamen non desit fidei sanctæ devotio.

4. *Mutum surdum et contractum curant.* — Quidam namque puerulus nomine Hilpericus ab ipsis cunabulis mutus et surdus atque contractus, maternis advectus humeris ad memoriam sanctorum, extemplo solutis retinaculis, in nova verba prorupit, et aurium surditate deposita, incedendi officium admisit.

5. Alter quoque gemino orbatus lumine, bacillo regente, suspensoque gradu sanctorum pignorum vestigia prosequebatur, et ab eis visum sibi restitui precabatur. Nec mora veri luminis testes æterna claritate fulgentes obscuris orbibus lucis radios infuderunt; et discussa caligine oculorum ad propria clare videntem Dominumque laudantem remiserunt.

6. Alius quidam dissolutis omnibus membris, dum sanctorum exorat clementiam pristinæ incolumitatis percepit gratiam, ut patenter daretur intelligi, in illa electorum gloria quo culmine præcellant honoris, quove reverentiæ cultu in terris debeant honorari, qui tam celeriter humanis queunt incommodis opitulari.

7. *Cæcam mortuam puellam resuscitant.* — In eadem B. Quirini ecclesia cum quadam die missarum solemnia agerentur, evangelicam lectionem diacono recitante, quædam puella vocabulo Clena inopina sorte subito ad terram cecidit, et spiritum exhalavit. Tunc omnes qui aderant metu pariter et stupore attoniti, defunctam foras efferunt, et sepulturæ tradere decernunt. Unus vero non tepidæ fidei, cæteris dissuadet hoc fieri, quin potius sanctos martyres assiduis ibidem miraculis coruscantes in commune exorent. Quod cum fecissent et hora reficiendi ab oratorio exissent, post paululum regressi, puellam incolumem reperiunt et sedentem, aperta etiam voce referentem quod beatus Quirinus in cle-

ricali habitu forma conspicuus in quadam loci amœnitate consistentem reviserit, et divino nutu eam ad superos reduxerit.

8. *SS. reliquiæ Vambasium delatæ.* — Interea monachi Condatensium, ingruente inedia, beatorum martyrum Nicasii ac Scuviculi cum reliquiis beati Quirini ad orientalem Franciæ plagam, quæ Lotharingia nuncupatur, in locum nostræ possessionis, qui Wambasius dicitur, detulerunt; ibique requieverunt usque ad tempora Henrici regis Francorum. Hac tempestate venerabilis abbas nomine Henricus beati Audoeni cœnobio Rothomagensis præerat, sub quo non minima monachorum turba vero Regi Christo regulariter militabat. Erat inter eos quidam senior vocabulo Genricus, ætate provectus, et consilio maturus, qui ab eodem patre ad locum quem prædiximus pro monasterii utilitate legatur. Qui cum pretiosissima Christi militum membra ad præsens quidem pro naturæ conditione resoluta, sed generali resurrectione insolubili compage reparanda, et gloria immortalitatis decoranda, neglectui ibidem haberi conspiceret, nec competenti ministrorum officio frequentari, uti dignum erat, adverteret; decrevit omnino ea ad suum transferre monasterium, si tamen Dei omnipotentis in cujus manu sunt omnia, concederet arbitrium. Quapropter, præpropere regressus, abbati suo causam innotuit, a quo confestim redeundi accepit mandatum, insuper et solatium ad id quod deliberaverat perficiendum.

9. *Postea Rothomagum reducuntur.* — Timens autem senior ne ab incolis loci, quibus sancti martyres adprime erant venerationi et gloriæ, si id palam fieret, impediretur, aut popularium factione ac tumultu ab inceptis omnino frustraretur, intempestæ noctis silentio ad locum quo tantum thesauri servabatur, clanculo cum suis accedit : fractisque loculis et sanctorum martyrum Nicasii ac Scuviculi corporibus cum sancti Quirini reliquiis reverenter assumptis ocius inde reccessit. Fertur etiam quia cum illud ubi jacuerant feretrum reserare conarentur, unus ex eo clavus longe exsiliens disparuit. Unde admodum exterriti, ne forte id compertum foret indicio latentis operis. Domini invocantes auxilium, omnia uti invenerant decenter composita reliquerunt. Igitur prælibatus heros maximis refertus gazis divina se comitante gratia iter arripuit, et prospero calle confecto, Rothomagum pervenit, præmissoque abbati nuntio, adventus sui causam patefecit. Facta itaque hujus rei cognitione honorabilis ejusdem urbis pontifex nomine Robertus cum universis tam ecclesiastici quam monastici ordinis agminibus festivo cultu sanctorum reliquiis obviam processit cum magnis laudum præconiis, uti congruebat triumphatoribus et amicis Dei qui laverunt stolas suas, et candidas eas fecerunt in sanguine Agni.

10. Erat enim gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, cum sanctissimi præsulis et invictissimi martyris eo rediret corpus exanime, quo quondam vivens in carne pervenire non potuit gloriosa præventus passione. Prævenit quippe trimphus martyrii officium sacerdotis ; et laudem hominum obsequium præcessit angelorum. O gloria pontificis, qui sui pontificatus exordium sanguine proprio consecravit, et pro salute gregis seipsum velut aries electus sacrificium prælibavit ! Reverendissimus igitur pater Henricus, cum suorum collegio monachorum, dominus etiam Isembertus abbas cœnobii sanctæ Trinitatis de vicino monte, genere Teutonicus, liberalibus disciplinis eruditissimus, et in omni religione probatissimus, cum aliis pluribus religiosis viris, præsente inclyto duce Northmannorum Roberto, Richardi secundi filio cum suis optimatibus, et plurima utriusque sexus multitudine suscipientes beatorum martyrum pignora, balsami et thuris odore fragrantia, cum hymnis et canticis spiritualibus in ecclesia beati Petri apostolorum principis, sanctique Audonei eximii confessoris honorifice deposuerunt, anno Dominicæ Incarnationis millesimo tricesimo secundo pridie idus Decembris : ubi per eorum merita Domini ac Salvatoris gratia cunctis fideliter petentibus plurima impertire dignatur beneficia. Qui cum Deo Patre et Spiritu sancto in Trinitate perfecta vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

IV.

Sermo in festivitate sanctorum, quorum reliquiæ in præsenti ecclesia resquiescunt.

(Ex eodem ms.)

1. Sanctorum gloriam. dilectissimi, crebris solemnitatibus venerari divinis incitamur beneficiis, quæ nobis ipsorum excellentissimis impertiuntur meritis. Condecet enim filios Ecclesiæ pretiosa matris suæ pignora dignis laudum obsequiis attollere, et Deum in sanctis suis mirabilem et gloriosum indesinenter collaudare. Quorum quidem animæ in angelorum curia perenni confruuntur gloria : corpora vero apud nos decenter condita signorum mirabilium exuberant copia. Ad illustranda quippe totius mundi climata verus ille sol justitiæ, quem sub umbra sancti Spiritus jucunda peperit maris stella, virgo Maria, diversa in quibusque locis diffudit luminaria virtutum fulgore micantia. In occiduis siquidem Galliarum partibus uti clarissimum sidus ab Athenis erumpens magnus refulsit Dionysius, liberali scientia doctissimus, et martyrii triumpho invictissimus. In cujus magnifico comitatu sanctissimus præsul Nicasius cum Quirino presbytero, ac Scuviculo levita martyrizati ac purpureis a Christo prætextis induti, cœlestis militiæ ordinibus inseruntur, et in eorum serie conscribuntur.

2. Sanctissimus Pater noster hujus sanctæ metropolis gloriosus pontifex Audoenus, totius Galliæ et occiduæ regionis lucifer præfulgidus, laudabilis vitæ cursu peracto, hic sua membra deposuit, quæ pro domini nostri Jesu Christi æterni Regis amore ferri duritia et laminarum asperitate indesinenter maceravit. Unde confessor præcipuus, etiam sui

terrore immanis effectus, martyrii ostro purpureus, summi imperatoris regiam introivit feliciter laureatus. Beatissimi Romani prædecessoris ejus eximii caput pretiosum digno reverentiæ cultu excolitur in perpetuum, cujus inclytæ nativitatis ortum angelici oris nuntiavit præconium. Præterea sanctorum Innocentium reliquiæ summo venerantur amore, quos uti primitias et flores martyrum Herodis immanitas furenti machæra desecuit, sed Christus infans sertis immarcessibilibus in cœlesti gloria decoravit.

3. Beati Calixti papæ, et sancti Arnulfi archiepiscopi et martyris brachium nobis salutare conferant præsidium contra omnium occursus et impedimenta malorum. Christi testes purpurei et levitæ gloriosi Laurentius et Vincentius, quorum suffragiis gloriamur fidei certamen aggressi, alter crate ferrea astatus alter tormentis atrociter examinatus, victores cœlestis regni solium penetrarunt ovantes. Qui summo imperatori Christo astantes proximi tanto eminientioris gloriæ coronas ab ipso acceperunt, quanto acriora tyranni supplicia pro ejus amore gratanter pertulerunt. Invictissimi martyris Sebastiani nos sui lætificat portione corporis, qui pro sanctæ fidei constantia in meditullio scammatis ligatus ad terrorem Christianorum totus est sutus ictibus sagittarum. Inclyti martyris Tiburtii pretiosa nos tueantur limpsana, qui super prunas ardentes gratanter incessit ad laudem æterni Regisi. Gloriosi martyres Marcellinus et Petrus, Abdon et Sennes, Marcellianus et Marcus, Crispinus et Crispinianus, Hermes et Julianus, Marius, Felix et Jannarius nobis inter adversa adhibebant patrocinia, quorum hic sacra florent assidue monumenta.

4. Magnus ille Lucifer ecclesiæ et vas aureum cœlestis sophiæ papa Gregorius, quos bonorum favis recreat eloquiorum pio interventu perducat ad regna cœlorum. Beatus Gilardus Rothomagensis præsul, cujus sacri corporis, ut thymiama apud nos redolent brachia, nobis pio obtentu supernæ defensionis adhibeat clypeum contra omium impetus inimicorum. Sanctus Remigius Rothomagensis archiepiscopus, cujus eximios complectimur artus, nos sua intercessione cœli conjungat civibus. Beati Faronis Meldendis episcopi et sanctissimi Pauli primi eremitæ capita; quæ hic venerantur devotione debita, nos summo capiti Christo conjungant per suorum operum merita. Denique sanctus Pater monachorum Leutfridus, cujus sacris hæremus ossibus, nos suis tueatur meritis et precibus. Venerandus confessor Christi Vulganius signorum claritate conspicuus, sui sacri corporis gleba quam illustrat ecclesiam per suorum meritorum gubernet potentiam. Rosa vernans et lilium candore virginitatis et rubore martyrii Agnes, cujus caput veneramur pretiosum, nos ad Christi introducat nuptiale convivium. Beata quque Scareberga virgo decens et inclyta, nobis æternæ beatitudinis impetret gaudia. His floribus aternis quibus halantia virent arva paradisi, uti pigmentis consitus hic ager Dominicus virtutum spirat odoribus.

5. In hac igitur, dilectissimi, celebritate congruis laudum officiis nos condecet exultare, in qua sanctorum omnium, quorum reliquiæ vel corpora in hac continentur ecclesia, festiva devotione veneratur memoria. Inter quos sanctissimum patrem nostrum atque pontificem Audoenum digno reverentiæ cultu magnificamus, qui pontificali infula decoratus, apostolica dignitate conspicuus, spiritualium virtutum gemmis emicuit, ad specimen totius religionis. Nam jaspis viridi colore hujusmodi pretiosorum lapidum primus in ordine sanctæ fidei in eo exprimit virorem contra nefandum hæreticæ pravitatis errorem. Pulcher ore sapphirus cœli sereno simillimus hujus sacerdotis perspicue typum gerat, qui speciosum forma præ filiis hominum secutus, terrena flocci pendens, totus inhiabat cœlestibus. Pallidus et in umbra obtunsus, sed clarus ad auram, ut lampas chalcedonius beatum virum designat, qui ne lucerna lateret sub modio, Ecclesiæ impositus candelabro, occiduas partes divini verbi fulgore illustravit, cujus ad Alpes usque virtutum forma pervolavit. Perspicuæ viriditatis smaragdus vino lotus et oleo, occulis gratiosus, flores, herbas, et aerem virescere facit, et tanquam speculum imagines reddit. Tu pater inclyte, vino lætitiæ debriatus, Spiritus sancti oleo, perfusus, divinæ legis decreta efficaciter peregisti, et totius sanctitatis specimen emicuisti. Tricolor sardonix, imo niger, medio albus, vertice mineus beatum designat virum, qui decolor humilitate, candidus puritate, roseo vernans decore, sinceritate fidei et religionis summæ complacuit deitati. Sardius rubens totus non adeo pretiosus martyrum ostendit exercitum, qui diversis afflicti suppliciis, passionum ob vitæ temporalis contemptum æternorum nanciscuntur coronas præmiorum. Horum Audoneus mirifice inhians dignitati, carnis illecebras ac voluptates agonizando funditus edomare studuit, indesinenter in membris suis perferens stigmata nostri Redemptoris. Aureo colore chrisolythus paulo cæruleus Æthiopium arvis igne perustis gignitur, qui beatum typice figurat virum cœlestis sophiæ auro decoratum, et inter adversa mundi veluti ad solem justitiæ decoloratum. Nam ejus purissimi gratia amoris dulcis sibi exstitit omnis amaritudo tribulationis.

6. Limpidus ac purus ut ludit in aqua solis radius, virens et pallidus, et in manu fervens beryllus beati pontificis honori congruit, qui parcimonia pallens, theoricæ intentus dulcedini, plerumque humanæ naturæ modum transcendit acumine divinæ contemplationis. Cujus exemplo virtutis plures inflammantur ad amorem divinitatis, deciduum florem contemmentes vitæ temporalis propter immarcescibilis gaudia paradisi. Topazion forma æthereus, omni colore superbus, tanto convenit pontifici, qui a prima indole omni virtutum genere præditus, cœlestis gratiæ plenus, speculativa dulcedine fervidus,

amore Conditoris elanguit, ei sitiens in cœlesti gloria copulari, qui pro nobis ut agnus innocens in cruce voluit immolari. Aureo viridique colore chrysoprasus juxta proprietatem sui nominis suspiria exprimit fidelium pro fidei veritate agonizantium, et ad cœli palatia toto amore festinantium. Denique beatus Audoenus multifarie suspirans in prolongatione sui incolatus, in electorum ordine pontificum supra cœli solium sublimatur. Cæruleo colore hyacinthus sereno perspicuus et gratus, nubilo obscurus et marcidus beato præsuli coaptatur, qui cœlestis Jerusalem civium congaudens profectibus, miserorum utpote piissimus pater condolet afflictionibus. Illis namque conjubilat æternæ gratulationis tripudio, istis assidue concurrit piæ consolationis remedio.

7. Purpurea specie amethystus violaceo roseoque colore permistus sanctorum cernuam designat humilitatem, et sub hujus mundi tribulatione insuperabilis patientiæ virtutem. Beatus ergo præsul Audoenus humilitatis gratia præcluis, patientiæ constantia fortis, virginitatis privilegio sublimis, ad cœlestis Agni convivium intromissus, perpetuo gratulatur, et inter pudicitiæ choros canticum novum in citharis modulatur. Taliter beatus Audoenus fide catholicus, sermone luculentus, actione magnificus, pretiosis virtutum gemmis decoratus, cœlestis fabricæ ædificio coaptatus, et inter summos Christi pontifices stola jucunditatis indutus mirifice coronatur. Ergo, sanctissimi Patris imitatores estote, filii, ut cum eo æternæ hæreditatis sortem valeatis adipisci. Ejus fidei unitatem sectemini, et contra hæreticæ pravitatis argumenta vehementer armemini. Castimoniæ puritatem diligite, quia pastor vester, ut templum fieret Conditoris, assidue carnem macerandi illibati servavit jura pudoris. Per iter justitiæ et veritatis incedite, ut ipso prævio duce cœlestis Jerusalem portas valeatis introire. Adsit nobis pariter pia sanctorum intercessio, quorum hodie festivam recolimus mentionem, ut eorum promerente suffragio, aulæ cœlestis mereamur ascribi collegio, largiente Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ANNO DOMINI MCXVII

ANSELMUS

SCHOLASTICUS ET CANONICUS LAUDUNENSIS

NOTITIA

(Casimir Oudin, *De Script. eccles.*, tom. II, pag. 936).

Anselmus Laudunensis Ecclesiæ canonicus, ac postea decanus, florebat anno 1100, sub finem sæculi undecimi. Iste enim Anselmus Laudunensis et frater ejus Radulphus duo habebantur clarissima Galliæ lumina, teste Saresberiensi, atque omnium ore et prædicatione celebrabantur. Unde Guibertus, abbas de Novigento, ita de Anselmo loquitur in præfatione ad Bartholomæum Laudunensem episcopum: *Indidit tanto Deus capiti duos oculos sideribus clariores, dum a dextris habes Anselmum, totius Latini orbis magisterio præclarum, cujus tam sincera est in Scripturarum ac fidei assertione severitas, ut plures viros suis probetur documentis fecisse catholicos, quam instituisse potuerit erroneus quispiam temporis hujus hæreticos: altrinsecus Radulfum*, etc.; et lib. III De vita sua: *Magister Anselmus, vir totius Franciæ, imo totius Latini orbis lumen in liberalibus disciplinis et tranquillis moribus.* Non ita tamen de Anselmo sentiebat Petrus Abælardus, qui hoc circiter tempore ad eum accedens, ut theologiæ præceptis informaretur, quid de illo sentiret, ita in epistola Calamitatum suarum exprimit: *Accessi ad hunc senem*, inquit, *cui magis longævus usus quam ingenium vel memoria famam comparaverant; ad quem si quis de aliqua quæstione pulsandum accederet incertus, redibat incertior. Mirabilis quidem erat in oculis auscultantium, sed nullus in conspectu quæstionantium. Verborum usum habebat mirabilem, sed sensu contemptibilem, ratione vacuum. Cum ignem accenderet, domum suam fumo implebat, non luce illustrabat.* Ita scribebat Abælardici ingenii ostentatio, cum sodalium contemptu, præceptorum obtrectatione et suggillatione, quorum gloriam et famam imminuere et deprimere gloriabatur, eisque in omnibus, de quibus in scholis contentio esse poterat, adversari. Anselmus hic anno 1112 opposuit se solus et contra Laudunenses canonicos, electioni Gualdrici in Laudunensem episcopum, velut hominis incapacis, qui juxta synchronum Laudunensem canonicum, *in litteratura nihil valens, omnino littera-*

tos despectui habens, milites super omnes diligebat, protervus pariter et præsumptuosus. Sic autem de ista Gualdrici electione Guibertus abbas de Novigento, testis oculatus, lib. III, cap. 4 : *Mortuo Ingelvano*, inquit, *cum biennio vacasset Ecclesia Laudunensis, tandem Gualdricum erigunt, quem regis Anglorum referendarium, quem auro argentoque audierant opulentum. Ante quam electionem, duo Ecclesiæ archidiaconi per mutuas eligentium contentiones in cathedram fuerant erecti, Gualterus scilicet et Ebalus, sed apostolicæ sedis judicio sunt ejecti. Spe igitur falsissima concordorum, electus ille prædictus a clero, Ingelvano primum elaborante et cæteris malo suo adnitentibus, Rothomagi a rege Anglorum de curia contra canones expetitur, qui nequaquam hujus electionis incertus, quod sub nullius ecclesiæ titulo erat, nec quidquam sacri ordinis præter clericatum acceperat, factione egit, ut e vestigio subdiaconus fieret, et canonicum in Ecclesia Rothomagensi susciperet, cum hactenus sese omnino militariter habuisset. Cum igitur omnes assensum in ejus susceptione dedissent, solus magister Anselmus, vir totius Franciæ, imo Latini orbis lumen in liberalibus disciplinis et tranquillis moribus, ab ejus electione dissensit.* Aliquot post mensibus periit Gualdricus, trucemque populi in mactando episcopo rabiem describit idem Guibertus cap. 8. Qui postquam explicuit qua fronte, quove furore cives in eum Laudunenses irruerint, quomodo fuga saluti consulere conatus sit, et tandem in angiportu clericalis claustri ante domum Godefridi capellani substiterit, subjicit : *Cum eis miserabilissime supplicaret, jurejurando ipsis astruere volens, se nunquam deinceps ipsorum episcopum futurum infinitas eis pecunias præbiturum, de patria recessurum : omnesque contra obfirmatis animis insultarent, unus nomine Bernardus, cognomento de Brueriis, elevata bipenni sacrum, quamvis peccatoris, verticem truculenter excerebrat. Qui cum laberetur inter tenentium manus, antequam decideret, ab altero sub ocularibus per medium nasi ex transverso percussus, occubuit. Ibi pessundato et tibias conciderunt, et vulnera plurima indiderunt: itaque exspoliatus ad nudum, in angulum ante capellani sui domum projicitur. Deus meus, quis retexat, quot in jacentem a transeuntibus sunt ludibria jacta verborum, quot globorum jactibus, quot saxis est corpus oppressum ?* Hæc rabies, hæc episcopi indigni funesta mors, quæ inimicos etiam ad commiserationem movit, inter cæteros magistrum Anselmum Laudunensem, qui medias inter furentium turbas, eum ad sepulturam extulit. Rem quoque istam idem Guibertus describit cap. 10, ad Anselmi Laudunensis commendationem, postquam fuse funestum ecclesiæ, ornamentorum, palatii, aliorumque templorum incendium prosecutus est. *In crastino*, inquit, *quoniam nemo erat pene qui jacens episcopi cadaver sine jactu aut probro seu maledicto præteriret, de sepultura vero nullus cogitaret, magister Anselmus ad tragædiæ hujus auctores preces fudit, ut hominem vel qui episcopi nomen et insigne habuerat, sinerent quoque humari. Vix annuunt. Quia ergo nudus ad terram canina quadam vilitate a vespertinis feriæ quintæ horis, tertiam crastinæ diei horam usque jacuerat, jubetur tandem a magistro levari, et salbano superjecto ad Sanctum Vincentium deportari. Delatus ad ecclesiam nihil prorsus officii, non dico quod episcopo, sed quod Christiano competeret, in exsequiis habuit.* Paulo ante in eadem ecclesia occisus fuerat Gerardus de Siriciaco, princeps et castellanus Laudunensis, ejusque sanguine respersum fuerat pavimentum : et tunc *magister Anselmus Laudunensis Ecclesiæ decanus, vir scientia celeberrimus, quibusdam secrete colloquiis pronuntiasse fertur, illam sanguinis effusionem nonnisi ejusdem ecclesiæ concrematione diluendam esse, cum tantum scelus non aqua, sed potius igne esset expiandum. Quod et contigit haud ita multo post.* Hæc de vita et humanitate Anselmi Laudunensis Ecclesiæ decani et ornamenti.

Scripsit multa, de quibus loquuntur, sed minus recte, Bellarminus ad annum 1077, quo jam florebat, et Labbeus in opere suo *De Scriptoribus ecclesiasticis*, verbo *Anselmus Laudunensis.* Attribuunt illi *Glossam ordinariam*, de qua dubium nullum est. Item *Commentarium in Evangelium divi Matthæi*, quod habetur impressum in editionibus antiquis Operum sancti Anselmi Cantuariensis archiepiscopi, Coloniæ anno 1573, apud Maternum Cholinum, et sequentibus omnibus editionibus, usque ad eam quam Lugduni procuravit Theophilus Raynaudus in fol., anno 1630, extraneis in Scripturam sacram commentariis expurgatam. Habetur tom. I, incipitque : *Liber generationis*, etc. *In ipso exordio satis ostendit quod de humanitate Christi sit acturus*, etc. At hic commentarius non sapit stylum vel genium sæculi XII nascentis, quo florebat Anselmus Laudunensis; unde alii volunt hunc commentarium in Matthæum, inter Anselmi Opera impressum, spectare ad Petrum Babionem, Anglum, qui florebat anno 1360, teste Possevino tomo II *Apparatus sacri*, pag. mihi 240. Hoc autem noscere et experiri quisquam facile poterit, si voluerit, nam indubius Petri Babionis commentarius cum proprio auctoris nomine, habetur ms. in Regia Galliarum Bibliotheca, codice 4123, qui incipit : *Dominus ac Redemptor noster ad commendationem evangelicæ fidei, Evangelium voluit non solum omnibus prædicari*, etc. Quomodo incipit prologus dicti Commentarii quem edidit Theophilus Raynaudus, in editione sua Operum divi Anselmi. Alii volunt hunc commentarium spectare ad Guillelmum de Arvernia Parisiensem episcopum circa annum 1240. Verus autem commentarius Anselmi Laudunensis in Matthæum habetur in eadem Bibliotheca Regia cod. 3819, incipiens, *Evangelium Græce, Latine bonum nuntium interpretatur*, etc. Inscribitur, ex ignorantia exscriptoris, *Magistri Anselmi de Montelaonis Remensis archiepiscopi ;* ubi legendum *De Montelaonis, vel De monte Lauduno*, ut Latine loquemur, qui nunquam Remensis archiepiscopus fuit (1).

Eidem attribuuntur *Homiliæ sexdecim in nonnulla loca Evangeliorum*, quæ etiam habentur ibidem inter *Opera S. Anselmi Cantuariensis episcopi*, veterum editionum et novæ etiam Parisiensis anni 1675, apud Ludovicum Billaine, cura et studio Gabrielis Gerberon, monachi Benedictini.

Item *Commentarius in Cantica canticorum*, in citata antiqua editione Operum divi Anselmi Cantuariensis archiepiscopi, tomo I, fol. 184, cujus initium : *In initiis librorum causæ discendæ sunt, quomodo vel quare compositus sit liber iste*, etc.

Denique *Commentarius in Apocalypsim* ibidem tomo II, fol. 583, cujus initium : *Deus et Dominus Pater, prævidens persecutiones quas*, etc. Habetur quoque cum expresso nomine *Anselmi Laudunensis* in bibliotheca Colbertina, cod. 5117, et anonymus in bibliotheca Galliarum Regia, cod. 4513, fol. 52, post opus Hugonis de Miramars, Carthusiani Montis Rivi. Hæc de scriptis.

Obiit anno 1117 celeberrimus ille scholæ magister Anselmus canonicus Ecclesiæ Laudunensis et decanus, tum multorum discipulorum undequaque ad se convolantium doctor eximius, sepultusque est Lauduni in ecclesia Sancti Vincentii extra urbem. Illum autem in serie decanorum primum collocat Lucas Dacherius in notis ad Guibertum abbatem de Novigento. Docuit Lutetiæ primum et Lauduni postea per quadraginta et amplius annos, unde eum collocat Bellarminus ad annum 1077 in libro suo

(1) Commentarium in Matthæum ab auctoribus Benedictini *Galliæ litterariæ* Anselmo Laudunensi asseritur. Vide infra col. 1181. EDIT.

De scriptoribus ecclesiasticis, qui et ad mortem usque theologiam publice professus est. Inter alios vero lectionum suarum auditores habuit hosce viros insignes et magistros : Guillelmum Campellensem,qui et ipse magisterii dignitate et munere perfunctus, ad Catalaunensem episcopatum promotus est; Petrum Abælardum, Albericum Rhavensem, qui Bituricensis postea archiepiscopus fuit; Lothulfum Novariensem, Gaufridum Britonem, qui anno 1111 Rothomagensis archiepiscopatui præfectus est; Philippum postea factum ordinis Præmonstratensis canonicum, et Bonæ Spei in Hannonia abbatem ; Radulphum et Guillelmum,qui in Cantuariensi sede sibi invicem successerunt. De Guillelmo Cantuariensi ita scribit Hermannus,monachus,qui Ecclesiæ Laudunensis combustæ instaurationem descripsit : *Nos itaque assumpto dominæ nostræ pheretro atque reliquiis, Cantuariam venimus, ubi tunc erat archiepiscopus D. Willelmus, nobis notissimus : quoniam jamdudum pro audienda lectione magistri Anselmi Laudunensis petens, multis diebus in episcopi domo manserat,ibique filios Radulfi cancellarii regis Anglorum docuerat.* Iste nempe Guillelmus de Corbolio, natione Gallus, cognominatum *de Chiche*, anno 1123 ab Henrico I, Angliæ rege archiepiscopatu Cantuariensi donatus,præceptor fuerat filiorum Radulfi,ejusdem regis cancellarii,viri in regno Anglicano potentissimi ; qui, ut scribit Joannes Brompton, viginti annis infirmitate decoctus,in curia nihilominus ad omnia scelera juvene promptior erat, innocentes opprimens, et multas sibi terras diripiens.Caute porro distinguendus Anselmus Laudunensis decanus ab aliis duobus Anselmis Laudunensibus, eodem tempore viventibus, quorum alter et primus cognomento *Beessus*, unus e thesaurariis Ecclesiæ Laudunensis,qui sub prætextu probitatis et pietatis, deceptis diu canonicis, non exiguam gemmarum partem quibus sacræ cruces diebus solemnioribus ornabantur, furatus, aurificibus tradidit et vendidit. Qua de re scribit auctor ille qui Laudunensis Ecclesiæ instaurationem describit, magistrique Anselmi decani de Anselmo ista ferre judicium his verbis refert : *Protinus ergo generalis conventus canonicorum et civium convocatur quid opus sit facto discutitur ; et præ omnibus magister Anselmus, tunc temporis totius orbis lucerna consulitur. Ille,ut divinæ legis peritissimus, continuo Josue replicat historiam, quomodo scilicet furtum in servo nullo sciente factum,Dominus jusserit sorte perquiri: primo per tribus, deinde per familias, ac domos, ad ultimum sigillatim per viros. Instar hujus tam subtilis perquisitionis, consulit magister Anselmus, ut tanti facinoris auctor judicio aquæ perquireretur, ac singulis urbis parochiis unus infans innocens in vase aquæ benedictæ repleto poneretur : et quæcunque parochia forte culpabilis reperiretur, de singulis domibus ejusdem parochiæ unus infans in vase aquæ poneretur : et quæcunque domus deprehensa fuisset, omnes viri vel feminæ ad eam pertinentes, judicio aquæ se purgare cogerentur.* Posterior denique Anselmus fuit abbas S. Vincentii Laudunensis, ex monasterio Sancti Medardi Suessionensis anno 1131 cooptatus, cum religiose, docte ac prudenter monasterium suum annos plus minus septemdecim rexisset, atque,ut inquit Laudunensis scriptor,pro utilitate ejusdem cœnobii Romam profectus fuisset : demum *a clericis Tornacensibus ibi repertus, in episcopum electus est, et a domino papa Eugenio invitus et reluctans, obedientiæ vinculo constrictus, pontifex consecratus est : sicque per eum Tornacensis Ecclesiæ antiqua dignitas restituta, anno ab Incarnatione Domini* 1145. Hæc paulo latius de Anselmi Laudunensis doctrina, virtute, aliisque dotibus, quem primum sæculo XI illabente ac XII inchoante sacras in Galliis litteras excitasse, scholas Theologicas aperuisse, narrant scriptores antiqui omnes. Plura de illo tanquam theologorum principe conveniebat dicere, de quo Bellarminus et Labbeus locis supra citatis. Antonius Possevinus, in *Apparatu sacro* t. I, pag. seu fol. 86. Et quem paucis additis vel mutatis huc transcripsimus, ordine tamen ad nostrum institutum convenientiori, Cæsar Egassius Bellæus sæculo IV. *Historiæ Universitatis Parisiensis*, ad annum 1101, fol. 9 ; ad ann. 1112, fol. 35 ; denique ad annum 1116, fol. 46 et 47.

NOTITIA ALTERA.

(*Histoire littéraire de la France par des religieux bénédictins*, t. X, p. 170.)

I. — *Vita.*

Ansel ou Anselme de Laon, surnommé *le Scholastique*, naquit à Laon ou dans les environs,avant le milieu du XI[e] siècle, de parents pauvres et réduits à cultiver la terre, *de pauperibus et rusticanis* (1). Jamais il ne perdit de vue son origine : et cette vue lui inspira toute sa vie un fonds de modestie qui releva infiniment les excellentes qualités de cœur et d'esprit qu'il apporta en naissant. On ne sait rien des premières années de sa jeunesse. D. Dachery (2) croit qu'il fut envoyé dans l'abbaye du Bec, pour y étudier sous saint Anselme. Ce qui favorise cette conjecture, c'est qu'on voit dans son commentaire sur saint Matthieu, qui n'est qu'un tissu de textes choisis des saints Pères, qu'il en avait principalement tiré des ouvrages d'Anselme de Cantorbéry son maître : *Ubi multa præcipue ex Anselmo Cantuariensi magistro suo congescit.* Mais, en quelque endroit qu'Anselme ait fait ses études, il en fit de fort bonnes ; et il se rendit capable en peu de temps d'enseigner à Paris avec Manegolde, docteur célèbre, qui fut depuis chanoine régulier, et premier supérieur du monastère de Morbac en Alsace, dont on le regarde comme le fondateur. C'est peut-être la raison qui a fait croire à Baronius qu'Anselme était originaire de Paris.

Anselme commença à y donner des leçons vers l'an 1076, au plus tard, s'il est vrai qu'il ait enseigné soit à Paris, soit à Laon, pendant plus de quarante ans, c'est-à-dire jusqu'à la fin de ses jours (3). C'est là l'époque du rétablissement des lettres dans cette capitale et de la théologie. Anselme y fit revivre, selon l'expression du pape Eugène III, les lettres et l'étude de l'Ecriture sainte

(7) Petrus Cantor., *Verb. abbrev.*, c. 47, p. 125.
(2) Not. in Guibert., p. 641, c. 60.

(3) Pagi, t. IV, ad an. 1117 ; Bul. an. 1116, p. 47 ; Mariot, *Metrop. Rem.* t. II, p. 285, 286.

et les remit en honneur : *Eugenius III de eo dixisse fertur per eum revixisse litteralis scientiæ decus et intelligentiam Scripturarum* (4). Comme il joignait à l'éruditoin une beauté d'esprit fort au-dessus de son siècle, cela lui attira un grand nombre de disciples, dont Guillaume de Champeaux fut un des premiers et des plus illustres (5).

Nous voyons ici la première origine de l'Université de Paris. L'éclat et le succès avec lesquels Manegolde et Anselme y donnèrent des leçons font dire à Otton de Frisingue (6) que les sciences avaient passé dans les Gaules : témoignage bien glorieux à ces deux docteurs. Etienne Pasquier (7), qui avait examiné avec grand soin ce point d'histoire sur la première origine de L'Université, en recule l'époque ju'quau règne de Louis le Jeune ; mais c'est faute d'avoir su au juste le temps auquel Anselme commença à être connu. Pasquier n'est pas le seul qui se soit trompé sur cet article. Trithème, les Centuriateurs de Magdebourg, Baronius, Cave, Jean le Mire, Marlot, etc., ne place Anselme que parmi les auteurs du XIIe siècle, quoiqu'il soit certain qu'il a passé la plus grande partie de sa vie dans le XIe, et qu'il s'y est rendu célèbre, soit par les leçons qu'il a données, soit par les écrits qu'il a composés. Mais, comme sa réputation augmenta, et qu'il s'acquit à Laon sa patrie, où il fut rappelé vers la fin du XIe siècle, la réputation de profond théologien, peut-être que les auteurs dont nous venons de parler, perdant de vue les premiers succès d'Anselme, n'ont fait attention qu'aux derniers qui étaient encore plus brillants ; et c'est ce qui les aura portés à ne le regarder que comme un écrivain du XIIe siècle. Toutefois Pasquier s'accorde avec Otton de Frisingue, en ce qu'il regarde Anselme comme le plus ancien maître de l'école de Paris, qui a été le berceau de l'Université.

Du Boulai (8) croit qu'il fut obligé de quitter cette école l'an 1089, mais sans en donner de preuve. Il paraît néanmoins vraisemblable qu'Anselme alla s'établir à Laon avant le commencement du XIIe siè- On l'avait élu chancelier, ou scholastique de cette église, ce qui l'obligeait à la conduite des écoles ; il était dejà chanoine, selon toute apparence : c'est le titre qu'on lui donne ordinairement ; et auquel il en ajouta encore un autre, ayant été élu doyen de la même église.

Anselme, étant établi à Laon, s'appliqua particulièrement à la théologie, en donna des leçons, pendant que Raoul ou Radulphe, son frère, enseignait les belles lettres et la dialectique. Si c'est de lui que parle du Boulai sous le non d'Arnould, qu'on ne trouve nulle part, nous ne voyons pas sur quel fondement il a pu le représenter comme un des plus fameux partisans de l'opinion des nominaux. L'illustre collègue d'Anselme était animé de son esprit, qui fut toujours opposé aux vaines subtilités des philosophes de son temps. Jamais il ne fut accusé d'avoir donné dans cette nouveauté qui causa de si grands troubles dans l'école de Paris. Les deux frères agissant de concert, s'appliquèrent avec soin à l'éducation des jeunes gens qui leur étaient confiés et travaillèrent encore plus à former le cœur qu'à cultiver l'esprit : *Plus moribus quam personis, plus ingenio quam generi, plus Deo detulit quam homini.* N'ayant en vue que la gloire de Dieu, jamais Anselme ne considéra dans les sujets, de quelque part qu'ils vinssent, les avantages qui frappent ordinairement, comme la naissance. les richesses, la figure, etc. Il s'attachait particulièrement à ceux dans lesquels les mœurs et la docilité se trouvaient jointes aux talents nécessaires pour les sciences (9). Son principal soin était de leur inspirer le goût pour le vrai, et un profond respect pour les vérités révélées. Sa théologie n'était proprement qu'une exposition simple et solide de la sainte Ecriture appuyée de l'autorité des saints Pères, qu'il étudia toute sa vie. Rempli de leurs principes, et instruit à leur école (10), il sentait le danger qu'il y a de vouloir pénétrer trop avant, et il n'approfondissait dans les saintes Ecritures que ce qu'il est permis d'y rechercher et d'y découvrir. Anselme fit ainsi, dit Guibert de Nogent (11), plus de bons catholiques qu'aucun hérétique de son temps n'en avait pervertis : *Ut plures veros suis probetur documentis fecisse Catholicos, quam instituisse potuerit erroneus quispiam temporis hujus hæreticos.*

A l'égard des vérités de pratique, ses exhortations étaient d'autant plus efficaces, qu'il donnait lui-même l'exemple de toutes les vertus chrétiennes. On connaissait ordinairement ceux qui avaient été élevés dans l'école de Laon, à leur extérieur sage et modeste (12). Anselme avait grand soin de réprimer dans ceux qui étaient distingués par la naissance, l'inclination qu'il remarquait en eux pour le faste et la vanité (13). Idunge, qu'on croit voir été moine de Saint-Emmeram de Ratisbonne (14), et qui avait été disciple d'Anselme, rapporte à ce sujet un trait de la fermeté et de la sévérité de ce grand homme, dont il avait été le témoin oculaire (15).

L'école de Laon, sous un chef si accompli, devint en peu de temps la plus celèbre de l'Europe. On y vit bientôt, comme autrefois dans le Lycée, les beaux esprits se rassembler de toutes parts, pour entendre les leçons des deux frères Anselme et Raoul. Il en vint d'Italie, d'Espagne, d'Allemagne, d'Angleterre, des extrémités du Nord ; les docteurs même les plus célèbres, et les professeurs se faisaient gloire de devenir leurs disciples, Helmode rapporte du B. Vicelin, apôtre des Vandales et des Bohémiens (16), qu'après avoir gouverné pendant plusieurs années l'école de Bresme, sous l'archevêque Frédéric, il passa en France avec son disciple Thietmar, pour y recevoir des leçons d'Anselme et de Raoul, qui étaient alors dit cet auteur, les plus fameux pour l'explication de l'Ecriture sainte ; et qu'ils étudièrent trois ans sous eux, évitant les questions curieuses et superflues. Guillaume de Champeaux était déjà fort avancé en âge, et avait enseigné la philosophie à Paris avec applaudissement, l'orsqu'il alla à Laon se mettre au nombre des disciples d'Anselme (17). On croyait ne rien savoir si on n'avait fréquenté son école. Elle devint comme un séminaire d'où sortirent grand nombre de pieux et savants ministres de l'Eglise, qui portèrent la lumière dans toutes les parties de l'Europe, et remplirent avec honneur les plus grands sièges, Les plus saints et les plus savants évêques qui se distinguèrent par leur science et leur piété au commencement et au milieu du XIIe siècle avaient étudié sous Anselme et Raoul.

Guillaume de Champeaux, dont nous venons de parler, fut élu évêque de Châlons-sur-Marne l'an 1113 et gouverna cette Eglise avec un zèle apostolique jusqu'à l'an 1121. Deux autres disciples d'Anselme,

(4) Marlot., *ibid.*
(5) *Journal des savants*, t. I, p, 196 ; Marten. t.V, *ampl. Coll.* p. 877.
(6) Præf. in lib. v, *Chron.*
(7) *Rech.* l. III, c. 29, p. 263.
(8) Ad an. 1089.
(9) Mab. *Annal.* t. III, p. 387.
(10) *Angl. sac.* t. II, p. 300.
(11) *Prol. ad Genes.*
(12) Mab. *ibid.*
(13) Otto Fris. *De gest. Freder.* l. I, c. 7.
(14) Pez., *Anec.* t. II, p. 514.
(15) *Lib. de quatuor quæst.*
(16) Philip. abb. Bonæ Spei. *Hist. Stav.* apud Boll. 17 Maii, c. 58, p, 42, 43.
(17) Morin. *De pœnit.* c. 22, n. 8.

Geofroi le Breton et Hugues d'Amiens furent placés successivement sur le siége de Rouen, et le remplirent avec distinction l'espace de cinquante-trois ans. Orderic Vital (18) relève l'éloquence du premier et sa profonde érudition. Hugues d'Amiens fut un des plus illustres prélats de son temps, selon le témoignage des historiens de Normandie et de messieurs de Sainte-Marthe qui en parlent avec éloge (19). Nous apprenons de Hugues par une de ses lettres à Mathieu, cardinal évêque d'Albane (20), avec lequel il était uni tant par les liens du sang que par la profession religieuse, qu'étant nés en même temps en France ils avaient été élevés ensemble à Laon, et y avaient fait leurs études ; que, s'étant ensuite rendus à Cluny, ils y avaient reçu l'habit monastique ; qu'enfin le Saint-Siége les avait tirés du cloître pour placer Mathieu sur le siége d'Albano, et lui, Hugues d'Amiens, sur celui de Rouen.

Gui d'Etampes, évêque du Mans, avait été élevé dès sa plus tendre jeunesse sous la discipline d'Anselme, qui s'appliqua particulièrement à le former : *Guidonem laudabilis Anselmi familiaritas commendavit, gravitas coercuit, instituit fides, formavit doctrina, exemplum eliminavit discipulo quidquid displicet in homine* Gui profita si bien des instructions de son maître, qu'il enseigna lui-même plusieurs années avec applaudissement (21), et fut jugé digne de remplacer sur le siége du Mans le savant Hildebert, transféré en 1125 à Tours.

Agara ou Algara, autre disciple d'Anselme, se distingua par son éminente piété sur le siége de Coutances en Normandie ; *Religionis nomine vir suo ævo clarissimus*, disent messieurs de Sainte-Marthe (22).

Le fameux Gilbert de la Porée, évêque de Poitiers, après avoir étudié sous les plus habiles maîtres, particulièrement sous Hilaire de Poitiers et Bernard de Chartres, alla se perfectionner à l'école de Laon dans l'intelligence de l'Ecriture (23). Il en rapporta un extérieur si grave et si sérieux et un si profond savoir, qu'il ne pouvait plus s'entretenir qu'avec les plus habiles théologiens et les plus exercés dans la dispute. Toutefois il ne profita pas assez des leçons d'Anselme, et ne sentit pas assez le danger qu'il y a de vouloir pénétrer trop avant dans des matières au-dessus de l'entendement humain : nous aurons occasion d'en parler dans la suite.

Outre ces disciples d'Anselme, qui furent élevés à la dignité episcopale, il y en a eu un grand nombre d'autres qui se sont rendus célèbres par leur science et leur piété, et ont rendu de grands services à l'Eglise et à l'Etat, et qui ont brillé dans le clergé séculier et régulier, tant en France que dans les pays étrangers. Anselme de Custella, et Olric, vidame de Milan, qui furent successivement l'un après l'autre placés sur ce grand siége (24), après avoir fréquenté différentes écoles, allèrent se perfectionner sous Anselme et Raoul dans celle de Laon, la regardant comme la plus célèbre de toutes. Le B. Vicelin, évêque d'Aldenbourg, et le B. Thietmar, qui furent deux hommes apostoliques, autant recommandables par leur doctrine que par leur sainteté, étudièrent trois ans sous Anselme et Raoul (25). Guillaume de Corbeil, qui, de prieur des chanoines réguliers de Saint-Osithe, fut fait archevêque de Cantorbéry en 1123, avait été disciple d'Anselme, de même que Robert de Béthune évêque, d'Herford, célèbre par sa science et par sa piété (26). Nous ne finirions point, si nous voulions faire l'énumération de tous les grands hommes qui sont sortis de l'école de Laon, presque aussi célèbre dans son siècle sous Anselme, que l'était autrefois celle d'Alexandrie sous Origène. De cette école sont sortis Guibauld ou Vibalde, abbé de Stavelo et de Corvei en Saxe ; Hugues Metellus, abbé de Saint-Léon de Toul, Francon, l'un des plus savants abbés de Laubes, Philippe Hasveng, abbé de Bonne-Espérance, etc.

Le succès de l'école d'Anselme ne lui enfla point le cœur et ne lui fit point perdre de vue sa première condition. On sait qu'il refusa plusieurs évêchés qui lui furent offerts : *Ad pontificales cathedras pluries vocatus, nullatenus acquievit.* L'évêché de Laon fut de ce nombre (27) ; quoique Guibert de Nogent, qui en toute occasion rend justice à son mérite, n'en dise rien ; ni le moine et non le chanoine Heriman ; ni Otton de Frisingue. Il est à présumer que l'humilité d'Anselme le porta à étouffer les premiers bruits qui s'en répandirent, et à arrêter les poursuites des puissances ecclésiastiques et séculières, qui le jugeaient digne des places les plus éminentes. Il ne put même souffrir qu'on élevât à sa considération ses pauvres parents. Pierre le Chantre rapporte à ce sujet un trait bien remarquable et bien digne de notre admiration (28). Etienne de Gariande, qui fut svccessivement chancelier de France et grand sénéchal, ayant proposé à Anselme d'anoblir ses neveux, et de leur procurer de grands établissements, il s'y opposa de toutes ses forces, et lui représenta que, étant nés pauvres et destinés aux travaux de la campagne, il leur était plus avantageux de rester dans cet état, où Dieu les avait placés, que d'être exposés à s'enfler d'orgueil. « A Dieu ne plaise que je consente à ce que vous me proposez, répondit cet homme humble et modeste ! Qu'ils demeurent dans leur état, ; j'aimerais mieux n'avoir jamais fait de leçons sur l'Ecriture sainte que d'avoir contribué, en en faisant, à leur procurer des honneurs qui pourraient leur faire perdre l'humilité. » Bel et rare exemple de modestie, qui a bien peu d'imitateurs ; Tels étaient les sentiments d'Anselme sur la fin de ses jours, et dans un temps où il était l'objet de l'admiration de l'Europe.

Anselme donna de grandes marques de sa sagesse et de sa prudence dans les temps orageux qui suivirent la mort d'Enguerrand de Couci, évêque de Laon, arrivée vers l'an 1107. Le siége de cette Eglise, devenu l'objet de l'ambition de plusieurs contendants, fut envahi par un ambitieux que Guibert ne daigne pas nommer ; mais la vengeance divine éclata sur ce téméraire, et le frappa de mort pendant la cérémonie même. Un exemple si terrible n'ayant fait aucune impression sur l'esprit des chanoines, ils eurent la lâcheté d'élire, à la sollicitation du roi d'Angleterre, Gaudri, son référendaire, homme de néant et sans aucun mérite. Anselme seul s'opposa à son élection, *Cum igitur omnes assensum in ejus susceptione dedissent, solus magister Anselmus, vir totius Franciæ, imo et Latini orbis lumen in liberalibus disciplinis ac tranquillis moribus ab ejus electione dissentit* (29). Mais l'opposition de cet homme de bien, et les représentations qu'il fit au pape Pascal II, qu'il alla trouver à Dijon, furent sans effet, et l'argent que l'usurpateur distri-

(18) Lib. II, ad an. IV.
(19) *Gall. Christ.* t. I.
(20) Mart. *Anecd.* t. V, p. 897.
(21) Mab. *Analec.* t. III.
(22) *Gall. chr.* t. II.
(23) Otto Fris. *De gest. Fred.* l. 1, c. 46, 50 ; *Bib. Cisterc.* t. III, p. 136.
(24) Pandulphus, *Hist. Mediol.* apud Muratori, *Rer. Italic.* t. V, c. 17, p. 487.
(25) Boll. 17 Maii, p. 41, 42.
(26) Bull. t. II, p. 138 ; *Angl. sac.* t. I, p. 7 et 110 ; t. II, p. 209.
(27) *Chron. Laud.* a D. Duchesne, in not. ad Abæl., p. 1163 ; Ant. Belotte, in *cat. decan. Laud.* apud Guib., p. 819.
(28) *Verb. abbrev.*, c. 45, p. 105.
(29) Guib. l. III. *De vita sua.*

bua, l'emporta. La conduite de Gaudri répondit à son entrée dans l'épiscopat, et il en fut enfin la victime. Le peuple, irrité de l'assassinat de Gérard de Créci, dont il le regardait comme l'auteur, et de ce qu'il voulait rompre la communauté de la ville, après l'avoir lui-même jurée, le massacra, fit toutes sortes d'insultes à son cadavre et mit le feu à la maison du trésorier, qui, se communiquant à l'église, la réduisit en cendres, ainsi que le palais episcopal. La ville de Laon se trouva alors dans la plus triste situation. On ne voyait que massacre et que pillage, selon la description qu'en fait Guibert de Nogent. Au milieu de ce désastre, Anselme que Dieu avait conservé, selon l'expression du moine Herman (30), comme un autre Jérémie, pour consoler les restes de son peuple dans cette désolation, recueillit plusieurs passages ou sentences des saintes Ecritures, les plus propres à les porter à la patience et à la soumisssion aux ordres de la Providence. Anselme, non content de remplir ces devoirs de charité envers le peuple de Laon, donna ses soins pour lui procurer un bon pasteur ; et on croit qu'il eut beaucoup de part è l'élection de Barthélemy de Vire, chanoine et trésorier de l'église de Reims, et à tout le bien qu'il fit pendant les premières années de son pontificat, c'est-à-dire, tant qu'il se conduisit par les sages conseils d'Anselme et de Raoul, son frère. Ce qui fait dire à Guibert de Nogent (31) que Dieu avait donné à ce digne chef deux yeux plus brillants que les astres, savoir Anselme et Raoul.

L'école d'Anselme, qui ne paraît pas avoir beaucoup souffert des désordres dont nous avons parlé, devint de plus en plus florissante sous l'évêque Barthélemy : on vit toujours le même concours d'étrangers aux leçons des deux frères. Le fameux Abailard, attiré par la grande réputation d'Anselme, vint aussi à Laon la première année de Barthélemy, c'est-à-dire en 1113, pour l'entendre. Mais la gravité d'Anselme tempérée par une grande douceur, sa retenue et sa prudence dans ses réponses, le peu de cas qu'il faisait des subtilités de l'école, déconcertèrent ce jeune philosophe à qui une vaine science et une facilité merveilleuse de s'énoncer enflaient le cœur : c'est ce qui lui fit concevoir un grand mépris pour Anselme, dont il parle de la manière la plus désavantageuse : Anselme, selon lui, n'était redevable de sa grande réputation qu'au long usage d'enseigner et non à son esprit ou à sa mémoire. C'était un arbre qui avait à la vérité de belles feuilles, mais qui ne portait point de fruit (32). « Je me suis approché, ajoute Abailard, de cet arbre, pour y cueillir des fruits ; mais j'ai reconnu que c'était un arbre stérile, semblable à ce figuier dont parle l'Ecriture, qui fut maudit par le Sauveur du monde. » Il est aisé de comprendre qu'Abailard n'assista pas longtemps aux leçons d'un maître dont il avait si peu d'estime : mais la réputation d'Anselme était trop bien établie, pour qu'un jugement si peu équitable pût y donner atteinte. Nous pourrions opposer à Abailard le témoignage unanime de tous les savants de ce temps, et de ceux qui ont suivi, en faveur d'Anselme. Il était si généralement estimé, qu'on se glorifiait de l'avoir eu pour maître. Otton de Frisingue, qui écrivait en 1146, regardait Anselme et Manegolde comme la source de cette abondance de doctrine et de lumière, qu'on voyait alors en France (33). Sigebert et son continuateur, et généralement tous les écrivains, semblent à l'envi faire les éloges les plus parfaits d'Anselme, tant par rapport à ses mœurs et à toutes ses grandes qualités que par rapport à la science de la théologie, et à l'intelligence de l'Ecriture. C'est ce qui l'a fait appeler par Guibert (34) la gloire et l'ornement du pays latin ; et par Jean de Sarisbery, le docteur des docteurs ; ce qui doit s'entendre des docteurs du temps d'Anselme. Il avait entrepris depuis plusieurs années des commentaires sur la plupart des livres de l'Ancien et du Nouveau Testament. Il continua avec assiduité ce grand travail jusqu'à sa mort, arrivée le 15 juillet 1117 (35). Le vénérable Rupert, qui venait en France pour consulter Guillaume de Champeaux, passa par Laon, et eut la douleur de le trouver expirant. Il pleura la perte de ce grand homme (36), le plus célèbre, selon lui, qu'aucun évêque, quoiqu'il ne le fût pas : *Quovis episcopo famosiorem, quamvis ipse non esset episcopus ;* et qui, sans l'être, en avait donné plusieurs à l'Eglise, et lui avait rendu de grands services, Anselme fut enterré dans l'abbaye de Saint-Vincent, où l'on voit son épitaphe :

ÉPITAPHE.

Dormit in hoc tumulo celeberrimus ille magister,
Anselmus, cui per diffusi climata mundi.
Undique notitiam contraxit, undique laudem,
Sana fides, doctrina frequens, reverentia morum,
Splendida vita, manus diffundens, actio cauta,
Sermo placens, censura vigens, correctio dulcis,
Concilium sapiens, mens provida, sobria, clemens
Sed quas longa Dei concessit gratia dotes :
Idibus invisis dissolvit Julius æther,
Qua vivens vignit, comitetur gratia functum.

On donne cette épitaphe à Philippe de l'Aumône, abbé de Bonne-Epérance, dans le recueil de ses ouvrages ; et il peut l'avoir composée, ayant dû se trouver à la mort et aux obsèques d'Anselme ; mais elle y est mal à propos appliquée à saint Anselme de Cantorbéry ; le titre est assurément de l'éditeur. On la trouve aussi parmi les poésies d'Hildebert avec ce titre : *Epitaphium magistri Anselli*, qui est conforme au manuscrit de Saint-Amand, où Sanderus dit l'avoir vue. Mais outre qu'elle n'est point d'Hildebert, l'éditeur s'est trompé en en faisant dans sa note l'application à Ansel, chanoine de Paris et chantre du Saint-Sépulcre. Enfin elle se trouve dans le *Recueil d'épitaphes choisies*, p. 58 ; dans les notes de Duchesne sur Abélard ; dans messieurs de Sainte-Marthe, etc. Marbode, évêque de Rennes, a fait une autre épitaphe dans laquelle il relève toutes les belles connaissances d'Anselme qui était, selon lui, habile grammairien, orateur, poète, philosophe, mathématicien, et tellement versé dans l'Ecriture, qu'il semblait que Dieu lui en eût inspiré l'intelligence.

§ II. — *Scripta.*

L'étude à laquelle Anselme s'est principalement appliqué est celle de l'Ecriture sainte, qui fut le sujet le plus ordinaire des leçons qu'il donna (37), et des écrits qu'il composa. Plusieurs années avant sa mort il avait entrepris des commentaires sur la plupart des livres de l'Ancien et du Nouveau-Testament, et il y travaillait avec assiduité lorsque la mort l'enleva. Voici le dénombrement qu'en a fait le Père le Long (38) :

Une *Glose interlinéaire sur tout l'Ancien et le Nouveau Testament*, avec la glose ordinaire ; imprimées à Bâle, *in fol.*, en 1502 et 1508, et ailleurs 1524, 1528, 1539, 1545, 1588, 1617, 1634.

(30) Apud Guib. Novig., p. 528.
(31) *Prolog. ad Genes.*
(32) Bul. an. 1113 ; Otto Fris. *De gest. Freder.* l. I, c. 47 ; Guib. Nov. *De vita sua*, p. 419 ; Mab. *Ann.* t. III ; Helm. *Hist. Slav.*
(33) Phil., abbé de Bonne-Espér., ep. 5, 6, 7 ; Mart. *ampl. Coll.* t. II, p. 334.
(34) Lib. III, c. 4.
(35) Pagi ad an. 1117, n. 28.
(36) Rup. l. I *in Reg. S. Bened.*
(37) *Hic fere per totam vitam Lauduni sacras litteras docuit.* MARLOT, *Metrop. Rem.* t. II, p. 285.
(38) *Bibl. sacr.* p. 610.

Commentaire sur le Psautier.

Commentaire sur le Cantique des cantiques.

Explication de plusieurs endroits des Evangiles.

Commentaire sur saint Matthieu, in-8°, à Anvers, en 1651.

Commentaires sur les Epîtres de saint Paul et sur l'Apocalypse, sous le nom de saint Anselme de Cantorbéry.

La Glose interlinéaire d'Anselme sur l'Ecriture, et la marginale de Valafride Strabon, qu'il avait revue et augmentée considérablement, ont été regardées dans l'Eglise comme un ouvrage utile et même nécessaire pour bien entendre l'Ecriture sainte (39). Anselme y explique le texte sacré par des notes courtes et tirées avec beaucoup de discernement des écrits des saints Pères. On y remarque l'exactitude et l'érudition. *Multa breviter et quasi punctim*, dit Possevin (40), *sed docte et accurate attingit.* L'abbé le Beuf, parlant de cette Glose interlinéaire (41), semble regarder comme une chose indécise qui en est le véritable auteur. « Les uns, dit-il, l'attribuent à Anselme de Laon, d'autres à Gilbert, diacre d'Auxerre. » Cependant la chose paraît décidée en faveur d'Anselme par le témoignage unanime ou presque unanime des auteurs anciens et modernes, qui lui donnent la Glose interlinéaire. Je ne sais même si on en trouverait quelqu'un qui l'attribue bien clairement à Gilbert, diacre d'Auxerre. Car s'il en est qui fassent Gilbert auteur de quelques gloses, ce n'est point Gilbert, diacre d'Auxerre, mais Gilbert de la Porrée qu'ils entendent. Ces méprises viennent de ce que les auteurs qui ont commenté l'Ecriture après Anselme de Laon, se sont beaucoup servis de sa Glose, qui a été pour eux comme une espèce de canevas sur lequel ils ont travaillé. C'est ce qu'on voit par Gilbert de la Porrée et par Pierre Lombard (42), dans leurs explications sur les Psaumes et sur les Epîtres canoniques, qui furent aussi appelées gloses. Bernard Guidonis (43) parlant de Pierre Lombard *sur le Psautier et les Epîtres de saint Paul*, dit qu'il expliqua plus au long la Glose d'Anselme, qui avait été continuée par Gilbert ; ce qu'il faut entendre, non du diacre d'Auxerre de ce nom, mais de Gilbert de la Porrée. On conserve même encore à Oxford, comme le remarque Cave, un manuscrit de cette Glose de Gilbert de la Porrée sur le Psautier ; et on lit à la fin cette note curieuse du copiste : *Explicit glossatura magistri Porretani super Psalterium, quam ipse recitavit coram suo magistro Anselmo.*

Gilbert de la Porrée et Pierre Lombard ne sont pas les seuls qui se soient servis de la Glose d'Anselme. La plupart de ceux qui ont travaillé sur l'Ecriture ont fait la même chose. Lipoman l'a employée dans sa *Chaîne sur la Genèse*, etc. Les deux gloses sur l'Ecriture, savoir, l'interlinéaire d'Anselme, et la marginale de Valafride Strabon augmentée par le même Anselme, se sont conservées jusqu'à nos jours sans aucune altération, dans plusieurs manuscrits des XIIe et XIIIe siècles. L'an 1330 Nicolas de Lyre, en Normandie, mit au jour une troisième glose sous ce titre : *Postillæ perpetuæ*, qui forment avec les deux premières et d'autres ouvrages, un gros recueil qu'on trouve aussi manuscrit dans plusieurs bibliothèques de chapitres, de monastères et d'anciens colléges. On a remarqué, en parlant des écrits de Valafride Strabon (44), avec quel empressement on mit cette collection sous presse aussitôt qu'on eût inventé l'imprimerie, et la quantité d'éditions qui parurent successivement jusqu'à celle d'Anvers de l'an 1634, qui passe avec raison pour être la plus belle de toutes ; ainsi nous ne les indiquerons point ici ; nous remarquerons seulement en passant que cette multitude d'éditions montre quel était le zèle de nos pères pour l'étude de l'Ecriture sainte. Non-seulement le grand nombre d'éditions en est la marque, mais la multitude des manuscrits le prouve encore. En ne remontant que jusqu'à Anselme, il n'y a guère d'ouvrages, même des Pères, dont les manuscrits soient plus communs que ceux des Gloses de cet auteur et de Nicolas de Lyre.

Anselme ne se borna pas à sa Glose interlinéaire, il fit encore des commentaires particuliers sur plusieurs livres de l'Ecriture sainte : sur le Cantique des cantiques, sur saint Matthieu, sur saint Jean (44*) et sur l'Apocalypse : Trithème, Sixte de Sienne, etc., en ajoutent un cinquième sur le Psautier. Quelques-uns de ces commentaires furent d'abord attribués à saint Anselme de Cantobéry, la grande réputation de ce saint docteur faisant juger qu'il était auteur de tous les ouvrages qui portaient le nom d'Anselme. Cependant les manuscrits de ces commentaires, que l'on conserve encore aujourd'hui dans quelques bibliothèques peu éloignées de Laon, dénotent d'une manière à ne s'y point méprendre qu'Anselme de Laon en est le véritable auteur. A Saint-Amand le commentaire sur saint Matthieu est ainsi intitulé : *Magistri Anselmi glossæ sive lecturæ super Matthæum* (45). Ce même ouvrage se trouve dans un catalogue des manuscrits de Saint-Vaast de plus de 300 ans, inscrit du seul nom d'Anselme. Il y en a un semblable au monastère d'Eynham (46). On trouve la même inscription dans les manuscrits du commentaire sur le Cantique des cantiques (47) ; ce qui prouve qu'Anselme de Laon est auteur de ces commentaires, et non Anselme de Cantorbéry. Il est vrai que Sanderus (48) cite un manuscrit de Liessies, dans lequel le commentaire sur le Cantique des cantiques est attribué à saint Anselme de Cantorbéry : *Anselmi Cantuariensis archiepiscopi in Cantica canticorum expositio mystica et prolixa ;* mais, outre qu'Edmère, qui nous a laissé le catalogue des ouvrages de ce saint archevêque, n'y fait aucune mention de celui-ci ; il paraît d'ailleurs certain qu'il n'en a fait aucun sur l'Ecriture sainte (49). Aussi le P. Théophile Raynaud, en publiant l'édition des œuvres de ce saint docteur, l'a-t-il déchargée de tous ces commentaires, qu'on lui avait faussement attribués. Du reste, si la grande réputation de saint Anselme a fait tort à Anselme de Laon, ayant été cause qu'on l'a, pour ainsi dire, dépouillé de ses propres ouvrages pour les attribuer à ce saint prélat, on peut assurer qu'elle lui fait honneur d'un autre côté, puisque les productions de la plume d'Anselme de Laon ont été jugées dignes de celles d'Anselme de Cantorbéry, c'est-à-dire d'un des plus saints prélats et des plus grands docteurs de l'Eglise.

Saint Anselme n'est pas le seul auquel on ait attribué les productions de notre auteur. L'historien d'Auxerre (50) semble faire honneur à Gislebert, chanoine d'Auxerre, de la glose sur l'Ecriture sainte, où il dit que « Gilbert, chanoine d'Auxerre, fut surnommé l'*Universel*, ou parce qu'il avait glosé toute l'Ecriture sainte, ou à cause de l'étendue de son sa-

(39) Henr. Gand. ; Sixt. Sen.
(40) *Apparat.* t. I, p. 86.
(41) *Dissert. sur l'Hist. de Paris*, t. II, p. 140.
(42) Vincent. Bellov. *Specul. hist.*, t. III, c. 1.
(43) Apud Murat. in *Vita Anastas.*
(44) *Hist. litt.* t. V, p. 62.
(44*) Commentariorum in Joannem nullus præter hujus notitiæ scriptorem meminit. EDIT.

(45) Sander. part. I, p. 46.
(46) Ibid. p. 94.
(47) Ibid. p. 104.
(48) Part. II, p. 17.
(49) Catal. ej. script. apud Eadm.; Theoph. Rayn. edit. Op. S. Ans., Lugd. 1630 ; Mir. in Mantissa ad calcem auctuarii *De script. eccles.*
(50) T. II, p. 486.

voir. On ne peut plus, dit-il encore, discerner aujourd'hui ce qui appartient à Gilbert dans la glose générale.» Toutefois l'abbé le Beuf reconnaît « qu'on ne doit guère compter d'ouvrages certains de lui (Gilbert) qu'un commentaire sur les Lamentations de Jérémie, à la fin duquel il mit son nom et sa qualité d'*Antissiodorensis Ecclesiæ diaconus.* » Le même auteur, parlant d'Anselme, chanoine diacre de l'Eglise d'Auxerre, qui vivait en 1136 et 1145, et se distingua par la connaissance parfaite de l'Ecriture, regarde l'éloge qu'on fait de lui dans le nécrologe, où il est appelé *in divinis Scripturis magister egregius*, comme un motif « qui porte à lui attribuer quelques ouvrages sur l'Ecriture sainte, tels que sont certaines petites gloses sur le Psautier, que Du Cange attribue à un Ansel, qui est le même nom autrement écrit.» Nous convenons sans peine qu'*Ansel* est le même nom qu'Anselme, mais nous sommes en même temps persuadés que l'Ansel, dont parle Du Cange, et auquel il attribue certaines petites gloses sur le Psautier, n'est autre qu'Anselme de Laon, qui, dans d'anciens monuments, est souvent appelé Ansel.

Simon Fontaine est le premier qui ait entrepris de restituer à notre auteur quelques-uns des ouvrages dont on lui avait enlevé l'honneur pour le transférer à d'autres. Il publia à Paris, en 1549, les commentaires sur le Cantique des cantiques et sur l'Apocalypse, sous le nom d'Anselme de Laon : *Enarrationes Anselmi Laudunensis in Cantica canticorum et in Apocalypsim.* Mais cette édition ne fit pas tomber les préjugés : ces mêmes commentaires, quoique rendus à leur véritable auteur, furent encore confondus avec les ouvrages de saint Anselme de Cantorbéry dans les éditions faites à Cologne en 1573 et 1612. Les commentaires sur saint Matthieu et sur saint Jean y furent compris. Cependant, quelques années après, Sanderus jugea, sur les deux manuscrits qu'il avait vus, que les deux ouvrages publiés par Simon Fontaine appartenaient plutôt au doyen de Laon qu'au saint archevêque de Cantorbéry. Crovée, Possevin, Bellarmin, Fabricius et les autres bibliohraphes ont pensé comme Sanderus. Néanmoins toutes ces autorités, quoiqu'appuyées des manuscrits qui portent le nom d'Anselme, n'ont point empêché le P. Gerberon de regarder ces ouvrages comme des productions d'un savant moine de Bourg-Dieu en Berri, nommé Hervé. Ce qui a donné lieu de lui attribuer au moins le commentaire sur saint Matthieu, quoique jusqu'à présent on n'ait eu aucun manuscrit qui portât le nom d'Hervé. On sait même d'ailleurs qu'il n'a point fait de commentaire sur saint Matthieu, car les moines du Bourg-Dieu, dans leur lettre sur la mort d'Hervé (51), où ils font le détail de ses ouvrages, ne font aucune mention de commentaire sur saint Matthieu, ni sur saint Jean, ni sur les deux livres du Cantique des cantiques et de l'Apocalypse. Il est seulement dit qu'il fit quelques expositions sur les leçons des saints Evangiles et des cantiques qui se lisent à l'Eglise, ce qui ne marque point des commentaires en forme sur les Evangiles : *Fecit plurimas expositiones de lectionibus sanctorum Evangeliorum, canticorum etiam quæ in Ecclesia leguntur.*

Le sentiment de Théophile Raynaud (52), qui donne le commentaire sur saint Matthieu à Guil-

A laume d'Auvergne, évêque de Paris, est encore plus insoutenable, les manuscrits de ce commentaire, dont nous avons parlé, étant indubitablement plus anciens que le prélat auquel on l'attribue, lequel n'est mort qu'en 1248 (53). Mais, pour ne laisser aucun scrupule sur cet ouvrage, nous rapporterons ici le titre d'un manuscrit (coté n. 78) qu'on en conserve dans le monastère de Saint-Evroul, en Normandie, qui porte en tête le nom d'Anselme de Laon : *Anselmi Laudunensis philosophi expositio ex diversis auctoribus exquisitim collecta super Evangelium Domini nostri Jesu Christi secundum Matthæum. Ibi multa præcipue ex Anselmo Cantuariensi magistro suo congessit.*

Il est aisé à présent de juger, par tout ce que nous avons dit, que les commentaires sur saint Matthieu, sur saint Jean, sur le Cantique des cantiques, sur l'Apocalypse et les gloses, sur l'Ecriture et le Psautier en particulier, ne sont ni de
B saint Anselme, archevêque de Cantorbéry, ni d'Anselme et de Gilbert, l'un et l'autre diacres et chanoines d'Auxerre, ni d'Hervé, moine de Bourg-Dieu, ni d'aucun auteur, auxquels on a attribué quelques-uns de ces commentaires ; mais qu'ils sont tous des productions de la plume d'Anselme de Laon. L'autorité des manuscrits et les autres raisons que nous avons alléguées doivent l'emporter sur tout ce qu'on peut objecter, et nous obligent de restituer ces ouvrages à leur véritable auteur. Pour ce qui est du commentaire sur les Epîtres de saint Paul, que le P. le Long met au rang des ouvrages d'Anselme de Laon, et qui a été attribué à saint Anselme, ni l'un ni l'autre n'en sont auteurs, mais Hervé, moine de Bourg-Dieu, comme nous le verrons en son lieu (54).

Outre les ouvrages d'Anselme de Laon sur l'Ecriture sainte, Sandérus a trouvé, parmi les manuscrits de la bibliothèque de Saint-Amand, un écrit
C du même auteur sous ce titre : *Flores sententiarum ac quæstionum magistri Anselmi et Radulphi fratris ejus.* Il semble que ce soit un corps de théologie où sont traitées les questions qui s'agitaient dans l'école du temps d'Anselme, et qui peut avoir servi de modèle aux ouvrages de cette espèce publiés depuis par Pierre Abailard, Robert de Melun, le Maître des sentences et autres. Cet écrit, le plus ancien de tous en ce genre dont on ait connaissance, est cité par un moine allemand dans un dialogue entre un cluniste et un cistercien. Dans ce dialogue, imprimé par les soins de dom Martène (55), le cistercien s'appuie de la décision d'Anselme, fondée sur l'autorité de saint Augustin, pour prouver qu'il est permis de passer d'un monastère à un autre où la régularité est mieux observée. Cependant, ajoute le cistercien, le même maître, c'est-à-dire Anselme de Laon, conseille à celui qui veut passer dans un monastère plus régulier d'en demander la permission à son supé-
D rieur : *Demandez la permission à votre supérieur ; s'il ne veut point vous l'accorder, sachez qu'il n'a point de charité; et allez dans ce monastère, en profitant de la liberté que Dieu lui-même vous en a donnée.* A ces paroles d'Anselme, le cistercien ajoute que le supérieur, en refusant la permission qu'on lui demande, agit non-seulement contre la charité, mais encore contre le précepte (56). C'est là tout ce que nous pouvons dire de cet ouvrage d'Anselme pour en don-

(51) *Spicil.* t. II, p. 514.

(52) Edit. Op. S. Anselmi, Lugd. 1630.

(53) *Gall. Chr.* t. VII, p. 99.

(54) Sander *Bibl. mss. Belg.*, part. I, p. 2, in mss. 121.

(55) *Thes. anecd.* t. V, p. 1570, p. 1594 ; Bern. Pez. *Isag. in* t. V, *Anecd.*, p. 12 : id. part. II, p. 52.

(56) Magister Anselmus Laudunensis in sententiis suis transitum, de uno monasterio in aliud districtius probat licere auctoritate sancti Augustini dicentis : *Qui de uno monasterio transit ad aliud districtius, non frangit votum, sed abundanter implet.* Dat tamen idem magister consilium transire volenti, ut petat licentiam a prælato suo. Verba consilii sunt ista : *Pete licentiam a prælato tuo, qui, si dare noluerit, scias eum charitatem non habere, et tu vade cum licentia Dei.* His verbis magistri subjungimus, quod non solum contra charitatem facit, sed etiam contra præceptum.

ner une idée, n'ayant point en main le manuscrit dans lequel on l'a conservé.

Dom Dachéry a inséré parmi ses notes et ses observations sur Guibert de Nogent (57), une lettre d'Anselme à l'abbé de Saint-Laurent de Liège, dont le nom n'est designé que par la lettre H. C'est sans doute Héribrand (58), qui avait été maître du vénérable Rupert, et qui succéda à Bérenger l'an 1113. Cette lettre, qui est très-importante, paraît écrite à l'occasion de quelque question qui s'agitait dans l'abbaye de Saint-Laurent. Anselme avertit d'abord l'abbé, à qui il écrit de prendre garde que cette question ne soit une dispute de mots ; sur quoi il dit que les hommes raisonnables recherchent les sens véritables de ce qui est écrit, et qu'il ne convient qu'à des enfants, dont l'intelligence est bornée et qui ne comprennent que faiblement ce qu'ils entendent et ce qu'on leur dit, de disputer des termes ; que c'est à eux que s'adresse cet avertissement de Saint Paul : *Ne soyez point enfants en ce qui est de l'esprit et de la sagesse ; mais soyez enfants en ce qui est de n'avoir point de malice* ; *et ayez l'esprit et la sagesse des hommes parfaits* (*I Cor.* I, 20). Il ajoute que les sentiments de tous les Catholiques ont, à la vérité, quelques différences, mais qu'ils ne sont point pour cela opposés, et qu'ils se réunissent en un même point ; mais qu'il y a dans les paroles des contrariétés qui excitent des disputes dont les faibles sont scandalisés, qui donnent de l'exercice aux forts et occasion de disputer aux orgueilleux, enfin sur lesquelles on n'écoute point les gens sensés, qui font voir comment on pourrait sans peine concilier ensemble ces contrariétés. Anselme prend pour exemple de ces contrariétés sur lesquelles on dispute, ce qui est dit de Dieu dans l'Ecriture, qu'il ne veut point le mal et qu'il veut toutes les choses qui arrivent. *Non vult Dominus malum, item vult omnia quæ fiunt.* Notre docteur de Laon concilie ces contrariétés, et en prend occasion d'expliquer en quel sens Dieu, selon l'expression de l'Ecriture, fait miséricorde à qui il lui plaît et endurcit qui il veut. Anselme, parlant dans cette lettre de la miséricorde que Dieu fait à celui qu'il retire de l'abîme du péché, fait sentir les dispositions que le pécheur doit avoir dans le cœur. « Si le péché, dit-il, commence à déplaire à l'homme, et qu'il veuille le quitter; s'il fait cela à cause de Dieu, cela est bon et c'est un effet de la grâce : *Si homini peccatum aliqnod incipit displicere, et vult deserere : si propter Deum hoc facit, bonum est, et ex dono gratiæ procedit ; mais, s'il agit par un autre motif*, ce qu'il fsit n'est pas bien : *Si aliter fit, bonum non est.* C'est ainsi que quelquefois on s'abstient des plaisirs, et qu'on ne se livre point à la débauche, afin de conserver son argent et autre chose semblable, ce qui n'cst point fait en vue de Dieu, et ne vient point de la grâce; de même si quelqu'un donne son bien, s'il jeûne, s'il prie, etc., s'il fait tout cela pour Dieu, cela est bon : mais, s'il le fait par un autre motif, cela n'est point bon. » Enfin Anselme avance cette grande maxime, selon laquelle il faut juger de ce qui est bon ou mauvais, savoir que l'homme, en agissant, aime la fin pour laquelle il fait quelque chose, et que c'est à raison de cet amour qu'on doit appeler bon ou mauvais ce que l'on fait : *Illud autem pro quo facit diligit, et secundum dilectionem illam, bonum seu malum debet dici.* C'est à peu près, dans les mêmes termes, le grand principe et la grande règle des actions chrétiennes si solidement établis par saint Augustin, et si souvent répétés contre les pélagiens.

Il y a encore dans la même lettre plusieurs autres choses importantes sur l'amour de Dieu, qu'il appelle la lumière du cœur et le remède de nos blessures. Il le compare à un flambeau qui répand ses rayons dans toute la maison : il fait la description des différents effets que produit cet amour qui ne peut être oisif. Il y parle des clercs et des moines ; du compte qu'ils rendront au jugement de Dieu, 1° comme hommes raisonnables ; 2° comme chrétiens ; 3° comme appelés par leur état au partage de l'héritage des saints : sur l'abus qu'ils auront fait de leur âme, du nom de Dieu et de sa grâce. Il compare la science des Ecritures, dans ceux qui n'y conforment pas leur vie, à la manne qui se pourrissait lorsque les Israélites en réservaient pour le lendemain. Nous aurons encore occasion de parler de cette lettre d'Anselme dans l'article de Rupert, où nous examinerons quel en fut le sujet.

Sanderus (59) parle de deux autres lettres qu'il avait vues à Louvain, dans la bibliothèque du Parc; elles n'ont point encore vu le jour. Trithème (60) lui en attribue en général, mais il témoigne qu'il ne les a pas vues : *Quædam epistolæ.*

On voit à Oxford, parmi les manuscrits du collège de Sainte-Madeleine (61), et à Cambridge, parmi ceux du monastère de Saint-Benoît, un écrit sous ce titre : *Anselmus de Antichristo* (62). Si cet ouvrage est différent du commentaire de notre Anselme sur l'Apocalypse, ce sera peut-être le traité d'Adson, abbé de Montier-en-Der. Le copiste n'ayant trouvé dans son original que la première lettre de son nom, A., comme il arrive souvent, se sera persuadé qu'elle désignait Anselme, et le lui aura attribué dans sa copie.

Du Cange cite un écrit sous ce titre : *Anselmi Peripatetici Rhetorimachia, mss. cod. Thuan.* 589. Cet Anselme peripatéticien serait-il le même que Anselme de Laon ? Si ce n'est pas le même, il nous est entièrement inconnu. Si c'est le même, nous ignorons ce qui a pu lui faire donner le nom de *Péripateticien*, car nous ne voyons pas qu'il se soit distingué par son zèle pour la philosophie d'Aristote.

(37) Pag. 612 et suiv.
(58) *Gall. chr*,, t. III p. 989.
(59) Part. II, p. 171.
(60) *De script eccles.*
(61) Cat. mss. Angl., part. II, n. 2197.
(62) Ib., part. III, n. 1411.

ANSELMI LAUDUNENSIS
OPERA.

(Sub nomine sancti Anselmi Cantuariensis archiepiscopi intor ejus Opera Coloniæ 1573 et 1612 edita, demum scholastico Laudunensi restituuntur. — *Glossa interlinearis in utrumque Testamentum*, genuinum Anselmi Laudunensis opus, vocibus textus sacri superscripta, propter arctam qua illi adhæret connexionem seorsim edi nullo modo potest. Exstat in editionibus *Glossæ ordinariæ* quæ ab anno 1502 Basileæ et alias prodierunt.)

ENARRATIONES IN CANTICA CANTICORUM.

In initiis librorum causæ dicendæ sunt quomodo vel quare compositus sit liber ipse, quas causas Hieronymus procemium vocat. Auctor itaque hujus operis de quo agere volumus, trinomius fuit: qui ad numerum nominum suorum tres libros composuit, et eorum intentionem ipsorum nominum interpretatione distinxit. In primo itaque libro affectuose et dulciter, more patris filium pie admonentis, et quasi lac præbentis, quemque fidelem adhuc minus validum, et nondum terrenis prorsus abrenuntiare volentem erudit. In quo libro pro hac tanta dulcedine, Idida, quod *dilectus* sonat, edicitur. In hoc quippe docet meretricem fugiendam, consortia malorum, et cætera quæ honestate et probitate sunt digna facienda: in mundo tamen, ut diximus, adhuc commorantem. Secundum nomen ejus est Coëleth, quod Græce *ecclesiastes*, Latine *concionator* dicitur. Concionatorem autem illum dicimus, qui in concione hominum, id est in concilio, publicus orator est, prolatione veritatis nullum verens, nulli blandiens : quod in secundo libro suo iste facit. Nam, ut quasi quibusdam gradibus ascensionis, ad perfectionem quem doctrina sua attraheret, cui primo misericorditer, legitime tamen, terrenis istis cum misericordiæ operibus concesserat utendum, quoniam carnalem et adhuc infirmum animum cœlestia et perfectiora non posse tenere credebat, jam ceu validiorem et ad altiora sumenda potentem, ad despectum omnium terrenorum in hoc secundo libro invitat: monstratque quam caduca quamque transitoria sint cuncta temporalia, sic dicens : *Vanitas vanitatum et omnia vanitas* (*Eccle.* I, 2). Hoc vero ad contemplativam, cuncta scilicet mundana despicere, et cœlestibus inhiare, pertinet: illud autem quod in primo libro concessum erat, ad activam vitam. Cujus præterea rei gratia tantum laborem inchoare in hoc suo tertio libro persuaserit, spiritualiter intendentibus quibusdam terrenis similitudinibus ostendit, ad hoc profecto ut per despectum terrenorum ad gloriam

A pervenire possemus æternorum. In quo opere Salomon, id est *pacificus*, dicitur.

Liber iste vocatur Cantica canticorum, et etiam pluraliter, propter multam excellentiam dignitatis. Fecit enim Salomon primum parabolas, scilicet librum Proverbiorum, in quo simpliciter ostendit quomodo recte uteremur his mundanis : quod pertinet ad activam vitam, et Canticum simpliciter potest vocari. Dicuntur autem Proverbia præcepta de vita humana per aliquas similitudines. Deinde fecit Ecclesiasten, in quo annuntiavit omnia mundana esse contemnenda, ut cum dicit : *Omnia* sunt *vanitas* ; et est quidam gradus ab activa ad contemplativam, potestque dici canticum simpliciter. Post hos fecit librum istum in quo docet de dilectione Dei, quasi

B mundo jam contempto: quod pertinet ad contemplativam vitam; inde vocatur Canticum canticorum, scilicet canticum excellentius prædictis duobus, et cæteris similibus. Nomen hujus libri in Hebræo, *Sir harisim*, quod valet apud nos, *Canticum canticorum*. Dicitur Salomon secundum hos tres libros quos fecit XXX habuise vocabula : secundum parabolas vocatur Idida, id est *dilectus*: ibi enim instruens rudes cœpit ab ipsis dilligi : per quod nomen significatur Christus, qui per excellentiam dicitur dilectus : de quo Deus : *Hic est Filius meus dilectus* (*Matth.* XVII). Ecclesiastes nomen est libri et auctoris, et interpretatur *concionator*, scilicet diversos ad idem consentire faciens. Convocantur namque diversi in illo libro ut sibi consentiant in contemptu mundi: quod est tractum ex similitudine cantoris, qui diversorum

C voces in unam concordiam moderatur. Item per hoc nomen significatur Christus. qui est verus concionator, docens terrena transitoria esse spernenda, et amanda cœlestia. Dicitur quoque Ecclesiastes, quia Ecclesiam egregie gubernat et ad unam fidem convocat. Secundum hunc librum dicitur Salomon, id est *pacificus*. per quod item significat Christum, qui verus pacificus est et convocans omnes ad sui dile-

ctionem. Dicitur et auctor in Proverbiis ethicus, id est tractans de moribus. Idem in Ecclesiaste physicus, id est tractans naturam rerum. In Canticis theologus, sermocinans de divinis. In hoc libro sunt materia, sponsus et sponsa, amici sponsi, qui et paranymphi dicuntur, et amicæ sponsæ. Est autem sponsus Deus, quoniam ipse spondet se Ecclesiæ; scilicet si ei fidem custodiat ne fornicetur cum dæmone, copulabit sibi tandem in nuptiis. Sponsa dicitur Ecclesia, scilicet firmi in fide, quoniam perfecte sumens fidem spondet se Deo et renuntiat pompis Satanæ, Dicuntur amici sponsi, velut sancti angeli et perfectiores, ut apostoli, qui sponsum adjuvant ut amicam suam retineat, commonentes et adjuvantes Ecclesiam, ne ipsa cum alieno fornicetur, sed soli Deo adhæreat. Dicuntur amicæ sponsæ adhuc teneri in fide, qui non plene sciunt Sponsum diligere, sed jam exhibent se habiles ut sponsam imitentur, ut sic bene eruditi a sponsa fiant et ipsi sponsa. De hac autem materia hoc modo agit, scilicet ostendens qualiter in hac vita sponsus alloquatur amicam et per se et per amicos, et quanta affectione recipiat verba sponsi, et qualiter amicæ sponsæ ostendat se paratas imitari sponsam, et loquantur sponsæ, aliquando et ipsi Sponso. Salomon enim adhuc tenens donum sapientiæ, illuminatus a Spiritu sancto prophetizat qualiter Ecclesia ante adventum Christi, et deinde secundum singulos status usque ad finem mundi sit se habitura erga Deum. Est quoque finis et intentio, ut compellat audientes ad dilectionem Dei. Scribit autem hic auctor ut comicus, scilicet nihil ex se dicens, sed inducit ipsas personas loquentes : et quia in nullo amore æque affectuosa verba amoris inveniuntur, sicut inter sponsum et sponsam, facit eos quasi verbis carnalis amoris loqui. Et sunt hæc prima verba Ecclesiæ jam proximæ adventui Christi, et nimio amore jam præsentiam ejus desiderantis ; sicut illi qui dicebant : Putas videbo ? putas durabo? putas inveniet me illa nativitas ? Et sicut carnalis sponsa cui jam egregie per nuntios placuisset sponsus, fastidiens jam legatos, expetens ipsius præsentiam diceret : Veniat ipse, ut præsens mecum loquatur, et me osculetur, ita hic dicunt fideles illi proxime ante Christum :

CAPUT PRIMUM.

« Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt « ubera tua vino, fragrantia unguentis optimis oleum « effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexe- « runt te. »

Deus ipse sicut prænuntiatus est per patriarchas et per prophetas, ipse idem jam, *osculetur me*, id est jam delectet me *osculo*, id est præsentia, *oris sui*, id est Filii sui, qui dicitur os Patris sicut et Verbum, quia per ipsum Pater mundo manifestatur. *Quia meliora sunt ubera*. Hic jam loquitur Ecclesia præsens cum Christo. Ac si ita diceret, convertens se ad ipsum præ nimia affectione : Quia *ubera tua*, doctrina evangelica, *meliora sunt vino* ; quæ doctrina est dulcis refectio et suavis sicut lac. Melior est *vino*, id est doctrina philosophorum, quæ non nutrit, sed inebriat, et superbire facit recipientes, ducitque tandem ad interitum. Vel per vinum accipiamus intellectum carnalem Veteris Testamenti. Possumus etiam per ubera accipere geminam dilectionem, vel duo Testamenta spiritualiter intellecta, vel spirituales gratias ; et erit tamen eadem sententia cum prædicta. Ubera dico *fragrantia*, id est redolentia, et odore suo homines ad se attrahentia. Redolet quippe doctrina illa, et bona opinione ac fama sua ad se attrahit; *optimis unguentis*, id est per optima unguenta. Sunt enim in doctrina evangelica unguenta, id est dona spiritualia quæ sunt optima, quantum ad unguenta carnalia, quibus solebant inungi amatores, ut melius placerent : vel etiam cœnantes. Hæc autem unguenta merito optima dicuntur : quos enim inungunt, veros reges ac sacerdotes efficiunt. *Oleum effusum.* Alia causa quare desiderasset eum, quia *nomen tuum* effusum est, sicut oleum effusum. Oleum quidem, dum in vase est, neque odorem profert, neque dolores sanat ; effusum vero et odorem emittit et dolores sanat : ita nomen Dei dum ipse adhuc in sinu Patris conclusus teneretur, parum vel nihil cognoscebatur : postquam vero carnem sumpsit præsentia sua mundum visitans, seipsum omnibus cognoscendum exposuit ; odorem, id est famam et bonam opinionem de se emisit : et infusum per dolores bene recipientium prædicationem suam et peccata sanavit. *Ideo adolescentulæ*, scilicet, quia tam dignus et tam dulcis es, ideo non solum ego, sed et *adolescentulæ*, id est minores et fragiliores, teneri adhuc in fide, *dilexerunt te*, id est de omnibus rebus te solum diligendum elegerunt. Licet enim ex temporalibus adhuc sibi consolationem sumant, tamen Deum eis temporalibus præponendum judicant.

VOX ECCLESIÆ.

« Trahe me post te : curremus in odorem un- « guentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria « sua. Exsultabimus et lætabimur in te, memores « uberum tuorum super vinum. Recti diligunt te. »

Trahe me post te. Videntes contemporanei Christi quasi jam imminere ipsius ascensionem, et absentiam consolationis ipsius, rogant eum ut trahat eos post se, id est imitatores sui faciat eos. Et proprie dicit *trahe*, quasi quadam violentia. Videtur enim fieri violentia, ubi corpus natum in peccatis a peccatis liberatur. *Curremus in odorem.* Vox amicarum sponsæ. Audientes bonitatem Sponsi, et majores velle imitatores ejus fieri, dicunt sponsæ, scilicet doctoribus suis, jam degustata dulcedine Dei : Tu vis ire post eum, et nos certe curremus tecum, id est, laborabimus tecum obtinere gaudium nuptiarum, positi et fundati *in odore*, id est in prædicatione et fama tua, quæ nos attrahit, quæ est *unguentorum tuorum*, id est procedens ex donis spiritualibus per quæ operaris. Bene dicit *curremus*, non enim pigritando et segniter agendo perveniemus ad illud cœleste bravium. *Introduxit me rex.* Vox Ecclesiæ ad minores quos educavit. Audientes quidem eos

Deum desiderare,volunt eos ad idem invitare,ut si ita responderent illi majores : Dicitis quia mecum curretis : et bene currendum est,quia eo pervenientibus summa refectio est. Et hoc ostendit sibi patere cum dicit : *Itroduxit me rex,* id est manifestam cognitionem dedit, *in cellaria,* id est, in secreta Ecclesiæ, scilicet ut sciam quid significent mysteria, sicut in baptismo Spiritum dari,infantes sola gratia salvari,et similia quæ non patent omnibus. Vel per cellaria accipiamus plenitudinem beatitatis, id est æternitatem vitæ, sicut in cellariis reponi solet copia magna bonorum,spe autem jam perfecti viri in beatitudinem æternitatis sunt introducti.*Exsultabimus.* Vox minorum qui aliquantulum per fidem provecti audent jam Sponso loqui in hæc verba : Quia tu,Domine,sponsam tuam jam in secreta tua introduxisti,ideo et nos præparabimus nos idoneos, ut cum ea introducamur : et hoc est *exsultabimus,* scilicet in corpore, id est, bene operabimur cum exsultatione *et lætabimur* in anima,quia lætitia bona cogitabimus. Vel *lætabimur,* scilicet,si bona fecerimus,non coacti sed voluntarie : et hoc *in te,* id est, omnia tibi attribuemus tanquam primæ causæ, a qua omne bonum radicaliter procedit ; et hoc faciemus *memores uberum tuorum,* id est, suavis tuæ doctrinæ *super vinum,* sicut superius dictum est. *Recti diligunt te,* scilicet bene debemus in te exsultare, et te diligere, quia omnes qui recti sunt hoc faciunt, quare nisi hoc fecerimus, recti esse non possumus. Patet finis in omnibus prædictis, quia sive perfectiores sive minores imitari velimus, ad dilectionem Dei eorum verbis invitamur.

VOX ECCLESIÆ ITEM.

« Nigra sum,sed formosa,filiæ Hierusalem, sicut « tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Nolite « considerare quod fusca sum, quia decoloravit me « sol.Filii matris meæ pugnaverunt contra me : po- « suerunt me custodem in vineis ; vineam meam « non custodivi.Indica mihi quem diligit anima mea, « ubi pascas, ubi cubes in meridie,ne vagari inci- « piam post greges sodalium tuorum. »

Nigra sum. Vox sponsæ ad minores. Audiens namque sponsa promissionem minorum quod vellent cum ea currere,timens ne deficiant in persecutione, utpote hi qui nondum nisi solam dilectionem Dei gustaverant, et reputant sanctos pro insanis, quia habentur in mundo contemptibiles,præmonet eos ut mala non considerent, scilicet ut propter hoc desistant a promissione, sed attendant quæ merita pro persecutione obtineant, ut hoc modo dicat : Vos dicitis quod mecum curretis, sed tunc oportet vos denigrari in corpore, sicut ego propter multas tribulationes sum nigra exterius.Et ponit effectum pro causa. Exterius quidem sum nigra, *sed* interius *formosa,* id est bonis virtutibus ornata, vobis dico, *filiæ Hierusalem,* id est quas ego genui ad fidem,qui etiam jam pacem videtis. Hi autem minores ideo filiæ dicuntur quia fragilis sexus sunt,et cito decipi et devocari a fide possunt ; et quia major custodia et diligentia est eis adhibenda quam filiis, scilicet fortioribus,et quia isti confirmati generant aliquos, dico quia nigra sum *sicut tabernacula Cedar,* id est sicut Cedar habitans in tabernaculis. Cedar fuit filius,ut dicitur Gen. XXV et I Paral. I, Ismael, sed adeo nequam ut a nullo in domo reciperetur, sed semper in tabernaculis habitabat; de quo Origenes: «Manus ejus in omnes,et omnium manus in ipsum.» *Nigra sum sicut Cedar,* formosa sicut *pelles Salomonis.* Pelles quidem in quibus habitabat Salomon erant bene expilatæ, et rubricatæ, variis picturis ornatæ,ita sancti viri expilati sunt omni superfluitate,et sunt ornati multis generibus virtutum. Bene comparat sanctos pellibus, quia sicut pellis dicitur corium mortui animalis, ita sancti mortificantes seipsos efficiuntur quasi simpliciter pelles.Et bene subjunxit *Salomonis,* quoniam istæ pelles, scilicet sancti, sunt illud tabernaculum in quo militat verus pacificus,

Nolite considerare. Dico quia nigra sum, sed nolite hoc attendere, ut propter hoc desistatis ab incœpto : *quia sol,* id est Christus, qui est vera claritas, *decoloravit me ;* scilicet propter ipsum hæc omnia passa sum qui tandem mihi remunerare poterit. *Filii matris meæ.* Ostendit per quos ministros suos Deus eam in persecutionibus sic probavit,scilicet per filios matris meæ quæ me prius generavit in carnalitate. Debuisset mihi esse mater spiritualis, et me nutrire lacte divini intellectus. Qui fratres mei *pugnaverunt, contra me* diversis generibus persecutionum : et ita persequendo *posuerunt me custodem in vineis,* id est in ecclesiis gentium. *Vineam meam,* id est vineam quam naturaliter excolere et custodire debuissem,*non custodivi.*Hic notamus illum statum Ecclesiæ quando apostoli de Judæa se transtulerunt ad gentes,sicut dicit apostolus Paulus Act. XIII : Quia nos repulistis, et indignos verbi Dei vos ostendistis, ecce convertimur ad gentes. *Indica mihi.* Vox Ecclesiæ illorum quæ, dimissa Judæa, incipit jam ædificare in gentibus et precatur hic Deum non ipse,sed in persona eorum qui noviter convertuntur : et precatur hic Deum,ut det eis cognitionem sui, scilicet cognoscant in quibus habitet Deus ut eos imitentur ;cognoscant etiam qui sunt hæretici ut eos non sequantur, ut ita dicat : Posita sum custos in vineis, et ut eas possim custodire,et inde tibi fructum præsentare,*indica mihi,* id est novis istis,quod certe est ad honorem tuum, *ubi pascas,* id est in quorum operatione tu reficiaris ; vel *ubi pascas,* id est quibus pastum præbes ut corpus tuum vel refectionem divini verbi. Indica etiam mihi *ubi cubes,* id est quiescas, scilicet ubi nulla offensio te inquietet *in meridie,* id est in splendore majestatis tuæ,vel in fervore charitatis : scilicet qui non sunt in vespere, ut jam in eis dilectio frigescat,neque in mane ut modo sit in eis tenera. Indica dico tu *quem diligit anima mea,* id est tota affectio mentis meæ ; et supponit causam cur hoc precetur, *ne incipiam,* id est ideo precor ut indices,

ne incipiam, id est, isti de gentibus, novi adhuc in fide, incipiant *vagari*, et devia tenere *post greges sodalium tuorum*, id est imitando hæreticos, qui dicuntur sodales Christi, quia, ut potius decipiant, prædicant aliquid veritatis, consentientes Christo, sed diversi sunt hæreses interserendo. Si autem per omnia consentirent, non sodales, sed quasi iidem ipsi dicerentur. Vel sodales quia ipsi se ejus sodales et amicos dicunt. Greges bene dicit quia et multi sunt et sine ratione vera.

« Si ignoras te, o pulchra inter mulieres, egre-
« dere et abi post vestigia gregum, et pasce hædos
« tuos juxta tabernacula pastorum. Æquitatui meo
« in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea.
« Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis, collum
« tuum sicut monilia. Murænulas aureas faciemus
« tibi vermiculatas argento. »

ECCLESIA.

« Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea
« dedit odorem suum. Fasciculus myrrhæ dilectus
« meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Bo-
« trus Cypri dilectus meus mihi, in vineis En-
« gaddi. »

Si ignoras te. Vox sponsi. Et facit hic tria : Minatur, blanditur sponsæ, ponit etiam facultates quibus Ecclesia cognitionem sui possit obtinere. Continuatio. Quæris cognitionem mei ? ad quam necesse est tibi, *o pulchra*, virtutibus et electione mea ut te cognoscas, scilicet dignitatem tuam quam per fidem dedi tibi, et dando tibi corpus et sanguinem meum, insuper cætera spiritualia dona, quia si ignoras te in qua dignitate sis, ex hoc quod sponsa mea es, *egredere* de consortio Ecclesiæ, *et abi*, id est longe fias ab Ecclesia, ut etiam perdas virtutes quas prius habebas. Abi dico, *post vestigia*, id est imitando opera, *gregum*, *et* sic *pasce hædos*, id est in fetidis actibus tuis delecteris, et sint tibi pastus ; et hoc, *juxta tabernacula pastorum*, imitando eos qui se dicunt pastores et in tabernaculis Deo militantes, et non sunt, sed hæretici, vel juxta tabernacula verorum pastorum, et non intra. Volunt enim hæretici auctoritatem suarum immunditiarum trahere ex Scripturis sanctis in quibus viri sancti militant Deo, ut quidam dicti Nicolaitæ quorum hæresis reprobatur, Apoc. II ; et ab Ecclesia in ea. *Quidam autem hæretici*, 24, q. 3, qui prædicant mulieres communicandas, et dicunt quia Apostolus dixit omnia esse communicanda, et alia hujusmodi. *Equitatui meo.* Positis minis ponit blanditias, ac si diceret : Si te ignoras, egredere ; sed non debes egredi vel te ignorare, quia ego sic honoravi ut te amicam meam facerem, et de Ægypto liberarem ; quod fuit præfiguratum in liberatione filiorum Israel de Ægypto Exod. XII. Educitur autem gentilitas de Ægypto, id est de tenebris infidelitatis, et de potestate Pharaonis, id est de jugo diaboli, per mare Rubrum, quia per baptismum ubi submerguntur omnes inimici, id est omnia peccata, et hoc dicit, *assimilavi te equitatui*, id est illi in quibus militabam eunti in curribus, id est inter currus, vel in tempore curruum Pharaonis. Per currus in quibus sedebant potentes, notatur superbia vel volubilitas hujus mundi, *Pulchræ sunt genæ tuæ.* Positis minis, et blanditiis ostendit ei inesse facultates quibus cognitionem sui posset retinere. Dixi, si ignoras, egredere, quod non oportet te facere quia habes genas et collum quibus potes veram cognitionem tenere. Genæ dicuntur pars illa hominum quæ terit cibum et mittit in ventrem : ita in Ecclesia dicuntur genæ altiores illi qui Scripturas terunt, et earum capaces faciunt inferiores, et sicut in genis est signum pudoris, ita illi semper pudorem prædicant et castitatem, quæ genæ sunt, *pulchræ*, scilicet multis virtutibus, et sunt *sicut turturis*, quia sicut turtur nunquam habet nisi unum sponsum, nec cantat nisi gemendo, ita isti solum Christum habent sponsum, et gemunt sæpissime pro delictis suis, et aliorum. Colli officium est ut per illud cibus tritus descendat in ventrem, et ut contineat corpus capiti ; per quod significantur discipuli illorum altiorum, sicut fuit Timotheus ad Paulum, per quos Scripturæ descendunt ad inferiores, et hi per prædicationem suam jungunt Ecclesiam Christo. *Collum* dico ens *sicut monilia*. Monile monet aliquos ubi se recipiant, et munit pectus habentis, ne aliquis manus injiciat ita isti doctrina sua et muniunt Ecclesiam ne adulter diabolus manus injiciat, et monent minores de Ecclesia ubi se recipiant et sequantur. *Murænulas aureas.* Vox amicorum sponsi. Volentes juvare sponsum, quomodo Ecclesia in cognitione sui permaneat, dicunt : Sponsus dat tibi genas et collum, et nos dabimus ornamenta aurium. Si idem loquuntur hæc qui sunt genæ vel collum, non nocet. Murænula dicitur a muræna quæ plicat se in orbem, et significamus per murænas sententias orbiculatas et perfectas, quibus ornant sancti aurem interiorem, id est intelligentiam ; *aureas*, id est divina sapientia, et charitate conditas *vermiculatas argento*, id est distinctas eloquio optimo. Vel sententias, et sapientiam quam in se habent, sciunt honestis positionibus unicuique secundum modum suum dispensare, sapientibus, prout sunt, humilibus similiter. Argentum, quod metallum est melius tinniens quam cætera, et per ipsum eloquium significatur. Et hoc faciemus dum rex est in accubitu, id est in confessione Dei, scilicet corporaliter remotus ab Ecclesia, vel reportatur hoc ad sequentia : *Dum esset rex.* Vox Ecclesiæ sic respondentis : Sponsus, et amici sui dant mihi talia ornamenta, et ideo *dilectus meus mihi*, id est ad meum honorem, *commorabitur inter mea ubera*, id est in intimo amore meo, et est præmissa causa, ac si diceret : Merito debeo eum diligere, quia ipse dedit mihi nardum, scilicet virtutes, et hoc dum esset *in accubitu suo*, id est passione, resurrectione, scilicet quia ipse passus fuit et resurrexit, ex hoc virtutes mihi dedit quæ dederunt *odorem suum*, id est sibi convenientem videlicet bonam famam. Vel, *dum esset rex in accubitu suo*, id

est quia tranquillitatem mentis meæ elegit in qua A habitaret, ideo *nardus mea dedit odorem suum*. Nardus est unguentum quod fit de humili herba, et vocatur ipsa herba similiter nardus, per quam significatur humilitas, et est calidæ naturæ, per quam significatur charitas. Dilectus, inquam, *commorabitur inter ubera*, et ipse erit mihi et tristitia magna, et gaudium magnum, scilicet de omnibus adversis quæ ipse passus est dolebo, et de quibus non gravatus est, ego gaudebo, et hoc dicit : *Fasciculus myrrhæ*. Per myrrham notatur amaritudo, quia ipsa est res amarissima, et ideo ex ea uncta corpora manent integra, quia præ nimia amaritudine vermes non accedunt. Per fasciculum dotatur multitudo amaritudinum. Erit item *dilectus meus mihi botrus Cypri*, id est magnum gaudium. Per botrum habe- B mus vinum, in quo est lætitia. Cyprus est locus in quo crescit optimum vinum. Congaudet Ecclesia sponso, sicut de resurrectione et similibus. Dixi « commorabitur dilectus meus inter ubera mea, » et hoc *in vineis Engaddi*, id est in Ecclesiis, ubi est fons hædi, quia ibi lavantur fetidi in baptismo, et fiunt candidi. Engaddi autem interpretatur *fons hædi*, vel *tentatio oculorum*. Est autem Ecclesia in tentatione oculorum posita in hoc mundo, in quo omnia sunt nobis proposita ad tentandos oculos.

« Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pul-
« chra, oculi tui columbarum. »

VOX ECCLESIÆ.

« Ecce tu pulcher es, dilecte mi, et decorus ; le-
« ctulus noster floridus, tigna domorum nostrarum C
« cedrina, laquearia nostra cypressina. »

Ecce tu pulchra. Vox sponsi audiens erga se tantam affectionem sponsæ quod dixerat : « Dilectus « commorabitur inter ubera mea, » respondet sibi : Quia tanto amore maneo apud te, « ecce tu es pul- « chra. » Quod his ponit, nota eam pulchram et corpore et anima. *Oculi tui columbarum*, id est columbini, scilicet simpliciter intuentes, et carentes felle et invidia.

Oculi tui, id est prædicatores tui, qui tibi provident ut oculi corpori, erunt *columbarum*. Intransitive dictum est, id est, erunt revera columbæ, id est septem virtutes habentes, quæ denotantur per septem naturas columbæ. Columba enim secus fluenta habitat, ut, viso accipitre, se mergat et evadat ; meliora grana eligit, alienos pullos nutrit, rostro non lacerat, D felle caret, in cavernis petræ nidificat, gemitum pro cantu habet. Ita prædicatores sancti secus divinæ Scripturæ fluenta, quibus eorum irrigantur corda, inhabitant, ut eorum munimento ab incursu diabolico evadant. Meliora grana, id est, meliores sententias, scilicet non hæreticorum eligunt. Alienos pullos, id est homines, primum a Christo alienatos, qui pulli, id est, filii diaboli fuerant, doctrina sua nutriunt et exemplo. Rostro non lacerant, id est, bonas sententias hæreticorum more lacerando non pervertunt. Felle carent, id est, ira irrationabili carent. In cavernis petræ nidificant, id est, in plagis mortis Christi qui est petra firmissima, nidum ponunt, id est, in fide mortis Christi refugium, vel spem ponunt. Per nidum quippe refugium et spes designantur. Columba enim adveniente imbre ad nidum fugit, et spem in nido habet. Gemitum pro cantu habet, id est, sicut alii delectantur in cantu, ita ipsi in tribulatione et gemitu. Habet etiam hanc naturam columba ut visionem amissam recuperet, ita quoque prædicatores et provisores Ecclesiæ, aliquo dono sancti Spiritus amisso per aliquod delictum, recuperant illud, sicut David qui spiritum prophetiæ quem amiserat recuperavit. Habet item hanc naturam quod gregatim volat. Eodem modo prædicatores gregatim, id est, catholicam fidem tenentes, tendunt ad alta gressibus bonorum operum atque virtutum. Nam quot bona opera facimus, tot gressibus ad Deum properamus. Alis se defendit columba, ita boni prædicatores sententiis Patrum se muniunt atque defendunt.

Ecce tu. Vox sponsæ. Tu, sponse, pulchram me vocas, et talem me oportet esse quia tu pulcher es, et ideo, nisi pulchra essem, tibi conjungi non possem. *Pulcher* dicitur secundum divinitatem, *decorus*, secundum humanitatem. *Lectulus* sponsus pulcher, et sponsa pulchra, et ideo operimenta eorum pulchra. Per lectulum habemus eos in quibus Deus, quia parumcunque quiescit in quibus ipse quiescit, non offenditur Ecclesia, sed quiescit. Hi autem tales sunt floridi, id est, habentes initia bonorum operum. Per florem ideo accipimus initium, quoniam flos præcedit fructum. *Tigna domorum* : per tigna accipimus fortes illos qui portant pondus Ecclesiæ qui sunt cedrini. Cedrus est arbor imputrescibilis, et odore suo vermes occidit ; ita isti, quoniam habent æternitatem jam saltem spe et prædicatione sua et bona fama, interficiunt vitia in cordibus aliorum. *Laquearia* sunt dependentia a tignis, et sunt ornamenta domus, et per hoc significantur illi qui dependentes a perfectioribus ornant Ecclesiam institutione bona, et fama qui sunt cypressini. Idem de cypresso quod dictum est de cedro. Cum dicit *donorum vestrarum*, dat nobis intelligere Ecclesiam illam de gentibus, jam aliquantulum adultam.

CAPUT II.

VOX CHRISTI.

« Ego flos campi et lilium convallium. Sicut li-
« lium inter spinas, sic amica mea inter filias. »

VOX ECCLESIÆ.

« Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus
« meus inter filios. Sub umbra illius quem deside-
« reveram sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo.
« Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinavit
« in me charitatem. Fulcite me floribus, stipate me
« malis, quia amore langueo. Læva ejus sub capite
« meo, et dextera illius amplexabitur me. »

Ego flos. Vox sponsi, et commovet Ecclesiam ad passionem sustinendam, et proponit se eis ad exemplum, quia sine sua necessitate multa sustinuit, ut si diceret : Vocavi te pulchram et tu es, *sicut lilium*

inter spinas. Sicut enim spinæ vento motæ lacerant lilium ac perforant, sic filiæ, id est, mollitiis sæculi dediti, inspiratione diaboli agitati, laniant sanctam Ecclesiam, nec tu debes fugere, imo sis lilium, quia ego cum non indigebam fui lilium, id est, ego fui flos campi, et fui lilium, scilicet punctus multis persecutionibus, ege quidem qui fui lilium ut pungerer, fui et lilium, id est decus convallium, id est humilium. Bene Christus flori comparatur, quia sicut flos per se nascitur, et est decus campi, ita Christus sine humano semine natus decus fuit Ecclesiæ et totius mundi. *Sicut malus.* Vox Ecclesiæ sic dicentis : Amicus meus commonet me ad passionem, et ego parata sum obtemperare ei, freta ejus sustentamento, qui est *sicut malus.* Sicut malus attrahit viatores et odore fructus et bona umbra deinde ipsius fructus refectione potius quam cæteræ arbores, sic Christus et odore bonæ operationis et umbra, id est protectione, quod confert spiritualibus donis et fructu, id est eucharistia, melius quam aliquis omnium. Et inde subjungit : *Sub umbra illius sedi,* id est, in protectione ipsius contra æstum diaboli quiescunt; *fructus ejus,* id est corpus et sanguis, vel refectio divini verbi dulcis *gutturi meo,* id est cordi meo. Præter hæc etiam *introduxit me rex,* scilicet qui potens est me sustentare et defendere in omni tribulatione, *in cellam,* in aliquantulam collectionem gentium, quæ est conclusa fide et operibus sicut cella sic multiplicavit Ecclesiam ; *vinariam* dicit, quia Ecclesia propinat vinum, id est amorem Dei quo inebriantur bibentes, adeo ut obliviscantur parentum et prioris vitæ. Cum istis *ordinavit in me charitatem,* id est ordine deposuit in me charitatem, scilicet ut in primo loco secundum dignitatem diligam Deum, et eum ex totis viribus, deinde proximum, et hoc diversis gradibus. Primo loco, patrem; ad ultimum, inimicum, et hoc propter Deum. Fundatur autem hoc ordine charitas in nobis, ut prius nosipsos diligamus, et postea proximum, id est ut eamdem naturam quam in nobis salvari volumus, ubique eamdem salvari velimus, et quia naturam nostram diligimus, ad dilectionem Creatoris hujus naturæ perducimur, et ita dilectio Dei quæ dignior habetur, posterior tempore habetur. Unde Joannes : « Si quis fratrem quem videt non diligit. Deum quem non videt quomodo potest dilegere ? (*I Joan.* IV.) » Et quia hæc mihi fecit, ideo *amore* ejus *langueo,* id est, usque ad defectum carnis me affligo, et quia sic langueo, ideo *fulcite me,* id est, ferte mihi consolationem ex initiatis et perfectis. Per flores, initia; per mala natura opera, scilicet perfectorum. Sunt enim consolationes sanctorum bona opera aliorum. *Læva ejus.* Dicit Salomon Prov. III : « Longitudo dierum in dextera ejus, et in sinistra ejus divitiæ et gloria, » et ita hic accipimus per lævam, seu sinistram, temporalia; per dexteram, æterna. Et inde dicit sponsa: « Amore ejus langueo, » sed ipse me non deseret, quia « læva ejus, » id est, hæc temporalia sunt *sub capite meo,* id est sub mente mea, quia A mens mea hæc contemnit, et tamen his sustentatur; non posset enim vigilare et cætera hujusmodi facere si corpus his non reficeretur. Læva dico sub capite *et dextera ejus,* id est æternitas tandem recipiet me quam modo obtineo sola spe. Sicut læva indignior est quam dextera, sic temporalia æternis.

CHRISTUS.

« Adjuro vos, filiæ Hierusalem, per capreas cer-
« vosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare
« faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit. »

ECCLESIA.

« Vox dilecti mei : Ecce iste venit saliens in mon-
« tibus, transiliens colles similis est dilectus meus
« capreæ hinnuloque cervorum. En ipse stat post
« parietem nostrum, respisciens per fenestras, pro-
B « spiciens per cancellos; et dilectus meus loquitur
« mihi : Surge, propera amica mea, columba mea,
« formosa mea, et veni. Jam enim hiens transiit,
« umbra abiit et recessit; flores apparuerunt in ter-
« ra nostra, tempus putationis advenit. Vox turtu-
« ris audita est in terra nostra, ficus protulit gros-
« sos suos, vineæ florentes dederunt odorem suum.
« Surge, amica mea, speciosa mea, et veni, columba
« mea, in foraminibus petræ, in cavernis maceriæ.
« Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auri-
« bus meis. Vox enim tua dulcis, et facies tua de-
« cora. »

Adjuro vos. Vox sponsi. Videns amicam suam amore ejus languere, et jam totam in tranquillitate mentis et contemplatione persistere, præcipit minoribus et subditis ne peccatis et inobedientiis dimo- C veant illam ab illa quiete : ut si ita diceret, quia amica mea amore meo languet, ideo *vos adjuro, filiæ Hierusalem,* id est, qui estis generati in visione pacis, *per capreas cervosque camporum,* id est si vultis habere capreæ naturas et cervi, quas habent sancti. Natura capreæ est alta petere, clari intuitus esse, unde dorcas vocatur, id est clare videns ; munda pabula eligere, si transfigatur sagitta scit seipsam sanare, ita sancti et altitudinem virtutum petunt, et Scripturas clare et subtiliter intuentur, et mundo pabulo divini verbi reficiuntur, et si aliqua sagitta diaboli vulnerantur, pœnitentia et oratione curant se, currentes ad Christum qui, quasi dictamus, ejicit ferrum de vulneratis. Cervi hæc natura est ut velociter currat, et cum plures D transeunt de loco ad locum, adjuvant se invicem sustinere onera capitum, deglutiunt serpentem, et postea recurrunt ad vivum fontem, quasi hausto ejiciunt venenum et renovantur, ita sancti velociter currunt per hunc campum mundi tendentes ad veram patriam, et portant invicem onera sua compatientes sibi et necessaria ministrantes, et si aliquando venenum, id est inspirationem diaboli receperunt, recurrunt ad Christum fontem vivum, quo et venenum diaboli quod receperunt evomant, et Deo renovantur. Si tales fieri vultis, filiæ Hierusalem, id est vos adhuc teneri, *adjuro vos* ne amicam meam suscitetis, id est, ab illa quiete mentis in qua

languet, contemplando Deum, dimoveatis, ut oporteat eam laborare pro vobis, neque evigiletis, ut quoquomodo ejus quietem peccando pro quo, si perceperit, laborabit, interrumpatis, et si non oporteat eam laborare. *Vox dilecti mei.* Vox sponsæ. Intelligens affectionem sponsi erga se cum interdixit ne excitetis. Vox hæc, inquit, est dilecti *mei*, id est, qui hoc præcipit me diligit, et quia dixit *quoadusque ipsa velit*, intelligo quod vult ut descendam ad aliquos generandos Deo; ad quod dat mihi exemplum sui et auxilium, de quo item dat Nobis Apostolus et exemplum et auctoritatem, cum dicit ad Philip. I : « Cupio dissolvi et esse cum Christo, » multo melius, manere autem in carne necessarium propter vos scilicet ad tempus. *Ecce iste.* Ponit exemplum ipsius, ac si diceret : Bene debeo descendere ad aliquos acquirendos Deo, quia ecce sic fecit ipse, et hoc est : Iste qui ita me commonet venit in naturam humanam, *saliens in montibus*, id est, pedes ponens et habitans in illis qui sunt montes secundum perfectionem et eminentiam virtutum, et etiam eos salire fecit sicut Paulum, quem ex persecutore cito fecit summum prædicatorem, saliens dico in montibus, *transiliens colles*, per quos illos aliquanto inferiores montibus, in quibus licet non ita Deus saliat sicut in apostolis et in cæteris montibus, tamen transilit eos, id est, umbra sua tangit eos, quia quamdam cognitionem mysteriorum suorum ostendit eis, licet non adeo plenam, sicut perfectissimis. *Similis*, et bene potest salire, quia similis est *capreæ*, quia nunquam naturas capreæ adea quisquam habuit ut Chistus. Similis *hinnulo cervorum.* Ipse est enim filius cervorum, id est prophetarum et patriarcharum qui veloces cervi fuerunt. Christus hinnulo comparatur, quia sicut hinnulus levis est, nulla carnis mole oppressus distinctus maculis, ita Chritus nulla carnis mole pressus fuit, et distinctus omnibus virtutibus. *En ipse.* Ostenso exemplo in Christo ostendit sibi auxilium ejus adesse, ac si dicat : Laborare debeo in acquisitionem aliorum sicut ipse fecit, et perficiam, quia est paratus auxiliari mihi, quod est : Ipsi *stat*, paratus ut auxilium ferat incipientibus, *post parietem nostrum*, id est in carne nostræ naturæ, quæ in aliis præter Christum proprie dicitur paries, quia est murus inter Deum et homines, quoniam caro est fomes peccati. Habent aliæ Translationes *post ædificationem*, quia quicunque incipiat ædificare in virtutibus, Christus stat post *parietem*, id est, latenter administrat auxilia, *respiciens per fenestras*, id est, visitans et consolans eos manifeste, per apertas Scripturas, ut per Evangelia, vel per miracula manifesta, *prospiciens per cancellos*, id est per strictas et obscuras Scripturas, ut per prophetias, vel per incognita miracula, vel per Judæorum excæcationem, etc. Cancellus est strictum foramen maceriæ. *Dilectus meus loquitur mihi*, et prospicit me, et commonet me, ubi eum annuntiem hoc modo. *Surge*, id est descende de tua contemplatione ut aliquos mihi lucreris. *Propera*, quoniam tempus bre-

A ve est. *amica mea*, id est, quam ego de omnibus elegi, *columba*, propter simplicitatem, *formosa*, secundum virtutes ; et sic *veni*, quia alios acquirere est tuum ad me venire. *Jam enim.* Hæc quoque verba Christi, sed sponsa repræsentat sibi dicta :

Dico, surge, prædica, et prædicatio tua non erit infructosa, quia infidelitas et persecutio jam cessavit in gentibus, et hic est, *hiems*, id est infidelitas jam cessavit in gentibus, non quod adhuc fidem recepissent, sed habiles se præbebant. *Umbra*, id est, persecutio, id est, grando contundens, *jam abiit et recessit*, id est in tantum jam cessavit, ut qui persequebantur, modo sequantur, *flores*, id est initia virtutum, *apparuerunt in terra nostra*, id est in Ecclesia, quæ est bene culta *Tempus putationis*, id est
B purgationis, id est, superflua resecandi per pœnitentiam, et si qui noluerunt, per excomunicationem extra Ecclesiam abjiciendi. *Vox turturis*, id est, admonitio Spiritus sancti, bene recepta, *in terra nostra.* Turtur quæ alta petit proprie Spiritum sanctum significat, cujus est conferre altitudinem virtutum. Columba item quæ in vallibus habitat, proprie significat eumdem spiritum quia ipsius est dare humilitatem. *Ficus*, id est, Judea, *protulit* et dimisit *grossos suos*, id est inanes fructus, secundum carnalem intellectum legis, qui non perveniunt ad maturitatem, quia non perducunt ad perfectionem. Judæa propter inania opera sua ficui comparatur, quæ fructus facit inanes, id est grossos qui nunquam perveniunt ad maturitatem, *Vineæ*, id est, Eccle-
C siam ingredientes, *florentes*, id est, bene operari incipientes, *odorem dederunt*, id est bonam famam de se emiserunt. Per hæc omnia, scilicet cum dicit : Persecutio jam cessavit, et alia hujusmodi, notat statum Ecclesiæ jam bene in gentibus adultæ, et proter hoc, *surge, amica mea speciosa*, labora in aliis, et ita *veni, columba mea, in foraminibus petræ.* Nidificat quidem columba in petra, sed non clausa, potius ubi sunt foramina, id est receptacula, et protectiones contra milvos et cæteras importunitates. Per petram habemus Christum, propter soliditatem, in quo sunt foramina id est receptacula, quia ipse nullum rejicit ad se venientem, et ipsis est protectio contra hæreticos et cæteras impugnationes diaboli; vel per foramina recipiantur plagæ propriæ Dominici corporis, quas jubetur Ecclesia annuntiare
D et in ipsis fidem vestram fundare. Ædificat quoque columba in cavernis maceriæ. Dicitur maceria coadunatio lapidum, ubi sic sunt lapides ordinati quod nullus defluat, et ibi sunt cavernæ, id est, quædam receptacula. Per maceriam significantur qui ex diversis gentibus aggregantur in unione fidei Ecclesiæ, et sic sunt ordinati ut nullus defluat vel dissentiat a catholica institutione, et in ipsa sunt cavernæ, id est, ipsi sunt receptabula omnium ad se venientium et talis breviter est collecta sententia. *Surge, amica* et sis *columba* in foraminibus petræ et cavernis maceriæ, id est, cum simplicitate annuntia Christum qui non excludit venientes, sed protegit;

et prædica plagas ipsius, et vitam sanctorum annuntia imitandam, in quibus erit refugium ad eorum sectam accedentibus. *Ostende mihi.* Hæc quoque verba sunt sponsi, sed Ecclesia repræsentat ea. Dixit mihi sponsus, « Surge, » et hæc etiam dixit : « Ostende mihi, » id est, ut placeat mihi et etiam ut mihi sis honori, *faciem tuam*, id est bonam operationem tuam, *et vox*, id est, admonitio et correptio, *tua sonet in auribus meis*, id est, sis mihi delectabilis, et vere placebis mihi, quia suavis es, *et facies tua decora*, in est, opera pulchra, cujus vox et opera aliquando mihi displicuerint.

« Capite nobis vulpes parvulas quæ demoliuntur « vineas ; nam vinea nostra floruit. Dilectus meus « mihi, et ego illi, qui pascitur inter lilia, donec « aspiret dies et inclinentur umbræ. Revertere, si- B « milis esto, dilecte mi, capreæ hinnuloque cervo- « rum super montes Bethel. »

Capite. Iterum verba sponsi, sed Ecclesia repræsentat ea, et rogat sponsus amicos suos ut juvent Ecclesiam, scilicet removendo hæreticos, ac si dicat : Dilecte mihi, surge, et amicis suis : *Capite*, id est circumvenite, et sententias eorum falsas et inutiles demonstrate ; *vulpes*, id est hæreticos, qui propter calliditatem vulpi comparantur ; vulpes *parvulas*, id est, qui se humiles et justos ostendunt ut potius decipiant, ideo dico *capite*, quia *demoliuntur*, id est foveas faciunt et corrodunt vineas. *Nam vinea*, et opus est ut capiantur, quia vinea, id est Ecclesia de gentibus, quoniam magna cura exsolvi, *floruit*, id est, jam initia quædam in C se ostendit virtutum, cujus fructum parant hæretici impedire. *Dilectus meus*, ac si dicat : Prædictis modis monet me amicus meus, et ipse dilectus meus semper est mihi auxiliator, et ego ideo ero ei obediens, et adhærens, in quantum potero, ut acquiram aliquos *illi qui pascitur*, id est, delectatur et reficitur, *inter lilia*, id est, in operibus illorum qui sunt lilia, id est candidati in virtutibus, *donec aspiret dies*, id est, communis resurrectio, quæ erit lux vera, et reficiet nos omni exsultatione post labores hujus vitæ, *et* donec *inclinentur umbræ*, id est, transeant ignorantiæ hujus vitæ. Interim delectatur Deus in bonis operibus nostris quæ postea non erunt. *Revertere.* Ipsa Ecclesia volens laborare ad correctionem aliorum gentilium rogat D ipsum Deum ut juvet eam, scilicet ostendat semetipsum illis acquirendis, et hoc est, *revertere*, id est, condescende istis, et aspira eos interius, quia aliter labor noster erit infructuosus ; vel revertere, quia ab eis per peccata primi parentis recessisti, revertere ad cognitionem, et ut habites in istis dico. *Revertere et esto similis capreæ hinnuloque cervorum.* Natura capræ et hinnuli est, ut licet in summitate montium habitent, descendant tamen in colles, ut ab inferioribus videantur. *Capreæ* dico entis *super montes Bethel*. id est, domus Dei. Cum enim Christus habitet in montibus, id est, in eminentioribus propter virtutes, rogatur descendere ex A ipsis et per ipsos, usque ad cognitionem inferiorum.

CAPUT III.

« In lectulo meo quæsivi per noctes quem diligit « anima mea : quæsivi illum et non inveni. Sur- « gam et circuibo civitatem, per vicos et plateas « quæram quem diligit anima mea : quæsivi illum « et non inveni. Invenerunt me vigiles qui custo- « diunt civitatem. Num quem diligit anima mea « vidistis ? Paululum cum pertransissem eos, in- « veni quem diligit anima mea : tenui illum, nec « dimittam donec introducam eum in domum ma- « tris meæ, et in cubiculum genitricis meæ. »

In lectulo meo. Vox minorum, et ubi ostenditur conversio minorum, manifestatur effectus prædicationis majorum, ac si ita responderent modo minores : Tu, mater nostra, precaris Deum ut nos inspiret, quod nobis necesse est, quia aliter ad ipsum venire non possumus, quia per priorem vitam voluptatum nostrarum invenire ipsum non possumus, et hoc est quod dicit ; *In lectulo meo*, hoc est, in mundanis voluptatibus, in quibus omnino quiescebam, *quæsivi illum*. Mens enim cujusque naturaliter somniat bonum et investigat. Quæsivi illum dico, sed *per noctes*, id est per ignorantias, scilicet per hæc temporalia, ut si quis per divitias exspectat sufficientiam. Illum quidem *quem* modo *diligit anima mea*, id est tota affectio mentis meæ, *et non inveni illum*. Non enim potest aliquis Deum adipisci per has dilectiones. Quod bis ponit *quæsivi*, notat affectionem quærentis, et multiplicitatem inquisitionis. *Surgam*, etc. Quia in lectulo non inveni, ideo surgam a lectulo, scilicet relinquam mundi appetitum. *Et circuibo*, scilicet fragiles diligenter convertam, et inquiram cognitionem Dei, *civitatem*, scilicet matrem meam Hierusalem, convocationem quidem sanctorum, quæ mihi prædicavit, *per vicos*, id est inquirendo ab illis qui strictiora præcepta sectantur. *Per plateas* accipimus illos qui laxiora præcepta sequuntur, ut conjugatos quibus licitum est mundo uti. *Quæsivi illum et non inveni.* Ponit causam quare ab istis quærat quoniam prius quæsivi ubi non erat, et non inveni. *Invenerunt me.* Dixi surgam, surrexi et quæsivi; et me quærentem invenerunt, id est meam affectionem cognoverunt *vigiles*, id est sancti pastores qui custodiunt Ecclesiam Dei. Cum dicit se prius inventam quam invenisse, notat nobis vigilantiam et diligentiam quam debent habere pastores in Ecclesia, scilicet ut ex quo movetur aliquis compunctione, perati sint pastores ut eum commoneant, et ad notitiam Dei pertrahant. *Num quem diligit.* Invenerunt me vigiles ita dicentem eis: *Num vidistis* ? id est cognitionem amici mei habuistis ; per hoc quod dicit prius locutum quærentem, cum prius a vigilibus inventus esset, notat diligentiam et magnam affectionem quærentis. *Paululum.* Quæsivi ab illis, sed eorum ostensione contenta non fui, sed transivi altius quærendo eum, et per ipsos, quia ipsi me instruxerunt quomodo eum quærere

debemus, et tandem *inveni*, scilicet bonitatem et dulcedinem aliquantulum degustavi ; *paululum* ideo dicit, quia sine magno labore cognito Dei habetur. Ex quo enim percipit Deus affectionem quærentis, ipse seipsum offert, et sponte ingerit. Inveni dico et *tenui*, id est firmiter adhæsi : *nec dimittam donec introducam eum in domum matris meæ*, id est in plenitudinem gentilitatis, quæ me in carnalibus desideriis educavit, *et in cubiculum genitricis meæ*, id est, donec faciam aliquos de gentibus sibi lectulum in quo quiescat sine offensa. Matrem dicit quantum ad educationem, genitricem quantum ad creationem : et notatur hic Ecclesia in eo statu in quo plenitudo gentium subintravit.

« Adjuro vos, filiæ Hierusalem, per capras cervosque camporum, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ et thuris et universi pulveris pigmentarii ? En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. »

Adjuro vos. Vox sponsi. Videns namque Christus affectionem hujus introductæ gentilitatis, quæ dicit: *Introducam eum in domum matris meæ*, præcipit iterum subditis ne eam inquietent, sicut superius fecit de matre istius. *Quæ est ista.* Vox Judæorum. Videntes tam plenariam conversionem gentilium, admirantes dicunt : Quæ est ista *quæ ascendit* de virtute in virtutem, tendens pervenire ad ipsum Deum *per desertum*, id est per totam gentilitatem, quæ dicitur desertum ab omni cultu divino, scilicet sine circumcisionibus et cæteris institutis legalibus, quæ nos habemus? Ascendit dico *sicut virgula*, id est recta et gracilis, attenuato corpore, non impinguato, quæ virgula sit, *fumi*, id est levis, nullo pondere peccatorum prægravetur, quin libera altum petat. *Fumi*, dico, non qui noceat oculis, sed qui procedat *ex aromatibus*, scilicet ex quolibet genere virtutum, et determinat ipsa aromata per partes cum dicit *myrrhæ et thuris*. Per myrrham significamus illos qui dediti sunt amaritudinibus carnis ut martyres. Per thus, quod orationes significat, habemus illos qui orationi insistunt, et talis est sententia : Ascendunt quidam per mortificationem, quidam proferunt Deo bonum odorem, scilicet devotionem orationum, et non solum per hæc duo genera virtutum ascenditur, sed per universum pulverem. Per pigmentum accipimus quasdam virtutes ; per pulverem, eas redactas in quamdam vilitatem. Non enim valent virtutes in arrogantia, sed debet homo vilem seipsum reputare, recognoscens se sibi nunquam posse sufficere. *En lectulum Salomonis.* Vox ipsius Ecclesiæ de gentibus respondentis. Invitat Ecclesia de gentibus Judæos ad amorem Christi, sicut regina Austri (*III Reg.* x) de longinquo veniens audire sapientiam Salomonis eos præsentes et familiares ad idem invitaret. Tu quæris quæ ego sum, et ego tibi dico quia sponsa

A sum Salomonis, et hoc potes cognoscere per hæc intersignia sua quæ omnia in me reperies. Hoc dicit : En lectulum, Salomon, id est in manifesto, habes quia inter nos est lectulus, id est tales sunt inter nos in quibus quiescit sine offensione verus pacificus, et hunc lectulum *ambiunt sexaginta fortes*, id est custodes habemus in Ecclesia. Per sexaginta habemus perfectos in decem præceptis. Fortes ideo dicit, quia humiles sunt et potentes resistere adversariis ; et hi omnes sunt electi *ex fortissimis Israel*, id est virorum qui vident Deum, et omnes hi sunt *tenentes gladios*, id est verbum Dei, omnesque bene sciunt illo gladio percutere, *et*, hoc est, *ad bella doctissimi*. Hic datur nobis intelligi quod tales debeant pastores esse, qui cum habeant divinam B scientiam interius, sciant etiam convenienter eam exponere prædicando unicuique secundum modum suum. *Uniuscujusque ensis*, id est verbum Dei unicuique eorum commissum facit unusquisque *super femur suum*, id est carnem suam, quia unusquisque mortificationem carnis quam aliis prædicat, in seipso ipse demonstrat *propter nocturnos timores*, id est propter diaboli concursiones et suggestiones.

« Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani, columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constravit propter filias Hierusalem. Egredimini, et videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua in C die desponsationis illius, et in die lætitiæ cordis ejus. »

Ferculum fecit. Ostendit hic Ecclesia quædam intersignia Salomonis in se inveniri per quæ cognosceretur sponsa veri pacifici ; ostendit et alia. *Ferculum* dicitur sella portatoria, dicta a ferendo, in qua sedet judex, ac si diceret : Præter hæc prædicta fecit in nobis quosdam judices in quibus et per quos ipse judicaret, et hos tales non elegit debiles vel immundos, sed *de lignis Libani*. Per ligna notamus quod robusti sint, nec frangantur adversis. Per Libanum quod interpretatur *candidatio*, significatur quod mundi sint et candidati virtutibus. *Columnas*, id est sustentatores, judices scilicet perfectiores in quibus alii innituntur, *fecit argenteas*, id est clare tinnientes summo nitore divini eloquii. *Reclinatorium aureum*. D Reclinatorium est illud in quo reponitur caput alicujus ad requiem, per quod intelligimus illos qui divinitatem Dei potius intuentur, et hi sunt aurei, id est radiantes charitate et sapientia. *Ascensum*, id est ascendentes per gradus virtutum qui quasi non ascendunt, quia ex se nil boni faciunt, sed Christus ascendit in eis, per quem vel cujus auxilio bonum omne facimus. Hos tales fecit purpureos, id est paratos cuilibet persecutioni, et hoc *constravit*, id est, ornavit *charitate*, scilicet ut charitas cæteris omnibus virtutibus esset ornamentum, sicut perpulchre deducit B. Paulus (*I Cor.* XIII). Charitate dico *media*, id est quæ ab omnibus posset

æqualiter participari, vel constravit charitate, id est cæteras omnes virtutes inferiores, et constratas, quia nisi per charitatem nihil proficiunt, ut ample declarat D. Paulus (*I Cor.* III); vel media, videlicet prædicta ut ferculum, et cætera in medio posita constravit. Et hæc omnia ornamenta posuit in nobis rex *propter filias Hierusalem*, id est propter minores et adhuc teneros animandos, ut et ipsi properent ad istas dignitates, scilicet ut fiant ferculum, ascensus, et reliqua omnia similiter. Vel propter *filias Hierusalem* dicamus, propter Judæos scilicet, ut Judæi considerantes dignitatem nostram convertantur. *Egredimini.* Item vox Ecclesiæ de gentibus ad Judæos, ac si diceret : Per hæc omnia ornamenta potestis me cognoscere sponsam Christi, et ideo ut vos talia habeatis, *filiæ Sion*, id est vos Judæi. Ponit Sion pro tota Judæa. Egredimini, id est dimissa carnalitate Christo adhæreatis, et ut egredi possitis, *videte*, id est considerate *regem Salomonem*, id est Christum *in diademate*, id est victoria passionis quam consecutus est per matrem suam, scilicet Synagogam, quæ eum cruci affixit. Vel aliter, *considerate* Christum *in diademate*, id est in passione in qua coronam devicti diaboli obtinuit : qua passione *coronavit eum mater, sua*, scilicet Synagoga quæ eum cruci affixit. Mater dico quæ coronavit eum *in die desponsationis illius*, id est Christi, et quando Christus factus est sponsus Ecclesiæ, scilicet in utero virginis primo. Dicitur enim thalamus sponsionis venter illius, quia illic divinitas jungens se humanæ naturæ, a qua per peccatum divisa fuerat, spondet se deinde cæteris ejusdem naturæ. Secundo et melius ad propositum, dicimus sponsionem factam esse in passione his qui in ipsa fidem fundaverant. O filiæ Sion, cognoscite ipsum regem *in die lætitiæ cordis ejus*, id est, resurrectionem et ascensionem, et alia considerate quæ omnia vos revocabunt ad amorem ipsius.

CAPUT IV.

« Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es !
« oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus
« latet. Capilli tui sicut grex caprarum quæ ascen-
« derunt de monte Galaad. Dentes tui sicut grex
« tonsarum quæ ascenderunt de lavacro. Omnes ge-
« mellis fetibus, et sterilis non est inter eas. Sicut
« coccinea vitta labia tua, et eloquium tuum dulce.
« Sicut fragmen mali Punici, ita genæ tuæ absque
« eo quod intrinsecus latet. Sicut turris David col-
« lum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis.
« Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura for-
« tium. Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ
« gemelli, qui pascuntur in illis donec aspiret dies,
« et inclinentur umbræ. »

Quam pulchra es. Vox sponsi considerantis affectionem illius gentilis Ecclesiæ, quæ vellet quascunque posset in amicas sibi attrahere, commendat eam inde. Oculi, id est, tui provisores et diligenter intuentes Scripturas, sunt columbini, id est simpliciter intuentes, et omni interiori simplicitate fulgen-A tes : oculos dico columbinos *absque eo quod intrinsecus latet*, id est præter intentionem quæ longe pulchrior est. *Capilli tui*, id est proxime adhærentes capiti, et subtiles ac graciles sicut veri pauperes, sunt *sicut grex capracum.* Grex propter multitudinem : capræ dicuntur, quia et alta petunt et cæteras virtutes habent capræ, quas prædiximus ; *quæ ascendunt de monte*, id est de eminentia virtutum tendentes ad perfectionem. Montem dico *Galaad*, id est ubi est acervus testimonii : sancti enim non continent virtutes tacite, sed proferunt multipliciter testimonium Christi. Galaad dicitur ideo *acervus testimonii*, quia Jacob et Laban avunculus ejus ibi construxerunt acervum lapidum, quasi pacis suæ testimonium. *Dentes tui*, scilicet qui sunt in genis B fundati, et per quos conteritur cibus, sunt illi sancti qui conterunt Scripturas et inferioribus intelligibiles reddunt, et hi tales sunt *sicut greges tonsarum :* greges, quia multi tonsæ, ideo quia sicut ovis in tonsione deponit vetustatem, suam, ita isti deposuerunt omnem suam vetustatem, *quæ ascendunt de lavacro.* Ascendunt quidem sancti ad virtutes de lavatione baptismi, et omnes secundum majorem sui partem tam oculi quam caput et dentes, sunt generantes Deo filios ex utroque populo, scilicet Judaico et gentili. *Omnes* sunt *gemellis fetibus* quia unusquisque fidem habet et opera. *Sicut vitta coccinea labia tua.* Vittæ officium est capillos constringere circa caput, ita labia, id est prædicatores per quos loquitur Deus, constringunt capillos Christo, ne diffluant a capite. Coccineam dicit propter C Dominicæ passionis rubedinem. Vel per capillos possunt accipi cogitationes quæ a mente dependent et eam ornant. Ipsæ enim cogitationes coercentur prædicatione divini verbi, et circa mentem constringuntur. *Eloquium tuum*, id est doctrina tua, *dulce* nutriens sicut lac. *Sicut fragmen mali Punici.* Malum Punicum exterius est rubeum, sed cum frangitur intus apparet candidum : *ita genæ tuæ*, id est sancti illi perfectiores intus sunt sicut dentes, exterius sunt triti multis persecutionibus, et sunt viles mundo. Interius vero cogniti inveniuntur candidi multis virtutibus, *absque eo quod intrinsecus latet*, id est intentione quæ longe pulchrior est. *Sicut turris David collum*, id est sancti, per quos descendunt Scripturæ ad inferiores, habent et cætera offi-D cia colli ; suntque sicut *turris*, id est defensio aliorum ad eos confugientium, in qua habitat et militat verus David ; *quæ turris est ædificata cum propugnaculis* id est firmis et optimis sententiis, quibus procul pellant insultantes inimicos. *Mille clypei* sunt immorantes circa collum, habent illi propugnacula ; prodeuntes vero ad bella accipiunt ab illis qui collum sunt universas sententias quibus se protegant, et hoc dicit per mille clypeos ; et accipiunt etiam alias sententias quibus devincant alios et sibi attrahant : et hoc est quod supponit *omnis armatura fortium. Deo libera*, id est prædicatores tui, in quibus centinetur doctrina sancta ex gentili et Judaico

populo : vel etiam ipsi populi qui doctrina nutriuntur, sunt *sicut duo hinnuli capreæ gemelli*, id est virtutes hinnuli habent et capreæ, et sunt gemelli, id est sibi similes, et assentientes in eadem institutione. Vel possumus accipere per ubera duo Testamenta, quæ jam a se non dicuntur dissentientia; vel potest dici de omnibus prædictis. *Pascuntur*, id est reficiuntur et delectantur, *in illis*, id est in candidatione et suavi odore bonorum operum. Interim dico *donec aspiret dies*, scilicet æterna beatitudo, *et inclinentur umbræ*, id est transeant istæ ignorantiæ.

« Vadam ad montem myrrhæ, et ad colles thuris.
« Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in
« te. Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano,
« veni, coronaberis, de capite Amana, de vertice Sa-
« nir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus
« pardorum. Vulnerasti cor meum, soror mea spon-
« sa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum
« et in uno crine colli tui. Quam pulchræ sunt
« mammæ tuæ, soror mea sponsa. Pulchriora sunt
« ubera tua vino, et odor unguentorum tuorum su-
« per omnia aromata. Favus distillans labia tua,
« sponsa, mel et lac sub lingua tua, et odor vesti-
« mentorum tuorum sicut odor thuris. Hortus con-
« clusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons
« signatus. Emissiones tuæ paradisus malorum Pu-
« nicorum, cum pomorum fructibus, Cypri cum
« nardo, nardus et crocus, fistula et cinnamomum
« cum universis lignis Libani, myrrha et aloe cum
« omnibus primis unguentis. Fons hortorum, malo-
« rum puteus aquarum viventium, quæ fiunt impetu
« de Libano. Surge, aquilo, et veni, auster, perfla
« hortum meum, et fluent aromata illius. »

Vadam ad montem myrrhæ, ac si dicat ipse sponsus : Talia sunt membra tua, et ego præter hoc faciam omnia meliora, conferendo et multiplicando gratiam, et hoc dicit : Vadam, id est conferam gratiam ad montem myrrhæ *et ad colles thuris*. Per montem myrrhæ habemus martyres, per colles thuris confessores qui præsentant Domino suavem odorem orationum, et merito hoc tibi faciam, quia *tota pulchra es, et macula*, id est criminale, *non est in te*. Et quia talis es, *veni* ad me *de Libano*, id est de bona operatione facta in vita, *veni*, secundum animam, scilicet anima exiens de corpore. *Veni de Libano*, quia candor virtutum et bona operatio perducit ipsam ad Deum, veni resumendo corpus in communi resurrectione, et tunc *coronaberis*, id est victoriarum retributionem accipies. In corpore et anima coronaberis, *de capite Amana*, id est de majoribus illorum in quibus vigilat diabolus, ut aliquos dilaniet diabolus. Amana namque interpretatur *dens vigiliarum*. Et coronaberis *de vertice Sanir*, id est de principibus illorum qui per quasdam ignorantias et fatuitates decipiunt homines. Sanir interpretatur *nocturna avis*, et per hoc intelligimus ignorantias et occulte decipientes, et cum his coronaberis *de Hermon*, id est convertes aliquos qui erant Hermon, id

A est anathema, quod est separatio, videlicet tales revocabis Domino qui jam non tantum dicebantur separati, sed ipsa separatio a Deo. Coronaberis dico *de cubilibus*, id est illis in quibus cubat et quiescit leo, id est diabolus manifeste sæviens. Et hæc est sententia : Præmium recipies, et pro apertis persecutionibus sicut pro supra dictis, et coronaberis *de montibus pardorum*, id est de hæreticis quos de inimicis etiam convertis, qui dicuntur montes pro nimia elatione pardi, quia distincti sunt variis sectis et hæresibus, sicut pardus variis maculis. *Vulnerasti cor meum*. Dico, veni, coronaberis, quia valde te diligo, et hoc dico, vulnerasti cor meum dilectione tua. Sororem eam nominat, quia de eadem natura et secundum humanitatem, et cohæres regni
B per gratiam adoptionis, ut deducit D. Paulus (*Rom.* VIII; *Gal.* IV.) *Vulnerasti* dico *cor meum*. Repetitio præ nimia affectione dilectionis. Vulnerasti, dico *in uno oculorum*, id est quia uniuntur in me una conspiciendo et inquirendo illi qui sunt in te oculi, et similiter illi qui sunt crines tui, ideo etiam vulnerasti cor meum, quia *mammæ tuæ*, id est doctrina tua quod est lac nutriens *sunt pulchræ*, id est suaviter Deo nutrientes populos; *ubera tua* id est ipsa tua doctrina, sunt *pulchriora vino*, id est omni mundana sapientia quæ inebriat et superbire facit habentes ; *et odor*, id est bona fama spiritualium gratiarum quæ in te sunt, superat *omnia aromata*, id est omnia terrena unguenta, et propter hoc ideo, *sponsa*, vulnerasti cor meum, quia *labia tua*, id est prædicatores sancti, per quos loqueris, sunt *favus*,
C id est vas mel continens, id est dulcissimam doctrinam, et non aliis denegantes, sed sunt *distillans* favus, quia verbo aliis præbent nutrimentum. *Sub lingua tua*, id est in abscondito cordis tui : quod dicitur esse sub lingua, quia quod ibi est manifestatur per linguam; est *mel et lac* educans parvulos, educans et adultos. Per lac, quod est nutrimentum puerorum habemus doctrinam qua minores educantur; per mel quod pueri gustare nolunt, nec ubera matris parum inde tacta, sed adulti libenter comedunt, habemus doctrinam qua majores pascuntur. Vel aliter, mel et lac, id est hæc corporea alimenta, sunt sub lingua tua, id est inferiora, et indigniora quam lingua tua, id est spirituali doctrina quæ est in lingua tua, *et odor unguentorum tuorum*, id est
D bona fama operum tuorum, quibus tegis pudenda, est *sicut odor thuris*, id est ita placens Deo sicut bona devotio in orationibus sanctorum ; placent enim Deo simul ista in aliquo, orationes et bona opera; alterum enim non placet sine altero. *Hortus conclusus*. Ideo cum prædictis vulnerasti cor meum, quia es proprie hortus, id est proferens diversa genera virtutum, in quibus ego delector, et pascor, sicut hortus profert diversa genera herbarum. *Hortus* dico *conclusus*, id est munitus, et vallatus fide et operibus, quod nunquam in te pateat aditus inimicis et furibus. Es etiam *fons signatus*. Fons dicitur Ecclesia propter baptismum, a quo lavantur omnes

A qui sunt Ecclesia. Vel fons, quia ipsa Ecclesia habet in se divinam sapientiam,de qua fluunt multæ aquæ, scilicet doctrinæ multæ. Quod dixit bis hortum,fuit ex nimia affectione diligentis ; vel per hoc dat intelligere hortum ex Judæis,et hortum ex gentibus. *Emissiones tuæ.* Vocavit eam hortum, modo ponit cujusmodi fructum proferat hortus iste, id est mala Punica,et similia,et hoc dicit, « Emissiones,»id est illi quos tu generas Deo,sunt mala Punica,id est rubei, et parati cuilibet persecutioni, *cum pomorum fructibus*, id est cum maturis pomis. Per hæc accipimus sanctos illos qui,licet non sint dediti passionibus, faciunt tamen matura opera quorum odore Deus reficitur, et hæc talia poma sunt mihi *paradisus*, id est deliciæ ; delectatur enim Deus in B talibus sicut aliquis in paradiso. Iterum emissiones tuæ sunt *cypri cum nardo.* Cyprus enim est virga gracilis quæ crescit in magnam altitudinem,et habet grana unde fit regium unguentum, et habet secum nardum, quæ herba humilis est. Per cyprum habemus sanctos qui crescunt in multam altitudinem virtutum,et proferunt grana,id est bona opera quibus ungitur ac delectatur Deus,et semper sunt cum humilitate quæ per nardum significatur. Iterum emissiones tuæ sunt *nardus cum croco.* Crocus est herba habens aureum florem, per quem intelligitur divina sapientia,quæ non debet in aliquo esse cum timore, sed cum nardo, id est cum humilitate. Sunt etiam emissiones tuæ pariter *fistula, et cinnamomum.* Fistula est herba rubeum habens corticem,et purgat optime tumores pulmonis : et cinnamomum est vilis C coloris,scilicet cinerei. Per fistulam accipimus illos qui habent in memoria passionem Domini,quæ aufert tumores a cordibus eorum, et faciunt seipsos viles,et comparabiles cineri,nil de se præsumentes, sed omnia bonitati Dei attribuentes. Dico emissiones tuas. Hæc *cum omnibus lignis Libani*, id est emittis pariter cum supra dictis omnia ligna,id est omnes fortes et robustos ad sustinendum pondus Ecclesiæ, qui sunt Libani,id est candidati in virtutibus. Sunt etiam emissiones tuæ *myrrha et aloe*, id est illi qui majores et minores patiuntur persecutiones. Aloe namque minus amara est quam myrrha. Vel per myrrham accipiamus passionem martyrii. Per aloen, quæ gustu amara est et interius recepta sanat,accipiamus mortificationem carnis per vigilias et je-D junia,et similia quæ, licet ad faciendum videantur gravia et intolerabilia, tamen interius animam sanant. *Cum universis primis unguentis*, id est omnia sunt prima unguenta, id est dona spiritualia, quæ sunt prima et digniora omnibus carnalibus unguentis,vel per prima unguenta accipiamus charitatem, quæ prima est inter omnes virtutes. Ostendit fructus,modo ponit unde ipse hortus habeat irrigationem, quasi diceret : In horto est *fons*, id est baptismus,vel divina sapientia : fons dico *hortorum* irrigans hortum ex Judæis et hortum ex gentibus, et non talis fons qui possit cito evacuari, sed qui sit *puteus*,id est altus et profundus,quia quanto magis inquirit divina sapientia,tanto profundior invenitur. Profunda sunt ea quæ, in baptismo significantur ; puteus dico *aquarum* ex quo *fluunt* aquæ,fluunt quidem ex divina sapientia aquæ, quæ lavant et mundas reddunt animas. Fluunt quoque ex baptismo aquæ,id est dona Spiritus sancti, quæ in baptismo recipiuntur. Aquarum dico *viventium*,id est animas vivificantium ; *quæ* currunt ad correctionem inferiorum *de Libano*, id est de majoribus et de perfectis qui sunt candidati in virtutibus. Fluunt dico et non parce,sed abundanter et impetuose. *Surge, aquilo.* Quasi dicat : Hortus meus tales debet fructus emittere, et ut fructus ejus non pereat. Surge,aquilo, id est tu diabole,et fuge. Arbores congelat aquilo,quia frigidus est, ut fructum destruat,ita diabolus constringit congelatque removendo charitatem a corde hominum, ne proferant Deo fructum bonæ operationis. Surge dico aquilo,*et veni auster*, id est vente calide, scilicet Spiritus sancte, conferens ardorem charitatis, *et perfla hortum*, removendo congelationem infidelitatis et inspirando dilectionem Dei :*et sic fluant aromata illius*, id est fructus, scilicet odoramenta bonorum operum. Vel aliter : Quia amica mea talis hortus est et hujusmodi fructus emittere debet, ideo surge, tu aquilo, id est diabole, commove eam ; et tu auster,Spiritus sancte,tepida aura tua refice eam, et perfla, uterque, hortum meum. Aquilo enim commovens arbores facit eas germinare, ut auster succedens fructum faciat producere, ita persecutio,succedente fervore charitatis, gratia Spiritus sancti facit Ecclesiam fructificare.

CAPUT V.

« Veniat dilectus meus in hortum suum,ut comedat fructum pomorum suorum. Veni in hortum « meum,soror mea sponsa,messui myrrham meam « cum aromatibus meis, comedi favum cum melle « meo,bibi vinum meum cum lacte meo.Comedite, « amici, et bibite, et inebriamini, charissimi. »

Veniat dilectus. Vox ipsius sponsæ de gentibus. Attendens quidem Ecclesia quod Christus ita commendasset eam,vocans hortum et similia, et etiam præcepisset austro ut eam perflaret,precatur ipsum ut ipse idem veniat, scilicet multiplicando in eam gratiam suam, quasi dicat : Quia hujusmodi fructum facere debeo quod per me nunquam possum, veniat ergo,id est gratiam suam in me multiplicet, quod est venire ipsius,et ita *comedat*, id est satietur bonis pomis,scilicet operibus suorum ; pomis dico quæ sunt fructus,id est non in flore, sed in maturitate,scilicet maturis et perfectis operibus suorum delectetur. *Veni in hortum.* Vox sponsi ad Ecclesiam. Precatis ut veniam in hortum, sed ego jam veni,id est gratiam conferendo et multiplicando visitavi Ecclesiam meam,et hoc est quod dicit, veni in hortum *meum*, et de hoc horto meo *messui myrrham meam*, id est collegi et reposui in secretariis myrrham, id est martyres sanctos quos martyres collegi,*cum aromatibus meis*, id est aromata, id est confessores meos quorum orationibus ego delector,

sicut aliquis bonis odoramentis. *Comedi*, id est facile et cum delectatione accepi, et reposui illos qui erant favus *cum melle*, id est ita stillantes dulcissimam doctrinam, scilicet messui aliquos prædicatores, vel aliter, myrrham messui, et alios qui erant maturi; qui nondum erant maturi, ad perfectionem duxi, ut mihi fructum facerent, et hoc est, *comedi*, id est in corpus meum transduxi quosdam, efficiendo eos favum meum. *Bibi vinum*, id est similiter in corpus meum reduxi quosdam qui fuerant vinum, et etiam fide et veritate ferventes et alios inebriantes doctriua *cum lacte*, id est cum simplicibus meis qui sunt nutriti lacte, id est doctrina fidei, non alta sentientes, et hos bibi, id est cum delectatione et sine labore mihi incorporavi, vel bibi, quia maturos tales ad beatitudinem assumpsi. *Comedite*. Vox item sponsi ad amicos, et commonet eos, ut remota infidelitate per ipsum, quia sunt quidam adhuc tepidi et torpentes, laborent in eis, et removeant ignorantias cordis ab ipsis. Et notatur hic status Ecclesiæ secundum hæc tempora nostra, ubi fidelius prædicatur: Quasi dicat; ego comedi quosdam et bibi, et, vos amici mei, comedite et bibite, id est delectamini in his qui in prædicatione vestra prava opera et ignorantias dimiserunt. Comedere dicit de eis quos oportet conterere et cum labore acquirere. Bibere dicit illis qui cito acquiescunt. *Bibite* dico, *et inebriamini*, id est præ nimia delectatione corrigendi eos, quasi ebrii dimittite omnes curas temporales, et obliviscimini totius vestræ persecutionis, ut ipsos puros Deo reddatis.

« Ego dormio, et cor meum vigilat. Vox dilecti « mei pulsantis: Aperi mihi, soror mea, amica mea, « columba mea, immaculata mea, quia caput meum « plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium, « Exspoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? « Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? Dile- « ctus meus misit manum suam per foramen, et « venter meus intremuit ad tactum ejus. Surrexi ut « aperirem dilecto meo. Manus meæ stillaverunt « myrrham, et digiti mei pleni sunt myrrha proba- « tissima. Pessulum ostii mei aperui dilecto meo, at « ille declinaverat atque transierat. »

Ego dormio. Vox Ecclesiæ, quasi dicat: Præcipis nobis laborare et prædicare ad ædificationem aliorum, sed *ego dormio*, id est in tranquillitate mentis me contuli, dormiens et cessans a sollicitudinibus mundi, *et cor meum vigilat*, id est ratio mea Deo intenta sola cœlestia contemplatur, sicut bona amica etiam dormiens amicum somniat *Vox dilecti*. Dico dormio, sed oportet me quietem interrumpere, quoniam est vox, id est admonitio dilecti mei, *pulsantis*, id est per multa signa et dicta sanctorum me ad prædicationem commonentis, per hæc verba, *aperi mihi*, id est prædicando fac aperta corda aliorum mihi, id est ad honorem meum, et ut mihi sit habitatio in eis. Dixi aperi mihi, et opus est, *quia caput meum*, id est quidam prælati in Ecclesia mea sunt pleni, id est habent abundantiam ignorantiarum mu-

A nitarum quæ per rorem significantur qui in noctibus cadit. Vel caput meum, id est ego ipse in illis sum plenus *rore, et cincinni mei*. Cincinni dicuntur capilli retorti et male adhærentes capiti, et per hoc significantur illi qui, licet sint de Ecclesia, tamen retorquent se et subterfugiunt divina præcepta, et sic elongando a capite sunt pleni *guttis*, id est magnis erroribus *noctium*, quia illi errores ex ignorantiæ cæcitate proveniunt. *Exspoliavi*. Sic me commonet sponsus, sed quomodo ego resumam curam temporalem, ut prævideam correptis in cibo et similia, quæ jam me exui omnibus istis? et hoc dixit: Exspoliavi *me tunica*, id est dimisi omnes curas temporales, quas agebam succinctus tunica. *Lavi pedes meos*, id est lacrymis piæ compunctionis purgavi etiam

B quotidiana et levia, quæ quasi pulvis adhærent affectionibus nostris; et *quomodo inquinabo eos?* Necesse est autem prædicatoribus formam et gesta irascentis quandoque assumere pro faciliori correctione quorumdam pccatorum, et sic videntur in tali zelo inquinare conscientias suas; verumtamen quia sic aliquos Deo lucrantur, a Deo multiplex præmium recipiunt. *Dilectus meus*. Dixi, quomodo implicabor curis sæcularibus prædicando aliis, sed oportet me facere quia cum Dominus inspiret eos, et paratos exhibeat ad recipiendum, ego quomodo negarem officium meum? et hoc est quod dicit. Dilectus meus *misit*, id est inspiravit inferioribus meis, *manum suam*, id est auxilium suum et operationem suam, scilicet quomodo ipse operatus est, et in quibus eum imitari debeant, et quomodo ipse auxilie-

C tur volentibus, secundum eum operari, et hoc per foramen, id est, latenter eos visitando. *Et ad tactum ejus*, id est ad inspirationem passionis et aliorum quæ fecit, et sui auxilii, *Intremuit*, id est intra se tremuit, dolens de præteritis, ad meliora appetens instrui. *Surrexi*. Vox sponsæ proferentis obedientiam suam, quasi dicat. Inferiores mei jam contremuerunt inspiratione ipsius, et ideo ego surrexi, cessando aliquando a quiete contemplationis, et resumendo laborem prædicationis, *ut aperirem* corda aliorum ad perfectam Dei cognitionem, et statim *manus*, id est operationes *distillaverunt myrrham*, id est fuerunt amaræ. Oportet enim prædicatores in semetipsis demonstrare mortificationem carnis, qui idem aliis faciendum denuntiant. Nemo enim carnem

D quæ fomes est peccati, nutriendam denuntiat. *Digiti mei*, id est quædam discreta opera mea, sunt *pleni myrrha probatissima*, id est ostendit maximas carnis mortificationes, et prædicando et proferendo exemplum sui. *Aperui dilecto meo*, id est corda aliorum præparavi ad cognitionem Dei, et hoc feci removendo *pessulum* ab ostio. Per ostium accipimus ignorantias et cæcitates quæ obstruunt corda, ne promoveantur ad bene agendum. Pessulum dicimus causam qua aliquis in hujusmodi ignorantiis detinetur, ut si quis gaudens in mundanis, prætendat excusationem, quia sit sustentator viduæ matris: *At ille declinaverat*. Dico quia aperui ostium, sed

antequam aperuissem, ipse declinaverat, id est A seipsum eis manifestaverat. Et hic tangit bonitatem Dei, qui ex quo inceperit aliquis eum velle, ipse est paratus adjuvare, et pro muneribus suis ei præmium reddere. Dico declinaverat, sed cum *transierat*, id est, incomprehensibilem se eis ostenderat.

« Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus « est. Quæsivi, et non inveni ; illum vocavi, et non « respondit mihi. Invenerunt me custodes qui cir- « cumierunt civitatem, percusserunt me, et vul- « neraverunt me, tulerunt pallium meum custodes « murorum. »

Anima mea. Vox illorum inferiorum quos supra ventrem vocavit, vel ipsius Ecclesiæ corrigentis, sed in persona correctæ, ut sic dicat : Dilectus meus visitavit me mittendo manum suam per foramen, et B admonuit per prædicatores suos, et ideo *anima mea*, id est ratio et intellectus liquefactus est, id est calore Spiritus sancti illuminatus, et a duritia infidelitatis separatus, *ut dilectus locutus est*, id est postquam Dei vocem et admonitionem audivi. Dixi, quia declinaverat et transierat, et quia transivit, *quæsivi eum*, id est perfectam cognitionem ipsius obtinere laboravi, et non inveni. *Vocavi*, id est preces immisi ut ipse seipsum perfecte mihi indicaret *et non respondit mihi*, id est effectum vocationis non obtinui. Sic quærentem *invenerunt me*, id est affectionem meam cognoverunt veri illi pastores quos vigiles vocat, quia vigiliam et diligentiam adhibent, ut suos greges custodiant, et alios Deo acquirant, *qui circuibant civitatem* diligenter scilicet inquirebant C singulos, ut errantium ignorantias corrigerent. Dico, quia invenerunt et *percusserunt*, id est ad compunctionem me commoverunt dolore, et recordatione præteritorum, *vulneraverunt me*, amore Dei, *tulerunt pallium meum*, id est removerunt a me omnia operimenta erroris *custodes murorum*, id est majores, ut episcopi qui custodiunt illos qui sunt muri et defensio aliorum, ut episcopi et alii tales quos supra vigiles vocavimus.

« Adjuro vos, filiæ Hierusalem, si inveneritis di- « lectum meum, ut nuntietis ei quia amore lan- « gueo. Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pul- « cherrima mulierum ? Qualis est dilectus tuus ex « dilecto, quia sic adjurasti nos ? Dilectus meus « candidus et rubicundus, electus ex millibus. »

Adjuro vos. Modo introducta loquitur, et commo- D net compares suos ut juvent eam quærere, et hoc innuit cum dicit : *Si inveneritis dilectum, ut nuntietis ei quia amore langueo* ut cognita dilectione et affectione mea, seipsum plene manifestet mihi. *Qualis est dilectus tuus ?* Vox illius qui monetur ad quærendum. Quasi dicat : Rogas ut quæram et tibi indicem, sed prius notifica quibus signis cognoscam dilectum tuum, et hoc est quod dicit : *Qualis est dilectus tuus* secundum divinitatem *ex dilecto ? Qualis est dilectus tuus* secundum humanitatem. Ideo autem quæro qualis est, quia audio eum mirabilem. Ideo quia sic adjurasti nos. *Dilectus meus*, Vox illius quæ modo commonebat alios ut inquirerent et indicarent sibi amicum suum, et describit eis quædam de ipso, ut istum talem imitentur, et multo altiorem intelligant, et hoc est quod dicit : Dilectus meus *candidus*, id est dealbatus multa virtute *rubicundus* propter passionem *electus ex millibus*, id est ex universis rebus, quia inter omnia nihil aliud melius potuit inveniri per quod posset genus humanum redimi.

« Caput ejus aurum optimum. Comæ ejus sicut « elatæ palmarum, nigræ quasi corvus. Oculi ejus « sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte « sunt lotæ, et resident juxta fluenta plenissima. « Genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ a pig- « mentariis ; labia ejus lilia distillantia myrrham « primam. Manus illius tornatiles aureæ, plenæ « hyacinthis. Venter ejus eburneus, distinctus sap- « phiris. Crura illius columnæ marmoreæ, quæ « fundatæ sunt super bases aureas. Species ejus ut « Libani, electus ut cedri. Guttur illius suavissimum, « et totus desiderabilis. Talis est dilectus meus, et « ipse est amicus meus, filiæ Hierusalem. Quo abiit « dilectus tuus, o pulcherrima mulierum ? quo de- « clinavit dilectus tuus ? et quæremus eum tecum. »

Caput ejus. Modo describit eum secundum humanitatem, modo demonstrat eum secundum alteram partem, id est secundum divinitatem. *Caput ejus*, id est divinitas quæ est caput Dominici hominis, est *aurum optimum*, id est divina sapientia Dei optima et perfecta per quam fecit omnia. *Comæ ejus*, id est illi adhærentes capiti, subtiles et graciles sunt *sicut elatæ*, id est semper tendentes ad superiora. Elatæ quidem dicuntur rami palmæ qui in summo exeunt, et semper in altum se dirigunt, et ferunt eos triumphatores, et ideo bene comparat eis capillos Christi, qui sunt veri triumphatores, *quæ* tales comæ sunt *nigræ* id est despicabiles mundo. *Sicut corvus*, id est loquaces et garruli sicut corvus. Vel aliter : Similes corvis, quia natura corvi est ut non pascat pullos donec sint nigri, id est similes sibi. Interim autem resident in ore eorum musculæ venientes ad quemdam ipsorum fetorem, et illas devorant, ita sancti nullum pascere volunt cibo spirituali, quem non videant similem sibi, id est diabolo renuntiantem, et catholicæ fidei obedientem. *Oculi ejus*, in est illi qui subtili intuitu penetrant Scripturas, et aliis prævident. Sunt sicut *columbæ super rivos et juxta fluenta plenissima*. Columbæ est natura nidificare vel ædificare juxta aquam, ut se reficiat inde, et ut videat ibi umbram milvi vel accipitris, ut possit effugere, ita sancti juxta aquas, id est divinas Scripturas, immorantur, ut inde reficiantur, et ibi sibi prævideant ab insidiis diaboli. Per rivos accipimus minores doctrinas, ut expositiones et sermones sanctorum. Per fluenta plenissima accipimus doctrinam Evangeliorum, ubi plene humana correptio continetur. Columbas dicit lacte lotas, quia fideles illi quos oculos vocat, sunt purgati et mundati *lacte*, id est suavi et dulci doctrina, et

dilectione Spiritus sancti. *Genæ illius*, id est superiores illi sancti qui terunt Scripturas, et inferioribus intelligibiles reddunt, sunt *sicut areolæ*, id est terra bene culta et plantata ab ipso Deo. Areolæ dico *aromatum*, id est de quibus suavissimi odores orationum et operum præsentantur Deo; et hæ areolæ, id est hi sancti sunt *consitæ a pigmentariis*, id est a sanctis apostolis et prophetis, qui ipsos ædificant doctrina sua et plantant, qui dicuntnr pigmentarii, quia terunt omnia reducendo ad humilitatem, sicut pigmentarii species terunt ad pulverem. *Labia ejus*, id est prædicatores per quos loquitur, sunt *distillantia*, id est annuntiantia *myrrham*, id est amaricationes carnis; nullus enim prædicator docet carnem nutriendam. *Primam* dicit, quia maxime debet caro mortificari, quia quanto magis caro mortificatur, tanto potius fit robustior spiritus. *Manus ejus*, id est operatores etiam in sæcularibus actibus, qui ideo dicuntur manus ejus, quia etiam in his talibus operatur Deus, sunt *tornatiles*, id est planati et suaves, ut in eis Deus non offendatur; sunt *aureæ*, id est divina sapientia operantes, sunt etiam *plenæ hyacinthis*, id est cœlo. Sunt enim boni operatores manuum, intenti prorsus cœlestibus, et per divinam sapientiam sciunt operari; per hyacinthum significamus cœlum qui est aerii coloris. *Venter ejus*, id est mollior pars Ecclesiæ, ut conjugati qui licentius mundo utuntur, sunt *eburnei*, id est casti. Elephas enim frigidæ naturæ est, unde per ebur castitatem significamus. Ebur enim adeo frigidæ naturæ est, ut superpositus pannus ebori carbone non uratur. Venter dico *distinctus sapphiris*, id est aliquando intentus cœlestibus. Oportet enim aliquando conjugatos intendere curis mulierum, aliquando etiam persistere in contemplatione, cujusmodi Apostolus vocat divisos (*I Cor.* VII). Per sapphirum, qui est aerii coloris, accipimus cœlum. *Crura illius*, id est illi qui sunt prope novissima tempora, ut illi qui portant eum et annuntiant in his novissimis temporibus, sunt *columnæ*, id est sustentatores aliorum, *argenteæ*, fulgentes et resonantes nitore divini eloquii, *fundatæ super bases aureas*, id est super apostolos et prophetas, qui sunt aurei, quia pleni charitate et sapientia. *Species ejus ut Libani*, quasi dicat: Quid enumerarem singula? Species ejus, id est ipse totus, scilicet caput et corpus, sunt ut Libanus, id est candidati et redolentes, *Electus*, id est ipse Christus secundum propriam personam; *ut cedrus*, quia sicut cedrus dignior arbor est inter omnes alias, ita Christus ultra omnes homines est; et ut illa imputribilis est, et odore suo vermes occidit, sic Christus spiritualiter. *Guttur illius*, id est verbum interius, scilicet sensus verborum ipsius, est suavissimus omnibus qui recipiunt. Quid plura? *Totus* est *desiderabilis*. Ecce descripsi vobis qualis esset dilectus meus, filiæ Hierusalem, ut et vos ipsi quem talem cognoscitis, fortiter adhæreatis, et mihi de eo debetis credere quia *ipse est amicus meus*, id est mihi familiaris ac bene notus.

A *Quo abiit*. Vox item illorum qui monentur quærere, et audita qualitate ipsius, quærunt quasi locum et terram in qua eum quærant, sicut sæculares amicæ sibi invicem loquerentur, et moneret aliqua aliam ut juvaret eam ad quærendum amicum suum, ut sic dicant: *O pulcherrima mulierum*, id est inter omnes mulieres, id est philosophos, qui dicuntur mulieres, quia nutriunt alios in suis sectis. Pulcherrima dico, indica mihi quo abiit, id est infra quem locum potero eum invenire. Hoc dicit secundum hoc quod est incomprehensibilis, scilicet secundum propriam essentiam ipsius. *Quo declinavit*, dicit secundum hæc quæ de eo sciri possunt, quasi dicat: Indica mihi qui sunt illi, in quibus habitet Deus, et quibus conferat Deus cognitionem sui, et quare quæ-

B rimus, quia ecce *quæremus eum tecum*. Et notatur magna affectio inter eos qui ita se invitant ad inquirendam cognitionem Dei.

CAPUT VI.

« Dilectus meus descendit in hortum suum ad « areolam aromatum, ut ibi pascatur in hortis et li- « lia colligat. Ego dilecto meo, et dilectus meus « mihi, qui pascitur inter lilia.

Dilectus meus. Vox illorum qui invitant alios ad quærendum Deum, ut sic dicant: Vos quæritis quo declinavit dilectus meus, et ecce annuntio vobis quia in Ecclesia sua notus est, et ibi habitat, et hoc dicit, *descendit in hortum suum*, id est de cognatione angelorum suppliciter se humiliavit, carnem sumendo, usque ad cognitionem hominum;

C descendit dico *ad areolam*, id est ad illos qui sunt areola, id est qui sunt bene culta terra, et plantata secundum voluntatem Dei. Areola dico *aromatum*, id est illi qui proferunt Deo suavem odorem orationum et operum. Descendit, dico, ad hoc *ut pascatur* et delectetur *in hortis*, id est in fidelibus Ecclesiæ suæ. *Et lilia colligat*, id est assumat et reponat in secreta sua; *lilia*, id est candidatos in virtutibus, vel colligat et attrahat quosdam in Ecclesia sua quos faciat lilia, id est candidatos omni virtute. *Ego dilecto*. Et mihi iterum de hoc debes credere quia ego dilecto *meo* obsequor in quibus possum, et sum bene ei familiaris, et ideo *dilectus meus* adest *mihi*, præbens auxilium suum et cognitionem suam, *qui* pascit et delectatur *inter lilia*.

« Pulchra es, amica mea, suavis et decora sicut

D « Hierusalem, terribilis ut castrorum acies ordina- « ta. Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare « fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum, quæ « apparuerunt de Galaad. Dentes tui sicut greges « ovium, quæ ascenderunt de lavacro. Omnes ge- « mellis fetibus, et sterilis non est in eis. Sicut cor- « tex mali Punici, sic genæ tuæ absque occultis « tuis. Sexaginta sunt reginæ, et octoginta concu- « binæ, et adolescentularum non est munerus. Una « est columba mea, perfecta mea, una est matri « suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ « Sion, et beatissimam prædicaverunt reginæ, et « concubinæ laudaverunt eam. »

Pulchra es. Vox sponsi. Audiens Christus affectionem Ecclesiæ, ideo eam commendat cum dicit: *Pulchra es, amica mea*, etc. Pulchram dicit secundum hoc quod habet tantam voluntatem eum cognoscendi; suavem propter hoc quod alios invitat ad idem, non invidens sponsum suum alias habere amicas, decoram dicit secundum opera. *Sicut Hierusalem*, id est ita pulchra sicut Hierusalem cœlestis, et decora sicut mater tua, scilicet Ecclesia illa quæ te generavit et educavit, *terribilis* inimicis, *ut castrorum acies*, quia in te milito, et tu militas in servitio meo, sicut in castris militatur, et es *ordinata* per institutionem sanctorum. *Averte oculos.* Tu es ita commendabilis, sed tamen desiste putare quod modo credis, ut possis pertingere ad perfectam cognitionem mei, et hoc dicit *ante oculos tuos*, id est intelligentiam quam exerces ad cognitionem plenam mei vel oculos ipsos subtilius intuentes, *quia ipsi advolare*, id est separari ab omni cognitione humana, *me fecerunt*, scilicet quia quanto quis subtilius et altius Deum scrutatur, tanto eum altiorem et incomprehensibilem cognoscit. Modo, quia dixit: Averte oculos, ne ista conquereretur se esse indigniorem matre sua, id est Hierusalem, commendat eam sicut fecit superius matrem, cum dicit: *capilli tui*, etc. Dixi: Averte oculos, et tamen habes oculos, etc., æque pulchra, sicut illa Ecclesia quæ te prædicavit. Non ideo dixit ut oculos avertat quod peccatum sit, Deum plene velle cognoscere, sed est peccatum putare posse adipisci. *Sexaginta sunt reginæ.* Reginæ vel uxores dicuntur omnes illi in sancta Ecclesia, qui ex sola dilectione Dei non spe lucri sæcularis Deo filios generant; concubinæ vero qui non ex dilectione Dei, sed gratia boni temporalis prædicant, et Deo tamen bonos filios generant. Concubinæ autem ejiciuntur de domo patrisfamilias, sed filii retinentur. Adolescentulæ dicuntur illi qui generantur. Et hoc dicit propter has pulchitudines; habes et reginas et reliquas quæ dicuntur sexaginta. Per sexaginta, qui conficitur ex decem et sex, scilicet perfecti in decem præceptis legis secundum sex opera misericordiæ. Per octoginta, qui conficitur ex octo et decem, habemus eos qui, licet decem præcepta aliquantulum custodiant et prædicent, tamen versantur in sæcularibus. Octogenarius autem cum in malo accipitur, temporalium curas et implicamenta designat, quia et sæculi cursus quatuor circumagitur temporibus, et mundus ipse quatuor climatibus, oriente, occidente, aquilone et austro dirimitur. Concubinæ igitur sunt, qui amore temporalium Christum annuntiant. *Una est columba mea.* Cum dicat tot membra Ecclesiæ, vellet aliquis discordiam et nunquam unionem inveniri in Ecclesia, et ideo hoc removendo dicit: Quamvis tot partes dixerim Ecclesiæ, ipsa tamen una est, id est in fide unitas et est una matri suæ, id est ita est una sicut mater sua, id est Ecclesia illa quæ istam nutrivit et educavit doctrina suavi. Et est *una genitricis suæ*, id est sicut genitrix sua, et sicut prædicatores illi, qui eam

A converterunt, et accipit matrem quantum ad instructionem, genitricem quantum ad conversionem, et quia talis est sicut per omnia supradicta manifestatum est, ideo quæcunque aliæ *filiæ viderunt eam* admiratæ sunt eam, *et reginæ et concubinæ prædicaverunt* eam *beatissimam* propter gloriam venturam et *laudaverunt eam reginæ et concubinæ* de virtutibus secundum præsentem vitam.

« Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora « consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terri- « bilis ut castrorum acies ordinata? »

Quæ est ista. Vox Judæorum qui videntes tantum profectum Ecclesiarum in gentibus, incipientes moveri ad compunctionem, admirantes, non invidentes dicunt: *Quæ est ista*, id est qualis et quanta, *quæ*
B *progreditur sicut aurora*, id est per terram diffunditur, sicut aurora *consurgens*, in qua sunt quidam, *ut luna*, id est illuminantes tenebrosos; quidam *ut sol*, id est illuminantes etiam quosdam claros, et sunt quidam in ea terribiles hostibus, quidam sunt *acies castrorum*, scilicet muniti vallo fidei, et ordinati multis virtutibus.

« Descendi in hortum nucum ut viderem poma « convallium, et inspicerem si floruisset vinea, et « germinassent mala Punica. Nescivi. Anima mea « conturbavit me propter quadrigas Aminadab. « Revertere, revertere Sunamitis, revertere, rever- « tere, ut intueamur te. »

Descendi. Vox sponsi, ut ita respondeat Judæis: Quæritis quæ sit ista? ipsa quidem est amica mea
C et hortus in quem ego descendi. *Nucum*, ideo quia in nuce habetur exterius amaritudo, intra testa quædam fragilis, intus est nucleus dulcis, eodem modo sancti exterius amaricationes multas sustinent intra corpus, quod est testa fragilis; verum intus quidem est dulcissimum, quod est anima ornata multis virtutibus. Descendi dico *ut viderem*, id est probarem et auxilia per gratiam conferrem illis qui sunt *poma*, id est matura opera Deo proferentes, et convalles sunt, id est humiles; *et inspicerem.* Inspicere Dei est gratiam conferre, et fideles probare, *si vineæ*, id est hi quibus magnus cultus impenditur, *floruissent*, id est initia virtutum protulissent, *et* si *mala Punica*, id est illi qui paratos se ostendunt cuilibet passioni, *germinasseut*, id est aliquem fructum Deo acquisissent. *Nescivi.* Vox Judæo-
D rum compunctorum. Dicis quia hæc est amica tua, et inspicis eam conferendo ei dona spiritualia; ego quidem nesciebam, quia *anima mea*, id est scientia quam in lege habui secundum carnalem intellectum, *conturbavit me*, id est conturbatum a cognitione Dei reddidit *propter quadrigas Aminadab*, id est propter quatuor Evangelia Christi quæ mihi videntur destruere legem, quam prius acceperam. Aminadab interpretatur *spontaneus Domini*, vel *pro populo*, per quem significatur Christus, qui sponte se Deo obtulit, et hoc pro populi redemptione. Per quadrigas quæ feruntur quatuor rotis, intelligimus Evangelium quod fertur per totum mundum quatuor evangelistis.

Revertere, revertere. Vox Ecclesiæ de gentibus. Cognoscit quidem errorem Judæorum, commonetque eos ad conversionem. Et ponit quater *revertere*, quia revocat eos de quatuor mundi partibus. Sunamitem vocat eam, id est captivam a diabolo in Babyloniam, id est in confusionem vitiorum. Fuit quidem quædam Sunamitis captivata in Babylonia. *Revertere* dico, *ut intueamur te*, id est ut in te vitam nostram conspiciamus, vel ut te præ nimia bonitate miremur.

CAPUT VII.

« Quid videbis in Sunamite, nisi choros castro- « rum? Quam pulchri sunt gressus tui in calcea- « mentis, filia principis. Junctura femorum tuorum « sicut monilia quæ fabricata sunt manu artificis. « Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indi- « gens poculis. Venter tuus sicut acervus tritici, « vallatus liliis. Duo ubera tua sicut duo hinnuli « gemelli capreæ, collum tuum sicut turris eburnea. « Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in « porta filiæ multitudinis. Nasus tuus sicut turris « Libani, quæ respicit contra Damascum. Caput « tuum ut Carmelus, et comæ capitis tui sicut pur- « pura regis juncta canalibus. Quam pulchra es et « quam decora, charissima, in deliciis? Statura tua « assimilata est palmæ, et ubera tua botris. »

Quid videbis. Vox Christi, et commonet Ecclesiam gentium, ut laboret ad conversionem Judæorum, quia non erit inutilis labor et prædicatio eorum, quasi dicat : Tu rogas eam ut revertatur, a quo non est cessandum, quia videbis *in Sunamite*, id est in Judæis captivitatis a diabolo *choros*, id est cantantes et psallentes Domino, choros dico *castrorum*, id est in quibus militet Deus, et qui sunt bene muniti. *Quam pulchri!* Item commonet Ecclesia de gentibus ad prædicationem Judæorum propter aliam causam scilicet, quia multum utile erit et magnum fructum Deo faciet hæc novissima Ecclesia in qua erunt Judæi conversi. Non tamen dicitur quod omnes Judæi tandem convertantur, sed major pars. Ideo labora, tu Ecclesia de gentibus, ad conversionem Judæorum quia valde erunt *pulchri* illi *gressus tui*, id est ultimi fideles qui te et doctrinam tuam portabunt, pulchri dico *in calceamentis*, id est in mortificatione carnis, quia de mortuis animalibus fiunt calceamenta, vel in calceamentis, id est in apostolis et aliis sanctis quorum exemplis et auctoritate protegentur ultimi, sicut pedes calceamentis. *Filia principis*, id est Dei Vel potest hic esse vox Christi ad ipsos Judæos per apostrophen. *Junctura femorum*, id est coadunatio duorum populorum, *sicut monilia* quia muniunt et monent quidem alios, ut considerantes suam pulchritudinem et dona spiritualia quæ in ipsis vigent, velint sibi adhærere; muniunt vero subditos contra insidias diaboli, et docent eos castitatem. Monilia dico *fabricata* potentia et operatione summi *artificis*, id est Dei ipsius.

Umbilicus tuus. In hac parte ventris mulier habet seminarium generationis, et per hanc partem, quæ est in ventre, habemus illos qui cum sint inter car- A nales, ut conjugati, habent tamen seminarium prædicandi et generandi Deo filios. Et hi tales sunt *crater*, id est potans et inebrians alios Dei dilectione. Crater dico *tornatilis*, id est ita planatus secundum voluntatem Dei, ubi manus Dei nullam inveniat offensam, qui crater, *nunquam*, indiget *poculis*, quia hujusmodi sanctis nunquam deficiet doctrina qua potent alios. Vel umbilicus ideo dicuntur hujusmodi sancti prædicatores, quia sicut umbilicus est in medio ventris, ita isti sunt in medio populi concionantes et reconciliantes eos Deo. *Venter tuus*, id est illa mollior pars Ecclesiæ, qui alios non generant, *sicut acervus tritici vallatus liliis*. Acervus ideo dicit, quia multi sunt tales in Ecclesia. Tritici dicit, quia et tales sunt suavis cibus et delectabilis Dei, B et sunt vallati, id est bene muniti *liliis*, id est in virtutibus. *Duo ubera*, id est prædicatores, qui sunt ubera, scilicet vasa lactis, id est doctrinæ suaviter educantis. Hi tales sunt *hinnuli*, quia leves et agiles ad currendum, non prægravati pondere carnis, *gemelli* dicit, quia sicut gemelli fratres, licet sint diversi, tamen sibi similes, ita hi duo populi Judæorum et gentilium sibi similes erunt, quia eamdem instructionem legis et sequentur et docebunt *capreæ* quia capreæ virtutes habebunt. *Collum tuum*, id est, illi qui in Ecclesia novissima officium colli habebunt, erunt *sicut terris* quia ad eos confugientes defensionem invenient, *eburnea* dicit propter castitatem. *Oculi tui*, id est, illi sancti prævisores et subtiliter Scripturarum profunditatem intuentes, sunt *sicut piscinæ*, id est aquæ reficientes doctrina C verbi Dei omnes sitientes. *In Hesebon*, quod interpretatur *cingulum mœroris*, sunt sancti illi qui sunt oculi et aquæ dicuntur, et in Hesebon, quia semper cincti sunt mœrore et propriorum et aliorum delictorum, quæ piscinæ, id est doctrinæ sunt *in porta*, id est parati ad refectionem *filiæ multitudinis*, id est multorum filiorum. Sunt enim quasi in porta, quia omnibus qui accedere volunt parati sunt ut eos spirituali aqua reficiant. *Nasus tuus.* In naso continetur discretio boni ac mali odoris, et per hoc significantur illi qui habent discretionem bonorum et malorum, ut discernant qui sint bonæ voluntatis, et eos instruant, et qui sint simulatores et dolosi, et eos rejiciant. Hi tales sunt *turris Libani*, turris, quia fugientibus sunt opportuna munitio, Libani, quo- D niam candidati sunt virtutibus. Vel turris, quia sicut turris fortis est munitio, ita sancti in discretione sua non vincuntur, quia fortes, sicut in electione sua nec falluntur, ut bonum judicent malum, vel malum bonum, *quæ respicit contra Damascum.* Fuit quidem Damascus contraria semper Hierusalem, et cives suos invicem subtrahebant, et interpretatur Damascus *potus sanguinis*, per quam significantur persecutores sanguinolenti qui persecutionem inserunt vel gaudent in malis aliorum, contra quos respiciunt prædicti sancti, ut aliquos cives istis subtrahant, et in corpus suum traducant. *Caput tuum*, id est mens tua, vel altiores in Ecclesia, sunt, *ut*

Carmelus, id est habentes scientiam circumcisionis. Intelligunt enim per præputium amputatum, ubi est sedes libidinis, et per quod generatio tota succedit, amputandam a nobis omnem veterem generationem, scilicet depositionem omnium sordium, quæ tandem perfecta erit in communi resurrectione. Carmelus interpretatur *scientia circumcisionis. Et comæ capitis*, id est illi qui proxime adhærent capiti Ecclesiæ, scilicet veri pauperes qui Christo proxime adhærent, sunt etiam quasi ornamentum ipsius capitis. Hi tales sunt *sicut purpura regis*, id est imitatores passionis Christi, qui verus rex est, purpura dico *vincta canalibus*, id est passio eorum sit juncta et dependens a canalibus, id est a cogitationibus et cordibus, scilicet ut cum proponant se imitatores passionis Christi, non sit hoc secundum exteriora tantum, sed etiam secundum interiora. Dicuntur canales vasa illa in quibus tinguntur purpuræ, et sicut purpura si bene adhæreat canali melius tingitur, ita isti passioni Christi melius adaptantur, si per exteriora et interiora se compassibiles ostendant. *Quam pulchra*. Quid per singula? *Tota pulchra es*, secundum interiores virtutes, *et decora* secundum opera, *in deliciis*, id est in omni spirituali refectione. *Statura*, id est directio *tua* sicut palmæ. Sicut enim palma in altum semper fertur, ita fideles isti semper tendunt ad altitudinem virtutum, *et ubera tua*, id est, doctrinæ tuæ similes sunt *botris*, id est vino, sicut enim vinum, ita doctrinæ tuæ inebriant.

« Dixi : Ascendam in palmam, et apprehendam « fructus ejus. Et erunt ubera tua sicut botri vineæ, « et odor oris tui sicut odor malorum. Guttur tuum « sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad « potandum, labiisque et dentibus illius ad rumi« nandum. Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus. « Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, commo« remur in villis. Mane surgamus ad vineas, videa« mus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, « si floruerunt mala Punica. Ibi dabo tibi ubera « mea. Mandragoræ dederunt odorem suum in por« tis nostris. Omnia poma nova et vetera, dilecte « mi, servavi tibi. »

Dixi : Ascendam. Ponit aliam causam quare Ecclesia de gentibus prædicare debeat Judæis, ut si ita diceret : Tu prædicare debes quia utilis erit prædicatio tua, et multi convertentur, tum quia conversi tales et tam probi erunt, sicut dictum est, tum quia ego ipse veni proprie eos redimere, unde dictum est, Matth. XV : « Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel, » et hoc dicit, *Dixi* id est ab æterno disposui, *ascendam in palmam*, id est in crucem, in qua dicitur quædam pars fuisse de illa arbore, vel in palmam quia ibi obtinuit victoriam diaboli, et de obtentu mundi triumphavit, Dixi ascendam *et apprehendam fructus ejus*, id est generabunt mihi filios, et proferent bonas operationes. Modo convertit se ad eam sponsus ipse, cum dicit, *et ubera tua*, id est doctrinæ tuæ *sicut botri* non hederæ, sed *vineæ*, id est et dulces ad bibendum, A et inebriantes aliquos qui diligenter eos audiunt, *et odores tui*, id est fama et devotio tuorum *sicut* odores *malorum*; sicut enim poma odore suo aliquos attrahunt, ita isti etiam fama sua sibi aliquos attrahunt et sociant. Erunt quidem valde boni illi ultimi Judæorum, sicut ostendit Apostolus qui dicit, Rom. II : « Et si diminutio eorum divitiæ sunt gentium, quanto magis plenitudo eorum ? » Licet enim non omnes convertantur, tamen major pars eorum convertetur. *Guttur*, id est verba interiora, scilicet sensus verborum tuorum, est *sicut vinum optimum*, id est nutrientia et inebriantia homines, ut faciant oblivisci totius vitæ suæ prioris. *Dignum dilecto*. Vox Ecclesiæ, et commendat verba illa quæ etiam tam digna sunt ut ea Christus a Deo Patre accepisset, B ut ita dicatur : Dico tuum guttur sicut vinum optimum, et adeo optimum ut sit *dignum dilecto meo*, id est Christo *ad potandum*, id est ut Christus ea potet, id est sine labore, et cum delectatione *labiis*, id est prædicatoribus, *et dentibus*, id est fortioribus, qui Scripturas conterunt dignum *ad ruminandum*, id est dignum ut labia et dentes ruminent, scilicet terant et laborent ad intelligendum. *Ego dilecto meo*, quasi dicat : Mihi credendum est, quia ego adsum ei semper familiaris ex conscientia secretorum, et ipse me diligit, et hoc dicit : *Ad me conversio ejus*, id est ad me amorem suum convertit. *Veni, dilecte*. Modo Ecclesia, audita commonitione Christi, parataque ad prædicandum Judæis, invitat sponsum ut secum sit in prædicatione illa auxilium sibi conferens, quasi dicat : Præcepisti C mihi prædicare Judæis, quod nihil proderit sine auxilio tui, et ideo, *dilecte mi, veni*, id est aspira eos interius, *et egrediamur*, id est, extra gentes gradiamur *in agrum*, id est ad prædicationem illorum qui sine magno labore faciunt fructum, et *commoremur in villis*, id est in ædificatione et ordinatione ipsorum. *Mane surgamus*, id est studiose laboremus ; qui enim studiosi sunt, mane surgunt ad opera sua. Per vineas accipimus illos in quibus laboratur antequam fructum reddant, et *videamus si vineæ*, id est illi tanto labore exculti, *floruissent*, id est, initia virtutum emisissent, *si flores*, id est illi in quibus jam apparent initia virtutum *fructum*, id est, matura opera, *parturiunt*, et videamus *si mala Punica*, id est futuri martyres adhuc *floruissent*. Dixi : Veni, D dilecte, ad quos quidem mecum debes venire, quia *ibi dabo tibi*, id est ad tuum honorem *ubera mea*, id est doctrinam meam qua tibi optimos acquiram filios. *Mandragoræ*. Dico quia ibi dabo tibi ubera mea quod bene potero facere, quia ipsi Judæi jam dederunt mihi bonam opinionem suæ conversionis, scilicet idoneos se exhibentes ad recipiendam fidem. Mandragoræ sunt herbæ, et habent similitudinem cum humanis membris absque capite per quod significantur Judæi carentes capite, id est Christo. Per portas intelligimus fidem, quia est porta, et introitus omnibus ad salutem. *Omnia poma*. Dixi quod darem tibi ubera mea, quod vere faciam, quia ser-

vavi tibi, id est ad honorem tui, sententias Novi ac Veteris Testamenti, quibus tibi aliquos fructus faciam, quæ sententiæ, et suaviter sunt redolentes, et audientes ita dulciter attrahunt sicut poma.

CAPUT VIII.

« Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera « matris meæ, ut inveniam te solum foris et deos« culer te et jam me nemo despiciat? Apprehendam « te et ducam in domum matris meæ, et in cubi« culum genitricis meæ. Ibi me docebis, et dabo tibi « poculum ex vino condito, et mustum malorum « granatorum meorum. Læva ejus sub capite meo, « et dextera illius amplexabitur me. »

Quis mihi. Hic Ostenditur effectus prædicationis Ecclesiæ quia loquuntur Judæi audientes sibi annuntiandum Christum, et accensi amore ipsius prorumpunt in hæc verba, *Quis mihi det*, id est utinam aliquis mihi annuntiet *fratrem meum*, id est Christum de carne mea natum *sugentem ubera matris*, id est educatum doctrina Synagogæ. Modo ex nimio amore convertit se ad ipsum. Quis mihi det dico *ut te inveniam foris*, id est, ut hominem te cognoscam in quo turpiter erravi, *et deosculer te*, id est delecter in agnita tua humanitate *et jam me nemo* despicabilem putabit, qui prius fui comtemptui omnibus. *Apprehendam te* id est, qui prius fueramus a te separati modo tibi firmiter adhærebimus. Apprehendam dico, et ducam in domum matris meæ, id est illos qui modo serviunt Synagogæ, Christo faciam servire, et *in cubiculum genitricis meæ*, id est quosdam de Synagoga tales efficiam in quibus cubet ac quiescat sine offensa Deus *Ibi.* id est dum te filiis Synagogæ annuntiabo, *me docebis*, quia ego aperiam os, et tu illud adimplebis sicut promisisti (*Psal.* LXXX), *et dabo tibi poculum*, id est convertam tibi multos de Judæis qui erunt tibi poculum, id est delectabilis potus, et refectio per bona opera sua, et in multis virtutibus. Cujusmodi potum sitit Deus, ut ipse dixit in cruce, « Sitio (*Joan.* XIX), » scilicet traduco in corpus meum genus humanum. Poculum dico *ex vino condito*, id est quod poculum sit vinum, id est viri calentes amore Dei, et alios inebriantes dilectione Dei. Quod vinum est conditum, id est confectum multis speciebus, id est virtutibus diversis ipsorum sanctorum, et dabo etiam poculum *mustum* scilicet vinum calidum, fervens ac bulliens, per quod significantur sancti martyres ferventes ad amorem martyrii, qui etiam dicuntur mala granata, quia exterius rubei propter passionem, interius candidi propter virtutem. *Læva ejus*, et bene debeo laborare ut tales sibi acquiram, quia ipse mihi confert solatium, et per temporalia, et per spem æternorum.

« Adjuro vos, filiæ Hierusalem, ne suscitetis ne« que evigilare faciatis dilectam donec ipsa velit. « Quæ est ista quæ ascendit de deserto, deliciis « affluens, innixa super dilectum suum? Sub arbore « malo suscitavi te. Ibi corrupta est mater tua, ibi « violata est genitrix tua. Pone me ut signaculum

A « super cor tuum, ut signaculum super brachium « tuum, quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut « infernus æmulatio. »

Adjuro vos. Vox sponsi. Audiens namque Christus tantam affectionem Ecclesiæ Judæorum, commendat eam sicut et superiores, et præcipit subditis ne eam inquietent. *Quæ est ista.* Vox Ecclesiæ de gentibus. Videns namque filiam suam Ecclesiam de Judæis ad tantam perfectionem pervenisse, gaudens non invidens, cum admiratione dicit. *Quæ est ista quæ ascendit.* Per gradus virtutum, *de deserto*, et infidelitate sua, in qua erat deserta a Deo *afluens deliciis*, id est abundans multis virtutibus *innixa super dilectum suum*, id est Christum quem habet fundamentum omnis recte incedens. *Sub amore malo.* Vox Christi
B ad Ecclesiam illam de Judæis modo conversam, et commendat eis dilectionem suam. Conveniens namque erat ut, cum liber iste totus sit de dilectione Dei, in fine sui tractus commendaret dilectionem. Contiuuatio. Innixa est Ecclesia de Judæis super me dilectum suum. *Pone* igitur, tu Ecclesia de Judæis *me super cor tuum*, id est regentem cor tuum et cogitationes tuas. Et aliter, *super*, id est compressorem totius iniquitatis tuæ, pone dico *ut signaculum*, id est ut pateat amicis te continere mea secreta, et inimicis item pateat te non esse de eorum secta, vel ab eis secreta quæ habes esse clausa ei ignota. Vel signaculum, scilicet ita me pone ut tenor in corde imaginem mei, scilicet disponas te similem mihi et in passione et in omnibus aliis pro tuo modo, et po-
C ne me *super brachium tuum*, id est operationem tuam, ut me rectorem habeas in omnibus operibus tuis. Pone dico, *ut signaculum*, id est ut per ipsa opera pateat amicis te esse familiarem mihi, ac de consortio eorum inimici te intelligant alienam a vita et moribus eorum, et quod hoc debeant facere, præmissa est causa, cum dictum est : *Sub arbore malo*, quasi dicat : Merito debes me ponere super cor tuum, quia mortuam in peccatis liberavi te et hoc dicit, te jacentem et languidam *sub arbore*, id est sub peccato facto per arborem *malo*, id est in peccato primi parentis. Vel, languidam, sub peccato crucis quæ item fuit de arbore hac, id est malo. Legitur enim in libris Græcorum quod de eadem arbore in qua peccavit Adam, ramus quidam allatus fuit Hierosolymam, et ibi plantatus excrevit in ma-
D gnam arborem, de qua postea facta sit crux Domini, ut ex quo mors venerat eodem vita reparetur. Dicitur quoque Adam in eodem loco sepultus, in quo postea fixa fuit crux Domini; *ibi*, id est in arbore illa *corrupta fuit et violata mater*, id est Synagoga. Per corruptam notat peccati pœnam in quacunque, in sententia, qua ex crucifixione Domini habuerunt Judæi pœnam, scilicet destructionem illam quam intulerunt eis Titus et Vespasianus. Cum dicit violatam, notat æternam damnationem quam ex peccato illo habuerunt omnes qui non resipuerunt. Continuatur et aliter versus iste sic : Dixit Ecclesia me dilectum suum, et merito debes me diligere, quia

ego liberavi te a peccato primi parentis. *Quia fortis est.* Videlicet ideo debes me ponere super cor tuum, quia dilectio mea fortis est sicut *mors.* Sicut enim mors non potest impediri quin veniat, ita dilectio Dei non potest aliqua persecutione impediri quin salvationem faciat, ut deducit Paulus (*Rom.* VIII). Vel sicut mors destruit corporeos sensus, ita dilectio Dei. Qui enim dilectione Dei bene occupatus est, jam non trahit ex visu aliquam delectationem carnis, nec ex cæteris sensibus. Vel sicut mors, id est, ipse diabolus qui est causa totius mortis. Sicut enim diabolus suis inimicibiliter damnationem confert, ita dilectio Dei salvationem. *Æmulatio*, id est effectus dilectionis, scilicet efficere ea quæ dilectio, exigit sunt cura et importabilia carni; *sicut infernus*, id est insatiabilis est illa æmulatio. Nulli enim in quo abundat dilectio, videtur satis sua dare vel cætera facere quæ exigit dilectio, imo semper vellet plus facere.

« Lampades ejus lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. »

Lampades ejus. Item describit naturam illius dilectionis, quasi dicat: Ad illam dilectionem festinare debetis, quia *lampades ejus*, id est ardores hujus dilectionis, sunt sicut *lampades ignis*, id est ardores sancti Spiritus, et hoc est quod dicit, *ignis.* Sicut enim ignis calorem ministrat, ita Spiritus sanctus æstum dilectionis, et quia posset esse ignis qui non luceret, dicit *ac flammarum*, id est tales sunt lampades dilectionis quod etiam luceant, scilicet illi qui habent has dilectiones lucent aliis, quia alios illuminant verbo et exemplo. Possumus etiam per lampades accipere homines illos in quibus habitat dilectio sicut in lampade ignis. *Aquæ multæ.* Ostendit iterum aliam naturam dilectionis ut et nos amplecti ipsam velimus, ut ita dicatur: Talis est dilectio. Hanc vero dilectionem neque minæ neque persecutiones parvæ vel magnæ poterunt exstinguere. Per aquam accipimus minas et hujusmodi parvas tribulationes, quia exstinguunt humanos amores. Per flumina habemus majores adversitates. *Si dederit homo.* Item commendat dilectionem hanc, ut fortiter nos invitet ad eam conservandam, cum dicit esse talem hanc, pro qua si det aliquis *omnem substantiam*, id est universam possessionem suam, et super seipsum despieit eam, id est despicabilem judicabit ad comparationem quam obtinebit.

« Soror nostra parvula, et ubera non habet. Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est? Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea. Si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis. »

Soror nostra, dicit sponsus. Lex dilectionis tam gravis est, sed soror, id est Ecclesia de Judæis quæ dicitur soror Christi, quia et de eadem carne, et cohæres regni cum Christo, ut noviter conversa est, *parvula* adhuc tenera in fide *et ubera*, id est doctrinam *non habet* ex se, et ideo nisi auxilium ei præbeamus, legem dilectionis ferre non poterit. *Quid faciemus?* Dicit sponsus ad amicos suos: Quia soror nostra adhuc parvula est, oportet ut conferamus auxilia ei, et *quid faciemus ei in die quando alloquenda est?* In hoc præsenti tempore in quo instituenda et alloquenda est ut post hanc vitam digna inveniatur, quæ Christo copuletur in nuptiis. Quid faciemus, dico hoc scilicet *si murus est*, id est si aliqui sunt in hac Ecclesia qui sint murus et defensio aliorum. *Ædificemus super eum propugnacula argentea* id est sententias quibus sciant se defendere et alios impugnare, et hæc *argentea*, id est tinnientia compositione eloquii, scilicet sapientes et eloquentes faciamus eos. *Si ostium est*, id est si aliqui sunt in hac Ecclesia introducentes, *compingamus illud*, id est aliquid apponamus quod sit eis ad honorem, compingamus, dico *tabulis*, id est tales adjungamus qui sint tabulæ, id est subtiles et bene dotati ad voluntatem Christi, ut isti tales sint auxilio eis qui sunt ostium. Tabulis dico *cedrinis*, id est tales adjungantur qui sint cedrini, id est imputrescibiles, et odore suo vermes occidentes.

« Ego murus et ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. Vinea fuit Pacifico in ea quæ habet populos. Tradidit eam custodibus, vir affert pro fructu ejus mille argenteos. Vinea mea coram me est. Mille tui Pacifici, et ducenti his qui custodiunt fructus ejus. »

Ego murus. Vox Ecclesiæ Judæorum, proferentis perfectionem suam, ut ita dicat: Dicis; Si murus est, ædificemus. Ego quidem murum habeo, id est quidam sunt in me qui sunt murus et aliorum defensio, et sunt in me *ubera*, id est doctores sancti qui sunt *sicut turris* inexpugnabiles et invincibiles in doctrinis suis. Dico quia hoc habeo et ex eo tempore *ex quo facta sum coram te*, id est in bene placito tuo *quasi pacem reperiens*, quæ prius discordiam per peccatum habueram. *Vinea fuit.* Ostendit Ecclesia de Judæis quod ipsa debeat in Christo pacem reperire, quia Ecclesia de gentibus quæ nullum Dei cultum receperat, pacem cum Deo reperit et hoc dicit: *Vinea*, id est Ecclesia de gentibus in cujus cultu maxime laborandum *fuit Pacifico*, id est pacem invenit cum Deo. *In ea*, supple pace, *quæ habet populos*, id est in qua pace sunt multi cum Deo gentilium, dico quia vinea fuit Pacifico, et propter hoc *tradidit eam custodibus*, id est ordinavit in ea pastores, et doctores, vel angelicos custodes, cujus Ecclesiæ tanta dignitas est ut ille qui vir vult esse, id est viriliter agere afferat dividendo convenienter *mille argenteos*, id est omnia quæ de mundo habet, afferat dico et præsentet Deo *pro fructu ejus*, id est pro vita æterna quæ est fructus Ecclesiæ. *Vinea mea.* Vox sponsi. Dixisti quia Ecclesia de gentibus mihi esset in pace, non solum ea placet mihi, sed universa *vinea mea*, id est omnis Ecclesia

tam de Judæis quam de gentibus *coram me est*, id est in bene placito meo semper existit. *Mille tui Pacifici*, id est omnium simul oblata possessio coram me est. *His autem qui custodiunt fructus ejus* ut sancti pastores qui provident, ne sancti subditi amittant fructus æternitatis, sunt *ducenti* argentei, id est duplex pretium. Ducenti enim duplex est ad centum. Custodes autem sanctæ Ecclesiæ duplex pretium Deo offerunt, quia et se immaculatos Deo observant, et alios lucrantur, et ideo duplici præmio remunerantur.

« Quæ habitas in hortis, amici auscultant te, fac « audire vocem tuam. Fuge, dilecte mi, et assi- « milare capreæ hinnuloque cervorum super mon- « tes aromatum. »

Quæ habitas in hortis. Quia sponsus modo Ecclesiæ dixerat: Vinea mea coram me, et cætera talia, ne Ecclesia putaret statim assumi ad nuptias, præmonet eam ut iterum, dum non assumitur, laboret et operetur, ut bene parata nuptiis copuletur et hoc dicit : Tu sponsa quæ nondum duceris in thalamum, sed adhuc habitas in hortis ; unusquisque enim fidelium habitat in hortis, id est in Ecclesia, *fac me audire*, id est dignam te effice auditui meo, et habes per quos perferas mihi tam orationes quam opera, ut mihi placent, amicos meos, et hoc est quod dicit, *amici auscultant*, id est parati sunt ut bona opera tua Deo præsentent. Ad hoc quidem fiunt litaniæ in Ecclesia, ut per sanctorum intercessionem Dominum placiduminvenire mereamur. *Fuge dilecte mi*, quia me oportet habitare in hortis, nec possum adhuc sociari tibi in thalamo sic sicut vis, id est sustineo mihi abesse præsentiam corporis tui. Hoc autem rogo ut condescendas nobis et cognitionem tuam non solum perfectis, sed per ipos ostende inferioribus. Et hoc dicit. *Assimilare capreæ hinnuloque cervorum*, scilicet descende in colles ut videaris ab humilibus. Tu dico habitans *super montes*, id est villis altioribus qui sunt eminentes in virtutibus. Montes dico *aromatum*, id est de quibus profertur Deo odor virtutum ac bonæ operationis.

ENARRATIONES IN EVANGELIUM MATTHÆI.

CAPUT PRIMUM.

Liber generationis. In ipso exordio satis ostendit quod de humanitate Christi sit acturus, cum a carnali generatione incipiat. *Generationem* enim *ejus* divinam *quis enarrabit* (*Isa*. VIII.) Notandum quod, secundum materiam exordii libro suo etiam nomen posuit, morem Hebræorum secutus, quorum libri ex primordiis intitulantur, sicut liber primus Moysi Genesis vocatur, quia in exordio de genitura mundi agitur, et sicut Exodus, in cujus principio de exitu filiorum Israel de Ægypto tractatur. Bene congruit Novum Testamentum Veteri, quia illud incipit a generatione primi hominis et creatione mundi, istud similiter a generatione secundi hominis et restauratione mundi. Illud vocatur Genesis, istud liber generationis. Illud agit de præceptis, sed imperfectis; istud vero de institutionibus, sed perfectis. Illud de sacerdotio et hostiis, sed figurativis ; istud vero de quodam sacerdote, scilicet vero, sed et quadam hostia perfecta cæteras complente. Illud agit de liberatione Ægypti, istud de liberatione inferni. Illud agit de introductione in terram promissionis, et istud de introductione nostræ captivitatis in cœlum. Sed hæc generatio est opposita priori, quia illa duxit nos ad damnationem, ista ad reparationem. Illa de paradiso expulit, ista reduxit. Dicamus ergo : Liber generationis, scilicet hic est, sicut dicitur : *Visio Isaiæ, filii Amos* (*Isa* I), sine pronomine hic. Cujus autem sit generatio, postea subdit. Non Adæ nos perdentis, sed *Jesu*, id est salvantis. Non expellentis a paradiso, sed *Christi*, id est reducentis nos ad paradisum. Multi fuerunt antiquo tempore, quibus datum est hoc nomen, quod est Jesus, sed in figura istius, sicut Jesu Nave, id est Josue, filius Nun (Jesus et Josue idem sunt). Nave et Nun idem sunt. Jesus Hebraicum est, et dicitur Græce σωτήρ, Latine *salvator*. Jesus fuit ei proprium nomen, sicut, nuntiatum est ab angelo, Christus vero nomen officii. Christus enim significat eum unctum fuisse in regem et sacerdotem. Nota quod non sufficiebat dicere Jesu, nisi diceret et Christi. Cum enim vellet fidelibus Judæis ostendere generationem illius, qui erat in lege et prophetis promissus, nomen usitatum Judæis ponere debuit quod est Meschiah. Sciendum quod idem est *meschiah* apud Hebræos, quod *christus* apud Græcos, et *unctus* apud nos. Matthæus itaque Hebræis scribens, non dixit Christi, sed Meschiæ, sed Græci translatores posuerunt Christi. Sequitur alia determinatio : *Filii David*. Ostendit enim eum natum esse de patribus illis, de quorum semine promissus fuerat, scilicet de semine David et Abrahæ. Quare dicitur specialiter filius David *et Abrahæ*. Illis enim duobus tantum promissus fuerat. Abrahæ quidem ubi dictum est: *In semine tuo benedicentur omnes gentes* (*Gen*. XXII). Et David : *De fructu ventris tui* (*Psal*. CXXXI), etc. Et in Paralipome-

non (quod interpretatur *verba dierum*) : *Et erit*, inquit, *cum completi fuerint dies tui*, id est dormieris cum patribus tuis, *suscitabo semen tuum post te* (*Par.* XVII), etc. Quod patet non dici de Salomone, qui vivo patre cœpit regnare. Quæritur quare David ante Abraham ponitur? Quia, si primum posuisset Abraham, et postea David, rursus repetendus esset Abraham, ut generationis series texeretur. Ideo etiam David præponitur, qui in multis peccavit, non Abraham, qui in omnibus justus apparuit, ut ex sola misericordia, non ex meritis hominum natus probaretur. Ideo etiam David præponitur, quia David etiam evidentius promissus est, quod de stirpe sua carnem acciperet. Unde Judæi infideles, cum interrogarentur cujus filius esset Jesus, responderunt : David (*Matth.* XXII). Nota quia alter eorum quibus facta est repromissio, est primus patriarcharum, alter primus regum. Hi duo sunt illæ duæ columnæ quæ erant ante ostium templi, inter quas veniebatur ad ostium quia per eos duos venitur ad Christum, dum auditur promissio facta eis. Quæ ideo dicuntur ligatæ esse funiculo triplici duodecim cubitorum, quia duodecim apostoli adhærent eis, dum prædicatione sua promissionem factam eis confirmant.

Abraham genuit Isaac. Quæritur quare incipit generationem ab Abraham? Quia illi primum promissus est Christus. Quæritur etiam cur Matthæus descendendo, Lucas ascendendo computant generationem? Ideo Matthæus descendendo agit, quia humanitatem Christi ostendere intendit, qua Deus ad homines descendit. Descendendo ergo narrat, ut, quomodo Christus, ab illis descendendo patribus, ad nos venit ostendat. Lucas vero cum ascendendo referat, figuram cujusdam sacramenti nobis notificat. Cum enim de baptismate Christi egisset, in quo multa mysteria ad nos pertinentia significaverat, in signum cujusdam nostræ institutionis seriem generationis Christi adjunxit, incipiendo a Joseph, et perveniens usque ad Deum. Cum enim dixisset : *Factum est cum baptizaretur omnis populus, et Jesu baptizato, et orante* (*Luc.* III), etc., supposuit : *Et ipse Jesus erat incipiens, quasi annorum triginta ut putabatur filius Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat*, etc., et ad ultimum, *qui fuit Adam, qui fuit Dei* (*ibid.*), significans per hoc quod omnis in baptismate regeneratus, ascendendo de virtute in virtutem, usque ad hoc quod Filius Dei efficiatur debet promoveri ; et ideo Christum, ascendendo per successionem patrum, esse Filium Dei comprobavit. Voluit etiam in numero patrum, qui sunt septuaginta septem, plenariam remissionem peccatorum in baptismate acquiri, et per hoc Filium Dei effici demonstrare. Septuaginta enim et septem, numerus est remissionis. Unde dicitur Petro : *Non dico tibi septies, sed usque septuagies septies* (*Matth.* XVIII). Quasi diceret : Omnem transgressionem dimittes. Septuaginta septem ex undenario et septenario conficitur. Septies enim undecim numerum illum complent. Undenarius, ad transgressionem mandatorum pertinet, quia denarius decem legis mandata significat. Septenarius ad universitatem pertinet, propter septem dies, qui universum tempus complent. Unde dona sancti Spiritus, septem dicuntur, non quod tantum septem sunt, sed quia per septem dona universa dona intelliguntur. Quod ergo septuagies septies præcipit dimitti, quasi universa delicta jubet condonari. Itaque cum Matthæus carnalem generationem ostendere intendat, naturales tantum patres ponit. Lucas vero, cum baptizatum Filium Dei adoptivum fieri insinuare velit, non solum naturales, sed etiam adoptivos patres in generatione interserit, sicut Heli et omnes interpositos usque ad David. Nota quod in singulis patribus tria debent notari, historia, moralitas, et allegoria in quibus videlicet unusquisque patrum Christum præfiguret. Moralitas in hoc notatur, quod ex singulis patribus in nobis aliqua virtus, vel per significationem nominis, vel per exemplum ædificatur. Unde etiam quadraginta duo patres esse considerantur. Sicut enim filii Israel per quadraginta duas mansiones ad terram repromissionis pervenerunt, sic et fideles per quadraginta duas virtutes ad Dominum perveniunt. Quid autem numerus iste significet, in sequenti exponetur.

Quæritur, cum Abraham plures habuisset filios, quare solum Isaac posuit? Et cum Isaac genuisset Jacob et Esau, quare de solo Jacob mentionem facit, cum omnes fratres Judæ cum ipso in generatione computet? Ideo videlicet, quia Ismael et Esau, non permanserunt in cultu unius Dei, fratres vero Judæ in populo Dei sunt computati, et figura fuerunt duodecim apostolorum. Cum autem historia non dubitetur quin Abraham Isaac, et Isaac Jacob genuerit, et de aliis similiter, moralitatem et allegoriam sequamur.

MORALITAS. Abraham in nobis virtutem fidei per exemplum sui significat, cum de eo legatur : *Abraham credidit Deo, et reputatum est ei ad justitiam* (*Gen.* XV). Ipse enim fuit prima via credendi, qui, quando tres vidit, et unum adoravit sacramentum trinitatis et unitatis nobis indicavit. Sequitur Isaac, qui significat spem, quia Isaac interpretatur *risus*, qui fuit gaudium parentum, et qui etiam spes fuit patris, dum, fidem promissioni adhibendo, se filium habiturum speravit, vel dum per eum se multiplicandum speravit. Spes vero similiter est gaudium nostrum, dum æterna bona sperare facit, et inde gaudere. Abraham ergo genuit Isaac, quia fides generat spem, juxta Apostolum, qui ait : *Fides est substantia*, id est firmamentum, *rerum sperandarum* (*Hebr.* XI). Frustra enim sperat qui non credit. Nascitur Jacob de his duobus parentibus, id est charitas quæ nascitur de fide et spe. Quod enim credimus, quod speramus, diligimus. Videamus quare Jacob significet charitatem. Jacob binomius est ; prius enim dictus est Jacob, deinde post luctationem cum angelo, quando Deum viderat in angelo, voca-

A tus est Israel,id est *vir videns Deum*,Deinde profectus est ad Laban, et servivit ei septem annis pro Rachel, sed supposita est ei Lia lippis oculis,quia major erat. Deinde servivit septem aliis annis, et habuit Rachel. Multos filios generavit Lia, paucos Rachel. Hoc totum significat charitatem.

Dilectio enim habet duos ramos,dilectionem Dei et proximi. Dilectio Dei, prior est natura et dignitate. Dilectio proximi, prior est tempore. Quod hoc modo ostenditur : Deus est summum bonum et per se, non per aliud ; cætera sunt bona ex summo bono. Deus ergo diligendus est, quia per se bonus ; cætera autem diligenda sunt,quia hæc summo bono bona sunt, non propter se, quia per se non sunt bona. Cum ergo creaturæ bonæ sunt, per illud summum bonum diligendæ sunt inquantum sunt ex ipso. B Sed rationalis creatura, quæ adhæret Deo, et Deo servit, et eum diligit, duplici modo diligenda est, tum quia ex Deo,inquantum creatura est,tum quia sponte Deo adhæret et servit. Proximus itaque, quia bonus est adhærendo Deo, dupliciter est diligendus,tum quia creatura Dei, tum quia bonus est. Malus autem proximus,tantum diligendus est, quia creatura Dei est. Pasce ergo illam substantiam sustentando, quam Deus fecit ; sed peccatum quod neque per se bonum,neque ex bono Deo debes odisse. Itaque homo diligendus est inquantum ex bono est, inquantum est creatura Dei. Videtur autem esse contrarius Jesus filius Sirach in hoc quod dicit : *Impio nihil dederis* (*Eccli.* XII). Sed hoc præcipitur ideo,ne aliquis foveat eum ad iniquitatem suam exercendam. C Prohibetur ergo ne nutriatur impius. sed non prohibetur ut homo pascatur. *Bonum* faciamus *ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei* (*Gal.* VI). Cæteræ autem creaturæ minus diligendæ sunt quia non sunt rationales, quæ tantum sunt bonæ, quia factæ a bono, sed non sunt adeo similes summo bono, sicut utentes ratione. Et cum quædam animalia data sunt nobis ad pœnam,ut lupus, leo, quia nocent proximo, propter amorem proximi, cui plus debemus, a nobis, persequenda sunt, sed non tamen in hoc erimus contrarii dispositioni Dei, quia Deus sic nos per illa affligit,ut nobis parcendo, concedat etiam interficere illa. Ecce habemus quod naturaliter amor proximi descendat ex amore Dei, quia propter Deum proximum, ex quo est, diligimus. D Deum autem plus diligere, quia per se solum bonus est, debemus. Sed tamen temporaliter per dilectionem proximi pervenitur ad dilectionem Dei. Non enim cognoscitur Deus nisi per creaturas. Ergo illa bona quæ videntur, prius diliguntur, et per ea Creator illorum diligitur. Sed illa perfecta dilectio non erit donec videamus illum facie ad faciem. Tamen dum eum in præsenti per ænigma et fidem videmus, super omnia diligamus. Ideo Jacob prius vocatus est Jacob, et postea Israel, quia in præsenti prius homo luctari debet contra vitia, et in amore proximi laborare, ut postea Israel dicatur, id est ut postea Deum diligat, et diligendo eum videat, in præsenti per fidem, in futuro per rem. Ecce Jacob significat, ut diximus, charitatem. Charitas vero amplectitur duas vitas, activam et contemplativam. Activa, per Liam ; contemplativa, per Rachel significatur. Lia *laborans* interpretatur, quia activa in labore est ; Rachel, *visum principium*,quia secundum eam principium,id est Deus, videtur. Charitas,dum contemplationi vacare desiderat, et eam sibi copulare. Lia supponitur nocte, quia prius diligi debet proximus cum illa dilectio prior sit tempore, in qua vita multi generantur. Merito Lia lippa dicitur quia, quandiu sumus in sæcularibus, clare Deum videre non possumus. Postea accipitur Rachel quia per dilectionem proximi ad contemplationem Dei pervenitur,ubi pauci filii generantur, et quæ claros oculos habere dicitur. Septem annis idem servivit,dum septem præcepta quæ sunt de dilectione Dei et proximi custodit. Septem etiam annis tempus præsens, quod septem diebus agitur,significatur. Septenarium ingeminat secundum perfectionem vitæ, si modo queat ad illud quod desiderat pervenire. In his tribus virtutibus est tota perfectio vitæ, et nullæ virtutes sine his ad patriam ducere possunt. Unde dicitur *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob* (*Exod.* III), Deus illorum tantum,qui has virtutes habent. Potius dicitur Deus Jacob quam Israel, quia in præsenti homines potius sunt Jacob, id est vitia supplantantes et luctantes, in futuro vero Israel.

ALLEGORIA. Præmissa vero moralitate horum trium patrum, videamus quid præfigurent in Christo. Abraham in multis modis et locis figuram Christi portat, et præterea in nomine. Abraham enim *pater multarum gentium* interpretatur, et Christus est Pater multorum fidelium. Cum ergo Abraham de cognatione sua exivit,et in terra aliena demoratus est, hoc est in terra Chanaan, ad quam ex Dei præcepto transivit, Christum significat,qui, derelicto Judaico populo, ad gentes per prædicatores suos transivit. Christum significat in hoc iterum quod *duos filios habuit,unum de ancilla, alterum de libera* (*Gal.* IV) ; alterum per naturam, alterum per repromissionem, personam Christi gerit, quia duos populos generavit, scilicet Judaicum, qui significatur per Ismaelem, quem habuit de Agar, hoc est de veteri lege. Ismael enim *auditio* interpretatur quia Judæi auditores legis fuerunt, non factores. Agar enim interpretatur *alienatio ;* lex enim antiqua, carnaliter intellecta, eos alienavit a Deo. Et alterum, scilicet gentilem populum, qui per Isaac designatur, qui natus est de Sara, hoc est, de Novo Testamento. Isaac enim *risus* interpretatur, quia conversio gentilium gaudium fuit angelorum et omnium fidelium credentium. Et Sara *princeps* interpretatur, quia nova lex inter omnes leges principatum tenet. Judaicus populus per naturam generatus est, quia per blanda hujus mundi in cultu unius Dei tenebatur ; gentilis vero populus per reomissionem, quia non pro temporalibus, sed pro

promissione invisibilium Deo servivit. Isaac iterum multis locis personam Christi gestavit, et nomine suo eum significavit. Christus enim est risus noster, de quo dicitur : *Gaudium vestrum nemo tollet a vobis* (*Joan.* XVI). Isaac ab Abraham ductus est ad immolandum, comitantibus duobus pueris, quibus Abraham, cum ad montem pervenisset in tertio die, in quo monte Deus Isaac immolari præceperat dixit : *Exspectate hic cum asino, donec revertamur ad vos* (*Gen.* XXII). Et tunc portavit Isaac ligna ; Abraham vero, gladium et ignem nec tamen immolatus est Isaac, sed aries hærens cornibus inter vepres. Abraham Deum Patrem figurat ; Filium suum passioni tradidit ; duo vero pueri, Judaicum populum in duo regna divisum, id est regnum Juda et regnum Israel. Asinus stultitiam Judæorum significat. Judæi cum asino exspectant, quia adhuc in stultitia sua perseverant. Aries, non Isaac immolatus est, quia caro Christi hærens cornibus crucis inter vepres tribulationis, non deitas, quæ per Isaac significatur, passa est, et hoc tertio die, id est in tempore gratiæ. Tria enim tempora sunt, ante legem, sub lege, et sub gratia. Isaac ligna portavit, et Christus crucem tulit. Abraham vero ignem et gladium, quia in manu Dei erat gladius mortis Christi, et ignis persecutionum. Iterum in Isaac, in acceptione Rebeccæ persona Christi exprimitur.

Servus qui mittitur ad quærendam Rebeccam ad opus Isaac, significat chorum prædicatorum, ad gentilem plebem convertendam missum. Fons, ad quem servus stetit, significat fluenta evangelicæ Scripturæ, de qua haurit Rebecca cum hydria, quia de Scriptura documentum gentilitas conversa accipit, cum capacitatis mensura. Rebecca *patientia* interpretatur. Gentilis enim Ecclesia multa pro Deo passa est. Prius hydriam in scapula ponit, deinde in ulnis, quia prædicationem prius in mente ponit; deinde in opere complet. Ornamenta, quibus servus Rebeccam decoravit, virtutes et præcepta sunt doctorum. Inaures enim voluntatem audiendi verba Dei significant, quæ, cum dilectione suscipi debent ; gemina enim præcepta charitatis per pondus duorum siclorum intelliguntur. Armillæ, quæ sunt ornamenta brachiorum bonam operationem notant, quæ decem siclos appendebant, quia omnis nostra operatio in decem legis præceptis consistit. Quod Rebecca non solum viro potum dedit, verum etiam camelos adaquavit, significat quod Ecclesia gentium conversa omnibus potum prædicationis obtulit, non solum sapientibus, sed etiam insipientibus. Unde Paulus : *Sapientibus et insipientibus debitor sum* (*Rom.* I). Laban qui vocat servum in domum et benedictum Domini appellat, significat quosque carnales, qui sanctorum doctorum virtutes annuntiant, et eos honorant, nec tamen cum eis ad Isaac, hoc est ad Christum vadunt. Locus spatiosus, quem Rebecca apud se esse dixit, lex est naturalis, quem Ecclesia, antequam ad Christum venirct, habebat. Per hanc ergo legem Christi patuit ingressus legi evangelicæ. Puellæ quæ Rebeccam ad Isaac pergentem secutæ sunt, significant fideles animas, quæ in Ecclesia simpliciter versantur, non tamen ad thalamum contemplationis perveniunt. Invenit Rebecca Isaac in via, *quæ ducit ad puteum, cujus nomen est Viventis et Videntis* (*Gen.* XXIV). Fons ille est Testamentum Vetus, quia per Scripturam vivimus et videmus Deum. Via quæ ducit ad puteum, est passio Christi, per quam venitur ad antiquam legem intelligendam. In ea enim sunt omnes hostiæ impletæ. In hac via, gentilis populus Christum invenit, quia eum jam passum, cum ad fidem accessit, reperit. *Rebecca conspecto Isaac de camelo descendit* (*ibid*), quia Ecclesia cognito Christo gentilitatem dimisit. Cooperit faciem pallio, quia ad Christum veniens erubuit de ritu præterito. Quod vero inclinato jam die ingressus Isaac in agrum, significabat quod extremo tempore hujus mundi, velut in diei fine, veniens Christus quasi in agrum foras exiit. Unde idem Christus, in Evangelio ait : *Exivi a Patre et veni in mundum* (*Joan.* XVI), quia, cum sit invisibilis, se tamen visibilem in hoc mundo Ecclesiæ de gentibus demonstravit. Iterum Isaac Christum significat, quia duos filios habuit, vel duos populos, Judaicum videlicet et gentilem, et major servivit minori, quia Judaicus populus dispersus per orbem, modo servit gentibus, non solum corporali servitute, verum etiam librorum suorum confirmatione. Quod Isaac desiderat venatione filii sui Esau vesci, significat quod desiderat Christus bonis operibus Judaici populi refici. Sed illo negligente, et in exterioribus, quasi in venationibus, occupato, Rebecca, id est mater gratiæ, minorem filium, id est gentilem populum supposuit, et priori dignitatem præripuit. Quod autem Isaac caligans, Jacob filio futuram benedictionem prædixit, sed eum non vidit, significat quod Christus vocationem gentium per prophetas multipliciter prædixit, sed eos non vidit, quia eis in propria persona non prædicavit. Quod autem Jacob non de venatione, sed de domestico animali, cibos patri paravit, designat quod populus gentilis in seipso holocaustum Deo obtulit, juxta Psalmistam : *In me sunt , Deus, vota tua quæ reddam laudationes tibi* (*Psal.* LV). Vestes Esau, quibus Rebecca minorem filium vestivit, ornamenta sunt præceptorum veteris legis, quibus Ecclesia gentilis bene interpretando decoratur. Quod pellibus hædorum manus et colla teguntur, designat quod gentes ad fidem venientes, peccata mentis et corporis confitentur Deo. Accessit et osculatus est eum, quando Christus sibi gentes reconciliavit, de quo osculo dicit in Canticis : *Osculetur me osculo oris sui* (*Cant.* I). Postea benedicitur, dum virtutibus multiplicatur. Quod Esau sero ad patrem revertens, tandem benedicitur, significat quod Judaicus populus in fine sæculi convertetur. Jacob similiter Christum significat vel figurat. Dormitio enim Jacob in itinere, mortem vel passionem Christi significat in cruce. Lapis, suppo-

situs capiti, humanitatem significat suppositam divinitati. Hic est ille lapis *qui facit utraque unum* (*Ephes.* II). Scala vero quæ terram tangebat et usque ad cœlum extensa erat, per quam angeli ascendebant et descendebant, prædicationem significat sanctorum, in qua aliquando de cœlestibus, aliquando de terrenis agitur; in qua aliquando de humanitate Christi, aliquando de divinitate. Paulus summus angelus erat, qui ascendebat cum diceret: *Nos prædicamus Christum, Dei virtutem et Dei sapientiam* (*I Cor.* I). Descendebat cum diceret: *Nihil judicavi me scire nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum* (*I Cor.* II). Quod surgens mane, erexit lapidem in titulum, significat Christi in diluculo resurrectionem. Quod oleum fudit desuper, significat illam resurrectionem factam esse per Spiritus sancti operationem. Præterea oleum fusum significavit eum esse regem et sacerdotem; oleo enim reges et sacerdotes ungebantur. Unde et Christus vocatur, id est *unctus*. Christum etiam significat, dum duas sorores sibi copulavit. Duæ enim sorores duas Ecclesias significant, activorum scilicet et contemplativorum; qui septem annis pro utraque servivit, quia in præsenti vita pro utraque acquirenda Deo militavit. Septenarius enim, præsentem vitam significat, quia per septem dies, omne tempus volvitur. Jacob duodecim filios habuit, et Christus duodecim apostolos per fidem generavit. Jacob *supplantator* interpretatur, et significat Christum, de quo dicitur: *Supplantasti insurgentes in me, subtus me* (*Psal.* XVII). Quia in istis patribus specialiter significatur Christus, et Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob multis in locis nominatur. In istis tribus omnis modus generationis filiorum Dei notatur. Generat enim multoties Deus de bono prædicatore bonum filium, et de malo malum; quod designatur per Abraham, qui de libera uxore fidelem filium habuit, et de ancilla infidelem genuit. Aliquando vero generat per bonum prædicatorem bonum et malum filium, quod significatur in Isaac, qui de libera unum bonum et alterum malum generavit. Aliquando generat bonos per bonum et malum prædicatorem, quod in Jacob significatur, qui bonos filios et de liberis et de ancillis habuit. *Jacob autem genuit Judam et fratres ejus.* Judam nominatim ponit, quod de illo tantum Dominus descendit. *Judas autem genuit Phares*, etc.

HISTORIA. Judas habuit tres filios, Her, Onan, Sela. Dedit autem uxorem, nomine Thamar, majori filio, scilicet Her. Sed quia nequissimus et nocens erat, occidit eum Deus sine semine. Data est ergo secundo filio suo, scilicet Onan, ut suscitaret semen fratri suo. Sed ille nolens suscitare semen fratris sui, effundebat semen suum in terram. Mortuus est itaque et secundus. Sela vero adhuc parvulus erat. Dixit ergo Judas Thamar: *Vade et sede vidua in domo tua, donec filius meus adultus sit* (*Gen.* XXXVIII). Illa postea consuluit sibi. Audivit enim quod Judas iturus erat in Tamna, cum opilione suo, Hira scilicet, qui erat Odollamites, ad tondendas oves. Assumpsit ergo speciem meretricis, et, velata facie, sedit in bivio, ut hac occasione concumbens cum socero, aliquod semen inde haberet. Veniens itaque Judas, et non cognoscens eam, promisit ei hædum pro concubitu. Cui tamen petenti arrham, dedit annulum, armillam et baculum. Facto concubitu, dixit ei, ut ibi exspectaret, donec hædum mitteret. Misit ergo per Hiram, sed illa abierat cum arrha. Concepit itaque Thamar geminos, Phares et Zaram. In partu vero Zaram voluit primus exire, et emisit manum, quam obstetrix coccino ligavit. Retraxit tamen manum Zara, et natus est Phares. Quæ cum vidisset obstetrix, ait: *Quare per te divisa est maceria* vel natura? (*Gen.* XXXVIII.) Quasi diceret: Quare interrupisti ædificationem naturæ? Vocavit eum ideo Phares, id est *divisio*. *Phares autem genuit Esrom*. Judas autem genuit Phares et Zaram, antequam intraret in Ægyptum, in quam ambo postea cum patre suo transierunt. In Ægypto vero genuit Phares Esrom, et *Esrom Aran*, et *Aran Aminadab*, et *Aminadab Naasson*. Et ideo Moyses duxit eos ex Ægypto, et *Naasson* fuit dux sub Moyse in tribu Juda per desertum, in quo *genuit Salmon*. Iste Salmon, mortuo patre, fuit princeps in tribu Juda, qui cum Josue in terram repromissionis intravit, qui duxit Raab meretricem; quæ recepit exploratores. Filii enim Israel obsederunt Jericho, et per septem dies, clangentes buccinis circuieruut muros. Septimo autem die corruerunt muri in septima tuba. Raab vero meretrix, quæ proposuerat coccinum in fenestra, sicut jusserant nuntii, salvata est ipsa et domus ejus tota. Quam postea duxit Salmon. Nota quod judices cœperunt a Josue, et duraverunt usque ad David. Isti autem qui computantur in hac linea a Salmon usque ad David, tantum quædam capita fuerunt in tribu Juda, non principes, non duces, quia, postquam divisi sunt in terra promissionis, non habuerunt principes singulæ tribus, sed tantum unum judicem principalem omnes, qui secundum electionem, non secundum tribum efficiebatur. Iste *Salmon genuit* in terra repromissionis *de* illa *Raab Booz. Booz vero genuit Obeth ex Ruth*. Elimelech fuit quidam de tribu Booz, et pauper, et uxor ejus Noemi; qui cum uxore sua et duobus filiis ivit in terram Moabitarum. Ibi vero filii ejus duxerant uxores de terra gentium. Mortuo itaque patre et filiis ejus sine semine, reversa est Noemi cum Ruth Moabitide, una de nuribus suis in terram suam, et suasione socrus suæ ivit eadem Ruth in agrum Booz, causa metendi. In crastino persuasit ei ut se lavaret, et melioribus indumentis indueret, et locum nocte consideraret ubi in agro Booz dormiret, et veniens discooperiret pallium a parte pedum, et projiciens se ibi jaceret. Factumque est ita. Booz vero turbatus, quærit quid quærat. Illa vero dixit quod suscitare semen mariti sui vellet, quia ipse propinquus ejus erat. Ille vero ait alium esse propinquiorem, ad quem prius eundum erat; et si ille

eam repudiaret, ipse eam duceret. Illo autem repudiante, duxit eam, et inde genuit Obeth. Hanc gentilem ideo posuit evangelista, ut Christum non solum ostendat nasci de Judæis, sed etiam de gentibus, et sic completam prophetiam quæ ait : *Emitte agnum tuum, Domine, dominatorem terræ de petra deserti* (*Isa.* XVI), id est de gentilitate, quæ est dura ut petra, quia idololatria plena et desertum, quia sine lege. *Obeth genuit Jesse.* Pater David binominis est, frequentius enim vacatur Isai Sed quia propheta eum vocaverat non Isai, sed Jesse, dicens : *Egredietur virga de radice Jesse* (*Isa.* XI), id est ut ostenderet illam prophetiam esse completam in Christo de Maria, posuit Jesse evangelista.

MORALITAS. Iterum videamus quas virtutes isti patres in nobis ædificent, quia fides, spes et charitas sunt omnium fundamenta virtutum ; sequentes virtutes sunt quasi superadditiones. Judas interpretatur *confessio,* quoniam aliquis posset credere, sperare et diligere, et tamen apud præsides diceretur ex timore negare, ut Petrus, ideo necessaria est fidei confessio. Duplex confessio est, altera fidei, altera peccatorum. Si ergo post tres supradictas virtutes peccet, necessaria est non solum fidei, sed etiam peccatorum confessio. Merito datur quartus locus Judæ, quia et quartum locum in ordine fratrum tenet, ubi et confessio, secundum allegoriam jure quarta ponitur. Primus est Ruben, secundus Simeon, tertius Levi, quartus Judas. Ruben, concupiscentiam significat, quia de eo in benedictionibus dicitur : *Ruben effusus ut aqua* (*Gen.* XLIX), quia quidem fluens in concupiscentiis fuit. Simeon voro, *furor ejus pertinax* interpretatur, et ideo iram ejus significat. Levi vero, quia de tribu illius sacerdotes electi sunt et sacerdotibus lex commissa est, rationem significat, quæ lege sua utramque vim animæ temperare debet. Si autem illi tres peccant, debet sequi confessio peccatorum, quæ omnia purgat. Past Judam sequitur Phares et Zaram. Phares *divisio*, Zaram *oriens* interpretatur, et Thamar *amaritudo.* Confessio enim generat divisionem a vitiis, et ortum virtutum, de Thamar, id est amaritudine pœnitentiæ. Post Phares sequitur Esron, qui *sagitta* interpretatur. Postquam enim aliquis divisus est a vitiis et sæcularibus, debet fieri sagitta, ut in aliis vitia prædicando puniat, et corda hominum amore Dei pungat. Sequitur Aram, qui interpretatur *electus* vel *excelsus,* quia postquam aliquis a mundo remotus est et aliis proficit, necesse est ut Deo electus sublimis et celebris habeatur, et sic excelsus in virtutibus. Sequitur Aminadab, id est *spontaneus populus.* Oportet enim ut spontanea voluntate, et bona non coactione non timore faciat quidquid operatur. Sequitur Naasson, qui interpretatur *augurium.* Hoc augurium non est sæculare, sed cœleste. De hoc gloriabatur Joseph, qui præcepit servo ut diceret fratribus suis deferenttbus scyphum in sacco : *Vos detulistis scyphum domini mei, in quo ipse solet augurari* (*Gen.* XLIV). Scyphus enim est divina Scriptura, ubi potus est sapientiæ. In hac anguratur sapiens, quia ibi videt futura, id est cœlestia. Sic auguratur divina, qui utilitati proximi ex bona voluntate intentus est. Sequitur Salmon, id est *sensibilis.* Postquam enim aliquis studet in divina Scriptura fit sensibilis, id est discernens gustu rationis quid bonum, quid malum, quid dulce, quid amarum. Sequitur Booz, id est *fortis.* Instructus enim bonis Scripturis fit ad omnia adversa toleranda fortis. Nota quia dicitur simpliciter fortis, ad differentiam David, qui dicitur *manu fortis*, quod aliud significat. Iste autem fortis filius est Raab, id est Ecclesiæ. Sequitur Obeth, id est *servitus.* Qui enim fortis est servus, idoneus potest effici ; non enim idoneus est ad servitutem Dei, nisi qui fortis est, quæ servitus generatur de Ruth, id est de festinantia. Oportet enim servum essc promptum, non pigrum, sed currentem, ne ulla carnalis voluptas detineat. Sequitur Jesse, id est *incensum.* Si enim servimus, ex timore et amore erit devotio in corde, quæ ex igne et desiderio cordis suavissimum incensum offert Deo.

ALLEGORIA. Modo videamus quomodo isti patres Christum præfigurent. Judas *confitens* interpretatur. Et de Christo dicitur : *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ* (*Luc.* X). Secundum historiam etiam personam Christi gerit. Thamar enim significat populum Dei antiquum, cui dati sunt mariti duo, scilicet pastores, quorum duo genera in his notantur, nocentes et prodesse nolentes. Her enim significat illos nequissimos pastores, qui non solum non juvant, sed etiam nocent populo Dei. Unde interpretatur *pelliceus* id est obsitus peccatis, quæ significantur per pelles mortuorum animalium. Propterea Adam et Eva post peccatum pelliceas tunicas habuerunt. Onan vero qui effudit semen in terram, significat illos pastores, qui, cum possunt prodesse, nolunt, sed effundunt semen suum in terra, id est in terrenis adhærent, et studium fecunditatis quod debent populo Dei, sæcularibus adhibent. Unde Onan dicitur, id est *dolor eorum,* quia magnum dolorem ingerunt subditis inutiles prælati. Quod Sela non ducit illam, significat illam interruptionem regni, quæ fuit in tempore Herodis. Cum enim multi filii de tribu Juda essent, nullus tamen eorum populum Dei rexit. Unde Sela dicitur, id est *dimissio* quia eo tempore dimissa est tribus Juda, et alienigena subiit in regnum. Tunc venit Judas, id est Christus, in Thamna, id est in mundum quia Thamna *defectio* interpretatur, quia totus mundus in defectu erat. Venit, inquam, ad tondendas oves, id est auferenda pondera peccatorum, cum socio suo Hira, id est cum Joanne Baptista, qui Hiras interpretatur *visio fratris,* quia vidit fratrem suum, id est Christum, qui erat de tribu sua. Iste Hiras erat Odollamites, qui interpretatur *habens testimonium in aqua* quod bene convenit Joanni. Cupit ita ei sociari Thamar, id est Ecclesia, sed, mutata facie, id est, non jam de Judæis, imo de gentibus habens speciem meretricis, quia satis prius cum idolis

fornicata fuerat,et quasi ignota Judæ.Unde David : *Populus quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi* (*Psal.* XVII).Sedebat illa in bivio, id est in erroribus hujus sæculi.Sociata ergo Christo accipit annulum,id est fidem,et armillam, quæ est ornamentum brachii, scilicet bonam operationem, et baculum, id est regnum sui. Unde unusquisque rex et sacerdos dicitur. Promisit enim hædum Christus, id est, increpationem peccatorum, quando peccaret,quam sibi per ministros mitteret. Veniens postea Hiras, id est Joannes, in quo omnis ordo prædicatorum,qui quotidie præparant viam Domino, significatur cum hædo, id est cum increpatione peccatorum, quærit meretricem in bivio, et non invenit, quia, accepta fide, Ecclesia desivit esse meretrix, et non habet locum increpatio in ea. Thamar interpretatur *amaritudo*, quia intra amara hujus sæculi conversatur. In filiis vero est aliud sacramentum per se, non continuatum superiori. Zaram qui primus manum emittit, significat primum fidelem populum, scilicet Abel, Noe, Abraham, Isaac, Jacob,et alios, qui primi manum bonæ operationis ostenderunt. Quæ operatio ligata et confirmata est coccino,id est passione Christi, quam credebant et exspectabant. Nihil enim sciebant sibi valere bona opera sua sine redemptione sanguinis Christi.Unde Zaram *oriens* interpretatur, quia illi primo populo prius apparuit sol justitiæ. Sed ille retraxit manum, quia illis decedentibus opus fidei cessavit,et populus Judaicus intervenit, et lex, quæ populis fuit quasi maceriæ divisio, quia primum populum fidelem et ultimum qui sub adventu Christi fuit, divisit, et quasi se in medio interposuit. Unde Phares dicitur Judaicus populus, id est *divisio*.Sed Christus illum populum interpositum et legem destruxit, et maceriam divisam utriusque populi fidelis conjunxit,id est ædificationem. Quæritur, quare tacitis nominibus sanctarum mulierum, scilicet Saræ et Rebeccæ, et aliarum notavit in Christi generatione notabiles mulieres,scilicet Thamar,et Raab, et Ruth, et Bethsabee.Hoc ideo fecit evangelista,ut ostenderet Christum non solum nasci ex Judæis, sed etiam ex gentibus, non de justis solum, sed et de peccatoribus.Unde agnus paschalis præcipitur in lege non sumi de ovili, ubi tantum sunt oves, sed de illo, ubi sunt oves et capræ, quia nasciturus erat de justis et peccatoribus. Non obest nasci de peccatoribus, quia *filius non portabit iniquitatem patris* (*Ezech.* XVIII). Hoc de illo, qui malitiam patris non fuerit imitatus. Si autem imitatus fuerit, etiam pro patris iniquitate punietur,non per corruptionem, sed per imitationem malitiæ cum eo remanens,quasi idem cum illo punietur. Unde : Visitabo peccata *patrum in filios* (*Exod.* XX). In benedictione etiam sua, quam recepit a patre suo Jacob, Judas Christum significavit. Ait enim Jacob : *Juda, te laudabunt fratres tui; manus tuæ in* visceribus vel *cervicibus inimicorum, adorabunt te filii patris tui. Ad prædam, fili mi, ascendisti, requiescens accubuisti ut leo. Quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium, ligans ad vineam pullum suum, et ad vitem asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, et pallium suum in sanguine uvæ. Pulchriores sunt oculi tui vino, et dentes tui lacte candidiores* (*Gen.* XLIX). Hæc enim omnia ad Christum pertinent. Hunc enim laudant fratres sui. Hæc est omnis sanctorum multitudo. Manus ejus in cervicibus inimicorum ejus, quia adversarios humiliat, et fidei suæ colla eorum subdit. Hunc adorant filii patris sui, quia omnes filii Dei hunc ut Deum venerantur. Christus ad prædam ascendit, quando contra diabolum ad pugnam venit,ut suos, qui in inferno erant,eriperet,quod in die passionis completum est, quando ad inferos descendit. Bene, inquit, ascendit, quia prius in mundo humiliter vixerat, tunc potentiam suam declaravit. Requiescens accubuit, quando in sepulcro jacuit, accubuit velut leo, quia tertia die velut leo, voce patris excitatus est. Et quis suscitavit eum? Nullus, nisi Pater. *Non auferetur sceptrum de Juda, donec veniat*, etc. Quia omnes reges Judæorum fuerunt de tribu Juda, usque ad tempus Herodis, qui fuit alienigena, sub quo natus est Christus. Ipse Christus fuit exspectatio gentium,quia eas redemit,et ad fidem convertit. Ligavit pullum ad vineam,quando primitivæ Ecclesiæ associavit in fide gentilem Ecclesiam. Vineam enim vocat apostolos,et alios a Christo vocatos vel conversos,quibus ait Christus : *Ego sum vitis vera, vos autem palmites* (*Joan.*XV).Pullus est gentilis populus, qui fuit filius asinæ subjugalis, id est populi Judaici, qui fuit sub jugo legis, per eos enim conversi sunt gentiles ad fidem. Asinam colligavit ad vitem, quia per seipsum qui vitis est, Judæos convertit. Lavit in vino stolam suam, quando sanguine passionis suæ carnem suam perfudit. Pallium suum lavit in sanguine uvæ, quando Ecclesiam suam a peccatis lavit in sanguine suo, quæ est vestimentum Christi, juxta prophetam : *Ex omnibus his velut vestimento* [Vulg. *ornamento*] *vestieris* (*Isa.* XLIX).Ipsa est uva, unde vinum exivit, quia ipse est corpus, unde sanguis processit. Oculi ejus prædicatores sunt,qui subditis suis in Ecclesia provident, qui pulchriores sunt vino, id est prædicatoribus veteris legis, quia evangelica doctrina clarior est legali traditione. Prædicatores veteris legis dicuntur vinum, propter austeritatem comminationum, ubi dictum est : *Dentem pro dente, oculum pro oculo* (*Deut.*XIX),etc.Dentes vero dicuntur expositores novæ legis, qui obscuritatem Scripturæ conterunt et masticant, ut a ventre,id est ab infirmioribus membris Ecclesiæ, possit incorporari. Candidiores sunt lacte, quia mundiores sunt doctoribus veteris legis, quæ lac dicitur, et rudi populo data est, ut nutrirentur. Phares sequitur, quia Christus est Phares, id est *divisio*, quia separabit oves a dextris, hædos autem a sinistris, qui etiam discretor est cordium et illuminator. Ipse etiam est Esrom, id est sagitta

vel atrium, quia tanquam sagitta penetrat corda audientium. Atrium est, eo quod significat latitudinem charitatis, quia ipse inimicos suos dilexit. Aram Christum significat, qui *electus* vel *excelsus* interpretatur, quia de eo dicitur per prophetam : *Ecce puer meus electus, quem elegi* (*Isa* XLIII). Et per alium : *Excelsus super omnes gentes Dominus* (*Psal.* CXII). Ipse item est Aminadab, id est *voluntarius populus*, qui dicit : *Voluntarie sacrificabo tibi* (*Psal.* LIII). Naasson etiam, qui *augurium* dicitur, Christum significat, qui novit omnia, præterita, præsentia et futura. Naason etiam *serpentinus* interpretatur, quia Christus more serpentis omnes cavit insidias. Ipse etiam est Salmon, id est *sensibilis*, quia omnia sentit. Ipse accepit Raab, id est Ecclesiam gentium, quæ meretricata fuerat cum idolis, quæ ostendit in fenestra coccinum, id est amorem, per confessionem propalavit Christi passionem. Raab interpretatur *fames* vel *latitudo*, vel *impetus*, quia Ecclesiam gentium esurit, et sitit justitiam, et dilatata est per totum orbem, et impetu doctrinæ philosophos et reges convertit. Judæi qui circumierunt Jericho, per septem dies buccinis clangentes, significant Ecclesiæ prædicatores, qui mundum circumvallant buccinis sonantes, id est prædicationibus suis prædicatores mundi increpantes, qui per Jericho significantur. Jericho enim *luna* interpretatur, id est defectus, et paulatim sæcularia deficiunt, sed in septimo die, hoc est in fine sæculi funditus destruuntur. Booz iterum, qui *fortitudo* interpretatur, significat Christum, de quo dicitur : *Dominus in fortitudine veniet* (*Isa.* XL). Ipse etiam accipit Ruth, id est gentilem Ecclesiam, quæ *videns* vel *festinans* vel *deffiniens* interpretatur, quia Ecclesia videt Deum; festinat ad bravium, desinit perseverare in bona operatione. Ipse etiam est Obeth *serviens*, quia *non venit ministrari, sed ministrare* (*Matth.* XX). Ipse est Jesse, qui interpretatur *sacrificium*, quia ipse pro nobis hostia factus est. *David genuit Salomonem, ex ea quæ fuit Uriæ.*

HISTORIA. Tacet nomen Bethsabee, ut nominando Uriam, reducat ad memoriam illud maximum scelus, quod fecit David in eum. Tacet etiam quia cæteræ, cum essent notabiles, non solum culpari, sed etiam laudari meruerunt. Ista vero adeo culpabilis est, quod nomine non est digna ; justus vero est dignus nomine. In ea tamen maximum est sacramentum. Dicit enim historia quod David in solario existens, vidit Bethsabee lavantem se, placuit ei, vocavit, et jacuit cum ea, et, facta ea gravida, revocavit Uriam de expeditione, ut hac occasione intraret in domum suam, et ita partus ei ascriberetur. Noluit ille intrare, sed jacuit in vestibulo, dicens quia, dum arca Dei esset in tabernaculis, non erat congruum eum intrare in domum suam. Acceptis itaque litteris mortis suæ rediit ad expeditionem, et mortuus est, machinante Joab, sicut præcepit David. *Salamon,* quasi *Salemon*, a sale, quod est *pax, genuit Roboam: Roboam, Abiam;*

A *Abias, Asa; Asa, Josaphat; Josaphat, Joram*; *Joram genuit Oziam.* Nota quod Joram non genuit Oziam secundum historiam libri Regum, sed potius genuit Ochoziam, et Ochozias genuit Joas, et Joas Amasiam, et Amasias Oziam (*IV* Reg. VI, XIV). Sed quia evangelista proposuerat ab Abraham usque ad Christum quadraginta duas generationes in diverso statu temporum ponere, et Joram filius Josaphat se miscuerat impiissimo generi Jezabel, ducens filiam ejus ad idololatriam conversus, idcirco usque in tertiam generationem memoria ejus tollitur, ne in ordine sanctæ navitatis poneretur. Joram igitur fornicatus occidit fratres suos, unde et infirmatus est dolore uteri ut viscera egereret, quem secutus filius suus. Ochozias ingressus est per vias B domus Achaz. De isto Ochozia legitur in Paralipomenon, quod quadraginta duorum annorum erat cum regnare cœpit, et per unum annum regnavit (*II Par.* XXII). Quod esse non potuit, quia Joram pater ejus triginta duorum annorum erat, cum regnare cœpit, et per octo annos regnavit, qui simul sunt quadraginta, et ita jam esset filius prior illo duobus annis, sed depravatus est liber, qui dicit quadraginta duo, et verius in libro Regnum legitur viginti duorum annorum (*VI Reg.* VIII). Joas ergo filius Ochoziæ acquievit adorare sculptilia, et Zachariam filiam Joiadæ sacerdotis, qui eum nutrierat, et regem fecerat, et ne occideretur ab Athalia, custodierat, præcepit occidi, quia eum pro idololatria increpabat. Amasias quoque coluit deos Seir, et ideo hi tres, quamvis regnum quoquo modo obtinuerint, de C genealogia sunt exclusi, sicut in lege dicitur : Visitabo *peccata patrum in filios usque in tertiam et quartam generationem* (*Exod.* XX). Sed sciendum hoc esse de eis dictum qui peccata patrum sequuntur; nam et bonus de malo genitus misericordia est dignus, et malus de bono natus pœna plectitur. Alii qui ponuntur quamvis mali, vel bonos generant, vel a bonis generantur, ut Joram filius Josaphat viri justi. Ozias vero in omnibus pene fuit rectus, nisi quod ipse incensum adolere voluit. Unde in fronte quasi in loco velamine lepra percussus fuit. Et notandum quod sub Ozia, Joathan, Achaz et Ezechia prophetavit Isaias de Christo. Nota de Ezechia quod, cum esset sine liberis, dictum est ei : *Dispone domui tuæ quia morieris* (*Isa.* XXXVIII), et D ideo flevit non propter longiorem vitam, cum sciret Salomonem Deo placuisse quod non petisset ampliores annos, sed quia dubitabat ne non promissio Dei impleretur, cum sciret se esse de David, per quem oporteret venire Christum, et ipse esset sine liberis, unde et dicebat : *Non videbo Deum, non aspiciam hominem ultra* (*ibid.*). Sed econtra credebat quia fidelis est qui promiserat. Deus autem sententiam, quam dederat ad probationem fidei immutat, et generandi spatium præstat : *Ozias genuit Joatham, Joatham genuit Achaz* ; *Achaz genuit Ezechiam* ; *Ezechias genuit Manassen* ; *Manasses genuit Amon* ; *Amon genuit Josiam.*

Moralitas. — Consideremus quid moralitatis isti patres in nobis generent. Postquam aliquis est idoneus servus et suavissimum Deo sacrificium factus, sequitur ut sit David, id est *manu fortis*, qui contra hostes fortiter dimicavit, et alienigenas Idumæos tributarios fecit. Similiter ipse debet carnales homines verbo et exemplo Deo subjugare, sicut Paulus, qui gentes convertit, qui per Idumæos designantur. Sequitur Salomon, qui interpretatur *pacificus*; tunc enim ille fit pacificus cum Deo servit, et alios ad Deum convertit. Tunc enim in eo sedati sunt omnes motus illiciti, et quasi jam in æterna tranquillitate positus, potest cum Apostolo dicere : *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philip.* III). Qui merito in quinto decimo loco ponitur, qui numerus ex septem et octo conficitur, quia post septem quæ ad legalia instituta permanent propter Sabbatum, in octava, id est, in æterna requie et resurrectione futura esse videtur, quæ per octonarium figuratur, quia in octava die resuscitatus est. Sequitur Roboam, id est *populi latitudo*. Postquam enim non habet quod in se videat amplecti alios debet, et late populum Dei ad superna secum trahere. Sequitur Abia, id est *pater Dominus*. His enim prætermissis, potest se profiteri filium Dei et dicere : Dominus est pater meus. Et quia talem patrem habet qui in cœlis est. recognoscens se esse in peregrinatione hujus mundi, debet esse Asa, id est *attollens*, ut de virtute in virtutem ad Patrem ascendat, spernens istam peregrinationem, tunc erit Josaphat, id est *judicans*. Qui enim attollit se ad Deum, ipse alios judicat, et a nemine judicatur, et omnia discernit, ne in aliquo decipiatur, et ita fit Joram, id est *excelsus*, id est in cœlestibus habitans et super omnia aspiciens; nec tamen ideo superbit, sed fortitudinem suam Deo ascribit. Unde efficitur Ozias, id est *robustus Domini*, quasi robur suarum virtutum Deo attribuens, et in suo proposito perseverans. Sed quia in eodem posset perseverare, et tamen nunquam crescere, sequitur Joatham, id est *perfectus*, quia quotidie in majus proficit, et quanto melius proficit in virtutibus, tanto magis fit Achas, id est *comprehendens*. Qui enim melius Dominica præcepta facit melius Deum comprehendit. Ex operatione enim melius augmentatur agnitio, unde David : *Annuntiaverunt opera Dei, et facta ejus intellexerunt* (*Psal.* LXIII). Prius enim annuntiaverunt, deinde intellexerunt. Sequitur Ezechias, id est *fortis Dominus*. Dum enim Dominum comprehendit, Deum fortem intelligit, quia omnia fecit et regit, et diabolum vicit, et se vincere facit, et ideo in amorem ejus ascensus efficitur Manasses, id est *obliviosus*, quia omnia temporalia tradit oblivioni pro amore Dei. Qui autem temporalia obliviscitur, quod solent facere fideles, fit Ammon, id est *fidelis*. Qui enim temporalia contemnit et obliviscitur, neminem vero suo defraudat Sequitur Josias : Qui enim terrena contemnit, et fidelis est, et cœlum promeretur, et salutem Domini secure expectat. Josias autem *salus Domini* interpretatur.

A Allegoria. Videndum est in quo Christus in istis patribus præfiguretur. David significat Christum, quia ipse Goliam, et Christus ita diabolum superavit. David *manu fortis* dicitur, vel *visu desiderabilis*. Ipse est enim de quo dicitur *Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio* (*Psal.* XXIII). Et iterum : *Speciosus forma præ filiis hominum* (*Psal.* XLIV). Gerit etiam David personam Christi in acceptione Bethsabee. Christus, sedens in solio patris, vidit Ecclesiam gentilium lavantem peccata sua, et placuit ei, et sibi eam copulavit. Quæ interpretatur *puteus septimus*, vel *puteus satietatis*, quia Ecclesia continet copiose profunditatem spiritualis gratiæ septiformis. Urias, id est diabolus interficitur, qui prius erat maritus gentilitatis. Urias enim interpretatur B *lux mea Dei*, quia diabolus in initio conditus, dixit suam lucem esse Dei, quia propter eam se voluit facere Deum. Vel Bethsabee significat legem, in qua continebatur sub figuris septiformis gratiæ profunditas quæ copulata erat Uriæ, id est Judaico populo, qui gloriabatur de luce Dei, id est cognitione legis. Vidit de solio, id est de cœlo Chritus legem lavantem, id est exuentem suas figuras, et placuit ei. Tunc convocans Judaicum populum voluit introducere in domum, id est in spiritualem intellectum legis, ille renuit et dicit, quia arca, id est Ecclesia, est in tabernaculis, id est sub figuris. Ideo dicet se non intrare in domum, id est se accipere alium intellectum. Accepit itaque litteras mortis suæ, id est litteralem intellectum, qui ducit eum ad mortem, dum C non vult legem spiritualiter intelligere. Christus dicitur Salomon, id est *pacificus*, quia *ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum* (*Ephes.* II). Id est Roboam, id est *impetus populi*, qui post ascensionem per apostolos cum velocitate ad fidem convertit populos. Ipse est iterum Abia, id est *pater Dominus*, qui ipse est qui dicit : *Ego ero illi in patrem* (*II Reg.* VII), quia tanquam Dominus omnia fecit quæcunque voluit. Christus etiam est Asa, id est *attollens*, quia ille est qui abstulit peccata mundi. Ipse est item Josaphat, id est, *judicans*, quia ipse est qui judicabit orbem terræ. Christus dicitur Joram, id est *excelsus*, quia ipse est qui ait : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit* (*Joan.* III). Ipse est Ozias, id est *robustus Domini*; ille de quo dicitur : *Fortitudo mea et laus mea Dominus* (*Psal.* CXVII). Ipse D est Jonathas, id est *profectus noster*, quia ipse quotidie proficit Ecclesiæ. Ipse est Achaz, id est *Deum comprehendens*, quia *nemo novit Patrem nisi Filius* (*Matth.* XI). Christus est Ezechias, id est *confortavit me Dominus*. Ipse est qui dicit apostolis : *Ego sum, nolite timere* (*Joan.* VI). Ipse est Manasses, id est *obliviosus*, qui converso peccatori dicit : *Omnium iniquitatum ejus non recordabor* (*Ezec.* XVIII). Ipse est Ammon, id est *fidelis* vel *nutritius*, de quo dictum est : *Fidelis Dominus in omnibus viis suis* (*Psal.* CXLIV), qui convocat *filios, ut gallina pullos suos sub alas* (*Matth.* XXIV). Ipse est Josias, id est *incensum*

Domini,quia ille est qui dicit : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo* (*Psal.* CXL).

HISTORIA. *Josias genuit Jechoniam.* Legitur in libro Regum quod Josias genuit Jonatham, et Joachim et Sedeciam. Joatham vero successit patri in regno, quo capto a rege Ægypti, subtitutus est loco ejus Joachim frater ejus, sed Nabuchodonosor ascendit in Jerusalem, et cepit Joachim, et factus est servus tribus annis,et rursum rebellavit contra eum,et Dominus immisit ei multa mala per inimicos suos, et tandem mortuus est, et regnavit Joachim qui et Jechonias dictus est filius ejus pro eo, et captus est a rege Babyloniæ, et loco ejus Sedecias positus est, cujus tempore Jerusalem destructa est,et ipse,effossis oculis, cum populo toto in Babyloniam ductus est. Sed in tricesimo septimo anno transmigrationis ejus,Merodach, rex Babylonis, pepercit Joachim, et faciebat eum comedere *panem in conspectu* suo *cunctis diebus vitæ suæ* (*IV Reg.* XXV). Quæritur quare Jechonias dicitur filius Josiæ, cum Josias Joachim, et Joachim Jechoniam genuisset? Si enim, mediante Joachim, Jechoniam genuisse dicamus, cum eumdem Jechoniam bis numeremus,in fine scilicet præcedentis tessarescedecadis et in principio sequentis, ad hoc ut tres plenæ tessarescedecades inveniantur, jam non erunt quadraginta duo patres,nec tres diversæ tessarescedecades reperientur. Hoc autem diversis modis solvitur.Hieronymus(63)ait quod uterque pater et filius, id est Joachim et Joachim. Jechonias vocatur,et ita unum habemus in fine præcedentis tessarescedecadis,et alterum in principio sequentis, ut cum dicit *Josias genit Jechoniam*, Joachim intelligamus.Cum vero dicit Jechonias genuit Salathiel,Joachim accipiamus.Sciendum est nomen prioris Joachim scriptum per *c* et *m*. sequentis per *ch* et *n*, quod vitio scriptorum per longum tempus confusum est. Augustinus vero dicit emdem Jechoniam debere intelligi,id est Joachim propter significationem cujusdam sacramenti. Transmigratio enim in Babylonem de Jerusalem,transmigrationem apostolorum de Judæa ad gentes significat, in qua transmigratione Christus factus est angularis lapis, utrumque populum complectens. Et propterea cum agerent de transmigratione, voluit Jechoniam eumdem quasi in angulo duarum tessarescedecadarum, qui utrumque complecteretur parietem ponere, qui personam Christi utrumque populum complectentis gereret.

Quæritur : Quare filios Josias in transmigratione genuisse dicatur, cum transmigrationem non vidisset ? Quia videlicet evangelista, sciens eventum rei præteritæ, dixit eum filios genuisse non in tempore transmigrationis, sed in transmigratione, id est ad hoc ut transmigrarent,fratres ejus ponit,ut quorum est communis iniquitas, eorum sit simul miseria.

Jechonias genuit Salathiel, et Salathiel Zorobabel, et Zorobabel Abiud. Sed hoc videtur esse contrarium generationi, quæ legitur in Parapolimenon. Dicitur enim ibi : *Jechonias genuit Salathiel et Phadaia, et Phadaia Zorobabel, et Zorobabel Mosollam* (*I Reg.* III), et non annumerantur filii Salathiel. Sed scimus in Paralipomenon multa vitio scriptorum depravata, unde multæ et indeterminatæ genealogiarum veniunt quæstiones, quas jubet Apostolus vitari (*I Tim.* I). Vel potest dici Salathiel et Phadaia eumdem esse quasi binomium, vel Salathiel et Phadaia fratres esse, et filios ejusdem nominis habuisse, et historiographum fuisse secutum generationem Zorobabel filii Phadaia, non Zorobabel fili i Salathiel. De Abiud usque ad Joseph nulla historia invenitur in Paralipomenon.Credendum est tamen apostolum a Spiritu sancto,quod dicit de sequentibus generationibus accepisse, secuti cætera quæ dicit. Alii etiam multi annales leguntur fuisse apud Hebræos,qui dicebantur Verba dierum, sicut apud Romano, ubi facta totius anni ponebant, de quibus Herodes rex alienigena dicitur multos combussisse,ut erdo regiæ stirpis confunderetur.Et forsitan Joseph eo tempore nomina parentum ibi legerat, vel aliquos ex ipsis annalibus occultaverat, vel aliquo alio modo retinuerat, per quem evangelista seriem hujus generationis scire potuit. Hoc tamem credendum est quod evangelista certus erat de illa genealogia, qui ita eam deposuit.

Jacob genuit Joseph. Quæritur quare Matthæus dicat Jacob patrem Joseph, cum Lucas eum filium Heli nominet et referat, et Heli filium Mathat ? Sed sciendum est quod Mathat qui descendit de David per Natham, habuit uxorem quæ dicta est Hesta, de qua genuit Heli. Post mortem vero Mathat. Mathan qui descendit de David per Salomonem, accepit eamdem uxorem,est genuit inde Jacob. Itaque uterini fuerunt fratres Heli et Jacob.Heli vero duxit uxorem, et mortuus est sine semine. Jacob itaque suscitavit semen fratris sui, et genuit de uxore eadem Joseph.Itaque Joseph secundum legem dicitur filius Heli, secundum naturam filius Jacob.Non potest dieere,Joseph autem genuit Christum,quamvis et pater ejus nominatur secundum adoptionem, sed dicit *virum Mariæ*, et ponit in eodem gradu Joseph et Mariam. Cum enim secundum Hebræorum consuetudinem non soleat fieri computatio genealogiæ per mulleres,ponit Joseph,qui duxerat Mariam lege cognationis, et ita per Joseph probatur Mariam esse de genere David, quod aliis locis satis probari potest, ex hoc scilicet quod Maria ivit cum Joseph in Bethleem, profiteri, quod de domo et familia David erat,et angelus fert de Christo testimonium, quod de genere David sit,ubi ait Mariæ : *Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris sui* (*Luc.* I). *De qua*, ait, *natus est Jesus*, non de quibus, ut de sola virgine natum esse Messiam comprobet, alio modo generationis quam alios esse natum ostendat, non scilicet

(63) S. Hieron. Comment. in Matt. lib. I, c. I, vers 12 seq., edit. Migne.

per concupiscentiam carnis, sed per Spiritum sanctum.

Moralitas. Sed videamus quam moralitatem isti patres in nobis generent. Jechonias, id est *præparatio Domini.* Postquam enim aliquis salutem Domini promeritus est, nihil aliud restat, nisi ut occurrat Domino venienti ad nuptias cum lampade præparatus, vel ad adversitates tolerandas, si contigerint. Sequitur Salathiel, id est *petitio mea Deus.* Qui enim præparatus est, non petit nisi solum Deum. Sed tamen interim fit Zorobabel, id est *magister Babylonis.* Magister enim terrenorum hominum fit aliquando civis Jerusalem, tunc scilicet cum aliquis sanctus fit prælatus super homines morantes in confusione, quos verbo et exemplo instruit. Sed modo e converso nos miseri facimus, qui civem Babyloniæ facimus magistrum Jerusalem. Et cum bene instruxerit justus prælatus subditos, facit recognoscere de Deo quod pater meus iste, quod sonat Abiud, et tunc ille populus resurgit a vitiis. Sequitur enim Eliachim, qui *resurrectio Domini* interpretatur. Et tunc ad bonum operandum est *adjutus,* quod sonat Azor, et ita efficitur justus. Sadoch enim interpretatur *justus,* unde Sadech *justitia* dicitur, et inde Melchisedech, id est *rex justitiæ.* Sicut enim Christus resurrexit et ascendit, et Spiritum sanctum misit, sic populus Dei prius resurgit in baptismate, adjuvatur a Spiritu sancto, ad bene operandum in confirmatione, et sic efficitur justus, et vere justus, quia diligit proximum et Deum, quod habemus per sequentia nomina. Achim enim dicitur *frater meus iste;* et Eliud, *Deus meus.* Dicit igitur fidelis per dilectionem proximi : Iste est frater meus. Et per dilectionem Dei recognoscit Deus meus. Sequitur Eleazar, id est *Deus meus adjutor.* Componitur enim ex Eliud et Azor. Eliud enim sonat *Deus meus,* et Azor *adjutor* vel *adjutus.* Et ad quid recognoscat Deum adjutorem suum, ostendit Mathan, qui *donum* vel *donans* dicitur. Per bonam enim operationem exspectat Deum datorem, et sicut luctatus est in principio, et vitia supplantavit, sic et in fine vitæ suæ oportet jugiter luctari. Unde Jacob postea sequitur, et sic pervenitur ad cumulum virtutum et augmentum, quod per Joseph notatur. Joseph enim *augmentum* dicitur. Sed super omnes virtutes necessaria est incarnatio Christi, sine qua nullus potest salvari, quæ designatur per Mariam. Incarnatio enim Christi fuit nobis stella in mari et lux in tenebris ; per quam incarnationem *natus est Jesus,* qui ducet nos in terram repromissionis, ille scilicet *qui dicitur Christus*; hoc ideo dicit, ut ostendat eum esse Messiam. Iste nos salvavit, et reges et sacerdotes fecit.

Allegoria. Modo veniamus ad allegoriam. Jechonias, id est *præparatio Domini,* convenit Christo. Ipse est enim qui dicit : *Vado parare vobis locum* (*Joan.* xiv).

Nota quod prior Jechonias *Domini resurrectio,* sequens vero Jechonias *Domini præparatio* dicitur.

A Utrumque convenit Christo qui dicit : *Ego sum resurrectio et vita* (*Joan.* xi). Salathiel, id est *petitio mea Deus,* illi convenit, qui dicit : *Pater sancte, serva eos, quos dedisti mihi ut sint unum, sicut et nos* (*Joan.* xvii). Zorobabel, id est *magister Babylonis,* id est confusionis, illi convenit, qui mundum de errore idololatriæ ad vitam veritatis convertit. Abiud, id est *pater meus iste,* illi convenit de quo pater : *Ipse invocabit me pater meus es tu* (*Psal.* lxxxviii). Eliachim, id est *Deus resuscitans,* ille est qui dicit : *Omnis qui videt Filium, et credit in eum, habet vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die* (*Joan.* vi). Azor, id est *adjutus,* ille est, qui dicit : *Ecce Deus adjuvat me, et Dominus susceptor est animæ meæ* (*Psal.* liii). Sadoch, id est, *ju-*
B *stificatus,* ille est de quo dicitur : *Justus Dominus et justitias dilexit* (*Psal.* x). Achim, id est *frater meus iste,* quis alius quam ille, qui homo fieri voluit, ut posset habere fratres, de quibus ipse diceret : *Nuntiabo nomen tuum fratribus meis* (*Hebr.* ii). Eliud, id est *Deus meus,* convenit Christo, qui dicit : *Deus meus, utquid dereliquisti me ?* (*Matth.* xxvii; *Marc.* xv). Eleazar, id est *Deus meus adjutor,* ille est qui ex persona hominis dicit : *Deus meus adjutor meus, et sperabo in eum* (*Psal.* xvii). Matham, id est *donans* vel *donatus,* est ille qui *dedit dona hominibus* (*Ephes.* iv), et de quo dicitur ; *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* (*Joan.* iii). Joseph, id est *apponens,* Christo convenit, quia ipse gentes Judæis apposuit. *Omnes* ergo hæ *generationes*
C dividuntur in tres tessarescedecades. Prima est *ab Abraham usque ad David,* ita quod David ibi includitur; secunda *a David usque ad transmigrationem,* ita quod David ibi non includitur, sed in transmigratione sub ea continetur; tertia est *a transmigratione usque ad Christum,* in qua, si dicamus Jechoniam bis numeratum, transmigratio inclusa est. In prima tessarescedecade significantur homines ante legem: in qua quosdam homines naturalis legis invenies, sicut Abraham, Isaac et Jacob, et omnes usque ad Salomonem; in secunda tessarescedecade significantur homines sub lege, et omnes qui in ea inveniuntur, sub lege fuerunt; in tertia, homines gratiæ, in qua Christus continetur, qui gratiæ dator fuit : in qua etiam liberatio a captivitate Babyloniæ facta est, significans liberationem a captivitate
D diaboli per Christum factam. Isti ergo omnes qui per distinctionem diversorum temporum ponuntur in hac generatione, omnes universaliter Christi fideles significare dicuntur, tum propter vitæ dignitatem, tum propter nominum suorum interpretationem. Unde per quaterdenarium numerum omnes computantur, quia omnes qui justificantur, oportet ut compleant præcepta Veteris Testamenti, quod habemus per decem qui decalogum significant : et præcepta Novi, quod habemus per quaternarium, qui quatuor Evangelia significat. Quatuordecim enim conficitur ex quatuor et decem. Vel in hoc numero septiformis gratia sancti Spiritus significatur.

Ipse enim ex septem et septem conficitur. Quod autem geminatur, significat gratiam Spiritus sancti corpori et animæ esse necessariam, ad hoc, ut salventur. Omnes enim simul accepti,quadraginta duo sunt, si duo Jechoniæ intelligantur, in quibus universitas fidelium exprimitur. Iste enim numerus conficitur ex senario et septenario, quia sexies septem quadraginta duo sunt. Per senarium sex opera misericordiæ intelliguntur, per septenarium requies æterna designatur, quia in *septima die requievit Deus ab* omni *opere* suo, *quod patrarat* (*Gen.* II). Omnes enim sancti per opera misericordiæ ad requiem æternam perveniunt. Vel per septenarium præsens vita habetur qui per septem dies volvitur· Si autem secundum Augustinum quadraginta tantum, remoto Christo, connumerentur, omnes sancti similiter per hunc numerum intelliguntur,quia ex quaternario et denario conficitur. Denarius ad Decalogum refertur, quaternarius ad præsentem vitam, quæ per quatuor tempora transigitur : ver, æstatem, autumnum et hiemem.Omnes enim sanct præcepta legis in præsenti servare debent. Vel, per decem Vetus Testamentum, per quatuor Novum, ut superius intelligitur. *Christi autem generatio sic fuit.* Quasi diceret : Cæteræ generationes sunt ex concupiscentia carnis, sed generatio Christi fuit diversa ab illis, quæ fuit tantum de Spiritu sancto. Quia sic erat, ut dicturus sum, ab initio mundi in Providentia constituta, vel aliter : Tales sunt distinctiones per tres tessarescedecades. Generatio autem Christi tota in massa accepta sicut diximus, erat.

Cum esset desponsata. Multa hic a Matthæo prætermittuntur, quæ a Luca referuntur, annuntiatio videlicet Christi per Gabrielem ad Mariam, et qualiter facta annuntiatione exsurgens Maria abiit cum festinatione in Montana, in civitatem Judææ, et intravit in domum Zachariæ,et salutavit Elizabeth,et qualiter per Spiritum sanctum Elizabeth conceptio Mariæ revelata est, cum exsultaret in gaudio infans in utero ejus,et qualiter ibi mansit tribus mensibus et reversa est in domum suam. Post reversionem autem illam, inventa est in utero habens de Spiritu sancto et ab hoc loco incipit Matthæus dicens : *Cum esset desponsata.* Desponsatio fiebat per aliquod tempus ante assiduam cohabitationem, et interim erat sub custodia mariti sui uxor,et frequenti visitatione, donec solemnia nuptiarum celebrarentur. Quæritur: quare de desponsata Christus virgine voluit nasci ? Multis scilicet de causis, ut scilicet per Joseph generatio texeretur, et Maria ab infamia defenderetur. Cum enim mulier sit fragilioris sexus, et magis pudibundi, voluit matrem suam non seipsum ab infamia tueri. Ipse enim dæmonium habere dicebatur, filius fabri, et potator vini vocabatur, et tamen hæc et alia opprobria libenter patiebatur. Præterea noluit virginibus dare occasionem excusationis, eo quod mater Domini infamata fuisset. Propter etiam aliam causam voluit de virgine desponsata nasci, ne de fornicatione damnata, lapidibus obrueretur, et etiam ut haberet qui eam procuraret, et puerum et eam in Ægyptum duceret et reduceret, et ejus nutritius esset.

Denique est et alia principalis causa, ut diabolo partus virginis celaretur, ut cum eam gravidam videret, a sponso, cui liceret, etiam in desponsationis tempore gravidatam esse putaret. Significatur etiam per Mariam Ecclesia, quæ virgo et sponsa est. Dicit ergo :

Cum Maria mater ejus. Non quod jam mater esset, sed eam matrem evangelista secundum suum tempus vocat.

Desponsata esset Joseph, ut jam dictum est.

Antequam convenirent, id est, nuptiarum solemnia celebrarent. Vel antequam communi cohabitatione convenirent, vel antequam convenirent ad carnis commistionem, non tamen ideo dictum est quod postea convenissent, sed hic modus locutionis similis est illi, ac si aliquis diceret, antequam pœniteret mortuus est : nec tamen sequitur, quod post mortem pœnituisset.

Inventa est. A Joseph sicut a viro curioso circa uxorem suam. *Habens in utero,* id est, gravida post tres menses, scilicet cum de Elizabeth rediisset. Divina voluntate factum est quod virgo noluit annuntiationem angeli marito suo aperire. Si enim puella ei revelaret, non facile sibi crederet, imo aliquam culpam forsitan suspicaretur. Ideo sibi celandum erat, donec angelica demonstratione illum secretum sibi detegeretur. Sequitur : *De Spiritu sancto.* Hoc ex parte sua evangelista adjunxit, ut cum diceretur habere in utero, omnis mala removeretur suspicio a mentibus audientium. Notandum est quod alio modo natus est Christus de Maria, alio modo de Spiritu sancto.Cum enim dicitur de Maria natus est, de substantia ejus intelligendum est, et tunc de materiale est. Cum autem de Spiritu sancto natus esse dicitur, quasi ex potestate Spiritus sancti nativitas illa fuisse intelligitur, et tunc de potentiale est. Juxta illud : *Ex quo omnia,* id est ex potestate, cujus non ex substantia sunt omnia. Ideo dicitur natus esse ex potestate Spiritus sancti, quia Spiritus sanctus matrem ab omni peccato mundavit. Locum etiam præparavit in quo divinitas incarnaretur. Et sicut concupiscentia libidinis semen a patre separat, sic operatio Spiritus sancti carunculam illam a matre separavit, cui Verbum Dei conditum est, et paulatim crevit in utero, sicut et alii pueri, et quando cæteri vivificantur anima, ipse Christus anima vivificatus est. Quamvis hæc operatio Spiritui sancto attribuatur, tamen toti Trinitati communis est. Sed quæ ex sola gratia et bonitate Dei fiunt, Spiritus sancti dona dicuntur, qui bonitas amor et concordia Dei vocatur, quia ab utraque persona Dei procedit. *Joseph autem.* Cum rem adeo mirabilem inveniat Joseph, in dubium ponitur quid faciat. Cum enim eam castam novisset, et unde malum posset suspicari de ea, nesciret, impium esset si eam diffa-

maret. Ex altera parte justitia non exigebat, ut rei incognitæ se copularet, quia aut bona erat aut mala. Si mala erat, rei malæ sociari non debebat. Si bona erat, timebat quod non esset dignus. Itaque medium consilium invenit, ut occulte eam dimittat, ut eam dimissam non videatur dimisisse, sed semper loquatur cum ea, et semper procuret eam, et tamen in assidua cohabitatione non recipiat, cum vellet eam dimittere, quia justus erat, occulte, pius nominatur, eam ab infamia defendens, et hoc est, cum justus esset voluit dimittere; cum nollet traducere in publicum, id est, infamare, voluit hoc facere occulte. Ubi nos habemus traducere, Græci habent propalare. Vel, cum noluit eam traducere in domum suam ad cohabitationem assiduam. Itaque diu cogitavit. In quo notatur animus sapientis, qui nihi temere vult incipere.

Hæc autem eo cogitante meruit divinum consilium. Angelus impressit imaginem suam dormientis animæ non quod animus videret aliquod corpus, sed vibebatur videre. Duobus modis fit apparitio angelica : Vigilanti, assumendo aereum corpus; dormienti, imprimendo imaginationem, et tamen angelus qui præsens Joseph erat nullum corpus habebat. Hæ visiones Judæis erant notæ et frequentes. Angelus Domini dicitur, ne malignus putetur. Et ait : *Joseph.* Cum ex nomine vocat, quasi notum et familiarem sibi ostendit, et attentum reddit cum dicat : *Fili David.* Quodammodo hortatur, ut ad memoriam revocet se, et Mariam esse de stirpe David cui promissio facta est, et ideo nullatenus diffidat illam promissionem posse implere in Maria, cum subdit : *Noli timere.* Ostendit quare hoc cogitabat, quia scilicet timebat se rei incognitæ sociare. *Accipe Mariam conjugem tuam,* nuptiali conventu et assidua cohabitatione. Cum vocet eam conjugem suam, secundum Augustinum hoc exemplo magnifice insinuatur fidelibus conjugatis, etiam servata pari consensu continentia posse permanere, vocarique conjugium, non permisto corporis sensu, sed custodito mentis affectu. *Quod enim in ea,* etc. Quasi diceret : Noli timere, quia non est malum. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Aliud est nasci in ea, aliud ab ea. Nasci ab ea, est prodire in lucem; nasci in ea, concipi. *Pariet autem filium.* Et ne videretur sibi Joseph amplius conjugio esse necessarius, cum conceptio esset facta sine officio ejus, ostendit quod quamvis non sit necessarius conceptui, tamen utilis est procurationi, quia ipsa pariet filium, et tunc matri et filio erit necessarius. Matri, ut ab infamia defendat; filio, ut eum nutriat et circumcidat; quæ circumcisio notatur ubi dicit :

Et vocabis nomen ejus Jesum. In circumcisione enim solet dari nomen. Quod dicit vocabis, sed non impones, quia ab æterno impositum est.

Ipse enim salvum faciet. Causam nominis ponit, quia salvum faciet nos quoslibet, sed populum suum in fide, non ab hostibus corporalibus, sicut Josue et David, sed *a peccatis eorum,* quod non est hominum, sed solius Dei.

Hoc autem totum factum est, quod virgo desponsaretur, quod casta servaretur, quod gravida inveniretur, quod per angelum Joseph revelaretur, quod concepisse et paritura esse diceretur. Hoc, inquam, totum factum est, ut impleretur, quod dictum est a Domino per prophetam Isaiam dicentem (*Isa.* VII) : *Ecce virgo.* Non enim hoc impleretur, quod virgo conciperet et pareret, nisi desponsata esset, ne lapidaretur, et nisi inventa esset gravida, ut postea a Joseph occulte dimitteretur, et ita propalata non lapidaretur, et nisi ab angelo secretum detegeretur, et ita eam acciperet, ne aliquo modo eam esse dimissam per aliquam infamiam efflueret, et tunc lapidatione periret. Si ergo ante partum periret, cassaretur prophetia, quæ ait : *Pariet filium.* Quod necessarium erat impleri. Prophetia alia ex prædestinatione Dei, quod necessarium est omnibus modis evenire, ut sine nostro impleatur arbitrio, ut illa de qua modo agimus. Alia ex præscientia Dei, cui nostrum admiscetur arbitrium, et cooperante gratia consequimur præmium, vel ab ea juste relicti, tormentum. Alia non ex præscientia, sed est quasi quædam comminatio more humano facta. Sicut illud : *Morieris et non vives* (*Isa.* XXXVIII). Et illud : *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur* (*Jon.* IV). Quæ non implentur juxta hoc quod verba sonare videntur, et tamen vera est secundum quod intelligitur. Sicut enim comminando servo nostro dicimus : Interficiam te, tamen intelligendo, nisi te correxeris; sic Deus, loquens more humano, ait : *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur,* intelligendo, nisi Ninivitæ corrigantur. Et illud : *Morieris et non vives,* nisi fleveris. Et aliter potest intelligi. *Hoc autem totum factum est, ita quod impleretur,* etc. *Ecce virgo concipiet.* Nota quod sensum Isaiæ sequitur non verba, pro concipiet, dicit : *In utero habebit, et vocabunt homines,* pro vocabitur. Voluit propheta ponere hoc nomen quod est Emmanuel specialius, quod utramque naturam exprimit. Interpretatur enim : *Nobiscum Deus;* quasi diceret : Deus est nobiscum; id est in natura nostra. *Quod interpretatur.* Ne mireris si Hebræus loquens cum Hebræis, exponit Hebræum per Hebræum, quia etiam apud Latinos multa sunt, quæ per alia verba Latina exponuntur. *Exsurgens autem Joseph.* Fecit non tantum quod præcepit angelus, sed etiam sic præcepit.

MORALITAS. — BEDA. Quisquis a Deo movetur solvat moras, surgat a somno, faciat quod jubetur. *Donec peperit.* Satis certum est, quod postquam Christus natus est, postquam Joseph pastores audivit, postquam magos vidit, postquam Simeon et Anna de eo prophetaverunt, eum non audet tangere. Itaque removet tempus illud de quo major suspicio haberetur, sicut David qui dicit : *Donec ponam* (*Psal.* CIX), etc.

Filium suum primogenitum. Suum, id est de substantia sua. Primogenitum, id est, genitum a Patre, ante omnia genita. In quibus verbis natura

divinitatis et humanitatis assignatur. Vel dictus est primogenitus secundum usum locutionis, non respiciendo ad secundum, quia omne quod primo nascitur, primogenitum vocatur. Vel primogenitum respectu omnium fidelium : juxta Paulum, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus, et hoc secundum dignitatem.

Et vocavit. Hic prætermittit multa Matthæus, quæ a Luca referuntur, qui ostendit, et quomodo et ubi sit natus, scilicet in Bethleem, et qua occasione illuc Maria et Joseph profecti sunt. Ait enim : *Exiit edictum a Cæsare Augusto* (*Luc.* II), etc., et qualiter angeli apparuerunt pastoribus. Matthæus vero de die circumcisionis tantum facit mentionem, dictus ita : *Et vocavit nomen ejus Jesum*, quod Lucas explicatius exsequitur.

CAPUT II.

Cum ergo natus. Quamvis Matthæus nativitatem Christi prætermittat, tamen adventum magorum relaturus eam breviter tangit, notans locum, tempus et tribum. Locum notat ubi ait, *in Bethlehem.* Tribum, ubi dicit Judæ. Tempus, cum subjungit : *In diebus Herodis regis.* Judæ apponit, ad differentiam illius quæ est in terra Zabulon. Duæ enim Bethlehem sunt, altera quæ est in terra Zabulon, altera quæ est in tribu Juda, quæ prius Ephrata, quæ postea in augurium Christi venturi Bethlehem dicta est : Ephrata enim interpretatur *videns furorem* vel *speculum*, quia postea exercuit Herodes furorem suum circa pueros, et quasi de speculo Christum venturum exspectabat. Bethlehem vero *domus panis* interpretatur, quia panis angelorum ibi natus est, et dignum erat ut in Bethlehem Judæ nasceretur, qui de tribu Judæ processerat. Tempus etiam convenit. Quia ecce alienigena rex Israel factus erat, ut impleretur prophetia, quæ dicit : *Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est* (*Gen.* XLIX). Ex quo enim intraverunt filii Israel in terram promissionis, judices habuerunt usque ad Saulem, deinde reges usque ad transmigrationem Babylonis. Post vero reditum de Babylonia per pontifices gerebatur summa rerum usque ad Hircanum simul pontificem et regem, quo fratris invidia vexato, et tandem ab Herode interempto, regnum Judææ jussu Augusti traditum est Herodi. Prophetia itaque completa est, quæ dicit : *Cum venerit Sanctus sanctorum cessabit unctio vestra.*

Ecce magi. Isti tres magi non, ut dicitur, malefici, sed sapientes astrologi fuerunt, de terra Persarum et Chaldæorum, ubi est Sabba fluvius. Unde Sabæa regio dicitur, juxta quam Arabia est, unde isti tres reges fuerunt. Duæ enim Arabiæ sunt, una ubi est Sina, de qua ait Apostolus : *Sina mons est in Arabia* (*Gal.* IV). Altera, quæ est in zona calida. Unde Lucanus :

Ignotum vobis, Arabes, venistis in orbem.

Isti viderunt novam stellam in aere, quæ novum Regem natum fuisse designabat. Babylonæi enim et Chaldæi sunt periti astrorum. Dubium est, utrum stella orta sit in oriente, an ipsi ibi positi natam circa terram Israel stellam vidissent. Potuit enim eis nasci in oriente, et eos in Jerusalem perduxisse; sed dum Jerusalem venissent quasi ad caput regni, et ad Herodem divertissent, eam ad tempus perdiderunt, et cum ab eo discederent :

Ecce stella quam viderant in oriente antecessit eos, usque dum veniens staret supra, ubi puer erat. Potuit etiam illis in oriente positis stella circa Jerusalem apparuisse, et prophetiæ Balaam, qui de Chaldæa fuit, recordati fuerunt, de qua dicitur : *Orietur stella ex Jacob, et vir ex Israel* (*Num.* XXIV), et prophetia completa est, tum stellæ apparitione commoti, et Jerusalem pervenerunt, et cum ad Herodem diverterent, disparuit donec ab Herode discesserunt, et tunc iterum stella eos antecessit, et usque ad Bethlehem perduxit. Veritas vero rei ex Evangelio non potest percipi. Ubi enim dicunt : *Vidimus stellam ejus in oriente*, potest intelligi : Vel nos existentes in oriente vidimus stellam circa Jerusalem, vel vidimus stellam ejus positam in oriente. Divina tamen inspiratione creduntur incitati, cum Deum esse credant quem adorare postulant. Sed Hieronymus super Isaiam dicit : *Magi ab oriente docti a dæmonibus, vel juxta prophetiam Balaam natum intelligentes Filium Dei, qui omnem artis eorum destrueret potestatem, venerunt Bethlehem, et ostendente stella adoraverunt puerum.* Docti a dæmonibus dicuntur, quia per astronomiam, quam dæmones docuerunt, docti erant. Dæmones enim Christi nativitatem ignorabant. Nec refertur in Evangelio, quot reges fuerunt, sed numerus eorum ex numero muneris percipitur. Nec soli, sed multis militibus stipati venisse creduntur, sed tantum de regibus in Evangelio mentio habetur. Magi enim dicuntur ab oriente venisse, eo quod vere in vero oriente essent positi, sed quidquid est ultra Jerusalem versus orientem, in oriente quantum ad eos dicitur esse. A die nativitatis Domini creditur stella tantum apparuisse, et peracto officio, cum nova esset desinit esse. Ait enim Fulgentius : *Puer natus novam stellam fabricavit.* Nec mireris eos in tredecim diebus venisse in Bethlehem, cum equos arabicos et dromedarios habeant, nec multum sunt a Judæa remoti. Refert tamen Haymo, et stellam ante nativitatem apparuisse Christi, et eos iter simul incœpisse, et peracto officio stellam in puteum Bethlehem decidisse, et aliquando solis ibi virginibus apparere, quod frivolum putatur.

GREGORIUS. Merito nato Domino angelus pastoribus apparuit; magos autem non angelus, sed stella perduxit; quia Judæis tanquam ratione utentibus rationale animal, id est angelus prædicare debuit. Gentiles vero, quia uti ratione nesciebant, per signa ducendi erant. Signa enim data sunt infidelibus non fidelibus. Dignum etiam erat, ut per stellam Chaldæis (qui de stellis sciebant) Christus ostenderetur, et per angelos Judæis, qui angelos in prophetis satis

audierant, et ipsi aliquando viderant. Et tamen utraque lingua de cœlo erat, et stellæ et angelorum, quia jam cessaverat lingua prophetarum.

Ubi est qui natus est rex Judæorum? Videas tali inquisitione Judæos confutatos esse. Gentilis enim inquirit Deum, natum dicit, regemque Judæorum asserit; Judæus vero quærere contemnit juxta se quasi inventum non agnoscit, regem suum fater, prorsus refugit, quod totum significat illuminationem gentium; Judæorum autem excæcationem. Unde nec meruerunt videre stellam: Cum dixerunt *ubi est rex Judæorum*, ne Herodem quærere videantur, determinant dicendo *qui natus est*. Allegoricsecundum primitias gentium designatur salus, gentiliumque intratura est ad Christum. Præcedente stella, id est fidei illuminatione, qua Judæi carentes non venient ad Christum, dum divertunt ad Judæos, stellam amittunt, quia dum a pravis hominibus et diabolo aliquod consilium quærunt, veram illuminationem amittunt.

Vidimus enim stellam ejus in oriente. Recte dicunt ejus, quia licet omnes ab eodem creatæ ipsius essent, hæc tamen proprie Christi erat quia illum modo natum nuntiabat. Cæteræ stellæ ab initio mundi factæ sunt, ut distinguerentur tempora, et operarentur quædam nobis occulta. Audiens autem Herodes rex, alium natum regem Judæorum quam se, turbatus est, et propter se, quia timebat exitium regni sui, et propter iram Romanorum quam pateretur si consentiret. Decreverant enim Romani ne quis rex vel Deus sine suo consilio diceretur. Turbatus est propter astantem multitudinem magos comitantem, quasi erubescens alium quam se quæri regem. Unde notandum, quia rex hic nominatur, ut ex collatione ejus qui quæritur, ipse extraneus intelligatur. Et vide quia cœli Regi nato, rex terræ turbatur; dum enim celsitudo cœlestis aperitur, altitudo terrena confunditur. Sequitur: *Et omnis Jerosolyma cum illo.* Volens illi favere quem timebat. Populus enim plus justo illis favet, quos crudeles sustinet. Unde Salomon: *Rex injustus omnes ministros habet impios* (*Prov.* XXIX). *Et congregans*, etc. Duo investigat Herodes, locum et tempus. Locum a Judæis, qui cognoverant ex prophetis. Tempus a magis, qui cognoverant a stella, ut circa locum illum quærere possit puerum: et si a magis illudatur, pueros omnes illius temporis interficiat, et illius loci. Scribæ valde sapientes erant, qui per se superaddebant suas traditiones aliis traditionibus Moysi; locum nesciebant magi quia prophetas non legerant.

Scriptum est per prophetam Michæam: *Et tu, Bethlehem, terra Juda*, etc. (*Mich.* V.) Notandum est, quod in testimonio Scripturæ vel obliviscendo, vel invidendo, scriptores aliquando minus ponunt, et quædam aliter dicunt, sensum tamen et veritatem prophetæ exprimunt. Sic enim Hebraice scriptum est: *Et tu, Bethlehem Ephrata, parva es in millibus Juda, ex te egredietur qui sit Dominator in Israel, et egressus ejus ab initio a diebus æternitatis* (*ibid.*).

A Secundum hæc verba sensus est talis: O tu, Bethlehem, quæ prius vocata es Ephrata, quamvis sis parvus vicus inter millia civitatum Juda, tamen ex te nascetur Christus, qui erit dominator Israel, qui non tantum ex David, sed etiam egressus ejus ab initio, quia ab initio natus est ex patre, sicut scriptum est: *In principio erat Verbum* (*Joan.* I); et ne initium videretur habere, determinat cum dictat, *a diebus æternitatis*. Nec multum differt sensus iste a verbis positis in Evangelio: cum enim dicit, terra Juda, tantumdem valet quantum Ephrata. Quod autem dicit: *Nequaquam minima es in principibus Juda*, id est inter principales civitates Judæ, non de quantitate, sed de dignitate intelligitur. *Tunc Herodes clam vocatis magis.* Diligentia quærentis, ut si B invenerit, faciat quod post se velle ostendit; sin autem excusatus sit a Romanis, explorat etiam si rex eorum tristes faciat Judæos vel lætos. Ideo clam Judæis voluit hoc investigare a magis, quia timebat ne Judæi quasi ex divino oraculo promissum regem occulerent, si se eum velle perimere præsentirent. Ideo etiam promisit se adorare, ne dolum ejus cognoscerent, sed potius sine suspicione ei de puero renuntiarent. *Mittens ergo illos in Bethlehem dixit, ite interrogate diligenter de puero.* Cognito loco et tempore, personam pueri non vult ignorare. Nota quod illud præcepit, quod absque præcepto erant facturi. Quod autem addit, *et cum inveneritis, renuntiate mihi*, præceptio præsumptuosa est valde, quia putat quod omnes debeant sibi obtemperare. Sed ut ad renuntiandum invitaret subjungit: *Ut et* C *ego veniens adorem eum.* Hic Herodes gerit personam hypocritarum, qui dum ficte quærunt Deum, nunquam invenire merentur. *Et ecce stella.* Dimisso consilio pravorum, ecce redit vera cognitio. Stella enim est quælibet exhortatio bona ducens ad Christum, vel potius fides, quæ est mentis illuminatio. *Usque dum veniens*, etc. Hic apparet quod in aere posita erat, quia domui in qua puer erat multum fuit vicina. Aliter enim domum non discernerent plus quam aliam. *Videntes autem stellam, gavisi sunt gaudio.* Gaudet gaudio, qui propter Deum gaudet, qui est verum gaudium. Sicut vita vivit, qui in virtutibus vivit, et morte moritur qui in peccatis est. Addit et magno, quia de magna re, et valde, quia nihil majus ipso. *Et intrantes domum.* Divino D nutu factum est, quod non aderat Joseph, ne aliqua malæ suspicionis occasio daretur gentibus. *Et procidentes adoraverunt eum.* Non fecerunt Herodi, quod fecerunt puero, quia credunt Verbum in carne. *Et apertis thesauris suis.* Quamvis Arabes morem suæ gentis in donis offerendis sequantur, qui in auro et thure et diversis generibus aromatum abundant, tamen aliquid mysterium in donis intelligunt. Per aurum, regia potestas; per thus, divinitas et sacerdotium significatur; thus enim soli Deo et a sacerdote offertur. Per myrrham, mortalis humanitas designatur. Corpora enim mortuorum myrrha condiuntur, quia ex nimia amaritudine per eam vermes exstinguuntur.

Leo papa. Quæritur an singuli singula, an unusquisque tria obtulerit. Sed magis fatendum est quod congruit mysterio, scilicet, quod singuli tria. Unusquisque enim regem et Deum, et passibilem eum crededant.

Moralitas. — Gregorius. Nato regi aurum offerimus, si in conspectu illius claritate supernæ sapientiæ resplendemus. Thus offerimus, si cogitationes carnis, per studium orationis in ara cordis incendimus. Myrrham offerimus, si carnis vitia per abstinentiam mortificamus.

Mystice. Veniunt gentes, dimisso Herode, id est diabolo qui pelliceus interpretatur, vel dimissis hypocritis qui vere pellicei sunt, id est mortuis pellibus induti, id est peccatis. Unde Adam et Eva pelliceis induti tunicis post peccatum fuisse leguntur. Veniunt stella præcedente, id est fide, et intrant domum, id est Ecclesiam, dum pars Ecclesiæ efficiuntur, et inveniunt Christum cum matre. Mater Christi sunt prædicatores, qui eum in mentibus audientium generant. Aberat Joseph, id est populus Judæorum qui propter perfidiam et infidelitatem suam in consortio Ecclesiæ locum non habent. Tres sunt, quia de tribus partibus mundi gentes veniunt, id est Asia, Europa et Africa. Vel quia de tribus filiis Noe procreatæ sunt. Thesauros in domo aperiunt, dum fidem cordis per confessionem oris ostendunt. Bene in domo, non in via, thesaurus aperitur, ne a latrunculis forte rapiatur. Per hoc docemur ne thesaurum bonæ conscientiæ jactando propalemus, ne a spiritualibus hostibus per inanem gloriam nobis subripiatur, sed soli Deo in tuto loco, id est in secreto cordium offeramus. Et offerunt tria munera, id est fidem sanctæ Trinitatis : vel apertis thesauris Scripturarum, historicum, moralem, et allegoricum sensum offerunt, vel logicam, physicam, ethicam, dum illa fidei catholicæ faciunt servire. Non loquitur puer ad eos, ne divinitas ante tempus reveletur, et ut vera habeatur humanitas, unde et mox mittitur in Ægyptum.

Et responso accepto, etc. Mentibus enim quærebant quid vellet divina voluntas de reversione ad Herodem, et ideo divinum consilium meruerunt. Sciendum est quod eamdem visionem una nocte viderunt omnes. *Per aliam viam.* Legitur quod magi intraverunt mare, et navibus conductis pervenerunt ad Persiam, quæ naves cum redissent, Herodes putans eos assequi, audito transitu illorum, naves quæ eos asportaverunt, ex furore combussit.

Moralitas. Admonentur fideles ne invento Christo redeant ad Herodem, id est ad diabolum ; sed per aliam viam, quam per viam diaboli, id est per viam virtutum, redeant ad cœlestem patriam. *Qui cum recessissent*. Hic prætermittit Matthæus diem purificationis, in qua omnes primogeniti offerebantur in templo, et agnus vel par turturum vel columbarum. Quamvis timerent Herodem, tamen non sunt ausi transgredi legem, quin ad templum puerum deferrent, ubi Simeon accepit eum in ulnis suis, et Anna de eo multa prophetavit, quo facto secesserunt in Nazareth. Cum itaque rumor de puero jam inciperet dilatari, mittitur angelus scilicet Gabriel, qui in Ægyptum faciat puerum transportari.

Surge et accipe puerum. Usus Scripturæ est sæpe puerum nominare, ut eum agnoscamus, de quo dictum est : *Puer natus est nobis* (*Isa.* IX).

Moralitas. Fuga Christi nos docet, ut quotiescunque habemus quod rationabiliter faciamus, non objiciamus nos periculo. Unde dicitur : *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam* (*Matth.* XXIII). Fugit etiam quia scriptum erat : *Non occides agnum in lacte matris suæ* (*Deut.* XIV), hoc est in infantia Christus non occidetur. Si enim ante prædicationem suam Christos moreretur, adventus suæ Incarnationis frustraretur. De hac fuga prædixit Isaias : *Ecce nubem Dominus ascendet levem, et ingrepietur Ægyptum, et movebuntur simulacra ejus* (*Isa.* XIX). Quod factum est, quia Domino intrante Ægyptum, idola templorum corruerunt, et cum ibi latuisset septem annis in quadam civitate diutius habitavit quæ vocata est Heliopolis, id est civitas solis.

Mystice. Joseph figurat prædicatores qui augmentant gentem Domini, unde et *augmentum* interpretatur. Hi portaverunt puerum et matrem ejus in Ægyptum, dum fidem Christi et Ecclesiæ ad gentes transtulerunt, relicto Herode, id est infidelitate Judæorum. In nocte portant, quandiu scilicet Judæi sunt in nocte ignorantiæ. Sed tandem mortuo Herode, id est infidelitate Judæorum per prædicationem Heliæ et Enoch, fides Christi ad Judæos transfertur. Gerit etiam Herodes personam persecutorum qui tempore apostolorum in Judæa fuerunt, quando scilicet Christus in membris suis, id est in apostolis suis fugit ad gentes. Nota etiam quod Mariam matrem pueri, non uxorem Joseph dixit, quia deinceps non sponsus, sed quasi custos reputatus est ejus.

Per prophetam Osee. Tunc Herodes, etc. Translato puero in Ægyptum, permittitur Herodes irasci et insanire, et se illusum a magis animadvertere. Sciendum quia interfectio puerorum non statim facta est, sed per magnum tempus dilata. Cum enim nihil sibi renuntiatum esset, credidit magos deceptos esse, et ideo ad se non reversos, unde tam diu quievit a pueri inquisitione. Sed postea vulgatis quæ dixit Simeon et Anna de puero, se illusum a magis sensit, et tunc persecutus est illos usque ad Tharsum Ciliciæ. Quibus non inventis, naves quibus transvecti fuerant, destruxit. Inde autem rediens interfectionem puerorum distulit. Timebat enim puerum a parentibus, occultari, et ideo putabat se, incautis parentibus, melius posse eum postea decipere vel interimere. Alii dicunt, sicut Haymo, eum accusatum Romæ, et Romæ profectum esse, et propter has occupationes, necem puerorum per duos annos distulisse, et ideo pueros a bimatu interfecisse. Sed est magis verisimile, post annum et quatuor dies

Herodem in pueros desævisse, et forsitan fuit illo anno aliquibus occupationibus præpeditus, unde Augustinus : *Quot et quantis occupationibus regia cura distendi potuerit, et per plurimos dies ab illa intentione vel averti omnino vel impediri, nec enumerari possunt causæ quibus hoc potuerit accidere, et quia timebat ne puer cui famulabantur sidera, speciem suam paulo super et infra ætatem occultaret, ideo videtur pueros a bimatu usque ad pueros unius diei interfecisse.* Et ne puer in finibus Bethlehem occultaretur, interfecit pueros non solum in Bethlehem, sed in omnibus finibus ejus, ut in tanta multitudine non posset evadere, et ideo forsitan eos a bimatu interfecit, ut sicut addidit loco per tyrannidem adderet et tempori. Hi martyres ad inferos descenderunt, quia nondum passus erat Christus, et ideo in solemnitate eorum etiam tacentur voces gaudii, id est *alleluia*, et *Gloria in excelsis Deo*. Bimatus computatus est a nativitate Christi, quod potuit fieri secundum tempus stellæ, quod exquisierat a magis.

Vox in Rama. Secundum historiam hæc prophetia de interfectione quam fecit Nabuchodonosor agit, quam prævidens propheta ait : *Vox in Rama* (*Jer.* XXI) : quasi diceret, tanta interfectio erit in tribu Benjamin, quod vox plorantium et ululantium audietur in Rama, qui locus distat a Bethlehem duodecimo milliario, et tunc Rachel quæ fuit mater Benjamin, plorabit filios suos, scilicet illos, qui de tribu ejus sunt, et noluerunt consolari, quia non erant, id est quia mortui erant, et loquebatur ad similitudinem illius doloris et interfectionis de qua legitur in libro Judicum, quod quidam Levita venit cum uxore sua in tribu Benjamin, ubi quidam pessimi uxorem ejus apprehendentes, ex nimia stupri assiduitate interfecerunt, quam maritus in duodecim partes dividens, misit per duodecim tribus Israel, nequitiam Benjamin ostendendo. Quare aliæ tribus in Benjamin insurgentes, tribum illam destruxerunt, præter trecentos viros, et tunc tantus dolor habitus est, quod vox dolentium in Rama audita est. Sed quamvis propheta de persecutione Nabuchodonosor hoc diceret, tamen significatum illius intelligebat. Nabuchodonosor enim omnes persecutores Ecclesiæ designat, qui interficiunt filios Rachel, hoc est, Ecclesiæ. Rachel enim *ovis* vel *videns principium* interpretatur. Ecclesia vero innocens est, et Deum contemplatur; ipsa est ovis centesima quam pastor in humeris reportavit, et sic hoc tempore Herodis secundum significationem prophetia illa completa est. Herodes enim fuit primitiæ persecutorum, et pueri primitiæ martyrum. Plorat ergo Ecclesia per compassionem martyres interfectos, et vox illa auditur in Rama, id est id excelso, id est in cœlo. Rama enim *excelsum* interpretatur. Ideo dicitur vox in cœlo audiri, quia Deus vindicat sanguinem martyrum suorum. Et quamvis de temporali morte fleat Ecclesia, tamen non vult consolari de hoc, quia non sunt, id est quia mortui sunt, quæ consolatio esset si in mundo revocarentur. Vel non vult consolari, ita ut reddantur huic sæculo, quia filii sui non sunt, scilicet de hoc sæculo. Vel aliter, filios Ecclesiæ vocat ipsos persecutores, qui tamen non sunt filii nisi per affectum illius: quia scilicet vellet eos esse filios suos. Illos etiam potius plorat Ecclesia, et non vult consolari, id est mitigari dolorem suum quandiu vivit : ideo, quia non sunt, id est quia omnino perierunt. Sed quæritur juxta litteram : Quomodo Rachel ploraverit filios suos, cum tribus Juda, quæ Bethlehem tenebat, non de Rachel, sed de sorore ejus Lia fuerit orta? Quod facile solvitur, quia non tantum in Bethlehem, sed etiam in omnibus finibus ejus pueri sunt trucidati. Tribus autem Benjamin, quæ de Rachel orta est proxima fuit tribui Judæ, unde credi potest non paucos de Benjamin interfectos fuisse. Vel ideo quia Rachel juxta Bethlehem sepulta est, voluit propheta homines illius loci per Rachel designare.

Defuncto autem Herode. Mortuus fuit Herodes turpissima morte, ut refert Josephus: pro eo autem regnavit Archelaus filius ejus supra totam Judæam et Galilæam, et hic postea damnatus a Romanis, Lugduno exsilio relegatus est, et ibi mortuus. Postea divisum est regnum in quatuor partes, et data est Galilæa Herodi filio Herodis Archelai fratri, juxta Lucam, qui ait : *Anno quinto decimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus Tetrarcha Itureæ et Traconitidis regionis, et Lysania Abilinæ Tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna et Caipha, factum est verbum Domini super Joannem* (*Luc.* III). Cum ergo regnasset Archelaus in regressione Christi de Ægypto, jam in prædicatione Joannis mutatum est regnum. *Et vade in terram Israel.* Non determinat angelus in quo loco terræ Israel, ut dubitante Joseph iterum revertatur, et de frequentiore visitatione angeli Joseph certior reddatur. Quæritur: Quare Joseph non timuit ire in Galilæam sicut in Judæam, cum et ibi regnaret Archelaus tam bene? Sed melius potuit faber ille latere cum puero in Nazareth, quam in Jerusalem, ubi erat caput regni et assiduus Archelaus.

Defuncti sunt enim. Ideo dicit pluraliter, *defuncti sunt*, quia tam bene sacerdotes et scribæ quærebant eum interficere sicut et Herodes. Quod revertitur mortuo Herode Jesus ad Judæos, significat quod, mortua infidelitate Judæorum, tandem in fine sæculi Judæi convertentur ad Christum : non tamen omnes, sed parum erit in quibus regnabit Archelaus, id est Antichristus. Archelaus enim princeps populi interpretatur. Christus vero secedet in Nazareth, id est in sanctitate, id est in illis ubi flos sanctitatis erit, quæ est in Galilæa, id est in transmigratione, id est ubi fuit transmigratio a vitiis ad virtutes. *Nazaræus*, sanctus interpretatur, unde Christiani prius Nazaræi vocabantur; sed apud Antiochiam postea in communi concilio a Petro mutatum est hoc nomen, et dicti sunt Christiani.

In diebus. Hic prætermittit Matthæus illud totum

tempus quod fuit a reversione de Ægypto usque ad prædicationem Joannis; sed Lucas interserit illud tantum quod, circa duodecimum annum, cum parentibus ascendit in Jerusalem, et ibi solus remansit. De Joanne Baptista dicit Lucas : *Puer autem crescebat et confortabatur spiritu, et erat in deserto usque in diem ostensionis suæ in Israel* (*Luc.* I). Vixit enim in deserto indutus camelino cilicio, et cibis deserti vescens, sic edomans carnem, et prædicationi preparans se. Postquam vero visum fuit idoneum tempus, scilicet circiter triginta annos, incipiens prædicationem suam, et viam Domino præparans, ne Christus de se testimonium perhiberet. *Fuit homo missus a Deo ut testimonium perhiberet de lumine* (*Joan.* I). Joseph in Ægypto triginta erat annorum cum regnum Ægypti suscepit. David regnum eadem ætate inchoavit. Ezechiel tricenarius prophetare incœpit. Christus similiter in eadem ætate prædicavit : quia in perfecta ætate et regnum et sacerdotium, et prædicatio fieri debet. Joannes ergo circa eamdem ætatem paulo ante Christum, sicut qui major natu erat, prædicationem suam incœpisse creditur. Quod tempus designat Lucas per tempora dignitatum sic : *Anno quinto decimo imperii Tiberii Cæsaris* (*Luc.* I), etc , non determinat Matthæus, cum ait :

CAPUT III.

In diebus illis venit Joannes, id est manifestavit se, qui tam diu prius siluerat. Venit prædicans, venit baptizans, ut in utroque Domino viam præpararet, qui et prædicaturus et baptizaturus erat. Nisi enim homines baptizari consuescerent, baptismum Christi abhorrerent. Baptismus tamen Joannis non conferebat remissionem peccatorum, quia nondum effusus erat sanguis Christi, sed tamen homines lavari consuescebant. Quæritur ergo : Si moriebantur, an salvabantur baptismate Joannis lavati ? Si fidem habebant, in sinum Abrahæ descendebant, in inferno redemptionem exspectantes, sicut Abraham, Isaac, qui non receperant remissionem peccatorum, nisi sub exspectatione. Omnes enim antiqui peccatorum originale et sua actualia retinebant, sed quasi dimitti sibi dicebant, dum effusione sanguinis Christi ab eis relaxari in futuro se credebant. Similiter dum pœnitentiam agerent sub Joanne, non remissionem peccatorum recipiebant, nisi sub exspectatione. Tantum ergo proderat et pœnitentia baptizatis a Joanne, quantum et David pœnitenti et omnibus antiquis. Oportebat ergo eosdem rebaptizari in rebaptismate Christi, unde quidam inveniuntur in Actibus apostolorum baptizati in baptismate Joannis, rebaptizati a Paulo in baptismum Christi. Sicut ergo Joannes fuit præcursor prædicationis, ita et baptismatis. Dicitur ergo :

In diebus illis, id est *anno quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris, venit Joannes*, id est manifestavit se, et qualis venit, subjungit, *baptista, et prædicans.* Utrumque enim faciebat, baptizabat et prædicabat, locum subjungit, *in deserto.* In deserto prædicat, ut

A per locum ostendat quo debeant surgere ad agendam pœnitentiam. Quicunque enim vult agere pœnitentiam, vel mente vel etiam loco, ad desertum transeat. Potest enim homo in mente sibi eremum facere, si sæculi postponat tumultum. *Ideo in deserto judææ*, ut ostendat Judæam esse desertam a Deo, et ideo pœnitentiam debere agere, prædicans et dicens. Aliud prædicans, et aliud dicens, quia et dicens : *Agite pœnitentiam*, quod præsentialiter faciendum erat, et prædicans. *Appropinquabit enim regnum cœlorum*, quod futurum erat post passionem Christi, ut ipse Christus potest vocari regnum cœlorum, per quem sancti regnant : vel Evangelium Christi, per quod auditores ad regnum cœlorum invitantur, quod utrumque appropinquabit, quo-

B niam Christus nondum prædicabat. Aliud est pœnitere, aliud est pœnitentiam agere. Pœnitere est anteacta deflere, et deflenda non committere. Agere pœnitentiam, est post pœnitentiam satisfacere, jejunando, eleemosynas dando, etc.

Hic est enim. Vere sic prædicavit, sic enim propheta prædixit : Vox *clamantis*, etc. (*Isa.* XL.). Aliud est verbum, aliud est vox. Verbum est intelligentia vocis. Ipsum est aliquando in corde, aliquando in ore. Vox est vehiculum intellectus, quæ defert intelligentiam ad aures auditorum, et ostendit quod prius erat absconditum in corde, unde Christus vocatur Verbum : *In principio erat Verbum* (*Joan.* I). Joannes vox : *Vox clamantis in deserto* (*Isa.* XL). Christus enim erat Verbum in corde Patris, formatum Verbum quasi in ore ; quando Christus natus est ha-

C buit vocem quæ illum ad auditorem deferret, id est, Joannem. Erat igitur Joannes quasi vox Verbi clamantis : Verbum enim clamabat in voce, id est, Christus in Joanne. Clamabat in deserto, ut ait Maximus, ne prædicationi ejus insolens turba perstreperet, vel infidelis auditor irrideret, qui eum vera prædicantem non animadverteret. Typice autem, secundum Bedam, desertum illud significat sanctorum vitam a mundi illecebris segregatam.

Parate viam Domini. Id est, fidem et bona opera accipite, quæ sunt via ad eum quem prædico, etc., *et rectas facite semitas ejus.* Aliud est via, aliud est semita. Via est lata, quæ significat laxiora præcepta. Semita est arcta, quæ significat arctiora, sicut est vita contemplativa, vel inimicum diligere, vel

D alia bona facere.

Rectas, id est, ut recta intentione fiant, non pro terreno, sed cœlesti modo, vel secundum Gregorium : *Via Domini ad cor dirigitur, cum sermo illius diligenter auditur.* Quasi diceret : Prædicationi meæ credatis, quatenus ad præcepta Domini recipienda sint laxiora sive arctiora, quando prædicaverit paratiores sitis. Ipse autem Joannes quod verbo prædicabat, exemplo ostendebat. Gerebat enim habitum pœnitentiæ, dum cilicio camelino indutus esset, et cibos sylvestres comederet, et zonam pelliceam circa lumbos ejus. Fecerat autem perizomata de pellibus siccis animalium circa lumbos, ad libidinem refre-

nandam. Locustæ sunt minuta animalia, et similes nostris, sed alterius saporis, plenæ quasi melle, et dulces ad comedendum, sed caput habent amarum, volant saltando quasi nostræ. Mel sylvestre inveniebat in truncis sive in arundinibus. Sunt enim quædam arundines plenæ melle naturaliter. MORALITAS est in veste Joannis, ut asperis utamur vestibus ad carnem domandam. In cibo, ut asperis cibis utamur, et naturalibus, non multum solliciti circa extraneos et remotos cibos quærendos.

ALLEGORIA. Asperis vestitus est, quia vitia non palpavit, sed aspera invectione increpavit peccantes. Zonam pelliceam circa lumbos habuit, quia carnem suam crucifixit cum vitiis et concupiscentiis. Mel edit, quia ejus prædicatio dulce turbis sapuit. Silvestre, quia sua prædicatio silvestris hominibus fuit impensa. Locustas edit, quia in locusta est ala et volatus, et cito deciduus. Similiter Joannes volavit dum Christus putabatur, sed cito decidit, dum ab eo quæsitum est : *Es tu Christus?* Respondit : *Non.* Nota quod cilicium fiebat de pilis camelorum et caprarum. In eo enim puniebantur peccata quæ per capram propter fetorem, et per camelos propter tortuositatem intelliguntur. *Tunc exibant.* Patet sensus litteræ, quia qui viciniores et simpliciores erant, primi currebant ad suscipiendum verbum salutis. Mystice designabatur, quod qui venit ad baptismum de mundana conversatione exire debet, et venire ad Jordanem, qui descensus interpretatur, id est, ad humilitatem confessionis et emendationis ; et debent esse Jerusalem, et Judæa, id est, videntes Deum et peccata sua. *Videns autem.* Duæ hæreses erant Judæorum, scilicet Pharisæorum et Sadducæorum. Pharisæi novas traditiones inveniebant, quas præceptis Moysi præferebant, et se aliis justiores dicebant. Unde Pharisæi, id est, *divisi ab aliis*, dicebantur. Sadducæi vero quinque libros Moysi recipiebant, sed prophetas respuebant, et resurrectionem non credebant. Sadducæi *justi* interpretantur. Isti ad baptismum Joannis accedebant, audientes iram venturam, et per solum baptismum sine pœnitentia peccatorum eam evadere putabant, quos ita increpat Joannes : *Progenies viperarum* (*Matth.* IX). Filii viperarum dicuntur, quia filii Judæorum sunt, qui parentes suos spirituales, id est, prophetas interfecerunt. Natura enim est viperarum, ut parentes suos interficiant. *Quis demonstravit vobis*, hoc modo, id est, sine pœnitentia, *Fugere a ventura ira? Facite ergo.* Quando quidem sine pœnitentia salvari non potestis, ergo facite fructus dignos pœnitentiæ secundum qualitatem criminis, et nolite confidere in semine Abrahæ, propter hoc solum salvari posse credentes quia carnales estis ejus filii. Et hoc est : *Et ne velitis dicere, etc. Dico enim.* Quasi diceret : Ideo non debetis gloriari de semine Abrahæ, quia qui descendunt de Abraham carnaliter, non sunt filii Abrahæ, sed qui imitantur fidem ejus : unde etiam gentiles qui imitantur fidem Abrahæ, filii ejus dicuntur, et hoc innuit cum dicit :

A *Potens est Deus suscitare filios Abrahæ de lapidibus istis.* Cum enim juxta Jordanem esset, ostendit ibi duodecim lapides, qui gentiles præfigurabant. Josue enim dum filios Israel in terram promissionis introduceret, veniens ad Jordanem, fecit per orationem suam scindi illum, et superior pars stetit, et inferior defluxit in mare. Cumque transissent, præcepit duodecim lapides de alveo transferri in siccum, et duodecim de sicco in fluvium, in memoriam transitus Israel (*Jos.* IV). Fluvius significat fluxum istius sæculi. Duodecim lapides significant gentes quæ prius erant in fluxu hujus sæculi, dum idololatriæ studebant Alii duodecim Judæos, qui quasi extra fluxum erant, dum legem et cultum Dei habebant. Significavit ergo Josue, quod Judæi submergerentur, et gentiles ad B fidem venientes, a fluxu sæculi salvarentur, vel retraherentur, et filii Abrahæ efficerentur. Dicit ergo Joannes : *Potens est Deus suscitare filios Abrahæ de lapidibus istis*, id est, de figuratis istis lapidibus. *Jam enim securis*, etc. Ut autem citius ad pœnitentiam convertantur, post admonitionem illis comminatur, quasi diceret : Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, quia jam, id est, in proximo, securis posita est, id est Christus. Securis dicitur Christus, qui ex manubrio constat et ferro, id est, humanitate qua tenetur, et divinitate qua incidit. *Posita est*, quia et si per patientiam exspectat, tamen satis cognoscitur quid sit factura. *Posita est ad radicem arboris*, id est, finem regni Judaici populi. Arbor vocatur totus Judaicus populus præsens. Radicem vero appel- C lat extremos illos qui fuerunt captivati sub Tito et Vespasiano. Hos dextruxit Christus, quia fuit causa destructionis ipsorum, sicut ipse ait : *Non remanebit in te lapis super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuæ* (*Luc.* XIX). Vel arbor unusquisque homo, qui plantatus est in præsenti vita, de qua vita eradicatur unusquisque quando moritur. Nondum percutit securis, quia nondum homines exciduntur a vita, et nondum in ignem æternum mittuntur, sed parata est, quia cito feriet. Vel radix potest vocari voluntas, ex qua bona et mala procedunt, quasi rami qui exciduntur in morte uniuscujusque, juxta Psalmistam : *Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum* (*Psal.* CXLV). Vel securis est sententia judiciaria, vel Evangelicus sermo, qui aliis D datur ad vitam, aliis ad mortem. *Omnis ergo arbor*, etc. Et quandoquidem securis posita est ad radicem arborum. Ergo, *omnis arbor quæ non*, etc. Notandum est quod arbores dignæ incendio, aliæ sunt siccæ quæ carent foliis, aliæ quæ habent folia, sed carent fructu ; aliæ quæ habent folia, et fructum, sed amarum. Hypocritæ habent folia, quia speciem pietatis prætendunt, sed intus vacui sunt a bono opere. Pagani vero carent et fructu boni operis, et specie religionis. Hæretici vero gerunt speciem religionis, et aliis prædicando fructum faciunt, sed mortiferum dicitur vel amarum. Dicit ergo : Omnis arbor, sive arida, sive viridis et infructuosa, sive viridis et mor-

tifera, quæ omnes carent bono fructu, excidetur a vita præsenti et post mittetur in ignem æternalem. *Ego quidem.* Quasi aliquis dicat : Unde tanta comminaris, vel unde confidis? Respondet : Non de me est tanta fiducia et tanta potentia, sed de Domino meo : *Quia ego tantum baptizo in aqua*, non in Spiritu, tamen Dominus in Spiritu et in pœnitentia. Quamvis enim Joannes in baptismate Christi omnia peccata posse deleri crederet, tamen ante baptismum Christi ad pœnitentiam invitabat, quia volebat eos præparare et aptare, quatenus compuncto corde et humiliato, per tantum sacramentum recipient remissionem peccatorum. Unde beatus Clemens, et quidam alii sancti viri, illis qui turpiter vixerant, et conversi baptizari volebant, septem dies abstinentiæ, vel etiam plures, ad præparationem injungebant. Unde adhuc in catechumenis aliquod spatium ante baptisma præstituitur. *Qui autem,* etc. Ego tantum in aqua baptizo, sed magister meus qui venturus est post me, non nascendo, sed manifestaturus se baptizando, prædicando, *Fortior me est.* Ego enim sum fortis ad pœnitentiam invitando, ille fortior peccata remittendo. Ego regnum cœlorum prædicando, ille fortior dando. Ego in aqua baptizando, ille Spiritu sancto. *Cujus non sum dignus.* Quæritur, cum alii evangelistæ dicant, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus : Iste vero Joannem dixisse, cujus non sum dignus calceamenta portare, quæ horum verborum dixerit Joannes? Augustinus : Vel utraque dixit diversis temporibus, vel utraque in eadem oratione, ut ita diceret : Cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus, neque calceamenta portare. Calceamentum est totum Incarnationis mysterium, vel totum Evangelium. Unde apostoli dicuntur habuisse sandalia, quæ subtus soleas habent, desuper vero aperta et ligata corrigiis, quia pedes apostolorum sunt calceati in præparatione Evangelii pacis. Evangelium enim debet prædicatores munire, ne terrenis adhæreant, sed debet esse apertum audientibus, ad quos eunt. Non fuit igitur Joannes dignus qui ad Evangelium portandum per orbem mitteretur, id est, qui officio apostolatus fungeretur. Joannes tamen non fuit inferior meritis apostolis, sed tantum officio ministerii. Majus enim mysterium non fuit quam apostolatus, tamen in cœlo non fuit Joannes minoris dignitatis quam apostoli. Quare autem noluit et Joannem in apostolatum eligere, sed in præcursorem Dei, ignoramus consilium. Vel non fuit dignus solvere corrigiam calceamenti, id est, explanare quomodo divinitas conjuncta est humanitati in unam personam, et ligaturas aliorum sacramentorum. Vel aliter, solvere corrigiam : Mos erat in lege, ut si aliquis superbus repudiaret uxorem quæ sibi competeret, alius qui jure propinquitatis eam ducere vellet, discalcearet eum qui repudiaverat illam in media porta, et ipsa spueret ei in faciem, et vocaretur ille in æternum opprobrium, vel discalceatus in populo (*Deut.* xxv). Jesus vero habet sponsam, id

A est, Ecclesiam, Joannes autem amicus est sponsi, et non invidet ei, nec vult usurpare officium ejus, ut sponsus dicatur, et hoc est, « non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus, » id est, ducere sponsam ejus, quasi diceret : Non sum dignus vocari sponsus, sed tantum amicus sponsi, quia qui habet sponsam sponsus est.

Ipse vos. Et quia fortior me est ex divinitate, ideo dabit vobis quod non possum dare, scilicet remissionem peccatorum : *quia ipse baptizabit vos in Spiritu sancto*, remittendo peccata in baptismate, et postea in igne, scilicet in confirmatione : Quoniam recipiunt homines Spiritum sanctum ad corroborationem et inflammationem bonæ operationis. Quamvis enim etiam idem Spiritus in baptis-

B mate et confirmatione conferatur, tamen diversa dona ibi accipiuntur, quia in baptismate datur Spiritus sanctus ad remissionem peccatorum, in confirmatione autem ad munimentum bonorum operum. Vel designantur hæc duo genera purgationum, alterum in aqua ubi originalia et actualia condonantur per spiritum. Alterum vero, quando aliqua post baptismum subrepit macula, quæ vel igne pœnitentiæ, vel alicujus mundanæ persecutionis, vel denique ; igne purgatorio, si qua levis macula est residua, purgatur. Unde in veteri lege perpetuus ignis juxta altare positus erat, designans scilicet, ut qui Deo semel per fidem et regenerationem oblati sunt, semper habeant ignem paratum in quo excoquant rubiginem peccatorum. *Cujus ventilabrum.* Præmisso beneficio, supponit commi-

C nationem, ut quos non poterit commovere per dilectionem, commoveat per terrorem. Ventilabrum est instrumentum quo grana a paleis in ventum excutiuntur, et tunc grana in area decidunt, et paleæ volando separantur. Hoc ventilabrum significat discretionem ultimi judicii, quando oves ad dextram, hædos autem ad sinistram ponet. In præsenti Ecclesia quæ per aream significatur, sunt grana cum paleis, id est, justi cum malis permisti. Sed in ultimo judicio permundabit Dominus aream suam, id est, Ecclesiam, malos separando a bonis. Ventilabrum autem ideo dicitur esse in manu sua, quia *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* (*Joan.* v). Et congregabit triticum, id est, bonos, qui non sunt leves ut palea, sed stabiles in

D bono proposito, in horreum cœlestis gloriæ.

Paleas autem, id est, leves, qui quamvis cum granis de sacramentis fidei nati sunt, tamen in Dominicis præceptis solidati non sunt, *comburet igne infernali.* Nota quia non judicabuntur infideles, quia jam judicati sunt, qui neque grana, neque paleæ sunt : quia neque boni, neque cum bonis in fide generati sunt, sed sunt zizania omnino diversi a messe triticea. De quibus dicitur in Evangelio : *Qui non credit jam judicatus est* (*Joan.* iii). Et ideo non fit hic mentio, nisi de tritico et paleis ejus.

Tunc venit Jesus. Post prædicationem sui præcursoris Christus prænuntiatus est tandem ; qui diu

latuerat, hominibus se manifestare voluit. Et prius homines exemplo quam verbo. Accedit igitur ad primum sacramentum nostræ Redemptionis, non accepturus tamen remissionem peccatorum, qui immunis erat a peccato, sed invitaturus homines ad baptismum exemplo. Tricenarius erat cum se manifestavit, in quo ostendit nullum vel sacerdotem vel prædicatorem debere institui, nisi sit perfectæ ætatis. Joseph tricenarius regnum Ægypti suscepit. David regnum ea ætate inchoavit. Ezechiel sub eodem tempore prophetare meruit. Plures causæ sunt quare Christus ad baptismum accessit. Primo, ut exemplo nos invitaret ne aliquis forte ab inferiori baptizari, vel in conspectu hominum denudari erubesceret, et ita perfectionem totius justitiæ, scilicet baptismum, devitaret. Secundo, ut baptismate suo baptismum Joannis confirmaret. Tertio, ut aquas confirmaret, et quod minus erat in baptismate Joannis, efficaciam abluendi peccata eis daret. Quarto, ut operationem Trinitatis per descensum columbæ, per vocem Patris, per præsentiam sui, et cætera mysteria baptismatis declararet. Cum Joannes ita prædicaret et baptizaret :

Tunc venit Jesus. Id est, incœpit apparere paulatim, qui diu latuerat. A *Galilæa,* scilicet a Nazareth, *in Jordanem.* Galilæa, *transmigratio* interpretatur : Jordanis, *descensus.* Quisquis ergo vult baptizari, id est, transmigrare a vitiis ad virtutes, veniendo ad baptismum se humiliet, quod interpretatione Jordanis significatur. *Ad Joannem.* Venit Dominus scilicet ad servum, superior ad inferiorem, ne quantumlibet potens ab inferiori, vel a servo baptizari contemnat. *Joannes autem,* etc. Quia Domini humillimam dispensationem cognovimus, servi etiam prudentem obedientiam attendamus. Obedire volebat, sed cum eum immunem a peccato cognosceret, causam voluit scire quare Dominus baptizari postularet. Itaque ad tempus prohibebat eum dicens :

Ego a te debeo baptizari. Quasi diceret : Ego terrenus a te cœlesti, mortalis ab æterno, peccator a te justo debeo baptizari. Ego egeo, et tu non eges. Quare ergo venis ad me ? *Respondens* Jesus. Dicit Joannes quod quærebat. *Jesus dixit ei : Sine modo,* id est, acquiesce modo voluntati meæ, et me modo sine baptizari a te. Subdit breviter rationem quare velit baptizari : *Sic enim decet nos implere omnem justitiam.* Baptismus est consummatio omnis justitiæ. Quantumcunque enim fuerit justus, religiosus, eleemosynarius, jejunator, castus, etc., tamen si baptismatis gratia caret, nihil ei proficit. Unde Cornelius ad Petrum missus est. Baptismus sine virtutibus aliquando solus valet, sicut in puero, sed virtutes sine baptismate nunquam. Ex quo dictum est : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu,* etc. (*Joan.* III). Vocatur ergo consummatio justitiæ, ad quam Dominus volens homines invitare, ne ab inferiori dedignentur baptizari, vel in conspectu hominum denudari, ideo vult exemplo docere quid alios

A oporteat tacere, ut nullus post eum erubescat, et hoc est. *Sic,* id est, dum ego superior et non indigens baptizari, a te inferiori baptizabor. *Decet nos,* scilicet me Dominum baptismum suscipientem, et te servum me baptizantem implere omnem justitiam, id est docere consummationem omnis justitiæ, quod est ad baptismum invitare. *Tunc dimisit eum.* Id est, consensit ei, et nihil amplus interrogavit, quia quod quærebat intellexit.

Baptizatus autem Jesus confestim ascendit de aqua. Secundum situm loci, quia in valle erat, dicit Jesum ascendisse in Jerusalem. Quod ascenditur post baptismum, significat quod omnis baptizatus debet de virtute in virtutem ascendere, sine dilatione.

Et ecce aperti sunt cœli, etc. Voluit enim ostendere quod cœlum pro peccatis prius obseratum, post
B baptismum per gratiam fuit ei reseratum. Quæritur quare in aqua fieri voluit remissionis sacramentum? Scilicet, ut flammeum gladium, id est, ignem gehennalem nobis exstingueret, quia aqua contrarium elementum est igni. *Et vidit Spiritum Dei.* Quæritur utrum vera columba fuit, et qualiter Spiritus sanctus in ea apparuit, et quare dicatur Spiritus sanctus descendisse, cum totus sit ubique ? Sciendum est, quia Deus qui invisibilis est natura, per varias species et novas se hominibus ostendit. Sicut Moysi in specie ignis in rubo. Sicut in angelis Abrahæ sub humana specie, et in aliis multis speciebus, quæ peractis officiis, vel negotiis, desinebant esse. Sic ista columba vera fuit, et nova creatura, per quam Spiritus sanctus suam præsentiam in Christo esse
C ostendit. Non enim tunc primum in Christo cœpit esse, quia tota Trinitas plena fuit in eo. Sed quia homines ignorabant præsentiam Spiritus esse in eo, ideo per visibilem speciem eam voluit hominibus repræsentare. Quæritur præterea utrum in illa columba esset Spiritus sanctus, et utrum propterea dicatur incarnatus ? Erat quidem Spiritus in columba, sicut in cæteris creaturis, quia eum totum ubique confitemur esse, sed non eo modo quo Filius in dominico homine. Ibi enim divinitas in una persona humanitati erat counita. Spiritus vero sanctus non erat cum columba una persona, quæ postea peracto officio, columba desiit esse. Vox Patris similiter fuit una de speciebus enuntians quæ voluit Deus audiri. Non Pater habet os et flatum,
D quo vocem emitteret. Dicitur autem Spiritus sanctus ideo descendisse per speciem, sicut Dominus aliquem allocutum esse per legatum. Dicitur autem Spiritus et aliter descendisse, quia se humiliavit, cum per tam humilem speciem præsentiam suam manifestavit. Notandum etiam est quod ideo columba supra caput Christi sedit, ne aliquis putaret vocem Patris ad Joannem factam, non ad Dominum.

Hic est Filius meus. Posita columba super caput ejus, secuta est vox patris, dicens : *Hic.* Demonstrative ad homines, ut hac demonstratione faciat certiores. *Filius meus.* Id est. Filius substantialis,

In quo. Quantum ad humanitatem, *Mihi complacui.* Dictum est ad similitudinem pictoris, qui sibi placet, dum suam picturam bonam eonsiderat. Quasi diceret : Adam fuit filius diaboli,hic meus : in illo mihi displicui, quia pœnituit me fecisse eum ; in hoc nunquam, sed mihi in omnibus complacui.Ille mihi invisus est, hic dilectus. Quæritur,cum evangelistæ diversa dicant Patrem nuntiasse, Matthæus enim ait : Hic est Filius meus dilectus,in quo mihi complacui. Marcus vero : Tu es Filius meus dilectus,in te complacui,Lucas vero : In te complacuit mihi ; quæritur,inquam,quid horum Pater dixerit? Sed, ut ait Augustinus : « Si varia dicant Evangelistæ de ista voce, non est multum mirandum,dum tantummodo sit eadem summa sententiæ : sicut si diversi legati alicujus verba deferrent. non eadem verba, sed eamdem sententiam curarent dicere. » Hæc omnia plena sunt sacramentis.Non enim Christus propter se,sed propter nos se manifestare voluit, quoniam in his omnibus ostendit quod unusquisque in baptismate accipit.Ideo enim tota Trinitas hic demonstrata est, Pater in voce, Spiritus in columba, Filius in homine, ut tota Tinitas in singulis baptizatis operari credatur. Voluit ergo Spiritus sanctus potius in columbæ specie spparere, ut perfectam speciem sui doni in baptizatos denotaret Confert enim in baptismate nocentibus innocentiam et simplicitatem, quod per innocentem et simplicem avem, quæ felle caret, designatur. Hæc autem innocentia confertur, cum remissio peccarum hominibus tribuitur.Voluit ergo pro qualitate charismatis designanda,super Christum baptizatum in specie columbæ apparere. Super apostolos vero in igne ; in transmigratione, in lucida nube. Dat enim Spiritus, ut dictum est,innocentiam baptizatis ; ardorem vero prædicationis, illuminationem scientiæ apostolis et discipulis ; claritatem vero corporis, quod est nubes animæ, resnrrecturis. Significantur etiam septem virtutes in fidelibus per columbam. Columba enim secus fluenta habitat, ut viso accipitre, mergat se in aquis et sic evadat. Meliora grana eligit. Alienos pullos nutrit. Non lacerat rostro, felle caret,in cavernis petrarum nidificat. Gemitum habet pro cantu. Ita sancti prædicatores secus divinæ Scripturæ fluenta, quibus corda eorum rigantur, inhabitant,ut eorum munimento incursum diaboli evadant. Meliora grana,id est, meliores sententias,scilicet non hæreticas,quibus pascantur, eligunt. Alienos pullos, in est, homines prius a Deo alienatos, qui diaboli pulli, id est, imitatores fuerunt, doctrina sua nutriunt et exemplo. Non rostro lacerant, id est,bonas sententias more hæreticorum lacerando non pervertunt. Felle, id est, ira irrationabili carent. In cavernis petræ nidificant, id est, in plagis mortis Christi, qui firma petra est, nidum ponunt. Per nidum quippe refugium,et spes designatur.Columbæ enim adveniente imbre,ad nidum fugiunt,et spem prolis in nido ponunt.Gemitum habent pro cantu, id est, sicut alii delectantur in cantu, ita ipsi in tribulatione et gemitu. Dicitur ergo : *Hic est Filius meus :* quia fideles in baptismate filii Dei efficiuntur.Unicuique enim dicitur : Hic,qui prius erat filius diaboli,modo est filius meus : qui prius invisus,modo dilectus. In quo mihi prius displicui,modo complacui. Hoc tantum sacramentum baptismatis multis figuris in antiquis temporibus est præsignatum.In arca Noe, in mare Rubro,in circumcisione,in multis aliis rebus, quod hic tandem completum est.

CAPUT IV.

Tunc ductus est Jesus in desertum a spiritu. A quo spiritu, Lucas apertius ponit, dicens : *Quia Jesus plenus Spiritu sancto regressus est a Jordane,* et deinde subdit : *Et agebatur a spiritu in deserto* (*Luc.* IV). Non est enim putandum,quod violentiam intulisset illi immundus spiritus, qui Spiritum sanctum acceperat.Hoc desertum est inter Jerusalem et Jericho, ubi morabantur latrones. Unde a Domino dictum est : *Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho,et incidit inter latrones* (*Lnc.* X). Homo dico, gerens figuram Adæ,qui a dæmonibus victus est,et pecsatis sauciatus,et a virtutibus spoliatus, qui locus vocatur Damin, id est *sanguinem*, propter effusionem sanguinis, quam ibi faciebant latrones. Conveniens ergo fuit ut ibi Christus diabolum superaret,ubi diabolus hominem sub figura superasse dictus est, Baptizatus autem Christus vadit statim in desertum,ductu Spiritus : quia omnis fidelis post baptismum debet postponere mundum, et aut petat corporaliter eremum, aut vacans a tumultu sæculi, faciat in mente desertum, et ductu Spiritus accingatur ad pugnam contra diabolum Tunc enim persequitur hominem, cum se viderit derelictum. Une Christus post baptismum permisit se tentari, non ante,ut tentationes baptizatis doceret immitti. Diabolus enim ante baptismum, dum eos suos esse putat,non eos ita acriter aggreditur. Filii Israel post maris transitum,id est baptismum, morantur in deserto, donec venirent ad terram promissionis, nec est dignus aliquis comedere manna, id est corpus Domini,nisi in deserto moretur, id est nisi tumultus hujus sæculi et concupiscentias, si non corpore, saltem mente deserat. Et quia tunc imminent tentationes,accingantur ad pugnam.Vide ergo ordinem : Tria sunt genera tentationum,quæ dicitur tentatio oculorum, in superbia vitæ.Omnia autem alia mala ex his proveniunt,sive ira, sive invidia, sive contentio, sive odium, sive homicidium,sive furtum, sive alia genera.Ex gula,luxuria. dormitionis delectatio, et voluptates aliæ.De concupisceutia carnis sunt divitiæ, honores, et similia. Concupiscentia est exteriorum. Superbia vitæ,est vana gloria de bonis operibus. Naturaliter autem prius tentat diabolus in concupiscentia carnis, quæ est homini vicinior et quasi naturalis. Postea in exterioribus. Concupiscentia vero carnis solet incipere a gula, quia satur venter luxuriam appetit, et cæteras voluptates. Et ideo debet fidelis

prius gulam domare, quæ est porta et initium cæterarum voluptatum ; et quia contra gulam primitus insurgit, a jejunio, quod est frænum gulæ, incipit. *Et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus.* Iste numerus consecratus est jejuniorum, prius a Moyse, et postea ab Helia, ut a lege et prophetis confirmetur.

Deinde a Christo, qui est novi Testamenti lator. Moyses jejunavit quadraginta diebus, alloquio angelico confortatus. Helias similiter in fortitudine cibi angelici ivit per quadraginta dies usque ad montem Dei Oreb, dum fugeret Jezabel, Jesus vero nullum habebat exterius solatium, neque servitium angeli, neque cibum ; sed intus habebat quod sustentabat, ne deficeret per humanam fragilitatem. Illi non leguntur esuriisse, iste vero post voluit esurire, ut B diabolo potentiam suam celaret, et occasionem tentandi diabolo conferret. Mystice etiam esuriit Christus, quia salutem nostram desiderabat. Quadragenarius significat totum tempus præsentis vitæ, in quo omnes homines collecti de quatuor partibus mundi, decem præceptis armari contra tentationes debent. Unde ex quaternario et denario sit. Vel quatuor significat omnes illicitos motus corporis, qui proveniunt ex quatuor humoribus, id est quatuor elementis de quibus caro constat, contra quos motus decem præcepta opponi debent. Decem præcepta dividuntur in tria et septem. Tria pertinent ad Deum, septem ad proximum : quia homo ex anima, quæ habet tres vires, et corpore, quo constat ex quatuor elementis. Ideo quadraginta annis filii C Israel in deserto fuerunt. De noctibus ideo facit mentionem, ne per dies jejunasse, et per noctes comedisse, ut hæretici dicunt, credatur. Quadraginta diebus, indigens cibo, dum mortalis viveret, jejunavit. Quadraginta vero diebus, post resurrectionem, non indigens cibo, cum discipulis comedit. In primis enim quadraginta diebus homo in tentatione positus, hominem quid faceret in agone docuit; et per quadraginta alios, quod quandiu pugnarent, et a vanitate sæculi jejunarent, cum eis esset, et in eis comederet, id est delectaretur, præmonstravit. Quadragenarius enim utraque præsentem et futuram vitam designat. Et nota, quod duæ abstinentiæ sunt, alia dum carnem domamus, alia dum motibus sedatis, ex nimia contemplatione et desiderio futuræ vitæ comedere obliviscimur. Itaque abstinentia alia D mœroris, alia gaudii. Voluit autem Dominus sponte esurire, ut diabolo tribuatur tentandi occasio. Christus etiam esuriit, ut celaretur Deus esse : quæ tamen esuries, nostræ salutis desiderium, quod habuit, designat. Helias vero et Moyses non esuriunt, ut divinæ potentiæ essent exemplum. Tantum Christus voluit jejunare, quantum illi duo qui fuerant homines, jejunaverant : quia si plus quam homines jejunasset, supra homines eum esse tentator intelligeret, et ideo tentare non auderet. Si minus, eum esse Deum hæreticus negaret, et purum hominem assereret : quia nec hoc egisset, quod puros homines

A fecisse cognosceret. Jejunavit autem ideo quadraginta diebus et quadraginta noctibus, ut indicaret nos ab illicitis debere jejunare, sive in tempore prosperitatis, quod per dies designatur, sive in tempore adversitatis, quod per noctes notatur. *Et accedens tentator.* Visa esurie, accessit tentator, quia non putabat Deum, quem fragilem videbat. Viderat stellas, viderat magos, audierat Joannem clamantem : Hic est Agnus Dei. Audierat forsitan de cœlo vocem Patris, sed putavit eum vocari filium adoptivum, sicut et alios sanctos. Audierat prophetas, sciebat Christum venturum. Sed quum omnia ista vidisset signa, non tamen credidit esse Deum, et hoc faciebat ejus superbia. Credidit enim, quod sicut ipse nunquam voluit pati infirmitatem, sed voluit etiam super omnia exaltari, sic non credidit Deum velle ullam pati infirmitatem, judicans eum ex animo suo; et ideo visa infirmitate in Christo, eum esse Deum nullo modo credidit, et tamen explorat, quum dicit : *Si filius Dei es*, Et tentat, cum dicit : *Dic ut lapides isti panes fiant.* Volebat enim per panem visum gulam incitare. Qui enim esurit, viso cibo plus cupit. Volebat enim per mutationem tentare potentiam, et tamen si miraculum videret, non ideo crederet quia etiam prophetas viderat majora fecisse, sed hominem per panem illudere volebat. Satis convenienter lapides offert, qui durus est et impœnitens ; et quia scriptum audierat : *Ipse dixit, et facta sunt*, quasi per potentiam blanditur, dicens : Dic solummodo et fiet, *si Filius Dei es.— Qui respondens dixit.* Docet nos contra tentationem clypeum Scripturarum opponere. Non utitur divina potestate, cum posset tamen eum, ut Deus fugare, quia veritatem suæ divinæ potentiæ noluit ostendere, ut qui incertus venerat, incertus rediret. *Non in solo pane.* Ista auctoritas sumpta est de Deuteronomio; Moyses enim videns quod homo de gemina substantia factus est, videlicet corpore et anima, et neutrum sine sustentamento posse subsistere ; corpus enim petit terreno cibo sustentari ; anima vero, quæ est substantia spiritualis, pane cœlesti ; ait : *Non in solo pane vivit homo* (*Deut.* VIII), etc. Deus est panis angelorum, sed homo Deum non potest comedere, nisi factum lac, ideo per figuras ei ostenditur, id est per verba, et per alias ostensiones quæ omnia verba dicuntur, et ideo dicit, quod homo vivit, *in omni verbo*, id est omni genere locutionum, Dei, id est in quibus Deus ostenditur. Quæritur quomodo hæc responsio tentationi supradictæ repugnet? Solutio : Hoc sonat quasi diceret, persuasio tua patet, quia tentantis est. De cibo enim corporis agis, qui communis est cum pecoribus, non de cibo mentis, qui est nobis communis cum angelis. Si enim amice ageres, de meliori cibo prius me admoneres, sine quo nemo vere vivere potest ; *Non enim in solo pane*, etc. *Tunc assumpsit.* Nota, quod Lucas ponit istam tentationem ultimam, et tentationem de monte secundam, quod videtur magis secundum historiam esse. Natura enim exigit, quod diabolus tentet prius

de concupiscentia carnis, deinde de concupiscentia exteriorum, tandem de superbia bonæ vitæ. Sed Matthæus refert secundum hoc, quod in Adam factæ sunt, et per eas victus est, ut in eodem ordine quo homo prius est victus, secundus Adam vicisse ostendatur. Dicitur enim Adam prius tentatus per gulam, dum dicitur : *Et videns lignum, quod esset pulchrum visu, et ad vescendum suave* (*Gen.* III); postea per inanem gloriam, dum dicitur : *Eritis sicut dii* (*ibid.*). Quod superbia erat, transire scilicet ultra se, et velle Domino suo parificari ; denique, per avaritiam, dum dicitur : *Scientes bonum et malum* (*ibid.*). Tam bene est enim avaritia cupiditas scientiæ, sicut pecuniæ, et iste ordo factus est tunc secundum hoc quod diabolo convenientius visum est. Postquam vero corrupta est natura, alius ordo supradictus a natura constitutus est. Prius per concupiscentiam carnis, deinde exteriorum, etc. In Adam enim nullus ordo naturaliter erat, cum nullam concupiscentiam sentiret. Quæritur quomodo hæ tentationes factæ sunt, quum Marcus dicat, quod quadraginta diebus in deserto fuit, et tentabatur a Satana? Videtur enim velle quod omnes tentationes in deserto essent. Dicunt igitur quidam quod animo factæ sunt hæ tentationes a diabolo, non visibiliter apparente. Suggerebat enim ei diabolus, ut de lapidibus faceret panes, et ascenderet supra pinnam, et inde se præcipitaret, ut diabolum adoraret, propter regna mundi. Alii dicunt, quod visibiliter ei apparuit, ut homo, quod verius est, et locutus est cum eo. Et vocavit Jerusalem desertum, id est a Deo derelictum, ut omnes tentationes dicantur in deserto fuisse, sed hoc non est necessarium, quoniam littera Marci non cogit, quia tantum dicit, quod a Satana tentaretur. Verum quidem est, quod in deserto eum tentavit, sed non dicit tantum in deserto. Iterum quæritur quomodo assumpsit? Alii dicunt, quod cum transportavit, et statuit supra pinnam : quod non est mirum, si permisit se transportari a diabolo, qui permisit se levari in cruce a membris diaboli. Alii dicunt quia duxit eum per viam usque in Jerusalem, quod videtur velle Lucas, qui dicit : *Et duxit eum in sanctam civitatem*, et ascenderunt supra pinnam, sicut et alii homines. Quæ fuit ultima tentatio, postquam regressus est a deserto; et venit in civitatem. Iste creditur esse magister dæmoniorum, qui Dominum tentavit. Mos architecturæ est in Palæstina, ut tecta desuper plana, non cacuminata habeantur. Similiter templum Salomonis factum erat planum desuper, et in gyro cancelli deambulatorii, ne quis incautus inde laberetur; et erat ibi sedes doctorum, ut inde loquerentur populo infra posito. Cancelli dicuntur illa in gyro muralia, unde prospiciunt homines. Inde cancellarii dicuntur, qui habent sermonem ad populum de mandatis regis vel imperatoris, quia jussa regis solent in cancellis prædicare. Cancelli similiter dicuntur fenestræ, de quibus prospicitur: ideo duxit eum super pinnam templi, cum vellet eum de vana gloria tentare, quia ibi in cathedra doctorum multos deceperat in gloria; ideo putavit et istum positum in cathedra magisterii, in vanam gloriam extollere posse. *Si Filius Dei es.* Iterum explorat, cum dicit, *si Filius Dei*, etc., et tentat, ubi dicit, *mitte te deorsum.* Stulta fuit persuasio quæ dicit : Mitte te deorsum, præsertim Filio Dei. Rectius enim diceret : Si Filius Dei es, ascende in cœlum; quod si faceret, verum se esse Filium Dei comprobaret, sed diabolo convenit, ut in præcipitium ire commoneat. *Scriptum est enim, quia angelis,* etc. Auctoritate Scripturæ Christus se defendit, et auctoritate Scripturæ diabolus persuadet peccare. Sed notandum quod Scripturam pervertit; ait enim Scriptura de quolibet bono homine, et dicit: Quod Dominus angelis suis, sicut ministratoriis spiritibus, præcepit, quod in manibus, id est auxiliis suis, extollant bonum hominem, et ita custodiant, ne offendat pedem, id est affectum mentis, ad lapidem, id est veterem legem scriptam in lapideis tabulis. At illi Jesus rursum : *Non tentabis*, etc. Notandum quod ista verba a diabolo non sunt directa. Si enim dicta sua temperavit, quod se Deum esse non manifestavit, sed a Moyse sumpta sunt, qui dicit in Deuteronomio, cuilibet homini : *Non tentabis Dominum Deum tuum* (*Deut.* IV). Non enim debemus Deum tentare, quandiu habemus quod rationabiliter faciamus, sicut Abraham de uxore, quam sororem vocavit. Sed postquam necessitas ingruit, tunc debemus Deum vocare, et petere quod necessarium est, sicut filii Israel ad mare Rubrum, et quando petimus, non cum tentatione, sed confidenter. Cum tentatione petebant filii Israel, cum dicerent : *Nunquid poterit Deus parare mensam nobis in deserto?* et si fuerit morte deprehensus, ponat totum in voluntate Dei, nisi ereptionem suam inimicis viderit utilem, sicut tres pueri in camino ignis. Tentare Deum esset, si præcipitem se daret, cum descendere posset, sicut et cæteri homines. *Iterum assumpsit*, etc. Tentaturus de avaritia in montem ducit, quia superbia est vermis divitiarum, et quia ambitio semper alta petit. *Et ostendit ei omnia regna mundi*, etc. Vel simpliciter illo surgente, totus mundus ab eo visus dicitur: vel vanitatem mundanæ pompæ sibi exposuit, dicens: Talia et talia sunt regna mundi. Nec est peccatum concupiscibilia habere in mente sine cupiditate, sicut videre medici solent genera morborum sine labore, vel læsione, quæ omnia promittit mentiendo, cum ea potius Deus donet, sicut Sauli et David, et multis aliis. Ipse enim non potest dare aliquid in mundo, nisi quantum Deus permiserit. *Si cadens.* Vere cadit, qui eum adorat. Ecce superbia diaboli antiqua : sicut enim in principio voluit se Deo similem facere, ita nunc volebat divinum cultum sibi usurpare. *Tunc dixit ei Jesus* : *Vade, Satana*, qui scilicet saluti adversaris, cum creaturam jubeas adorari. Satanas enim *adversarius* interpretatur. Non autem, ut plerique putant, condemnatur Petrus eadem sententia, qua Satanas. Petro

enim dicitur : *Vade retro me Satana* (*Marc.* VIII), id est sequere me, qui es contrarius meæ voluntati. Hic vero audit : Vade, Satana,et non additur,retro me, ut potius intelligatur in ignem æternum, qui præparatus est tibi. Hic iterum est auctoritas in Deuteronomio, ubi Moyses clamat omni homini : *Dominum Deum adorabis* (*Deut.* VI). Quasi diceret : Non te debeo adorare:qui Moyses prohibuit idololatriam. Quæritur, quare cum dicat *soli*, an servitus regis prohibeatur,vel alterius hominis?Nequaquam, quia apud Hebræos et Græcos distinguitur quædam specialis servitus Dei, quæ dicitur *latria.* Nos vero non habemus proprium nomen illius, sed commune nomen ponimus,sicut ipsi habent quoddam commune, quod significat quamlibet servitutem,scilicet *dulia.*

Tunc reliquit eum diabolus. Si dicamus ultimam tentationem fuisse in civitate, ita legendum est : Tunc,id est peractis omnibus tentationibus reliquit eum diabolus, non habens quid ageret, sed per omnia victus : quæ relictio supra pinnaculum templi intelligenda est, secundum Lucam. Si autem dicamus Matthæum ordinem historiæ sequi : diabolus reliquit eum in monte. *Et ecce angeli*, etc. Quasi a longe agonem Domini angeli aspiciebant,ne videretur eorum præsidio eguisse vel vicisse.Ut vero ille victus discessit, parati ad obsequium venerunt; qua in re ostenditur in agone nostro victo diabolo, quod nobis angeli congaudentes accedant.

Cum autem audisset, etc. Quandiu prædicavit servus,exspectavit dominus.Posito autem eo in vinculis,incepit prædicationem publicam; reliqua autem fecerat privatim,et si locutus fuerat, non tamen ad turbas, sed quasi in occulto. Tres evangelistæ incipiunt a publica prædicatione Christi, ex quo captus est Joannes. Joannes vero evangelista refert multa quæ prætermissa fuerant ab istis,quæ facta sunt antequam Joannes traditus esset.Refert enim Joannes quod post reversionem de deserto, erat Christus juxta Jordanem, et venerunt ad eum duo discipuli Joannis,Andreas et quidam alius,et dixerunt ei : *Magister, ubi habitas?* etc. Et de Nathanaele etiam refert, quomodo cum eo locutus est Dominus.Deinde ivit in Cana Galilææ, et fecit miraculum de vino. Postea secessit in Capharnaum, ubi habitavit cum matre et discipulis.Quos discipulos vocat Evangelista, non quod discipuli essent tunc, sed nomine quod modo habebant,vocavit : sicut si modo diceremus.Paulus apostolus natus est in Tharso:non quod apostolus tunc vocaretur. Et tunc in Pascha ascendit in Jerusalem, et invenit vendentes et ementes in templo,et expulit eos,quod et alia vice postea fecit, scilicet circa passionem suam, ut refert Matthæus. Bis enim, ut ait Augustinus, fecit hoc miraculum. In illo adventu locutus est cum eo Nicodemus nocte. Inde venit in Judæam, et baptizabat, quamvis non ipse baptizaret, sed discipuli ejus. Erat enim tunc Joannes baptizans in Enon, juxta Salim; nondum enim Joannes missus fuerat in carcerem.In his verbis datur intelligi quod omnia ista facta sunt antequam captus est Joannes. Tunc discipuli Joannis dixerunt ei : Rabbi,cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et facit plures discipulos quam tu (*Joan.* III). Ut autem cognovit Jesus,quia audierunt Pharisæi quod Jesus baptizabat, et plures discipulos faceret quam Joannes, quanquam Jesus non baptizaret, sed discipuli ejus, reliquit Judæam, et abiit iterum in Galiæam. Hic ait Augustinus:Tunc intelligimus jam traditum fuisse Joannem. De primo itaque adventu Christi in Galilæam,non agunt tres evangelistæ, sed incipiunt ab hoc ultimo. Quæritur quod annis duraverit prædicatio Christi et miracula ejus?In qua re diversi diversa sentiunt. Alii dicunt sequentes Joannem, qui tantum facit mentionem triplicis Paschæ,quod per duos annos et dimidium prædicavit, et fecit miracula. Alii quod per tres et dimidium, quod magis habet veritas. Primi ita ordinant, quod post baptismum jejunavit Christus, postea rediens, fecit illa in eodem anno : quæ refert Joannes evangelista de duobus discipulis Joannis et Nathanaele, et de aqua quam mutavit in vinum, de mora facta in Capharnaum, et hæc facta sunt a tempore theophaniæ. Deinde ascendit ad Pascha, et expulit vendentes et ementes de templo, et locutus est Nicodemo. Deinde venit in Judæam,et fuit ibi donec Joannes traditus est, quod fuit intra Pascha et Kalendas Maii, quia tunc legitur Christus incepisse prædicationem suam, et invenitur in quibusdam complitis signatum quo die. Quo audito secessit in Galilæam, et fecit publicam prædicationem suam. Circa vero alterum Pascha occiditur Joannes ; quo potest sciri ex verbis Matthæi et Joannis. Ait Matthæus, quod Joanne mortuo discipuli venientes nuntiaverunt Jesu.Quod cum audisset Jesus,secessit in desertum, et fecit ibi miraculum de quinque panibus et duobus piscibus. Joannes vero ait quod quando hoc miraculum fecit, erat proximum Pascha, et ita paulo ante proximum pascha, Joannes occisus esse intelligitur. In sequenti vero Pascha est passio Domini, et ita Christum, per duos annos et dimidium prædicasse, et miracula fecisse ostendunt. Sed huic sententiæ contrarium est,quod miraculum de nuptiis, eo die quo baptizatus est, anno revoluto ab universali Ecclesia canitur et prædicatur. Quod falsum est, si dicatur esse factum inter diem theophaniæ et Pascha,post regressum de deserto, ad quod statim post baptismum dicitur ductus esse a Spiritu. Ait enim Marcus : *Et statim Spiritus misit eum in desertum, et erat ibi quadraginta diebus* (*Marc.* I). Ut ergo stare possit sententia, dicendum est unum Pascha a Joanne evangelista esse prætermissum, et nihil eum de primo anno,qui fuit a primo die baptismatis, usque ad eumdem ordinem : nisi hoc tantum, quod ait de duobus discipulis Joannis, et de Nathanaele. Anno itaque revoluto in eodem die quo et baptizatus est, fecit miraculum in nuptiis. Postea demoratus est Capharnaum usque ad Pascha. Cætera non mutantur, et sic habemus a die baptismatis usque ad pas-

sionem tres annos, et tantum quantum est a die theophaniæ usque ad primum Pascha. Sed ad litteram veniamus, quasi diceret: Quandiu Joannes prædicabat, noluit Dominus publicam prædicationem facere. Sed cum audisset quia traditus esset, secessit in Galilæam de Judæa, ut refert Lucas, venit Nazareth, ubi erat nutritus; et intravit in synagogam, et surrexit legere, et accepto libro invenit locum ubi scriptum est in Isaia : « Spiritus Domini super me propter quod unxit me evangelizare pauperibus misit me, prædicare captivis remissionem, cæcis visum, dimittere confractos in remissionem prædicare annum Domini acceptum, et diem retributionis (*Luc* IV). Et cum plicuisset librum, sedit, et ait : Hodie completa est hæc Scriptura in auribus vestris; » et dixit ibi multa, propter quæ duxerunt illum in montem, et voluerunt præcipitare : sed ipse transiens ivit, et tunc descendit Capharnaum. Unde modo ait Matthæus :

Et relicta civitate Nazareth, venit et habitavit Capharnaum maritimam, in finibus Zabulon et Nephtalim, ut adimpleretur, etc. In hac urbe, ut refert Lucas, sanavit in synagoga dæmoniacum, et inde cœpit publice prædicare.

Nota quod duæ Galilææ sunt : una quæ dicitur Judæorum, altera quæ dicitur gentium. Divisa est Galilæa a tempore Salomonis Habuit enim maximam familiaritatem cum Hiram rege Syriæ, quia adjuvit eum de lignis, ad faciendum templum Domini. Propterea Salomon dedit ei viginti civitates in Galilæa, remanentibus tamen ibi Judæis sub dictione illius regis, quæ pars postea dicta est Galilæa gentium, reliqua autem Judæorum. Zabulon est in Galilæa Judæorum, Nephtalim in Galilæa gentium Capharnaum vero erat in confinio utriusque. Rationabiliter igitur incepit ibi prædicationem suam, ut quasi gentibus et Judæis eam proponendam significaret. Non tamen prædicabat gentibus, sed Judæis tantum, nisi per aliquam occasionem. Ipse enim dixit : *Non sum missus nisi ad oves qu perierunt domus Israel* (*Math.* XV) et *in viam gentium ne abieritis*. Conveniens præterea fuit, ut ibi primum nosceretur præconium redemptoris, ubi Israelis prima captivitas facta est ab Assyriis. Maritima erat Capharnaum, quia sita erat juxta mare, quod vocatur in uno loco mare Galilææ, in alio Tiberiadis, in alio stagnum Genezaret : nec tamen mare est, sed collectio maxima aquarum dulcium, sed mos est illius gentis, collectionem hujus modi mare vocare. Ait enim Hieronymus super Isaiam : Mare hic appellat lacum Genezaret qui Jordane influente efficitur, In cujus littore Capharnum, et Tiberias, et Thebaida, et Corozaim sitæ erant, in qua maxime regione Dominus conversatus est. Nota imprimis, quod Evangelista mysticum potius sensum quærens quam historicum, multa de verbis prophetiæ prætermittit : quia tantum tendit ad ea verba quæ pertinent ad prædicationem Domini. In prophetia enim habetur ita : *Primo tempore alleviata est terra Za-*

A *bulon*, et *terra Neptalim, et novissimo est aggravata via maris trans Jordanem Galilææ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est* (*Isa.* IX). Sensus talio est : Primo tempore prædicationis Christi, terra Zabulon et terra Nephtalim ab onere alleviata est peccatorum, quia primi inde conversi sunt, quia in his tribubus fuerunt viculi de quibus duces nostri apostoli crediderunt. Novissimo autem aggravata est fides eorum plurimis Judæorum in errore permanentibus, et hoc est, novissimo aggravata est via maris, id est regio illa eadem juxta mare existens. In Evangelio autem diversi nomiuativi ad idem verbum reducuntur ita: *Terra Zabulon et terra Nephtalim*, *quæ est via*
B *maris*, id est, via juxta mare et quæ est *trans Jordanem*, *scilicet populus gentium Galilææ, qui habitat in tenebris, vidit lucem magnam*, id est prædicationem Christi audivit, et prima miracula ejus. Per Zabulon accipitur Judæa Judæorum. Per Nephtalim Galilæa gentium. Altera scilicet Galilæa Judæorum, est via maris, quæ juxta mare existit. Et altera, id est, Galilæa gentium, est trans Jordanem, id est, vicina Tyriis. Sed cum de utraque faciat mentionem, plus immoratur in Galilæa gentium, cum dicat, populus Galilææ gentium, quod ad mysticum sensum maxime pertinet, quod videbitur in sequenti. *Et lux orta est eis*, id est agnitio veritatis *sedentibus in regione umbræ mortis*. Mortem vocat æternalem, umbram, peccata, quæ sunt obscuritas ducens ad mortem. Hieronymus vero dicit, inter
C mortem et umbram hoc interesse puto, quod mors eorum est, qui cum operibus mortis ad inferos perrexerunt. *Anima enim quæ peccaverit, ipsa morietur* (*Ezech.* XVIII). Umbra mortis est eorum qui, cum peccent, nondum de vita ista egressi sunt. Possunt enim, si voluerint, agere pœnitentiam. Sedent itaque in regione umbræ mortis, id est in regione Galilææ, ubi primum regnabat umbra mortis, id est, peccatum. Potest etiam illud Galilææ alio modo distingui, ut dicamus trans Jordanem Galilææ, id est, trans Jordanem, in quantum ad Galilæam pertinet. Ex altera enim ripa Judææ est et tunc legetur per se, *gentium populus*, etc.

ALLEGORIA. Joannes est vox præcedens verbum et
D alii prophetæ, quæ prophetia postquam cessavit et ligata est, accessit verbum complens, quod prædicavit vox et prophetia, secessit in Galilæam, id est, in transmigrationem, de figuris ad veritatem, de umbra ad corpus. Vel in Galilæam, id est, in Ecclesiam, ubi est transmigratio de vitiis ad virtutes. Vere facta est transmigratio, quia relicta Nazareth, venit in Capharnaum. Nazareth interpretatur *flos*. Capharnaum villa pulcherrima. Reliquit ergo florem figurarum quæ designabant fructum Evangelii, ut flos prænuntiat fructum venturum : et venit in Ecclesiam, quæ est Christi, villa pulcherrima virtutibus et miraculis Christi, quæ est maritima, quia juxta mare, id est juxta fluctuationem hujus sæculi

sita est, et tunditur procellis tribulationum vel persecutionum. Quæ Ecclesia est in terra Zabulon et Nephtalim sita,id est,Judæis et gentibus communis,et constituta est ex eis.Zabulon *habituculum fortitudinis* dicitur quia apostoli, qui de Judæa electi sunt,fortes fuerunt.Nephtalim *dilatatio* dicitur,quia gentium Ecclesia dilatata est per orbem : quod significavit Isaias,quia terra Zabulon, id est Judæorum, et terra Nephtalim, id est, gentilium, quæ est via maris, quia et juxta est mare, ut dictum est,et tantum via, quia per eam potest iri ad patriam vitæ: et est trans Jordanem, id est trans baptismum, quia scilicet baptizata est. Terra Zabulon et terra Nephtalim vidit lucem magnam, sed præcipue populus Galilææ gentium, id est, populus gentilis positus in transmigratione, qui ambulat in tenebris propter idololatriam,vidit lucem magnam : cætera non mutantur.

Ambulans autem. Incæpta prædicatione Christi, congrum est ut habeat coadjutores, quos mittat ad prædicandum. Elegit itaque apostolos, sed viles, ignobiles et idiotas, ut evangelium ex vi sua, non ex nobilitate vel sapientia hominum receptum esse ostenderet. Noluit igitur Nathanaelem, qui sapiens erat, quamvis sanctissimus, apostolum facere. Ostensio autem in primis prædicatoribus, quia fides Christi recepta est ex vi ipsius Christi, cum idiotæ coruscarent miraculis, et homines non in sapientia verbi converterentur,tunc additus est tandem Paulus et alii sapientes, ut Cyprianus, Augustinus. De hac vocatione videntur tres evangelistæ dissentire. Joannes enim ait,quod in principio post baptismum duo discipuli Joannis, quorum unus erat Andreas, venerunt ad Jesum, et interrogaverunt eum : *Rabbi, ubi habitas?* Ipse autem dixit : *Venite et videte.* Venerunt ergo et manserunt apud eum die uno. Andreas invenit fratrem suum Simonem, et dixit ei : *Invenimus Messiam*, et adduxit fratrem suum ad Jesum. Jesus autem eum intuens, dixit : *Tu es Simon filius Johanna, tu vocoberis Cephas, quod est Petrus.* Non dixit ei, tu vocaris jam sed quod futurum erat,nuntiat ei.In crastino die vidit Philippum et dixit ei : *Sequere me.* Philippus invenit Nathanael, et dixit ei : *Invenimus Messiam, filium Joseph a Nazareth.* Miratus autem Nathanael quod de Galilæa surgeret propheta,præsertim de Nazareth, qui erat viculus,cum omnes prophetæ de Judæa invenirent, ait : *A Nazareth aliquid boni potest esse?* id est potest credi quod de Nazareth veniat aliquid boni? id est aliquis propheta? et cætera quæ sequuntur. Lucas vero narrat : *Factum est autem cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei et ipse stabat secus stagnum Genezareth, et vidit duas naves stantes : ascendens autem in unam navim quæ erat Simonis, docebat turbas. Ut autem cessavit loqui, dixit Simoni : Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon, dixit : Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus : in verbo autem tuo laxabo rete, et* A *impleverunt ambas naves piscibus. Stupente autem Petro, ait Jesus : Noli timere, ex hoc enim eris capiens homines; et relictis omnibus, subductis navibus ad terram secuti sunt eum. Erant autem socii Simonis Jacobus et Joannes in alia navi* (*Luc.* v). Matthæus autem refert, quod ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, et vocavit eos, et non invenit insimul Jacobum et Joannem, sed procedens inde, vidit alios duos fratres,quos et vocavit. Sed sciendum est quod quando Andreas venit ad Jesum,et adduxit fratrem tunc non est facta vocatio eorum, sed tantum prædixit Petro, de nomine suo quod futurum erat,et postea reversi sunt ad propria. De illo iterum quod Lucas refert, intelligendum est, ut ait Augustinus, quod primum factum est ante B istam vocationem, nec tunc eos a Domino fuisse vocatos sed tantum Petro fuisse prædictum quod homines esset capturus, quod non ita dictum est quasi jam pisces nunquam esset capturus.Nam post resurrectionem legimus eos fuisse piscatores,sed ad cibum,non ad lucrum.Unde datur locus intelligere, eos ad capturam piscium ex more remeasse,quamvis dicatur,relictis ominibus:non enim reliquerunt tunc nisi ad horam. Sed hæc vocatio fuit ultima, quam refert Matthæus, et tunc reliquerunt et res et uxores, et patres. Itaque nunquam amplius redierunt ad propria ; et quamvis Lucas referat illud quasi post prædicationem factam in Capharnaum, tamen non tunc factum est, sed quod tunc prætermiserat, rememoratur. Similiter de hac vocatione, quam Matthæus refert, ignoratur, ut ait Augustinus, utrum C ante vel post prædicationem publicam facta est. Utroque enim modo potest legi, ut dicamus : ita Christus incœpit prædicationem, et ad hanc prædicationem jam elegerat discipulos, vel postea elegit.

Qui ambulans juxta mare, vel ad mysterium, vidit, etc. Quamvis duodecim elegisset, tamen vocationem quatuor tantum refert. Matthæus tamen vocationem suam refert postea inter miracula.Magnum enim miraculum fuit, quod publicanus factus est apostolus,et quod quatuor tantum valent ad mysterium. *Et ait illis : Venite post me*, etc. Non tam pedibus, quam affectu mutationis. *Et faciam vos*, etc. Qui prius eratis piscatores piscium, fieri piscatores hominum. Bene dicit, faciam vos fieri : aliter enim D homo frustra laborat, nisi Deus faciat, ut perficiat, et tamen ita ut liberum arbitrium non pereat. Quando fit hujusmodi ingeminatio, faciam vos fieri, certans certavi, assiduitatem significat, quasi diceret : Ita faciam quod in hoc facto perseverabitis. *At illi continuo*, etc. Parum habebant, sed illud parum reliquerunt. Qua in re innuitur, quod plus affectus quam sensus quæritur derelicto. *Et procedens inde*,etc. Hic datum est exemplum illorum,qui solum sensum pro amore Christi deserunt : hic autem ponitur exemplum illorum,qui non solum sensum, sed etiam carnales affectus pro Deo postponunt.Et nota quod alii mittebant retia in mare, alii reficie-

bant; quod ad figuram valet, sensus litteræ satis patet.

Allegoria *talis est.* Ambulavit Jesus juxta mare, dum ad nos per Incarnationem venit, qui secundum divinitatem immobilis est. Juxta mare, et non in mari, qui nulla carnali voluptate immersus est. Et ambulans vidit spirituales piscatores : viderat enim eos ab æterno, sed quantum ad nos, tunc visus est spiritualiter vidisse, cum eos vocavit. Mittentes retia vidit, id est sæcularibus negotiis intentos, et vocavit. Nota quod vidit binos et binos, sicut alibi legitur, quod *binos et binos misit ante faciem suam* (*Luc.* x) ad prædicandum. Quicunque enim ad prædicandum mittitur, fraterno amore necesse est cum proximo suo colligetur, ut non pro terreno commodo, sed ex dilectione prædicare inveniatur, et ideo vidit duos fratres. Nomina etiam mysterio congruunt. Simon enim *obediens* interpretatur; qui enim prædicat, præceptis dominicis obedire debet. Postea debet esse Petrus, id est *firmus*, ut perseveret in proposito, ne cum prædicaverit, *iste reprobus efficiatur* (*I Cor.* ix). Deinde fit Andreas, id est *virilis*, ut viriliter aliis prædicet, ne formidine, ne aliquo amore turbetur, et prædicando aliis fiat Jacobus, id est *supplantator vitiorum.* Sed cum in omnibus erit perfectus, tunc necessaria erit humilitas, ne sibi, sed soli gratiæ Dei ascribat, et ideo fit Joannes, qui *gratia Dei* interpretatur. Isti reficiebant retia sua, quia terrena curabant, et damna sæcularium reparare volebant, et erant cum patre Zebedæo, id est cum diabolo. Zebedæus enim *fugitivus* interpretatur, diabolus vero a Deo fugit. Quatuor tantum voluit ponere invocatione, quia per eos prædicatores omnes de quatuor mundi partibus vocatos significat.

Et circuibat, etc. Associatis sibi coadjutoribus, insistit prædicationi, et docet quia non debet otiosus esse prædicator, sed circuire Galilæam, id est Ecclesiam, et docere in Synagogis, id est in congregationibus, quia communis debet esse prædicatio. Congregatio dicitur synagoga. Hic aperte ostendit quia gentibus non prædicavit, cum in synagogis prædicare dicitur, quæ Judæorum sunt : et prædicavit non temporalia, non fabulas, sed Evangelium, quod pertinet ad regnum Dei. *Docens et prædicans*, etc. Dicitur docens in constitutione morum, prædicans etributionem regni Dei, quod nondum videtur. *Et sanans*, etc. Languor est diuturnus morbus, infirmitas quælibet vel momentanea, vel non; et Deus mystice sanavit languores nostros, id est peccata inveterata, et infirmitates nostras, id est peccata recentia. Moralitas est, quod prædicator non solum verba, sed quæcunque etiam beneficia poterit, dare debet.

Et abiit opinio ejus in totam Syriam, et obtulerunt ei omnes male habentes, variis, etc. Moralitas est, quia prædicator debet habere bonum ab his qui foris sunt, testimonium. Nam cujuscunque vita contemptibilis est, restat ut prædicatio ejus contemnatur. Allegorice. Debet bona fama ejus tendere usque ad superbos hujus sæculi, qui per Syriam, quæ dicitur *elatio*, significatur. Et postquam sanctitas ejus cognoscetur, offerent et detegent ei se male habentes, et alios variis vitiis occupatos. Languor est diuturnus morbus, tormentum acutus morbus : ut dolor dentium, lateris, et alii morbi vexantes acriter homines. Annumerat per partes dæmoniacos, lunaticos. Lunatici sunt qui vexantur a dæmonibus circa lunationes, ut homines blasphement creaturam Dei, credentes se hoc ex luna habere.

Allegoria *est.* Dæmoniaci sunt idololatræ. Lunatici instabiles, quod modo credunt, modo recedunt. Paralytici sunt homines pigri et dissoluti, qui nihil faciunt. *Et secutæ sunt eum turbæ multæ.* De Ecclesia, quæ multis nominibus designatur. Ipsa enim est Galilæa. Ipsa Decapolis, id est decem civitatum regio, quæ significant decalogum. Ipsa est Jerusalem, id est visio pacis, quia assidue contemplatur supernam pacem. Ipsa est Judæa, id est confessio. Ipsa est de trans Jordanem, quia omnes fideles receperunt baptismum.

CAPUT V.

Videns autem turbas. De hoc sermone videntur dissentire Lucas et Matthæus. Lucas enim refert, quod *Dominus exiit orare in montem, pernoctans in oratione. Et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis, quos et Apostolos nominavit, et descendens cum eis, stetit in campestri loco, et turba discipulorum et multitudo plebis : et elevatis oculis in discipulos dicebat : Beati pauperes spiritu* (*Luc.* vi), et multa ponit, quæ posuit Matthæus multa etiam præmittit, multa quoque alia interserit. Matthæus vero narrat Jesum turbas vitasse, et ideo in montem ascendisse cum discipulis, et ibi ad eos sermonem habuisse sedendo, non stando, sicut Lucas ait. Potest autem, ut ait Augustinus, et idem sermo et alius intelligi. Si idem est, tunc diceretur quod et Dominus et discipuli et turbæ ascenderunt in montem, in quemdam locum campestrem et planum, qui erat in montis latere, qui multum populum capere poterat; sed postea ascendit in cacumen montis cum solis discipulis, et ibi elegit apostolos, quibus electis, descendit ad locum campestrem, et ibi stetit, donec ad eum congregatæ sunt turbæ, et postea sedit, quod tacet Lucas, et cum sedisset, accesserunt propinquius discipuli ejus ut familiares, et ita habuit sermonem principaliter, et ad discipulos, et ad turbas. Tunc igitur dicemus, quod Matthæus facit mentionem de ascensione Domini in cacumen montis vitando turbas, quia volebat discipulos eligere. Quomodo vero elegit apostolos, quomodo de cacumine montis descendit, et quomodo stetit postea. Matthæus tacet, et de ascensione incipit. Sed melius videtur, quod duo sermones sint, unus quem familiariter et privatim fecit discipulis, quibus volebat Novum tradere Testamentum, quod et portaturi erant, quia non omnia omni-

bus sunt dicenda, et alius quem fecit in imo loco coram omnibus, in quo et multa recapitulavit quæ in alio dixerat. Et tunc sciendum est quod multa præteriit Matthæus, quæ dixit Lucas in ascensione montis, scilicet, quod pernoctavit in oratione, quando apostolos elegit. Ad litteram veniamus. Missurus Christus apostolos ad prædicandum, tradit eis Novum Testamentum, et quia profunda et sublimia erat traditurus, in montem ascendit, ut altitudinem mysteriorum significaret. Populum vero in imo docet, quia non habebat aliam intelligentiam. Receperunt autem apostoli in ordinatione sua non solum nomen apostolatus, sed et spiritum majoris intelligentiæ. Itaque illis electis, alta dicit. Moyses vero in monte similiter legem accepit, quia totum legis mysterium intellexit. Populum vero in imo docuit, quia rudis et minoris capacitatis erat. Præcepta veteris legis initialia et imperfecta erant ad justitiam. Præcepta vero quæ daturus erat, illud imperfectionis, quod illa habebant, sublatura sunt, et in istis, justitia consumenda est. Unde dicturus est : *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum* (*Matth.* v), etc.

Continuatio. Turbæ secutæ sunt eum. Videns autem Jesus turbas ascendit in montem. Ut vitaret eas, quia coram eis tam alta non erant prædicanda. In his ergo docet quod prædicator debet dicere juxta capacitatem audientium. *Et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus.* Ideo sedit, ut doceret se esse magistrum. Magistrorum enim et docentium est sedere. Accedunt discipuli, ut vicinius audiant quæ adimplenda properant.

Et aperiens os suum Per hoc quod dicit aperiens, significat quod non pauca sed multa, non humilia sed profunda, quasi thesaurum aperiens, dicturus erat.

Allegoria. Christus ascendit in montem, id est in Ecclesiam, ut impleretur quod dictum erat per David : *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem* (*Psal.* xi), etc. Quod significat ibi Sion, hic et mons iste. Sedere, est humiliari per humanitatem assumptam. Aliter non doceret nos, nisi formam nostram assumendo sederet, id est se nobis inclinaret, et visa sessione ejus humilitatis, potuerunt ei discipuli accedere, quia quandiu erat in throno majestatis suæ, non poterant eum homines comprehendere. Unde dicitur : *In mundo erat, et mundus eum non cognovit* (*Joan.* i). Et qui prius nobis erat locutus in prophetis, in Filio suo locutus est, et proprium os Filius nobis modo aperuit. Alia lex data est in terrore, quia fumus et turbæ et procellæ fuerunt circa montem. In datione vero Novi Testamenti nihil horum, sed totum in tranquillitate fuit factum, ut doceret hanc legem non timore, sed amore complendam esse. Alia lex scripta est in lapidibus, ista in cordibus. Aliter enim Novum a Veteri Testamento non distaret. Unde Apostolus : *Multo melioris Testamenti mediator est* (*Hebr.* viii). Et per prophetam ait Dominus : « Hoc Testamentum quod

A disponam domui Israel, post dies illos, dando leges meas in mentes eorum, et in corde eorum superscribam eas (*ibid.*), » etc.

Beati, etc. Sicut Moyses dedit legem in decem præcepta, quæ omnia alia continebant, similiter Christus tribuit Novum Testamentum in septem. Et sicut Moyses explicatius tractavit, postea de illis faciendo plus quam trecenta mandata, similiter Christus de ipsis eisdem per partes prolixius postea tractat, septem sunt dona sancti Spiritus, septem sunt petitiones in dominica oratione, septem ista sunt mandata, quæ omnia conveniunt. In propheta computantur dona, a superiori descendentia ad imum dicendo : *Spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis,*
B *et replebit eum spiritus timoris Domini* (*Isa.* xi), quia de Christo ascendente ad terras agebat. Christus autem sequens morem boni doctoris, ab inferiori incipit, tendens ad superiora, et ideo incipit a paupertate, id est a remotione mali, et a timore. Quicunque enim vult accedere ad Deum, debet prius mala removere, mundum abdicare, Deum timere. Nota quod in oratione Dominica septem petitiones sunt, tres de cœlestibus, scilicet priores ; tres inferiores de terrenis, et media est quasi confinium, adhærens tamen plus cœlestibus. Et prius ponuntur altiores, deinde inferiores, et tamen *Libera nos a malo* (*Matth.* vi), est prima naturaliter, sicut timor in septem donis, dicente Scriptura : *Initium sapientiæ timor Domini* (*Eccl.* i), et illa duo conveniunt
C cum paupertate, a qua incœpit. Agamus prius de paupertate, et postea de aliis duobus cohærentibus. Paupertas ista est abdicare se et sua. Duo enim sunt abdicanda, exteriora et interiora. Exteriora sunt nobilitas, divitiæ et aliæ possessiones. Interiora, ingenium, fortitudo, pulchritudo, velocitas et similia. Abdicare igitur debemus ista, ne confidamus in divitiis, in nobilitate, in ingenio nostro, et cæteris, sed in solo Deo ponamus spem nostram. Cætera vero ita habeamus, quasi non haberemus. Ista paupertas etiam in divitiis esse potest. Unde David : *Divitiæ si affluant, nolite cor apponere* (*Psal.* lxi). Sed securius est eas non possidere unde Dominus : *Vende omnia quæ habes* (*Matth.* xix), etc. quia vix sine amore possunt haberi. Et hoc idem postulatur, ubi dicitur : Sed *libera nos a malo*
D (*Matth.* vi). Liberari enim a malo, est a sæculo nequam nunquam illici, sed expediri a desiderio hujus mundi, qui præsentia bona ostendens, invisibilia deridens, homines ad se attrahit. Hæc omnia non possumus facere, nisi per spiritum timoris. Audiamus enim Deum gehennam minantem, et per hoc exterriti, mundo renuntiabimus, et Deo servire cum dilectione incipiemus. Nota quod timores quatuor sunt, duo terreni, et duo divini. Unus est, quando homines timemus, ne nobis nostra auferant, et ideo peccamus ; vel quotiescunque propter aliquem timorem peccamus, ne viles simus, ne derideamur ; sicut quando sectatores efficimur, quod pro-

hibet Dominus, dicens : *Nolite timere eos*, *qui corpus occidunt* (*Matth.* x), et iste vocatur humanus timor. Est et alius timor, qui vocatur servitis, quando pœnam timemus, et ideo non peccamus, et tamen voluntatem peccandi non amittimus. Sic Judæi pro sola formidine a mala abstinebant, nec aliquam dilectionem in bono faciendo habebant, nec Deum diligebant. Hi duo timores nihil faciunt ad salutem, sed nocent. Sunt alii duo. Unus est, quando Deum timemus, propter gehennam, et ideo a malo abstinemus, sed tamen cum dilectione boni est, et sine voluntate peccandi, et ita Deum diligere incipimus. Hunc timorem jubet Dominus, cum dicit : *Potius timete illum qui habet potestatem corpus et animam mittere in gehennam ignis* (*ibid.*). De hoc timore dicitur, *Initium sapientiæ timor Domini* (*Eccli.* I). Tunc enim Deum timemus, quum eum per timorem diligimus. Tunc tantum pœnam timemus, cum Deum non diligimus, et tamen a malo propter pœnam abstinemus. Iste tertius timor est imperfectorum, et tamen salvandorum, quamvis non habeant perfectam charitatem. Perfecta enim charitas foras mittit hunc timorem tertium. Qui enim habet perfectam charitatem, etiamsi nullam pœnam esse sciret, tamen Deo solum ex dilectione serviret, et eum offendere timeret. Ut bona conjux, quæ adeo diligit virum, quod eum offendere veretur, licet etiamsi peccaret, se verberandam non esse cognosceret, et ita est ex imperfecta charitate, timor reverentiæ, non pœnarum. Quæritur ergo quomodo in Christo fuit timor, qui est initium sapientiæ, in quo fuit semper perfecta charitas? cum Isaias dicat : *Et replebit eum spiritus timoris Domini* (*Isa.* XI). Sed sicut voluit pavere, tædere, et timere pœnas passionis, sic et timuit pœnas gehennales, non propter se, sed propter nos, et tamen ex perfecta charitate, quam in conscentia habebat, quod si omnes pœnæ deessent, Deum tamen non offenderet. Notandum quod de singulis virtutibus provenit beatitudo. Ait enim :

Beati pauperes spiritu. Id est, voluntate, non coactione. *Beati mites.* De paupertate nascitur mansuetudo. Mitis est qui propter nullam injuriam vel damnum commoveri potest. Qui enim amat terrena, de amissis non potest non commoveri. Sed nec verus pauper, sicut nec habita amavit, ita nec propter, amissa doluit. Hæc est enim illa virtus quæ laudatur in Moyse. Si autem percutiebat, tamen mitis erat, et ex zelo justitiæ, non recedens a charitate. De hac autem ait Dominus : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI). Hoc oratur, cum dicitur : *Et ne nos inducas in tentationem* (*Luc.* XI). Aliud est tentari, aliud in tentationem induci. Primum non abnuit, scilicet tentari, et non abrogat ; sed induci, id est, tentationi succumbere, timet fidelis ; et illud orat ne contingat. Tentatur fidelis, dum injuriatur, dum sibi sua auferuntur. In tentationem inducitur, si doleat, et dolore afficiatur. Istam mansuetudinem dat spiritus pietatis. Si enim pius est, et mitem esse necesse est. Sed quæritur, quomodo pauper sine istis potest salvari, cum singulæ virtutes dicantur beatitudinem conferre. Sed notandum quod aliud est habere virtutem, aliud exercitium virtutis. Pauper ergo habet mansuetudinem in mente, sed non habet eam aliquando in exercitio, quia fuit forsitan in eremo, ubi eum nemo injuriavit, tamen beatus est. Si enim unam habet virtutem in exercitio tantum, tamen ideo non habet contrarium aliarum. Nam si haberet contrarium alius virtutis, illud contingeret quod dicitur : *Qui offendit in uno, reus est omnium* (*Jac.* II). *Beati qui lugent.* Quamvis fidelis res mundi abdicavit, quamvis de injuriis non doluit, tamen in multa incidit aliquando, et ideo necessariæ sunt lacrymæ quæ semper abluant, quia semper peccamus, et in miseriis hujus mundi nos esse videmus. Dolemus etiam de peccatis proximorum. Duo sunt genera compunctionis, quando pro miseriis hujus mundi et peccatis nostris gemimus, et pro desiderio cœlestium. Unde filia Caleph petivit a parte irriguum superius et irriguum inferius (*Judic.* I), quia anima petit compunctionem a Deo, et pro peccatis, et pro desiderio patriæ cœlestis. Luctum autem pro miseriis hujus vitæ et desiderio supernæ patriæ, non habet nisi solus pauper et mitis, qui mundum non diligit, sed miserum se recognoscit, et ideo cœlum concupiscit. His lugentibus pro suis et aliorum peccatis convenit postulare : *Debita nostra nobis dimitte, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (*Matth.* XI). Hæc virtus, quæ mundi miseriam sentit, et a cœlesti patria discernit, descendit a spiritu scientiæ. Scientia enim de terrenis est, ut sciamus quæ sit ista habitatio terrena, quam gravis, quam misera. Quod autem cogitamus de cœlesti patria, hoc ideo fit, ut per comparationem miseriam hujus vitæ intelligamus.

Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quia ipsi saturabuntur. Hæ tres virtutes præcedentes de terrenis tantum sunt, et quasi separatio a nequam sæculo potest vocari. His enim modis mundus contemnitur. Abdicando terrena, non dolendo, ex injuria, lacrymis tergendo peccata, et cogitando de miseria mundi. Modo incipiunt virtutes quæ ad cœlestia pertinent, et prima est justitia. Justitia est reddere unicuique quod suum est, id est, Deo, et sibi et proximo, Deo cultum proprium et dilectionem ex toto corde. Nobis debemus creationem Dei in nobis servare per victum et vestitum, carnem animæ subjugare. Proximo, ut ei faciamus quod nobis fieri volumus, quod tamen a bono non deviet. Sed hæc nostra justitia, non dicitur justitia, sed desiderium justitiæ. Sicut justitia in præsenti perfecte haberi non potest, donec in cœlesti patria habitemus, ubi erit Deus omnia in

omnibus; et ideo nostra justitia non dicitur justitia, sed desiderium veræ justitiæ. Sicut Pythagoras, qui sapientiam hominum vocavit non sophiam, sed philosophiam. Dum enim in præsenti justitiam non possumus exercere, desiderium saltem ostendimus. Illud desiderium per esuriem et sitim significatur. Tantundem ergo valet : *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam*, quantum si diceretur : Beati qui exercent justitiam in præsenti tempore, quæ hic imperfecta est, sed quasi esuries veræ justitiæ, sed in cœlo perfecta erit. Et quia esuriunt, nec sufficit ei quod justi sunt, postulant : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* (*Luc.* II). Panis enim fidelium, per quem justitia datur et corroboratur in eis, gratia Dei est, verbum Dei et angelus ministratorius, et omnia quæ valent ad justitiam corroborandam, quod totum dicitur gratia Dei. Hic est cibus ille justitiæ, in cujus fortitudine ivit Elias per quadraginta dies usque ad montem Dei Oreb, et ideo ex Spiritu fortitudinis justitia descendere dicitur : qui sustentat justum, ne deficiat in via. Hæc justitia in mente fundari non potest, nisi mundo renuntiando per virtutes supradictas.

Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, etc. Quia per solam justitiam nullus ad alta ascendere potest, nisi iter faciat nobis Deus, plus quam justum sit, per misericordiam suam : ideo misericordia Dei acquirenda est, quæ suppleat quod nostra justitia non potest adipisci. Quomodo autem illa acquiri possit, dat consilium cum dicit : *Estote misericordes, quia pater vester misericors est* (*Luc.* VI).

Ecce via qua ad misericordiam Dei pervenitur, si misericordes efficimur. Oportet ergo misericordiam addere justitiæ, ut non solum faciamus proximo quod justum est, sed etiam plus quam justum. Misericordiam habet duas partes, dare et dimittere. Unde dicitur : *Date et dabitur vobis, dimittite et dimittetur vobis* (*Luc.* II). Hæ duæ virtutes ita conjunctæ sunt, ut altera ab altera contemperari debeat. Justitia sine misericordia crudelitas est; misericordia sine justitia dissolutio est. Rebelles corrigere ex justitia; pœnitentibus condonare debemus ex misericordia. Sed quia alii plus quam alii exercentur in justitia quam in misericordia; alii plus in misericordia, quam in justitia : ideo isti dicuntur beati propter misericordiam, illi propter justitiam, cum tamen non dissocientur. Hæc misericordia postulatur, cum dicitur : Fiat voluntas tua in nobis, scilicet ut misericordes simus, ut aliis condonemus. Nam hæc est voluntas Dei, hæc descendit ex spiritu consilii. Hoc enim est consilium, quod nobis datur, si misericordiam Dei adipisci volumus, misericordiam aliis faciamus.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, etc. Munditia cordis sexto loco ponitur, quia sexto die homo conditus est ad imaginem Dei. Hæc enim munditia est imago Dei, qua clare Deum omnibus perturbationibus, et omni caligine vitiorum remotis, videmus; quoniam illi dicuntur mundi corde, qui, exutis omnibus nebulis sæcularium rerum, intuitum mentis in solo Deo contemplando figunt. Hæc imago obtenebrata erat in homine per culpam, sed modo reformata est per gratiam Dei, et nunc in sexta die, id est, sexta ætate iterum factus est homo ad imaginem Dei. Hæc contemplatio imago Dei est, quia per eam nobis Deum imaginamur, et quasi per imaginem Deum videmus, quæ merito post alia sequitur, quia nisi illæ præcedant, mundum cor in homine non creatur. In hoc mundo corde Dominus regnat, quia ibi plus cognoscitur et amatur. Unde postulatur, *Adveniat regnum tuum in nobis*, id est, ut in nobis per munditiam cordis regnes. Hæc munditia cordis descendit ex spiritu intellectus. Nihil enim aliud est imago Dei quam intelligere Deum.

Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Postquam omnes supradictas virtutes habet homo, nihil aliud restat, nisi ut Deum, qui est vera pax, præmium habeat. Deus in tanta pace, quod neque in personis est dissensio aliqua, sed perfecta concordia, neque in seipso variatur, quamvis res, in quibus est, variantur. Suos vero similes sibi faciet, quia erunt incorruptibiles, et impassibiles, et incommutabiles, et ita sunt concordes, quod de bonis aliorum gaudebunt, tanquam de suis. Septimo loco ponitur, quia in sabbato vero, requiei dabitur illa pax transactis septem ætatibus, quam Adam nondum habebat, sed quam transferendus in cœlum completa obedientia accepturus erat. Hæc est pax illa, de qua Apostolus dicit : *Et pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum* (*Philip.* IV). Hæc est illa, de qua Christus dicit : *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* (*Joan.* XIV). Illic do, hic relinquo, quia illa pax non potest haberi, nisi in futuro, sed tamen aliquæ reliquiæ dantur in præsenti, quod potest videri in illis, qui ita habent sedatos illicitos motus corporis, quod nullum civile bellum patiuntur in se, sed habet anima requiem suam in hac vita, nec etiam conturbari posset quolibet modo, vel quantumcunque verberentur, sed in se quieti sunt, et alios reconciliare laborant. Unde dicitur : *Pax multa diligentibus legem tuam*, non tamen perfecta. Illa perfecta pax et spiritus sapientiæ non differunt. Aliud est intelligentia, aliud sapientia. Intelligentia est quando res investigatur et discutitur. Sapientia est quando non investigamus, sed jam sapientes sumus, et in ipso bono sapientiæ delectamur. Hæc eadem est illa pax, quando Deum scrutari non laborabimus, sed in eo tamen cognito delectabimur, et tunc erimus filii Dei, quia similes ei efficiemur. Quod oratur cum dicitur : *Sanctificetur nomen tuum*, id est, detur nomen tuum sanctum in nobis, quod filii tui et dii appellemur.

Septem sunt virtutes, quæ faciunt beatos. Octava vero quæ agit de persecutione, communis est. Nihil est enim nisi probatio supradictarum. Verus enim pauper in hac fornace probatur, et verus mitis et verus justus, et verus misericors, et alii si sint veri, fortiores et puriores fient in igne. Si falsi, deficiunt et resiliunt, et de singulis potest dici. Alii qui patiuntur, alii qui non patiuntur, et in singulis gradibus, qui patiuntur, meliores fiunt.

Octava nihil est, nisi prima repetita Unde et eamdem remunerationem habet cum prima. Sed agamus nunc remunerationibus. Pauperibus promittitur regnum cœlorum, quia majus non potest haberi quam illud, quod est commune et generale præmium. Sed quum in octava eadem retributio repetatur, differre tamen intelligendum est. Sic enim intelligitur : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Qui abdicant terrena, eorum est jam regnum cœlorum in spe, et si in purgatorio igne quidam horum ad horam purgantur, tamen non ambigunt se recepturos regnum cœlorum. Qui autem patiuntur persecutionem, habent regnum cœlorum, non tantum in spe, sed etiam in re. Qui enim moriuntur pro Christo, statim ascendunt in cœlum, Hoc ideo ita legitur, non quod utrique non recipiant in regnum cœlorum, sed ut designetur quanta differentia est inter illum, quia habet in spe, et illum qui habet in re, tanta differentia est retributionis illius qui non patitur, et illius qui patitur.

Mitibus congruit possidere terram, quod potest videri per contrarium. Immites non possident seipsos, præsertim nec res suas, sed semper litigant, et semper dissident. Sed mites qui seipsos possederunt et tentarunt, hæreditatem Patris in futuro possidebunt. Plus est possidere, quam habere. Multa habemus, quæ in crastino amittimus. Sed major est retributio mitis, quam pauperis tantum. Nota etiam, quod promittitur pauperi regnum cœlorum exuenti terram, sicut diabolo exuenti cœlum, data sunt ima.

Lugentibus convenienter promittitur consolatio, ut qui tristatus est in præsenti, gaudeat in futuro ; et sicut plus est gaudere in regno habito, quam habere ad horam vel possidere regnum, multa enim possidemus cum dolore, sic major retributio dolentis est, quam pauperis et mitis. Nam qui habet sequentes virtutes, habet et præcedentes. Sed qui non habet præcedentes, habet semper, non dico merito, sed in exercitio sequentes. Jure respondetur esurientibus justitiam, justitiæ saturatio, quia sicut plus est saturari in palatio, quam consolari a luctu, sic major est merces justi, quam a malo separari, quæ separatio, ut diximus, in tribus præcedentibus notatur. Merito misericordibus misericordia impenditur, ut plus recipiant, quam meruissent. Sicut in palatio alicujus regis, cum satur aliquis sit in tribus vel quatuor ferculis, tamen superadduntur multa alia. Similiter quidam beati, cum minor beatitudo sufficere posset, centuplum tamen recipiunt ; et sicut plus recipit, qui ultra saturitatem, quam ille, qui ad saturitatem tantum habet, sic major est gloria misericordium, quam præcedentium. Congrua merces datur mundis corde, ut qui habent clarum oculum mentis, clare Deum videant et intelligant. Majorem habent isti retributionem, quam primi, sicut ille qui in curia regis non solum prandet, sed etiam faciem regis videt. Sed ille est summus, qui filius regis dicitur : quam dignitatem habent pacifici, et tamen omnes beati. Beatus enim est, qui nihil mali desiderat, et habet quidquid optat. Nollet autem in cœlo inferior superioris gloriam habere, quia injustum optaret, sed per charitatem omnia habebit, dum in superiori, quantum in se illam altitudinem diliget. *Beati estis.* Breviter septem generalibus præceptis præmissis, a quibus omnia pendent, latius exsequitur, et cum generaliter dixisset : *Beati,* ecce convertit se ad discipulos, qui illa præcepta delaturi, prius in eisdem imbuendi erant, ut quod prædicarent verbo, ostenderent exemplo. Et quia mala passuri erant, et quasi oves inter lupos mittendi, in patientia erant prius confirmandi, et in humilitate, quæ est custodia virtutum, et postea auditis tristibus, læta nuntiantur ad consolationem. Incipit itaque ab octava, latius eam per partes exsequendo.

Continuatio. Dixi quod omnes qui patiuntur, erunt beati, et vos specialiter, quorum est præcipue pati, et vicariorum. Nota tres partes persecutionis, cordis, oris, et manus. Sed est præposterus ordo ibi. Sciendum etiam est quod in alia translatione, ubi habemus : *Male dixerint,* habetur *Oderint*, sed iste translator posuit significationem odii pro odio, id est, maledictionem pro maledicto. Magnum enim odium est, cum homini ipsi alius maledicit. Persequi significat omnem persecutionem manus, et dicere malum, oris persecutio est. In alia vero translatione, ubi habemus : *Persecuti fuerint,* habetur *Expulerint*, et quia si dicerent malum, quod esset verum, non essent beati, addidit *mentientes* Et quia propter dominum terrenum pati opprobria possent, vel propter aliud, ut hæretici martyres, addidit, *Propter me.* Non enim pœna facit martyrem, sed causa. Et quia hoc in initio posset eos contristari, dicit : *Gaudete* mente, et *exsultate* corpore, *quia merces vestra,* non tantum magna, sicut aliorum, sed etiam *copiosa et in cœlis,* non solum in materialibus, sed etiam in spiritualibus, id est in incorruptione, in immortalitate, in impassibilitate, in quibus cœlis Deus est. *Sic enim, etc.* Nolite mirari si servi mei patiuntur, quia non est præter solitum, quia et prophetæ prius passi sunt. Sic, id est easdem pœnas, et propter eamdem causam, id est propter me, qui fuerunt ante vos, quasi diceret : Si illi passi sunt, qui non habuerunt exemplum, tunc etiam vos debetis pati, et potestis, quia habetis exemplum.

Vos estis sal terræ. Causa est quare in tribula-

tione deficere non debetis, quasi diceret : Necesse est, ut tribulationes constanter patiamini, quia vos estis sal terræ, hoc est fortitudo terrenorum, et ideo defectus vester esset defectus aliorum. Nota quod ipsi vocantur sal et lux mundi. Duo enim sunt necessaria fidelibus : illuminatio mentis, et fortitudo operationis. Sunt quidem apostoli lux, per quos alii illuminantur, et a tenebris ignorantiæ purgantur, et dicuntur sal quasi salus, qua iidem servantur a corruptione mentis et corporis. Sicut enim sal carnem a corruptione servat, et vermes ibi exstinguit, et fluidos humores siccat, sic et apostoli, postquam aliquos illuminaverint, eos in bono proposito debent servare, et vermes vitiorum exstinguere, et omnem exsiccare carnalitatem. Unde in Psalmo : *Dominus illuminatio mea, et salus* (*Psal.* XXVI). Si enim aliquis Deum cognoscit, et firmitatem propositi non habeat, non prodest : et alibi dicitur per prophetam : *Posui te in lucem gentium, ut sis salus mea usque in extremum terræ* (*Isa.* XLIX). Sal quidem facit sterilem terram, quæ enim salsa est, sterilis est. Propterea destructis urbibus, victores supra fundamenta arabant, et sal supra seminabant, ut significarent sterilitatem et vastationem. Propterea dicuntur apostoli sal, quia prædicatio eorum est condimentum aliorum. Nulla enim prædicatio valet, nisi condimento apostolicæ doctrinæ sit suffulta. *Quod si sal evanuerit*, id est fortitudo vestra defecerit in tribulatione, *in quo salietur?* id est in quibus populus infirmior confirmabitur? *Ad nihilum valet.* Quasi diceret : Postquam illi, qui capita et exempla aliorum sunt, defecerunt, nulli usui apta sunt, nisi ad hoc ut mittantur foras ab officio docendi, et conculcentur ab hominibus, id est vilificentur a carnalibus. Vel aliter : Quod si sal, id est illi qui condimentum dicuntur, si sal evanuerit, id est defecerit, ut peccent incidendo in aliquem errorem, in quo salietur? quasi diceret : Apostoli sunt principium doctrinæ, nec habent super se alios doctores; si ergo defecerint, quis saliet eos? id est quis instruet eos? Similiter de papa dicendum est : ad nihilum valet ultra, postquam prædicatio hæresim sapit, nisi ad hoc ut mittatur foras ab Ecclesia, et despiciatur ab hominibus. Sal vocantur proprie illi summi pastores, qui non possunt ab aliis deponi. Vel si volumus alios prælatos accipere, tunc ita legitur: In quo sale terra, id est terreni sibi subditi salientur? Nos quod quilibet prælatus, si exorbitaverit a fide, ejiciendus est, et accusandus ab hominibus. Si in vita sua mala evanuerint, et prædicatio fuerit bona, tolerandus est ab hominibus, juxta illud : *Quod dicunt facite; quod autem faciunt, nolite facere.* Sed si vita pastoris corrumpat vitam ovium, decreverunt Gregorius et alii sancti, eum expellendum.

Vos estis similiter lux mundi. Etsi non illuminetur per eam aliquando mundus, non remanet tamen in ea. *Non potest civitas*, etc. Nonne possent, dicet aliquis, latere in angulo, et ibi boni esse? Respondetur: Non, quia vos estis civitas muniens Ecclesiam, pugnans contra mundum. *Posita supra montem*, id est Christum, hoc est, *non potest*, etc.

Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, etc. Alia similitudo : Christus fuit lucerna, id est lux in vase humanitatis. Non latuit pro timore præsentium vel amore, vel non latuit in figuris veteris legis, ut ritus illos semper servare vellet. Similiter apostoli non latuerunt sub modio timoris vel spei temporalis, vel in ritibus Judaicis, sed coram omnibus veritatem prædicaverunt. Candelabrum est Ecclesia, in domo, id est in Ecclesia. *Et glorificent patrem vestrum*, etc. Removet finem humanæ laudis, et sic ut glorificent Deum in nobis, non ea intentione ut vos laudemini.

Nolite putare, quoniam veni solvere legem aut prophetas, etc. Quasi apostoli dicerent : Quid est quod nova donas præcepta, vis destruere veterem legem, et aliam constituere? Responsio : *Nolite me putare legem solvere, sed adimplere.* Tria sunt in veteri lege : Moralia præcepta, figuræ in sacrificiis, promissiones, ut : *Ecce virgo concipiet* (*Isa.* VII), præcepta erant initialia et imperfecta, et quædam propter fragilitatem hominum permittentia. Illa implevit Christus, dum imperfectionem sustulit, et promissiones destruxit. Ut est dilectio proximi, quæ præcipitur in lege, sed non perfecte, quia inimicus hodio haberi permittitur. Ecce illud malum quod tolerabatur, destruitur, et omnis proximus diligi præcipitur. Oculum pro oculo, dentem pro dente lex auferri permittit, dum iram hominum saltem parum temperat, ne reddant malum plus quam acceperant. Ecce omnino destruit iram, cum dicit : *Omnis enim qui irascitur fratri*, etc., et vindictam prohibet. Figuras vero implet, dum facit quod significabant; tum enim solutæ essent, si sine significatis remanerent. Implet etiam promissiones, dum facit quod promittunt.

Amen dico vobis, etc. Vere implebuntur, quia dico vobis, amen, id est vere, quod non præteribit a lege, non dico unum verbum, sed nec etiam una minima figura, quæ non operetur aliquid in lege. Iod est apud Hæbræos minima littera, sed tamen eam non nominavit Hebraico nomine evangelista, sed Græco, quod est Iota, quia Dominus similiter quum haberet sermonem ad discipulos, pronuntiavit Iota, non Iod : non tamen sine causa, quæ dicetur post. Et nec præteribit etiam unus apex a lege, quin operetur aliquid. Hebræi significant eadem figura diversa elementa. per Aleph significant A et E, sed per quosdam punctos distinguunt, supra positos vel infra. Apices dicuntur suprapositæ distinctiones litterarum, de quibus solis agit propter significationem mysterii, quasi diceret : Non præteribit aliqua figura litterarum, nec pars figuræ, quin habeat aliquid operari in lege.

Donec transeat cœlum et terra. Non enim omnia in adventu Christi completa sunt, sed paulatim complentur adhuc quædam, sed in consummatione

sæculi omnia erunt completa, quasi diceret : Non minimum præceptum, nec pars præcepti evacuabitur, quin compleantur vel in capite, vel in membris, quia quæ minima putantur in lege, sicut : *Non arabis in bove et in asino* (*Deut.* XXII), plena sunt magnis sacramentis. Quæ tamen evacuabant, et faciebant irrita Pharisæi propter traditiones suas. Ideo vero posuit Iota, non Ioth, quia Iota apud Græcos est nona littera, et significat decem, et per hunc numerum decalogus intelligitur, quasi diceret : Non præteribit unum Iota, id est unum de decem præceptis, per quæ cætera præcepta, quæ ex eis pendent, intelliguntur. Neque unus apex, id est unum significatum figurarum vel promissionum legis. Ad Iota referimus moralia præcepta, ad apicem figuras et promissiones. Per apicem ideo significatum accepimus, quia ostendit significatum litteræ, quid habeat significare A vel E. Ideo vero posuit apices non inferiores distinctiones litterarum, quia per eum allegoricum sensum continet. Allegoricus vero altior est, qui per apicem, quæ est altitudo, significatur.

Donec cœlum et terra transeat. Hæc non transibunt materialiter, sed secundum formam. Corruptibilia enim mutabuntur, ut terra, aer, in meliorem naturam. Cœlestia vero mutabuntur, quia clariora erunt, ut sol, luna, cœlum, nec amplius volubilia. Judicium fiet, antequam illa mutentur. Quo facto, erit finis omnium sæculorum, et tunc mutabuntur, et ideo bene dixit, Donec illa mutentur. *Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis* (*Matth.* V), quid igitur ? Postquam se dixit non velle solvere legem, sed omnia esse complenda, dat sententiam supra solutores et adimpletores. Solutores dicuntur, qui non volunt facere, quod moralia præcepta jubent, et qui figuras legis male interpretantur vel promissiones, et negant in eis esse significatum, ut Judæi. Horum duæ sunt differentiæ. Alii solvunt, et alios solvere docent. Alii solvunt et non docent. Illi qui solvunt et docent, pejores sunt. Iterum adimpletores sunt diversi, quia alii faciunt, et non docent, qui sibi et non aliis proficiunt. Alii qui faciunt et docent, qui sibi et aliis proficiunt, et isti maximi sunt. Est quoddam tertium genus, qui nec adimpletores debent dici, qui docent et non faciunt, qui aliis et non sibi proficiunt, qui minimi sunt. Hic autem dat sententiam super pejores solutores, qui solvunt et docent, et super maximos adimpletores, qui faciunt et docent.

Continuatio. Quando quidem necesse est adimpleri, ergo qui solverit, ut dictum est, unum de mandatis istis, id est legis, non dico maximis tantum, sed etiam minimis, et non solum solverit, sed etiam docuerit sic, id est solvere, quamvis inter suos magnus dicatur, tamen in regno cœlorum minimus judicabitur esse, et ita judicabitur, non quod ibi sit ille minimus, ubi non sunt nisi magni, sed ita in curia cœli, id est inter sanctos judicabitur. Judæi enim qui sciunt male figuras interpretari, ut non de Christo intelligantur, sapiente inter suos vocantur, sed in cœlo stulti reputantur et minimi, id est pejores quam illi, qui solvunt et non docent. Quod in cœlo non sunt nisi magni, significavit piscatio Petri post resurrectionem, quando impletum est rete centum quinquaginta tribus magnis piscibus : et omnes magni dicuntur, quia in resurrectione non colliguntur nisi magni in Ecclesia cœlesti, præsenti vero boni et mali colliguntur simul. Quod præfiguratum est in prima piscatione, quando completum est rete magnis et parvis, bonis et malis piscibus, et rete discissum est : quia in præsenti Ecclesia indiscrete boni et mali habentur. *Qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum,* licet hic abjectus sit.

Dico autem vobis. Data sententia solutorum et adimpletorum, docet quomodo debent adimpleri mandata legis, scilicet, ut quod minus est, in lege suppleamus. Vetus lex non punit nisi actualia peccata, non cordialia. Nullus enim interficiebatur pro adulterio mentis, vel homicidio. In Novo Testamento promittit pœnam, non tantum pro actualibus, sed etiam pro voluntatibus.

Continuatio. Dixit, qui impleverit, et docuerit, magnus erit in cœlo, hoc autem modo debetis implere. *Dico autem vobis.* Per hoc reddit eos attentos. *Quia nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum et cætera.* Ideo ponit justitiam Scribarum et Pharisæorum, quia isti justiores in lege esse videbantur, quia non solum faciebant præcepta Moysi, sed etiam faciebant traditiones novas. Scribæ erant cancellarii, qui legem exponebant, et novas traditiones scribebant. Dominus autem præcepit, quod abundantior sit apostolorum justitia, quam Pharisæorum, quia Judæi sequebantur tantum initialia præcepta Moysi et imperfecta. Christus præcepit sequi illa, sed perfecta et consummata, et perfectionem et impletionem mandatorum illorum docet. Sed ut lex sua gravior sit, pœnam addit, quia aliter non intrabitis in regnum cœlorum.

Audistis, quod dictum, etc. Ponit justitiam Pharisæorum, et suam adimpletionem exponit. Cum enim lex prohibeat occidi manu, Christus occidere voluntate, jubens non irasci. Videamus ergo quam iram prohibeat. Primum, est suggestio in homine et illa aut est exterior a diabolo, aut est interior ab ipsa carnis fragilitate, quæ utraque non est peccatum, sed materia pugnandi et victoriæ. Post suggestionem propassio est, id est subitus motus est, qui est aliqua culpa, sed venialis sine aliqua deliberatione boni et mali. Deinde sequitur passio, quando non solum habet motum, sed etiam deliberat quomodo faciat, et ista est mors in domo, hæc passio duplex est. Alius enim in ea cogitatione delectatur, et bonum est ei ibi immorari, et tamen nollet perficere etsi haberet opportunitatem. Alius non solum delectatur, sed quærit etiam opportunitatem, quæ

aliquando deficit, nec ut vellet contingit, hæc ab actu occulto non differt. Prima passio dicitur delectatio. Secunda consensus, aliquando etiam nomina alternantur. Deinde sequitur actus, qui est mors in porta. Tandem consuetudo, quæ est mors quatriduani. Cum ergo prohibeat iram, videtur contrarius esse ei, qui dicit : *Irascimini et nolite peccare* (*Psal.* IV). Sed qui dicit, *Irascimini,* de passione dicit, quæ auferri non potest, et non est criminalis, imo naturalis. Deus autem prohibet passionis iram, quæ est ex deliberatione, quæ est criminalis, quæ est mors. Iram prohibet ideo, et ipsam voluntatem mœchandi, per quæ duo intelliguntur omnes motus ad nocendum fratri, et omnes motus ad concupiscendas carnales voluptates. Qui duo motus vocantur ira et concupiscentia, ex quibus omnes nascuntur actus. Et sciendum est, quod omnes motus ad nocendum fratri, inter genera homicidii computantur, id est detractio, quæ est effectus odii et iræ, et homicidium dicitur, unde apostolus Joannes : *Qui odit fratrem suum, homicida est* (*I Joan.* III). Dicit itaque : *Omnis qui irascitur,* etc. « Sine causa » addunt quidam codices, sed in Græco non additur, nec est opus. Idem enim sensus est, si quid sit irasci fratri attendatur. Qui fratri, non peccato fratris irascitur, ille sine causa irascitur. Si enim aliquis irascatur ad correctionem fratris, non contra fratrem, sed contra peccatum irascitur. Si autem aliquis propter contumeliam suam fratrem odit, ille sine causa debita irascitur. Non enim propterea irasci debet. Et bene dixit *fratri,* omnis enim homo frater est, per primam generationem, et spiritualiter fidelis per secundam, id est per generationem. Cum dicit *fratri,* removet propassionem, nondum enim illa dirigitur in fratrem. *Qui dixerit fratri suo Racha,* etc. *Racha* est interjectio, et significat affectum iræ, quasi diceret : Qui non tantum iratus fuerit, sed etiam in vocem indignationis proruperit, majorem pœnam promeretur. *Qui autem dixerit fatue,* id est convitio fratrem deturpaverit, quod plus est, deteriorem pœnam recipiet. Nota quia et judicium et concilium, et gehenna pœnam significant infernalem. Sed quia secundum qualitatem culpæ, qualitas pœnæ variatur, voluit Dominus per hæc nomina significare illas differentias. Minus est enim judicium, quando scilicet cum reo agitur, et locum defensionis habet, quam concilium. Concilium enim vocatur, quando judices congregati sunt non ad causam audiendam, sed ad dandam sententiam. Et gravius est jam ponere in pœna, quam sententiam dare. Similiter major pœna erit, secundum majoritatem peccati, et gradus tantum pœnæ per illa nomina significantur. Gehenna est primum inventum in Evangelio, et sumptum est ab historia. Vallis enim est, non erat valde amœna et delectabilis, in qua, relicto templo Domini, Judæi solebant idolis sacrificare. Sed Jeremias videns destructionem Jerusalem a Nabuchodonosor futuram, prædixit locum illum in

A quo sacrificaverunt eo tempore, mortuorum cadaveribus implendum, quod tempore captivitatis completum est. Tanta enim interfectio fuit Judæorum facta, quod locus ille impletus mortuis, versus est in maximum fetorem. Cui fetori Dominus pœnam infernalem comparans, vocat infernum, terram hennon, quod est, gehenna. Ge, enim terra, henna hennon dicitur. Sic enim præcipit Deus non irasci, non lædere verbo. Si autem læserit aliquo modo fratrem suum, docet Dominus et quid sibi contingat, et quomodo medeatur sibi, hoc malum sibi eveniet, quod et Cain, quod scilicet Dominus non respiciet ad eum, neque ad munera ejus, sicut nec Cain, qui fratri invidebat et eum odio habebat. Hanc autem medicinam donat ei ut fratri suo reconcilietur, et tunc Domino munera ejus B placebunt. Dilectio enim proximi semper tempore præcedit, et dilectio Dei sequitur. Prius ergo diligit proximum, et post dilectionem Dei acquirit.

Continuatio. Præcepit, ne læseris fratrem nec mente nec opere; ergo si læseris et volueris offerre munus tuum ante altare, etc., quasi diceret : *Si offers munus tuum,* sive corporale, ut candelam ; sive spirituale, ut orationem. *Ad altare,* sive materiale, sive spirituale, id est Christum. *Et tunc recordatus infueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te,* id est, aliquam querelam contra te, non tu adversus fratrem tuum, noli offerre munus tuum tunc, neque tamen orationem postponere, quia David dicit : *Redde Altissimo vota tua* (*Psal.* C XLIX), *sed relinque,* id est differ offerre : *ibi,* id est postquam recordatus fueris, *ante,* id est antequam offeras ad altare, *et vade prius reconciliari fratri tuo,* si præsens est, et humiliare ei, et fac quod ad te attinet. Si autem absens est, promitte et habeas bonam voluntatem, ut quam citius invenies, humiliabis te illi, et bene pœniteas in corde tuo, et tunc revertere ad oblationem tuam. *Esto consentiens.* Dicet ille : Et si noluerit mihi condonare, quid faciam ? *Esto,* inquit, ei *consentiens,* id est benevolus, et sis ei amicus, et ora pro eo, sed non differendum est, sed *cito* debes ei reconciliari, et eum diligere et pœnitere de læsione. *Dum es in via,* id est in hoc sæculo cum eo, Si autem mortuus fuerit antequam concilieris, periculosius erit tibi. Sed D tamen si pœniteas, tunc quoque poteris salvari, licet cum majori pœnitentia.

Ne forte. Ideo *dum es in via* debes reconciliari. *Ne forte tradat te adversarius,* id est sit causa quare tradaris *Judici,* id est Deo. *Et judex ministro,* id est angelo messori, etc. Vel aliter : Adversarius est divinus sermo, qui nostræ carnis voluptatibus adversatur : et quandiu est ille adversarius noster quem læsimus, et divinus sermo. Jubet ergo, ut sit consentiens ille qui læsit divino sermoni, qui præcipit diligere adversarios nostros, et eis reconciliari, ne similiter sit causa quare tradatur judici : quadrantem vocat minima peccata, quia quadrans genus est

nummi qui habet duo minuta. Quasi diceret : Donec persolvat, id est luat etiam minima peccata, quod nunquam erit. Vel novissimus quadrans dicitur terra, quia quatuor sunt elementa : inferior quadrans est terra et deterior; ignis enim significat charitatem, aer vitam nostram aqua baptismum, terra omnem corruptionem, et hoc est : *Donec persolvat novissimum quadrantem*, id est omnia peccata quæ per terram designantur.

Audistis, etc. Egit huc usque omni motu ad nocendum, modo agit de omni motu ad concupiscendum, qui per mœchationem intelligitur ; quasi diceret : Adhuc ostendo quomodo sit abundantior justitia vestra justitia scribarum. Lex prohibet actualem fornicationem, ego etiam mœchiam cordis. Si autem objicit aliquis, quod lex præcipit, *non concupisces uxorem proximi tui* (*Deut.* v), non videbatur Judæis hoc esse dictum, nisi de ablatione alienæ uxoris, ut nullus scilicet vellet auferre uxorem alterius, et non credebant esse adulterium desiderare concubitun alterius uxoris, et ideo ait Dominus :

Ego autem dico vobis, quoniam *omnis qui viderit mulierem*, non visu corporeo, sed *ad concupiscendam eam*, id est oculis concupiscentiæ. Hi sunt oculi qui aperti sunt in Adam et in Eva : erat enim clausa in eis concupiscentia exteriorum et carnalium voluptatum ; sed corupta natura hominis, cœpit aperiri et diffluere huc et illuc concupiscentia ad omnes carnales voluptates. Ista vero apertio mala fuit. Mulier enim hic accepit omnem carnalem voluptatem et fornicationem large : homo enim debet esse sponsa Christi, et adhærere ei quasi æterno bono. Si quis ergo relicto æterno bono, adhæret alicui inferiori, sive idolis, sive auro, sive mulieri, vel alii voluptati, a Deo fornicatur. Quod si ponit finem præcepti, addens (*sic*) etiam de operatione. Quasi diceret per singula : Omnem malam intelligentiam et operationem a te remove (*Prov.* iv). Per oculum enim intelligentiam accipit, per manum operationem. Per hæc enim duo soli peccant homines ; sed prius de oculis agit. Oculus iste ita large accipitur, ut significet quidquid pertinet ad intelligentiam. In primis dicitur oculus aliquis bonus doctor, qui intelligentiam illuminat docendo Scripturas : si iste docet sæcularia, sinister est ; si docet cœlestia, dexter est. Si ergo doctor ille etiam qui *dexter* est, id est qui divina exponit *scandalizat te*, aliquam hæresim interserendo, *erue eum a te*, et etiam separa longe. Iterum oculus est ratio, et exercitium nostrum in Scripturis. Si ergo exercitatio nostra in divina Scriptura, per ingenii nostri subtilitatem in aliquem errorem nos inducat, ante debemus exercitationem illarum Scripturarum dimittere, et ante rustice vivere, quam sapientes hæretici pereamus. Rursus oculus noster est vita contemplativa. Si ergo illa scandalizat nos in desidiam mittendo, ut plures monachos facit, deseramus eam, et ad activam transeamus, et aliquem laborem faciamus, ut salvemur in ea potius quam ibi lugendo pereamus,

A et ita de cæteris : *quia potius expedit*, id est convenit, *ut pereat unum membrum*, id est amicus noster, vel alia quæ dicuntur membra nostra, quæ juvant nos et sustentant, *quam totum corpus*, id est ego et amicus pereamus; *et si dextera*, etc. Dextera manus similiter dicitur aliquis cooperator mecum in bonis operibus; sinistra manus, aliquis cooperator mecum in malis rebus. *Et si dextera*, id est dexter cooperator, *scandalizat te*, aliquod peccatum monendo facere, nec aliter possis evadere, debes eum dimittere, sicut multi eremitæ socios suos dimiserunt. Vel manus similiter potest significare aliquam bonam operationem, vel activam vitam, quæ si noceat deseramus eam. Si enim visitarem aliquam pauperculam et eam pascerem, et diabolus me ten-
B taret in ea, illam eleemosynam deberem protinus dimittere; vel si abbas meus me ad contraria opera mitteret, et ibi non possem me salvare, excusare me debeo. Si autem sæpius me cogerit, nec aliter evadere possem, eum potius aufugere debeo.

Dictum est autem, etc. Iterum ostendit abundantiorem justitiam. Moyses (*Deut.* xxiv) propter duritiam cordis Judæorum permisit, non præcepit, dimittere uxores si displicerent quia essent litigiosæ vel fœdæ. vel propter multas alias causas, potius quam eas interficerent. Levius enim erat dimittere quam interficere, et tunc qui eas dimittebant peccabant, nec salvabant. Multa enim permittuntur propter graviora vitanda, et quasi consulitur, cum alterum sit necesse, vel levius vel gravius peccare,
C quando in inferno puniantur levius, et tunc ille qui dimittebat, libellum repudii tradebat, in quo libello quod scriptum erat ignoratur, nisi forte causa repudii, et vineæ et terræ redditus unde uxor viveret. *Ego autem dico* non dimitti uxorem, *quia omnis, qui dimittit uxorem facit eam mœchari* : quantum in se est, licet aliquando illa nolit mœchari. Videtur sibi esse contrarius, cum dicat alibi : *Qui* non odit, *patrem* vel *matrem*, etc., *non est me dignus* (*Matth.* vii), et alibi : Qui non reliquerit *patrem* vel *matrem* vel *uxorem* propter me, *non potest meus esse discipulus* (*Luc.* xiv). Sed non est. Hoc enim modo intelligitur : Homo debet diligere summum bonum, et respectu ejus debet odisse et contemnere omnes miserias hujus mundi, et velle non esse, et omnes conditiones mundanas, sicut est nasci quod habe-
D mus a patre, et concumbere quamvis cum uxore, etc.

Personas autem nobiscum in cœlo velle esse debemus, et hoc est odisse patrem vel matrem, etc., et tamen illas conditiones debemus pati, quia nobis datæ sunt ad pœnam, et ad humilationem. Si autem pater aut uxor in aliquod peccatum nos trahant, tunc dimittere eos debemus propter Deum, quia nihil contra Deum eis debemus. Hic autem præcipit non dimittere *uxorem*, nisi tantum *excepta causa fornicationis*. Si enim ipsa ruperit legem conjugii, potest eam homo a se separare, ut commistionem illam auferat sibi, quam violavit, Sed tamen sacra-

mentum conjugii remanet ut non aliam ducat, licitum est eam retinere si voluerit, juxta Apostolum, qui jubet aut abstinere aut reconciliari (*I Cor.* VII), utrumque enim licitum est tamen scriptum invenitur: *Qui adulteram* retinet *stultus* et improbus *est* (*Prov.* XXVIII). Sde de illa dicitur quæ assidue peccat, ne sit socius ejus adulterii, si eam conscius toleret. Accipitur hic fornicatio large, ut si illa pervertit cor mariti in idololatriam, vel in aliud criminale, ut non posset cum ea salvari, dimittat eam. Ecce causa fornicationis uxoris debet eam dimittere, et causa fornicationis spiritualis, ne ipsa scilicet fornicetur, sed si pari consensu voluerint abstinere, possunt separari, ut iste monachus, illa monialis fiat, et tunc non separat eos homo sed Deus. Quod non est contrarium illi qui dixit : *Quod Deus conjunxit, homo non separet* (*Matth* XIX; *Marc.* X). Item si aliquis accipiat uxoris suæ mortuæ cognatam vel suam, dimittat eam, et ducat aliam, quia non fuit sua uxor. Similiter si accipiat ancillam insciens, postquam sciet, laboret ut eam liberet, vel eam dimittat, quia non fuit confugium, sed suppositio. Non enim lex Dei facit injuriam dominis mundi, ut eis servos auferat vel ancillas. Si frigidæ naturæ est vir, non perfectum est conjugium, dimittat ipsa eum, et nubat alteri. *Iterum* autem *auditis, quia dictum est antiquis* : *Non perjurabis*. Moyses videns se non posse auferre juramentum, aufert perjurium, et iterum quia illa per quæ jurant homines, habent in magna reverentia, ne creaturas facerent sibi deos, præcepit Deo reddere juramenta, et non jurare per creaturas. Dominus autem perfectius eos a perjurio removet, cum omnino jurare prohibet. Juramentum tamen neque bonum neque malum per se, quia etiam præcipitur et prohibetur cum additamento. Sunt quædam petenda per se, et quædam vitanda per se, ut fornicatio, et quædam vitanda propter aliud, ut clericum habitare cum muliere, vitandum scilicet propter supiscionem et tentationem. Alia facienda sunt propter aliud, ut jurare propter incredulitatem hominum, ne peccent in nobis proximi male suspicando de nobis, quia crudelitas est famam contemnere, in qua proximus occiditur. Juramentum enim est de istis ultimis, quia per se non est malum, qui si esset malum, non aliquando præciperetur, nec bonum est quod prohibetur. Jubetur tamen propter necessitatem, prohibetur si otiosum sit, quia tunc malum est. Est etiam otiosum et superfluum, et generat perjurium, si sæpius frequentetur.

Neque per cœlum. Quia prohibuerat omnino jurare absolute, ne putaretis quod jurare per Deum solum prohibuisset, et nullum esset peccatum jurare per creaturas, et perjurare eas, addit : *Neque per cœlum,* id est per creaturas superiores ; *Neque per terram,* id est inferiores. Non dicitur cœlum thronus, neque terra scabelum, ideo quod Deus hujusmodi positionem habeat, qui totus est ubique, sed voluit significare dignitatem cœli, quia majorem pulchritudinem habet cœlum quam terra, et plus admiramur Deum in cœli creatione, quam in terræ. Unde dicitur sedere in cœlo, et dicitur terra esse sub pedibus, quia vilior esse videtur, sicut illa quæ pedibus conculcantur, et in hoc tamen Deus utrumque possidere significatur, hoc ut dignius, hoc autem ut vilius. Tria sunt quare non debemus perjurare per creaturas, tum quia bonæ sunt factæ a summo bono, tuum quia Deus habitat in eis, et qui juraret per creaturas, juraret per inhabitantem, tum quia sunt sacramentorum magnorum signa. Cœlum enim significat animas justorum, in quibus regnat Deus et judicat; terra autem terrenos homines quos habeat sub pedibus, id est sub potestate; Jerusalem vero Ecclesiam, quæ est vere civitas Dei, et ideo propter significata figuræ sunt venerandæ, ne jurando per figuras violet significata. *Neque per caput tuum.* Caput significat Christum, quasi dicat : ideo non debes jurare per caput, quia non est opus tuum, sed Dei : et vere non tuum, quia non potes nec unum capillum creare, sed nec etiam colorem dare. Nota quod qui mentitur peccat, qui autem per Deum affirmat, et postea fallit, dupliciter peccat, et mentiendo et in falsitate affirmationis perjuramentum, quod perjurium est. *Si autem*, etc. Quomodo ergo loquemur, dicent illi, qni semper jurare consuevimus? Sic respondetur : Si aliquis dixerit, est ? respondete, est si affirmare vultis. Si vero aliquis dixerit, non est ? respondete, non, si negare vultis. Vel *sermo vester sit est, est,* ut et verbo et signo affirmatio sit, vel *non, non,* ne aliud sermo dicat, et aliud signa vel opera.

Quod autem, etc. Prohibuit juramentum otiosum, si autem necessarium est, non prohibet, quia Paulus juravit in Epistolis, ubi dicit : *Testis est mihi Deus* (*Rom.* I) : et Deus juravit : *Per memetipsum juravi* (*Gen.* XXII) : et ideo addit, *quod abundantius est* extra hunc sermonem, id est, *est, est, non, non, a malo est,* quasi dicat : Si jurare cogaris, *a malo est*, id est, ab incredulitate audientis, non dicit malum est, sed *a malo*, id est, a suspicione cogentis procedit jurare. Si enim aliquis innocens accusatur, ut satisfaciat audientibus de eo male suspicantibus juret non enim negligenda est fama, in qua proximus occidatur, *Audistis*, etc. Docet iterum abundantiorem justitiam Moyses dedit quoddam præceptum, et pro læsis et pro temerariis lædentibus. Ne enim omnes temerarii essent in læsionibus aliorum, posuit pœnam ut refrenarentur. Item quia non potuit omnino retrahere manus læsorum a vindicta, saltem voluit iram eorum contemperare, ne super injuriam vindicarent se, pro pari parem redderent talionem. Solent etiam injuriati gravius injuriam vindicare quam essent, quia etiam pro verbo interficere hominem. Christus autem perfectiorem justitiam docet, id est, omnino non resistere malo, id est lædenti, sed pati injuriam, non referre; vindicta tamen non omnino prohibetur, Dominus enim punit malos cum dicit : *Discedite a me maledicti* (*Matth*

xxv), etc. ; et qui dedit maxillas percutienti(*Thren.* III),et David,qui dicebat:*Si reddidi retribuentibus mihi mala*(*Psal.*VII),hæc et hæc eveniant mihi, multos punivit.Sunt enim vicarii Dei sæculares potestates, quæ vice Dei malos damnant, et ad utilitatem eorum et ad terrorem aliorum. Licet enim istis vindictas de malefactis accipere, sed zelo justitiæ, non delectatione pœnæ, sicut Deus facit, hoc modo puniebat David.Suas etiam injurias potest vindicare, non sicut homo, sed sicut judex ; cæteris autem hominibus accipere vindictam prohibetur,læsi enim non pro amore justitiæ hoc facerent, sed in odium, unde Dominus ait : *Mihi vidictam, ego retribuam* (*Rom.* XII), vel in persona mea, vel per vicarium, qui non ferit hominem, sed peccatum ut homo corrigatur. Tres injurias ponit, læsionem in persona, rerum ablationem, et angarias in servitium, quos omnes jubet tolerare.De læsione enim personæ agit, cum dicit : *Si quis percusserit te in maxillam*, etc. Quamvis ad litteram non absurdum sit accipere,tamen Dominus non legitur hoc fecisse, sed percussus in maxillam,respondisse : *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo* (*Joan.* XVIII), etc. Nec apostoli similiter. Per maxiliam igitur dexteram accipitur læsio aperta in re digna. Per maxillam, apertio ; per dexteram,res digna intelligitur, quasi dicat : Si quis improperaverit tibi quod Christianus es vel religiosus,vel aliquid dignum hujusmodi,quæ læsio aperta est, et in re digna, *præbe ei et alteram,* non dicit sinistram, sed *alteram* dexteram, subaudit : Bonus enim homo nihil habet in se sinistrum, sed omnia dextra ; unde legitur in libro Judicum (*cap.* III) ad hoc sinistra usus fuisse pro dextra, quasi dicat : *Præbe ei et alteram*, id est, patere etiam in læsione alterius dextræ operationis sicut opus fuit.Si enim improperat quod tu es Christianus, et sis etiam paratus pati, et vocet te ideo hypocritam, quia religiosus es.

Et ei, etc.Agit de injuria ablationis rerum,prohibet enim nos repetere nostra si auferantur, si sine contentione hoc facere non possumus ; sin autem,ut ait Apostolus(*I Cor.*VI),potius debemus pati fraudem quam in judicio cum fratre contendere, et ideo Dominus ait : *Et ei qui vult tecum in judicio contendere*, etc.Si enim velit contendere, potius dimittamus res nostras.Per tunicam quæ carni propinquior est necessaria intelliguntur,per pallium superflua.Lucas meliori ordine usus est, qui dicit : Quod si quis tulerit pallium,dimitte et tunicam (*Luc.* VI),id est, si quis tulerit superflua, dimitte ei et necessaria, si opus fuerit.*Et quicunque*,etc. Ecce tertia injuria de angaria, sicut si aliquis, non dico læserit fidelem, vel res abstulerit, sed si eum servire sibi coegerit, quod in captivitate solet fieri,patiatur et serviat,et etiam plus quam præcepit.Sed si angariaverit eum aliquid illicitum facere,ut peccatum, potius patiatur se interfici,quod in hac metaphora intelligitur : *Quicunque angariaverit te mille passus*, id est, aliquod licitum opus,mille enim passus sunt iter Sabbati, in quo servilia opera prohibentur : ergo mille passus non est servile opus, sed licitum, quod et numerus millenarius designat,qui perfectionem significat ; quasi dicat : Si angariaverit te ad aliquod servile opus, id est, peccatum quod facit servus, noli facere ; sed *si mille passus,* id est,aliquod licitum coegerit, sicut fodere in vinea sua, *vade,* id est, perfice quod cogit,et non solum mille passus, sed etiam *duo* millia. Ter ponit mille, quia tribus modis jubet servire, corpore, animo, spiritu: ut et toto corpore operetur,et spiritu, id est voluntate et animo,id est ratione, scilicet pro Deo, non pro timore, non pro cupiditate, sed quia Deum remuneratorem exspectat. Mystice etiam quædam intelliguntur, ut : Si hæreticus dextrum dogma violare voluerit, oppone aliud testimonium Scripturæ, et iterum præbe alterum donec lassescat.Spiritualiter doctor tunicam tollit, cum interiora facit confiteri, id est,vitia animæ,ut iram,invidiam et hujusmodi ; ille addit et pallium,qui non confiteri erubescit exteriora,id est vitia carnis, ut fornicationem, et cætera. *Et qui,* etc. Et quia non sufficit pati damna, nisi demus nostra, addit : *Et qui petit a te, da ei.* Non dicit quidquid petit, sed *da.*Si petit rem honestam,da vel totum,vel partem si non potes totum : et si neutrum potes, da voluntatem ; si petit rem inhonestam, da correctionem.

Et volenti mutuari a te, ne avertaris ab eo, sed libenter accommoda. Est enim quoddam genus misericordiæ accommodare, sed non ut plus recipiat. *Audisti quia dictum est : Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum.* Hoc fuit permissio, non præceptum. *Ego autem dico vobis : Diligite*,etc. Ponit tria genera inimicorum : alii enim manu nocent, alii lingua, alii corde, quos præcipit diligi. Odientes corde inimicantur,calumniantes ore, persequentes manu. Prophetæ videntur esse contrarii huic præcepto, qui mala inimicis imprecantur. Sed ipsi videntur voluntatem Dei approbare,non imprecabantur,sed divino judicio consensum præbebant. Iterum cum præcipiat orare pro inimicis, videtur Joannes contrarium dicere : Si *quis* sciat *fratrem suum peccare non ad mortem*, oret pro eo, et dabit illi vitam Dominus. *Est* autem *peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis* (*I Joan.* V), ubi aperte ostenditur quosdam fratres esse, pro quibus orare non jubemur. Peccatum ad mortem est, cum post agnitionem veritatis perversus tamen oppugnat fraternitatem,et homini bono invidet,et bonum odit,et in malo suo omnino obstinatus est: quod peccatum obstinatio,vel impœnitentia vocatur. Hæc labes talis est,ut humilitatem pœnitendi subire non possit, et precandi, licet aliquando pœniteat, sicut Judas qui dixit ; *Peccavi, tradens sanguinem justi* (*Matth.* XXVII),et noluit humiliare se, et precari veniam,sed facilius cucurrit ad laqueum,et huic pœnitentiæ non ignoscit Deus. Homo hujusmodi qui diabolicum peccatum incurrit,jam cum diabolo damnatus est, nec pro eo sicut nec pro diabolo orandum est. Sed

non omnes cognoscunt eum nisi spirituales viri,ut A
Joannes,et ideo non præcipitur nisi ei qui scit non orare pro eo, unde indiscrete pro omnibus oramus, quia discernere nescimus.Cætera peccata non dicuntur ad mortem,quia de eis pænitere possunt homines,et quia sanari possunt, non est neganda medicina orationis : pro impœnitentia vero non est orandum,quia jam est in inferno,id est in desperatione. Hic autem præcipit Dominus orare pro infidelibus persequentibus.Joannes autem agit de fratribus,et ideo non est contrarium.Vel non pro omnibus præcipit orari, sicut nec ipse pro omnibus creditur orasse in passione, sed pro illis qui non erant in diabolico peccato, nec scienter, nec per invidiam impugnabant veritatem,sed per ignorantiam ; unde
ait : *Quia nesciunt quid faciunt* (*Luc.* XXIII). Hi sunt B
videlicet illi quos Petrus postea convertit, quibus ait Petrus, quod per ignorantiam fecerant, sicut et principes quidam scilicet eorum.

Ut sitis filii patris vestri,etc. Quasi dicat, ut imitemini illum qui semper Pater vester est,id est benevolus vobis, quamvis non sitis filii ejus, sicut in Evangelio ille qui vixerat luxuriose, dixit : *Pater, jam non sum dignus vocari filius tuus* (*Luc.* XV). Patrem vocavit, et tamen se filium denegavit : et in quo debeant imitari, subdit : *Qui facit solem suum oriri*, etc. Quasi dicat, qui benefacit gratuito bonis et malis.Solem visibilem accipe,non solem justitiæ, quia ille non est ortus omnibus.Pluviam iterum materialem accipe, non doctrinam spiritualem, quia illa negata est quibusdam civitatibus, ideo non est
generalis sententia. *Si enim*, etc. Diligite inimicos, C
non tantum amicos, quia *si* tantum *diligitis* quia *vos diligunt*, *nullam mercedem habebitis*. Si tamen diliguntur amici non propter carnalem affectum,sed propter Dei præceptum, qui ait : *Honora patrem* (*Exod.* XX), etc., tunc merces habetur. Publicani dicuntur qui publica vectigalia exigunt, vel a Publio Romanorum duce dicuntur,qui instituit hujusmodi quæstores. *Et si salutaveritis fratres tantum*, etc.,id est si tantum amicis vestris bona optetis, in hoc quid facietis amplius, id est quo sitis ampliores,gentibus ? id est meliores. Ethnos interpretatur *gens*, inde ethnicus,id est gentilis. *Estote ergo*, etc. Quia illud non sufficit, ergo estote parati, non tantum amicis,sed *sicut pater vester*, qui amicos et ini-
micos diligit, quia creatura sua sunt, et ideo dat D
eis temporalia necessaria.

CAPUT VI.

Attendite ne justitiam vestram, etc.Instructis illis in perfectiori justitia agit de fine,ut non tamen hoc fine faciant, scilicet propter humanum favorem. Et agit de tribus virtutibus, eleemosyna, jejunio, et oratione, removendo a singulis hunc finem. Non prohibet fieri opera *coram hominibus*,quia superius dixit : *Luceat lux vestra coram hominibus*(*Matth.*V), sed hac intentione fieri prohibet, ut videantur, id est ut velint videri. *Cum ergo*, etc. Quando quidem nullam justitiam,ergo nec eleemosynam pro laude faciatis.Tangit morem Judæorum,qui quando pauperes congregare volebant,tuba sonabant in publicis locis, et hoc præcipue faciebant hypocritæ, qui sub specie boni laudes quærebant,quasi dicat : *Noli tuba canere*, id est noli facta tua notificare et innotescere, ea intentione *sicut hypocritæ*, quia *receperunt mercedem* laudis : vel *receperunt* quidam eorum in inferno *mercedem suam*, id est aptam. *Tu autem*, etc. Quia aliquis diceret : Ego faciam pro utroque, et pro æterno bono,et pro humana laude, prohibet illud,quia Deus non patitur secum esse participem. Dextra est amor cœlestium bonorum, sinistra vero est amor temporalium bonorum, laudis scilicet et cæterorum : non ergo consocientur isti amores, et *nesciat sinistra*, id est petitio humanæ laudis, *quid faciat dextra*, id est amor et cœlestium respectus : *Ut sit eleemosyna tua in abscondito*, id est in pura conscientia, ubi homo non videt, sed Deus tantum *Et cum oratis*,etc ,*qui amant orare stantes*,quasi cum labore *in synagogis*, id est *in angulis platearum*.Duo genera notat hypocritarum, alios qui aperte orant in publico ut viderentur, sicut illi qui orant in synagogis,ubi est totus conventus hominum, et alios qui licet in publico orarent, tamen latere se velle simulabant, cum tamen vellent videri,sicut illi qui in plateis orabant,sed tamen in angulis. *Tu autem cum orabis*, *intra*, etc. Ad litteram est hoc bonum facere,tamen aptius accipitur per cubiculum secretum conscientiæ,in quo cubili oportet ut non sit litigiosa uxor,id est carnalitas, quæ inquietet et faciat foras vagari mentem,non permittens sibi quiescere. Oportet igitur eam domari et comprimi, ut non inquietet et litiget. Sed non valet refugere ad cubiculum, nisi clauso ostio, ne intret turba phantasmatum. Ostia sunt ut quinque sensus corporis, et præcipue timor et amor terrenus. Per hæc enim duo ostia intrant omnia phantasmata peccatorum, quæ claudenda sunt.

Orantes. Ostenso ubi sit orandum,docet quomodo sit orandum, removendo falsam intentionem gentilium ab orationibus nostris.Gentiles qui serviebant dæmoniis non credebant,sicut nec erant, in diversis locis, deos suos esse, et ideo faciebant longas orationes in multiloquio,confidentes, ut per eas ab aliis locis revocarent. Præterea dæmones non possunt cogitationes intelligere,nisi aliquibus signis indicentur. Erant igitur omnia verbis suis incitanda. Credebant etiam gentiles verborum compositione deos ad compassionem movere, sicut et homines, faciebant igitur longas orationes in multiloquio confidentes.Hoc removet Christus,non quod prohibeat longas orationes,quia pernoctasse in oratione legitur,et passione imminente,prolixius orasse dicitur, et Apostolus ait : *Orantes sine intermissione*(*I Thess.* V) : sed hac intentione longas fieri prohibet,ut quasi in multiloquio tantum confidant, et non in propria conscientia,unde ait : *Nolite multum loqui.* — *Multum* dico, *sicut*, id est eadem intentione qua *ethnici*, id est gentiles. *Putant enim*. Exponit inten-

tionem eorum, *quod in multiloquio exaudiantur. Sit namque*, etc. Quasi dicat, non est talis, quales sunt dii eorum,qui nesciunt voluntatem hominum nisi verba audiant. Quæritur ergo quare verba promuntur in secretis orationibus, ut videlicet Deo, opere,voce, corde serviamus, et potius propter nos, ut incitemur orando per verba ne desipiamus, et ut quædam verba audita a nobis, nos ad compunctionem moveant.*Sic ergo*, etc. Docuit orandum, et ubi et quomodo.Docet quæ sunt oranda,ponendo breviter summam omnium quæ debent postulari a Deo. Et sicut superius docuit septem virtutes quibus homines efficiantur beati, de quibus omnes aliæ dependent, sic materiam petitionem ponit, ne errent homines in petitionibus, et ne aliquid quod non includatur in aliqua istarum, petatur. Pauca verba et plena mysteriis ponit, ut et idiota possit retinere, et summatim intelligere, et sapiens ibi inveniat profunda mysteria, in quibus se posset diu exercere : et quæcunque in orationibus diffuse petuntur, hic omnia breviter inveniuntur.

Pater noster. Septem sunt petitiones, sicut septem dona Spiritus, et septem virtutes superius expositæ. Per petitiones venitur ad dona, et per dona ad virtutes, per virtutes ad beatitudinem. Istæ petitiones distinctæ sunt secundum duas vitas;quia vita alia temporalis, alia cœlestis. Per temporalem transitur ad cœlestem,si bene et recte utatur temporali viator, ita quod non adhæreat huic mundo, imo liberetur ab eo. Tres ultimæ petitiones pertinent ad temporalem vitam, et tres primæ consummabuntur in cœlesti vita. Media vero, quamvis de cœlestibus sit,hic tamen completur,quia panis spiritualis ideo petitur, ut in præsenti eo fruamur, et per eum confortemur. Sed antequam ad petitiones veniatur, captatio benevolentiæ more orantis præmittitur,cum dicat : *Pater noster*, inducitur unusquisque fidelis orans, non sibi, sed communi saluti hominum, ut charitas et unitas Ecclesiæ designetur, in qua tam bene desiderat frater salutem fratris sicut et suam. Dicit ergo : *Pater noster*. Cum vocet eum patrem, debet esse filius,neque degenerare a tanto patre, qui affectu et benevolentia est Pater. Cum vocamus patrem, significamus quod jam non sumus servi, sed filii.Cum dicit *noster*, significat quod multorum est, non unius tantum. Qui enim habebat unum filium naturaliter per gratiam suam, voluit et alios adoptionis filios addere.Ecce communis est pater omnium nostrum, per quod admonentur omnes ejusdem fraternitatis et unanimitatis.Non applaudat sibi dives,vel nobilis,sive Dominus,quia similiter Filius Dei est pauper, ignobilis, et servus. Omnes itaque fratres sumus. Cum dicitur : *Qui es in cœlis*, videtur orare ille qui est in imo, ut ad Patrem suum, qui est in cœlis,id est in immutabilitate, æternitate, impassibilitate,possit ascendere,ut cum eo fiat immutabilis, impassibilis.Præmissa captatione benevolentiæ, accedit ad petitiones.Sed alio modo ordinantur,quam in hominibus complentur.Præmittuntur enim illæ petitiones quæ in futuro erunt consummatæ, quia digniores sunt. Postea ponuntur illæ quæ ad præsentem vitam pertinent,quia indigniores sunt. Sicut Isaias fecit, qui dona Spiritus sancti digniora præmisit descendendo in minimis, et Moyses qui dilectionem proximi, dilectioni Dei præmisit, quamvis sit posterior tempore. Ut ergo melius et dignitatem,et quomodo aliud ex alio nascitur videamus,naturalem ordinem sicut in nobis completur sequamur, prius,et postea ad istum ordinem redeamus.Ultima petitio est : *Sed libera nos a malo*,quæ tamen prima est in nobis. Homo enim qui vult ascendere in cœlum, videns quia non potest aliter ascendere, nisi a malis hujus mundi liberetur,clamat : *Libera nos a malo*,id est a peccato originali et actuali,et a desiderio hujus mundi,ubi et temporalia et meipsum abjicere queam, et fiam pauper spiritu. Quod totum fit per spiritum timoris,sicut superius expositum est planius in tractatu virtutum. *Et ne nos inducas*,etc.Abdicatis omnibus terrenis, necesse est instare tentationes interiores et exteriores.Necessaria est ergo mansuetudo, ut mitis sit et humilis nocentibus, et nulla ira, nec rancor,id est superbia eum moveat,quod fit per spiritum pietatis, et non orat quod non eveniant, sed ut non inducatur.Ille inducitur in tentationem, qui succumbit tentationi, et mergitur in ea.

Et dimitte, etc. Quamvis sit liberatus a malo, quamvis non frangatur tentationibus,adhuc tamen non potest mutari, quin in multis Deum offendat.Et navis transiens per mare, per rimas recipit aquas, et ideo necessarius est luctus quo peccata abluat, et ut sibi dimittatur, aliis dimittat,et de miseriis hujus sæculi doleat,quod totum fit per spiritum scientiæ. Scientia de terrenis est, et spiritus scientiæ facit lugere hominem,qui quanta sit miseria in præsenti facit cognoscere, et peccatis cognitis facit clamare : *Dimitte nobis debita nostra*,id est peccata quæ debemus lugere. *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*. Debitores sunt qui debent nobis pecuniam, et qui fecerunt nobis aliquam injuriam. Si debent pecuniam et perfectus es,dimitte.Si imperfectus es, licite requirere potes, si ille habeat unde reddat. Sin autem,debes dimittere, si fecit injuriam, et se tibi humiliaverit, dimitte ; si non vult humiliari, paratus sis ad condonandum,et fac quantum in te est. Illi autem nihil prodest quod tu facis, nisi rogaverit, sed tu te expedisti. *Panem nostrum quotidianum*, etc. Hæ tres petitiones ad terrenam vitam pertinent,quia liberatio a malo,tentatio, lugere pro peccatis, in præsenti est, et a mundo separatio vocatur, modo transit ad cœlestia, et imprimis petit sibi dari panem cœlestem,quo bene operetur,et in via confortetur ne deficiat. De cœlo quidem panis petitur, sed ut hic comedatur,et ita petitio ista confinium est de temporali ad cœlestem vitam,quia res cœlestis inclinari postulatur,ut in præsenti habeatur. Panis iste est Deus, qui pascit angelos, et sicut panis qui a matre comeditur, in lac in matre conver-

titur, ut puer illo fruatur, sic Deus quo fruuntur angeli sicuti est, nobis versus est in lac,ut eo possemus frui. Assumpsit enim visibilem formam ut doceret homines,et sic saltem eum cognosceremus. Comedimus ergo eum semper sub aliqua specie, in sacramento altaris, in Scripturis, et in verbo prædicationis et in omnibus modis, quibus modis nobis revelatur. Fruimur etiam in illo pane, quando pane terreno vescimur, ut ei, fortius sustentati, serviamus. Panem istum vocat supersubstantialem quia super omnes substantias est, et *quotidianum* eum vocat Lucas, quia eum quotidie aliquo supradictorum modorum comedimus, hodie vocat præsens tempus. Per istum panem esurimus et sitimus justitiam futuram. Justitia enim præsens est imperfecta, et quasi esuriens, de hac esurie dicitur : Satiabor cum apparuerit gloria tua, et desiderium cœlestis justitiæ, quæ imperfecta est, et iste panis habetur per donum fortitudinis.

Fiat voluntas tua, etc. Istæ tres quæ restant non possunt impleri perfecte nisi in cœlo. Pastus illo pane, petit quod voluntas Dei fiat, *in terra sicut in cœlo*. Duæ sunt voluntates in Deo : una misericordiæ, quæ non est cogens, nec aliquid libero arbitrio aufert, qua omnes homines vult salvos fieri, quod tamen in libera voluntate illorum positum est. Est alia quæ est de effectibus rerum, de qua dicitur : Omnia quæcunque voluit fecit. huic nemo potest resistere, de qua dicitur : Voluntati ejus quis resistet ? hæc providentiæ concordat semper,alia vero, non semper. Si enim velit per misericordiam de aliquo pravo quod sit justus, et conferat ei gratiam suam, et tamen ille per liberum arbitrium contradicat, nec gratiæ Dei consentiat. Hæc voluntas Dei non concordat providentiæ, quia quamvis per dulcedinem gratiam conferat, tamen scit non consensurum. Quæ autem de effectibus est, alia est permittens,alia approbans. Permittens est,quæ efficiat malum quandocunque vult. Approbans autem est, quod faciat bonum quandocunque vult,et utraque est ex justitia. Itaque homines resistunt voluntati misericordiæ,et non resistunt voluntati justitiæ. In Paulo tamen videtur cogens voluntas Dei, sed non est, quia licet sit percussus,tamen voluntas erat libera, ut resisteret si vellet. In cœlo sunt omnes Dei voluntates,et nullus ibi voluntati Dei resistit, sed in terra multi contradicunt voluntati Dei, illi scilicet quæ est ex misericordia. Cum enim vellet pravos etiam salvare, si vellent, tamen ipsi contradicunt operibus huic voluntati. Orat ergo iste, quod sicut voluntas Dei est in omnibus civibus cœli, ita faciat se et alios terrenos tales, qui nullo modo voluntati Dei resistant, quod in nullo perfecte completur nisi in cœlesti vita, et tamen aliquo modo in hac vita completur in sanctis, etsi non per opera, quia nullus sine macula vivere potest.

Sicut in cœlo et in terra. Diversis modis variari potest, ut dicamus, *sicut in cœlo*, id est in Christo, ex quo Dominico homine deitas sedet, et suæ voluntati tanquam ille homo contradixit,ita *in terra*, id est in Ecclesia fiat. Vel *sicut in cœlo*, id est in angelis,ita *et in terra*, id est in hominibus. Vel sicut *in cœlo*, id est in anima justi, ita *in terra*, id est in carne, ut nullo modo caro contradicat Spiritui, sed in eadem voluntate consentiat cum eo. Vel *sicut in cœlo*, id est in sanctis viris, ita *in terra*, id est in peccatoribus. Quod tamen est per spiritum consilii, qui dat nobis consilium bonum, quo illam misericordiam adipisci possumus, ut simus scilicet misericordes. *Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* (*Matth.* v).

Adveniat regnum tuum. Postquam assecutus est illam misericordiam, ut voluntati Dei non resistat, postulat altius donum ut Deum videat, scilicet clare remotis omnibus nebulis phantasmatum, quod non erit perfecte completum nisi in futuro. Et quamvis illa in cœlo non dentur ordine, tamen secundum ordinem dignitatis postulantur, quia quamvis non sint plenarie data,tamen ordine sunt in terra a sanctis recepta. Hæc postulatio sexta est, quia homo in sexta die,id est in perfectione, quæ per senarium signatur ad imaginem Dei factus est (*Gen.* I), quæ imago postea per peccatum corrupta est. Modo in eamdem imaginem se reformari petit perfectam, id est, in eumdem intellectum ut Deum aperte intelligat. Quæ imago regnum Dei dicitur. Videre enim summum bonum,est regnum cœlorum. Reformatio hujus imaginis est idem quod munditia cordis. Unde dicitur : Beati mundo corde (*Matth.* v), etc. Quæ aliquatenus in præsenti habetur. Hæc petitio per spiritum intelligentiæ completur.

Sanctificetur nomen tuum. Hæc est septima petitio, ultra quam nulla habetur, quæ merito sequitur post Dei visionem. Nihil enim valeret Deum videre, nisi delectaretur homo in illa visione. Hæc requies et delectatio præfigurata est in die septima, in qua dicitur Deus requievisse. Unde et dicitur : Sanctificavit Deus diem sabbati (*Gen.* II), quia in futura requie vere sancti erunt fideles. Hæc est illa pax de qua dicitur : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth.* v). Quando enim similes erunt Deo impassibiles, immortales, incorruptibiles,nulla inquietudine moti, sed in æterna pace, in qua est Deus, viventes tunc erunt filii Dei et etiam dii participatione vocati. Quod orat iste : *Sanctificetur nomen tuum* in nobis, ut tu dicaris Pater, et nos filii tui, et etiam dii. Ac si diceret : Sanctitas nostra non erit nostra, sed tua in nobis, et ideo *sanctificetur*, id est, sanctitas tua fiat et appareat in nobis, et tuum sanctum nomen in filiorum appareat dignitate. Hæc petitio completur per spiritum sapientiæ. Differunt sapientia et intelligentia, sicut inter nos possumus videre. Intelligentia enim intra nos est ipsum exercitium investigandi Scripturas. Sapientia vero ipsa delectatio cognitionis, quia jam nihil investigamus, sed quasi omnia scimus, in cognitis delectamur, ita per simile in cœlo intelligere, et ipsum videre, non quod in cœlo sit

labor aliquis. Sapientia vero est in cognitis delectari. A Ita ascendit, ille qui est in terra ad cœlum, et hoc ordine complentur petitiones istæ septem. Modo eas legamus secundum hoc quod descendendo sunt ordinatæ. Quia ille qui petit, vocaverat eum Patrem in cœlis regnantem, petitionem illam præmisit quæ Patri illi vicinior est, de pace illa qua homines filii Dei efficiuntur, quasi diceret :

Pater noster qui es in cœlis, da ut tuum nomen sanctifieetur in nobis, id est, ut in cœlo tecum maneamus, et filii tui efficiamur. Quam delectationem, quia nisi adveniat regnum tuum non possumus habere, id est, nisi reformes in nobis imaginem quæ corrupta est. *Ideo adveniat regnum tuum.* Quæ imago et immunditia cordis, quia restitui non potest donec voluntati tuæ consentiamus, *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra.* B Et quia voluntati Dei obedire non possumus per omnia, nisi pane corroboremur, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Et quia corpore Christi digni sumus, quandiu peccatis fœdamur, ideo *dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Ut autem peccata nostra intelligamus, et deplorare valeamus, orandum est nobis, ne tentationes inimici nos sibi subdant, et ideo dicendum est :

Et ne inducas in tentationem. Quibus tentationibus resistere non possumus, nisi terrena abdicemus : ideo potendum est.

Sed libera nos a malo. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, etc. Qui quamdam conditionem posuerat quæ gravis erat, scilicet, *Dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, C ut ad eam nos invitet, eam nobis commendat, dicens eam quasi medicinam peccatorum nostrorum, ut si condonare volumus aliis sua peccata, quæ nobis fecerunt, et Deus nostra nobis condonabit. Sin autem, nec ipse nostra. Nota quod dicit hominibus et non dicit nos homines, quia filii quibus condonandum est, sunt peccatores.

Cum autem jejunatis, nolite fieri, etc. Dixerat de eleemosyna et oratione quod si humani favoris appetitu afficeretur, etc. Similiter modo admonet de jejunio. Non prohibet tristitiam pœnitentiæ quia *cor contritum et humiliatum Deus non despiciet Psal.* L), sed tristitiam per hypocrisim. Si enim lupus induit pellem ovis, non tamen ideo ovis sua pelle debet privari. Exterminant, id est destruunt D per pallorem ac maceriem faciei suæ.

Exterminant enim facies suas, etc. Ab exsulibus sumptum est, id est, extra terminum aliorum vere pœnitentium faciunt pallere et macrescere facies suas, sed hac intentione, ut appareant hominibus justi.

Tu autem cum jejunas unge caput tuum et faciem tuam, etc. Docuit quod non est faciendum, modo docet quod est faciendum. *Unge caput tuum.* Convivatores, ut dicit Horatius, solent ungere facies suas. Et mos Palæstinorum erat ungere caput, et faciem lavare in festivis diebus, ut dierum lætitiam repræsentarent, et oleo solent fovere carnem et hilarem facere. Non est ergo credendum, Deum præcepisse jejunantibus, quod est luxurantium et amantium, sed metaphorice locutus est. Falsi igitur sunt illi molesti expositores, in utroque vehementes, qui nihil volunt in Veteri Testamento accipere ad litteram, et nihil allegorice in Novo. Hic notantur duo jejunia, aliud gaudii, aliud tristitiæ. Jejunium tristitiæ propter peccata, jejunium gaudii est, quando contemplativus in Deo cogitando adeo delectatur, quod temporalium etiam esus obliviscitur. Præcipit ergo.

Cum jejunaveris, lava faciem tuam. Id est, conscientiam tuam, in qua Deus te cognoscit jejunando propter peccata. Vel unge oleo Spiritus sancti caput tuum, id est, mentem tuam, delectando in Deo et gaudendo. Præposterus ordo ibi est. Ideo lava faciem, unge caput, ne cum jejunaveris, ad laudem hominum jejunare videaris. *Qui est in abscondito*, id est, in æternitate sua invisibilis. *Videt in abscondito*, id est in conscientia.

Nolite thesaurizare vobis thesauros, etc. Dixi quia neque eleemosynam, neque orationem, neque jejunium, propter laudem hominum faciatis vel terrenam. Et quid dicerem per singula ? Jubeo ut nihil propter temporalia velitis facere. Et hoc est : *Nolite thesaurizare*, id est, congregare et facere thesauros vestros in terra, id est in terrenis, *Ubi ærugo et tinea demolitur, et fures effodiunt et furantur.* Tria ponit secundum tres diversitates divitiarum. Metalla ærugine, vestes a tinea demoliuntur. Sunt alia quæ neque æruginem nec tineam timent, sicut lapides pretiosi, et ideo ponit generale detrimentum, scilicet fures, qui omnes divitias rapere possunt. Potest etiam prohibitio non solum de pecunia, sed etiam de omnibus terrenis intelligi. Quisquis enim amorem suum in aliqua terrena applicat, in terra thesaurizat, et si aliquid sicut gulam vel libidinem, vel aliquid terrenum diligit, vel si bonum mala intentione faciat, iste thesaurum in terra ponit, et illa ærugo et tinea demolitur. Ærugo obfuscat, et comedit et videtur. Tinea vero comedit, sed non videtur. Ærugo igitur significat carnalia peccata quæ videntur. Tinea spiritualia animæ, quæ non videntur, sicut est ira, invidia, fures, dæmones. Ærugo comedit thesaurum temporalium et tinea, dum ex amore gulæ, vel inanis gloriæ, rubigo luxuriæ nascitur, et dormitionis, et aliarum voluptatum, quæ illum gulæ amorem obfuscant, et dum ex inani gloria nascitur, invidiæ tinea, et timor et cura quæ consumunt illam gloriam. Si autem, ut diximus, propter laudem faciunt bona, illa fures, id est dæmones, auferunt. Probat quod neque jejunium, neque eleemosyna sub hypocrisi facta aliquid proficiant. In cœlo vero nulla sunt istorum. *Ubi enim est thesaurus*, etc. Ideo non debes in terra thesaurizare, sed in cœlo : quia quidquid est quod potissimum est illi servis, in illa cor tuum infigis, id est, intentionem tuam. Si cor est in cœlo, mundum est, quia munda sunt cœlestia,

Si autem in terra volutatur, quomodo mundum est? quoniam sordescit res dignior, dum inferiori miscetur, sicut aurum argento. *Lucerna*, etc. Superius insinuavit, quod nulla bona mala intentione debent fieri, et hoc in proximo ubi dixit: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum.* Quod ita probatur. Ideo pura intentione omnia debetis facere, quia oculus tuus, id est, bona intentio, est lucerna, id est illuminatio corporis tui, id est congeriei bonarum actionum. *Si enim oculus tuus*, etc. Determinat quomodo oculus est lucerna, scilicet si simplex est intentio, id est pura, non duplex, id est partim propter temporalia, partim propter cœlestia, totum corpus lucidum est, id est, tota actio erit bona. Non tamen intelligendum est de malis, si bona intentione fiant, quod, ideo bona sint. Nullum enim per se malum bonum potest esse, etiamsi bona intentione fiat. Furtum enim facere, ut darem pauperibus, non esset bonum. Sed quædam sunt quæ indifferentia existunt, quæ possunt flecti ad bona per intentionem, et ad mala. Sicut levare lapidem ut ponam in ædificio templi, et levare lapidem ut feriam hominem, et si dum bonum facio bona intentione, malum tamen inde contingat alicui, non est imputandum mihi pro peccato, sicut si dum levo lapidem in ædificium ecclesiæ, lapis super hominem caderet et eum interficeret. Sed bona, si mala intentione fiunt, mala sunt: sicut si jejuno propter laudem. Unde sequitur. *Si oculus*, id est, intentio est nequam, id est, prava, et totum corpus, id est tota actio est mala. *Si ergo*, etc. Et quandoquidem propter malam intentionem bona fiunt mala, ergo mala, per se facta mala intentione quanta erunt? Et hoc est: *Ergo si lumen*, id est intentio quæ debet esse lumen operum, *quod in te est*, id est, in tua manu, *tenebræ sunt*, id est, prava et mala per se mala intentione facta, tenebræ quantæ erunt, postquam malæ intentioni unitæ erunt? Vel aliter: Lumen est intentio dicta, quia nota est illi qui intendit. Exitus vero rei, quia incertus est, tenebræ dicitur. Ille enim qui intendit, licet cognoscat quid intendat, nescit tamen quid de facto eveniat, sive bonum sive malum. Ut cum alicui aliquid do vel ago, nescio utrum bono cedat illi an malo. Dicit ergo: Si intentio qua facis quæ tibi nota est, appetitu temporalium sordidatur, quanto magis ipsum factum, cujus exitus dubium est? Quod etsi bene cedat alicui, quod non bona intentione facis, nihil tibi prodest, quia quomodo feceris tibi imputatur, non quomodo illi evenit.

Non potestis duobus dominis rervire, etc. Adhuc diceret ille vel aliquis: Si propter intentionem temporalium bona sunt mala, ego etiam faciam bona, et propter Ecclesiam et propter temporalia. Ad hoc Dominus ait: *Non potestis duobus dominis servire.* Videlicet contrariis quasi uni Domino. Per hos duos dominos intelligitur Deus et diabolus. *Aut enim unum*, etc. Reddit causam quare diabolum, qui aut odio habebit unum, id est, diabolum quem natura- A liter homo habet odio, et alterum diliget, id est, Deum. Aut unum sustinebit, id est, diabolum. Non dicit, aut diabolum diliget, nullus est enim adeo nequam qui diabolum diligat, sed aliquid diligit propter quod imperium ejus patitur. Sicut si aliquis diligeret ancillam alicujus nequissimi, et propter eam sustineret imperium pravi domini. Non dicit odit, sed contemnit. Nullus enim naturaliter odit Deum, sed propter voluntatem ejus præcepta contemnit. *Non potestis*, etc. Exponit qui sunt duo domini. Mammona Syriaca lingua sunt divitiæ. Per divitias intelligimus diabolum, qui præest divitiis, non quod possit eas dare, nisi quantum Deus permittit, sed quia per eas hominem fallit.

Ideo dico vobis: *Ne solliciti sitis*, etc. Et quia non B potestis Deo servire et mammonæ, ideo nolite esse solliciti de divitiis temporalibus causa victus et vestitus. Duæ enim sunt sollicitudines, alia est rerum, alia ex vitio hominum. Ex rebus ipsis oritur sollicitudo, quia panem habere non possumus nisi seminemus, laboremus, et similia. Hanc sollicitudinem non prohibet, quia Dominus ait: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo* (*Gen.* III). Conceditur ergo nobis providentia et labor. Sed est quædam sollicitudo ex vitio hominum superflua, quando ipsi desperantes de bonitate Dei frumentum plusquam est necessarium, et pecuniam reservant, et dimissis spiritualibus illis intenti sunt. Hoc prohibetur hic dum dicitnr: *Non sitis animæ vestræ, solliciti*, id est vitæ vestræ, scilicet cibo vestro per quem vita servatur, etc.

C *Nonne anima plus est*, etc. Vere non debetis esse solliciti ultra modum, quia qui dedit majus, scilicet vitam, dabit minus, scilicet escam. *Respicite volatilia cœli*, etc. Simile est a minori. Si Deus providet avibus, multo magis hominibus. *Nonne vos pluris estis*, etc. Hic est comparativus pro positivo. *Quis autem*, etc. Ita construe, ut melius videas. Et de *vestimento quid solliciti estis*? Quod ad corpus pertinet, pro nihilo: quia totum corpus in meo opere est, itaque nullus vestrum potest addere aliquid, et hoc est: *Quis autem vestrum*, etc. Etsi in corpore nihil addere potestis, sed solus Deus totum facit, tunc nolite solliciti esse pro indumento corporis, quia qui corpus fecit vestiet corpus, mediante tamen providentia hominum postquam operatur, et dat quando vult, et quando non vult, et quantum vult.
D *Considerate lilia agri*, etc. Iterum alia similitudo, scilicet de indumento. Prior enim fuit de cibo, lilia induta sunt coloribus suis. Clibanum vocat furnum gentes quæ de Deo non habent notitiam, nec in eo confidunt, nec de futuris cogitant, ista si procurent, non est mirandum. *Quærite ergo*, etc. De temporalibus non debetis esse solliciti, sed de cœlestibus. Et hoc est, quærite regnum Dei sicut principale, sicut illud quod finis est ad quem tenditur. Quærite, dico, et hoc primum, id est præponite cæteris rebus regnum Dei, et quærite justitiam non pharisæorum, sed ejus, id est regni Dei, quia alia non regit ad regnum Dei, vel ejus Dei, id est, quam Deus dat:

Dixit primum *quærite regnum Dei*, et non postea subinfert temporalia quærenda esse, sed ait :*Adjicientur vobis.* Quia, ut ait, scit pater vester, quia omnibus his indigetis, et ideo ipse sponte adjiciet. Nota quod dicit adjicientur,id est superapponentur, quia non sunt munus principale, sed superadditamentum. Non tamen prohibet ista peti, sicut illa quæ necessaria sunt, et ipse necessaria dixit, ubi ait : quia Pater vester scit, quia his indigetis, sed ne petantur ut principalia, sed ut viaticum, quo sustentantur homines in via. *Nolite ergo*, etc. Prohibuerat sollicitudinem præsentium rerum temporalium,modo prohibet sollicitudinem ex vitio hominum provenientem,non ex rebus.Sed si quis abbas providens sibi et monachis suis colligeret annonam ad annum præsentem sufficientem hoc esset providentia,non sollicitudo vana.Sed si esset timens vel desperans de bonitate Dei,et ideo ad usum reliquorum annorum vellet eam reservare, hæc esset vana sollicitudo, et hoc esset cogitare de crastino. Præsentem enim diem vocat, scilicet hoc tempus,quod providentia nostra debet observare.Non metimus in anno nisi semel, et ideo quantum ad messes unus annus est, quasi præsens tempus. Crastinum enim tempus est annus alius, et ita in aliis secundum qualitatem rerum. Et quod providentiam nobis non negat ipse ostendit, quibus loculos qui se et discipulos pasceret habuit et Judæ tradidit.

Crastinus enim dies, etc. Duos dies sunt, dies Adæ, et dies Domini, de quo ait David : *Hæc dies quam fecit Dominus* (*Psal.* CXVII). Dies Adæ plena est miseriis. Post peccatum enim in miseria et labore positus est. Unde dictum est Adæ : *In sudore vultus tui vesceris pane tuo* (*Gen.* III). Dicitur ergo pro nihilo tu haberes sollicitudinem vanam de futuro, quia certe futurum tempus ex se satis afferet sollicitudinem et laborem,et hoc est,crastinus dies sollicitus erit sibi, et ipse afferet sollicitudinem suam secum.*Sufficit diei*, etc.Pro nihilo superadderes tuam sollicitudinem ex tuo vitio, sollicitudini rerum, et ita cum malitia, id est labor et angustia temporis satis sufficiet diei, non oportet ut ex tua parte superaddas. Isti diei Adæ maledixit Job.*Maledictus dies in qua natus sum* (*Job.* III), et Jeremias : *Maledictus vir* (*Jer.* XI),etc. Vellent enim sancti hanc miseriam non esse, et nihil est maledicere eorum, nisi velle non esse.

CAPUT VII.

Nolite judicare, etc.Removit sollicitudinem,modo removet etiam illud quod sequitur ex sollicitudine, scilicet temeraria judicia. Qui enim diligit terrena, facile habet suspiciones malas de factis aliorum. Inde invidiæ, detractiones, odia, temeraria judicia oriuntur. Qui enim diligunt mundum, si viderint aliquem justum nummos ad utilitatem suam reservare, avarum vocant, hypocritam appellant,et a se abjiciunt, quia de conscientia sua alios judicant. Illa temeraria judicia prohibet Dominus.Et notandum quod non agit hic de temerariis judiciis, nisi

A quæ fiunt a paribus,non a prælatis.Sunt enim quædam judicia quæ in Ecclesia conceduntur, quando scilicet vicarius Christi, id est prælatus, aliquem vice Christi judicat, sed confessum vel convictum, quia aliter esset temerarium judicium. Si autem aliquis judicat fratrem suum, sive convictum sive peccatorem, manifestum temerarium judicium est. Non aufertur correctio fratri in fratrem, sed judicium. Hoc judicare est, quando nec loquitur cum eo nec comedit, imo alios a consortio ejus subtrahit.

Continuatio. Et per hoc : *Nolite judicare* temere fratrem, quia forsitan cras bonus erit. Vel ita forsitan pejor vel es, vel eris, vel similis : et propterea non est tuum, *et non judicabimini.* Propterea,id est
B propter temerarium judicium,non damnabimini in futuro, quia certe judicabimini id est damnabimini in eo judicio, id est propter illud judicium,propter quod judicabitis eum temerarie. *Et in qua mensura*, etc.Id est secundum mensuram culpæ erit mensura pœnæ vestræ. Secundum hoc enim quod magis temerarie et gravius judicabitis fratrem, secundum eamdem mensuram pœnæ qualitas sibi in inferno mensurabitur. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui*, etc. Ecce agit de correctione. Judicium omnino abstulit paribus,non prælatis.Correctionem autem annuit, sed mundis tantum.Si enim immundus corrigit,non amore correctionis facit,sed amore invidiæ, vel hypocrisis ut justus videatur. Si enim amorem correctionis haberet, certe in se prius vitia
C mundaret, et postea in fratre. Et tunc cum lenitate et dilectione et pura intentione justitiæ.Quoniam in omni re est gradus, prius videat ne sint in eo peccata, et tunc mittat in alium lapidem,deinde ne foveat peccatum alterius adulando. Tertio, ne sit negligens de peccato alterius, quin corrigat eum,quia aliter consentire esset. Unde Ambrosius :«Consentire est non redarguere cum posses. » Non solum debes cessare a temerario judicio, sed etiam ab illicita correctione, hoc est : *Quid autem vides festucam*, id est notas festucam, id est leve peccatum de sæcularibus obstans oculo, id est menti fratris tui ; *et non vides*, id est notas trabem in oculo tuo,id est adulterium in conscientia tua.Et non solum notas, sed etiam *dicis*, id est corrigis eum dicendo :
D *Sine*, etc. Hic datur licentia corrigendi,sed mundis tantum. *Nolite*,etc.Correctionem permitto omnibus, ut communem, sed profunda Dei mysteria non omnibus dare jubeo, imo prohibeo dare sanctum canibus,id est hæreticis oblatrantibus et dilacerantibus, et porcis, id est in luto vitiorum viventibus, et verbum Domini vilipendentibus. Non enim de corpore et sanguine Domini agendum est cum hæreticis dilacerantibus,et porcis, id est meretricibus et ebriosis, et quibuslibet laicis contemnentibus, vel etiam clericis vilipendentibus exponendum est.Sanctum dicitur illa Scriptura, quæ inviolabilis est et inexpugnabilis est et sancita. Margaritæ dicuntur lapides inventi in conchis, qui politi pretiosi sunt,

Similiter allegoriæ de concha figurarum sumptæ et bene politæ pretiosæ sunt. *Ne forte*, etc. Per simile dicitur qnasi vilificent,et ne canes ab illo sancto recipiendo conversi, disrumpant.Non dico illud sanetum quod inviolabile est in natura sui, sed vos rumpant clamore. *Petite*, etc. Dicent aliqui : Quomodo tot et tanta poterimus observare. Respondet Christus : *Petite* a Deo facultatem bene operandi : *Quærite* ubi sit hoc quod vultis,et eo invento, postea *pulsate et aperietur vobis*. Duo sunt quæ sunt necessaria homini, operatio et intelligentia, et prius oportet nos operari, quam perfecte intelligamus. Unde David : *Annuntiaverunt opera Dei* (*Psal.* LXIII), et postea intellexerunt, et ideo præcipitur prius petere operationem.Duo subdit quæ pertinent ad intelligentiam, ut prius quærant in qua auctoritate sit quod investigant, et inventa auctoritate,si non intelligant pulsent et investigent,et Deus aperiet eis. Faciant ad modum infirmi, qui prius quærit vires ut eat, deinde viam qua eat, et tandem cum illuc venerit, ut aperiatur pulsat. *Aut quis ex vobis*, etc. Dixi, vobis, sine determinatione, *omnis qui petit*, etc. Hoc ut melius credatis audite : Si patres carnales dant bona filiis,multo magis Pater cœlestis.Duo ponit, panem et piscem, Lucas tertium, ovum, scilicet. Panis qui est communis cibus, charitatem significat, sine qua aliæ virtutes in nobis non valent. Piscis,fidem,quæ ex aqua baptismatis orta est,et in mediis fluctibus hujus mundi pulsatur,et tamen vivit. Ovum quidem quod est spes animalis,sed mundum animal,spem designat. Contra charitatem ponit lapidem, id est odii duritiam. Contra fidem serpentem ponit, id est perfidiæ venenum. Contra ovum, id est spem, scorpionem ponit, id est desperationem, quæ retro pungit, sicut scorpius. Cum enim spes in anteriora se extendat, desperatio retro aspicit.

Omnia ergo quæcunque vultis ut faciant vobis homines, etc. Dabit spiritum bonum, et dato spiritu, procedent inde virtutes omnes. Sed cum deberet virtutes ponere omnes, ponit dilectionem proximi, quia ipsa est adimpletio legis.Qui enim habet dilectionem proximi,pervenit ad dilectionem Dei, et qui iterum habet dilectionem proximi, habet dilectionem sui.Præcipitur enim homini diligere proximum sicut seipsum.Se autem diligere non potest in malo, cum scriptum sit : *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam* (*Psal.* X). Si ergo pari amore jubetur proximum diligere,cum se in malo non diligat, nec proximum in malo potest diligere.Qui igitur habet dilectionem proximi,nullum malum operatur, neque in se,neque in proximum,neque etiam in Deum. Unde Apostolus : *Dilectio proximi malum non operatur* (*Rom.* XIII). Ecce prohibitiones malorum, quæ in lege sunt, in dilectione proximi complentur. Ex dilectione similiter Dei erga Deum et erga proximum bene agit. Sic ergo dilectio Dei et proximi est impletio legis. Ad hanc ergo accepto spiritu homines invitat,quasi dicat:Quando quidem dat spiritum bonum,ergo petite illum, et illo impetrato, studete in dilectione proximi. Et hoc est : *Omnia quæcunque vultis*, etc. Si vultis bene fieri vobis, benefacite aliis. Si vultis corrigi, corrigite et alios. *Hæc est enim lex*, id est impletio legis, *et Prophetæ*, id est impletio prophetarum. Per legem et prophetas moralitatem librorum Moysi et prophetarum accepit.

Intrate per angustam portam, etc. Quasi dicat : Dura videntur vobis quæ præcipio et angusta, sed per hanc duritiam et angustiam intrandum est vobis ad vitam,et vere per angustam portam,quia non per latam viam, per latam enim viam intratur ad mortem,et hoc est quod dicit. Porta vero quæ ducit ad vitam, non solum est angusta, sed etiam arcta, quia per labores et jejunia panditur.Considerandum est quod competenter de utraque via locutus est. Per latam multi ambulant, angustam pauci inveniunt, latam non quæramus, nec investigatione opus est, sponte se offert erranti in via: angustam vere nec omnes inveniunt, nec qui inveniunt, statim ingrediuntur per eam. Multi enim, inventa veritatis via, capti sæculi voluptatibus, de medio itinere revertuntur.

Attendite a falsis prophetis, etc. Pauci inveniunt, et hoc faciunt multa impedimenta, quorum tria ponit, scilicet hæreticos, qui sub specie religionis serunt errores. Aliud impedimentum ponit, scilicet falsos fratres, qui bene loquuntur,sed male vivunt, et moribus suis alios corrumpunt. Tertium ponit, scilicet quosdam a quibus vix possunt sibi homines cavere, qui in nomine Domini prædicant, et miracula in nomine Domini faciunt.Sunt et alia impedimenta, sed ista ponit, quia in his major diligentia est adhibenda.

Continuatio. Et quia pauci sunt qui inveniunt, et multi qui impediunt,cavete vobis ab impedimentis, et inter alia attendite, id est diligenter cavete ab hæreticis,non dico manifestis, quia illud facile est, sed qui sunt propbetæ,id est prædicatores, scilicet falsi et occulti,quia veniunt in vestimentis, id est in jejuniis et orationibus et aliis operibus ovium, id est, fidelium, etc. *A fructibus*, etc. Si non ab omnibus, saltem ab aliquibus cognoscetis eos. *Nunquid*, etc. Spinæ et tribuli sunt hæretici, qui lacerant et pungunt mentes hominum. Uva est fervor dilectionis, ficus dulcedo bonæ conversationis. Sicut ergo de spinis non nascuntur uvæ neque de tribulis ficus, sic nec hæretici fervent in dilectione, nec student in bona operatione. *Sic omnis arbor*, etc. Quæritur quo modo dicat de bona arbore non procedere fructum malum, cum David qui bonus erat, peccasse in adulterio et homicidio legatur, et similia? Sed hic per malam arborem mala voluntas,per bonam arborem bona voluntas intelligitur.De mala ergo voluntate nunquam bona actio procedit,neque bona voluntas malam actionem generat.Sed ut melius possimus exsequi litteram quæ exsequitur. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur*,

et in ignem mittetur, quod non potest proprie de bona voluntate legi. Ideo per bonam arborem non solum bona voluntas, sed et homo habens bonam voluntatem ; et per malam arborem, homo habens malam voluntatem debet intelligi.

Non omnis, etc. Posuit unum impedimentum ad viam vitæ, hæreticos, ecce quomodo et aliud ostendit, scilicet fratres falsos, qui verbo Deum profitentur, factis autem negant, et pendet ex superiori ita. Ideo dico quod *a fructibus cognoscetis eos*, quia in verbis non semper cognoscuntur homines, quia *non omnis qui dicit mihi*, etc. Huic videtur contrarium quod dicitur : *Omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit* (*Act.* II). Et illud nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto. Sed illud invocare, atque illud dicere non verbotenus accipiendum est, sed ponderiosius intelligendum, juxta illud Psalmistæ : *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate* (*Psal.* CXLIV). Vere invocat Dominum, qui facit se idoneum servum. Similiter non potest vere dicere : Jesus est Dominus meus, nisi sit ipse servus ejus idoneus. Cum autem ait : *Non omnis qui dicit mihi : Domine, Domine*, intrabit *in regnum cœlorum*, dicere verbotenus accipitur.

Multi dicent, etc. Ponit et tertium impedimentum, scilicet falsos alios fratres, qui prædicant bene, et etiam invocatione nominis Domini miracula faciunt a quibus similiter cavendum est, quia in re ostenditur, dæmonia ejicere, et alias virtutes facere, interdum non esse meriti illius qui operatur, sed invocationis nominis Domini ad facientis damnationem, et ad videntium utilitatem, ut licet contemnatur invocas, tamen glorificetur Deus, qui talia operatur. Et quod falsi quidam fratres in nomine Domini prophetant et miracula faciunt, professionem illorum comprobat, quam in ultimo judicio facient, in quo mentiri non poterunt, et hoc est, *multi dicent mihi in illa die*, id est in die judicii, quam non oportet determinari, quia satis est famosa et nota, etc. *Et tunc confitebor quia non novi vos*, id est non approbavi vos, in hoc quod falsi fratres erant.

Discedite a me qui operamini iniquitatem. Non dicit qui operati estis, quia licet modo non habeant facultatem peccandi, tamen adhuc peccare vellent, si adhuc viverent. *Omnis ergo qui audit*, etc. Positurus Dominus finem sermoni suo, commendat illum dando sententiam super observatores et contemptores.

Continuatio. Quando quidem illi qui operantur iniquitatem a Deo discedant, facite ea quæ præcepi, *quia omnis qui audit verba mea et facit, assimilabitur viro forti*, etc. In primis Christus ille homo sapiens qui ædificavit Ecclesiam suam supra petram, id est super semetipsum, et tunc omnia genera tentationum impulerunt eam, nec tamen cecidit. Pluvia quæ paulatim crescit, est carnalis concupiscentia, vel levior tentatio diaboli. Flumina sunt impiorum persecutiones. Venti sunt majores dæmonum impugnationes. Huic potest comparari, ut diximus, *qui* A *audit verba Dei et facit ea*, quia domum suam, id est collectionem virtutum ædificavit supra petram, id est Christum, quia nulla persecutione destrui potest, cætera non mutantur. *Et omnis*, etc. ponit sententiam super contemptores, contrariam superiori dicens : *Omnis qui audit et non facit, similis est stulto, qui domum suam*, id est, summum bonum, in alia arena, id est in temporalibus, quæ instabilia et infructuosa sunt ædificavit, quod bonum persecutiones, auferunt in præsenti, et in futuro erit magna ruina, quando dicitur : *Ite maledicti*, etc.

Et factum est, etc. Duobus modis potest iste versus intelligi. Si enim dicamus esse eumdem sermonem, quem Matthæus et Lucas referunt, tunc evidens est littera : quod cum consummasset Jesus hæc B verba, admiratæ sunt turbæ, quæ tunc huic sermoni interfuisse non ambiguntur. Si autem duo sermones esse dicuntur, tunc intelligendum est prius ad solos discipulos Jesum in cacumine montis sermonem habuisse ; postea ad locum campestrem, qui erat in latere montis descendisse, et ibi eumdem sermonem populo recapitulasse, quædam tamen nova intermiscendo, et quædam jam dicta prætermittendo, quem ultimum Matthæus prætermittit, et tamen quodam modo innuit cum dicit : *Cum consummasset verba hæc*, etc., quasi diceret : Cum hæc discipulis semel protulisset, et eadem repetendo in secundo sermone consummasset, quæ consummatio in loco campestri facta est, etc. *Erat enim docens eos sicut potestatem habens*, etc. Scribæ et Pharisæi tantummodo infirma et rudibus Moyse data prædica- C bant, Christus vero docebat perfecta mandata sicut potestatem habens addendi quæ volebat, et commutandi figuras in spiritualem intellectum.

CAPUT VIII.

Cum autem de monte, etc. Cum Christus consummasset sermonem, voluit confirmare miraculis prædicationem, juxta hoc quod alibi dicitur : *Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis* (*Marc.* XVI). Matthæus etiam ad confirmationem sermonis inter miracula multa signa annumerat, quæ tamen ante sermonem facta sunt. Unde et conversionem suam Matthæus inter miracula refert, quem ante sermonem non dubitatur fuisse, cum ipse in monte cum aliis discipulis in apostolum or- D dinatus sit. De curatione leprosi dissentiunt Lucas et Matthæus. Matthæus enim hanc ante introitum in Capharnaum narrat. Lucas vero post introitum. Sed Matthæus præcipue videtur historiam sequi, cum dicat. Et ecce. Lucas non curans ordinem, hoc miraculum inter cæteras virtutes annumerat, dicit ergo. *Cum descendisset de monte*, id est de loco campestri, qui erat in latere montis, *secutæ sunt eum turbæ multæ.* Multi sequebantur diversis de causis, alii propter insidias ut Pharisæi, alii propter charitatem, alii propter doctrinam ejus audiendam, alii propter admirationem miraculorum, alii propter curationem, quia ægroti erant. *Et ecce*, in proximo, *leprosus veniens*,

tam passibus bonæ devotionis quam passibus corporis, *eum adorabat*, id est humili flagitatione venerabatur dicens, hoc est mentis devotionem et vultus humilitatem ostendens, exterius per oris confessionem : *Domine, si vis, potes me mundare*, quia eum Dominum vocat ad se curandum potentem non dubitat. Dum vero *si vis* subjungit, quodammodo de voluntate et misericordia ejus diffidit. Non diffidit quid de misericordia quantum ad eum qui adorabat sed potius quantum ad seipsum, qui se indignum misericordia esse judicabat, unde Augustinus : « Ostendens vulnus, remedium postulat, et ipsa confessio religionis et fidei plena est. » *Si vis*, inquit, *potes me mundare*. Voluntati Dei attribuit potestatem. De voluntate autem Domini non quasi incredulus pietatis dubitavit, sed quasi colluvionis suæ conscius non præsumpsit curare. Venit ergo ad eum, antequam peteret, adorare cœpit, antequam rogaret culturam ostendit. Venit credendo, adorat colendo, dicit confitendo : *Domine*, etc. Dominum cognoscit vere, cujus voluntatem, potentiam, sequi confitetur cum dicat *Si vis, potes. Et extendens manum, tetigit eum*, etc. Cum lex prohibeat tangere leprosum, ipse solvit legem, ut Dominum se legis ostendat, qui eam facit et solvere potest. Erat enim in lege permissio, non præceptum, propter humanam fragilitatem non tangere leprosum, et est figura, ne aliquis communicaret alienis peccatis. Ille qui perfectionem humilitatis et misericordiæ docet, destruit permissionem, et docet perfectionem, ne horreamus in paupere infirmam carnem. Tetigit etiam propter aliam causam, ut humilitatem videlicet demonstraret, et doceret nullum esse spernendum propter quamlibet corporis læsionem quæ a Deo immittitur. Cum extendit manum significat se affectum misericordiæ in eum habere. Cum tangit, significat se affectum per operationem complere, et quod factis ostenderat, verbis manifestius postea declarat, cum dicat : *Volo, mundare*. Per *volo* notatur misericordia, quam per extensionem manus significaverat, cum dicit, *mundare*, notatur actus misericordiæ, quod postea figuratum est per tactum lepræ.

Et confestim, etc. Nihil medium est inter opus divinum et ejus præceptum, quia in præcepto est opus Dei qui *dixit et facta sunt*. Et ait illi Jesus : *Vide nemini*, etc. Marcus dicit, *at ille cœpit prædicare et diffamare*. Quare præcipitur nemini dicere, cum revera sciret illud miraculum ab eo manifestandum esse, nisi propterea ut doceret non vulganda esse nostra beneficia, sed potius premenda, ut non solum a mercede pecuniæ abstineamus, sed etiam gratiæ, ergo non propter se, sed propter nos prohibuit. Diversis de causis mittit ad sacerdotem leprosum, videlicet propter humilitatem, ut ille deferat honorem cui lex jubet mundatos munera deferre, ut etiam videntes credant ei, vel si non credant inexcusabiles sint, et ne etiam legem frangere videretur, et ut etiam sacerdotes intelligerent non legis ordine, sed Dei gratia supra legem illum curatum esse. Offerre autem sacrificium præcipit, ut ostenderet quod non legem solveret, sed impleret, qui secundum legem gradiens, supra legem eos sanaret, quos remedia legis non sanaverant. Quod si aliquem movet quomodo Dominus Mosaicum videtur approbare sacrificium cum id non receperit Ecclesia, meminisse debet mundum cœpisse sacrificium Sanctum sanctorum, quod Christi corpus est. Christus enim nondum passus erat, et umbram oportebat tenere, donec veritas veniret sacrificii : *In testimonium illis*. Quasi dicat : ideo præcepit Moyses offerre munus leprosi, ut essent in testimonium curationis leprosi illis sacerdotibus, quorum erat leprosos a templo ejicere, et sanatos recipere. In testimonium etiam erat eis, ut per ipsa scilicet munera legale sacerdotium esse venerandum testificaretur, cum per ipsum leprosi et alii tam mirabiliter sanarentur. Vel aliter : *In testimonium illis*, ut scilicet ipsa curatio et ipsa munera figuraliter oblata, aliam curationem aliamque oblationem testificarentur. Typice quod descensio illius de monte incarnationem illius significet, quia semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. Et post hæc secutæ sunt eum turbæ multæ, quia postquam Verbum caro factum est et habitavit in nobis (*Joan.* I), qui tantum in Judæa ante notus erat, et in uno populo nomen illius magnum habebatur, per hoc admirabilis est factus in universa terra. Leprosus, genus humanum designat ; lepra, peccata fœdantia. Qui ad Jesum venit credendo adorat colendo, dicit confitendo : *Domine, si vis, potes me mundare*. Extendit manum suam, id est auxilium suum. Dum ad homines venit ; tangit lepram dum carnis nostræ infirmitatem suscipit, et nos a peccatis mundat. Cum dicit : *Vade, ostende te sacerdoti*, officium Ecclesiæ ministrorum innuit, per quorum ministarium debent homines mundari, et a peccatis absolvi.

Cum autem introiisset Capharnaum, etc. Lucas refert quod centurio non venit ad eum, sed misit seniores Judæorum ad eum, quia gentilis per se impetrare diffidebat, et ideo dixerunt seniores, Multa bona fecit nostræ genti, et synagogam nobis constituit ; sed Matthæus dicit per fidem eum accessisse. Itaque centurio accessit passibus fidei, rogat per internuntios dicens : *Domine, puer meus*, etc. Multi in illo tempore rogabant pro diversis infirmitatibus, alius pro filio, alius pro alio aliquo, et nullus pro servo, nisi iste solus, et hoc ei ad augmentum beatitudinis, et ad coronam gloriæ erat, quod pro servo tam humiliter Dominum interpellat dicens : *Domine*, etc. Singulas miserias servi ita diligenter exprimit, scilicet *jacet*, cujus rei assiduitas gravat hominem infirmum, *in domo*, ubi assidue eum video, *paralyticus*, id est membris dissolutus, *et male torquetur*, acuta passione infirmitatis, ut Christum ad passionem commoveat.

Moralitas. Sic debent homines qui famulos habent et famulas, cogitare, sic misereri, sic condolere eis, sic supplicare, sic curam habere de servis

suis vel ancillis, sicut ille beatus centurio fecit. Et ait illi Jesus : *Ego veniam*, etc.

MORALITAS. Ad sanandum reguli filium venire noluit, ne divitias honorasse videretur. Hic ne conditionem sprevisse servilem, ad centurionis famulum mox ire consensit. Hæc promissio impleta fuit, dum per auxilium venit, et corporaliter etiam cœpit venire. *Et respondens*, etc. Hæc responsio, ut ait Lucas, erat per internuntios. Ait enim Lucas : *Jesus autem ibat cum illis, et cum jam non longe essent a domo, misit ad eum centurio amicos, dicens : Domine noli vexari, non enim sum dignus, ut intres sub tectum meum* (*Luc.* VI), et alia quæ sequuntur. Notatur in hac responsione humilitas centurionis, qui se indignum visitatione tanti hospitis recognoscit et ait : *Domine, non sum dignus*, etc. Notatur et magna fides cum supponat : *Sed tantum dic verbo*, etc.

MORALITAS. Credit enim jussione eum omnia posse, nec ejus præsentiam corpoream necessariam esse.

MORALITAS. Similiter accedens ad sacramentum Dominici corporis, dicat unusquisque fidelis humiliando se : *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum.* Ostensa humilitate et fide centurionis, ponit et prudentiam ejus. Respondit enim quasi (antipophoræ) alicujus objicientis, et unde hoc noscis quod omnia verbo Christi obtemperent? Responsio : Quia si mihi subjecti obediunt mihi, tunc omnia tibi subjecta tibi obedient, et hoc est : *Nam ego sum* purus homo, tu Deus ; ego *sub potestate domini*, tu Deus omnium ; *habens sub me milites*, tu angelos vel omnia. *Dico huic, vade, et vadit*, tu huic infirmitati dic, vade, et ibit. *Et alii, veni, et venit*, et tu dic sanitati, veni, et veniet ; *et servo meo, fac hoc, et facit.* Tu dic angelo, sana eum, et sanabit.

Audiens autem Jesus, miratus est, et sequentibus se dixit. Non propter se miratus est qui omnia novit, sed ut nos ad admirationem fidei centurionis invitaret. *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel.* Non de omnibus Patriarchis et prophetis hoc dixit, sed de omnibus præsentis temporis quibus prædicabat, quibus ideo fides centurionis antefertur quia ipsi legis et prophetarum monitis docti erant, hic autem nemine docente in eum credidit, quia nec etiam apostoli erant tantæ fidei eo tempore.

Dico autem. Ostendit significationem hujus figuræ, quod centurio gerit personam omnium gentilium, quasi diceret : ut credatis istum hominem magnæ fidei esse, et populi gentilis convertendi figuram gerere, dico vobis, testor, prædico, quia mali venient ab oriente, et occidente, id est ex omni gente, quæ est sub sole eunte ab oriente in occidentem, et qui venient, sicut sunt illi quibus dictum est, ut *et filii qui dispersi sunt*, congregentur in unum. Vel ab oriente venient hi, qui statim illuminati transeunt ab occidente in orientem, id est qui passiones toleraverunt usque ad mortem pro fide. Venient quidem et recumbent cum Abraham, Isaac et Jacob in regno cœlorum. Recumbent dico, non temporaliter potentes, sed etiam feliciter epulantes ; non carnaliter jacentes, sed spiritualiter quiescentes cum patribus sanctis, qui crediderunt in Filium creatoris. Sequitur : *Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores.* etc. Filii autem regni significant Judæos, in quibus antea regnavit Deus ; *exteriores*, non quod sint extra Deum, qui omnia continet, sed sicut cæcus sub sole extra solem dicitur esse quem non videt, quamvis sol videat eum ; sic positi in pœnis Deum non videbunt, quamvis sit præsens. Fletus qui venit ex affectu mentis, angustiam mentis significat. Stridor dentium angustiam corporis. In membro quo plus peccavit peccator, plus cruciabitur. Et dixit Jesus centurioni : *Vade*, etc. Secundum mensuram fidei dat unicuique ; credebat quod verbo poterat curare etiam absens, verbo curavit. Mystice centurio significat primitias gentium, qui centum militibus stipatus erat, qui fideles gentiles virtutibus tendentes ad cœlestia stipati sunt. Hoc ideo dicitur, quia in sinistra numeratur usque ad nonaginta novem, et centenarius est in dextra, et ideo per hunc numerum virtutes tendentes ad cœlestia designantur. Isti pro aliis orant qui adhuc servi idololatriæ jacent inutiles, dissoluti, et a diabolo vexati ; illic dicit Dominus : Ego veniam per apostolos, et curabo eum a peccatis. Et gentiles dicunt quod non sunt digni, ut in persona sua transeat ad idololatras et ideo sanet eos per verba prædicationis apostolorum, quod ita factum est. *Et cum venisset*, etc. Ista miracula quæ sequuntur, facta sunt ante sermonem Domini in monte, sicut Lucas refert, quod potest videri etiam in vocatione Matthæi, quam ponit inter miracula. Matthæus enim voluit prius ostendere sermonem Novi Testamenti, et ad auctoritatem tanti magistri supponit multa miracula quoquo tempore facta, et tamen convenienter ordinavit. Cum autem descendisset de monte quasi deitatis, prius ostendit per leprosum totum genus humanum sanatum, quod dividit per partes, per gentilem scilicet populum, qui significatur in servo, et per synagogam, quæ significatur per socrum Petri ; et quia major gratia fuit in gentili converso, et majus miraculum, prius narrat de servo, vel quia in fine sæculi synagoga plenarie convertenda est, cum plenitudo gentium subintraverit, non dicit : Et postquam intravit Capharnaum, vel ecce vel tunc vel aliquid simile, quia secundum historiam non continuatur superiori. Domus Petri erat in Bethsaida. Sed quæritur quare secundum significationem synagoga dicitur socrus Petri. Petrus enim fuit doctor circumcisionis, et post ascensionem Christi primitivam Ecclesiam Judæorum ad Christum convertit, quæ fuit quasi uxor Petri. Infidelis vero synagoga, de qua Ecclesia Judæorum carnaliter orta est mater, unde et socrus Petri potest vocari. Quam Dominus tamen in principio partim convertit ad fidem, tunc per apostolos, tunc per alios, ex maxima vero parte in fine sæculi per Heliam et Enoch a morte infidelitatis revocabit.

Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes, etc. Solis occubitus passionem mortemque designat illius qui dixit : *Quandiu in mundo sum, lux sum mundi*, et sole occidente plures dæmoniaci quam ante, et plures sanantur ægroti, et qui temporaliter vivens in carne, paucos Judæorum docuit, calcato mortis regno, omnibus per orbem gentibus fidei dona transmisit, cujus ministris tanquam vitæ lucisque præconibus Psalmista dicit : *Iter facite ei qui ascendit super occasum* (*Psal.* LXVII). Ascendit super occasum, quando in passione occubuit ; majorem resurgendo suam gloriam manifestavit.

Ipse infirmitates nostras, ad litteram secundum præsentem locum, ipse infirmitates nostras, id est leviores infirmitates hominum, sicut febres et similes *accepit*, id est sanando abstulit, et *ægrotationes*, id est diuturnas infirmitates *portavit*, quasi asportavit, id est removit. Secundum mysticum sensum in cruce infirmitates nostras accepit, et ægrotationes nostras, id est diuturnas, portavit, quia passionem et mortem pro minoribus et majoribus peccatis nostris sustinuit.

Videns autem Jesus turbas multas, etc. In crastino post sanationem socrus Petri, ivit Jesus in desertum, ut vitaret turbas ; postea in alio die cum eum illuc secutæ essent turbæ, jussit discipulos ire trans fretum. De illo die quo ivit in desertum, tacet Matthæus, sed alii referunt, et in via dum irent ad mare, contigit de isto scriba ut vellet Christum sequi, et addiscere aliquid a tam bono magistro, de Scripturis, de miraculis faciendis non ut bonus esse vellet, sed ut inde aliquid lucraretur vel gloriaretur, hoc idem desiderans quod Simon Magus a Petro emere voluit. Talis ergo fides juxta Domini sententiam damnatur, et ei dicitur. Quid me propter divitias sæculi lucrandas vis sequi, cum tantæ paupertatis sim ut nec hospitium habeam, nec mea utar domo? Vel aliter : Vulpes, quod est fraudulentum animal, fraudem significat ; volucres cœli, elationem et superbiam. Quasi dicat : Nolo ut me sequaris, quia vulpes, id est fraudulentia, in te habet foveam suam, quia fraudulenter vis sequi me, simulando obsequium discipuli; et volucres cœli, id est elatio, in te habet nidum suum, sed Filius hominis, id est ego, non habet in te ubi *caput suum*, id est divinitatem suam *reclinet*. Caput enim Christi Deus est. Elatio erat in eo, quia propter inanem gloriam eum sequi volebat.

Alius autem, etc. Illum qui rogabat repudiavit, et eum qui non petebat vocavit ; sed utriusque mentem bene noverat, qui scrutatur renes et corda Noverat enim istum malum, illum autem gratia subministrata futurum bonum. *Domine*. Non discipulatum respuit, sed expleta prius paterni funeris pietate, post vult eum liberior sequi, Jesus aut dixit illi : *Sequere me et dimitte mortuos sepelire mortuos suos*. Duplicem necesse est mortem nos intelligere, alteram corporis, et alteram animæ, quasi dicat :

A Dimitte mortuos in peccatis sepelire mortuos in corpore, non ideo prohibet sepelire patrem, quod non sit magnæ humanitatis sepelire mortuos, sed, quia melius officium est prædicare Evangelium, et resuscitare in anima mortuos, et minora bona pro majoribus sunt aliquando postponenda. Aliter secundum Gregorium, quod tamen non pertinet ad præsentem locum. Mortui mortuos sepeliunt, quando adulatores fovent in peccatis peccatores, unde dicitur : Linguæ adulantium alligant animas in peccatis, et sepeliunt; quia, cum laudant peccatum quasi negant peccatum, et sic peccatorem tegunt. Notandum est quod nuntiat patrem mortuum, sed quoniam non rogatur Christus pro illo, non resuscitat illum. Sic non resuscitat mortuum in peccatis, post-
B quam nec ipse nec alius orat pro eo.

Et ascendente Jesu, etc. Sicut miracula fecerat in terra, ita voluit et in mari, ut se maris et terræ Dominum comprobaret esse. Ingressus ergo naviculam, fecit mare turbari, et movit ventos et fluctus concitavit. Cur hoc ? Ut discipulos mitteret in timorem, et suum auxilium postularent, suamque potentiam rogantibus monstraret. Illa vero tempestas non ex se orta est, sed potestati paruit imperantis, ejus qui eduxit ventos de thesauris suis. Facta est vero magna et non pusilla tempestas, ut magnum opus et non pusillum ostenderet.

Ipse vero dormiebat corpore, qui non dormit in deitate, juxta Psalmistam, qui ait : *Ecce non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israel* (*Psal.* CXX).

C Orta est autem tempestas, accesserunt discipuli et excitaverunt eum dicentes : *Domine, salva nos perimus*. Tanto fuerunt metu perterriti, et pene animo alienati, ut irruerent in eum, et non leviter aut moleste suggererent, sed illum turbulenter excitarent, dicentes : *Domine, salva nos, perimus*. Discipuli qui adhuc parvuli et infirmi erant, necdum plenarie robusti, nondum enim eos confirmaverat passio Domini, resurrectio, et ascensio, nec descensio Spiritus Paracleti, ideo fragilitatem timebant et dicit eis : *Quid timidi* ? Quasi dicat : Vita vobiscum est, et de morte solliciti estis ? Si potentem super terram me esse cognovistis, quare me non potentem in mari creditis ? Qui pusillum credit arguitur, et qui non credit contemnitur, fragiles in fide corripiuntur, omnino a fide alieni ponuntur, ut pagani, hæretici.

D *Porro homines mirati sunt*. Homines hic videtur intelligere, alios quam discipulos, nautas scilicet et alios aliquot, qui in mari erant, qui divinam potentiam mirantur tantum, non glorificant. Vel eosdem intelligamus discipulos, qui nondum Spiritu sancto roborati, nondum ad plenam divinam attendebant potentiam, dicentes : *Qualis est hic, quia mare et venti obediunt ei* ? Typice quidem mare, quod Dominus cum discipulis transire desiderat, amarus præsentis sæculi status accipitur. Navicula vero quam ascendit, intelligitur arbor beatæ passionis, cujus auxilio fideles adjuti, transcensis mundi fluctibus, quasi ad stabilitatem, ad habitationem patriæ cœle-

stis perveniunt securi littoris, Cum ergo Christus positus fuisset in cruce, motus magnus factus est, quia commotæ sunt mentes discipulorum de ejus passione, et navicula operta est fluctibus, quia tota vis persecutionis circa Christi crucem fuit, ubi scilicet in morte occubuit. Unde dictum est: *Ipse vero dormiebat*. Suum dormire, mori est : Excitant discipuli Dominum, dum turbati morte maximis votis resurrectionem quærunt dicentes : *Domine, salva nos* resurgendo, quia perimus turbatione tuæ mortis. Ipse vero exsurgens in die resurrectionis increpat illos, et duritiam cordis eorum, quæ increpatio legitur post resurrectionem multis modis fuisse, sicut illud: *Exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis, quia his qui viderant eum resurrexisse non credebant* (*Marc.* XVI), et cum iterum dicit : *O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt prophetæ. Nonne hoc oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam*? (*Luc.* XXIV). Nonne in his verbis dicit : Quid timidi estis modicæ fidei? Exsurgens imperavit ventis, quia diaboli superbiam stravit. Imperavit mari, quia vesaniam Judæorum dejecit, et facta est magna pax, quia sedatæ sunt mentes apostolorum visa resurectione. Possumus etiam per naviculam generalem Ecclesiam intelligere, quæ in fluctibus hujus sæculi vexatur, et magnis persecutionibus. Et tunc dicitur Deus dormire, cum tribulationes suis permittit accidere. Sed fideles orant, *Domine, salva nos, quia perimus*. Ipse vero exsurgens ad auxilium, restituit pacem Ecclesiæ.

Et cum venisset Jesus trans fretum in regionem Gerasenorum. Gerasa est urbs Arabiæ trans Jordanem, juncta monti Galaad, quem tenuit tribus Manasse, non longe a stagno Tyberiadis, in quo porci præcipitati sunt. Significat autem nationem gentium, quam post somnum passionis et resurrectionis suæ gloriam missis prædicatoribus Salvator dignatus est visitare. Unde bene Gerasa dicitur. Gerasa enim, ut quidam legunt, *colonum ejiciens*, sive advena *appropinquans* interpretatur, videlicet insinuans, quia gentium populus, et diabolum a quo incolebatur, de suo corde repulerit, et qui erat longe, factus est sic prope in sanguine Christi.

Occurrunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sævi nimis, etc. Matthæus duos dæmoniacos dicit fuisse, qui legionem illam dæmonum patiebantur, quæ in porcos ire permissa est. Marcus vero et Lucas unum commemorant. Intelligas ergo unum eorum fuisse clarioris personæ, quam regio illa colebat, et pro cujus salute plurimum satagebat. Hoc velontes significare duo evangelistæ, solum commemorandum judicaverint, de quo facti hujus fama latius effluxerat. Vel Marcus et Lucas scribentes gentibus cum vellent gentilem populum significare, de uno tantum dæmoniaco scripserunt. Matthæus vero duos posuit, ut non solum gentilem, sed etiam Judaicum populum significaret, Judæis scribens : Uterque enim populus dæmonibus deditus erat. Alter idola colendo, alter mandata legis transgrediendo. Vel quod notatur per unum, significatur etiam per duos, scilicet gentilis populus, qui de duobus filiis Noe processit, scilicet ex Cham et Japhet. De Sem enim exivit Judaicus populus. Sensus litteræ satis patet. *Et ecce clamaverunt dicentes : Quid nobis et tibi, Fili Dei, Jesu*? etc. Quæritur quare vocaverunt eum Filium Dei. Si enim credunt esse Filium Dei, quare crucifigi faciunt? Si non credunt esse, quare Filium Dei vocant? Sed credendum est, illos nequaquam Christum Deum esse cognovisse, sed suspicari tantum pro signorum magnitudine, et ex suspicione et timore talia dixisse. Cum ergo Deum illum suspicarentur, præsentiam ejus timebant, et ad judicandos se venisse credebant. Postea vero cum passibilem et egentem viderent, eum Deum esse desperabant. Hilarius tamen dicit dæmones cognovisse Christum, his verbis : « Non voluntatis ista confessio est, sed necessitatis extorsio, quæ cogit invitos. Velut servi fugitivi post multum temporis dominum suum videntes, non aliud nisi de verberibus deprecantur; sic et dæmones Dominum cernentes in terris, repente territi ad judicandos se venisse credebant. Præsentia enim Salvatoris dæmonum sunt tormenta. » Ambrosius etiam videtur huic sententiæ convenire, cum dicit : « Tantum eis innotuit, quantum Deus voluit; tantum autem voluit, quantum oportuit. Sed innotuit non sicut angelis sanctis, qui ejus æternitate, secundum quam verbum est Dei, perfruuntur; sed sicut eis terrendis innotescendum fuit, ex quorum tyrannica potestate fuerat liberaturus prædestinatos ad regnum. Innotuit ergo dæmonibus non per id quod est vita æterna, lumen quo illuminat pios, quibus videndo per fidem, quæ in illo est, corda mundantur, sed per quædam temporalia suæ virtutis effecta, et occultissimæ præsentiæ signa, quæ angelicis spiritibus, etiam malignis, potius quam infirmitati hominum possunt esse perspicua. Si autem objiciatur quod Apostolus dicit : *Si enim cognovissent, nunquam Deum gloriæ crucifixissent* (*I Cor.* II), respondit Beda huic objectioni. Non ideo Judæus eum crucifigere persuasit, quia Christum sive Filium Dei esse putavit, sed quia se morte illius non prævidit esse damnandum. Vere enim de hoc mysterio a sæculis absconditio dicit Apostolus, quod *nemo principum hujus sæculi cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent* (*ibid.*). Dicunt ergo, vel eum intelligendo eum esse Christum, vel suspicando : *Quid nobis et tibi, Filii Dei* : subaudis est commune. Quasi dicat : Qui habent intra se aliquod commune, debent se visitare. Sed tu quare venis ad nos?

Venisti torquere nos ante tempus judicii, etc. Quæritur, quare dæmones petant intrare porcos, scilicet ex iniquitate sua, ut cum non possent hominum nocere corporibus noceant rebus exterioribus. Petunt autem ideo licentiam a Deo, quia nec rebus hominum nocere possunt, nisi permissione Dei. Deus autem permisit in porcos intrare, ut per damnum homines corrigeret, et viso miraculo divinæ potentiæ eos ad fidem con-

verteret. Sed miseri nolunt converti, imo cœperunt rogare ut discederet a finibus eorum; non tamen hoc ex superbia faciebant, sed conscii fragilitatis suæ presentia Dei se judicabant indignos, et propter peccata sua putabant præsentiam tanti viri potius gravare quam juvare. Sicut mulier, quæ propter Heliam quem hospitata fuerat credebat Deum peccata sua rememorasse, et ideo filium suum amisisse. Quæ inquit: *Quid mihi et tibi, vir Dei? ingressus es ad me ut rememorentur iniquitates meæ, et interficeres filium meum?* (*III Reg.* XVII). Mystice venit Jesus in regionem Gerasenorum, quia venit in mundum, in quo habitant Geraseni, id est homines tam Judæi quam gentiles, qui prius a dæmonio incolebantur, alii propter idololatriam, alii propter transgressionem legis, sed veniente Christo, fuerunt ejicientes colonum, id est diabolum, et advenæ appropinquantes ad Dominum, tunc occurrerunt ei per liberum arbitrium credendo duo dæmoniaci, id est duo populi de monumentis, id est de operibus mortui corporis. Corpora enim perfidorum sunt quædam defunctorum sepulcra, in quibus animæ mortuæ jacent in peccatis. *Sævi nimis.* Quia neque legibus divinis, neque humanis a furore concupiscentiæ poterant retineri. Unde Marcus eos catenas et compedes narrat dirupisse.

Per viam illam nemo poterat transire. Via illa Christus est, qui dixit : *Ego sum via, veritas, et vita* (*Joan.* XIV). In hac via id est in ipsa vera fide Salvatoris quando adhuc erat incredulus uterque populus, diabolo in se furente, recte gradientibus, id est recte credentibus et fidem prædicantibus obsistebant. Legitur in Marco legionem in eis fuisse, quia genus humanum multis erroribus et idolorum cultibus erat mancipatum. Quod ejecti ab obsessis corporibus dæmones introeunt in porcos, significat quod ejecti a mentibus fidelium transeunt ad alios infideles immunde viventes, et præcipitant eos in fluxum sæculi, et eos in eo interficiunt. Quod pastores fugerunt et nuntiaverunt ea omnia quæ viderant, significat quosdam primates impiorum, qui quanquam Christianam fidem vel legem fugiant, potentiam tamen Christi stupendo et admirando prædicant. Quod tota civitas exit obviam, significat quia alii infideles admirantur miracula Christi, et tamen volunt ut transeat a finibus eorum, id est a seipsis, ne habeat in eis mansionem.

CAPUT IX.

Et ascendens in naviculam transfretavit, et venit in civitatem suam, etc, Potest nos monere, quod de isto paralytico Matthæus ita narrat esse factum in civitate Domini. Marcus vero dicit non hoc in ejus civitate factum esse, quæ utique Nazareth vocatur, sed potius in Capharnaum. Remanet ergo quæstio inter Marcum et Matthæum, quæ facilius solveretur, si Matthæus Nazareth nominaret, nunc vero cum poterit ipsa Galilæa dici civitas Christi, quia Galilæa erat Nazareth, sicut universum regnum in tot civitatibus constitutum dicitur Romana civitas. Et simi-

A liter cum inter tot gentes constituta sit civitas, de qua scriptum est : *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei Psal.* LXXXVI). Cum igitur populus Dei inter tot civitates habitans etiam, una domus dicta sit domus Israel, quis dubitaverit in civitate sua hoc fecisse Dominum? Cum enim fecerit in Capharnaum civitate Galilææ, in qua transfretaverat de regione Gerazenorum, et veniens in Galilæam diceretur venisse in civitatem suam, in quocunque oppido esset Galilææ, præsertim cum Capharnaum esset metropolis, ubi offerebant paralyticum jacentem in lecto.

Augustinus dicit esse mendacium, quando aliquid dicitur aliter quam animo sentitur. Unde homo mendax dicitur habere duplex cor. Dolus est,
B quando agitur, et aliud similatur. Justitia est habitus animi, reddens unicuique quod suum est, scilicet ut se vestiat secundum mensuram, et comedat et procuret se secundum mensuram. Si enim se fame, vel alio aliquo ultra modum facto labore perimeret, homicida esset. Item est justum ut tantum amet proximum quantum et se. Item est justum ut Deum toto affectu animi diligat, et seipsum ei reddat. Prudentia est in mundanis rebus. Fortitudo est ut ne nimis adversis frangamur, et ne ultra modum prosperis tollamur. Temperantia est, ut sciat unusquisque se temperare per omnia. Istis quatuor virtutibus sunt alia quatuor vitia contraria. *Videns autem, etc.* Paralyticus infirmitate gravatus, nullius discretionis erat, sed Christus videns fidem offerentium, peccata remisit et eum sanavit. Quantum ergo
C propria cujusque fides apud Deum valet, ubi tantum valuit aliena? *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Curaturus hominem Dominus, primo peccatorum vincula dissolvit, ut ostenderet eum propter culpas dissolutionem membrorum meruisse. Mira humilitas. Filium vocat, quem sacerdotes non dignabantur tangere; aut recte ideo filium quia dimittuntur ei peccata. Cum ergo peccata causa essent infirmatis, removet causam ut infirmitas removeatur. Quinque si quidem sunt differentiæ causarum, pro quibus in hac vita molestiis corporalibus affligimur. Aut enim ad merita augenda propter patientiam justi corporis infirmitate gravantur, ut beati patres, Job et Tobias, et innumeri martyres in utroque Testamento. Aut ad custodiam virtutum perce-
D ptarum, ne superbia tentanti dispereant. Sicut apotolus Paulus, cui, ne magnitudo revelationum extolleret, datus est ei stimulus carnis suæ, qui eum colaphizet. Aut ad intelligenda et corrigenda peccata nostra. Sicut Maria soror Aaron in eremo, ob verba temeritatis et superbiæ percussa est lepra. Sicut paralyticus de quo tractamus, quo non nisi primo dimissis pecatis, potuit ab infirmitate curari. Aut ad gloriam Dei salvantis, sive per ipsum, sive per famulos suos, sicut cæcus natus in Evangelio, qui neque ipse peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo. Et sicut Lazarus cujus infirmitas non fuit ad mortem, sed pro gloria

Dei, ut glorificaretur Filius Dei per eum. Aut ad inchoationem damnationis suæ æternæ quæ reproborum est proprium. Sicut Antiochus et Herodes, qui uterque suo tempore adversus Deum repugnantes, quod tormentorum suorum pœnas in gehenna perpetuo passuri essent, præsentium afflictione miseriam cunctis ostendebant. Quibus congruit illud Prophetæ : et *duplici contritione contere eos* (*Jer.* XVII). *Et ecce quidam, etc.* Cum audiunt Christum dimittere peccata, quod est solius Dei, eum blasphemare dicebant, quia eum esse Deum non credebant. Blasphemare est aliquid divinæ potentiæ detrahere, quod videbatur eis Christus facere dum quod erat Dei officium, usurpabat. Unde apertius ab eis in Marco dicitur : *Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus* (*Marc.* II) ? Verum dicebant, quia nemo nisi solus Deus hoc potest, sed errant dum Christum Deum esse negant. *Et cum vidisset Jesus, etc.* Quia dubitabant eum esse Deum, se Deum evidenti signo ostendit, dum eorum cogitationes aperuit, quasi eis diceret. Potentia qua vestras cogitationes intueor, possum et delicta dimittere. *Quid est facilius dicere : dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, surge et ambula?* Utrumque æque facile est mihi, quia ea potentia qua sano etiam peccata dimitto. *Ut faciatis autem, etc.* Facit carnale signum, ut probetur spirituale. Hæc verba possunt esse Christi vel Evangelistæ, quasi Evangelista diceret : Ipsi dubitabant eum posse dimittere peccata, sed ut sciatis, quod *Filius hominis* habet potestatem, *ait paralytico, etc.* Si autem dicatur Christum pronuntiasse hæc verba, ita legitur. Vos dubitatis me posse dimittere peccata sed ut sciatis, quia Filius hominis, id est ego, potest. *Tunc ait paralytico* : Actus rei est consequens illius orationis, quæ imperfecta est. Iste paralyticus gerit personam baptizatorum sub aliena fide quorum anima dissoluta est in peccatis, et jacet in lecto corporis, hoc est voluptatibus ejus. Offerentes sunt doctores Ecclesiæ, qui rogant pro infirmo in peccatis, cui dimittit peccata, et dicit : *Surge*, a vitiis, *et tolle grabatum*, id est carnem per frena continentiæ correctam rege, ut anima corpori dominetur, quæ prius serviebat ei, et ab eo regebatur. *Et vade in domum tuam*, id est ad paradisum redi. *Videntes autem turbæ, timuerunt et glorificaverunt Deum, quia, etc.* Quia converso peccatore ad fidem, universa Ecclesia lætatur.

Et cum transiret inde, vidit hominem sedentem in telonio, etc. Hinc potest percipi hæc miracula ante sermonem Domini in monte fuisse facta cum interea conversionem suam referat Evangelista. Nota, quia Matthæus binominis erat. Vocabatur enim Matthæus et Levi. Marcus autem et Lucas eum vocant Levi, ut caveant quasi pudori evangelistæ, ne vocando eum usitato nomine, de pristina conversatione eum notabilem facerent palam. Porro ipse Matthæus, quasi accusator sui ipsius, vulgari nomine se appellat, et in catalogo apostolorum se etiam publicanum cognominat, quatenus per hoc publica- A nis et peccatoribus confidentiam salutis præbeat, et nemo legens conversionem ipsius de misericordia Dei diffidat, cum de telonario evangelistam videat. Non est mirandum quod publicanus ad primam vocem jubentis Domini terrena lucra reliquerit, et comitatui ejus, quem divitiis carere videbat, adhæserit. Ipse enim qui vocabat exterius, verbo intus invisibiliter docebat, ut sequeretur obediendo infundens illius menti, quia si desereret thesauros in terris, incorruptibiles thesauros in cœlis haberet, perfectamque abrenuntiationis formam nobis ille dedit, quia non solum lucra reliquit et curam vectigalium, sed et periculum contempsit, quod evenire poterat a principibus sæculi, qui vectigalium rationes inordinatas, et absque ratione reliquerit, nimiam habens B cupiditatem sequendi Dominum. Sed revertamur ad litteram. *Vidit hominem sedentem, etc.*, id est humanis lucris inhiantem, in telonio, id est in domo, ubi scilicet vectigalia congregabantur, id est publici redditus comportabantur. Erat enim iste telonarius dictus a Græco, quod est telon, id est vectigal.

Et factum est, etc. Hic Matthæus non expressit, in cujus domo discubuit, nisi Marcus et Lucas, qui hoc convivium similiter narrant, dicentes in domo Levi eum discubuisse. Cum ergo dicit in domo illius, exprimit illum de quo loquebatur superius. Notandum quia discubuit cum publicanis et peccatoribus. Unius quippe publicani conversio, multis fuit exemplum pœnitentiæ et indulgentiæ. Qui enim cum Jesu et discipulis ejus discumbebant, jam publicani et peccatores esse desierant, nec si in pec- C catis esse et perseverare decernerent, ei qui sine peccato est convesci auderent, nec forsitan Deus cum eis. Publicani vocantur, qui publicis sceleribus fœdantur, vel publicis negotiis implicantur, quæ sine peccato aut vix aut nunquam tractari possunt. Et pulchrum fuit præsagium, quia qui apostolus et doctor gentium futurus erat in prima sua conversione, peccantium gregem post se trahit ad salutem, officiumque evangelizandi, quod proficiente merito virtutum expleturus erat, a primis jam fidei suæ incipit rudimentis ut jam proficeret exemplo, qui proficere debebat et verbo. Et notandum est, quia secundum quod Lucas dicit, Matthæus Christo magnum convivium in domo sua parasse, congruam beneficiis cœlestibus vicem repe- D tens, ut illi commodaret sua temporalia, a quo exspectabat perpetua bona. Sequitur :

Et videntes Pharisæi dixerunt discipulis ejus, quare cum publicanis et peccatoribus manducat magister vester? Duplici errore tenentur Pharisæi : Cum magistro veritatis de susceptione peccatorum detrabant, arbitrantes se esse justos, qui a justitia longe erant, et eos criminantur injustos, qui resipiscendo a peccatis non parum justitiæ appropinquabant. Errabant ergo Pharisæi, qui nec aliena nec sua noverant corda, sed Deus qui novit occulta cordis, eos quos jam pœnitentes susceperat, amplius in fide confortat, et illos quos adhuc superbos tolerat et

impios, ad humilitatis ac pietatis gratiam provocat. Nam Jesus audiens et pravas eorum cogitationes attendens ait :

Non est opus valentibus medico, sed male habentibus. Tangit hic Scribas et Pharisæos, qui justos putantes se, consortia aliorum declinabant. Seipsum vero medicum dicit, qui miro medicandi genere propter iniquitates nostras vulneratus est, ut vulnus peccatorum nostrorum sanaret : sanos quidem appellans eos, qui suam volentes statuere justitiam, justitiæ Dei non sunt subjecti. Male habentes vocat eos, qui suæ fragilitatis conscientia devicti, nec per legem videntes se justificari, pœnitendo submittunt se gratiæ.

Euntes autem,discite quid est, misericordiam volo, et non sacrificium. Pharisæis de falsa justitia tumidis,dat consilium correctionis. Faciebant sæpe sacrificia in templo, ut justi apparerent coram populo, sed non exercebant opera misericordiæ, ubi comprobatur vera justitia. Si enim vere justi essent, peccatoribus condescenderent, et de salute illorum, sicut de sua laborarent, quasi dicat : Vos æstimatis vos esse justos,sed euntes ad prophetas, discite, quid est vera justitia, discite quod ait Dominus per Prophetam. Ait enim : *Misericordiam volo,et non sacrificium,*tamen non despicit Deus sacrificium, sed sacrificium sine misericordia.

Non enim veni vocare justos, sed peccatores, Hic est duplex intellectus, quasi dicat : Ideo frequento peccatores, ut ad pœnitentiam invitem.

Non enim veni in mundum vocare justos, subaudi *ad pœnitentiam,*quod dicit Lucas,*sed peccatores.* Qui enim justus est, ut Nathanael, cui testimonium perhibuit Christus, vel Joannes Baptista, non erat ad pœnitentiam invitandus. Vel aliter : Non enim veni vocare falsos justos, qui erant de justitia sua gloriantes, sicut Pharisæos, qui ignorantes Dei justitiam, et suam volentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Sed illos, qui se peccatores recognoscunt, et gratiæ Dei colla submittant. Quandiu enim justi in oculis suis erunt sapientes, ad fidem converti non poterunt, sed, postquam sua peccata recognoscunt, ipsi idem peccatores, non justi ad fidem vocari poterunt.

Mystice. Matthæus significat hominem terrenis lucris inhiantem, et sedentem in telonio, id est, sedulum in sæcularibus negotiis. Quem videt Jesus, dum eum oculo misericordiæ respicit, et bonæ conversationis voluntatem imprimit,et ait illi, vel per prædicationem,vel per Scripturæ admonitionem,vel per internam inspirationem : *Sequere me,* id est postpositis sæculi cupiditatibus,imitare me. At ille surgens a vitiis, sequitur eum, viam veritatis, qui merito dicitur Levi vel Matthæus. Levi enim *assumptus,*Matthæus *donatus* interpretatur. Tunc enim pœnitens a massa perditorum assumitur, et gratia Dei Ecclesiæ donatur. Et tunc peccator Deo convivium in domo sua præparat, quando Deum in pectore suo bonorum operum spirituali convivio delectat. Cujus considerata pœnitentia alii peccaotres convertuntur, et eodem convivio reficiuntur. *Tunc accesserunt,* etc. Alii evangelistæ satis evidenter ostendunt, non solos discipulos Joannis,sed etiam Pharisæos hanc quæstionem fecisse. Cum enim de convivio peccatorum et participatione eis respondisset, de comestione aggrediuntur eum, quærentes : *Quare discipuli tui* quasi comestioni vacantes non jejunant ? Cui objectioni respondet :

Nunquid possunt filii sponsi jejunare ? etc. Sponsum vocat se ipsum, qui est sponsus Ecclesiæ. Filios sponsi apostolos nominat, quos ipse in fide genuerat. Discipuli Joannis habebant jejunare ad domandam carnem, ne spiritui rebellaret. Discipuli autem Christi non habebant opus jejunio,quia præsentia Christi sponsi, illam fortitudinem dabat ad carnem comprimendam, et etiam majorem, quam illi haberent per jejunium. Propterea paulatim nutriendi erant, non austeritate præceptorum gravandi, ad tempus confirmationis habendæ per Spiritum sanctum.

Et notandum est, quod sunt duo genera jejunii: unum tristitiæ propter peccata ; aliud gaudii ex nimia contemplatione, quando in solo bono æterno contemplando delectatur animus, obliviscitur esum. Jejunium tristitiæ non possunt habere,quia non debent dolere, quandiu cum eis est sponsus. Jejunium gaudii non possunt habere, quia adhuc carnales sunt, nec cœlestibus adhuc inhiant, nec contemplationi cœlestium vacant, donec sponsus subtractus sit ab eis ascendens in cœlum, et tunc cœlestia desiderent, et eis inhient Paracleto promisso confortati. Jejunium tristitiæ habuerunt,non tamen pro peccatis in passione Christi, ita quod Jacobus frater Domini vovit se non comesturum, donec videret Filium hominis resurrexisse a mortuis. Jejunium gaudii post Pentecosten, quando scilicet intenti cœlestibus fuerunt.

Nemo autem, etc. Ostendit quia jejunium gaudii non erat eis imponendum,quia pars est inseparabilis novæ vitæ. Nova vita est,scilicet cœlestibus intendere, et temporalibus abstinere. Apostoli vero, qui carnales erant, Christum in regno sæculari dominaturum credebant. Unde Joannes et Jacobus per matrem suam a Domino petierunt,ut unus ad dexteram, alter ad sinistram sederet,et ideo ad cœlestia non inhiabant,sed terrena postposuerant,quia Dominus præceperat, tamen nondum scientes erant quod præmium reciperent. Unde etiam Petrus a Domino quæsivit : *Nos reliquimus omnia* (*Matth.* XIX), etc., et ideo adhuc vestimentum vetus erant. Sunt ergo novum vestimentum efficiendi visa passione et resurrectione et ascensione, et Spiritus sancti confirmatione, non novus pannus assuendus est veteri.Nam, qui ponit novum pannum in veteri,tollit plenitudinem novi vestimenti a veteri vestimento, sed non dat novæ vitæ plenitudinem homini,sed aufert ut non habeat quis partem. Sicut qui vult jejunare a cibis vult ponere novam vitam in homine

adhuc veteri, quasi dicat : Nova vita illa non potest dari per partes, sed prius animi intentio ad alta sublevanda est,et tunc gravia onera possunt imponi. Qui enim aliquod grave pondus illius vitæ vult veteri imponere, pejor scissura fit, quia homo inde deterioratur, et totum bonum postponit.

Tollit enim, etc. Ideo rudis pannus, id est novus, non debet poni in vestimento veteri quia tollit sæpe a vestimento plenitudinem ejus, id est perfectionem,et tunc fit pejor scissura.Grave enim onus rudi injunctum,illud boni quod prius ei inerat, sæpe destruit,quod etiam nostris temporibus contingere videmus. Dum enim clericis continentia carnalis imponitur,ablato conjugio,quod pejus est, per fornicationes evagantur.

Neque novum vinum. Quod est austeritas novæ vitæ,in utres veteres,qui sunt apostoli,qui quamvis omnia quæ possidebant postposuerant, tamen adhuc novi non erant, sed veteres, id est carnales. Si ergo sævioramandata eis traderentur,rumperentur, et totam doctrinam effunderent.Sed postquam suscepto Spiritu sancto novi, id est apti ad austeritatem novæ vitæ suscipiendam efficientur,tunc novum vinum, id est mustum, novis utribus secrete committetur.

Moralitas : Gregorius. Ergo doctori cavendum est,simplicium et carnalium humeris gravia imponat, cum datæ sint diversæ similitudines ad idem, tamen differuntvinum novum,et vestimentum.Vino intus reficimur,veste foris tegimur.Vestis ergo sunt opera bona quæ foris agimus,quibus coram hominibus lucemus. Vinum, fervor fidei et pietatis et charitatis quo in conspectu Dei,novitate sensus intus reformemur. *Hæc illo loquente*, etc. Matthæus archisynagogum narrat Domino nuntiasse, filiam suam omnino defunctam esse. Alii vero duo evangelistæ morti proximam, nondum tamen mortuam usque adeo ut dicant postea venisse nuntios, qui mortuam esse nuntiarent,et ob hoc jam non debere vexari magistrum Intelligendum est ergo Jairum archisynagogum,cum ad Dominum venisset, dubitare de filia utrum adhuc viveret, aut jam mortua esset, et ideo utrumque postulasse dicendo : *Filia mea in extremis est vitæ, veni, impone manum super eam ut salva sit*, vel *defuncta est filia mea, sed veni, et impone manum et vivet.* Cum ergo utrumque Jairus dixisset, Matthæus causa brevitatis, respiciens ad rei effectum dicit defunctam, unam partem tantummodo assumens dubitationis ; alii vero partem alteram assumpserunt. Littera satis patet.

Et ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur,etc. Dum tendit ad puellam resuscitandam, in turba accessit ad eum mulier, fluxum sanguinis per duodecim annospatiens,quæ ut alii evangelistæ referunt medicis erogaverat omnem substantiam suam, nec ab ullo poterat curari, *quæ tetigit fimbriam vestimenti ejus, et sanata est* (*Luc.* VIII).

A Nota quod filia Jairi duodecennis erat, ut refert Lucas.

At Jesus,etc.Hic prætermittit quædam Matthæus, quæ referuntur ab aliis duobus.Referunt enim quod ait Jesus : *Qui me tetigit? Negantibus autem omnibus dixit Petrus, et qui cum illo erant : Præceptor,turbæ te comprimunt et affligunt,et dicis.Quis me tetigit? Et dixit Jesus : Tetigit me aliquis,nam et ego novi virtutem de me exisse. Videns autem mulier quia non latuit, tremens venit, et procidit ante pedes ejus, et ob quam causam tetigit eum indicavit coram omni populo, et quemadmodum confestim sanata est.* (*Luc.* VIII.) Postea factum est quod narrat Matthæus.

At Jesus conversus, etc. Quod autem ait, et salva facta est ex illa hora,ex qua Jesus conversus est ad B eam, intelligendum est ex ea hora, ex qua vestimentum tetigit, non ex illa hora ex qua Jesus conversus est. Cum enim Jesus convertit se ad illam, jam salva facta erat,quod et alii evangelistæ manifeste ostendunt, et ex verbis Jesu potest perpendi, ubi ait : *Fides tua te salvam fecit*, non dicit, te salvam faciat,sed te salvam fecit. Revertamurad allegoriam,quia littera satis plana est. Princeps itaque Synagogæ nullus melius quam ipse Moyses intelligitur,unde bene Jairus, id est *illuminans* sive *illuminatus* vocatur, quia quo accipit verba vitæ dare nobis, et per hoc cæteros illuminat, et ipse a Spiritu sancto,quo vitalia monita scribere et docere possit, illuminatur,quia juxta Evangelium Lucæ videns Jesum,procidit ad pedes ejus, quia prævidens in spi-C ritu, in carne venturum Dominum, humili corde se ejus potentiæ subdidit,quem ita circa finem sæculi hominem incarnandum esse cognovit, ut ante tempora æternum non dubitaret. Si enim caput Christi Deus est,pedes ejus quod apertius quam assumpta humanitas,qua terram nostræ mortalitatis tetigit,accipiendi sunt? Et procidere ante pedes Jesu archisynagogum,est legislatorem cum tota progenie Patrum mediatorem Dei et hominum longe sibi dignitatis gloria præferendum cognoscere, et confiteri cum Apostolo,quia quod *infirmum est Dei, fortius est hominibus* (*I Cor.* I). Filia ergo archisynagogi est ipsa Synagoga,quæ sola legali institutione composita fuerat, quasi unica filia Moysi, et hoc velut duodecimo ætatis anno,quæ tempore propinquante pubertatis moriebatur,quia nobiliter a prophetis educata, D postquam ad intelligibiles annos pervenerat, postquam spiritualem sobolem Deo generare debebat errorum languore consternata est,spiritalis vitæ vias ingredi desperabiliter contempsit, et nisi a Christo suscitaretur, horrendam corruisset in mortem. Ad puellam pergens sanandam Dominus,a turba comprimitur, quia genti Judææ salutaria monita præbens, quibus eorum conscientiam a vitiis erigeret, noxia carnalium populorum est gravatus consuetudine *Et ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis.* Mulier sanguine fluens, sed a Domino curata, est Ecclesia de gentibus congregata, quæ ingenti delectationum carnalium fluxu polluta

atque a cœtu fidelium jam fuerat conseparata. Sed cum verbum Christi Judæam salvare decerneret, illa paratam et promissam aliis salutem spe certa præripuit. Notandum quod archisynagogi filia sit duodecennis, et mulier hæc ab annis duodecim sanguine fluxit, hoc est eodem, quo hæc nata fuit, tempore, illa cœpit infirmari. Una enim pene, eademque sæculi hujus ætate, et Synagoga patriarchis cœpit nasci, et gentium exterarum natio per orbem idololatriæ sanie fœdari. Nam et in fluxu sanguinis bifariam recte potest intelligi, hoc est, sub idololatriæ pollutione, et super his quæ carnis et sanguinis delectatione geruntur. Ergo quandiu Synagoga viguit, Ecclesia laboravit, defectus illius est virtus istius. Illorum delicto salus facta est gentibus. Quæ juxta Lucæ evangelium erogaverat omnem substantiam medicis, nec ab ullo poterat curari. Medicos intellige falsos theologos sive philosophos, legumque doctores sæcularium. Sed hæc ubi populum Judæorum ægrotasse, verumque de cœlo cognovit adesse medicum, cœpit et ipsa languoris sui sperare pariter et quærere medicum. Quare accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus, dicebat enim intra se : *Si tetigero fimbriam vestimenti ejus, salva ero*. Hæc mulier sanguine fluens, non in domo, non in urbe accessit ad Dominum, ut sanguinis vitium curaretur. Accedit, et tangit Dominum Ecclesia, cum ei per fidei veritatem virtutemque appropinquat. Accedit autem retro, juxta hoc quod ipse ait : *Si quis mihi ministrat, me sequatur* (*Joan.* II) ; et alibi præcipitur : *Post Dominum Deum tuum ambulabis*, quia præsentem Dominum in carne non videns, peractis jam sacramentis illius incarnationis, ad fidei et agnitionis ejus gratiam pervenit. Sicque dum participatione sacramentorum ejus salvari a peccatis meruit, quasi tactu vestimentorum ejus, sui sanguinis fluxus, id est immundæ cogitationis primordium, ex quo nascitur omne peccatum, cessavit. Vestimentum dicitur mysterium Incarnationis Christi, qua divinitas vestita est. Fimbriæ vestimenti sunt verba de incarnatione Jesu dependentia. Gentilis vero populus tangit fimbriam vestimenti Christi, quia cum Christum in carne non vidisset, verba tamen ejus incarnationis recepit. At Jesus conversus et videns eam, dixit, etc. Non dedignatur Dominus intueri sperantes in se, sed omnes qui salvari merentur, suo intuitu dignos judicat ac miseratione, dicens : *Confide, filia,* ideo dico filia, *quia fides tua te salvam fecit.* Non dixit, salvam factura est, sed jam salvam fecit in eo quod credidit. Conversa Ecclesia gentium venit ad filiam archisynagogi resuscitandam, quia, cum intraverit plenitudo gentium, tandem in fine sæculi Israel salvabitur. Domus principis est Judæa, in qua jacet synagoga filia Moysi et Patriarcharum mortua. *Et cum venisset Jesus*, etc. Tibicines, pravi doctores, qui Judæos non docent, nisi figuras, quæ sunt lugubre carmen, id est delectatio ducens ad luctum et ad mortem. Turba tumultuans, sunt illi qui adversus doctrinam Christi recalcitraverunt et murmuraverunt. Isti in fine sæculi recedunt, quando synagoga fidem Christi recipiet, et persuasionibus illorum amplius non acquiescit, et tunc Christus tenebit manum, quia per operationes illorum mundabit et suscitabit eam, et tunc exibit inde fama per mundum, et multi per eos convertentur. Nota quod dicit, *puella dormit*, quia qui peccant in præsenti, nondum mortui sunt, sed dormiunt, quia adhuc per pœnitentiam suscitari possunt. Similiter ad litteram, *dormit puella* quantum ad Christum, quia sic est ei facile mortuum resuscitare, sicut alicui dormientem excitare. Tenet manum puellæ et suscitat eam, quia nisi prius fuerint mundatæ manus Judæorum, quæ sanguine plenæ sunt, resuscitari non poterunt. Juxta MORALITATEM, tres mortui a Domino resuscitati, tria genera mortuorum significant in peccato. Qui enim peccant, alius in cogitatione, non perducendo ad actum, qui per filiam istam in domo ista mortuam significatur, qui secreta pœnitentia potest delere peccata. Unde pauci arbitri in resuscitatione puellæ sunt adhibiti, quibus vehementer ut nemini id manifestarent præcipit. Alius pervenit usque ad operationem peccati, et tunc non tantum in domo mortuus est, sed jam quasi extra portam effertur, qui per filium viduæ significatur ; et quia publica noxa publico eget remedio, in conspectu populi filius viduæ resuscitatur. Alius in consuetudine jam positus est, qui per Lazarum intelligitur. In eisdem etiam leviores aliæ aliis pœnitentiæ pro qualitate criminis notantur. Facili enim voce suscitat puellam cum dicit : *Puella, surge.* In resuscitatione vero juvenis utitur pluribus verbis, dicens : *Tibi dico, surge.* Super Lazarum vero lacrymatus est, infremuit spiritu, magna voce clamavit : *Lazare, veni foras.* Sic ergo potest notari, quod alii difficilus, alii levius a morte peccatorum suscitantur.

MORALITAS. Ergo puella mortua in domo, est anima mortua in cogitatione. Tibicines, adulatores qui fovent mortuam. Turba murmurantium, est turba instantium cogitationum. Ejecta turba fantasmatum, resuscitat animam, tamen cum paucis arbitris, id est non per publicam pœnitentiam, sed per privatam, præsente ministro Ecclesiæ.

Et transeunte inde Jesu, etc. Hæc de duobus cæcis et muto dæmoniaco, solus Matthæus ponit. Illi enim duo cæci, de quibus alii narrant, non sunt isti, nam et Matthæus de eisdem ait in sequenti. Unde potest percipi, quædam facta esse consimilia, cum idem evangelista aliquando utraque commemoret. Nota igitur, ut si aliquando singula talia apud singulos inveneris, atque in eis contrarium, quod non posset solvi, occurrat, dices, hoc non esse factum idem cum facto relato ab alio evangelista, sed diversum. Jesu recedente de domo principis prædicti, *secuti sunt eum duo cæci clamantes et dicentes* : *Miserere nostri, Domine, fili David.* Duo cæci duo populi sunt, quia qui lumen æternitatis in primo parente amiserunt, recte cæci vocati sunt. Quia ergo in divinitate non est mutabilitas, atque hoc ipsum trans-

ire mutare est, profecto iste transitus Domini ex carne est, non ex divinitate. Per divinitatem enim semper astare est, quia ubique præsens est. Huic ergo Deo incarnato proclamant cæci et dicunt: *Miserere nostri, fili David*, quasi dicant: Per gratiam incarnationis redde lumen nobis cæcis. Filius enim David dictus est secundum carnem.

Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci, et dixit ad eos: Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: Utique Domine. Tunc Dominus fide eorum cognita,*tetigit oculos eorum et aperti sunt.* Mystice domus illa in qua illuminati sunt cæci, Ecclesia est, in qua per fidem, lumen visionis Dei percipimus, quod per peccatum primi parentis amisimus. Quod autem Dominus cæcos interrogat, non utique ignorabat, quid vel quantum ipsi crederent; sed ad hoc interrogat, ut fides nostra orando remuneratior inveniatur, ut quæ ille paratus est concedere per gratiam prævenientem, nos quæramus per liberi arbitrii voluntatem: et illis illuminatis, comminatus est Jesus ne notificarent, ipsi tamen per totam terram diffamaverunt. Dominus, licet eos sicut res erat esse notificaturos cognosceret, propter humilitatem tamen fugiens jactantiam gloriæ, hoc præcepit. Illi vero propter memoriæ gloriam non possunt beneficium tacere. *Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem. Et dæmone ejecto, locutus est mutus.* Qui obtulerunt hominem istum, nulli melius quam sancti prædicatores intelliguntur, qui genus humanum non in uno loco, sed in una fide, conspectibus Dei, non tantum corpore, sed anima sanandum præsentant. Sicut enim in duobus cæcis significatus est uterque populus, Judæorum et gentium, ita in homine muto et dæmoniaco significatum est generaliter omne genus humanum, quod quasi mutum ad confessionem veræ fidei, nec os aperiebat in laudem Dei creatoris sui, et dæmonium habebat, dum pro Deo falsa figmenta colebat, sed veniente Domino in carne, ejectus est dæmon, et locutus est mutus, et mirantur turbæ dicentes: *Nunquam apparuit sic in Israel*, id est numquam est visum hoc in Israel: apparuit, impersonaliter potest legi. Turbæ mirantur, sed Pharisæi iniqui calumniantur, dicentes, hoc eum facere in principe dæmoniorum. In turba quæ confitetur et miratur, nationum fides exprimitur. Pharisæi autem, quia virtutem negare non poterant opera calumniantur, sed per suam calumniam Judæorum usque hodie demonstrant infidelitatem.

Et circuibat Jesus civitates omnes et castella, docens in synagogis eorum, etc. Notandum quod æqualiter in villis, et castellis, et urbibus, id est parvis et magnis, absque discretione personarum prædicaverit Evangelium, non attendens potentiam nobilium, sed salutem credentium, et post prædicationem curabat omnem infirmitatem eorum, ut quibus sermo non suaserat, operum magnitudo suaderet. Languorem vocat diuturnam infirmitatem, et omnem infirmitatem, leves morbos. Huc usque dicitur evangelista miracula scripsisse, quæ fuerunt ante sermonem in monte, a sanatione socrus Petri, quæ omnia continuavit provide, vel per consimile, modo redit ad alia, quæ facta sunt post sermonem.

Videns autem turbas, etc. Vult habere coadjutores in prædicatione, et ideo quos elegerat, mittit ad prædicandum; et quare hoc? Præmittit, quia misertus est hominum qui vexati erant per varios errores, et erant jacentes, id est torpentes, et non enitentes surgere, et cum haberent pastores erant quasi non habentes pastores. Messis dicuntur homines, qui possunt meti a prædicatoribus, si non omnes, saltem pars de massa et de collectione perditorum separari possunt, ut grana excussa a paleis, postea in horreis reponantur.

Rogate ergo Dominum messis, etc. Quasi dicat: Videtis quod homines habiles sunt ad convertendum. Rogate ergo Dominum, ut mittat operarios in messem suam. Rogandus est enim Dominus, ut ex misericordia sua per inspirationem internam, vel per ministros suos mittat prædicatores in Ecclesiam suam. Non enim prædicatores veniunt ad prædicandum, nisi mittantur. Et bene dicit, *mittat*, homines enim quiescere volentes, ad prædicationem quasi ire coguntur, dum Deus inspirat, vel a superioribus mittuntur.

CAPUT X.

Et convocatis, etc. Cum discipulos ad prædicationem mittit, dat potestatem miracula faciendi, ut prædicationem suam sequentibus signis possent confirmare. Duodecim nomina apostolorum ponit in catalogo suo, ne pseudoapostoli se de numero apostolorum præsumerent gloriari. Numerus apostolorum non vacat a mysterio. Duodenarius enim, qui conficitur ex ternario et quaternario, designat eos per quatuor mundi climata fidem sanctæ Trinitatis esse prædicaturos. Iste numerus per multas figuras in Veteri Testamento præfiguratus est: Per duodecim filios Jacob. Per duodecim principes filiorum Israel. Per duodecim fontes inventos in Helim, qui locus est in deserto. Per duodecim lapides in rationali Aaron. Per duodecim panes propositionis. Per duodecim exploratores a Moyse missos. Per duodecim lapides sublatos a Jordane, unde factum est altare. Per duodecim boves qui sustinebant mare æneum. Per duodecim stellas quæ ponebantur in corona alicujus sponsæ. In novo etiam Testamento designantur per duodecim fundamenta Jerusalem quæ vidit Joannes, et per duodecim portas.

Simon qui dicitur Petrus, etc. Hoc dicit ad differentiam alterius Simonis qui dicitur Chananæus.

Rabanus: Quamvis hoc loco dicat Marcus, imposuit Simoni nomen Petrus, sciendum est, quia non nunc primum Simoni datum est hoc nomen Petrus, verum longe ante, cum a fratre Andrea ad se adductus esset. Intuitus eum Jesus, dixit: *Tu es Simon filius Johanna, qui vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus* (*Joan.* I).Sed cum Marcus volens no-

mina duodecim apostolorum enumerare, necesse haberet Petrum dicere, breviter intimare curavit, quia non hoc ante vocaretur, sed ita eum Dominus cognominavit, non tunc,sed quando Joannes ipsa verba Domini posuit.Idem Græce sive Latine significat Petrus, qui Syriace Cephas.et in utraque lingua nomen hoc a Petra derivatum esse, haud dubium,quin illa de qua Paulus ait : *Petra autem erat Christus* (*I Cor.* x). *Jacobus Zebedæi.* Ad differentiam alterius Jacobi ponit, qui dicitur Alphæi. *Et Joannes frater ejus.* His imposuit ut refert Marcus, Christus nomen Boanarges, quod est *filius tonitrui* (*Marc.* III).Apte filii tonitrui sunt cognominati,quorum unus cœlestibus vocem intonans,illam theologicam, quam nemo prius edere noverat,emisit : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I), etc.

Jacobus Alphæi et Thadæus. Jacobum Alphæi cum additamento posuit, ad differentiam Jacobi Zebedæi. Ipse est qui in Evangeliis nominatur, frater Domini, et in epistola ad Galatas.Quia Maria uxor Alphæi, soror fuit Mariæ, matris Domini, quam et Mariam Cleophæ Joannes evangelista cognominat : fortasse ideo,quia Alphæus etiam Cleophas dictus est, vel ipsa Maria, defuncto Alphæo post natum Jacobum, nupsit Cleophæ. Quod vero Jacobus merito filius Alphæi, id est *doctus*,sit cognominatus, ipsi testantur apostoli,qui eum post passionem Domini, statim in Jerusalem ordinaverunt episcopum.Thadæus autem ipse est, quem Lucas et in evangelio suo, et in Actibus apostolorum Judam Jacobi nominat.Erat enim frater Jacobi fratris Domini,ut ipse in epistola sua scribit, unde etiam frater Domini ipse vocabatur,testantibus civibus ipsius de virtutibus ejus, stupentes aiebant : *Nonne iste est filius Mariæ, frater Jacobi, et Joseph, et Judæ et Simonis ?* Ist idem Thadæus a nonnullis vocatus est Jebeus.Simon Cananæus,et Judas Scariotes qui tradidit eum, hos quoque cum additamento posuit, ad distinctionem Simonis Petri,et Judæ, fratris Jacobi. Simon autem Cananæus a Cana, vico Galilææ cognomen accepit, quem evangelista Lucas cum interpretatione posuit Simon Zelotes. Cana enim *zelus*, Cananæus *Zelotes*, id est *æmulator*. Judas eligitur ut domesticum inimicum haberet Dominus, quia perfectus est, qui nequaquam familiarem non timet,et ideo ut doceret nos pati malos inter nos, et nullum nisi convictum abjicere, et ut ostenderet apostolatum non esse meritum,sed ministerium, cum tam bene operaretur per istum malum, sicut per Petrum, miracula et sacramenta. Ista nomina ad prædicatorum significationem conveniunt. Omnis enim prædicator debet esse Petrus, id est *firmus in fide*, et Simon,id est *obediens*, Simon enim *obediens* interpretatur.Debet esse etiam Andreas, id est fortis in patientia, Andreas enim *virilis* interpretatur.Debet etiam esse Jacobus,id est *supplantator vitiorum*.Et Joannes, id est omnia ascribens gratiæ Dei,Joannes enim *gratia Dei* interpretatur.Sit etiam Philippus, qui dicitur *os lampadis*. Omnis enim prædicator, agnitionem et claritatem mentis ore debet confiteri, ut lampadem quam habet in mente,habeat etiam in ore. Nec minus sit, Bartholomæus, qui interpretatur *filius suspendentis agnas*, qui evidenter filium Dei sonat, quod prædicatorum suorum mentes, ad cœlestia contemplanda,erigit et suspendit,ut quo celsa liberius personat, eo terrenorum corda veracius,dictorum suorum guttis inebriet. Debet esse etiam Thomas, qui interpretatur *geminus* vel *abyssus*. Prima interpretatio ad propriam ejus personam pertinet.qui geminus,id est dubius in resurrectione fuit Secunda vero omni prædicatori convenit, qui altitudinem mysteriorum Dei novit.Matthæus etiam debet esse, id est *donatus* vel *assumptus*, donatus gratia Dei, assumptus de massa perditorum. Thadæus *corculus* interpretatur,quasi cor colens, quia omnis prædicator cultor cordis,non corporis debet esse. Debet esse Chananæus, id est *zelotes*, id est *Dei æmulator*. Convenit etiam ut sit Judas, id est *confessor*, et scariotes, id est memor Dominicæ passionis.Scariotes enim *memoria mortis* interpretatur.

Rabanus : Judas autem Scariotes aut a vico in quo natus est aut ex tribu Issachar præsagium suæ damnationis vocabulum sumpsit. Isachar quippe qui dicitur *merces*, pretium proditionis insinuat.Scarioth autem,quod *memoria mortis* interpretatur, arguit eum non repente persuasum, sed meditatum diutius Dominicæ traditionis patrasse flagitium.

In viam gentium ne abieritis,etc. Bis misit Dominus apostolos suos ad prædicandum.Hic videlicet ad Judæos, quibus debuit prius offerri prædicatio, quia eis facta erat promissio,ut cum illi repudiarent eam apostoli se ad gentes transferrent.Secundo ad gentes, ubi dictum est : *Ite prædicate Evangelium omni creaturæ.* In quibus missionibus quædam sunt communia, quædam specialia : In hac missione,hoc est speciale : *In viam gentium ne abieritis*, scilicet, ne gentibus prædicarent,neque Samaritanis, quod hic præcipitur. Samaritani fuerunt gentiles dimissi in terram Israel a Nabuchodonosor post captivitatem ab eo factam, et multis periculis coacti ad Judaismum sunt conversi, circumcisionem et quinque libros Moysi recipientes ; cætera vero omnino abhorrentes.Unde Judæi Samaritanis non coutebantur. Missurus, prius docentur quo eant, et quem locum devitent.

Euntes autem, etc. Postquam docuit quo eant, et quid vitare debeant, insinuat quid prædicent, et quid faciant. Ecce quid prædicent : Euntes prædicate,etc. Ecce quid faciant: *Infirmos curate, mortuos suscipite*, etc. *Gratis accepistis, gratis date.* Quia præsciebat nonnullos hoc accepti spiritus donum in usum negotiationis inflectere, ut Simon magus, vult venalitatem illam prohibere.

Nolite possidere aurum neque argentum, etc. Quia alios ad contemptum sæcularium debent invitare, præcepit ut neque aurum neque argentum,vel num-

mos in zonis possideant. Qui enim videret eos abscondere nummos et habere, putaret eos causa lucri prædicare. Per aurum et argentum accipit omnes divitias. Per pecuniam in zonis, et per peram accipit omne viaticum. Viaticum habet duas partes, vel unde emantur necessaria, vel ipsa necessaria. Per pecuniam accipitur illud viaticum,unde emuntur necessaria. In pera vero solent poni casei,panes, piper, candela,vel consimilia necessaria, et ideo per eam accipitur omne necessarium in via. Per hæc igitur duo, omne viaticum prohibetur. Qui in hac missione prohibet deferri necessarios nummos, discipulis in passione præcipit, ut qui habet peram, tollat, id est deferat eam. Quandiu enim fuit in mundo,fuit procurator eorum, et habuit loculos, ut eos pasceret, et ideo noluit ut curam haberent in sumptibus, quandiu in procuratione ejus erant.Mittebat ergo eos sine sumptu, quia ipse providebat unde viverent, inspirando mentibus recipientium. Postquam vero subtractus est a conspectibus eorum, permisit eis vicem suam, ut loculos habere liceret, sicut et habuit ipse, etsi vellent vivere de bonis subditorum, quod etiam fecit Paulus, qui multoties etiam labore acquirebat unde viveret. *Neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Non quod in locis Scythiæ rigentibus glaciali nive debeat esse contentus aliquis una tunica, sed ideo hoc præcipit, ne aliud vestimentum induti,aliud nobis futurorum timore servemus. *Neque calceamenta*, duplicia eodem modo. *Virgam* etiam non ferre præcipiuntur,ut qui habet semper auxilium Domini, baculi non quærat subsidium. Et quia quodammodo nudos et expeditos ad prædicandum apostolos miserat,et dura videbatur hæc conditio, severitatem præcepti sententia temperavit dicens :

Dignus est operarius cibo suo. Tantum scilicet ab eis accipite, quantum in victum et vestitum vobis est necessarium.

Mystice autem. Non licet magistris Ecclesiæ, aurum, et argentum, et pecuniam, quæ in zonis est, possidere, scilicet non debent sapientiam, quæ per aurum significatur, et eloquentiam, quæ per argentum exprimitur,quasi propria, vel ab alio, quam a Deo accepta, possidere ; et hoc dicitur propter privatas et hæreticas doctrinas. Vel aliter : Aurum et argentum mystice acceptum non debent possidere, id est sibi servare, sed potius talentum sibi commissum multiplicare. Non debent ferre peram, id est pondere sæculi prægravari et impediri, neque duplices animo esse,quod significaretur per duplex vestimentum, ne scilicet aliter Deo, aliter nos præsentemus mundo.Prohibet etiam calceamenta ferre, ne scilicet pedes, id est eorum affectiones mortiferis vinculis alligarentur,sed potius sanctam terram ingredientes, sensus habeant nudos, et a malorum exemplis semper alienos. Non debet aliquis calceamenta ferre, id est non debet stultorum operum exempla conspicere, ne sua opera,quasi ex mortuis pellibus credat muniri.Sunt etenim multi qui pra-

A vitatem suam ex pravitatibus alienis tuentur,ut dum alios talia fecisse considerant, se hoc facere licenter putant. Item Plato dicit duas corporum summitates non esse velandas, nec assuetam debere fieri mollitiem capitis et pedum,quia cum hanc habuerint infirmitatem, cætera sunt robustiora. *Neque virgam.*

Augustinus.Quæritur quomodo Matthæus et Lucas commemorant dixisse Dominum discipulis, ne virgam ferrent, cum Marcus dicat et præcipit eis, ne quid tollerent in via,nisi virgam tantum,sed intelligendum est sub alia significatione, dictam virgam, quæ secundum Marcum ferenda est,et sub alia illam quæ secundum Mathæum et Lucam non est ferenda, sicut sub alia significatione intelligitur tentatio,de qua dictum est : *Deus neminem tentat* (*Jac.* I), sub

B alia de qua dicitur : *Tentat vos Dominus* (*Deut.* XV), ut sciat,si diligatis eum. Illa seductionis est, ista probationis. Ita quoque dictum est, ut virgam ferrent, et non ferrent virgam. Cum enim diceret secundum Matthæum,nolite possidere aurum, et mox subdit : *Dignus est operarius cibo suo ;* ideo ergo præcepit nec virgam ferri,ostendens a fidelibus suis deberi necessaria ministris suis.Hanc quoque potestatem, virgo nomine alius evangelista signavit, cum dicit,ne quid tollerent in via,nisi virgam tantum, ut intelligatur,quia per potestatem a Domino acceptam, quæ virgæ nomine significatur,etiam quæ non portantur, non deerunt. Sequitur :

In quacunque civitate aut castello intraveritis, interrogate quis ibi dignus sit hospes ? Apostoli introeuntes urbem, scire non poterant, quis et qualis

C esset.Fama populi eligenda est,et judicio vicinorum, ne prædicationis dignitas deturpetur suscipientis infamia. Cum universis debeant prædicare, hospes unus eligitur non tribuens beneficium ei, qui apud eum remansurus est, sed accipiens : ideo dicitur, quis in ea dignus sit, ut magis se noverit gratiam accipere quam dare.

Intrantes domum dicite: Pax huic domui, etc. Pax, quæ ab ore prædicatoris offertur, aut requiescit in domo, si in illa fuerit filius pacis, aut ad eumdem prædicatorem revertitur,quia aut erit quicunque est prædestinatus ad vitam, et sequitur cœleste verbum quod audit; aut si nullus fuerit qui audiat, tamen ipse prædicator sine fructu non erit, quia ad eum pax revertetur, dum ei a Domino pro

D labore merces operis sui recompensabitur.

Et quicunque non recipit vos, etc. Hic dat sententiam super non recipientes. *Excutite.* Non sunt sacramenta vilificanda.In sacramentum enim pulvis præcipitur excuti in testimonium illis. Pulvis enim in pedibus signum est laboris viæ. Excutiant ergo in eos,ut ostendant se inaniter recepisse viæ laborem pro eis, et quod inaniter susceperunt, in eos retorquendum et puniendum. Excussio enim pulveris significat, quod nihil ab eis recipi debet terrenum, etiamsi offertur,postquam spiritualia audire nolunt. Pulvis quoque in pedibus,venialia significat peccata, quæ adhærent prædicatoribus transeuntibus per mundum. Quæ tamen propter charitatem proximi

condonantur. Quod significat ablutio pedum in cœna, et ablutio sanctarum mulierum, quæ pedes sanctorum solent abluere, quia et Dominus condonat, et amor fidelium animarum, quarum causa pedes fuerant fœdati, abluit, ita quod in nullo puniuntur illa peccata. Si autem incassum assumpta sunt illa peccata, non tamen puniuntur in apostolis, sed in illis qui eos laborare incassum fecerint, et in hoc signum pulvis excutitur in eis. Vel ideo pulvis excutitur in faciem illorum, ut prædicatores plane ostendant, nihil terrenum ab illis quærendum, cum pulverem de terra eorum non patiuntur sibi adhærere.

Amen dico vobis, etc. Quasi dicat: In tantum damnabiles erunt, quod deterius patientur in inferno Sodomitis et Gomorreis, eo quod Evangelium audierunt, et credere Evangelio noluerunt. Sodomitæ vero sine Evangelio perierunt.

Ecce ego mitto vos, etc. Quia multa adversa eis imminebant, ne forte quando acciderent, desperarent, ideo prænuntiat mala ventura, quia tela prævisa minus lædunt. Quasi dicat: Ipsi vos contemnent, sed vos exhibete omnem patientiam. *Quia ecce ego mitto vos sicut oves inter lupos*, etc. Pater misit Filium suum ad passionem, non tamen contempsit illius amorem, sic discipuli a Domino mittuntur. Sed quia prius nominaverat oves, propter simplicitatem et patientiam, præcepit eosdem esse serpentes, propter astutiam. Serpens habet cor juxta caput, et ideo servato capite, cætera percussori exponit, quia non moritur sine capite læso. Caput nostrum est fides, quæ operatur per dilectionem, quæ, si moriatur, cætera omnia moriuntur. Ea ergo servata, debet prædicator omnia sæcularia, et corpus etiam persecutori exponere, et auferri sibi tolerare. Solet etiam serpens erigere strictas rimas, per quas transiens veterem pellem exuat. Similiter prædicator, transiens per angustam viam, veterem hominem omnino deponat. In hoc differt ovis a columba, quia ovis tantum mitis est, et non recalcitrat cum interficitur: columba autem, cum iram non habet, quia felle caret, tamen iram videtur habere, cum rostro percutit. Similiter et prædicator et mitis debet esse interficienti, et correctionis amore, quasi iram debet ostendere fratri.

Cavete autem, etc. Ostendit, qui sint lupi, homines videlicet, quasi dicat: Isti lupi sunt rationales, et ideo contra astutiam debent esse, serpentes, id est astuti. *Tradent enim vos in conciliis*, etc. Consuetudo Judæorum erat, ut si quis contraria legi prædicaret, concilium faciebant, et vocato illo, qui legi eorum contrarius erat, primum prohibebant, ne ulterius talia prædicaret. Si autem propter prohibitionem non cessabat, in synagoga cum flagellis corrigebatur, sicut de Paulo legimus. Sed si nec sic acquiescere volebat, tunc præsidibus aut regibus ad damnationem tradebatur, sicut Jacobus Herodi. Et hoc est: Ideo necessarium, ut sitis serpentes, id est astuti. *Nam tradent* vos, primum *in conciliis* prohibendo, ne paædicetis in nomine meo, deinde incorrectos *flagellabunt*; tandem, *ad reges et præsides ducemini, in damnationem*; *in testimonium illis et gentibus*, qui tormenta sanctorum erunt testimonia dignæ damnationis impiorum. Redduntur enim inexcusabiles, qui interfecerunt suos prædicatores. Notandum est, quod omnes istæ malorum prænuntiationes non solum ad primam missionem, sed etiam ad secundam pertinent.

Cum autem tradent vos, etc. Quia auditis tot erroribus possent perturbari corda infirmorum, ideo consolationem supponit, cum dicat: *Cum autem tradent vos, nolite cogitare quid loquamini, aut quomodo*, id est quibus coloribus rhetoricis, et quo ornatu verborum, quasi dicat: Vos ad certamen venistis, sed ego prælior; vos verba ejicitis, sed ego sum qui loquor. *Tradent autem*, etc. Præmissa consolatione subdit graviora pericula. Graviorem enim dolorem ingerunt, quæ a parentibus inferuntur, et ideo convenienter post consolationem, ut levius lædant, ponuntur. Hæc mala non solum prædicuntur apostolis, sed etiam omnibus martyribus.

Qui autem perseveraverit, etc. Non enim maxima virtus est cœpisse, sed perfecisse, unde cauda hostiæ jubetur poni in sacrificio. Cauda finis operis est in sacrificio. Caudam ponere, est bonum opus ad finem perducere.

Cum autem persequentur vos in civitatem istam, etc. Qui invitaverat eos ad patientiam, ne viderentur non debere fugere, præcepit eos ad horam cedere, ne moriantur, cum adhuc possint prodesse. Fugit ergo Paulus de Damasco, ut multas gentes Domino converteret. Bene post perseverantiam supponit de fuga. Fuga enim perseverantiæ non est contraria. *Amen dico vobis*, etc. Et qui forsitan illi dicerent, terra Judæorum parva est, et ideo cito poterimus convertere, cum ergo fuerit conversa ad quos ibimus? Illi antipophoræ respondet. *Amen dico vobis, non consummabitis*; id est ad consummationem non ducetis civitates Israel, id est omnes Judæos, donec veniat ***Filius hominis***, id est resurgat a mortuis. Quasi dicat: Nolite putare Judæos, in hac prima missione labori vestro non sufficere, quia certe in eis satis restabit vobis opus usque ad aliam missionem, quoniam transmittam vos ad gentes. Quod erit post resurrectionem, cum eis præcipitur: *Ite prædicate Evangelium omni creaturæ*. Non ideo dicit, donec Filius hominis, quod tunc posset eos convertere, sed quia tunc eos ad gentes missurus. Vel aliter: Vos non convertetis filios Israel plenarie ad fidem, donec Filius hominis venerit, id est donec appropinquet secundus adventus. Tunc enim convertetur plenitudo Judæorum, prædicatione Enoch et Eliæ, et tunc hæc oratio non solis apostolis, sed omnibus fidelibus dirigetur.

Mystice possumus dicere: Cum persecuti vos fuerint in unam civitatem, hoc est, in uno libro Scripturarum, vel testimonio, fugite ad alias civitates, id est ad alia librorum volumina, quamvis enim

contentiosus fuerit persecutor, tamen antea veniet præsidium Salvatoris, quamvis concedatur victoria adversariis.

Non est discipulus super magistrum, etc. Seipsum proponit exemplum patientiæ,ut quod Dominus patitur,non sit grave servis tolerare,quasi dicat : Nolite mirari, si ita vos persequuntur, me enim Dominum tractabunt similiter.Non sit ergo turpe pati quod ego patior, quia non est discipulus supra magistrum, id est non est majoris meriti meus discipulus, quam ego magister. *Sufficit ergo discipulo meo*,id est sufficere debet,*ut sit sicut magister ejus*, id est ut eum imitetur, et in quo imitetur supponit. *Si patrum familias*,id est me, *avocaverunt Beelzebub*, id est principem dæmoniorum, *quanto magis vos ?* Hoc est : Si me conviciis aggressi sunt, qui sum Deus, multo magis vos, qui puri homines estis. *Nihil opertum*, etc. Quasi illi dicerent : Cum pleni sint iniquitate, et nobis convicia inferant, vos autem religiosi,dignum est, ut vicem eis reddamus,et mala eorum detegamus,et bona nostra prædicemus. Ad hoc respondet : Nolite vicem reddere conviciis, quia si mala modo eorum sunt operta, veniet dies judicii, in quo revelabuntur. Et nolite de bonis vestris gloriari,quia tunc manifestabuntur,et hoc est:

Nihil mali modo est opertum,quod non reveletur, et nihil boni occultum, quod non sciatur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine,etc. Nolite gloriari de bonis vestris,sed invictam prædicationem omnibus propalate,et hoc est : *Quod dico vobis in tenebris*,id est in figuris et obscuritatibus, *dicite in lumine*.Hoc est aperte, et *quod in aure auditis*, id est privatim, *prædicate super tecta*, id est publice. Mos enim erat in Palæstina regione, ubi non sunt tecta cacuminata,sed desuper plana, super tecta,sermonem habere ad populum, et ideo prædicare super tecta, pro publice verba dicere accipiamus. Vel, quod vobis dico in tenebris, id est dum adhuc in timore carnali estis, dicite in lumine,id est in fiducia veritatis,cum a Spiritu sancto eritis illuminati. Et quod in aure auditis,id est solo auditu percipitis, prædicate opere complendo,super tecta existentes, id est corpora vestra, quæ sunt domicilia animarum.Et prædicantes : *Nolite timere eos qui occidunt corpus*, *animam non possunt occidere, sed potius eum timete qui potest et animam et corpus perdere in gehennam*.Nomen gehennæ in veteribus libris non invenitur,sed primum a Salvatore ponitur, nec absque ratione.Idolum enim Baal,legitur fuisse ad radicem montis juxta Jerusalem, ubi fuit Siloa. Hæc vallis irrigua fuit et nemorosa,plenaque deliciis, et lucus in ea idolo consecratus.In tantam ergo dementiam populus Israel devenerat,ut deserto templo,ibi hostias immolaret, et filios suos dæmoniis incenderet.Et appellabatur locus gehennon, id est vallis filiorum Ennon.Et hoc legitur in Paralipomenon,et in libro Regum,et in Isaia,et minatus est Dominus implere illum locum cadaveribus mortuorum, ut nequaquam vocetur Baal, sed Polyandrum, id est tumulus mortuorum.Futura ergo supplicia, et pœnæ perpetuæ, quibus cruciandi sunt peccatores, hujus loci vocabulo denotantur. Sequitur :

Nonne duo passeres, etc. Quasi dicat : Non debetis timere, quia si minutissima animalia, quæ videntur per aera quasi vagari,Deus non obliviscitur, vos, qui ad imaginem Dei facti estis, ab his, qui occidunt corpus, non terreamini, quia nec vos obliviscetur.

Quærit fortasse aliquis,quomodo dicat apostolus : *Numquid de bobus cura est Deo ?* (*I Cor.* IX.) Cum utique bos preciosior sit passere. Sed aliud cura, aliud scientia.Non solum dico, quod Deus vos non obliviscitur, sed nec etiam numerum capillorum vestrorum. Et hoc est : *Vestri autem et capilli capitis numerati sunt omnes* (*Luc.* XII), non in actu computationis, sed in facultate cognitionis. Quæ servare volumus, bene numeramus, quasi dicat : Tam immensa est apud homines Dei gratia, ut nihil nostrum lateat ipsum. *Nolite ergo timere, quia vos estis meliores* (*ibid.*),id est majoris meriti et dignitatis cunctis volatibus cœli.

Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus,etc. Dixit superius : *Nolite timere*, quia non est timendum,et quandoquidem non est timendum et quandoquidem nihil est timendum, ergo audacter confitemini me, et supponit causam, scilicet, quia *omnis qui confitebitur me coram hominibus*,ut non timeat mortem pati propter me,*et ego confitebor eum coram Patre meo,dicens : Venite,benedicti Patris mei, percipite regnum.* Et quia superius præmisit : *Ecce ego mitto vos,sicut oves in medio luporum.Iterum tradent vos in conciliis*,etc., ne aliquis persecutionibus territus diceret : Apud memetipsum fidem meam, quam soli Deo debeo servabo, et quandiu cognitam scio,etsi inter homines mihi pronunciare non licet, tamen eam illis in corde servabo,quam propter rabiem persecutorum proferre non audeo, huic infirmæ cogitationi Dominus respondet : *Qui autem negaverit me coram hominibus*, id est natum, passum, mortuum,*negabo eum et ego*,etc. Negare quod Deus non sit, nec pagani possunt, tamen quod sit Filius Dei,et sit et Pater,negari ab infidelibus potest. Negatur vero unusquisque a Filio apud Patrem, cui manifestatur in divinitatis potentia Filius et Pater. Confitebitur a Filio apud Patrem, qui per Filium accessum habebit ad Patrem. Sequitur :

Nolite arbitrari, quod venerim pacem mittere in terram, etc. Quasi dicat : Non tantum volo, ut timore mortis non cessetis a confessione mei nominis, sed etiam volo, ut propter me omnes affectus parentum et amicorum rumpatis,ut nec timor mortis,nec amor carnalis vos separet a me.

Non enim veni mittere pacem, sed gladium. Totus mundus ad fidem Christi divisus est contra se.Unaquæque domus et infideles habuit, et credentes, et propter hoc bellum missum est bonum, ut rumperetur pax mala, quam Isaias sub typo Ægypti prophetico spiritu cecinit dicens : *Ecce Dominus ascen-*

det nubem levem, et ingredietur Ægyptum, et movebuntur simulacra Ægypti a facie ejus, et concurrere faciam Ægyptios contra Ægyptios (*Isa.* xix) ; his scilicet contra fidem, illis pro fide dimicantibus. Sequitur :

Veni enim separare hominem adversus patrem suum, etc. Quasi dicat : Per divini verbi gladium dividere faciam omnem affectum carnalem. Possumus ad patrem diabolum intelligere, cujus aliquando filii eramus, non illo creante, sed nobis imitantibus, sicut Dominus Judæis improperabat : *Vos ex diabolo estis* (*Joan.* viii) ; sed postquam vocem monentis audivimus : *Obliviscere populum tuum, et domum patris tui* (*Psal.* xliv), venit gladius, verbum Dei, separans nos ab invicem, et ostendit alterum Patrem, cui diceremus : Pater noster, qui es in cœlis. *Et filiam adversus matrem suam.* Mater est Synagoga, filia vero Ecclesia primitiva. *Et nurum adversus socrum suam.* Socrus Synagoga est, nurus est Ecclesia. De gentibus et gentilitate, et sponsus Ecclesiæ, Christus filius Synagogæ, dicente Apostolo, *quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem* (*Gal.* iv). Socrus igitur, id est, mater sponsi, et in nurum, sicut prædiximus, suam, et in filiam divisa est. Synagoga carnalis, sive de circumcisione, sive de præputio credentes, persequi non cessat, sed ipsæ in socrum et matrem divisæ sunt, nolentes recipere circumcisionem carnalem, ut Actus apostolorum docent. In hoc loco Lucas ait : *Erunt quinque in una domo divisi, tres in duo, et duo in tres dividentur* (*Luc.* xii). Quomodo ergo quinque ? Ecce personarum nomina subjicit : Patris, filii, matris et filiæ, socrus et nurus. Sed mater filii, ipsa est socrus uxoris ejus, ideoque illa ipsa in filiam suam, et in nurum dicitur esse divisa. Sequitur :

Et inimici hominis domestici ejus, etc. Cum quibus erat implicita anima consuetudine. Nulla enim pacis jura apud eos custodiri possunt, inter quos est fidei bellum. *Qui amat patrem aut matrem plus quam me*, etc. Quod ante promiserat, *non veni pacem mittere, sed gladium*, id est, dividere complexionem carnalium affectuum, ne quis pietatem parentum religioni anteferret, subjicit dicens : *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus*, etc. Unde legimus in Canticis : *Ordinavit in me charitatem* (*Cant.* i). *Et qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus* (*Matth.* x). Crux a cruciatu corporis nomen accepit, quæ duobus modis portatur. Cum aut per abstinentiam corpus affligitur, aut per compassionem proximi afficitur animus. Crucem ergo ferre debemus, ita tamen, ut non mundum, sed Christum sequamur. Sunt enim nonnulli qui per hypocrisim crucem portaverunt, sed Christum non sunt secuti. Sequitur : *Qui invenit animam suam, perdet eam*, etc. Quasi dicat : Vere debet seipsum homo deserere, ut possit me habere, quia qui seipsum non deserit, seipsum perdit. Unde aperte subditur : *Et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*, etc. Perdidit dico, ut propter me mortem subeat temporalem. Ne igitur ultra modum desolati reddantur, confortat. Et nota ordinem pulcherrimum. Mittit ad prædicationem. Pericula non timere docuit, affectus non prætulit religioni, aurum et argentum abstulit, æs de zona excussit. O quam dura evangelistarum conditio. Unde ergo necessaria ? Austeritatem mandatorum temperat spe promissionum, cum dicitur :

Qui vos recipit, me recipit, et qui me recipit, ille Patrem meum recipit, etc. Ut quantæ dignitatis sint, ostenderet, et eos taliter confortaret, et ut in recipiendis apostolis unusquisque credentium arbitraretur Christum suscepisse, ait :

Et qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet : et qui recipit justum, etc. In his verbis notandum est, quia non ait, mercedem de propheta accipiet, vel de justo, sed mercedem prophetæ et justi accipiet. Quid est enim, mercedem prophetæ accipiet, nisi quia is qui prophetam sua largitate sustentat, quamvis ipse prophetiam non habeat, apud Deum tamen mercedem prophetæ habebit. Iste enim fortasse justus est, et quanto in hoc mundo nihil possidet, tanto loquendi pro justitia fiduciam majorem habet. Hunc talem dum sustentat, qui in hoc mundo aliquid possidet, qui etiam fortasse, quia pro justitia adhuc libere loqui non præsumit, justitiæ se participem facit illius, ut cum eo pariter justitiæ præmia accipiat, quem suscipiendo juvat. Si enim propheta non reficitur, certum est quod vox ipsa subtrahetur. Poterat esse occulta credentium responsio, ergo et pseudoprophetas, et Judam traditorem recipere debemus. Hoc Dominus ante prævidens, dicit non personas esse suscipiendas, sed nomina, et mercedem non perdere suscipientem, licet indignus sit, qui recipiatur. Sequitur : *Et quicunque potum dederit aquæ frigidæ uni ex minimis istis*, etc. Quia aliquis poterat dicere et causari, paupertate prohibeor, et tenuitas me retinet, hospitalis esse non possum, hujus vulneri medicatus est Jesus levi præcepto, dicens : Ut calicem aquæ frigidæ bono animo porrigamus. Frigidæ, inquit, aquæ, non calidæ, ne etiam in calida paupertatis penuria, et lignorum occasio quæreretur,

Et factum est, etc. Postquam discipulo suos Dominus mittens ad prædicationem, hujusmodi verbis instituit, ipse etiam quod docuerat verbis, factis implevit, offerens primam prædicationem Judæis.

CAPUT XI.

Joannes autem cum vidisset, etc. De hoc autem evangelio, diversi auctores diverso modo sentiunt. Hilarius enim Pictaviensis ait, Joannem sibi non dubitasse, sed discipulorum ignorantiæ consuluisse. Neque enim debet credi, sancti Spiritus gratiam in carcere posito debuisse, et illum cui dixerat : *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi et iterum : Non sum dignus, ut solvam calceamenta ejus* (*Joan.* i), et iterum, *Illum oportet crescere, me autem minui* (*Joan.* iii), ignorasse. Sed videns mortem suam

proximam, voluit discipulos suos Christo adjungere, antequam discederet. Et quia discipuli sui adhuc dubitabant eum esse Messiam, cui tamen perhibuerat testimonium, mittit eos ad Jesum, quasi sub specie sua, eis interrogaret, non sibi, et duos mittit, quia in ore duorum testium stat omne verbum. Mittit ergo discipulos, quasi discipulis diceret : Si vos dubitatis, illum Messiam fuisse, cui testimonium perhibui, ite ad eum, et quærite sub nomine meo : *Tu es qui venturus es*, id est, quem prohetæ venturum prænuntiant, *an alium venturum exspectamus?* Gregorius autem refert Joannem dubitasse, quamvis enim non dubitaret, eum in propria persona in mundum venisse, baptizatum esse, aliis prædicasse, tamen ignorabat, utrum esset moriturus, et ad inferos, ad suorum liberationem, descensurus. Cum ergo mortem suam Joannes imminere videret, et se ad inferos descensurum cognosceret, voluit scire ejus adventum ad inferos, ut qui fuerat præcursor navititatis, esset nuntiator ejus ad inferos descensionis. Quærit ergo Joannes per discipulos : Tu qui venisti in mundo nascendo, es tu venturus ad inferos moriendo, an alium exspectamus, demorantes in inferno? *Et respondens Jesus, ait illis : Euntes renuntiate Joanni, quæ audistis et vidistis*, etc. Sicut Joannes sub persona sua, quasi sibi dubius quæsierat, ita Christus non discipulis, sed quasi dubitationi Joannis respondet, et in responsione sua discipulorum dubitationem removet, et operibus et prædicatione sua, corda discipulorum confirmat. Audierant enim discipuli verba prædicationis ejus, et viderant miracula virtutis ejus, dicit ergo : *Ite, renuntiate Joanni quæ audistis*, quantum ad prædicationem, *et vidistis*, quantum ad miracula. Miracula vero eis enumerat :

Cæci vident, etc. Pauperes evangelizantur, id est Evangelio convertuntur. Non enim amant cœlestia, nisi qui contemnunt terrena. Quod ipse per Prophetam de se ait : Evangelizare pauperibus misit me. *Et beatus est*, etc. Relatis miraculis, postea removet dubitationem, dicens : *Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me*, id est qui non dubitaverit de adventu meo. Secundum vero Gregorium, respondet Joanni, non discipulis, et *beatus est qui non fuerit scandalizatus in me*, id est in morte mea. Dubitabat enim Joannes, ut dictum est, de morte illius. Mystice Joannes, veterem legem significat. Sicut enim Joannes Christum annuntiavit, remissionem peccatorum prædicavit, regnum cœlorum promisit, ita et lex antiqua hæc omnia prædixit. Sed, sicut Joannes vinculis tenetur, ne Christus annuntietur, ita lex mala interpretatione Judæorum constringitur, ne annuntiare Christum videatur, tamen lex discipulos suos mittit ad intuenda opera Christi, ut considerent in eo completum, quiquid continetur in ipsa.

Illis autem abeuntibus, etc. Quia turbæ audierant Joannem hoc quæsisse, ne videretur hoc fecisse ex levitate, cum eum esse Christum modo perhibuisse, modo iterum dubitaret, ideo ab eo levitatem removet, dicens : *Quid existis in desertum videre?* quasi diceret: Quid eum putatis esse, quem toties in desertum existis videre? *Existis videre arundinem*, id est levem, qui omni vento vel prosperitatis vel adversitatis, huc et illuc flectatur? Sed iterum, *quid existis videre?* Ne iterum commotum eum aliqua cupiditate vanæ gloriæ credant, ut videlicet Christum se velle facere, vel aliquid hujusmodi, ideo ab eo vanam gloriam removet, quasi dicat : Non est inanis gloriæ cupidus, quia non quærit frequentiam hominum, sed desertum ; non molles vestes, sed cilicium; non delicatos cibos, sed locustas. Et hoc est : *Ecce qui mollibus*, etc. Quasi dicat : Si gloriam quæreret, pretiosa vestimenta amaret, et inter summos viros habitaret. *Sed tamen quid existis videre? Prophetam*, etc. Postquam levitatem et inanem gloriam, quæ de Joanne poterat suspicari, ab eo removit, deinceps in commendatione Joannis immoratur, quia confirmata ejus auctoritate, qui Christum prædicabat, Christi auctoritas confirmatur. Dicit ergo eum non solum prophetam, sed etiam plus quam prophetam, quia digito ostendit, quod prophetarum non est. Prophetarum enim est futura prædicere, non etiam demonstrare prædicta. Hoc autem ideo dicit, ut eum recipiant, cui testimonium Joannes perhibuerat.

Hic est enim, etc. Adhuc commendat eum auctoritate Malachiæ prophetæ introducentis Patrem loquentem ad Filium, quasi dicat : vere plus est quam propheta, quia est præcusor adventus Filii Dei de quo ait pater Filio ;

Ecce, mitto angelum meum. Id est nuntium meum, *ante faciem tuam*, id est ante manifestationem tuam, *qui præparabit viam tuam ante te*, prædicando et baptizando. *Amen dico vobis*, et quid dicerem per singula et commendatione ejus? *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista.* Inter natos, inquit, mulierum, non virginum; mulieres enim proprie vocantur corruptæ. Non ideo ergo Christus major esse negatur, qui non natus mulieris, sed virginis esse cognoscitur. Si autem Maria mulier aliquando in Evangelio nuncupatur, sciendum est interpretem mulierem pro femina posuisse, sicut ibi : *Mulier, ecce filius tuus.* Et ibi : *Quid mihi et tibi est, mulier.* Ex his verbis habemus, quod nullus veterum, major Joanne fuit, nec tamen inde probatur, Joannem antiquis majorem esse, quoniam tantum minor esse negabatur : non enim Joannem aliis prætulit, sed Joanni cæteros adæquavit. *Qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo*, quasi dicat : Non est minor sanctis, sed tamen minor est angelis. Deum enim aliquis in mortali vita, passibilitati subjacet, minor angelis, qui immortales sunt esse apparet. Unde etiam Christus *paulo minus ab angelis minoratus* dicitur esse. Et hoc est : *Qui autem minor est*, id est minimus angeli qui est in regno cœlorum, *major est illo.* Vel aliter, regnum cœlorum præsens Ecclesia vocatur. Minor in præsenti Ecclesia est Christus hoc est humilior, qui non ve-

nit ministrari, sed ministrare, et qui humiliavit se usque ad mortem. Cum ergo inter natos mulierum non eum [eo?] majorem dixisset, ne per hoc major Christo videretur, addit:

Qui autem, etc. Vel aliter: ita Christus qui minor est Joanne, opinione Judæorum, major est ipso, non tamen inter homines, sed in regno cœlorum, id est in Eccesia sanctorum.

A diebus autem, etc. Adhuc immoratur in commendatione Joannis, narrans mirabilia, quæ evenerunt in temporibus Joannis, quæ non acciderunt in temporibus aliorum prophetarum. Et hoc est: *A diebus ejus*, prædicationis Joannis, usque nunc, id est usque ad prædicationem meam, *regnum cœlorum vim patitur*, id est videtur pati vim, et dictum est per simile. Si enim aliquod regnum extraneis daretur, et filiis regni auferretur, violentia esse videretur. Similiter Pharisæi et Scribæ, qui in conspectu hominum justi apparebant, filii regni cœlorum videbantur, publicani vero et peccatores, quasi a regno longe erant, dicit ergo, regnum cœlorum patitur vim. Cum enim Judæi justi in lege, filii hujus regni viderentur, illi ejiciuntur foras, et meretrices et publicani, qui regno tanto indigni videntur, per peccatorum confessionem, intrant locum alienum, et in terra generati, sedem cœlorum possident per virtutem, quo non poterant intrare per naturam. *Et violenti*, id est qui violenter domant carnem suam *rapiunt cœlum*, quamvis alieni. Vel de gentibus potest intelligi esse dictum, quia cum gloria Israel, patribus debita a prophetis nuntiata, a gentibus credentibus occupetur regnum cœlorum, quasi vim patitur, id est pati videtur. *Omnes enim Prophetæ* etc. Dictum est superius, quia regnum cœlorum vim patitur, quando a peccatoribus bene operantibus rapitur, et vobis, o Judæi, aufertur, nec immerito, quia lumen respuitis, in umbra versari vultis, quare penitus inexcusabiles estis. *Quia omnes Prophetæ et lex*, id est quinque libri Moysi *usque ad Joannem prophetaverunt*, id est status Veteris Testamenti, usque ad Joannem duravit. A Joanne enim nova incipit gratia, et prætermissæ umbræ veritas. Non intellegitur quod Joannes prophetarum finis sit, sed ille qui Joannis testimonio prædictus est, intelligitur, neque quod post Joannem prophetas excludit, cum legamus in Actibus apostolorum, et Agabum prophetasse, e tquatuor virgines filias Philippi, sed quod lex et prophetæ, quos scriptos legimus quidquid prophetaverunt de Domino venturo, vaticinati sunt. Quando ergo dicitur: *Omnes Prophethæ usque ad Joannem prophetaverunt*, Christi tempus ostenditur, ut quem illi dixerunt venturum, Joannes venisse ostendit, in quo etiam ipse Joannes commendatur, et ut adhuc commendabilior appareat, subjungit: *Ipse est Helias qui venturus est*, non quod eadem anima, ut philosophi et hæretici suspicantur, et in Helia et in Joanne fuerit sed quod eadem habuerunt Spiritus sancti gratiam, vel eamdem Spiritus mensuram. Sed et vitæ austeritas rigorque mentis Heliæ et Joannis, pares sunt, ille in eremo, iste in eremo. Ille zona pellicea cingebatur, et iste simile habuisse cingulum perhibetur. Ille quia regem Achab et Jezabel impietatis arguit, fugere compulsus est. Iste quia Herodis et Herodiadis illicitas arguit nuptias, capite truncatur. Sunt qui propterea Joannem Heliam vocari putant, quia quomodo in secundo adventu Salvatoris juxta Malachiam præcursurus est Helias, et venturum judicem nuntiaturus est sicut Joannes in primo adventu fecerat, et ita uterque fit nuntius: Iste adventus primi, ille adventus secundi, unde merito subditur:

Qui habet aures audiendi audiat. Si enim planus esset sensus, et manifesta sententia, quid necesse fuit, nos ad illius intelligentiam invitari, nisi ut nos moneret, ea quæ de Helia Dominus dixit, non carnaliter, sed spiritualiter debere intelligere.

Cui autem simile existimabo generationem istam? Similes sunt pueris sedentibus in foro, etc. Tantus est Joannes, sed vos nec ei, nec mihi voluistis credere, et ideo, cui vos similes æstimabo? Per generationem accipit communiter et Judæos, et se etiam cum Joanne, quia aliter non diceret: *Similis est pueris*, etc., cum non solum Judæi, sed ipse etiam Joannes et Jesus pueris comparentur. Pueri dicunt sociis in ludo: Vos non estis socii nostri, quia quando cecinimus modo in ludo, vos non saltavistis, et quando ploravimus in ludo, vos noluistis nobiscum plorare. Similiter sunt duo status in sanctis, luctus pro peccatis, gaudium pro Redemptione nostra, quæ utraque prophetaverunt antiqui prophetæ. Alius enim dicit: *Convertimini in toto corde vestro*, etc. David vere ad gaudium nos invitat, cum ait: *Hæc est dies quam fecit Dominus, exultate et lætate in ea.* Similiter Christus et Joannes nos invitaverunt, alius ad lucem, sicut Joannes, qui jejunavit, et ad pœnitentiam invitavit. Alius ad gaudium sicut Christus qui in signum æternæ refectionis non jejunabat cum apostolis sed comedebat, et ad gaudium nostræ redemptionis invitabat, quasi dicat: Ego, et sequaces mei apostoli et prophetæ cecinimus in foro, id est in Jerusalem, ubi omnes conveniebant, id est gaudium vestræ redemptionis prædicavimus, et vos, qui eratis nobis coæquales, quia de eadem gente et promissione, noluistis saltare, id est mente et corpore, de redemptione vestra congaudere. Joannes et alii prophetæ lamentaverunt, id est ad luctum pœnitentiæ invitaverunt, et vos noluistis cum eis plangere. Imo vocastis Joannem dæmoniacum, qui tantum potest jejunare, me autem voracem, qui in signum vestri gaudii, et æternæ refectionis manduco. Sed ego, quidquid vos dicatis, qui sum sapientia Patris, justificor a filiis meis, id est juste agere dicor ab apostolis. Vel sapientia justificatur a filiis suis, id est ab operibus suis, id est opera quæ ipse facit et generat, ostendunt sapientiam justam esse.

Tunc cœpit exprobrare, etc. Qui huc usque com-

muniter increpaverat Judæos, nunc nominatim quasdam civitates increpare incœpit, quibus specialiter prædicaverat, nec tamen converti volebant, dicens : *Væ tibi, Corozaim! væ tibi, Bethsaida!* Corozaim oppidum Galilææ est; est autem nunc desertum. Bethsaida est civitas Galilææ, Petri, et Andreæ, et Philippi, quæ est prope stagnum Genezareth, et non longe ab istis, Capharnaum; quæ civitates idololatriæ et vitiis deditæ. Præferuntur autem ideo, quod Tyrus et Sidon naturalem legem tantum contempserunt. Istæ vero post transgressionem legis naturalis et scriptæ, etiam signa quæ apud eos facta sunt, contempserunt. Quæritur ubi scriptum est, quod in Corozaim et Bethsaida Dominus fecit signa, sed superius legimus, quia circuibat civitates omnes, et vicos, curans omnem infirmitatem. Inter cæteras ergo urbes et vicos existimandum est, Dominum in istis signa fecisse. AUGUSTINUS. Sed oritur quæstio, qua ratione Dominus illis imprecatur, cum alibi præcipiat diligere inimicos nostros. Et Apostolus : *Benefacite, et nolite maledicere* (*Rom.* XII). Sed facile solvitur, non enim voto optantis dicuntur talia, sed prævidentis spiritu. Non enim, quod ait Dominus, væ tibi, aliud sonat, quam aliquid mali eventurum, merito infidelitatis. Corozaim, *mysterium meum* interpretatur, quæ nominis interpretatio summa est ejus confusio; quanto magis enim mysteria et opera Dei novit, tanto magis damnanda, quia non credidit. Bethsaida *domus fructuum vel venatorum* interpretatur. Hac quoque interpretatione damnabilem istam possumus ostendere; dicit itaque : Væ tibi Corozaim, quæ mysteria mea novisti, et tamen credere noluisti! Væ tibi Bethsaida, quæ mihi fructificare debuisti, et non fructificasti! *quia si in Sidone et Tyro factæ fuissent virtutes, quæ in te factæ sunt*, id est si in gentilibus populis, diabolicis tentationibus angustiatis et venatis, id est deceptis, tot signa fecissem, *olim egissent pœnitentiam in cinere*, conditionem memorando, *et cilicio*, id est jejuniis carnem domando. Tyrus enim *angustia*, Sidon vero *venatio* interpretatur. Ideo Tyro et Sidoni, prius non prædicavit, nec signa fecit, quod postmodum tamen fecit, quia tunc apud illos erant qui salvandi non erant, nec ad vitam reparari merebantur. Subtili ergo occultoque judicio, a quorumdam auribus prædicatio sancta subtrahitur, quia suscitari per gratiam non merentur. Impletum ergo videmus hodie dictum Salvatoris, quia scilicet Corozaim et Bethsaida præsente Domino credere noluerunt. Tyrus autem et Sidon postea evangelizantibus discipulis crediderunt, tantaque fide et devotione fuerunt, ut Paulum Tyro abeuntem, cuncti cives cum uxoribus et filiis foras civitatem prosequerentur, pulcherrimoque speculo, tanta hominum multitudo paucissimos hospites, sed sibi charissimos ad naves usque valedictura perduceret. Quamvis prævidebat Deus illos habiles esse ad conversionem, tamen non fuit injustitia, sed eos qui peccatores erant, et ideo indigni, noluit vocare, quia cui vult miseretur, et quem vult indurat, hunc per misericordiam, illum per justitiam. Proposuerat Dominus, ut salus non offerretur gentibus, donec Judæis esset oblata, et ab eis repudiata, Tyrus vero et Sidon, erant civitates gentium, quæ postea per apostolos conversæ sunt. Sed quare Deus negat gratiam libenter suscepturis, et gratiæ consensuris, non est nostrum scire, sed hoc solum audemus affirmare quod juste agit, si peccatores respuit. Sed quare hunc eligit, non consensurum gratiæ, illum autem tam bene consensurum gratiæ negligit, soli Deo notum est, et quibus Deus vult revelare. Non suscepturis igitur offertur gratia, ut inexcusabiles reddantur, et ut prædicatio prius oblata Judæis, et ab eis repudiata, ad gentes opportuno tempore transferatur. *Verumtamen Tyro et Sidoni.* Quamvis illis non sit facta prædicatio, et non sint conversi ad fidem, tamen *remissius erit in die judicii quam vobis.* Dignius est enim, ut illi puniantur, qui prædicationem receperunt, et tamen ei non consenserunt, quam illi qui prædicationem non audierunt. *Et tu Capharnaum*, etc. Non solum Bethsaidæ et Corozaim væ erit, sed et tibi, Capharnaum, quia tu *nunquid exaltaberis usque ad cœlum*, etc. Hic duplex est intellectus, quasi dicat: quia contra me in cœlum, et contra meam prædicationem insurrexisti per superbiam, *ad inferna descendes*, vel aliter : Tu usque ad cœlum per laudem fidelium exaltaberis propter prædicationem meam in te incœptam, et propter miracula mea in te ostensa, nonne usque ad inferna descendes, quæ neque prædicationi meæ, neque miraculis credere voluisti? *Quia si in Sidone*, etc. Sodomitæ peccatores erant, et ideo indigni quibus gratia offerretur Dei, sed tamen habiles consentire, si offerretur; sed tamen Dominus ex justitia damnavit eos, nec misit prædicatores, nec fecit in eis hujusmodi virtutes, quia nondum tempus erat prædicationis, nec adventus Christi. Quare autem noluit gratiam offerre eis qui consensuri erant, ipse novit qui omnia novit. Sciendum est, quia Capharnaum *pulcherrima villa* interpretatur, quæ miraculis Domini coruscavit, sed nomen suum in contrarium sibi cessit, dum in infidelitate permansit. *In illo tempore*, etc. Quia sciebat multos de hac quæstione dubitaturos, respondit cogitationibus eorum dicens : *Confiteor tibi, Pater*, id est gratias ago tibi, et in te exsulto, Domine cœli et terræ, quasi dicat : Qui potes facere cœlos quosque vis, id est qui potes revelare cuivis occulta consilia tua, et eadem potes aliis occultare, ut jam cœlum non dicantur, sed terra. Confiteor dico, quia *abscondisti hæc a sapientibus*, scilicet quare his non fuit prædicandum, et quare illis fuit, et cætera hujusmodi a sapientibus et prudentibus, id est a Pharisæis nec non etiam ab aliis, qui videntur sibi sapientes in divinis et prudentes, id est astuti in humanis, et *ea* quæ aliis sunt occulta, *revelasti parvulis*, id est humilibus. Revelasti dico in parte, et si non ex toto, et ne aliquis iterum instet, et quærat cur hoc sit, subjungit : *Ita fit, Pater, quoniam pla-*

citum est ante te, id est in conspectu tuo, nec tamen sine oratione placet tibi hoc, quidquid enim agis, aut juste, aut misericorditer.

Augustinus. Confessio dupliciter intelligitur : confessio de peccatis, confessio de laude quæ Christo tantum convenit. Confessionem vocat Scriptura generaliter, quidquid manifeste sicut cernitur, enuntiatur. Quod autem dixit : *Abscondisti hæc a sapientibus, et revelasti parvulis*, ideo dixit, ut probaret se tumorem damnare. Quod vero subdit, *ita Pater*, *quoniam sic placitum est tibi*, blandientis affectu loquitur ad Patrem, ut cœptum in apostolis beneficium compleatur. Hoc enim placet illi, ut humilis redeat, qui superbiendo recessit ab illo, unde sequitur : *Omnia sunt mihi tradita a Patre meo*, quasi diceret : Parvulis qui de se non præsumunt, revelantur, quia per me revelantur. Et vere per me revelantur, et revelari possunt, quia *omnia tradita sunt mihi a Patre meo, et nemo novit Filium, nisi Pater*, etc. Quasi dicat : Non solum Pater dedit mihi illos, qui per me habent accessum ad illum, sed et quod notificatum est nomen meum, hoc est per Patrem. Pater dicitur tantum noscere Filium, quia quod Filius noscitur, hoc gratiæ Patris tantum ascribitur, et intellige Filium hic incarnatum. Et e converso, *nemo novit Patrem nisi Filius*, incarnatio enim verbi Dei Patris, et divinæ majestatis notificatio fuit, ut ostendatur quædam familiaritas, et quasi quædam conjunctio inter caput et membra, id est inter Christum et fideles subjungit : *Et cui voluerit Filius revelare*. Ostenditur enim quædam identitas notitiæ, inter Patrem et Filium, et familiaritas Filii ad Patrem : non enim dixit, cui voluerit Pater revelare, sed dixit, cui voluerit Filius revelare. Nota, quod quando dicit, nisi Filius, per unam personam intelligit totam Trinitatem.

Venite, etc. Et quia per me est revelatio, et omnia mihi sunt tradita, ergo *venite ad me*, sicut submonuit Joannes. Ad hoc enim tendebat commendatio ista Joannis, et ad hoc iterum commendatio sua, ut ad eum omnes venirent. Et hoc est : Venite passibus fidei, *qui laboratis* in lege, id est in jugo legis, quod neque vos, neque patres vestri portare potuistis, *et onerati estis*, pondere peccatorum, *et ego reficiam vos*; id est non solum exonerabo, sed etiam in æternæ vitæ refectione saturabo.

Tollite super vos, id in superiori vestro, in anima scilicet *jugum meum*, id est jugum præceptorum meorum *et* tollendo *discite a me*, id est exemplo meo, esse mites, ut non murmuretis, et humiles, ut adversa patienter toleretis. Et hoc modo quietem mentis habendo, *invenietis* tandem *requiem* sempiternam *animabus vestris*. Et ne abhorreatis ferre jugum meum : scitote quia *suave* scilicet *est jugum* fidei, et *onus* præceptorum meorum *leve est*. Quid jugo ipsius suavius ? quid onere levius ? probabilem Deo fieri, abstinere a scelere, bonum velle, malum nolle, amare omnes, odisse nullum, æterna conse-

A qui, præsentibus non capi, nolle inferre quod sibi ipsi molestum est perpeti, hæc levia sunt.

CAPUT XII.

In illo tempore. Ista quæ sequuntur post mortem Joannis facta esse creduntur. Videntur enim omnia sequentia intra se continuari, quibus relatis postea supponit. *Audivit Herodes tetrarcha famam Jesu, et ait : Hic est Johannes Baptista, et ipse surrexit a mortuis* (*Matth*. XIV). Unde concipitur, ista omnia post mortem Joannis esse completa. Cum enim Joannes discipulos suos ad Jesum misisset, creditur post paululum decollatus fuisse, unde cum dicat : In illo tempore, inde terminatum tempus poni videtur, sed ad litteram redeamus.

Abiit Jesus sabbato per sata, et discipuli illius cœ-
B *perunt vellere spicas, et manducare*. Legimus in sequentibus, quia multi erant qui veniebant et redibant, nec manducandi spatium discipuli habebant, et ideo ut homines esuriebant; quod autem spicas segetum manibus fricant, et inediam consolantur, vitæ austerioris indicium est, quod scilicet non præparatas epulas, sed simplices cibos quærebant.

Pharisæi autem videntes, dixerunt ei, etc. De sabbato judicabant apostolos, et non de avulsione frugis alienæ, quia Moyses in lege præcepit : *Si introieris in vineam aut in segetem amici tui, comede quantum vult anima tua* ; *falce autem non metas, neque foras ejicias* (*Deut*. XXIII). Idcirco de solo sabbato calumniantur, et non de frugibus. Mystice discipuli per sata transeunt, cum doctores sancti, quos verbo veritatis instruere quærunt, cura piæ
C sollicitudinis inspiciunt, et qualiter unum quemque et quo ordine ad salutem attrahere debeant, sedula consideratione perpendunt, et salutem hominum esuriunt. Vellere spicas, est homines a terrena intentione, qua radicem cordis infixerant, eruere. Fricare vero spicas, quod alii evangelistæ referunt, est exuere homines, quasi grana a paleis vitiorum cum manibus virtutum. Manducare, est mundos corpori Ecclesiæ incorporare.

At ille, etc. Dominus defendit discipulos suos per necessitatem famis, et ostendit similiter David necessitate violasse legem, comedendo eo die panes propositionis, quos soli sacerdotes debent comedere, et tamen David non vituperatur, per quod liquido apparet Moysen nunquam intellexisse, cum præce-
D pit nullum opus servile in sabbato fieri, quod aliquis non faceret aliquod opusculum propter necessitatem. Ille enim proprie dicitur facere servile opus, qui peccatum committit; faciunt itaque apostoli contra litteram, sed non contra sententiam. In illo enim facto præfiguravit David figuras illas destruendas tandem, sicut Samuel destructionem sacerdotii præfiguravit. David fugiens Saulem venit in Nobe, et ab Abimelech sacerdote susceptus, postulavit cibos, qui dum panes laicos non haberet, dedit consecratos, quibus non licebat vesci, nisi solis sacerdotibus et levitis; et hoc tantum interrogavit, si mundi essent pueri a mulieribus : et illo respondente, ab

heri et nudiustertius, non dubitavit panes dare (*I Reg.* XXI), melius arbitratus, propheta dicente, *misericordiam volo, et non sacrificium*, de famis periculo homines liberare, quam Deo sacrificare. Hostia enim Deo placabilis, salus hominum est; figurate autem, quod David et pueri ejus panes acceperunt sanctificatos, ostendit sacerdotalem cibum ad usum esse transiturum populorum, sive quod omnes sacerdotalem vitam debemus imitari, sive quod omnes filii Ecclesiæ sacerdotes sunt. *Aut*, etc. Defenderat apostolos per necessitatem, adducit etiam exemplum ubi Judæi violant legem sine necessitate, quando scilicet sacerdotes violant sabbatum, hostias eo die interficiendo, excoriando, et similia. *Dico autem vobis*, etc. Quia illi possent dicere, quod ministerium templi eos excusat. Respondetur : Quia, si ministerium templi eos excusat, tunc ministerium Christi debet illos apostolos excusare, quia ipse major est templo. Dum enim sunt intenti prædicationi Christi, non possunt quærere cibos, et ideo spicas evellunt. Si autem vellent excusare David et suos per regiam potestatem, Christus similiter rex est, et suos excusare potest per regiam potestatem.

Si autem, etc. Non solum propter necessitatem parcere eis debuissetis, sed etiam propter misericordiam. Sed quia immisericordes estis, ideo parcere nescitis. Et hoc est. *Si sciretis*, etc. Auctoritatem prophetæ de misericordia superius expositam adducit : *Dominus enim est*, etc. Est et alia causa quare possunt legem violare, quia sunt servi illius qui est Dominus sabbati, et ideo potest legem mutare pro voluntate sua, qui fecit eam. *Et cum inde transisset*, etc. Hoc videretur in eodem Sabbato factum fuisse, nisi Lucas diceret : *Factum est autem in alio sabbato, ut intraret in synagogam et doceret. Et erat ibi homo* (*Luc.* VI), etc. *Et interrogabant eum.* Matthæus refert illos interrogasse, si licet sabbatis curare ? cum Marcus et Lucas referant, Christum hoc interrogasse, si licet sabbatis benefacere ? Sed sciendum est utramque interrogationem factam fuisse. Cum autem quæsissent, an liceret sabbato curare ? Respondit Christus : *Nonne licet benefacere sabbato ?*

Quis erit ex vobis, etc. Sic solvit propositam quæstionem, ut interrogantes avaritiæ condemnaret. Si vos, inquit, in sabbato ovem, aut aliquodlibet animal in foveam decidens eripere festinatis, non animali, sed vestræ avaritiæ consulentes, quanto magis ego hominem, qui multo melior est ove, debeo liberare ? Itaque licet sabbatis benefacere.

ALLEGORIA. Homo qui manum habebat aridam humanum genus significat, infecunditate boni operis arefactum, sed Domini miseratione curatum. Cujus dextera, quæ in primo parente aruerat, dum vetitæ arboris poma decerperet, per redemptionis gratiam, dum insontes manus in crucis arbore extenderet, bonorum operum crucis est restituta saluti. Et bene in synagoga manus erat arida, quia ubi scientiæ donum est majus, ibi gravius est inexcusa- A bilis noxæ periculum. Sananda manus arida jubetur extendi, quia infructuosæ animæ debilitas nullo melius ordine quam eleemosynarum largitate curatur. Unde Joannes Baptista turbis sciscitantibus quid facerent, ut non velut arbores aridæ mitterentur in ignem, hoc solum præcipit : *Qui habet duas tunicas det non habenti, et qui habet escas, faciat similiter* (*Luc.* III). Et in Ecclesiastico dicitur : *Fili, non sit manus tua ad accipiendum porrecta, et ad dandum collecta* (*Eccle.* IV). Frustra enim manus ad Deum pro peccatis rogaturus expandit, qui non has ad inopem rogantem beneficium laturus extendit.

Et restituta est, sicut altera, sanitati, etc. Per sinistram manum, mala operatio intelligitur, et B per dexteram, bona. Sicut ergo mala operatio in eis prius vigebat, sic et bona in eisdem cœpit vigere.

Exeuntes autem Pharisæi consilium faciebant adversus eum, etc. Cum neque verbis, neque factis possent eum deprehendere, dolo volunt eum aggredi, et mortem ejus machinantur. Merito ergo dicuntur exire, qui a præsentia divinæ gratiæ remoti erant.

Jesus autem sciens, recessit inde, et secuti, etc. Secessit Jesus, quia parcebat vesaniæ eorum, ne eos pejoraret, si se periculo objiceret; et nondum venerat hora passionis, cujus locus extra Jerusalem non erat, et accessit, ubi plures invenit, sese per timorem sequentes. *Et præcepit eis*, etc. Hanc mortalitatem in nobis generat, ne cum magnum aliquod fecerimus, laudem humanam quæramus. Spiritua- C liter autem recessit ab eis, cum eos deserit gratiam subtrahendo, et ad gentes transivit, in quibus secuti sunt multi eum per fidem et bonam operationem, et curavit eos per remissionem peccatorum.

Ut adimpleretur, etc. Ostendit per auctoritatem Isaiæ, quod Christus quærebat Judæorum salutem, non eorum destructionem, et ideo eis insultantibus non reclamavit, sed omnia æquanimiter pertulit, usque ad diem resurrectionis. Multa autem in hac auctoritate ponuntur, quæ ad rei præsentis confirmationem non pertinent, sed totus locus illius Scripturæ gratia Patris inducitur. Verba auctoritatis sic exponuntur. Dictum est per Isaiam prophetam dicentem in persona Patris : *Ecce puer meus*, qui formam servi accipiens, minor me factus est, *quem* D *elegi*, ad opus cui non erat alius idoneus, *dilectus meus specialiter, in quo bene complacuit anima mea*, quia per ipsum genus humanum perditum voluit restaurare. *Ponam ergo spiritum meum super eum*, scilicet spiritum sapientiæ, et intelligentiæ, et fortitudinis, et scientiæ, et pietatis, et timoris, et consilii (*Isa* II). Spiritus iste super eum, in specie columbæ perhibetur descendisse, non super Dei Verbum, et Unigenitum, qui de sinu Patris exiit, sed super eum de quo dictum est : *Ecce puer meus, et judicium meum gentibus nuntiabit* (*Isa.* XLII) ; unde Psalmista. *Deus, judicium tuum regi da, et justitiam tuam filio regis* (*Psal.* LXXI). Et in evangelio : *Pater*

nor judicat quemquem, sed omne judicium dedit Filio (*Joan.* v). Et hic talis non *contendet*, quia oblatus est, sicut ipse voluit, quando manibus persequentium se ultro tradidit. *Neque clamavit*, quia *sicut ovis ad occisionem ductus est; et sicut agnus coram tondente se obmutescet, sic non aperuit os suum* (*Isa.* LIII), *neque audiet quisquam in plateis vocem ejus quia arcta et angusta est via, quæ ducit ad vitam, lata et spatiosa, quæ ducit ad perditionem, et multi ingrediuntur per eam* (*Matth.* VII). Isti sunt qui vocem non audiunt Salvatoris, quia non sunt in arcta via, sed spatiosa. Unde his, qui foris erant, non sua voce, sed per parabolas loquebatur. Sequitur :

Arundinem quassatam non conteret. Arundinem vocat Judæos, quos et a vento agitatos, et quasi ab invicem dissipatos, non statim condemnabit, sed patienter supportabit. *Et linum fumigans non exstinguet*, id est, populum de gentibus congregatum, qui, exstincto naturalis legis ardore, fumi amarissimi et oculis noxii tenebrosæque caliginis involvebatur erroribus, quem non solum non exstinxit, et redegit in cinerem sed econtrario de parva scintilla, et pene moriente, maxima exsuscitavit incendia, ita ut totus orbis arderet igne Domini Salvatoris, quem venit mittere super terram ; et qui modicam fidei scintillam contemnit in parvulis, hic linum fumigans exstinguit, quod Christus non fecit. Ad hoc enim venit, ut salvum faceret quod perierat ; non confringet dico, neque exstinguet, *donec judicem*, scilicet hujus mundi principem, qui jam judicatus est, *ejiciat de mundo ad victoriam* suam. Unde alibi : *Nunc princeps mundi ejicietur foras*, vel donec occultum Dei judicium manifestetur, *et in nomine ejus gentes sperabunt.* Unde Isaias : *Erit radix Jesse* (*Isa.* XI), et qui exsurget regere gentes, in eum gentes sperabunt. Vel lignum possunt esse Judæi, qui in se aliquam scintillam veritatis per legem habebant, sed amarissimas sententias emittebant. Non pejoravit Christus quantum ad se, non exstinxit illum ignem, sed voluit prædicationem et correctionem augmentare. Tandiu scilicet noluit eos destruere nec damnare, sed omnia pati, donec judicium, quod factum est, in eum ejiciat ad victoriam suam, quod fuit in die ascensionis Post ascensionem enim ejus eos per Titum et Vespasianum destruxit. Vel donec suum judicium, quod prius occultum erat, quandiu illis parcebat, ejiciat, id est, manifestat, quod fecit in die captivitatis, et in tempore aliarum ultionum.

Tunc oblatus est ei homo dæmonium habens, etc. Dæmoniacus iste, non solum mutus, sed etiam cæcus esse monstratur, curatusque fuit a dæmonio, ita ut loqueretur et videret ; quod tunc carnaliter factum, quotidie completur in conversione credentium, ut, expulso prius dæmone, fidei lumen aspiciant, deinde ad laudes Dei ora prius tacentia relaxentur.

Quo facto stupebant omnes turbæ, et dicebant : Nonne hic est filius David, etc. Turbæ stupebant, et confitebantur esse Deum, qui tanta signa faciebat; sed Pharisæi calumniabantur opera Dei dicentes : *Hic non ejicit dæmonia, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum.* Et non hæc aliqui de turba, sed Pharisæi et Scribæ calumniabantur. Turbæ enim, quæ minus eruditæ videbantur, facta Domini semper mirantibus, alii contra, vel hæc negare, vel quæ negare nequiverant, sinistra interpretatione pervertere laborabant, quasi hæc non divini, sed immundi spiritus opera fuissent, id est, Beel, qui Deus erat Accaron illius loci. Unde Accaronitæ dicuntur. Nam Beel quidem ipse est Baal ; Zebub autem musca vocatur. Beelzebub ergo Baal muscarum, id est, vir muscarum, sive *habens muscas* interpretatur, propter sordes scilicet immolatitii cruoris, ex cujus spurcissimo ritu, vel nomine principem dæmoniorum nominabant.

Sciens Jesus cogitationes eorum, etc. Non ad dicta, sed ad cogitata respondet, ut vel sic compellerentur credere potentiam ejus. Vel : Hæc argumentatio plus dicta est ad ædificationem fidelium, et scripta, quam ad correctionem Pharisæorum. Hæc argumentatio per discretam ratiocinationem facta, partem adversarii ad falsum ducit. Cum enim eum dicerent in potestate Beelzebub dæmonia ejicere, hanc sententiam ad hoc inconveniens ducit, quod si per dæmones ejiceret, tunc dæmones destructionem sui regni quærerent, quæ argumentatio sic ordinatur. *Si ego ejicio dæmonia in Beelzebub, tunc Satanas Satanam ejicit*, et si Satanas Satanam ejicit, tunc Satanas Satanæ contrarius est, et ita a se divisus. Hanc consequentiam habemus, ubi ait :

Et si Satanas Satanam ejicit, et si Satanas a Satana divisus est, quomodo stabit regnum ejus? Et hoc ponit sub interrogatione dicens : *Quomodo stabit regnum ejus?* Hanc autem ultimam consequentiam probat per universales præmissas, quasi dicat : Vere si est a se divisus, desolabitur regnum ejus ; quia *omne regnum divisum contra se desolabitur*, et vere omne regnum, quia omnis civitas : et vere omnis civitas, quia omnis domus, iterum a minori. Cum ergo secundum hoc, quod Satanas Satanam ejiceret, desolatio regni ejus sequeretur ; tunc Satanas desolationem sui regni quæreret, si alius alii repugnaret. Eligant ergo Pharisæi quod voluerint. Si Satanas Satanam non potest ejicere, nihil contra Dominum, quod dicerent, invenire potuerunt : si autem potest, multo magis sibi prospiciant, et recedant de regno ejus, quod adversum se divisum, stare non potest.

Et si ego in Beelzebuth ejicio dæmones, filii vestri in quo ejiciunt? Iterum alia argumentatio. Apud Judæos erant exorcistæ, qui per exorcismos a Salomone inventos, sæpe dæmonia ab obsessis corporibus ejiciebant. Vere ergo ejicio potentia divina ab hominibus dæmones, quia filii vestri ejiciunt in virtute Dei.

Si ergo expulsio dæmonum in filiis vestris Deo, non dæmonibus deputatur, quare in me idem opus non eamdem habeat causam ? cum et mea opera

non videantur, nisi bona, et cum ad invocationem A Dei, sicut et illi, dæmones ejiciam ? Et hoc est :

Et si ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri, id est, exorcistæ vestri, *in quo ejiciunt?* Vel etiam filii possunt vocari apostoli, de quibus certum erat, quod nullius conscii erant maleficii, cum idiotæ et illitterati essent, et tamen miraculis eos quotidie coruscare videbant, et dæmonia ejicere. Si ergo discipuli ejus per Spiritum sanctum dæmonia ejiciunt, multo magis hoc de magistro eorum credendum est.

Ideo ipsi, etc. Hoc de exorcistis, vel discipulis potest legi. Quia exorcistæ per invocationem Dei dæmonia ejiciebant, erunt causa damnationis Judæorum, cum Judæi videant puros homines, et minoris meriti, posse divina virtute dæmones ejicere, et ta- B men hoc de filio Dei præsumunt dubitare. Erunt ergo judices non potestate, sed causa. De apostolis quoque dicitur ita : Quia apostoli, qui sub discipulatu meo miracula facientes, meæ virtutis sunt testes, et vestram nequitiam damnantes, ideo judices vestri erunt, quia cum super duodecim tribus sedentes judicabunt, vos etiam cum impiis damnabunt.

Si autem, etc. Ecce altera pars complexionis, quasi dicat : Aut ego ejicio dæmonia per Spiritum sanctum, aut per Satanam, sed si per Satanam, quæ sunt prædicta sequuntur. *Si autem in Spiritu*, hæc est utilitas vestra, quia per hoc *pervenit* in vos, hoc est, intra vos, *regnum Dei.* Diminutio autem regni diaboli, est augmentatio regni Dei.

Aut quomodo, etc. Alia probatio. Vere ego ejicio C dæmonia in Beelzelub, quia contrarius sum ei. Et vere contrarius sum ei, quia intravi in domum illius, hoc est, in mundum, et diripui vasa illius, hoc est, homines, in quibus habitabat, per fidem subtraxi, et ut possem ei illos diripere, eum prius alligavi, id est, potestatem hominibus nocendi eripui ei, quia *quomodo potest aliquis intrare in domum fortis, et vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem*, etc. *Qui non est mecum contra me est,* etc. Ego sum contrarius ei, quia ipse est contrarius mihi. Et hoc est :*Qui non est mecum, contra me est*, et vere est contrarius mihi, *quia ego congrego, et ipse spargit.* Ille enim ad multa bona sæcularia, ego ad summum bonum singulare. Ille ad discordiam, ego ad dilectionem.

Ideo dico vobis : Omne peccatum et blasphemia, D *remittetur hominibus, spiritus autem blasphemia, non remittetur, etc.* Ostenso per rationem, quod in Beelzebub non ejicit dæmonia, vult dare sententiam super Judæos, qui peccant in Spiritum sanctum. Hanc scilicet quod hoc peccatum est eis irremissibile. Sed videamus, quid est peccare in Spiritum sanctum. Angelus in fortitudine scientiæ et substantiæ conditus est, ita quod et profundam cognitionem habuit, et facultatem exsequendi ex fortitudine substantiæ. Cum ergo in tanto bono abundaret, videns divinam essentiam præstantiorem multo se, contra conscientiam suam, non ex aliqua infirmitate cœpit Deo invidere, et voluit se ei parificare. Non ergo ex infirmitate ignorantiæ neque substantiæ contra Deum peccavit, sed ex sua pravitate, cognoscens tamen eum esse Deum, et conditorem suum, et tamen contra conscientiam suam, invidit ei. Deus ergo justus judex, subtracta gratia sua noluit eum visitare, sed permisit eum excæcari omnino, et in obstinatione eadem cadere. Homo vero conditus est in minori intelligentia, et infirmiori substantia, quia non habuit tantam capacitatem intelligentiæ, nec tantam facultatem exsequendi. Potuit ergo falli alio suadente, et cum peccavit Adam, putavit facile Deum posse reconciliare sibi, et ideo noluit uxorem suam scandalizare. Quoniam ergo ex infirmitate cognitionis et substantiæ peccavit alio suadente, remissibilis fuit ei culpa, quia visitante gratia Dei humiliavit se homo et pœnituit. Similiter alii, cum peccant in adulterio, gula, et similibus ex infirmitate carnis, et humiliant se, recognoscentes infirmitatem suam, etsi nondum revertentes, Deus per misericordiam visitat eos, et ad pœnitentiam invitat et sanat. Iterum infirmitates sunt peccata, peccare in Patrem, in Filium, et ex ignorantia vel infirmitate credere, vel Deum non habere Filium, vel Filium minorem Patre. Et quia sunt ex infirmitate vel ignorantia, sunt remissibilia. Non dico, quod semper remittantur, quia si non pœniteant homines, moriuntur, et ita damnantur. Sed possibile est eos ad pœnitentiam venire, et ita peccata remitti. Quidam vero recognoscunt veritatem, et tamen ex invidia et pravitate amici, contra conscientiam suam bonitati Dei resistunt, et ideo bonum odio habent, et detrahunt ;ut Judæi, qui intelligentes prophetas, et signa completionis videntes, et nihil mali operibus Christi notare volentes, tamen ex invidia Christo detrahebant, et contra conscientiam suam bonitati Dei resistebant, potius se nunquam salvari, quam Christum recipere, et legem suam dimittere volentes. Isti tales in diabolicum peccatum cadunt, et Deus deserit eos sicut Judam ; ita quod non possunt pœnitere, nec humiliare se, sed per obstinationem detenti sunt, et illud peccatum est irremissibile, et hoc vocatur peccare in Spiritum sanctum. Spiritus sanctus enim est bonitas Dei, et qui ita resistit bonitati Dei, contra Spiritum sanctum peccat. Solet autem et aliter exponi. Dicitur enim peccare in Spiritum sanctum esse impœnitentem. Remissio enim peccatorum, proprie Spiritui sancto attribuitur. Legitur ergo ita :

Qui peccat in Patrem, supplendum est, et non peccat in Spiritum (hoc enim non est impœnitens) remittetur ei. Similiter qui peccat in Filium, et non peccat in Spiritum sanctum, id est non est impœnitens, iterum remittetur ei ; qui autem peccat in Spiritum sanctum, id est qui non pœnitens perseverat, nunquam remittetur ei. Neque enim venia, nisi pœnitenti promittitur. In hac auctoritate, hæresis Origenis exstinguitur, qui asserit post judicium universale, post multa sæcula, omnes peccatores veniam consecuturos, quæ refellitur, cum diutur :

Qui autem dixerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in præsenti, neque in futuro (*Matth.* XII). Confirmatur etiam ex hac auctoritate, purgatorius ignis esse. Dicit autem Gregorius: Datur ex hoc intelligi, quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam vero in futuro relaxari. Quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur; sed tamen hoc de parvis minimisque peccatis fieri posse credendum est, sicut est assiduus otiosus sermo, immoderatus risus, vel peccatum curæ rei familiaris, quæ vix sine culpa' vel ab ipsis agitur, qui culpam, qualiter declinari debeant, sciunt. Aut etiam in gravibus culpis errore ignorantiæ, quæ cuncta etiam post mortem gravant, si adhuc in hac vita positis, minime fuerint relaxata. Hoc tamen sciendum est, quod illic saltem de minimis, nil quisquam purgationis obtinebit, nisi hic bonis actibus in hac adhuc vita positus, ut illic obtineat, promeretur.

Aut facite arborem bonam, etc. Alia probatio, quasi dicat: Si me ex merito blasphematis, ostendite mea opera esse mala. Et hoc est: *Aut facite arborem bonam*, id est recognoscite me esse bonum, quia fructum meum bonum esse videtis

Aut facite arborem malam. Id est ostendit me esse malum, per malum fructum. Ideo dico ad fructum esse respiciendum, quia ex fructu arbor cognoscitur, id est ex operibus vita hominis judicatur. *Progenies viperarum, quomodo potestis esse boni, cum sitis mali*, etc. Quasi dicat: Vere ex fructu arbor cognoscitur, quia ex verbis vestris nequitia vestra patet. Progeniem viperarum, id est filios et imitatores diaboli appellat eos, qui cum sint malæ arbores, fructuque invidiæ redundantes, scienter peccant, scienter bonis operibus detrahunt, quod diabolicum est. Unde sequitur:

Ex abundantia enim cordis os loquitur. Augustinus. Ille homo ex abundantia cordis loquitur, qui ignorat, ex qua intentione verba promantur. Quod apertius ostendere volens, subjungit: *Bonus homo de bono thesauro profert bona et malus mala*. Thesaurus cordis intentio est cognitionis, ex qua internus arbiter judicat proventum operis. Unde fit plerumque, ut minora bona nonnulli operentur majora cœlestis gratiæ mercede, propter intentionem cordis, scilicet quod majora voluerant patrare si possent, et alii majora virtutum opera ostendentes, ob incuriam cordis tepidi, minora a Domino præmia sortiantur, et superiori sententiæ videtur competenter hæc adhærere. Quomodo enim bonus homo non possit proferre mala, nec malus bona, sic non possit Christus mala, nec diabolus bona opera facere. Sequitur:

Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, etc. Hoc quoque bene adhæret superiori sententiæ, quasi dicat: Si otiosum verbum, quod nunquam ædificat audientes, non est absque periculo ejus qui loquitur, et in die judicii inde rationem redditurus est, quanto magis vos, qui opera Spiritus sancti calumniamini, reddituri estis rationem calumniæ vestræ? Otiosum quidem verbum est, quod sine utilitate loquentis vel audientis profertur; ad quod probandum subjungit:

Ex verbis enim tuis justificaberis: et ex verbis tuis condemnaberis. Et ex præcedentibus adhuc pendet sententia, ubi ait: *Ex abundantia cordis os loquitur*. Non est enim dubium, quin damnetur homo ex verbis quæ protulerit, si mala sunt, cum etiam nullo modo poterit justificari ex bonis verbis, nisi ea ex intima cordis bona intentione protulerit, sicut nec Caiphas prophetando justificatus est.

Tunc responderunt ei quidam de Scribis et Pharisæis, etc. Postquam ejus verba nullatenus valent improbare, quærunt adhuc illum in operibus tentare, et quasi non fuerint signa, quæ viderant, signa postulant. Respondent ergo Pharisæi illi et Scribæ, quorum nequissima erat astutia, et dicunt: *Magister, volumus a te signum videre*. Sed in alio evangelista quid petant plenius explicatur. Determinat enim, quia quærebant signum de cœlo. Vel in morem Heliæ, signum de sublimi venire cupiebant. Vel in similitudinem Samuelis, tempore æstivo contra naturam loci mugire tonitrua, coruscare fulgura, et quasi non possent imbres ruere, illa calumniari et dicere ex occultis cœlis prodiisse, et variis aeris passionibus accidisse. Nam qui calumniantur illa quæ oculis vident, manu tenent, utilitate sentiunt, quid acturi sunt de his, quæ de cœlo veniunt? Utique respondebunt et magos, in Ægypto multa signa fecisse de cœlo.

Respondens ergo Dominus, ait illis: Generatio mala et adultera signum quærit et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ, etc. Bene dixit adultera, quia dimiserat virum, et juxta Ezechielem multis amatoribus se copulaverat.

Sed notandum, quod duplici quæstione fuerat pulsatus. Quidam enim calumniabantur eum in Beelzebub ejecisse dæmonia, quibus ante responsum est. Et alii tentantes, signum de cœlo quærebant, quibus amodo respondet, dicens se non de cœlo signum dare, quod indigni erant videre, sed de profundo inferni, quale est: Jonas propheta a ceto voratus, hoc est, Christus de abysso, et mortis fauce liberatus. Hoc tale signum accipient, et per hoc dedit illis signum incarnationis, non dignitatis, passionis, non glorificationis, discipulis autem suis, qui digni erant, signum de cœlo dedit, quibus æternæ beatitudinis gloriam prius figuraliter in monte transformatus, et postea veraciter in cœlum sublevatus ostendit. Sequitur:

Sicut enim Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus, etc. Ipsum triduum non totum fuisse plenum, Scriptura testis est. Sed primus dies a parte extrema totus annumeratus est. Dies vero tertius a parte prima, et ipse totus. Medius autem inter eos, id est secundus dies, absolute totus ex viginti quatuor horis, scilicet duodecim diurnis, et duodecim nocturnis compositus. Sextæ quidem feriæ diei partem, qua sepultus est eum parte noctis, pro

nocte et die accipies, hoc est pro toto die, sabbatum cum nocte et die, noctem, dominicam cum eadem die illucescente pro toto similiter die accipies. Itaque habes triduum et tres noctes, et hoc triduum in Scripturis repertum est signare mortem Domini simplam, et resurrectionem simplam. Mors enim Domini Jesus non fuit in anima, sed in carne sola. Mors vero nostra non solum in carne, sed etiam in anima est. In anima propter peccatum, in carne propter pœnam peccati. Ille vero qui peccatum non habuit in anima, non est mortuus, nisi tantum in carne, et hoc propter similitudinem carnis peccati, quam de Adam traxit. Mors autem ejus fuit in carne, et resurrectio. Non enim resurrexit anima, sed tantum carne. Sicut nec mortuus est anima, sed carne tantum. Tamen simpla ejus mors et resurrectio nostræ duplici morti et resurrectioni profuit. Per mortem enim ejus, mors infernalis, et mors peccatorum nobis sublata est. Et similiter per resurrectionem ejus simplicem, quæ tantum in carne, non in anima fuit, nobis utraque resurrectio, hoc est, animæ in baptismate, et corporis in resurrectione communi dabitur. Cum ergo in computatione prædicta sit unus dies, id est sabbatum, et duæ noctes, nox videlicet sabbati et dominicæ diei, accipitur per diem, mors simpla Christi; per noctes vero, mors utraque hominum intelligitur. Sicut ergo dies duabus noctibus opponitur, sic Christus simplam suam duplæ nostræ opposuit, et duplam nostram moriens subegit. Si autem horas computemus ab hora mortis usque ad horam, qua resurrectio ejus declarata est quadraginta horæ inveniuntur. In primo enim die, ab hora nona quatuor horæ inveniuntur. In sequenti vero duodecim nocturnæ, et duodecim diurnæ. Post sabbatum vero duodecim nocturnæ computantur, quæ omnes insimul collectæ, quadraginta reperiuntur. Convenienter ergo Dominus pro quadraginta horis tristitiæ, quadraginta dies lætitiæ restauravit; vel in tribus diebus et noctibus majus spatium potest intelligi. Potest enim sic legi illud quod dicitur : *Sic erit Filius hominis in corde terræ;* hoc est in corde terrenorum; id est in potestate eorum et super eum cor suum expleant tribus debus et tribus noctibus. A nocte enim qua traditus est usque ad diluculum resurectionis, fuit in potestate eorum. Sic ergo inveniuntur duo primi dies integri; in tertio vero nox tantum, sicut prius invenitur. Et notandum bene est, quia nox usque ad diluculum, quo Dominus resurrexit ad tertiam diem pertinet, quia Dominus qui jussit de tenebris lumen splendescere ut per gratiam Novi Testamenti et participationem resurrectionis Christi audiremus : *Fuistis enim aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino* (*Ephes.* v), insinuat nobis quodammodo quod a nocte sumat etiam dies initium. Sicut enim primus dies propter futurum hominis lapsum a luce in noctem, ita isti propter hominis reparationem a tenebris ad lucem computantur. Revertamur ad litteram. Sicut Jonas ille historialis fuit in ventre cete tribus diebus et tribus noctibus, ita Filius hominis, scilicet Christus verus Jonas, id est *dolens*, et dolores nostros ferens per tres dies et tres noctes, sicut expositum est, fuit in corde terræ, in sepulcro scilicet, vel in corde terræ, id est in corde terrenorum jam desperantium et dicentium, *nos sperabamus quod esset redempturus Israel* (*Luc.* XXIV). Sic enim erat Christus quorumdam corde humano, quasi quilibet jacens in sepulcro vel in corde terrenorum, hoc est, in potestate eorum. Potest etiam Christus Jonæ per omnia adaptari. Nautæ enim sunt Judæi, piscis mors. Nautæ tradunt Jonam pisci, et Judæi Christum morti. Piscis tertia die Jonam in portu evomuit, et mors in tertia die Christum firmitati vitæ restituit. Jonas Ninivitis prædicavit, et Christus per apostolos gentibus post resurrectionem, veritatem annuntiavit. *Viri Ninivitæ*, etc. Quia generatio ista opera et signa Christi vidit, et tamen credere noluit, ideo Ninivitæ, qui gentiles sunt, *surgent in judicio cum generatione ista*, non ut eos judicent potestate, sed comparatione: Ninivitæ enim sine signis ad pœnitentiam conversi sunt, Judæi vero nec per signa voluerunt converti, quam comparationem ponit cum subdit : *Quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Et ecce*, etc. Hoc est inter Judæos est quidam plus quam Jonas, id est Christus Deus et homo, cujus prædicationi volunt credere.

Regina austri etc. Legitur in Paralipomenon, et libro regum quod regina Saba per multas dificultates, relicto suo imperio, venit in Judæam audire sapientiam Salomonis, et ei multa munera deferens, ab eo plura recepit (*III Reg.* x).

Contiuatio. Non solum Ninivitæ condemnabunt eam comparatione, sed etiam regina austri, quia ab ultimis terræ finibus venit audire sapientiam Salomonis sine lege, sine prophetis. Judaica vero plebs habet legem, habet prophetas, videt Christum, videt opera, et tamem sapientiam ejus non vult audire. Condemnabit igitur eam similiter comparatione, quia ecce hic, hoc est inter Judæos est plus quam Salomon, id est Christus. MYSTICE vero per Ninivitas et reginam, totus gentilis populus ad fidem conversus significatur. Ninivitæ enim significant eos qui peccare desistunt. Regina vero eos qui peccare nesciunt. Pœnitentia enim peccatum abolet, sapientia cavet. Nec ideo dicitur, quod regina non peccavisset, quia de peccatis ejus Scriptura nihil dicit, imo eam sapientiæ studuisse asserit. *Cum immundus spiritus*, etc. Gentiles comparaverat Ninivitis et reginæ austris; modo supponit cui Judæi debeant comparari. Homini videlicet, a quo immundus spiritus exiit, et ad quem postea revertens, cum etiam vacantem inveniat, cum aliis nequioribus spiritibus eum subintrans, deterius eum quam prius vexat. Homo ille, cui comparatur Judaicus populus, est quilibet ad fidem conversus, a quo ejectus est diabolus per baptismum. Qui ejectus inde, ad alios fideles vadit, et non inveniens ibi locum, redit ad eum unde exierat,

et videt vacantem, id est negligentem, per quod habet spem iterum possidendi, sed tamen mundatum a vitiis, scopis, id est doctrinis et sacramentis, et ornatura falsis virtutibus. Videt tamem ibi Spiritum septiformem inhabitantem, non tamen quod sint in illo homine septem dona in actu, sed habilitate. Ideo timens quærit spiritus septem nequiores, id est septem vitia contraria illis virtutibus septem, quas dat Spiritus, et per eam inhabitat intus. Nequiores dicuntur, quia graviora sunt peccata post baptismum quam ante. Homini hujusmodi est Judaicus populus per singula adaptandus. Ait enim in fine parabolæ : *Sic erit et generationi huic pessimæ.* Ante legem regnabat diabolus in populo Judaico, dum legis naturalis transgressores erant, ad cujus transgressionis reformationem, hæc lex scripta a Moyse data est. Tum ergo et timore legis præceptis legalibusque observatis, et in sacramentorum antiquorum, scilicet circumcisionis et hostiarum et in cultu unius Dei, Judæis magnitudine beneficiorum confirmatis, immundus spiritus ab illo populo recessit, non habens in eo tantam nocendi potestatem, quantam et ante legem ; tamen sciendum est, quia non ab omnibus recessit, sed hic de Judaico populo indiscrete agitur, quidam enim inter eos summe boni semper inventi sunt. Exiens itaque diabolus, ad gentes transivit, apud quas usque ad prædicationem apostolorum demoratus est. Qui cum prius essent humidi, et in carnalibus voluptatibus fluitantes, facti sunt aridi, id est firmi, et solidi igne Spiritus sancti. Tunc ergo ambulans per loca arida, id est fortia corda gentilium circuiens, et non inveniens sibi requiem, ad antiquum populum Judaicum revertitur, et post adventum Christi omnino excæcavit (dato enim evangelio, nullus per statum veteris legis potest amplius salvari), inveniensque illam domum vacantem, id est populum negligentem, et non in scripturis bene sibi providentem, cum adventum Christi noluit intelligere, et scopis mundatam, id est carnalibus observantiis, quasi a vitiis purgatum, et ornatum falsis virtutibus sicut Pharisæus ille, qui in templo gloriabatur, assumit septem spiritus nequiores se, et habitat ibi. Per septem spiritus omnia vitia intelliguntur : septenarius enim universitatem significat, qui merito nequiores dicuntur, quia post adventum Christi, Judæi in graviora peccata præcipitati sunt, scilicet in blasphemiam Christi et oppugnationem veritatis, et contemptum fidei, et ita novissima sunt pejora prioribus. Littera vero sic continuatur. Ninivitæ pœnitentiam egerunt, et regina austri sapientiam Salomonis audivit, Judaicus autem populus similis est homini, a quo exivit immundus spiritus et cum exierat, etc.

Adhuc eo loquente, etc. Hæc prædicatio in domo erat, sicut sequentia declarabunt. *Mater* vero *et fratres ejus, extra domnum eum exspectabant, quærentes ei loqui.* BEDA. Fratres Domini, non filii beatæ, semperque Virginis Mariæ, juxta Helvidium, nec filii Joseph ex alia uxore, juxta quosdam putandi sunt sed ejus potius intelligendi sunt cognati esse. Sane quod Dominus ad matrem, fratresque rogatus ab officio verbi dissimulat egredi, non maternæ refutat obsequia pietatis, cujus prius præceptum est: *Honora patrem et matrem tuam*, sed paternis se ministeriis amplius quam maternis debere monstrat affectibus, idem nobis exemplo et verbo commendans, cum ait : *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus* (*Matth.* x). Non injuriose fratres contemnit, sed opus spirituale carnis cognationi præferens, religiosiorem cordium copulam docet esse, quam corporum. MYSTICE autem mater et fratres Jesu et synagoga, ex cujus carne est editus et populus Judæorum, qui salvatore intus docente, venientes intrare nequeunt, cujus spiritualiter dicta intelligere negligunt. Præoccupans enim turba ejus ingreditur domum ejus, auscultat sermonem, ut evangelista Matthæus declarat, quia differente Judæa, gentilitas confluxit ad Christum atque interna vitæ mysteria, quanto fide vicinior, tanto mente capacior hausit juxta quod propheta ait : *Accedite ad eum, et illuminamini* (*Psal.* XXXIII). *Et dixit ei quidam : Ecce mater et fratres*, etc. Intus est verbum, intus est lumen, unde alibi : *Ut intrantes*, inquit, *lumen videant* (*Luc.* VIII). Si ergo foris stantes, nec ipsi agnoscuntur parentes, et propter nostrum fortasse exemplum non cognoscuntur, quemadmodum nos agnosceremur, si foris staremus. Foris enim stantes, volunt Dominum videre cognati ipsius, cum Judæi spiritualem in lege sensum non quærentes, sese ad custodiam litteræ foris fixerunt, et quasi Christum potius ad carnalia docenda cogunt exire, quam se ad discenda spiritualia consentiant ingredi.

Extendens manum in discipulos ait : Ecce mater et fratres, etc. Cum is qui voluntatem Dei fecerit, soror et frater Domini dicitur, propter utrumque sexum, quia fidem colligitur, mirum non est. Mirandum enim valde est quomodo et mater dicatur. Fideles etenim discipulos fratres vocare dignatus est dicens : *Ite, nuntiate fratribus meis* (*Matth.* XXVIII). Qui ergo frater Domini veniendo ad fidem fieri potuerit, quærendum est quomodo et mater potest esse ? Sed sciendum nobis est quia qui est frater et soror Jesu credendo, mater efficitur prædicando, quasi enim parit Dominum, qui eum cordi audientis infuderit, et mater ejus efficitur, si per ejus vocem amor Dei in mente proximi generatur.

CAPUT XIII.

In illo die, exiens Jesus de domo, sedebat secus mare, et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita, etc. Non solum autem facta et verba Domini, verumetiam itinera et loca, in quibus virtutes operatur et prædicat, cœlestibus plena sunt sacramentis. Post sermonem quippe in domo habitum, ubi nefanda blasphemia dæmonum habere dictus est egrediens, docebat ad mare, ut ostenderet se relicta ob culpam perfidiæ Judæa, ad gentes salvandas esse transiturum. Gentilium enim corda diu superba et incre-

dula, merito tumidis amarisque fluctibus maris assimilantur ; domum vero Domini per fidem fuisse Judæam quis nesciat ? Sed relicta domo in qua perpessus est blasphemias impiorum, cœpit docere ad mare, quia derelicta ob incrudelitatem synagoga, ad colligendam per apostolos populi gentilis multitudinem venit, unde apte præmittitur, quod eo in domo prædicante, mater et fratres ejus foris steterunt, quasi ab eo agniti non sunt, ac si de domo exiens ad mare ducturus transierit. Quia postquam synagoga ad custodiam litteræ se foras fixit, internisque Dominicæ fidei arcanis figuras legis anteponere maluit, Dominus sacramenta salutis, quæ illa spreverat, externis per orbem nationibus contulit.

Et congregatæ sunt, etc. Turba multa ad Dominum docentem congregata, significat frequentiam populorum, prædicantibus apostolis, ad Christum confluentium. Quod *ascendens navim*, sedebat in mari, significat quod Christus per fidem ascensurus erat in mentes gentilium, et Ecclesiam collecturus in mari, id est in medio nationum contradicentium, in qua Ecclesia dicitur sedere, hoc est regnare et dominari. *Turba* vero quæ *stabat in littore*, quæ neque in mari, neque in navi erat, gerit figuram recipientium verbum Dei, et jam fide a mari, id est a reprobis separatorum, sed necdum per gratiam baptismatis in Ecclesia intromissorum.

Et locutus est eis multa, etc. Legitur in Evangeliis, Christum locutum fuisse in parabolis, aliquando ad ultionem, quia qui audiebant mysteria Dei, indigni cognoscere erant. Sicut de his legitur, quibus modo prædicatur, ait enim in sequenti : *Vobis datum est nosse mysterium regn Dei, aliis autem in parabolis* (*Luc.* VIII). Aliquand ad evidentiam in parabolis loquebatur, ut per res cognitas ad ignotas mentes rudium promoveret, dum per similitudinem invisibilia ostenderet. Quamvis Dominus in sequentibus hanc parabolam exponat, tamen singula evidentius explicanda sunt. Seminator ergo est Christus, qui exiens de sinu Patris, venit in mundum, ad seminandum verbum Dei, vel exiit ad seminandum, cum, relicta Judæa, per apostolos ad gentes transivit.

Et aliud cecidit secus viam, etc. Cum verbum Dei ab illis hominibus receptum est qui nondum in via bonæ operationis erant, sed per voluntatem, jam quasi secus viam stabant, sed *et venerunt volucres*, hoc est, dæmones, qui secundum Lucam volucres cœli vocantur, vel quia spirituales naturæ sunt, vel quia in aere morantur. *Et comederunt illud ;* id est, a mentibus hominum illud subripuerunt, et secundum Lucam ab hominibus illud conculcatum est, quia prava persuasione impiorum sublatum est (*Luc.* VIII).

Aliud cecidit in petrosa, etc. Petra significat duritiam protervæ mentis ; terra, lenitatem obedientis animæ ; sol, fervorem persecutionis. Cecidit ergo verbum Dei super petrosa, quando in duris

A mentibus receptum est, ad horam, in quibus est parum terræ, quoniam ad horam emolliuntur ad desiderium cœlestis vitæ. Sed isti, veniente persecutione, in tempore tentationis recedunt. Qui radicem non habent, quia nullis disciplinæ studiis sunt eruditi, nullis tentationum probationibus emolliti, nec in charitate radicati.

Aliud autem cecidit inter spinas, etc. Spinæ sunt divitiæ, quæ multis sollicitudinibus mentes hominum pungunt, quæ nimia cupiditate a bono opere retrahunt. *Aliud vero cecidit in terram bonam.* Terra bona fidelis electorum conscientia est, quæ commendatum semen verbi libenter excipit, et ad fructum perducit, et aliud reddit centesimum, etc. Tres ordines Ecclesiæ hic designantur, scilicet
B conjugati et continentes, in activa vita et contemplativa. Debet autem esse principalis divisio justi, alii contemplativi, alii activi. Activi vero subdividuntur, alii conjugati, alii continentes. Tricenarius et sexagenarius fructus activis datur, centenarius vero contemplativis, quia, ut Beda refert, in sinistra usque ad centenarium numerum antiqui solebant computare. Centenarius vero in dexteram transferebatur, unde Juvenalis :

. . . . *Jam dextera computat annos.*

Cum ergo sinistra bona temporalia significet, dextera vero cœlestia, juxta illud : *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me* (*Cant.* II). Merito activis licite temporalibus utentibus, numerus sinistræ deputatur. Contemplativis vero
C solis cœlestibus vacantibus, numerus dexteræ additur. Centenarius enim, quia perfectus est et cœlestia significat, contemplativo convenit. Tricenarius vero, qui ex ternario denario conficitur, et ferventis ætatis numerus est, conjugatis deputatur. Qui adhuc in fervore pugnæ sunt, dum fervorem libidinis omnino refrenare non possunt, et tamen in fide sunt, quod per ternarium intelligitur, et præcepta legis observant, quod per denarium denotatur. Sexagenarius autem continentibus activis congruit, qui ex senario et denario conficitur, et numerus naturæ et frigescentis ætatis est. Senarius perfectionem exprimit, quia in sex diebus Dominus omnia complevit, et senarius ex suis dividentibus conficitur : denarius vero, ut dictum est, decalogum significat. Merito igitur continentibus datur, qui jam
D carnem edomuerunt, et a tentationibus deferbuerunt, et in operibus legis, quam conjugati, perfectiores inveniuntur.

Qui habet aures, etc. BEDA. Quoties hæc admonitiuncula, vel in Evangelio, vel in Apocalypsi Joannis interponitur, mysticum esse quod dicitur insinuatur. Aures audiendi, aures sunt cordis.

Et accedentes, etc. Discipuli intelligentes hæc esse obscura quæ populo dicebantur, voluerunt Domino intimare, ne loqueretur parabolice : cum dicit, *accedentes*, notat quod quamvis essent in eadem navi, tamen erant aliquantulum ab eo remoti. Qui respondens ait illis : *Quia vobis datum est*, etc.

Turbis in parabolis loquebatur, ad majorem cæcitatem eorum, quia quamvis sequerentur eum propter verba ejus audienda, vel miracula videnda, tamen duri erant, et converti ad fidem nolebant. Ex occulto ergo judicio, Dominus in majorem cæcitatem eos præcipitabat, et mysteria Dei indignis obtegebat.

Qui enim habet, dabitur ei, etc. Quasi dicat : Vobis quidem revelanda sunt mysteria regni Dei, scilicet abdita Scripturarum vobis reseranda sunt, qui ea diligitis, et illis quæ dicuntur vobis fidem adhibetis, et hoc est quod dicit : *Qui habet*, subaudis fidem vel amorem divini verbi, *dabitur ei* abundanter sensus intelligendi. Ille vero, qui non habet amorem divini verbi, fides qua debet salvari, etiam ut videtur quam habet naturali ingenio, vel studio Scripturarum, aufertur ab eo, ut nihil ei prosit. Nihil enim aliquis patenter potest intelligere, qui non habet caput sapientiæ, ideo in parabolis loquor eis. Reddit causam apostolis, quare turbis illis parabolice loquebatur, quia cum viderent Christi miracula, et etiam audirent prædicationem ejus, tamen in eum credere nolebant. Et hoc est :

Quia videntes miracula, etc. Non vident oculo cordis, hoc est, non intelligunt me esse Deum, *et audientes* prædicationem meam exteriore auditu *non audiunt*, hoc est, non concipiunt interiori intellectu, quod exponit, cum subdit : *Neque intelligunt* quod auctoritate Isaiæ confirmatur, qui de eis convenienter prophetavit dicens : Auditu exteriori audientes prædicationem Christi, non intelligetis, et videntes miracula ejus, videbitis exteriori visu, et non videbitis interiori (*Isa.* VI).

Incrassatum est, etc. Reddit causam, quare non intelligunt, quia scilicet incrassatum superbia et induratum est invidia *cor eorum, et* ideo *auribus graviter audierunt*. Graviter audiunt illi, qui ea quæ audiunt contemnunt, et ideo sunt eis molesta quæ enuntiantur, et oculos suos clauserunt, quasi dicat : Neque ab alio audire voluerunt, et discere ea quæ nesciebant, neque ex proprio ingenio, neque ex propria animi adversione, oculos cordis sui aperuerunt, ut intelligerent quæ videbant. Ideo clauserunt, *ne aliquando oculis videant*. Singula singulis refert, et ideo graviter audierunt, ne aliquando auribus audiant, et quid sit oculis videre, et auribus audire, postea exponit cum dicit : *Et corde intelligant*. Aure audit, qui ab alio discit, oculo videt, qui per se intelligit, et utrumque sub intellectu cordis comprehenditur, et ne convertantur ad pœnitentiam, et sanem eos ita per remissionem peccatorum. Quæritur, quare cum alius evangelista dicat : *Dominus excæcavit oculos eorum* (*Joan.* XII), an ita, ut nunquam videant, an ita ut aliquando videant, et quæ audiunt contemnant, et de cæcitate sua doleant, et ex hoc humiliati pœniteant, et Deum quærant? Sed dubium est, an Dominus provideret eos ita esse excæcatos, ut nunquam amplius pœnileant? quod Marcus dicit de eis, *ne quando convertantur et dimittantur eis peccata* (*Marc.* IV), sit ita intelligendum, eos peccatis suis meruisse, ut non ex propria virtute possint intelligere et pœnitere? sed tamen hoc ipsum misericordia Dei factum est, ut sua peccata cognoscerent, et veniam mererentur.

Vestri autem beati oculi, etc. Quasi dicat. Oculi illorum qui vident, et nolunt credere, sunt miseri, vestri autem beati oculi, et aures beatæ ; nec tamen de exteriori visu tantum hoc intelligendum est. Oculi enim Scribarum et Pharisæorum non sunt beati, qui corpus Domini tantum viderunt, sed illi tantum beati sunt, qui sacramenta ejus agnoverunt, de quibus dicitur : *Et revelasti ea parvulis* (*Matth.* XI).

Amen quippe dico vobis, quia multi prophetæ et justi cupierunt videre quæ vos videtis, et non, etc. Probatio est, quia sunt beati, hi qui præsentialiter videre et audire meruerunt, quod nullus priorum quantivis meriti videre meruit, quamvis multum desideravit. Abraham exsultavit, ut videret diem Christi, et vidit, et gavisus est. Isaias quoque et Michæas et multi alii prophetæ, viderunt gloriam Domini, qui etiam propterea videntes sunt appellati. Sed a longe aspicientes, et quasi salutantes per speculum, et in ænigmate viderunt. Apostoli vero in præsentia habentes Dominum, convescentesque ei, et quæcunque voluissent interrogando discentes, nequaquam per angelos aut varias species visionum opus habebant doceri.

Vos autem, etc. Quasi dicat, quia illis talibus non est datum nosse regnum Dei, vos intelligite parabolam, quibus committuntur mysteria cœli.

Omnis qui audit verba regni, et non intelligit, etc. Sic construendum est : Omnis qui audit verbum regni, id est, prædicationem meam, quæ ad regnum cœlorum adipiscendum valet, et non intelligit. Quomodo autem non intelligat, supponit per parenthesim. *Venit* enim *malus*, id est, diabolus, et rapit quod seminatum est in corde eorum. Omnis ille qui talis est, hic est qui seminatus secus viam est. Notandum est, quia seminatus diversis modis accipitur. Dicitur enim, et semen seminatum, et ager seminatus, quod utrumque hic invenitur : ubi enim ait, *rapit quod seminatum est*, de semine intelligendum est. Ubi autem sequitur, *secus viam seminatus est*, non de semine, sed de loco seminis intelligendum est, id est de homine, qui est quasi ager semine divini verbi seminatus et fecundatus ; cætera quæ sequuntur, superius exposita sunt.

Alteram parabolam proposuit illis dicens : Simile factum est regnum, etc. Sciendum est, quia tunc iterum, exposita superiori parabola apostolis, ad turbas se convertit, quod in sequenti notatur. Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas, littera plana est. MORALITAS vero talis : Per hanc

enim parabolam nobis suadetur,si diligentiam adhibeamus, ut bonam voluntatem, cautelam,patientiam, discretionem, longanimitatem, justitiam, habere laboremus, quæ omnia in suis locis in parabola distincte inveniuntur.Ubi enim dicit : *Seminavit bonum semen*, vocat bonam voluntatem, quæ in electis est. Ubi vero dicit : *Venit inimicus, et superseminavit zizania in medio tritici et abiit*, cautelam habendam intimare voluit. Quando autem audito verbo decrescentibus zizaniis, non exarsit in iram, sed quasi patienter ferens ait : *Inimicus homo hoc fecit*, patientiam nobis commendavit. Ubi etiam servis volentibus colligere ad conbustionem, ait : *non ne forte colligentes eradicetis simul triticum*, donavit nobis exemplum discretionis ; quando autem subjunxit ; *Sinite utraque crescere usque ad messem*, commendare voluit longanimitatem. Ad ultimum vero justitiam commendavit, cum dixit : *In tempore messis dicam messoribus ; Colligite zizania, et colligate fasciculos ad comburendum.* ALLEGORIA autem talis est.

Augustinus. *Cum autem dormirent homines, venit inimicus*, etc. Cum scilicet negligenter agerent præpositi Ecclesiæ, aut cum dormitionem mortis acciperent apostoli, inimicus venit, et superseminavit eos, quos Dominus malos interpretatur filios. Sed recte quæritur, utrum hæretici sint, animale viventes catholici ? Possunt enim dici filii mali etiam hæretici, quia ex eodem Evangelii semine, et Christi nomine procreati, pravis opinionibus ad falsa dogmata convertuntur. Sed quod dicit, eos in medio tritici seminatos, videntur illi significari,qui unius communionis sunt. Verumtamen quod Dominus agrum ipsum,non Ecclesiam, sed hunc mundum interpretatus est, bene intelliguntur hæretici,qui non societate unius Ecclesiæ vel unius fidei, sed societate solius nominis Christiani in hoc mundo permiscentur bonis:at illi qui in eadem fide sunt mali,palea potius quam zizania deputentur, quia palea etiam fundamentum ipsum habet, cum frumento, radicemque communem. In illa quippe sagena, qua concluduntur et boni et mali pisces,non absurde mali catholici intelliguntur.Aliud est enim mare, quod magis mundum istum significat,aliud sagena,quæ unius fidei, vel unius Ecclesiæ communionem videtur ostendere. Inter hæreticos et male catholicos hoc interest, quod hæretici falsa credunt,illi autem vera credentes,non vivunt ita ut credunt. Sed de his hactenus. Sequitur :

Cum autem herba crevisset, et fructum fecisset, tunc apparuerunt zizania, etc. Cum enim spiritualis homo esse cœperit dijudicans omnia,tunc ei possunt errores apparere, et prava dogmata hæreticorum patere, quibus apparentibus,servi dixerunt ei :

Domine,nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo zizania ? Videndum est, utrum ipsi sint servi, quos post messores appellat. Sed quis auderet dicere messores angelos, scilicet, nescisse quis

A zizania seminaverit et eis tunc apparuisse illa,cum herba fructum fecisset?Magis ergo oportet intelligi homines ipsos fideles servorum nomine significatos, quos etiam bonum semen dicit. Non enim dicit : In tempore messis dicam vobis:Colligite primum zizania sed dixit : *Dicam messoribus.* Unde intelliguntur alia esse officia servorum, alia messorum.Servi enim non tantæ discretionis sunt, quantæ illi.Hinc est etiam quod servi dicunt : *Vis tamen imus et colligemus ea* ? quibus ipsa veritas, quæ patienter omnes supportat, respondet : *Non, ne forte cum zizania eradicetis simul et triticum.* In quo docet, non ita hominem constitutum in hac vita, ut certus esse possit,qualis quisque postea futurus sit, cujus errorem in præsenti cernit, vel quid etiam error ejus

B conferat ad proventum bonorum. Dicit ergo, non adhuc tales auferendos de hac vita, ne dum malos interficere conarentur, bonos interficerent,qui forte futuri sunt, aut bonis obsint, quibus etiam inviti forte utiles sunt; sed tunc opportune fieri,cum jam in fine non restat, vel tempus mundanæ vitæ, vel proficiendi ad virtutem ex alieni erroris occasione. Quæritur ergo, cur quidam hæretici ab episcopis excommunicantur, et ab Ecclesia separantur, quidam a potestatibus sæcularibus interficiuntur? Sed non agitur hic de excommunicatione,quia illa data est ad correctionem hominum,sed de communi separatione ab agro,id est a mundo,quia non debent episcopi interficere, id est separare a mundo, sicut Petrus, et alii apostoli non recepti in quadam civitate,quæsierunt a Domino,an postularent ignem

C de cœlo, et destruerent ; Et Dominus dixit : *Nescitis cujus spiritus estis* (*Luc.* IX). Et si quidam jam judicati et convicti et subversi occiduntur a sæculari potestate ad correctionem aliorum, tamen non est communis separatio malorum facienda, quia pauci boni remanerent, et hoc est tempus immutationis, et qui hodie sunt mali,cras boni erunt.Quæri etiam potest, cur dixit in sequentibus, *alligate fasciculos*, et non unum fascem, aut unum acervum zizaniorum?sed fortasse propter varietatem hæreticorum, non solum a tritico sed etiam a se ipsis discrepantium dictum est hoc, quapropter alligatio fasciculorum in fine futura est,ut non confuse,sed pro modo suæ perversitatis puniatur quisque.Quod autem sequitur : *Triticum congregate in horreum*, sic est in-

D telligendum,ut punitis illis,qui diversitates et schismata secuti sunt,in cœleste horreum recipiantur et serventur, qui charitatis unitatem amaverunt.

Aliam parabolam,etc. Parabola est comparatio ex dissimilibus,id est comparativa similitudo,eo quod in ipsa comparativa similitudine figuras verborum et imagines veritatis ostendit. Parabolas parabolis accumulat, ut ex multitudine figurarum in eis majorem excæcationem generet.

Simile est regnum cœlorum, etc Regnum cœlorum præsens Ecclesia dicitur, quæ diversis figuris, non secundum se totam,sed secundum aliquam partem sui comparatur.Hic autem grano sinapis secun-

dum fidem assimilatur, quod *homo*, id est Christus *seminavit in agro*, id est in cordibus credentium, *quod minimum est omnibus seminibus*. Fides enim nostra vilior omnibus doctrinis philosophicis videtur. Quid enim stultius sapientibus hujus mundi æstimabatur, quam in occisum et sepultum credere, visibilia contemnere, et invisibilibus inhiare ? Cætera autem semina, scilicet libri philosophorum excellere videntur, quia de maximarum rerum agunt subtilitate, et ornati sunt rhetorica compositione. Sed, ut ait Apostolus, *quod infirmum est Dei, fortius est hominibus* (*I Cor.* I), ideo cum crescit in mente recipientis, et in toto mundo exaltatur, *major* apparet *omnibus oleribus, et fit arbor, ita ut*, etc. Scientiæ philosophicæ enim sunt olera, sed ad nullius utilitatis robur perveniunt, et ideo facile ex vanitate sua arescunt. Rami vero hujus arboris sunt partes fidei multiplices, in quibus habitant volucres cœli, id est animæ fidelium delectantur et pascuntur, quæ pennis virtutum ad cœlestia volant. Unde dictum est : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam* (*Psal.* LIV). Aliam parabolam locutus est eis. *Simile est regnum cœlorum fermento quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus*, etc. Hic Ecclesia secundum partem, id est secundum fervorem charitatis fermento comparatur, quod acceptum mulier abscondit in satis farinæ. Satum est genus mensuræ, juxta morem provinciæ Palestinæ, unum et dimidium capiens modum. Tria sata, tres sunt virtutes, quæ designantur ubi dictum est : *Diliges Dominum Deum ex toto corde, et ex tota anima tua, et ex tota mente* (*Deut.* VI) ; vel tria genera hominum significant, quæ superius per centesimum, sexagesimum, et tricesimum fructum exprimuntur. Vel omnes fideles ex tribus partibus mundi collectos, Asia, Africa, et Europa. Vel ex tribus filiis Noe natos significant. Mulier vero est sapientia Dei, quæ abscondit in nobis fermentum, id est fervorem charitatis, et gratiam suam in nobis reponit, quo corda nostra fermentantur, id est ad amorem Dei accenduntur.

Hæc omnia locutus est in parabolis ad turbas, etc. *Ut impleretur quod dictum est per prophetam* David : *Aperiam in parabolis os meum* (*Psal.* LXXVII) quasi dicat : Qui prius locutus sum per prophetas, modo in propria persona aperiam os meum in parabolis, *et eructabo*, id est, de thesauro secreti mei emittam in prædicationem ea, mysteria quæ abscondita erant a constitutione mundi. Cætera quæ sequuntur, de interpretatione zizaniorum superius exposita sunt. Transeamus ergo ad alias parabolas. *Simile est regnum cœlorum*, etc. Qui superius turbis parabolice loquebatur ad excæcationem illorum, loquitur et apostolis in parabolis, non ad excæcationem, sed ad ædificationem, et ut eos loqui in parabolis doceret. Unde Gregorius: Regnum cœlorum idcirco terrenis rebus simile dicitur: ut ex his quæ animus novit, surgat ad incognita, quæ non novit, quatenus exemplo visibilium rapiatur ad invisibilia, Qua in re notandum est, quod mentis thesaurus absconditur ut servetur, quia studium cœlestis desiderii a malignis spiritibus custodire non sufficit, qui hoc ab humanis laudibus non abscondit. In præsenti enim vita sumus, quasi in via, qua ad patriam pergimus. Maligni autem spiritus iter nostrum, quasi quidam latrunculi, obsident. Deprædari ergo desiderat, qui thesaurum publice in via portat. Hoc autem dico, non ut proximi opera nostra non videant, cum scriptum sit : *Videant opera vestra bona* (*Matth.* V), sed ut per hoc quod agimus, laudes exterius non quæramus, et sic sit opus in publico, ut tamen intentio maneat in occulto. Thesaurus ergo, ut diximus, cœleste est desiderium, ager vero in quo thesaurus absconditur, disciplina cœlestis studii est, quem profecto agrum venditis omnibus comparant, qui voluptatibus carnis renuntians, terrena desideria per custodiam cœlestis disciplinæ calcat. Vel aliter : Thesaurus iste verbum Dei est, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, qui est absconditus in humana carne. Aliter : Thesaurus absconditus in agro, duo sunt Testamenta legis in Ecclesia, quæ quis cum ex parte intellecta attingit, illic magna latere sentit, et vadit et omnia sua vendit, et illum emit, id est per contemptum temporalium comparat sibi otium.

Iterum simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas, etc. Quasi dicat: Quæstio est, an numerus pluralis ad singularem transierit ? ut cum quærat homo bonas margaritas unam inveniat pretiosam, quam venditis omnibus habet, emat. Aut ergo homo iste bonos quærens, cum quibus utiliter vivat, et unum præ omnibus invenit sine peccato, mediatorem Dei et hominum Christum Jesum ; aut præcepta quærens, quibus serviens cum hominibus recte conversetur, invenit dilectionem proximi, *in quo uno* dicit Apostolus *omnia contineri*. Singulæ margaritæ sunt; *Non mœchaberis, non furaberis*, et cætera talia, quæ in hoc sermone continentur. *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Vel aliter : Hos intellectus quærit homo, et invenit illum, quo cuncti continentur, scilicet :*In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum.* Rursum cœleste regnum homini negotiatori simile dicit, qui bonas margaritas quærit, sed unam pretiosam invenit, quam inventam omnia vendens emit, quia qu cœlestis vitæ dulcedinem, in quantum potest, perfecte cognoverit, ea quæ in terris amaverat libenter relinquit, et comparatione illius omnia vilescunt. Deserit habita, congregata dispergit, solis cœlestibus ejus animus inardescit.

Iterum simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mari, etc. Sagena est Ecclesia commissa piscatoribus, id est prædicatoribus, quæ pisces de mari, id est homines de mundo extrahit, et hoc ex omni genere, id est liberos et servos, divites et pauperes, fortes et infirmos. Unde Psalmista : *Ad te omnis caro veniet* (*Psal.* LXIV). *Quam cum impleta esset, educentes et secus littus sedentes.* Sicut mare sæculum,

ita littus finem sæculi designat. Tunc impleta erit, cum omnes electi in prædestinatione Dei consummabuntur. Educentes et eligentes sunt angeli, qui educent bonos per resuscitationem,et eligent separando a malis,et ponent in vasis, id est in æternis tabernaculis,malos autem foras mittent.Sedere autem dicuntur quia sedere judicantis est,et quodammodo judicabunt,dum totum mysterium exercebunt judicii,malos in pœnis tradendo,et bonos ad regnum introducendo *Ideo omnis Scriba*, etc. Quasi dicat : Quia intelligentes estis mysteria,quæ vobis revelo, ideo faciam vos prædicatores,et eritis mihi similes, qui sum paterfamilias, hoc est, Dominus Sabaoth, id est exercituum,videlicet hominum et angelorum qui profero de thesauro scientiæ meæ,nova et vetera,id est sententias Novi Testamenti et Veteris. Similiter etiam prædicabitis proferendo utriusque Testamenti sententias. Vel nova et vetera vocat comminationem pœnæ,et promissionem cœlestis gloriæ, quia antiquum erat ad inferos descendere, novum vero ad cœlos ascendere. Vetus ergo prædicat, qui pœnam infernalem minatur,novum vero annuntiat, qui regnum cœleste pollicetur. Et hoc est quod dicit : Ideo, quia intelligentes estis, omnis qui inter vos erit doctus scriba, id est sapiens prædicator in regno cœlorum,id est in præsenti Ecclesia, erit similis mihi patrifamilias, etc.

Et factum est cum consummasset, venit in patriam suam, id est in Galilæam, vel specialiter in Nazareth. Unde huic sapientia, quantum ad doctrinam, et virtutes,quantum ad miracula ? *Nonne hic est filius fabri* ? Beda. Paternæ artis opprobrio eum lacessunt,qui revera filius erat fabri, quem summus fabricator omnium genuerat, et qui homines igne decoquit,dum eos in Spiritu sancto et igne baptizat, qui etiam diversi generis vasa fabricat, et vasa iræ spiritus igne molliendo in misericordiæ vasa commutat.

Nonne mater ejus dicitur Maria ? et frater ejus Jacobus, et Joseph, et Simon, et Judas ? Fratres Domini, non filii beatæ Mariæ, juxta Helvidium, nec filios Joseph ex alia uxore,juxta quosdam sunt putandi,sed potius sunt filii illius Mariæ, quæ dicitur mater Jacobi minoris, et Joseph, et Judæ. Fratres autem apud Judæos solent dici cognati, non solum ex gradu cognationis,sicut fratrum et sororum,qui etiam usitatissime apud nos fratres dicuntur, sed etiam avunculus et sororis filius, sicut erant Jacob et Laban,fratres appellari inveniuntur.Jesus autem dixit : *Non est propheta sine honore, nisi in patria sua*.Prophetam dici in Scripturis sanctis Dominum Jesum et Moyses testis est,qui futuram ejus incarnationem prædicens filiis Israel,ait : *Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus vester de fratribus vestris, quem tanquam me ipsum audietis* (*Deut.* XVIII). Non solum autem ipse, qui caput et Dominus est prophetarum, sed et Helias et Jeremias, cæterique prophetæ minoris honoris in patria sua, quam in externis civitatibus habiti sunt, quia propemo-

A dum naturale est, cives semper civibus invidere.

Et non fecit ibi virtutes multas propter eorum incredulitatem. Non quod ipsis incredulis facere non potuerit virtutes, sed quomodo non multa faciens cives incredulos magis condemnaret.

BEDA. Potest et aliter intelligi. Quod Dominus despicitur in domo,et in patria sua, hoc est, in populo Judæorum,et ideo ibi pauca signa fecit,ne penitus inexcusabiles fierent. Et quod aliqua fecisset ibi miracula, hoc habemus ex Marco, qui dicit : *Et non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit* (*Marc.* VI).

CAPUT XIV.

In illo tempore, audivit Herodes Tetrarcha famam
B *Jesu*,etc. Præcedentia facta, quæ narravit post sermonem habitum de Joanne,ad populum,fecit Christus post mortem Joannis in ultimo anno suæ prædicationis, et ideo narrat mortem Joannis, quam prætermiserat, ut alia facta continuet,quæ fuerunt facta post mortem Joannis. Constat Joannem esse decollatum prope pascha, quia statim nuntiata Jesu morte Joannis,transivit mare,et fecit miraculum de quinque panibus et duobus piscibus, quod revera fuit prope pascha. Ait enim Joannes evangelista, referens illud miraculum : *Erat prope pascha Judæorum* (*Joan.* II). *Et ait pueris suis*, etc. In his verbis videntur differre Matthæus et Lucas. Matthæus enim dicit Herodem istum, qui fuit filius alterius Herodis, qui occidit pueros, dixisse Joannem resurrexisse a mortuis. Lucas vero de his ita scribit : *Au-*
C *diebat autem Herodes Tetrarcha omnia, quæ fiebant ab eo, et hæsitabat, eo quod diceretur a quibusdam : Quia Joannes resurrexit a mortuis, a quibusdam vero Helias apparuit*, etc. (*Luc.* IX.) Intelligendum est ergo, aut post hanc hæsitationem confirmasse eum in animo suo, quod ab aliis dicebatur cum ait : *Quem ergo decollavi Joannem, hic a mortuis resurrexit* (*Marc.* VI). Aut ita pronuntianda sunt hæc verba,ut hæsitantem adhuc judicent.Si enim diceret : Nunquidnam hic est,aut nunquid forte hic est Joannes Baptista, non opus esset admonere aliquid de pronuntiatione,qua dubitans atque hæsitans intelligatur. Nunc quia illa verba desunt, utroque modo pronuntiari potest,ut aut confirmatum esse ex aliorum verbis credentem accipiamus dixisse, aut ad-
D huc,sicut Lucas commemorat, hæsitantem.

Et propterea, etc. Bene omni modo de resurrectionis virtute senserunt,quod majoris potentiæ futuri sint sancti, cum a mortuis resurrexerint,quam fuerunt,cum carnis adhuc infirmitate gravarentur, sed et ipsum resurrectionis miraculum non esse incredibile docuerunt.

Herodes enim timuit Joannem, et alligavit eum, et posuit in carcerem, propter, etc. Quia dixerat de opinione resurrectionis Joannis cum nihil de morte dixisset, ideo revertitur, et narrat, qualiter obierit. Vetus narrat historia, Philippum Herodis majoris filium,sub quo Dominus fugit in Ægyptum,fratrem

hujus Herodis, sub quo passus est Dominus, duxisse Herodiadem uxorem filiam regis Arethæ; postea vero socerum ejus, exortis quibusdam contra generum simultatibus, tulisse filiam suam, et in dolorem mariti prioris inimici ejus nuptiis copulasse. Quis sit autem hic Philippus, evangelista Lucas plenius docet. *Anno quinto decimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode. Philippo autem fratre ejus Tetrarcha Itureæ et Traconitidis regionis* (*Luc.* III). Ergo Joannes Baptista, qui venit in spiritu et virtute Heliæ, eadem auctoritate, qua ille Achab corripuerat, et Jezabel, arguit Herodem et Herodiadem, quod illicitas nuptias fecerint, et non liceat fratrem vivente germano illius uxorem ducere, malens periclitari apud regem, quam propter adulationem esse immemor præceptorum Domini. *Et volens eum occidere timuit populum, quia sicut prophetam eum habebant*, etc. Hic videntur differre Matthæus et Marcus. Marcus enim refert, quod libenter eum audiebat. Herodes enim metuebat Joannem, sciens eum virum justum. Sed sciendum, quod aliud volebat, et aliud simulabat. Cum enim vellet occidere, metuit populum. Frequentabat igitur eum tentans, si aliquo modo posset eum a reprehensione sui revocare.

Die autem natalis, etc. Non excusatur Herodes, quod invitus et nolens, propter juramentum homicidium fecerit, quia ad hoc forte juravit, ut futuræ occasioni machinas præpararet. Alioquin si ob hoc jusjurandum fecisse se dicit, si patris, si matris postulasset interitum, facturus fuerat, an non? quod in se repudiaturus fuerit, contemnere debuit in propheta.

Quæ cum exisset, dixit matri suæ, etc. Herodias timens, ne forte Herodes resipisceret aliquando, ve Philippo fratri suo amicus fieret, atque illicitæ nuptiæ repudiando solverentur, monet filiam, ut in ipso statim convivio caput Joannis postulet. Digno opere saltationis, dignum sanguinis præmium.

Et constristatus est rex; propter jusjurandum autem, et eos, qui pariter recumbebant, jussit dari, etc. BEDA. Consuetudinis Scripturarum est, ut opinionem multorum sic narret historicus, quomodo eo tempore ab hominibus credebatur, sicut Joseph ab ipsa quoque Maria appellatur pater Jesu, ita et nunc Herodes dicitur contristatus, quia hoc discumbentes putabant. Dissimulator enim mentis suæ et artifex homicida tristitiam præferebat in facie, dum lætitiam haberet in mente, scelusque excusat juramento, ut sub occasione pietatis impius fieret. Quod autem subjecit, et propter simul discumbentes, vult omnes sceleris sui consortes esse, ne in luxurioso impuroque convivio, cruentæ epulæ deferrentur. Joannes figuram tenet legis. Herodes significat populum Judæorum, qui sibi velut uxorem gentilis populi de eodem parente progeniti sociavit infidelitatem, quam quia vetat Joannes tanquam lex, clausa tenetur, et vocem dare non permittitur. Ad ultimum in natalis Herodis, id est in expletione naturalis voluptatis, saltat filia, id est exsultat voluptas prava infidelitate orta, et postulat addi ad delicias suas caput Joannis, id est Christum auferri de intellectu legis. Defertur itaque per filiam matri, quia per pravam voluntatem satis fit infidelitatis. Quo facto discipuli Joannis, id est auditores legis, corpus Joannis sepelierunt, id est carnales observantias in se exstinguunt, et ita a lege ad Evangelium venientes, verbi Dei solliciti auditores fiunt. Nos autem usque hodie cernimus in capite Joannis prophetæ Judæos, Christum, qui caput est Judæorum et prophetarum, perdidisse. Aliter: Decollatio Joannis minorationem famæ illius, qua Christus a populo credebatur, insinuat, sicut exaltatio Domini in cruce designat profectum fidei nostræ, Minutus est ergo capite Joannes, exaltatus est in cruce Dominus, quia sicut idem Joannes ait, *illum oportet crescere, me autem minui* (*Joan.* III); narrat Josephus vinctum Joannem in castellum Macheronta adductum, ibique truncatum. Narrat Historia ecclesiastica, sepultum eum esse in Sebaste urbe Palæstinæ, quæ quondam Samaria dicta est, et tempore Juliani principis invidentis Christianis, qui sepulcrum ejus pia sollicitudine frequentabant, paganos in via invasisse monumentum, ossa dispersisse per campos, et rursum collecta igne cremasse, ac denuo sparsisse per agros; adfuisse tunc temporis ibidem ab Jerosolymis monachos, qui misti paganis ossa colligentibus, maximam eorum partem congregaverunt, et ad patrem suum Philippum Jerosolymam detulerunt. At ille miserit ea beato Athanasio, Alexandrinæ urbis episcopo, ibique servata sunt usque ad tempora Theophili, ejusdem urbis episcopi. Quando jubente Theodosio principe omnium gentium, fana destructa sunt, tunc expurgato a sordibus templo Serapis, ibidem illatam basilicam, pro ædicula Serapis in honore sancti Joannis consecratam. Lege undecimum ecclesiasticæ Historiæ librum.

Quod cum audisset Jesus, secessit inde in navicula in locum desertum deorsum, etc. Salvator audita nece sui Baptistæ, secessit in locum desertum. Non, ut quidam dicunt, timore mortis, sed parcens inimicis suis, ne homicidium homicidio jungerent, ut præberet nobis exemplum vitandi temeritatem tradentium, quia non omnes eadem constantia perseverant in tormentis, qui se torquendos offerunt. Unde alibi præcipit: *Cum vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam* (*Matth.* X). Postquam vero a Judæis, et a regibus Judæorum, prophetæ truncatum est caput, et linguam et vocem apud eos perdidit propheta, Jesus tempus congruum exspectans, secessit in locum desertum, seorsum docens, quia derelicta Judæa, ad desertum gentilitatis transivit.

Et cum audissent turbæ, secutæ sunt eum pedestres de civitatibus, etc. Non in jumentis et vehiculis, sed proprio labore pedum, ut ardorem mentis ostenderent. MYSTICE, cum gentiles audirent prædicationem Christi, secuti sunt eum passibus fidei, et relictis vetustatibus pristinæ conversationis, quas de civitatibus exierunt.

Et exiens, vidit turbam, etc. Exitus ille significat, quod turbæ habuerunt eundi voluntatem, sed non vires perveniendi. Ideo Salvator egreditur obviam, quasi votis eorum occurrens. *Et misertus est eis.* Miseretur Dominus, cum gratiam suam fidelibus inspirat, et per prædicatores eos vocat. Languidos sanat, dum peccata in anima infirmantium remittit. *Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli dicentes: Desertus est locus, et hora jam præteriit*, etc. Patet discipulos, dum talia dicunt, futuri miraculi fuisse ignaros, MYSTICE venit a Judæa in desertum gentilitatis, ut dictum est, et hoc vespere facto, id est in fine sæculorum. Tempus enim gratiæ, finis mundi dicitur, quia cum sint tria tempora, ante legem sub lege, sub gratia, tempus gratiæ ultimum computatur. Vel facto vespere, id est peracta Dominica passione, qnando videlicet sol justitiæ por mortem occubuit, transivit Christus per prædicatores ad gentes. Notandum est, quod Joannes quædam verba hic interserit. Ait enim eum dixisse ad Philippum:

Unde ememus panes, ut manducent hi? (*Joan.* v.) Intelligendum autem est, discipulos prius ad Dominum accessisse et rogasse, ut dimitteret turbas, quod Matthæus refert, et postea Christum turbas inspexisse, et deinde ad Philippum locutum fuisse, quod Joannes commemorat, et isti prætermittunt. Quod autem Philippus respondet apud Joannem, *ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis* (*Joan.* VI), hoc Marcus a discipulis responsum esse commemorat, volens hoc intelligi ex ore omnium cæterorum discipulorum respondisse Philippum. MYSTICE autem discipuli ad Jesum accedunt et dicunt: *Desertus est locus*, cum prædicatores in primitiva Ecclesia admirantur de conversione gentium, quasi desperantes se posse eos, qui tamdiu in idololatria permanserant et sine lege erant, deinceps ad fidem convertere. Et ideo dicunt: *Desertus est locus*, quia gentilitas sine lege est, sine aliqua Dei cognitione, et ideo *jam hora præteriit*, quia usque ad finem sæculi in cæcitate perstiterunt. Dimitte ergo turbas, noli incassum eis annuntiare verbum veritatis, ut euntes in castella, id est munimenta philosophicarum sententiarum, quæ quasi multis rationibus munitæ sunt. Emant pretio studii et laboris escas, id est doctrinas, quarum pastu delectantur. *Jesus autem dixit eis, Non habent necesse ire*, id est non habent necesse diversos cibos quærere, ut me cœlestem panem dimittant, et ignitos panes quærant.

Date vos eis potius manducare, etc. Provocat apostolos ad fractionem panis, id est ad apertionem Scripturarum. *Responderunt ei*, etc. *Non habemus hic, nisi quinque panes, et duos pisces.* Quinque panes, quinque libros Moysi significant, qui bene ab alio evangelista hordeacei dicuntur, quia hordeum est cibus jumentorum. Rudibus enim Judæis tantum grossa et aspera erant data præcepta. Animalis enim homo non percipit ea quæ Dei sunt. In hordeo tamen latet medulla suavissimi sensus, quæ perfectis

A est danda fidelibus. Per duos pisces, prophetias et psalmos habemus. Totum enim Vetus Testamentum in his tribus completur. Unde post resurrectionem ait Dominus, quia oportebat impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, et prophetis, et psalmis de me. Qui ait illis: *Afferte huc illos mihi.* Quasi mystice dicat, legis intellectum, prophetarum, et psalmorum sciatis ad me referendum.

Et jussit turbam discumbere super fenum, etc. Super fenum jussit turbam discumbere, id est calcandam carnem esse studio abstinentiæ mystice docuit. *Omnis enim caro fenum, et omnis gloria ejus quasi flos agri* (*Isa.* XL.) Quod autem ait alius evangelista, *discubuerunt alii quinquageni, alii centeni* (*Marc.* VI), diversos ecclesiasticorum conventus si-
B gnificari voluit, qui tamen unam faciunt catholicam Ecclesiam. Jubilæi quippe requies mysterium quinquagenarii numeri significat. Et quinquagenarius bis ducitur, ut ad centenarium perveniatur. Quia ergo prius a malo quiescitur opere, ut post anima plenius quiescat in cogitatione. Alii qninquageni, alii autem centeni discumbunt, quia sunt nonnulli, qui a pravis actitbus habent requiem operis, et sunt nonnulli qui a perversis cogitationibus habent requiem mentis.

Acceptis quinque panibus etc. Turbis esurientibus, Salvator non nova creat cibaria, sed acceptis eis quæ habuerunt discipuli benedicit, quia veniens in carne, non alia quam prædicta, sunt, prædicat, sed
C legis et prophetarum scripta, quam sint mysteriis gratiæ gravida, demonstrat. Intuetur in cœlum, ut illic dirigendam mentis aciem, ibi lucem scientiæ doceat esse quærendam. Frangit, et ante turbas ponenda distribuit discipulis, quia sacramenta prophetiæ sanctis dectoribus, qui hæc toto corde prædicent patefecit, et illis ministrantibus, manducaverunt omnes et saturati sunt. Manducaverunt dum intellexerunt; saturati sunt, dum perfecte in his pro suo modo intellectum habuerunt.

Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos. Quid sunt illa fragmenta, nisi quæ populus non potuit manducare? Intelliguntur ergo quædam secretiora intelligentiæ, quæ multitudo non potest capere. Quid ergo restat, nisi ut illa secretiora intelligentiæ, quæ populus non potest capere,
D illis credantur et committantur, qui idonei sunt intelligentiæ, et alios docere, sicut erant apostoli. Unde duodecim cophini sunt impleti, quia duodenario numero solet perfectionis cujuslibet summa signari. Recte per duodecim cophinos fragmentorum plenos omnis doctorum spiritualium chorus exprimitur, quia obscura Scripturarum, quæ per se turbæ nequeunt intelligere jubentur meditando colligere, et meditata ac mandata litteris suo et turbarum usui conservare. Foris quidem despecti, sed intus salutari cibo ad alenda humilium corda cumulati. Quare dicuntur cophini pleni fragmentis? constat enim cophino servilia opera solere geri. Christus, qui co-

phinos fragmentis replevit, qui infirma mundi elegit, ut confunderet fortia. *Manducantium autem numerus fuit quinqae millia.* Notandum est quod duæ in Matthæo leguntur pastiones, ista videlicet in qua quinque millia hominum quinque panibus refici perhibentur, et alia in qua quatuor millia septem panibus satiari asseruntur. Sunt enim duo genera hominum in Ecclesia, activi videlicet et contemplativi. Hæc vero pastio ad activos, illa ad contemplativos pertinere videtur : unde merito hic quinque millia hominum fuisse leguntur. Datur enim eis ex concessione rebus exterioribus licite uti, quæ quinque sensibus subjacent, si tamen bene et perfecte sæcularibus utuntur, quæ perfectio per quinque millia designatur. Quoniam ergo in veteri lege licentia possidendi sæcularia conceditur, ideo per quinque libros Moysi, quasi per legalia præcepta hi manducantes instituuntur. Secundum quem intellectum merito in feno discumbere leguntur, ut per fenum divitiæ intelligantur, quibus quasi sub sepositis, possidendo dominentur. Quatuor vero millia hominum, septem panibus refecti sunt, quia quasi evangelicis præceptis imbuti, vendere omnia quæ habent, et dare pauperibus, et temporalia negligere student. Septem panibus evangelica doctrina designatur, quia septiformis Spiritus sancti gratia ibi continetur. Ibi fenum esse non legitur, quia rebus sæcularibus omnino renuntiaverunt, quæ omnia ibi melius discutientur. Hic autem quare quinque millia fuissent, sufficiat ostendisse.

Exceptis mulieribus et parvulis. Quasi dicat : Refecti sunt perfecti activi, et cum eis alii etiam infirmiores, quorum alii sunt mulieres, id est molles. et vitiis dediti, alii vero parvuli, id est in fide infirmi, nec adhuc pugnæ idonei, et tamen communiter verba prædicationis audiunt.

Et statim jussit discipulos ascendere in naviculam, etc. Refert Joannes, quia populus viso miraculo panum, voluit rapere Christum in regem, unde Christus discipulis præcepit transfretare, ipse vero fugit in montem solus orare (*Joan.* VI). Qua in re exemplum nobis præbuit, ut in bonis quæ agimus, humani favoris retributionem vitemus, et prosperitatem oblatam recusantes, ad orationem recurramus, et in alto spem nostram figamus. Non omnis qui orat ascendit in montem. Est enim oratio quæ peccatum facit; sed qui bene orat, qui Deum orando quærit, hic a terrenis ad superiora progrediens, in montem ascendit. Qui vero de divitiis aut de morte inimici sollicitus orat, ille in infimis jacens, viles ad Deum preces mittit. Orat Dominus non ut pro se obsecret, sed ut pro nobis impetret. Sed quæritur. quomodo Matthæus referat discipulos transfretasse in terram Genezareth ? et Marcus determinatius loquens, dicit eos Bethsaidam transfretasse, quæ est juxta stagnum Genezareth, cum videatur dicere Lucas, quod in locis Bethsaidæ factum fuerit miraculum illud memorabile, et refectio cœlestis. Ait enim : *Assumptis illis, secessit seorsum in locum de-* A *sertum, qui est Betsaida. Quod cum cognovissent turbæ, secutæ sunt illum, et excepit illos* (*Luc.* IX), et cætera quæ sequuntur, usque ad completam illam sacræ refectionis historiam. Sed forte intelligamus in eo quod Lucas ait, in locum desertum, qui est Bethsaida, non ipsius vicinia civitatis, sed loca deserta ad eam pertinentia esse designata. Marcus enim dicit aperte, quod præcederent eum in Bethsaidam, ubi ipsius fines civitatis constat esse notatos. Lucas vero, qui non dicit in locum desertum qui est Betsaida, sed qui est Betsaidæ, potest ni fallor, recte intelligi, quia non ipsam civitatem voluerit intelligi, sed locum desertum ipsius, id est ad ejus confinia pertinentem. Narrat autem evangelista Joannes, manducasse turbas panem juxta B Tyberiadem, et ascendentes navem, discipulos venisse trans mare in Capharnaum, quæ ambæ sunt civitates in Galilæa, juxta stagnum Genezareth, quæ etiam Tyberiadis a civitate Tyberiade vocatur.

Vespere autem facto, etc. Labor discipulorum laborem Ecclesiæ significat. Motus fluctuum motum persecutionum ; mare, mundum ; ventus, flatum diabolicum, navicula Ecclesiam significat. Solus dicitur esse Christus, hoc est, separatus ab Ecclesia : videtur et eam deseruisse, cum eam permittit in tribulatione esse. Merito dicitur esse tempestas in vespere, quia dum Ecclesia est in tribulatione, dicitur esse quasi in nocte, et sol justitiæ se ab ea abscondisse.

Quarta autem vigilia noctis etc. Stationes et vigiliæ militares interna horarum spatia dividunt. C Quando ergo dicit, in quarta vigilia noctis venisse ad eos Dominum, ostendit tota nocte periclitatos, et extremo noctis tempore, eis auxilium datum. Appropinquante autem die, venit Dominus ambulans super mare, quoniam cum humana fragilitas pusillanimitatem virium suarum considerat, nihil erga se quam tenebras et hostium cernit angustias. Cum vero mentem ac divinum præsidium erigit, quasi inter tenebras ortum luminis in die cernit. Nota, quia prima vigilia conticium, secunda intempestum, tertia gallicinium, quarta lucifer. Venit ad eos Dominus, significans, quia post multam tribulationem visitat Ecclesiam suam : super mare ambulat, dum mundi persecutiones sedat.

Et videntes putant phantasmata, etc. Dicunt hære- D tici, quia si virgo peperit, phantasma fuit. Si phantasticum corpus habuit Christus, cur discipuli eum esse phantasma metuunt? *Et præ timore clamaverunt.* Sæpe enim Ecclesia in tanto labore posita est, quod clamat ad Dominum : *Quare me dereliquisti? et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus meus?* (*Psal.* XLI.) Ipse autem consolatur eos, dicens. *Habete fiduciam, quia ego, sum.* Cum enim in principio tranquillitas nondum creditur, a timentibus vera liberatio, quod per phantasma significatur, et ideo clamant, tandem indicatur eis, quia vere liberati sunt, quod dicere est : *Ego sum.* Ad litteram, id eo dicit, *Ego, sum* ut desperationem, et phantasiæ

opinionem removeret. Nec subjungit qui sum, quia ex voce satis nota poterant eum agnoscere, vel quia ipse est qui dicit: *Qui est, misit me ad vos*, et de eo dicitur: *Ego sum qui sum* (*Exod.* III).

Respondens autem Petrus dixit, etc. Aliud est sacramentum de Petro per se, et alia figura. Eadem enim res multoties diversis figuris exprimitur. Eamdem ergo personam gerit hic Petrus, quam et navicula superius, personam videlicet laborantis Ecclesiæ. Dicit ergo Ecclesia: Si tu es ille verus liberator, sicut revera es, jube me venire ad te, optat enim Ecclesia semper venire ad Dominum: addit super aquas, quasi dicat: Fac me ad exemplum tuum mundi superare pressuras. Optanti venire dicit: *Veni*, quia semper affert auxilium omni petenti. *Et descendens*, etc. Qui putat non esse corpus Dominicum verum, quia super aquas incessit, respondeat quomodo ambulaverit Petrus, quem verum hominem esse negare non possunt. *Mystice* navicula quæ superius significabat Ecclesiam, designat humanum auxilium, quia navis est hominis instrumentum ad gentes transfretandas. Descendit Petrus de navicula, cum Ecclesia postposito omni humano auxilio, humiliando se ad Deum solum refugit, et per hoc datur ei calcare tribulationes hujus mundi, at veniat ad Jesum, id est, sit ei conformis. *Videns autem ventum validum, timuit.* Ecce Petrus ad litteram ne superbiret, quasi æqualis Domino, immisit ei Dominus ventum, qui eum terreat, et humanam fragilitatem recognoscere faciat. Permittitur timere et mergi, ut gratius sit auxilium post timorem. Sicut etiam permittit Ecclesiam titubare in persecutione, ut ei infirmitatem suam ostendat, et vehementius ipse ab ea invocetur. Cui clamanti, extendit manum auxilii, et de tribulutione increpat dicens: *Modicæ fidei.*

Et cum assendisset in naviculam, etc. Modo redit ad priorem figuram, quia hoc totum de Petro fuit, quasi alia figura interposita. Cum superius dixisset: *Ego sum*, id est cum Ecclesiam suam consolatus fuisset, ascendit in naviculam, hoc est, in Ecclesiam. Quandiu enim patiebatur Ecclesiam suam vexari, quasi absens videbatur esse, sed data tranquillitate Ecclesiæ, videtur accessisse, et tunc cessavit ventus tribulationis. *Qui autem in navicula erant*. De nautis intelligendum est, vel de apostolis. Eodem modo Ecclesia, pace sibi reddita, gratiarum actione Deum adorat. *Et cum transfretassent*, etc. Genezar enim *hortus* interpretatur, et ideo paradisum significat. Merito post naufragium et navigationem maris ad littus Genezar perveniunt, quia Ecclesia post persecutiones mundi, et cursum præsentis vitæ ad jucunditatem perveniet paradisi. *Et cum cognovissent eum*, etc. BEDA. Cognoverunt eum rumore, non facie. Vel certe pro signorum magnitudine, quæ patrabat in populis, et notus erat pluribus vultu. Sed vide quanta sit fides hominum terræ Genezareth, ut non præsentium tantum salute contenti sint, sed mittuntur ad alias per circuitum civitates, quo omnes currant ad medicum. Homines Genezareth, gentiles significare dicuntur. Genezareth enim alia interpretatione, *quasi generans auram* dicitur. Gentilitas autem multiplicium errorum nebulam generavit. Illi audita prædicatione adducunt omnes male habentes, id est, variis criminibus irretitos. *Et rogabant eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent*, etc. Vestimentum incarnationem Christi, qua divinitas induta est, significat. Fimbria vero prædicationem de incarnatione Christi pendentem designat. Gentiles vero non vestimentum tangunt, quia præsentiam carnis non viderunt. Fimbriam vero tangunt, quia prædicationem incarnationis susceperunt, et per fidem salvati sunt.

CAPUT XV.

Tunc assesserunt ad Jesum, etc. Homines Genazar minus docti credunt: sed qui sapientes videntur ad pugnam veniunt, juxta illud: *Abscondisti hæc a sapientibus, et revelasti ea parvulis* (*Matth.* XI.) *Quare discipuli tui*, etc. Mira Scribarum et Pharisæorum stultitia, quæ Dei Filium putat suis traditionibus esse subjectum.

Non enim lavant, etc. BEDA. Multa baptismata erant Judæorum, quæ non erant in lege, sed spiritualia prophetarum verba carnaliter accipientes, quæ illi de castigatione cordis et operis præcipiebant, dicentes: *Lavamini, mundi estete* (*Isa.* I), et: *Mundamini, qui fertis vasa Domini* (*Isa.* LII), ; illi de corpore solo lavando servabant. Frustra omnes Judæi lavant manus, et sua baptismata observant, quandiu contemnunt fonte Salvatoris ablui. Intelligentes ergo carnaliter illam salvationem prophetæ, servabant in manibus et corpore abluendo illam præceptionem, et ideo statuerunt non nisi lotis manibus manducandum esse; ille autem respondens, ait illis:

Quare et vos transgredimini? etc. BEDA. Falsam calumniam vera responsione Dominus confutat, cum vos propter traditiones hominum, præcepta Domini contemnatis, quare discipulos meos arguendos creditis, quod seniorum jussa parvipendant, ut Dei scita custodiant, dum implendo spiritualiter ablutionem prophetæ, operum et cogitationum maculam deleant? *Nam Deus dixit.* In quo præceptum Domini traditione sua transgrediantur, ostendit: Deus præceperat in lege honorare patrem et matrem. Pharisæi vero avaritiæ servientes, ut homines offerrent munera in templo, quæ in suos usus pervenirent, patrem honorandum, Deum esse muneribus venerandum interpretabantur, et ita carnales patres sub nomine pietatis esse postponendos dicebant. Et hoc est quod Deus dixit:

Honora patrem et matrem. Honor iste in Scripturis, non tantum in salutationibus et officiis deferendis, quantum in eleemosyna et munerum collatione sentitur; unde Apostolus: *Honora viduas, quæ vere viduæ sunt.* (*I Tim.* V). Hic honor donum intelligitur. Et alibi: *Presbyteri duplici honore sunt ho-*

norandi (*I Tim.* v), quasi dicat : Non solum officiis, sed etiam muneribus sunt donandi. *Qui autem maledixerit patri aut matri*, subtrahendo eis beneficia debita, *morte moriatur.* Vos autem dicitis filiis aliquorum parentum : O juvenes, vovete, quantumcunque sitis pauperes, oblationes de rebus. Et si non potestis pascere parentes, et Deo offerre, contemptis parentibus, res vestras Deo vovete : et si pater vester voluerit res vestras accipere, dicite, quia Deo vovitis eas. Et hoc est : Quicunque, id est quisquis vestrum, o juvenes, dixerit, id est dicere poterit, vel dicat patri vel matri, res vestras sumere volenti : O pater, munus quod est Deo ex me jam devotum, proderit tibi ? admirando, id est, cederet in tuos usus ? certe non debes sumere, ne sis reus sacrilegii. Vel ita : Munus quod ego offero Deo, et mihi et tibi proderit, et ideo non debes sumere res meas in tuos usus, sed pati ut Deo offeram ; vel per eclipsin : Quicunque dixerit patri, etc. Subaudis, faciet Dei mandatum, vel complebit legem, vel erit dignus vita æterna, et sic propter istas persuasiones avaritiæ vestræ, juvenis ille non honorificabit patrem aut matrem. Irritum ergo fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras. Sequitur :

Et non honorificabit patrem suum, aut matrem. Quasi dicat : Vos tamen filiis persuasistis pessima, et quia hoc persuasistis, filius postea patrem aut matrem non honorificavit. Et ideo Dei mandatum de sustinendis parentibus fecistis irritum, propter traditionem vestram, vestræ scilicet avaritiæ servientes. *Hypocritæ.* Pessimi scilicet simulatores, qui simulatis quod non estis, more personæ theatralis, bene et convenienter moribus vestris prophetavit Isaias de vobis, dicens : *Populus hic labiis me honorat* (*Isa.* XXIX), etc. Prævidit quidem Isaias simulationem Judæorum, quod in dolo repugnarent Evangelio. Honorabat etiam labiis eum, dum dicebat : *Magister, scimus quia verax es* (*Matth.* XXII), etc. Vel etiam commendando exteriorem munditiam, illum honorabat ; sed dum interiori quæ vera est carebat, cor eorum longe erat, et ille talis honor inutilis est eis. Unde sequitur : *Sine causa enim colunt me*, quia non habebunt mercedem cum veris doctoribus, docentes doctrinam et mandata hominum, contemptis præceptionibus divinis.

Et convocatis ad se turbis, ait eis : *Audite*, etc. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem.* Nec etiam idolotythum, in quantum est Dei creatura, sed potius illud coinquinat, quod procedit de ore, id est verbum exprimens immunditiam et nequitiam suæ pravæ mentis ; unde Augustinus : « Non timeo immunditiam obsonii, sed cupiditatis. »

Tunc accedentes discipuli ejus, etc. Pharisæorum magna est religio in cibis, qui audito hoc verbo scandalizati sunt, id est indignati sunt. Scandalum quidem Græce, nos offendiculum vel ruinam, vel pedis impactionem possumus dicere ; unde dicitur : *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis* (*Matth.* XVIII), id est qui occasionem dederit ruinæ, etc. At ille respondens ait :

Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur. Plantatio ista doctores legis significat, cum sequacibus suis, qui Christum non habebant fundamentum, quare sunt eradicandi. Sequitur : *Sinite illos.* Quasi dicat : Permittite eos suo libero arbitrio, ut eant secundum desideria cordis sui, quia irrevocabiles sunt. Unde Paulus : *Hæreticum hominem post primam et secundam correptionem devita* (*Tit.* III). Cæci sunt, id est luce mandatorum Dei privati pro traditionibus suis, et sunt duces cæcorum, qui non solum sibi prospiciunt, sed etiam alios in præcipitium trahunt errantes, et in errorem mittentes. *Respondens autem Petrus, ait* : *Edissere nobis parabolum istam.* Quod aperte dictum fuerat, Petrus parabolice dictum putat, et in verba manifesta mysticam quærit intelligentiam, unde corripitur a Domino, dum dicitur : *Adhuc et vos sine intellectu estis* ? Ex quo animadvertimus vitiosum esse auditorem, qui aut obscura manifeste, aut manifesta dicta obscure vult intelligere. Dicit ergo : Sine intellectu estis, qui putatis mysticum quod est prædictum. Sequitur : *Non intelligitis quod omne quod intra in os*, etc. Apertius insinuat, quod superius dixit, *Non quod in os intrat*, etc. Quod autem dixit, *de corde exeunt cogitationes malæ.* Notandum est quod principalis sedes animæ, non juxta Platonem in cerebro, sed juxta Christum in corde est. Sunt etiam arguendi hac sententia, qui cogitationes a diabolo immitti putant, et non ex propria voluntate nasci. Diabolus enim adjutor et incentor malarum cogitationum potest esse, non auctor, quia nec interiora, nisi per quosdam habitus et gestus exteriores novit. Verbi gratia ; Si pulchram mulierem vos crebro inspicere viderit, cor amoris jaculo vulneratum intelligit.

Et egressus inde Jesus, seressit in partes Tyri et Sidonis. Scribis et Pharisæis relictis, intrat fines Tyri et Sidonis, ut filiam syrophœnissæ a dæmonio liberaret, ut per fidem gentilis feminæ Scribarum perfidiam argueret, significatos per hoc, quod relictis columniatoribus post resurrectionem per prædicatores iret ad gentilitatem. Tyrus enim et Sidon civitates sunt gentium. Sequitur : *Et ecce mulier Chananæa*, etc. Hic videtur Marcus a Matthæo dissentire, dicit enim Matthæus quod mulier clamabat post apostolos, cum dicant : *Dimitte eam, quia clamat post nos.* Unde posse intelligi videtur, quia in via sequebatur eos, et omnia illa verba in via esse completa, quæ in hoc Evangelio leguntur. Marcus vero refert Christum in fines Tyri et Sidonis venisse, et tunc domum quamdam ingressum fuisse, et ibi Chananæam pro filia sua eum rogasse, et verba quæ sequuntur, ibi dicta fuisse. Quapropter intelligendum est, cum Christus in partes Tyri et Sidonis ingrederetur, Chananæam egressam fuisse, et clamavisse in via : *Miserere mei, Domine*, et tunc

eum in via non respondisse, sed Christum et mulierem cum silentio domum ingressos fuisse, deinceps discipulos pro ea rogasse, *dimitte eam*, etc. In aliis vero omnibus conveniunt. *Domine, miserere*, etc. Magna fides Chananææ hic notatur. Credit Deum, ubi vocat Dominum hominem, ubi filium David nominat. Credit, quia jam egressa est de finibus gentilitatis, id est de erroribus illius. Nihil ex merito postulat, sed solam Dei misericordiam efflagitat, cum dicit : *Miserere*. Non dicit : Miserere filiæ, sed miserere mei, quia dolor filiæ est matris; sed ut magis eum ad compassionem moveat, totum dolorem enarrat dicendo :

Filia mea male a dæmonio vexatur, Vulnera medico detegit, et qualitatem et magnitudinem morbi ostendit. Magnitudinem, cum dicit, male vexatur ; qualitatem, cum subjungit, a dæmonio.

Qui non respondit ei verbum, Multæ causæ sunt quare non responderet, ut scilicet differendo et non respondendo, patientiam mulieris, et perseverantiam nobis ostenderet. Cum enim toties despecta esset, et etiam canibus comparata, tamen cum patientia et humilitate omnia libenter accepit. Ideo iterum non respondit, ut discipuli pro ea rogarent, ostendens per hoc necessarias esse preces eorum, vel sanctorum ad aliquid impetrandum. Non respondet, ne videretur esse contrarius suæ sententiæ, qua dixerat ; *In viam gentium*, etc. Differt sanare, ut salutem gentium differendam post resurrectionem præfiguraret. Mulier enim Chananæa gentilium Ecclesiam significat, quæ egressa de finibus Tyri et Sidonis, id est de ritibus gentilitatis, quæ erat pondere peccatorum angustiata, et venatio diaboli. Tyrus enim *angustia*, Sidon vero *venatio* interpretatur. Orat pro filia sua, id est, pro populis nondum credentibus, et a dæmonio vexatis. Differt autem mulierem audire, quæ erat figura gentilium, significans gentilium salutem differendam. Similiter sub persona hujus mulieris, fides, humilitas, patientia Ecclesiæ designantur : fides, qua credidit posse salvari filiam ; patientia, qua quoties contempta in precibus perseverat ; humilitas, qua se non canibus, sed catellis comparat.

Et accedentes discipuli ejus, etc. Ecce divinum silentium effectum habet, quia Matthæus apostolus dicit : *Ipse respondens ait ; Non sum missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israel.* Primo ut prius prædicem Judæis, postea gentibus. Prius enim prædicatio offerenda erat Judæis, quibus facta erat promissio, deinceps cum esset repudiata ab eis, ad gentes transferenda. Dicitur ergo : Non sum missus in propria persona, et principaliter, nisi ad oves, Judæos. Sed tamen aliquando in præfiguratione conversionis gentium, aliquos eorum sub aliqua occasione curabat. *At illa*, etc. *Non est bonum* etc. Filii sunt Judæi generati, et nutriti sub cultu unius Dei, per legem. Panis est Evangelium, miracula, et alia quæ ad salutem pertinent nostram. Non est ergo conveniens ut a filiis auferantur, et dentur gentibus,

A qui sunt canes, donec Judæi repudient, quasi dicat : Vos gentiles indigni estis ut vobis prædicem, et vobis faciam miracula. Hæc omnia dicit ut exploret fidem mulieris. At illa respondet : *Etiam, Domine*, id est, verum est. Domine, non est bonum ut dones nobis panem, nam micæ nobis sufficiunt. Et hoc est : Nam et catelli non edunt panem sed micas, id est, reliquias dominorum, quasi dicat : Domini nostri sunt Judæi, qui sedent ad mensam Scripturarum. Nos non sumus digni sedere ad mensam, quia canes sumus, sed sub eis existentes, saltem aliquas reliquias vellemus habere, sicut est curatio filiæ meæ. Mystice canes, id est gentiles, comedunt micas, id est, interna mysteria, Judæi vero crustas, id est, figuras exteriores.

B *Tunc respondens Jesus, ait illi : O mulier, magna est fides tua; fiat tibi sicut petisti.* Magna prædicatur a Domino fides mulieris, quæ primum Salvatorem filium David, deinde Dominum vocat, extremo ut Deum adorat. Meruit ergo ut ei diceretur ; *Fiat tibi sicut vis.* Quod puerum centurionis, et filiam Chananææ, non veniens ad domos eorum, sanat, significat gentes, ad quas non venit sanandas, per præsentiam corporis, sed per verbum suum. Quod ipsis rogantibus filia sanatur, intelligenda est Ecclesiæ persona, quæ sibi est mater et filia. Nam simul omnes, quibus constant Ecclesia, mater dicitur, singuli autem iidem filii ipsius appellantur. *Et sanata est filia ejus ex illa hora.* Propter humilem, sermonemque fidelem, filiam deseruit dæmonium. ubi datur exemplum catechizandi et baptizandi in-

C fantes, quia per fidem scilicet et confessionem parentum in baptismo liberantur a diabolo parvuli, qui nec dum per se capere, vel aliquid boni vel mali. possunt facere. *Et cum transisset inde Jesus.* Exiens de finibus gentilium, venit in Judæam, quia, cum plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus erit (*Rom.* XI). Mystice autem mare, juxta quod venit Jesus, turbida et tumentia hujus sæculi volumina significat, in quibus pravi delectantur, quasi pisces in mari, sed illud mare factum est Galilææ, cum a vitiis ad virtutes transmigrare cœperunt.

Et ascendens in montem, etc. Quia in montem ascendit, auditores suos ad altiora invitat. Dominus enim in monte, verbum est in alto. Notandum est quia ipse non stans, sed sedens loquitur, quia se

D humiliavit, ut nobis loqueretur. Non enim illum intelligerent homines in sua majestate fulgentem. Vel in monte dicitur sedere, quia in cœlestibus docuit sessionem, id est, requiem esse quærendam.

Et accesserunt, etc. Cum enim se in mundo ita humiliaret, multi ad fidem illius conversi sunt. Multi sunt qui Deum non laudant, nec fidem confitentur. Cæci sunt qui non intelligunt viam vitæ, nec animadvertunt. Surdi sunt qui non obtemperant, quamvis intelligant, Claudi sunt qui præcepta partim implent, partim non implent. Vel qui valentes in carnali intellectu, claudicant in spirituali. Qui autem projiciunt eos ad pedes ejus, sunt do-

ctores Ecclesiæ, qui infideles humiliant sub pedibus Domini. Unde Zacharias; *Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis* (*Luc.* I).

Jesus autem convocatis discipulis, etc. Notandum est quod prius aufert debilitates, et postea cibat, quia prius removenda sunt peccata, postea anima verbo Dei nutrienda et pascenda est. Convocat discipulos, et quod facturus est, enarrat. ut doceat magistros Ecclesiæ debere minoribus sua consilia communicare. Dicit itaque discipulis: *Misereor turbæ*, etc. Miseretur ut homo, vult pascere ut Deus. Turba mystice triduo Deum exspectat, quia, quamvis sit in fide sanctæ Trinitatis, tamen pane verbi desiderat pasci. Miseretur autem, cum prædicatores mittit. Vel triduo Dominum sustinere dicitur. quia jam in luce trinæ operationis bene posita est, id est, cogitationis, locutionis, et bonæ actionis. Et tamen in verbo divino enutriri et satiari desiderat.

Et non habent quod manducent, etc. Quasi dicat: Ideo necessarium est ut eos pascam doctrina cœlesti, qui sine mea passione nihil possunt facere, quia non habent unde confortentur; et ideo *nolo eos dimittere jejunos* a cibo meæ prædicationis et admonitionis, *ne deficiant in via* hujus peregrinationis. Vel triduo sustinent me homines, hoc est, in præsenti vita, quæ tribus temporibus constat, scilicet ante legem, sub lege, sub gratia. Quartum tempus restat in futuro, ubi erit dies sine nocte. In præsenti ergo Dominus exspectatur, donec ad quartum perveniatur.

Dicunt ei: *Unde nobis in deserto panes tanti, ut saturemus turbam tantam?* Patet his verbis discipulos adhuc esse rudes, qui non recordantur quinque millia hominum quinque panibus esse satiata.

Mystice. Prædicatores positi in deserto istius mundi, et videntes Ecclesiam magis ac magis dilatari quotidie, mirantur ubi tot sententiæ possunt inveniri unde tot millia possunt satiari. *Quot panes habetis*? Quærit non ignarus, sed docendo responsurus. *At illi responderunt; Septem, et paucos pisciculos.* Mystice Dominus respondet prædicatoribus suis, qui verbum prædicationis timent deficere Quasi dicat: Vos miramini unde tot millia possunt satiari, sed nolite mirari, quia prædicatio Evangelii, et exempla beatorum virorum, satis sufficient ad eos reficiendos. Bene septem panes in mysterio Novi Testamenti ponuntur, in quo septiformis Spiritus sancti gratia plenius fidelibus cunctis et credenda revelatur, et credita datur. Neque hordeacei esse produntur, sicut illi quinque, de quibus sunt quinque millia hominum saturata, iterum sicut in lege vitale alimentum corporalibus sacramentis obtegeretur. Hordei etenim medulla tenacissima palea tegitur. Pauci vero pisces significant alias scripturas, quas habemus, præter Novum Testamentum ad ædificationem nostram. Vel paucos fideles perfectos Novi Testamenti, qui de fluctibus hujus sæculi erepti, suo exemplo nos instruendo reficiunt, ne in via deficiamus. *Et præcepit turbæ, ut discumberent su-*

A *per terram*, etc. Quia per scripturam Novi Testamenti non solum carnis desideria calcare, sed et facultates temporales, quæ per terram significantur, derelinquere præcipimur.

Et accipiens septem panes, gratias agens. Gratias agit, ut ostendat se congaudere de salute hominum, et nos ad agendas gratias informaret in temporalibus. Panes *fregit*, cum sacramenta figurarum aperuit, quibus nutriendus erat populus fidelium; *dedit discipulis et discipuli populo*, quia per prædicatores evangelica doctrina populo ministratur. *Et comederunt*, cum verbum divinum audierunt, et mente susceperunt. *Et saturati sunt*, quando audita opere compleverunt. *Et quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas*, etc. Sportæ sunt præ-
B dicatores, quia sportæ sunt de junco, et de foliis palmarum solent contexi. Juncus vero super aquas solet nasci. Palma vero victoribus datur. Junceis ergo vasis merito comparantur electi, qui radicem cordis in fontem vitæ collocant, ne a bonis operibus arescant.

Assimilantur et palmis, quia victores hujus mundi existunt. Septem fuisse memorantur, propter septiformem gratiam, qua complentur. Fragmenta subtilitatem mysteriorum Dei significat, quæ non potest capere populus, et ideo sportis traduntur, id est, doctoribus Ecclesiæ reservantur.

Erant autem, etc. Merito quatuor millia sunt hominum refectorum, propter quatuor partes mundi,
C de quibus collecti sunt. Vel per quatuor Evangelia, quibus refecti sunt. *Extra parvulos et mulieres*, etc. In quatuor millibus perfectos intelligimus, quia millenarius perfectus est numerus. Parvuli vero parvos in fide significant. Mulieres vero molles vitiis effluentes designant, qui tamen prædicationem inter bonos recipiunt. Notandum est quia duæ passiones in Evangelio leguntur, una ad activos, altera ad contemplativos pertinet. In alia, quinque panes sub figura Veteris Testamenti, in quo licentia temporalium datur, ministrati sunt. In hac, septem panes sub figura Novi Testamenti, in quo præcipitur: *Vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus* (*Matth.* XIX), populo appositi sunt. Utraque refectio in monte est celebrata, quia utriusque Testamenti scriptura recte intellecta altitudinem nobis cœle-
D stium præceptorum mandat, et præmiorum. In alia, sederunt super fenum, in hac autem super terram, Fenum enim carnem et carnalia desideria significat, juxta illud: *Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus quasi fos agri* (*Isa.* XL). Terra vero temporalia bona exprimit Præcipitur ergo activis ut fenum calcent, id est, desideria carnis. Contemplativis vero terram. id est terrenas facultates, relinquere, et conculcare præcipitur. Ibi quinque sensibus corporis subjacent, dum vacant exterioribus bonis. Contemplativi vero a temporalibus possessionibus denudati sunt, juxta hoc quod Evangelium præcipit, et ideo quatuor sunt, quasi doctrina quatuor

Evangelorium refecti, vel quator principalibus virtutibus ornati.

Et dimissa turba ascendit in naviculam, et venit in fines Madegan, etc. Hic docet, quia prædicatores ministrato verbo vitæ populo, ipsi intra cubiculum cordis virtutum pomis debent refici. Unde merito in fines Magedan tendere dicuntur. Quæ *poma* vel *nuncia* interpretatur.

CAPUT XVI.

Et accesserunt ad eum Pharisæi et Sadducæi, quærentes signum de cœlo, etc. Petebant enim tentando, ut more Eliæ ignem de sublimi venire, vel in similitudinem Samuelis tempore æstivo mugire tonitrua faceret, vel qui paucis panibus multos satiavit, nec [man?] in exemplum. Moysi de cœlo mitteret. Aliter enim non videretur esse perfectus, et B a Deo missus, nisi signa de cœlo ostenderet, quasi non possent et illa calumiari, et dicere ex occultis et variis aeris passionibus accidere.

At illi respondens, ait illis, etc. Increpat eos, qui cum videbantur legis doctores et prophetarum, vaticinio non potuerunt intelligere adventum Christi, et cum qualitatem temporis futuri ex signis præcedentibus cognoscerent, rem tam necessariam ex signis suis cognoscere negligebant. Et hoc est : Vos dicitis crastinum serenum fore, quia cœlum rubicundum videtis facto vespere, et dicitis mane, Hodie erit tempestas, nam rutilat cœlum triste, id est sol rubicundus apparet. Itaque faciem cœli cognovistis discernere, signa autem temporum adventus mei non potestis animadvertere. Mystice quidem vesperum, in quo cœlum rubicundum est, passionem C Christi, qua proprio sanguine rubicundatus est, designat. Crastina vero serenitas, quæ vesperum subsequitur, lætitiam Dominicæ resurrectionis insinuat. Unde David : *Ad vesperum demorabitur fletus, et ad matutinum lætitia* (*Psal.* XXIX). Quod vero dicendo subdit : Mane quidem dicitis, hodie erit tempestas, quia rutilat triste cœlum, subtiliter edocet, post resurrectionis Dominicæ gaudium per mane designatum, subsequi tribulationes fidelium suorum, quibus etiam quodammodo potuit intelligi et prævideri judicium universale futurum. *Generatio mala et adultera signum quærit*, etc. Mala erat in vitiis suis. Adultera, per infidelitatem a Christo recedens, qui verus sponsus est, et diabolo, quasi alieno viro adhærens. Generatio carnalis signum quærit de D cœlo et juxta meritum illius signum de cœlo non offertur Qui enim cœlestes fuerunt, signum de cœlo meruerunt, sicut apostoli, qui tranfigurationem in monte viderunt, et eum ascendentem in cœlum aspexerunt. Eis autem qui eum interfecturi erant, signum interfectionis ostendere voluit. Jonas enim Christum significat, qui simplicitate innocentiæ columbinus erat. Jonas enim *columba* interpretatur. Nautæ significant Judæos, qui dederunt eum ceto et morti. Tempestas vero flatum immundorum spirituum designat. Cetus tertio die Jonam evomuit, et mors Christum tertio die vitæ reddidit. *Et relictis* A *illis, abiit*, etc. Nota quod non sicut in aliis locis legitur, *dimissis turbis abiit*, sed quia infidelitatis error insolentium animos obtinebat, non dimisit eos, sed reliquit. Per quod iterum significat se Judæos relinquere, et ad gentes transire. *Et cum venissent dicipuli ejus trans fretum, obliti sunt panes accipere*. Quærat aliquis quomodo panes non habebant? qui statim impletis septem sportis ascenderunt in naviculam, et venerunt in fines Magedan, ubi quoque audiunt navigantes, quod cavere debeant a fermento Pharisæorum. Sed Scriptura dicit : *Obliti sunt eos secum tollere*. Quod indicium est, quod modicam carnis curam haberent in reliquis, quibus ipsa reficiendi corporis necessitas, quæ naturaliter cunctis inest intentione Dominici comitatus, et dulcedine veri panis, qui cum eis erat, mente exciderat. Qui dixit illis : *Intuemini, et cavete a fermento Pharisæorum*, etc. Fermentum Pharisæorum, est decreta legis divinæ traditionibus hominum postponere, vel etiam legem verbis prædicare, et factis impugnare, Dominum tentare, nec doctrinæ aut operibus ejus credere. Ab hujusmodi fermento præcepit eis cavere. *At illi cogitabant intra se dicentes, quia panes non accepimus;* ideo non vult ut de panibus eorum comedamus, et fortassis jejunantes deficiemus.

Jesus sciens hoc, dixit eis : Quid cogitatis inter vos? etc. Quasi dicat : Quare vos non intelligitis, quod aliquid mystice significatur per quinque panes et quinque millia, et per septem panes, et quatuor millia, et per duodecim cophinos et septem sportas, ut cum per panes doctrinæ spirituales significentur, per fermentum Pharisæorum, traditiones eorum perversas significari intelligatis ?

Venit autem Jesus in partes Cæsaræ Philippi, etc. Quia mortem suam apostolis revelare volebat, prius in fide sua eos vult confirmare, ne audita infirmitate suæ passionis titubent. Confirmaturus ergo eos in fide prius opinionem et errorem aliorum a mentibus eorum voluit removere. Veniens ergo in partes Cæsaræ Philippi, interrogat discipulos. Iste locus est, ubi Jordanis oritur ad radices Libani montis, ex Jor et Dan duobus fontibus. Ubi etiam Philippus frater Herodis exstruxit Cæsaræam in honorem Tiberii Cæsaris, imitatus patrem suum Herodem, qui in honorem Augusti Cæsaris, Cæsaræam appellavit illam quæ prius turris Stratonis vocabatur. Sequitur :

Quem dicunt homines esse Filium hominis? Se vocat Filium hominis, et de se Filio hominis quærit quem eum esse dicunt homines? Pulchre qui de Domino diversam sententiam ferunt, dicuntur homines. De apostolis autem dicit :

Vos autem, quem me esse dicitis? quasi a numero hominnm eos segregans. Quasi dicat : Vos autem qui non estis homines, sed filii Dei, et ideo dii, quem me esse dicitis? Propter humilitatem se vocat Filium hominis potius quam Filium Dei. Vel quia homines eum æstimabant Filium hominis, non Filium Dei.

Alii Joannem Baptistam, etc. Errare potuerunt in Eliam, et in Jeremiam, quomodo Herodes erravit in Joannem, dicens : *Quem ego decollavi Joannem, ipse surrexit a mortuis, et virtutes in illo operantur* (*Marc.* VI; *Luc.* IX). Respondens Petrus, quamvis eadem voluntas esset omnium apostolorum, tamen Petrus pro omnibus respondit : *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Complexus est omnia, quia naturam et nomen expressit, in quo summa virtutum est. Deum vivum appellat ad distinctionem falsorum deorum. Notandum est quia, cum Dominus assumptæ humanitatis humilitatem profitetur, de se intimavit quod minus est, dicipulus vero de eo intimat quod majus est. Dominus de se intimat quod factus est propter nos, discipulus vero, quia ipse est qui fecit nos. *Respondens autem Jesus, dixit ei*, etc. Quandoquidem tam perfecta fidei confessione polles, ego, cujus dicere facere est, dico tibi : O Simon, *beatus es, Simon* dico, *Bar-Jona*, id est qui tali confessione ac pia simplicitate vocari debes filius columbæ, vel filius divinæ gratiæ, qui in specie columbæ dicitur super ipsum descendisse. Bar-Jona Syriace, Latine dicitur filius colombæ, quod nomen illi a Domino recte impositum est quia columba multum simplex animal est, ac ipse prudenti ac pia simplicitate Dominum sequebatur, memor illius præcepti : *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ* (*Matth.* X). Filius quidem Spiritus sancti fuit ab eo tempore, quod ab ipso illuminatus gratiam divinæ cognitionis accepit; et quia una est voluntas, eademque operatio sanctæ Trinitatis, recte cum dixisset : *Beatus es Simon Bar-Jona*, id est filius gratiæ spiritualis; protinus adjunxit, *quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* Pater mittit Spiritum, Filius mittit Spiritum, Spiritus ubi vult spirat (*Joan.* III), quia profecto una est voluntas, ut diximus, et operatio Patris et Filii, et Spiritus sancti, et propterea convenienter dicitur, quia Pater revelavit filio columbæ mysterium fidei, quod ei caro et sanguis revelare nequibant. Caro autem et sanguis recte intelliguntur paternum et maternum genus, vel homines sapientia carnali inflati, et columbinæ simplicitatis nescii, quales fuerunt illi, qui dicebant Christum Joannem vel Eliam. Vel certe per carnem et sanguinem Judæos proprie significat, quod ei non per doctrinam Pharisæorum, sed per Dei gratiam revelatum est, Christum hominem esse Dei Filium. Unde Paulus : *Continuo non acquievi carni et sanguini* (*Gal.* I), Judæos designans. Sequitur.

Ego dico tibi, quia tu es Petrus, etc. Non est intelligendum, tunc accepisse hoc nomen, sed potius tunc quando dictum est : *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus* (*Joan.* I), ut eum Dominus postea hoc nomine appellaret dicens : *Tu es Petrus*, non dixit : Tu vocaberis Petrus ; sed dixit : Jam es Petrus. Vel quando Andreas duxit Petrum fratrem suum videre Messiam, cum dixit Petro Dominus, vel cum dictum sit : *Tu vocaberis Cephas, quod intepretatur Petrus*, possumus dicere, hoc nomem tunc ei esse promissum, modo autem esse completum; et ideo tunc dictum est, tu vocaberis, modo autem tu es Petrus, ob fortitudinem fidei, et tuæ confessionis, Petrus dico, dictus a me petra.

Et super hanc petram, id est super me, *ædificabo Ecclesiam meam.* Quasi dicat : Sic es Petrus a me petra, ut tamen mihi reservetur fundamenti dignitas. Sed tu, cui ego ut amatori et confessori meo participium mei nominis dedi super me fundamentum, mundos lapides ordinabis, et reprobos removebis, *et portæ inferi*, id est peccata, vel hæretici, vel blandimenta, vel quælibet talia, *non prævalebunt adversus eam* Ecclesiam. Qui enim intimo amore cordis fidem Christi perceperit, facile quidquid extra ingruerit, vincet.

Et tibi dabo claves regni cœlorum, etc. Qui regem cœlorum tanta devotione confessus est, merito collatis clavibus regni cœlestis donatus est, ut omnibus constaret, quia absque fide et confessione nullus regnum cœlorum posset intrare. Claves autem regni cœlorum ipsam discernendi sententiam et potentiam nominat. Potentiam, qua liget vel solvat; discretionem, qua dignos vel indignos discernat. Qui enim aliquid indigne solvit vel ligat, ut ait Gregorius, a propria potestate se privat. Si scientiam discernendi habet, nec tamen potentiam suscepit ligandi atque solvendi neminem ligat neque solvit. Si autem potestatem accepit, nec tamen bene discernit, si quem ligat vel solvit, quamvis in conspectu hominum, tamen in conspectu Dei, qui ligatur immerito vel solvitur, nec ligatus nec solutus habetur. Et ideo, quod sequitur, ita exponendum est : *Quodcunque ligaveris*, subaudi his clavibus, id est potentia et discretione *super terram, erit ligatum et in cœlis*, etc. Notandum quod dicit, super terram. Non enim data est hominibus potestas ligandi vel solvendi mortuos, sed vivos. Mortuos enim solvendi vel ligandi potestas soli Deo reservata est. Unde dicitur Deus, cui soli competit medicinam præstare post mortem. Ligare et solvere est super terram vivos excommunicare, vel absolvere. Qui autem mortuum absolveret, vel ligaret, non super terram, sed post terram hoc faceret. Notandum est quod hæc potestas non solum Petro data est, sed sicut Petrus unus pro omnibus respondit, sic in Petro omnibus hanc potestatem dedit. Unde post passionem dictum est : *Quorum remiseritis peccata* (*Joan.* XX), etc. Nec solis apostolis, sed etiam omnibus episcopis et presbyteris, hæc potestas concessa est. Sed ideo, quasi uni Petro eam concessit specialiter, ut ad unitatem nos invitaret. Ideo enim eum principem apostolorum instituit, ut Ecclesia quasi unum principalem vicarium Christi haberet, ad quem diversa Ecclesiæ membra recurrerent, si forte inter se dissentirent, quoniam si diversa essent capita in Ecclesia, unitatis vinculum rumperetur per diversa schismata.

Tunc præcepit discipulis suis, ut nemini dicerent, etc. Quæritur cum in superiori missione præcepisset eis annuntiare, regnum cœlorum appropin-

quare : appropinquatio autem illa erat per adventum ejus : cur modo prohibeat ostendere eos, quia Jesus Christus est ipse ? Responsio : Cum suæ passioni appropinquaret, sciens quia passio ejus scandalum in mentibus credentium generaret, voluit deinceps ante passionem se Christum non prædicari, ne noviter conversi ad fidem, videntes eum mori, retrorsum abeuntes pejus aberrarent. In missione vero non prohibuit, cum homines adhuc in fide possent confirmari. Exinde confirmatis animis apostolorum, in fide tandem passionem suam eis revelavit, sed eos per resurrectionis prænuntiationem confortavit. Littera satis patet. *Et assumens*, etc. Nimii ardoris erat Petrus in Dominum, et ita audita passione, ex affectu amantis eum separatim apprehensum increpat : separatim ideo, ne magistrum arguere videretur. *Qui conversus dixit Petro* : *Vade post me, Satana*, etc. Satanas interpretatur *adversarius*, sive *contrarius :* Quia contraria, inquit, loqueris voluntati meæ, debes adversarius appellari. Diabolo dictum est : *Vade, Satana* (*Matth.* IV). Petro vere. *Vade post me, Satana*. Quasi dicat : Noli præcedere, insinuando quid debeam facere. Imo vade post me, id est, sequere me, et voluntatem meam addisce. Multi putant quod Petrus non sit correptus, sed adversarius spiritus, qui hoc dicere apostolo suggerebat. Sed error apostolicus, et de pietatis affectu veniens, nunquam incentivum diaboli debet videri. *Scandalum mihi es*, id est me offendis, dum vis præire, *quia non sapis ea quæ Dei sunt.* Meæ enim voluntatis est, et Patris, cujus veni facere voluntatem, ut pro hominum salute moriar ; tu autem tantum considerans tuam voluntatem, non vis granum tritici in terram cadere, ut multum fructum afferat.

Tunc Jesus dixit discipulis, etc. Postquam discipulis mysterium suæ passionis et resurrectionis ostendit, hortatur eos ad suæ passionis exemplum, ut per patientiam idem recipiant præmium, dicens ita :

Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, etc. Quasi dicat : Ego patiar, et si quis vult venire post me, abneget se. Alibi, ubi dicitur : *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus* (*Luc.* XIV), præcipimur abnegare nostra, hic autem nos præcipimur. Tunc autem nos ipsos abnegamus, cum vitamus, quod per vetustatem fuimus, et ad hoc nitimur, quo per novitatem vocamur. Pensemus quomodo Paulus se abnegaverat, qui dicebat, *Vivo autem, jam non ego* (*Gal.* II). Exstinctus quippe fuerat sævissimus ille persecutor, vivere cœpit ille pius prædicator. Si enim ipse esset, pius profecto non esset. Sed qui se vivere denegat, dicat unde est, quod sancta verba per doctrinam veritatis clamant *vivit vero in me Christus* (*ibid.*). Ac si aperte dicat : Ego quidem a me ipso exstinctus sum, qui carnaliter non vivo ; sed tamen essentialiter mortuus non sum, qui in Christo spiritualiter vivo. Dicat ergo

A Veritas, dicat : *Si quis vult me sequi, deneget seipsum*, quia nisi quis a semetipso deficiat, ad eum qui super ipsum est, non appropinquat, nec valet apprehendere quod ultra ipsum est, si nescierit mactare quod est, sed jam qui se a vitiis abnegat, exquirendæ sunt ei virtutes, in quibus crescat. Nam cum dictum est : *Si quis vult me sequi, deneget semetipsum*, protinus adjungitur :

Et tollat crucem suam, et sequatur me. Duobus etenim modis crux tollitur. Cum aut per abstinentiam affligitur corpus, aut per compassionem proximi affligitur animus. Pensemus qualiter utroque modo Paulus suam crucem tulerat, qui ait : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar* (*I Corr.* IX).
B Ecce in afflictione corporis audivimus crucem carnis : nunc in compassione proximi audiamus crucem mentis. Ait enim : *Quis infirmatur, et ego non infirmor ? quis scandalizatur, et ego non uror ?* (*II Cor.* XI.) Perfectus quippe prædicator, ut exemplum daret abstinentiæ, crucem portabat in corpore : et quia in se trahebat damna infirmitatis alienæ, crucem portabat in corde.

Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam, etc. Ideo debet se abnegare, et crucem portare, quia qui voluerit vitam suam servare in mundo, si tempus fuerit martyrii, perdet eam, hoc est, vitam in futuro, quasi dicat : Qui vitam temporalem noluerit pro Christo perdere, non ambigat vitam æternam se amittere, et postea addit oppositum :

C *Qui autem perdiderit animam suam*, id est destruxerit vitam temporalem, *propter me*, in futuro *inveniet eam*, non videlicet eamdem, sed vitam pro vita, æternam pro momentanea. Hæc omnia de tempore persecutionis sunt intelligenda, quia quæ sequuntur temporibus pacis conveniunt, cum ait.

Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, etc. Notantur hic duo martyria, aliud in effusione sanguinis, quod evenit tempore persecutionis, aliud in mortificandis desideriis, quod in tempore pacis ad idem continuatur. Vere debet tollere crucem. omnia mala damna patiendo. Nam quid prodest homini habere prosperitatem in mundo, et temporalia bona obtinere et diligere, si per hoc patiatur detrimentum animæ? Melius est adver-
D sitates et damna pati in mundo, quam pœnam pati in inferno. Et hoc est : *Quid enim prodest*, etc.

Aut quam dabit, etc. Hoc duobus modis potest intelligi, *quam dabit homo commutationem pro anima*? id est, quam retributionem potest solvere Domino pro anima sua redempta et salvata? Certe *non sunt condignæ passiones hujus temporis* (*Rom.* VIII), etc. Aut pro anima perdita in inferno, quæ commutatio, id est redemptio, potest dari ? Certe si parentes totam pecuniam mundi darent pro anima damnati, nihil proficerent, quia Dominus dabit unicuique secundum quod meruit, non secundum merita parentum. Et hoc est : *Filius enim hominis*, etc.

Secundum priorem sententiam ita continuatur: Nulla retributio potest Christo solvi pro anima salvata, quia gloria tanta est, quod Filius cum angelis in gloria veniet. *Amen dico vobis,* etc. Voluit pius Magister aliquibus discipulorum suorum adhuc in terra degentibus, æternæ promissionis gaudia monstrare, quatenus et ipsi, qui vidissent, et omnes qui audire possent levius adversa præsentia tolerarent, reducto sæpius ad mentem futuræ retributionis munere quod exspectarent. Et hoc innuit in his verbis, quasi dicat : Dixi quia *Venturus est in gloria Patris.* Vultis autem scire quanta sit gloria? *Amen dico vobis,* quod *sunt quidam de hic stantibus,* id est, Petrus, et Joannes, et Jacobus, *qui non gustabunt mortem donec videant Filium hominis in regno venientem,* id est apparentem in claritate, quam habiturus erat in regno, quod completum est in transfiguratione, de qua statim ait evangelista :

CAPUT XVII.

Et post dies sex, etc. Matthæus et Marcus dicunt, post dies sex hoc esse factum. Lucas vero post octo Dicendum est ergo Matthæum et Marcum medios tantum dies posuisse, et primum et postremum non connumerasse, et ideo dicunt post dies sex, id est transactis sex diebus integris, qui futuri erant post illum diem, in quo hæc dicta sunt. Lucas vero primum et postremum cum mediis numerat; ad eamdem ergo sententiam conveniunt. Merito post sex dies gloriam suam ostendit, et octavo die, quia post sex ætates mundi est futura resurrectio, et in octavo die, id est finito tempore mundi, quod per septem dies agitur, venturus est in ineffabili gloria sua Tres assumpsit, ut fideles tantum, qui fide sanctæ Trinitatis imbuti sunt, in claritate futuræ ressurrectionis assumendos significaret. Nomina etiam conveniunt. Unusquisque enim fidelis debet esse Petrus, id est *firmus in fide.* Postea Jacobus, id est *supplantator vitiorum.* Postea Joannes, id est *ascribens omnia gratiæ Dei* contra superbiam vitæ, quæ solet oriri ex virtutibus.

Et ducit illos in montem, etc. Significans illos qui resurrecturi sunt, ad gloriam, id est in cœlum ascensuros. Vel ideo in montem, ut doceat omnes qui hanc gratiam videre desiderant, non in infiimis jacere voluptatibus, sed potius ad superna erigi, juxta illud : *Nostra conversatio in cœlis est* (*Philipp.* III). *Seorsum* illos ideo ducit, ut per hoc significaret justos a malis in judicio separandos.

Et transfiguratus est. Non substantiam carnis amittendo, sed gloriam futuræ resurrectionis ostendendo. *Et resplenduit faces ejus sicut sol,* id est in exemplum futuræ claritatis, quam justi recipient sublatis impiis. Soli faciem suam comparavit, quia clarius in mundo nihil inveniri potuit. *Vestimenta autem ejus facta sunt alba sicat nix.* Vestimenta Christi sanctos significant, de quibus Isaias : *Omnibus his velut indumento vestieris* (*Isa.* XLIX). Vestimenta nivi comparantur, quia et candidi erant virtutibus, et omnis æstus vitiorum ab eis remotus est.

A Vestimenta. secundum Marcum (*Marc.* IX), fuerunt splendida, *sicut nix, qualia fullo super terram non potest candida facere,* quia nemo est qui sine contagione alicujus peccati vivere possit super terram. Sed quod fullo, id est doctor animarum, sive aliquis mundator sui corporis eximius super terram non potest, Dominus in cœlo faciet, mundans Ecclesiam, id est vestem suam, ab omni inquinamento hujus carnis ac spiritus. *Et ecce apparuit illis Moyses, et Elias, cum eo loquentes.* Moyses et Elias, quorum unum in cœlum raptum legimus (*IV Reg.* II), alium mortuum, in majestate cum Deo, ut Lucas scribit (*Luc.* IX), futuram illis omnium sanctorum gloriam significant, qui scilicet tempore judicii, vel vivi sunt in carne reperiendi, vel olim gustata morte resuscitandi, et pariter cum B illo sunt regnaturi, dicente Apostolo : *Mortui qui in Christo sunt, resurgent primi, deinde nos qui vivimus* (*I Thess.* IV), etc. Moyses ergo et Elias, omnes cum Christo regnaturos significant. Moyses mortuus mortuos, Elias vivus eos omnes, qui vivi invenientur. Aliter : Moyses et Elas, hoc est, legislator et prophetarum eximius apparent, et loquuntur cum Domino de passione et resurrectione ejus, ut ostendant ipsum esse, quem cuncta legis et prophetarum oracula promiserunt. Apparent autem non in infimis, sed in monte cum illo, qui nimirum soli illi qui mente desideria terrena transcendunt, majestatem sanctæ Scripturæ quæ in Domino est adimpleta, prospiciunt. Cum eo etiam loquebantur, quia referebant quod vera fuerunt verba prophetarum de adventu ipsius et salute hominum. Significant C etiam duas regenerationes, quarum una est in baptismate, ubi anima resuscitatur. Altera est in resurrectione ubi caro resuscitabitur, de qua dicitur : *In regeneratione cum sederit Filius hominis* (*Matth.* XIX), etc. Moyses qui *aquaticus* interpretatur, resurrectionem baptismatis significat primam. Elias qui *sol* interpretatur, Elias enim Græce dicitur sol, regenerationem secundam significat, in qua justi fulgebunt sicut sol. Merito ergo duo viri tales apparuerunt, qui significant fideles primæ regenerationis participes, et secundam per eam exspectantes.

Respondens autem Petrus, dixit ad Jesum : *Domine, bonum est,* etc. Quia gustata cœlesti dulcedine vilescunt infima, Petrus visa Domini et sanD torum majestate, solis his perpetuo vult adhærere, dicens : *Domine, bonum est nos hic esse.* O quanta felicitas est visionis Deitatis inter angelorum choros, si tantum transfigurata Christi humanitas, et duorum sanctorum societas, ad punctum visa delectet. Nesciebat Petrus, secundum alium evangelistam (*Marc.* IX), quid diceret, qui oblitus est regnum sanctis a Domino non alicubi terrarum, sed in cœlis esse promissum, et qui in gloria cœlesti tabernacula quærit, ubi nulla adversitatis aura est timenda, quia Deus omnipotens templum ejus est et agnus ; sed in hoc tamen sciebat, quod dicit, *bonum est nos hic esse,* quia vere solum et perfectum hominis bo-

num est intrare in gaudium Domini sui et permanere. FULGENTIUS. Quod si Petrus videns glorificatam humanitatem, tanto afficitur gaudio, ut nunquam velit ab hujus intuitu secerni, quid putandum est de his qui divinitatem merebuntur videre? Et notandum quia in hoc etiam Petrus peccat, quod Dominum et servos parificat, dicens :

Faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum. Simul etiam videndum quia responsionem Domini non meruit, eo quod imprudenter quæsivit. Sed figuræ cujusdam rei mysterium accepit. Quæsivit enim tabernaculum materiale, et umbraculum nubis accepit, ut discat in resurrectione mortuorum, non domorum tegmine, sed Spiritus sancti gloria sanctos protegendos esse. Unde sequitur :

Adhuc eo loquente, etc. *Et ecce vox,* etc. Notandum est quia bene convenit mysterium secundæ regenerationis, cum mysterio primæ. In baptismate enim Christi, operatio totius Trinitatis ostensa est. Fuit enim Filius ibi incarnatus. Apparuit in specie columbæ Spiritus sanctus, et Pater in voce fuit ibi declaratus. In transfiguratione enim quæ sacramentum fuit secundæ regenerationis, similiter tota Trinitas apparuit, quia in voce Pater, in nube Spiritus, in carne Filius. Quæritur autem, quare ibi Spiritus in columba, hic autem, in nube declaratus est? Dona enim sua per species declarare solet. Innocentia enim in baptismate datur, quæ per avem simplicitatis designatur. Daturus est autem claritatem et refrigerium omnis voluptatis, et carnalis fomitis in resurrectione. In nube refrigerium : in fulgore nubis, claritas resurgentium corporum figuratur. Cum dicat, *ipsum audite,* concordat verbis Moysi, in quibus testimonium incarnationis Dominicæ ferens aiebat : *Prophetam vobis suscitabit Dominus de fratribus vestris, tanquam me : ipsum audietis, juxta omnia quæ locutus fuerit vobis. Omnis autem anima, quæ non audierit prophetam illum, exterminabitur de plebe* (*Deut.* XVIII). Quem ergo Moyses cum veniret in carne, audiendum ab omni anima, quæ salvari vellet prædixit; hunc jam venientem in carne, Deus Pater audiendum discipulis ostendit, et suum esse Filium cœlesti voce signavit.

Et audientes discipuli, ceciderunt, etc. Triplicem vero ob causam terrentur, vel quia se errare cognoverant, vel quia nubes lucida operuerat eos, aut quia Dei Patris vocem audierant. Humana enim fragilitas conspectum majoris gloriæ ferre non potest. Toto itaque corpore et animo contremiscentes ad terram cadunt, quia quanto quis ampliora quæsierit, tanto magis ad inferiora delabitur, si mensuram suam ignoraverit, *Et accessit Jesus,* etc. Quia illi jacebant, et surgere non poterant, ipse clementer accedit et tangit, ut tactu membra timore debilitata solidentur; et verbo consolatur, dicens : *Surgite, nolite timere. — Levantes autem oculos,* etc. Ubi Filius cœpit designari, mox discesserunt servi, ne ad illos vox paterna emissa videretur. Viderunt autem Jesum stantem ablata nube, et Moysen et Eliam evanuisse, quia, postquam legis et prophetarum umbra discessit, quæ velamento suo apostolos texerat, verum lumen Evangelii reperitur. Aliter : Cum fieret vox super Filium, inventus est ipse solus (*Luc.* IX), quia cum manifestaverit seipsum electis, erit Deus omnia in omnibus. Imo ipse cum suis unus per omnia Christus, id est, caput cum corpore splendebit, propter quam unitatem dicitur : *Nemo ascendit in cœlum* (*Joan.* III), etc. Notandum quod ad vocem Patris, Moyses in locum suum, Elias vero discessit in regionem suam.

Et descendentibus illis, etc. Non vult hoc in populis prædicari, ne incredibile esset pro magnitudine rei, et post gloriam tantam apud rudes animos sequens crux scandalum faceret.

Et interrogaverunt, etc. Traditio Pharisæorum est juxta Malachiam prophetam, qui est novissimus in duodecim, quod Elias veniat ante adventum Salvatoris, et reducat corda patrum ad filios, et filiorum ad patres, et restituet omnia in antiquum statum. Existimabant apostoli transformationem illam esse gloriæ ultimam, quam viderant in monte, et dicunt : Si jam venisti in gloria, quomodo præcursor non apparet? Maxime hoc dicunt, quia Eliam tam cito recessisse viderant. Et hoc est : *Quid ergo dicunt Scribæ, quod Eliam primum oportet venire?* Quando quidem videmus te jam in regno gloriæ tuæ, ubi est Elias qui debet præcedere? *At ille respondens, ait eis : Elias quidem venturus est, ut restauret omnia,* quæ Malachias prophetavit dicens : *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini* (*Mal.* IV, etc. Ubi dicit, Elias venturus est, ostendit istum non esse secundum adventum, et sic removet pravam opinionem eorum. *Dico autem,* etc. Quasi dicat : Non solum dixi Eliam venturum, ut probarem istum adventum non esse secundum, sed etiam ad comprobandum primum adventum dico Eliam jam venisse, sed non cognoverunt eum, nec amaverunt eum. Iste scilicet, qui venturus est in secundo Salvatoris adventu, juxta corporis fidem, jam venit in spiritu et virtute per Joannem, mei adventus primi præcursorem. *Et non cognoverunt eum, sed* potius *fecerunt in eo quæcunque voluerunt,* et eum ad ultimum decollaverunt, Pharisæis consentientibus. *Sic et Filius hominis passurus est ab eis.* Sicut enim in nece Joannis factio Pharisæorum consensit, ita et in occisionem Domini Herodes voluntatem suam junxit, quia indutum veste alba atque illusum, remisit ad Pilatum (*Luc.* XXIII). Et notandum quia Christus ab eis mortem passurus Filius hominis appellatur, quia Christo in carne passo divinitas impassibilis mansit.

Tunc intellexerunt discipuli, etc. Intellexerunt dico per indicium suæ passionis, de quæ sæpe præ-

dixerat illis, et per indicium passionis sui præcursoris, quam completam viderant.

Et cum venisset ad turbam, etc. Loca ipsa rebus congruunt. In monte Dominus orat et transformatur coram discipulis, ostendens arcana suæ majestatis. In inferiora vero descendens, turbæ occursu excipitur, et miseros audit, castigat, docet, confortat. Sursum spiritualem vocem Patris perfectis pandit : deorsum spiritus ab his qui vexabantur, expellit. Pro qualitate enim meritorum, aliis ascendit, aliis descendit. Marcus hunc dicit surdum et mutum, quem Matthæus vocat lunaticum, non quod luna dæmonibus serviat, sed dæmon cursum lunæ observans, homines vexat, ut per creaturam infamet Creatorem. Typice quidem lunaticus est, qui per horarum momenta mutatur ad vitia, nec perstat in proposito, sed crescit et decrescit, et nunc in ignem libidinis fertur, quo corda adulterantium succensa sunt, vel in ignem iræ, quo videntur alta petere, nunc in aquas voluptatis carnalis, quæ molliant et resolvant rebus mentes, de quibus aquis dicitur : *Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem* (*Cant.* VIII).

Et obtuli eum, etc. Latenter hoc dicto accusat apostolos, cum possibilitas curandi interdum non ad imbecillitatem curantium, sed ad eorum fidem referatur, qui curandi sunt, dicente Domino : *Fiat tibi secundum fidem tuam* (*Matth.* IX).— *Respondens autem Jesus, dixit*, etc. Non quasi tædio superatus ac furibundus in hæc verba prorupit, qui ut agnus mitis est, sed quantum ad similitudinem medici, qui, si ægrotum videat contra sua præcepta gerentem, dicit : Usquequo ad domum tuam accedam ? usquequo artis meæ in te perdam industriam, me aliud jubente, et te aliud faciente ? Ita igitur Dominus non homini iratus, sed vitio, ut per unum hominem et Judæos arguat infidelitatis, statim intulit : *Afferte illum ad me*. Et eum allatum increpavit Jesus, non dæmonium, ut ostenderet, peccato suo vel parentum suorum, immundo spiritui illum esse traditum ; vel quod melius est, non puerum qui vim patiebatur, sed dæmonem qui inferebat, increpabat. Quia qui peccantem emendare desiderat, vitium utique arguendo et odiendo depellere, et hominem debet amando refovere. *Et exiit ab eo*, etc. Marcus de isto dicit (*Marc.* IX) quod, cum vidisset Dominum, statim spiritus turbavit eum, et elisus in terra volutabatur, et Domino jubente ut exeat, exclamat, et discerpens exit, quia sæpe, cum converti ad Dominum volumus post peccata, a diabolo impugnamur magis, ut vel odium virtutis incutiat, vel expulsionis suæ injuriam vindicet. Exiturus discerpit, et furenti clamore intuentes terruit, quia plerumque dum corde expellitur, acriores tentationes excitat, qui prius quietus possidebat. *Et curatus est puer ex illa hora*, quia nullus prævalet morbus, ubi Omnipotentis intervenit manus.

Tunc accesserunt discipuli ad Jesum secreto, et dixerunt : Quare nos non potuimus ejicere eum ? Dicit
A *illis : Propter incredulitatem vestram*. Hic plane datur intelligi, quia quando quis orans non exauditur, non est impossibilitas præstantis, sed culpa deprecantis.

Amen quippe dico vobis : Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic : Transi hinc, et transibit, et nihil impossibile erit vobis. Fidem perfectam grano sinapis comparat, quæ scilicet sit in facie humilis, et fervens in abscondito pectoris, vilis quidem passim intuentibus, nullarumque virium apparens, sed pressuris attritum, quid perfectionis intus gerat ostendens.

Notandum est etiam quod granum sinapis ad purgationem capitis saluberrime prodest. Nam si optime tritum et cribratum tepido et pingui mul-
B so permisceas, et hoc jejunus contra solem calidum, vel in balneo gargarizes, omnem humorem noxium, etiamsi crassior fuerit, de capite purgat, et imminentium imbecillitatum pericula facit vitari. Sic perfecta fides tentationis pistillo probata, et ab omni superficie levium cogitationum cribro discretionis castigata, et perfectæ dilectionis melle dulcorata, omnes de corde quod est interioris hominis caput, vitiorum sentinas exhaurit, non solum ad præsens, sed etiam in futurum ne colligantur munit. Ad litteram veniamus.

Si habueritis fidem, dico existentem, sicut granum sinapis, id est quæ comparabilis est grano sinapis secundum naturam ipsius, si diceretis monti huic : Transi hinc, et transibit, realiter po-
C test intelligi, sicut legitur beatus Benedictus lapidem hortum suum occupantem verbo transtulisse. Vel diceretis monti huic, id est diabolo : Transi hinc de isto obsesso corpore, et transibit in alium, vel in maris profundum.

Et nihil impossibile, etc. Id est nulla incommoditas erit insanabilis.

Hoc autem genus non ejicitur, nisi per orationem et jejunium. Dum docet apostolos, quomodo dæmon nequissimus debeat expelli, omnes ad vitam insinuat, ut scilicet noverimus graviora quæque vel hominum tentamenta jejuniis et orationibus esse superanda. Iram etiam Dei, cum in ultione nostrorum scelerum fuerit accensa, hoc singulari remedio posse placari. Jejunium autem generale est, non
D solum ab escis, sed etiam a cunctis illecebris carnis, imo ab omnium vitiorum passionibus abstinere : sicut et oratio generalis non in verbis solum est, verum etiam in omnibus, quæ in obsequium nostri conditoris fide devota gerimus, teste Apostolo : *Semper gaudete, sine intermissione orate* (*II Thess.* III). Hoc igitur genus dæmonii, id est ista voluptatum mutabilitas, non ejicitur, nisi per orationem, non tantum verborum, sed etiam devotionis, et jejunium, non tantum cibi, sed et vitii.

Conversantibus in Galilæa, etc. Frequenter voluit Dominus passionem suam denuntiare, quia cognoverat eos per multum esse conturbandos, sed

post nuntium tristitiæ, ad consolationem, resurectionem suam supponebat.

Et cum venisset Capharnaum, etc. Per Augustum Cæsarem facta est Judæa tributaria, unde Joseph et Maria in Bethlehem professi sunt solvendo tributa; ait enim Lucas: *Ascendit autem Joseph in Bethlehem, ut profiteretur cum Maria desponsata* (Luc. II). Quæritur ergo tributum a Domino; et, quia nutritus est Nazareth, quod est oppidum Galilææ, urbi Capharnaum subjacens, ideo cum venisset in majorem civitatem, ibi tributum ab eo postulatum est. Sed signorum magnitudine, non audent ipsum petere, sed conveniunt discipulos malitiose investigando, utrum tributum solverent an non.

Magister vester non solvit didragma? etc. Et Petrus respondit: *Etiam,* ita est quod non solvit. Et cum Petrus intrasset in domum, voluit Petrus Domino intimare, quod Herodiani peterent tributum, sed Dominus prævenit eum, dicens: *Quid tibi videtur, Simon? Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum? a filiis suis an ab alienis?* etc. Christus Filius erat regis omnipotentis, et ex David stirpe genitus, ergo quia filius regis erat, non debebat tributa, sed quia exemplum omnis humilitatis ostendere volebat, ne homines scandalizaret, maluit tributum solvere, sed noluit solvere de communi, docens moraliter, ut nemo de communitate fratrum, sed quod proprietati suæ pertinet, expendat. Misit ergo ad mare. Miranda est præscientia Domini Salvatoris, et magnitudo virtutum Christi. Præscientia, quod noverat staterem in ore piscis. Magnitudo virtutis, si ad verbum illius creatus est stater, ut quod futurum erat, ipse fecerit loquendo. Consuetudo enim erat ut unusquisque pro se didragma redderet. Stater vero pondus est duorum didragmatum. Aliquid tamen mystici in hac re potest intelligi. Piscis est Christus, Mare mundus. Hamus mors. Christus gerebat pretium nostræ redemptionis. Quod autem pretium in ore piscis inventum est, significat redemptionem nostram ore Christi prænuntiatam esse hominibus. Datur pro Christo et pro Petro, sed diversis modis. Petrus gerit hic personam Ecclesiæ. Christus solvit pretium pro se, quia passio sua fuit sibi pretium exaltationis, juxta illud: *Proptera exaltavit illum Deus, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen,* etc. (*Philipp.* II). Et pro Petro, id est pro Ecclesia, ut eam a captivitate liberaret.

CAPUT XVIII.

In illa hora accesserunt, etc. Quia solverat Christus tributum pro solo Petro, indignati alii et putantes Petrum præferri, quæritur igitur *quis* sit *major in regno cœlorum*? volens superbiam eorum contundere, proponit exemplum humilitatis, ne alii aliis velint præferri. Et ideo statuit in medio puerum, ut innocentiam parvuli, quam ex natura habebat, et industria et virtute imitentur. Multi dicunt illum parvulum fuisse sanctum Martialem Lemovicensem. Multi etiam hoc credunt dictum esse de seipso, qui puer erat malitia et non ætate, et verus humilis, qui

A non venit ministrari, sed ministrare (*Matth.* XX). Littera sic legitur: *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis* etc., ab hac elatione et indignatione, in qua nunc estis, *et efficiamini* ita innocentes et humiles per virtutem, *sicut parvuli* sunt per ætatem, *non intrabitis in regnum cœlorum.*

Quicunque autem humiliaverit se, etc. Quandoquidem aliter non intratur, ergo *quicunque humiliaverit se sicut parvulus iste,* qui videns pulchram mulierem, non delectatur, qui non aliud cogitat, et aliud loquitur, intrabit in regnum cœlorum. Et quanto humilior erit, tanto major efficietur.

Et qui susceperit unum parvulum, etc. Quia apostoli de ambitione invicem murmurantes, per exemplum suum infirmos et simplices ad ambitionem
B possent incitare, ideo præcipit suscipi infirmos, et scandalizantibus eos pœnam comminatur. Et hoc est: *Qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo,* attrahendo ad eruditionem dulciter juxta Apostolum, *Suscipite, infirmos* (*I Thess.* V), *me suscipit*; vel qui susceperit hospitando, benefaciendo, me suscipit.

Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, vel male instruendo, vel malo exemplo, sicut vos modo facitis, qui malo exemplo ambitionis vestræ alios corrumpitis, *expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur,* etc. Ad litteram sic exponitur: Hæc pœna turpissima erat, et erat criminosorum, quasi dicat: Expedit, hoc est melius esset ei tam turpissima morte perire, quam fratrem scandalizare, quia fratrem scandalizare,
C peccatum est, mori vero non est peccatum. Vel aliter: Sæculares homines dicuntur esse dediti rotæ hujus mundi, juxta illud: *In circuitu impii ambulant* (*Psal* II). Per molam ergo asinariam sæcularis vitæ circuitus, et labor exprimitur: et per profundum maris, extrema damnatio designatur. Dicit ergo: Melius esset alicui contemplativo, ut volveret molam asinorum id est sæcularis esset, volvens sollicitudinem mundanorum, et per hoc demergeretur in profundum inferni, quam esset contemplativus scandalizans fratres suos, levior enim pœna esset sibi in inferno. Vel aliter: In Scripturis asinus figuram gentilis populi designat, qui est alligatus ad molam, hoc est, ad lapideos deos, quos cæcis oculis frequenti errore circumeunt, et sic in profudum in-
D ferni demergitur. Ac si diceret: Melius esset ei quod esset gentilis, ligatus ad lapideos deos, et periret in inferno, quam esset fidelis scandalizans fratres suos. Melius est enim non cognoscere veritatem, quam post agnitam retro ire.

Væ mundo a scandalis. Ideo expedit ei ut suspendatur mola asinaria, id est ut esset gentilis vel sæcularis, quia maximum væ erit mundo, id est hominibus, a scandalis, id est propter scandala, quæ ipse infert fratribus.

Necesse est enim, etc. Quasi aliquis quæreret: Erunt in mundo scandala? erunt utique, quia sunt necessaria, ut qui probati sunt, per hoc manifesti fiant, sed

tamen ideo non carebit pœna ille, per quem veniunt A scandala. Et hoc est : *Verumtamen, væ homini, per quem scandalum venit.* — *Si autem manus tua,* etc. Præcepit superius, ne credentes scandalizarent alios; nunc vero docet quantum debeamus cavere ab eis qui scandalizant nos, dicens ita : Si quis tibi adeo conjunctus est, ut manus tua, cujus opus et auxilium tibi necessarium est, vel ut pes, cujus discursione vel dispensatione indigeas, possit vocari, et tamen lædat te aliquo modo in causa animæ, excludas illum a tua societate potius quam cum illo pereas in gehennali igne.

Bonum est tibi, etc. Væ : ne scandalizaveris in fide, omnem affectum amicorum debes abrumpere, quia *bonum est tibi ad vitam ingredi debilem vel claudum,* id est contentum uno pede, id est pro- B pria discursione, et carere discursione proximi, *quam habentem duas manus,* id est duos cooperatores, id est te et amicum, *vel duos pedes,* id est duos discursores, *mitti in ignem gehennæ.* Similiter lege de oculo. Oculum vocat aliquem provisorem suum. *Videte.* Quasi dicat : Quia tantum malum provenit ex scandalizandis fratribus, dico *videte, ne contemnatis unum de pusillis. Dico enim vobis, quia angeli eorum,* etc. Ideo non sunt contemnendi, quia adeo chari sunt Deo, quia angeli sunt eis deputati ad custodiam, quod innuit, cum dicit :

Dico enim vobis, quia angeli eorum vident faciem, etc. Nota quia, quamvis mittantur angeli, tamen vident Patrem. Hoc ideo evenit, quia Deus ubique est, et juxta ipsum currunt. Venit enim alia causa, C quare non sunt contemnendi, quia ego adeo dilexi eos, quod veni salvare eos.

Quid vobis videtur, etc. Ostendit per quamdam similitudinem quod Deus omnes venit salvare homines qui perierant. Ipse est pastor, qui habet centum oves. Centum oves, sunt ordines angelorum et hominum in sua perfectione perseverantes : una erravit, quando homo peccavit, et dum minutus est numerus, factus est imperfectus. Deseruit Christus nonaginta novem in montibus, hoc est, in cœlestibus, quando *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I). Ovem invenit, quando hominem restauravit, et super eam inventam majus gaudium est in cœlo, quam supra nonaginta novem, quia major gloria et major materia laudis fuit ei in re- D stauratione hominum, quam in creatione angelorum. Mirabiliter enim homines creavit, sed mirabilius reformavit. Nihil enim fuit mirabilius, quam quod *Filius Dei exinanivit se, formam servi accipiens, et humilavit se usque ad mortem* (*Pihllip.* II). Vel aliter ;Ovis perdita significat tantum peccatores qui per pœnitentiam reconciliantur Deo, quam juxta alium evangelistam humeris suis reportavit (*Luc.* XV), quia se humiliando tales erexit. Ideo autem illas nonaginta novem dixit, quas in montibus dereliquit, quia superbos significant, tanquam tumorem vel solitudinem gerentes in animo, dum solos volunt videri se, quibus etiam ad perfectionem unitas deest. Cum enim quisque a vera unitate per superbiam divellitur, suæ potestatis esse cupiens, non sequitur unum quod Deus est. Ideo nonaginta novem ovibus earum significatione de se præsumentes, peccatoribus ad salutem redeuntibus se præponunt. Et cum invenerit peccatorem, gaudebit super eum, id est facit gaudere suos magis quam supra nonaginta novem, id est quam supra falsos justos. In Luca vero scriptum est : *Quia majus gaudium est super uno peccatore pœnitentiam agente, quam supra nonaginta novem justos, qui non indigent pœnitentia* (*Luc.* XV), quia, ut quotide experimur, qui illicita commiserunt, in rebus licitis sæpe sibi usum præbent, et ad cœlestia anxie non anhelant, et quia securi sunt, ad bona agenda pigri remanent. Econtra autem peccator plerumque facit majus gaudium de eo, quam de stante justo, uti dux in prælio plus eum militem diligit, qui post fugam reversus hostem fortiter premit, quam eum qui nunquam fugit, nec unquam fortiter egit. Sed quidam sunt justi, de quibus tantum gaudium est, ut eis nullus pœnitens præponi possit, qui, esti non sunt malorum conscii, tamen licita despiciunt, et in omnibus se humiliant. Quantum ergo gaudium est, si humiliter plangit justus, cum gaudium sit, si quod male gessit, damnat injnustus. *Sic non est voluntas,* etc. Redit ad superius propositum, de quo dixerat : *Videte ne comtemnatis,* etc. Docens idiciro parabolam istam propositam, ut pusillum non contemnant. Quod autem dicit, *non est voluntas Patris, ut pereat aliquis,* nota nullum perire Patris voluntate. *Si autem peccaverit in te frater tuus,* etc. Quasi dicat : Noli contemnere pusillum, sed si peccaverit in te, faciendo tibi injuriam, labora adeo de salute illius, quod prius corripias per te, postea per alios, deinde per totam ecclesiam, denique per excommunicationem, non tam cupidus vindictæ, quam correctionis fraternæ. Quidam volunt hoc intelligere de omni peccato, non tantum de injuria, et dicitur ita : *Si peccaverit frater tuus in te,* id est publice : omne enim publicum peccatum contra unumquemque dicitur fieri : quia publice peccans, proximum suum corrumpit : corrige privatim, ne potius videaris alieni criminis proditor, quam corrector. Si autem nec sic corrigi voluerit, vel dixerit non esse peccatum, adhibe alios tecum, ut coram multis erubescat, vel probent illud esse peccatum. Si autem nec sic corrigi voluerit, dic toti ecclesiæ, ut majorem erubescentiam patiatur. Post hæc omnia, sequitur excommunicatio, quæ tantum fieri debet per os Ecclesiæ, id est per sacerdotem. Sacerdote enim excommunicante, totum corpus Ecclesiæ operatur.

Amen dico vobis, etc. Et ne aliquis superbus excommunicationem contemneret, dicens : Si me contemnis, et ego te contemno ; si me condemnas, et ego te condemno, propterea confirmat sententiam excommunicationis, dicens ; *Quæcunque alligaveritis,* etc. Et non solum de excommunicatione, sed etiam de omni petitione, quæ fiet a consentientibus in unitate Ecclesiæ dat confirmationem, dicens : *Iterum dico*

vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, vel pœnitentem recipiendo, vel superbum abjiciendo, vel *de* alia *re, quam petierint*, quæ non sit contraria unitati Ecclesiæ, *fiet illis a Patre meo, qui in cœlis est.* Non vacat, quod dicit, *qui in cœlis est.* Per hoc enim ostendit eum super omnia esse, et per hoc complere posse. Vel in sanctis est, quod valet ad probandum, quod revera fiet illis, quidquid petierint quod dignum sit, quia illum in se habent, a quo petunt.

Ubi enim sunt duo, etc. Quasi dicat : Ideo rata est sententia consentientium, quia Deus habitat cum eis.

Tunc accedens Petrus, etc. Dixit superius, ut frater fratrem corriperet: modo quærit Petrus, si frater correptus pœniteat, quoties ei dimittatur? et visum est ei satis suffice septenam dimissionem. Et ideo quærit utrum dimittat usque septies? Hoc autem intelligitur dupliciter, vel de injuria, vel de omni peccato, secundum duplicem supradictam sententiam, ut dicatur : *Si peccaverit frater meus in me*, faciendo mihi injuriam, vel in contumeliis, vel in damno, *dimittam ei usque septies?* Vel de omni peccato sic intelligitur, vel legitur. Petrus gerit hic personam Ecclesiæ, et dicit : Si frater meus peccaverit in me, id est Ecclesiam, scilicet, si peccat criminaliter, quia qui peccat criminaliter, peccat in Ecclesiam, a qua meretur separari per criminalia, dimittam usque septies? Hoc autem ita exponitur contra illos, qui volunt unam tantum pœnitentiam in Ecclesia.

Dicit illi Jesus : Non dico tibi septies, sed usque septuagies septies, etc. Hieronymus ita exponit hunc numerum, ut dicatur quadringentis nonaginta vicibus, ut videlicet toties peccanti dimittere præcipiatur in die, quoties ille in die peccare non posset. Augustinus vero sic accipit, septuagies septies, id est septuaginta et septem vicibus, et per hunc numerum omnem transgressionem intelligens. Numerus enim ille conficitur ex undenario et septenario. Septies enim undecim sunt septuaginta et septem. Undenarius enim transgressionem significat, quia transcendit denarium, per quem Decalogus intelligitur. Septenarius vero universitatem designat, quia universum mundi tempus continet. Præcipit ergo dimittere septuagies septies, id est universam transgressionem. Sed sequens parabola innuere videtur quod hæc supradicta non de quolibet peccato, sed de injuria tantum sit intelligenda.

Ideo assimilatum est regnum cœlorum homini regi, etc. Ostendit per quamdam similitudinem, condonandum esse fratribus, et nisi condonetur, quod periculum sequatur. Morem sequitur Syrorum, et maxime Palæstinorum, qui ad omnem sermonem suum parabolas jungunt, ut quod simplex præceptum teneri non potest ab auditoribus similitudine exempli teneatur. Littera satis patet, sed sententia terribilis est, cum dicit : *Sic et Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Si enim parva fratribus non dimittimus, magna nobis a Deo non dimittuntur, et etiam illud a nobis exigitur, quod jam nobis per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus. Caute tamen intuendum est, quod non passim peccata dimittere, sed pœnitentiam agenti jubemur, et primo quidem ubi dictum est, peccantem misericorditer increpare, ut sit, cui postmodum juste debeamus dimittere. Mystice quidem ille unus, qui debebat decem millia talenta, populum designat Judaicum, quia reus multarum transgressionum legis, expletionem debuit Decalogi, sed cum non haberet unde redderet, scilicet cum viribus suis explere Decalogum non posset, jussit eum Dominus venundare, id est justo judicio permisit servum malignorum spirituum fieri, et jussit vendi uxorem, et filios, et omnia quæ habebat, et reddi, id est jussit pro cupiditate et operibus, quasi pro uxore et filiis pœnas solvere.

Procidens autem servus ille, etc. Cum sponte nollet malus, coactus pœnitens orabat eum dicens :

Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. Id est peccatis meis parce, et omnia reddam tibi, id est, persolvam credendo et pœnitendo, quæ deliqui præcepta tua transgrediendo. *Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum, et debitum dimisit ei*, quia Dominus misericors, scilicet non solum captivitatem Judaicam, qua quasi captivi tenebantur absolvit, sed etiam veniam omnium peccatorum promisit se dare, si vellent incœpto persistere. Vel aliter. Dimisit eum, quia pondere carnalium observationum absolvit, et dimisit, quando priores transgressiones condonavit.

Egressus autem servus, etc. Id est ille supradictus de captivitate liberatus, vel ad libertatem fidei promotus, *invenit unum de conservis suis*, gentilem scilicet populum, *qui debebat ei centum denarios*, id est recognoscere sibi ab eo salutem præstitam, vel præstandam, *et tenens suffocabat eum*, quasi sibi debitorem, et dicens gratiam Christi non esse sufficientem ad salutem, carnales observantias non modo persuasionibus, sed etiam tormentis exigebat gravioribus, et dicebat : *Redde quod debes*, id est observantias carnales observa. At ille humilis adorabat dicens: *Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi*, adimplebo spiritualiter quidquid lex præcipit. *Ille autem noluit*, id est carnalis spiritualia recusavit, *sed* potius *abiit*, id est a spirituali intellectu recessit, *et misit illum in carcerem*, id est arctam tribulationem, *donec redderet debitum*, id est donec legem carnaliter impleret, quod videbatur illi, ut quod deberet. *Videntes autem conservi ejus*, scilicet prædicatores Evangelii, *quæ fiebant*, persecutionem Christianæ Ecclesiæ a Judæis illatam, *contristati sunt, et* compatiendo *venerunt et narraverunt domino suo*, implorantes auxilium contra dolum persecutorum.

Tunc vocavit illum, etc. Vocatio hæc intus est in conscientia. *Et dixit : Serve nequam, omne debitum*, id est omnes legis prævaricationes, quibus mihi pœnas solvere debuisti, *quia* in angustiis *rogasti me*,

dimisi tibi : modo liberatus compassionem non habuisti,quin potius prophetas et apostolos meos persequeris, et ingratus de justitia præsumes, spernis gentes,judicans illas in Christo societate indignas.

Nonne ergo oportuit et te misereri, cum tui misertus sum? Tunc iratus Dominus ejus, etc. Juxta animadversionem *tradidit eum tortoribus*, qui possint intelligi Romani principes,Titus et Vespasianus,vel tartarei ministri, quibus tandem tradendi sunt Judæi. Tradidit dico, *quousque universum redderet debitum*, id est quoadusque spiritualiter intelligeret Decalogum,vel quoadusque solveret pœnas,patiendo semper, id est nunquam a pœnis cessando.

CAPUT XIX.

Et factum est, cum consummasset Jesus sermones istos, etc. Postquam evangelista narravit ea quæ fecit et docuit in Galilæa, accedit ad ea quæ fecit, et docuit, et passus est in Judæa. Transitus iste significat Christum transmigraturum per fidem in fine sæculi ad Judæos, et primum trans Jordanem ad orientem.Post citra Jordanem,quando venit Jericho et Jerusalem. Nam cum omnis Judæorum provincia generaliter ad distinctionem aliarum gentium Judæa dicta sit, tamen specialiter meridiana ejus plaga appellatur Judæa, ad distinctionem Samariæ, Galilææ,Decapolis, et cæterarum in eadem provincia regionum.

Et secutæ sunt eum turbæ, etc. Quia in fine sæculi, quando omnis Israel salvus erit, multi convertentur ad fidem, quos a peccatis suis sanabit.

Et accesserunt ad eum Pharisæi, etc. Turbæ accedunt ut doceantur et sanentur : Pharisæi vero, ut doctorem veritatis decipere conentur : hos devotio pietatis, illos adduxit stimulus livoris. Interrogant ergo, *si licet dimittere uxorem ex qualibet causa?* ut cornuto capiatur syllogismo.Quamcunque enim partem elegerit, concludere parant illi. Si enim dixerit dimittendam esse,et aliam ducendam,prædicator pudicitiæ jam contraria pudicitiæ videtur docere. Si autem responderit, non propter omnem causam debere dimitti, tenebitur reus mandati, et dicetur facere adversus legem Moysi. Sed responsionem temperat,ut decipula transeat,quia sanctam Scripturam adducit in testimonium, et naturalem legem, et primam Dei sententiam secundæ opponens,quæ non voluntate Dei, sed peccantium necessitate concessa est. Et hoc est : *Qui respondens ait eis : Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos?* Non dicit feminas, sed feminam, multiplicationem conjugii excludens, et ad idem adhuc confirmandum dicit. *Propter hoc* quidem, id est propter hanc unam conjunctionem, *dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ*, non uxoribus. *Et erunt duo in carne una*, non tres, id est in carnali copula. Itaque quia unum facit carnalis conjunctio, jam non sunt duo, sed una caro, quod facit conjunctio carnalis.

Quod ergo conjunxit Deus, faciendo unam carnem, *homo non separet*. Si conjugia sunt legitima, tunc Deus conjunxit : si autem non sunt legitima, tunc Deus non conjunxit, et illa potest homo separare. Legitima vero homo non potest separare,sed Deus potest. Fiunt enim aliquando propter Deum continentes,ut alter monachus,alter monacha efficiantur.

Dicunt illi : Quid ergo Moyses, etc. Cum Deus respondisset verba auctoritatis, auctoritati opponunt, cum non possunt personæ opponere, quasi dicant : Quandoquidem hoc Deus præcepit in principio, *quare ergo Moyses* postea *præcepit* mutari conjugia,et *dare libellum repudii* in signum derelictionis?*Ait illis : Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras*, etc. Moyses non præcepit dimittere uxores, sed permisit. Permissio enim fuit, non præceptum, et hoc propter duritiam cordis vestri.Videbat enim tantam duritiam cordis in Judæis Moyses, quod,cum propter aliquam causam uxores odio haberent, si non liceret dimittere, interficerent. Permisit ergo, quod levius erat,ut gravius vitaretur. *Ab initio autem non fuit sic.* Id est, sic non habuit lex naturalis. *Dico autem vobis.*Servus coactus infirmitate hominum præcipit,sed ego Dominus et magister dico et præcipio vobis, ut veterem hominem exuatis, et præcepta novæ legis teneatis. *Dico enim vobis quia quicunque dimiserit uxorem suam, nisi propter fornicationem, et aliam duxerit,mœchatur.*Sola fornicatio est causa separationis. Postquam enim mulier, quæ est viro juncta,et una erat in carnali copula, in aliam carnem illam unitatem transmiserit, et fornicationem illam diviserit,non amittit quidem vinculum conjugii, sed meretur non amplius carnaliter cum viro suo copulari, qui contra copulationem peccavit. Et quia vinculum conjugii remanet,ideo addit : *Et qui dimissam duxerit, mœchatur.* Accipientem terret, quia adultera non timet opprobrium. Similiter de viro intelligendum est, nec tamen prohibetur reconciliari viro post separationem.

Dicunt ei discipuli : Si ita est causa cum uxore, id est,si tali vinculo constrictus est cum ea,ut non possit eam dimittere,tunc *non expedit nubere*,id est bonum est continere. *Qui dixit : Non omnes capiunt verbum istud.*Id est non omnes servant verbum istud, quod bonum sit continere. Non dixit, non possunt capere,id est servare, quia bene possent, si vellent vincere carnis infirmitatem. Sed dixit, non omnes capiunt,id est non continent omnes, *sed quibus datum est* divina gratia. In his verbis ostendit, quia nisi auxilium gratiæ acceperimus, nihil ex nobis valemus. *Sunt enim enuchi.* Ideo dixi, quibus datum est. Bonum est continere, non enim omnibus bonum est continere. Sunt enim quidam eunuchi, *qui a nativitate eunuchi sunt*, qui videlicet frigidæ naturæ existentes, nihil libidinis appetunt. *Sunt* iterum *alii, qui ab hominibus eunuchizati sunt*, et his utrisque non est abstinentia virtus.Non enim ex voluntate abstinent, sed ex coactione et necessitate. *Et sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum*,illi videlicet,qui continentes sunt ex

voluntate, ut regnum cœlorum acquirant, his solis est continentia virtus.

Qui potest capere, capiat. Vox hortantis ad continentiam, quasi dicat : Qui potest capere, capiat hoc verbum, id est, abstinere, abstineat. *Tunc oblati* etc. Cum Christus de continentibus loqueretur, oblati sunt ei pueri qui, quamvis non essent continentes virtute, tamen in figura verorum continentium, voluit in eis ostendere, quid in veris continentibus impletur. Imposuit enim eis manus, ut veris continentibus, et veris humilibus gratiam sui auxilii conferendam significaret, et eos sua benedictione et gratia dignos ostenderet. Et hoc est, quod modo ingreditur : *Tunc ablati sunt ei parvuli, ut eis manus imponeret et oraret.* Quasi dicat, ut manu et voce illis benediceret. *Discipuli autem increpabant eos.* Non quod nollent eos manu et voce Salvatoris benedici, sed quia quasi adhuc rudes et simplices putarent Magistrum suum ad similitudinem reliquorum hominum lassari importunitate offerentium.

Jesus vero ait eis : Sinite parvulos venire ad me, etc. Significans per hoc, quod vere humiles et continentes ad Deum veniunt, et quia isti sunt figura verorum continentium ; ideo addit :

Talium est regnum cœlorum. Talium dixit, non istorum, ut ostenderet non ætatem regnare, sed mores, et his qui similes sunt pueris innocentia et simplicitate præmium repromitti, de quibus Apostolus : *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote* (*I Cor.* XIV). Nec erat causa quare removerentur. Si enim sancti fuerant futuri, cur vetant filios ad patrem venire ? Si peccatores futuri sunt, quare sententia ante culpam datur ? *Et accedens unus, ait illi,* etc. Audierat homo iste forsitan a Domino, tantum eos qui parvulis volunt esse similes, dignos introitu regni cœlestis, et ideo certior cupiens esse non per parabolas, sed aperte postulat exponi, quibus meritis vitam æternam possit consequi. Notandum est quod secundum Hieronymum iste adolescens, et dives, et superbus erat. Alii dicunt non voto tentantis, sed dicentis interrogasse, cum dicat : *Magister bone,* etc. *Quid me interrogas de bono ? Unus est bonus Deus,* etc. Increpat eum Dominus, quia putabat eum purum hominem, et non Deum, et ex se tantum bonum. Unde redarguit ita : *Quid me interrogas de bono* ? subaudis magistro, id est quærendo a bono magistro. Quod ita sit intelligendum, docet alius evangelista, cum dicit : *Quid me dicis bonum* ? (*Marc.* X.) Non sum ita bonus ut putas, id est ex me bonus, secundum hominem. Ex se enim bonus non est, nisi unus bonus, Deus Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. *Si autem vis ad vitam ingredi,* etc. De mala interrogatione vituperat eum, ubi dixerat *Magister bone,* ad quæstionem vero sanam respondet, solvendo dicens : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Non dicit disce, sed serva ; peritus enim erat in mandatis. *Dicit illi.* Quasi diceret : Quia multa sunt, ideo dicit. *Quæ ? Jesus autem dicit : Non homicidium facies,* etc. Hic duæ vitæ proponuntur, activa et contemplativa. Prius activa proponitur, quam cum asserat adolescens se complesse, postea ad contemplativam hortatur, cum dicat :

Sis vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, etc. Perfectus enim omnia debet vendere, non ex parte, sicut Ananias fecit et Saphira (*Act.* V), et cum vendiderit, dare pauperibus. Nec hoc ad perfectionem sufficit, nisi post contemptas divitias, Salvatorem sequatur. Facilius enim sacculus contemnitur quam voluntas ; et multi divitias relinquentes, Dominum non sequuntur. *Et cum audisset adolescens verbum, abiit tristis,* etc. Notandum quod ex diversis verbis hujus evangelii de adolescente, diversis modis sentitur. Cum enim superius dixisset: *Omnia hæc custodivi,* postea supponit Marcus : *Jesus autem intuitus eum, dilexit eum* (*Marc.* X). Ex his verbis contrahit Beda, eum non voto tentantis venisse. Dicit enim : Non est putandus homo iste vel voto tentantis venisse, ut quidam putavere Dominum interrogasse, vel de sua vita esse mentitus, cum se legis mandata custodisse dicebat, sed simpliciter ut vixerit esse confessus, quia si mendacii aut simulationis noxa teneretur, nequaquam intuitus arcana cordis ejus diligere diceretur Jesus. Ita vero quæ sequuntur, *abiit tristis,* negant eum bonum fuisse. Unde Hieronymus ex voto eum tentantis asserit venisse. Et secundum hanc sententiam illa intuitio non fuit de præsenti, sed de sequenti, quia credendum est postea eum fuisse conversum. Cum autem de eo dicatur, *abiit tristis,* non est credendum bonam conscientiam eum habuisse, sed mentitum, quando se dilectionem proximi confessus est habuisse. Non enim vere diligebat proximum, qui doluit de hoc, quod sua dare proximis præcipiebatur. Unde accepta occasione, ait vix posse hominem salvari divitem.

Jesus autem dixit discipulis suis : Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum, etc. HILARIUS. Occasione hujus avari, habuit sermonem de avaro. Et notandum est quod dives hic accipitur, possidens divitias cum amore. Multi enim possident, qui non amant. Non dicit: Impossibile est intrare divitem in regno cœlorum, sed difficile est. Quod enim impossibile est, omnino fieri non potest. Quod difficile est, cum labore potest. Potest etenim fieri, sed cum maximo labore, juvante Dei gratia, ut pecunias habentes, vel in pecuniis confidentes, exutis philargyriæ retinaculis, januam intrent regni cœlestis. *Et iterum dico vobis : Facilius est camelum,* etc. Camelus iste est Christus, qui sponte humiliatus, infirmitatis nostræ onera sustulit. Acus est punctio, per quam angustiæ significantur passionis, quam passione, velut acu nostræ naturæ, quasi scissa vestimenta resarcire dignatus est, id est reparare post lapsum. Dicitur ergo : *Facilius est intrare camelum per foramen acus,* id est facilius est pati Christum pro dilectoribus mundanorum, quam

dilectores mundanorum ad Christum converti. Aliter. Facilius est gentilem populum gibbo peccatorum deformem, per augustam viam vitæ ingredi, quam Judæum de multis gloriantem, et ad subeundum leve onus Christi, se humiliare nolentem. Aliter dicitur, quia Jerosolymis quædam porta erat, quæ Foramen acus dicebatur, per quam camelus, non nisi deposito onere et flexis genibus transire non poterat, per quam significantur divites, non posse intrare viam arctam, quæ ducit ad vitam, nisi divitiis saltem non amando depositis, et sordibus peccatorum renuntiatis, et cordibus per humilitatem contritis.

Auditis autem his, discipuli mirabantur valde dicentes : *Quis ergo poterit salvus esse*? Quo pertinet hæc interrogatio, cum incomparabiliter major sit turba pauperum, quæ perditis divitibus, poterat salvari, nisi quia intellexerunt cunctos, qui divitias amant, etsi non habeant in divitum numero computari. *Aspiciens autem Jesus dixit*, etc. Nota quia ipse aspectu suo reddit attentos. *Apud hominem hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt*. Non ita accipiendum est, quod cupidi et superbi, qui nomine illius divitis sunt significati, in regnum cœlorum sint intraturi, cum suis cupiditatibus et superbia, sed possibile est Deo, ut per verbum ejus, sicut etiam factum est et quotidie fieri videmus, a cupiditate temporalium, ad claritatem æternorum, et a perniciosa superbia, ad humilitatem saluberrimam convertantur. *Tunc respondens Petrus*. Cum audiret Petrus, difficile esse divitem intrare in regnum cœlorum, voluit scire meritum divitias relinquentium, dicens ita : *Ecce nos reliquimus omnia*. Grandis fiducia. Petrus piscator erat, dives non fuerat, cibos arte et manu quærebat, et tamen loquitur confidenter dicens : Dimisimus omnia, et quia non sufficit tantum dimittere, adjungit quod perfectum est : *Et secuti sumus te*. etc. Fecimus quod jussisti, quid ergo dabis nobis in præmium, vel quid præmii? Multum reliquit, qui sibi nihil retinuit. Tantum quisque mente possidet, quantum desiderat. Multo ergo deserit, qui omnem cupiditatem postponit. Jesus autem dixit :

Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, etc. Non dixit, qui reliquistis omnia. Hoc enim fecit Socrates, et multi alii philosophi, qui divitias contempserunt, sed potius ait, *qui secuti estis me*, quod proprie est credentium.

In regeneratione, etc. Duæ sunt regenerationes, duæ adoptiones, duæ resurrectiones. Una regenaratio est, de qua dicitur : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto* (*Joan.* III). Altera de qua nunc dicit. Prima iterum adoptio, de qua dicit Apostolus : *Non accepistis spiritum servitutis in timore, sed spiritum adoptionis filiorum* (*Rom.* VIII). Secunda. de qua idem Apostolus : *Ingemiscimus adoptionem filiorum exspectantes, redemptionem corporis nostri* (*ibid.*). Quæ prima; quæ vero secunda sit resurrectio, satis patet.

A *In regeneratione dico* : *Cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ*, id est, cum ille qui in forma servi apparuit, judiciariam exercebit potestatem, *sedebitis et vos super sedes duodecim*, etc. id est judicantes, quia vobis credentibus, illi credere noluerunt. Per duodecim sedes, universitas judicantium ; per duodecim tribus, universitas judicatorum intelligitur, propter duas partes septenarii, per quem significatur plerumque universitas. Quæ duæ partes, id est, et tria et quatuor, altera per alteram partem multiplicata, duodecim faciunt. Unusquisque enim fidelium, interiore et exteriore homine, hoc septenario numero completur. In interiori memoria, intellectu et voluntate. In exteriori carne humore, flatu et calore, id est, frigido, sicco, humido, calido. B Quicunque ergo talis per divinam exstiterit gratiam, ut unum Deum qui Trinitas est, diligat ex toto corde, intellectu et voluntate, et omnes affectiones quadripartiti corporis per prudentiam, justitiam, temperantiam, fortitudinem noverit regere, et unum Deum qui trinus est, alii ut similiter credant, et ut prudentes, justi, fortes et temperantes sint, non cessant annuntiare, in hoc septenario numero, et duodenario continetur. Alioquin cum in loco Judæ traditoris, Matthiam legimus ordinatum (*Act.* I), apostolus Paulus qui plus omnibus laboravit, ubi sedeat, non habebit ad judicandum, cum tamen ipse dicat : *Nescitis quoniam angelos judicabimus?* (*I Cor.* VI.) De ipsis quoque judicandis simul causa est in hoc duodenario numero. Non enim quia dictum est, *judicantes duodecim* C *tribus Israel*, alia tribus, id est, Levi, quæ tertiadecima est, ab eis judicanda non erit, si non ita ut dictum est, intelligamus, vel alio modo competenter.

Et omnis qui reliquerit domum, etc. Non solum ad apostolos supradicta sententia pertinere videtur: ait, *omnis*, etc, Per fratres, sorores, patrem, matrem, carnales affectus intelliguntur. Per agros, omnes temporales divitiæ significantur.

Centuplum accipiet, etc. Quidam ex occasione hujus sententiæ, Judaicam mille annorum fabulam post resurrectionem justorum dogmatizant, quando omnia quæ propter Deum dimisimus, multiplici sunt nobis fenore reddenda, insuper et vita æterna donanda. Nec vident inepti, quod etsi in cæteris di- D gna sit repromissio, in uxoribus tamen juxta alios evangelistas centenis appareat turpitudo, præsertim cum Deus et in resurrectione nubendum non esse testatur, et ea quæ dimissa fuerint, propter se recipienda non esse in hoc tempore, etiam cum persecutionibus asseveret. Sed sic illud centuplum intelligendum est, qui reliquerit carnalia, recipiet spiritualia. Centenarius enim numerus ad cœlestia pertinet, quia centenarius de læva in dexteram translatus est in computatione; sicut autem læva ad temporalia, sic dextera ad cœlestia refertur. Cum ergo centenarius dexteræ accidat, merito cœlestia significat. Quod autem subdit, *et vitam æternam*

possidebit, expositio est et determinatio : vel *centuplum accipiet*, id est, voluntatem nihil habendi.

Multi autem erunt, etc. Sed quia non omnes in eodem bono proposito perseverant, et ad vitia relabuntur, terribilis sententia subditur : *Multi autem primi erunt novissimi.* Vide Judam ab apostolatu in apostatam versum, et dicito, quia *multi erunt primi novissimi.* Vide latronem in cruce factum confessorem, eodemque die quo pro suis crucifixus est peccatis, gratia fidei cum Christo in paradiso gaudentem et dicito, quia *novissimi erunt primi.* Sed et quotidie videmus multos in laico habitu constitutos, magnis vitæ meritis et præmiis excellere, et alios a prima ætate spirituali studio ferventes, ad extremum vitæ otio torpentes lacessere, atque inerti stultitia quod spiritu cœperunt carne consummare.

CAPUT XX.

Simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, etc. Ostendit paraboliee, qui primi novissimi et novissimi primi. Paterfamilias iste Conditor noster est, qui regit quos condidit, et electos suos sic in hoc mundo possidet, quasi subjectos dominus in domo : qui habet vineam universalem, scilicet Ecclesiam, quæ ab Abel justo, usque ad ultimum electum qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit quasi tot palmites misit. Hic Pater ad excolendam vineam suam tertia hora mane, sexta, nona, undecima, operarios conducit, quia a mundi hujus initio, usque in finem, ad erudiendam fidelium plebem, prædicatores mittere non destitit.

Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, etc. Denarius imaginem regis habet, dictus denarius est ab hoc, quia pro decem nummis apud antiquos computabatur. Idcirco igitur unusquisque accedit ad cultum divini nominis, ut in Christo recipiat imaginem deitatis, quam in paradiso perdiderat livore serpentis, et quanto magis studuerit decalogum implere, tanto amplius reformatur ad imaginem ejus qui creavit eam.

Et egressus circa horam tertiam, etc. Prima hora fuit ab Adam usque ad Noe. Tertia vero ad Noe usque ad Abraham. In qua tertia *vidit alios stantes in foro*, quasi vendibiles, et a bono opere cessantes, et hoc est quod dicit *otiosos*, quos misit in vineam. Iterum fecit similiter circa horam sextam, quæ est ab Abraham usque ad Moysen. Et circa horam nonam similiter, quæ est a Moyse usque ad adventum Domini. Circa undecimam vero, quæ est ab adventu Domini usque in finem mundi exiit ipse, id est, per seipsum apparuit, qui per prophetas et angelos prius innotuit, et invenit alios stantes gentiles populos, scilicet a bono opere torpentes, et dicit illis : *Quid hic statis tota die otiosi*? Qui enim transacto tam longo mundi tempore, pro vita sua laborare neglexerant, quasi tota die otiosi stabant, et pensandum quid isti responderint.

Quia nemo nos, etc. Nullus quippe ad eos patriarcha, nullus propheta venerat : quid est ergo dicere, *quia nemo nos conduxit*, nisi quia vitæ vias A nullus nobis demonstravit? Possumus etiam et easdem diversitates horarum ad unumquemque hominem per ætatis momenta distinguere. Mane quippe intellectus nostri pueritia est. Hora tertia est adolescentia, quia quasi sol jam in altum proficit, dum calor ætatis crescit. Sexta juventus est, cum plenitudo roboris solidatur. Nona senectus est, quando sol, id est, calor ætatis descendit. Undecima vero decrepita ætas, vel veterana vocatur. In his omnibus aliqui ad bonam vitam perducuntur. Qui vero usque ad ætatem ultimam Deo vivere neglexit, quasi usque ad undecimam otiosus stetit, unde illis bene dicitur. *Quid hic statis tota die otiosi*? etc. Saltem in ultimis resipiscite, et ad vias vitæ jam non multum laboraturi venite. Et hoc est quod dicit : *Ite et vos in vineam meam.*

B *Cum sero factum esset*, id est, cum finis uniusjusque, vel finis mundi, id est, ultima ætas mundi venisset, de quo fine dicit Joannes : *Filioli, novissima hora est* (*I Joan.* II); et Apostolus : *Nos sumus, in quos fines sæculorum devenerunt* (*I Cor.* X).

Dicit dominus vineæ procuratori suo, id est, dicit Pater Filio suo, cui omnia dedit in manus : *Voca operarios* ante tribunal *et redde illis mercedem* prout quisque gessit, *incipiens a novissimis usque ad primos*, id est, a tempore novissimorum. Tempus novissimorum est passio Christi, usque ad finem sæculi. Primi dicuntur omnes a principio mundi usque ad passionem Christi. Usque enim ad passionem prædicavit Christus Judæis tantum, secundum hoc quod dicit : *Non sum missus* (*Matth.* XV), etc. Accedens autem ad passionem Christus dixit : *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et fiet unum ovile et unus pastor* (*Joan.* X). C In passione etiam significavit secundam missionem cum ait : *Nunc* autem *qui habet sacculum, tollat similiter et peram* (*Luc.* XXII). Duæ enim fuerunt missiones apostolorum. Prima specialis ad Judæos, quando dictum est eis : *In viam gentium ne abieritis* (*Matth.* X.), in qua et sacculus et pera prohibita sunt. Secunda fuit communis, tam ad Judæos quam ad gentiles, in qua et sacculus et pera concessa sunt, quæ in multis verbis supradictis significavit. In his scilicet : *qui habet sacculum, tollat similiter et peram.* Quasi dicat: Nunc, id est, in ista alia missione, qui habet sacculum, tollat eum, id est, portet eum. Quam missione manifestius declaravit post passionem, dicens : D *Ite, prædicate Evangelium omni creaturæ* (*Marc.* XVI). Primum itaque tempus fuit, quandiu nisi solis Judæis prædicare non licuit. Peracta vero obedientia quia ad prædicationem Christi Judæi noluerunt converti, dedit potestatem offerendi verbum Dei omnibus hominibus. Incipit ergo reddere retributionem in tempore novissimorum, dum latronem in passione salvavit, antiquos patres de inferno abstractos, in die ascensionis in cœlum introduxit. Et sic completum est, quod et prius novissimis dare cœpit, sicut latroni, et in tempore novissimorum, cœpit solvere retributionem omnibus, quia usque ad

tempus passionis, omnes ad inferos descendebant.

Cum venistent ergo, etc. Ipsa vita æterna pariter erit omnibus æqualis, et unus denarius omnibus attributus. Ibi tamen sunt multæ distinctiones, juxta illud : *In domo Patris mei multæ mansiones sunt* (*Joan.* XIV). Itaque unus denarius et singuli denarii.

Venientes autem primi arbitrati sunt, etc. Quæritur autem quomodo dicuntur invidere, murmurare, cum in præmio suscipiendo nulla invidia, nulla erit murmuratio? Sed consuetudo est in divina pagina multos in collectione accipere, et quædam verba quibusdam personis congruere, et quædam aliis, non toti collectioni. Cum igitur primi dicantur murmurasse, et tamen mercedem recepisse, in aliis et in aliis personis intelligendum est. Judæi sunt illi qui murmurabant, et qui in initio Ecclesiæ, fidelibus vocatis ex gentibus se præponebant, dicentes se populum Dei esse ab initio, quem Deus dilexit et fovit, qui in cæremoniis legalibus pondus portavit et æstus. Dicebant etiam populum gentilem canes esse potius quam homines, indignum esse judicantes, ut qui idolis servierant, sibi comparabiles existerent. Sed Dominus, qui non venit vocare justos, sed humiles pœnitentes, cui placet ex malis operibus humilis confessio, potius quam de bonis superba gloriatio, subdit : *Amice, non facio tibi injuriam.* Murmuratio ista fuit in Judæis, et in mundo arbitrati sunt, quod plus essent accepturi in futuro. Et isti non acceperunt mercedem, sed perfecti qui non murmuraverunt. Legitur igitur sic in collectione: *Primi*, id est, Judæi, qui in primo tempore conversi sunt, *arbitrati sunt* in quibusdam membris, *quod plus essent accepturi* in futuro quam gentiles. *Acceperunt autem ipsi* primi *singulos denarios*, in aliis personis, et ita accipientes in quibusdam personis murmurabant in aliis personis; hæc est conquestio Judæorum adversus Dominum :

Hi novissimi, id est gentiles, *una hora fecerunt*, id est laboraverunt. Nos autem Judæi laboravimus toto tempore, quod fuit sub lege. Et *portavimus pondus diei et æstus*, id est diu sub onere legis sudavimus, vel longiora carnis tentamenta sustinuimus, quibus Dominus respondebat per suos scilicet perfectiores : *Amice*, per fidem, et non amice per operationem, *nonne ex denario diurno*, id est vita æterna, *convenisti mecum?* id est fidem meam recepisti? Sed quia incœpisti invidere et murmurare, ideo *tolle quod tuum est*, id est quod meruisti, scilicet damnationem, *et vade*, id est discede a me. *Volo autem et huic novissimo*, id est gentili populo, *dare* secundum meritum, *sicut* do *tibi* per meritum. Talis est mea voluntas.

Aut non licet mihi facere quod volo. Ego ago secundum bonitatem meæ misericordiæ; *an oculus tuus nequam est*, id est invidus, de hoc quod *ego bonus sum*? *Sic* ergo *erunt primi novissimi, et novissimi primi*, quasi dicat : Sicut vides Judæos,

A qui primi videbantur, id est maximi, fieri novissimos, id est vilissimos per damnationem; et gentiles qui prius erant novissimi, id est damnabiles per idololatriam, fieri primos, id est per fidem exaltatos, sic accidet in multis aliis. Alii dicunt neminem murmurasse, sed in Dominum interposuisse, ut ostenderet neminem posse juste conqueri de sua operatione.

Multi enim. Primi fient novissimi, id est damnabiles. Nam non omnes vocati ad fidem salvabuntur. Et hoc est : *Multi enim*, etc.

Et ascendens Jesus, etc. Christus ascensurus Jerusalem ut pateretur, iterum intimando eis mortem præparat eos ad tentationem, ne turbarentur cum viderent morientem. Nuntiat et resurrectionem ad

B eorum consolationes. *Ascendimus* dicit, secundum situm loci. Littera plana est.

Tunc accessit ad eum, etc. Quæritur, unde filii Zebedæi habent opinionem regni? De hac causa, ut reor, quia audierant tertia die resurrecturum. Putabant ergo post resurrectionem in mundo regnaturum, et ideo cupidi honoris, desiderant apud eum primum locum tenere. Sed cum non audeant hoc per se postulare, per matrem postulant,

Qui dixit ei, etc. Non interrogat quasi nesciens quid velit, sed ut illa exponente, manifestam faceret irrationabilem esse petitionem. Petebant enim quasi irreligiosi et gloriæ amatores, non habentes utilium postulationum discretionem. Et nota quod frequenter patitur Dominus discipulos suos, aliquid non recte aut dicere, aut agere, aut cogitare, ut ex illorum

C culpa inveniat occasiones docendi et exponendi regulam pietatis.

Ait illi, etc. Postulat mater filiorum Zebedæi, errore muliebri et affectu pietatis, nesciens quid peteret. Nec mirum si ista arguitur imperitiæ, cum de Petro dicatur, quando facere vult tria tabernacula, *nesciens quid diceret* (*Marc.* IX). Et notandum quia Matthæus scribit matrem postulasse hoc pro filiis; Marcus ipsorum desiderium et consilium aperire volens legentibus, tacet de matre, et ipsos dicit potius postulare quod ipsorum rogatu noverat per matrem postulatum (*Marc.* X). Et nota hoc bonum quidem fuisse desiderium, sed inconsideratam petitionem. Ideo etsi impetrare non debebant, simplicitas petitionis eorum non tamen confundi merebatur, quia de amore

D Domini nascebatur. Propterea non voluntatem neque propositum eorum culpabat, sed solam ignorantiam eorum reprehendit dicens :

Nescitis quid petatis. Et notandum quia Dominus utrique evangelistæ satisfaciens, non matri, sed ipsis quorum erat petitio, respondit : Nesciunt quid petant, qui sedem gloriæ a Domino quam nondum merentur inquirunt. Eos quidem delectabat culmen honoris, sed prius debebant exercere viam laboris. Desiderabant sublimiter regnare cum Christo, sed prius erat pati humiliter pro Christo.

Potestis bibere calicem, etc. Quasi dicat : Quia ergo vultis mecum exaltari, potestis mecum per

passionem humiliari? Nomine calicis passionem designat martyrii, qua et se ipsum, et illos decebat consummari. Non ignorabat quidem Dominus quia per passionem ejus poterant imitari, sed ideo dixit hoc illis, ut Domino interrogante, et eis respondentibus, omnes nos audiamus quia nemo potest cum Christo regnare, nisi passionem ejus fuerit imitatus.

Dicunt ei : *Possumus.* Non tantum confluentia cordis sui, quantum ignorantia passionis responderunt. Nescientibus enim desiderabile est bellum, sic inexpertis levis videtur esse tentatio passionis et mortis. Si enim Dominus potuit dicere : *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste* (*Matth.* XXVI), quanto magis non fuerunt dicturi, quia possumus, si scirent qualis esset tentatio mortis? Magnum enim dolorem habet passio, tamen mors majorem habet timorem.

Ait illis : Calicem quidem meum bibetis, etc. Jacobus ab Herode truncatus est. Joannes in ferventis olei dolio missus, et in Pathmos relegatus, animo non defuit martyrio. Sic et multi alii calicem Domini biberunt, licet persecutor sanguinem non fuderit. Quod autem subjungit :

Sedere autem non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo, etc. Sic est intelligendum : Regnum cœlorum non est dantis, sed accipientis. Non est enim acceptio personarum apud Deum (*Rom.* II), sed quicunque talem se præbuerit ut regno cœlorum dignus sit, hic accipiet quod non personæ, sed vitæ paratum est. Si itaque tales estis qui regnum cœlorum consequamini, quod triumphantibus et victoribus Pater meus paravit, vos accipietis. Vel aliter : Non est meum dare vobis, id est superbis, quod adhuc estis, sed aliis paratum est : ergo et vos, nolite esse superbi, sed estote alii, id est humiliamini, qui jam vultis exaltari, et tunc paratum est vobis.

Et audientes decem, etc. Decem apostoli non indignantur mulieri, nec ad mulierem referunt audaciam petitionis, sed ad filios qui ignorantes mensuram suam, immodica capacitate vel cupiditate exarserant. Quemadmodum enim, ut Joannes ait, illi carnaliter petierunt, sic isti cardinaliter contristati sunt Si enim utique saperent, et intelligerent, nec isti tale quid peterent, nec illi de tali petitione dolerent. Isti ergo ambitiosi, illi invidiosi, utrique tamen nobis proferunt.

Jesus autem, etc. Jesus autem humilis magister et mitis, nec immoderatæ cupiditatis duos arguit postulantes, nec decem reliquos indignationis increpat et livoris, sed tale ponit exemplum, quo doceat illum majorem esse qui minor fuerit, et illum dominum fieri, qui omnium servus erit. Frustra igitur, aut illi immoderata quæsierunt, aut isti dolent cum ad summum culmen non potentia, sed humilitate veniant. Quisquis ergo, ut ait, maximus divinitatis cupit maxima tenere fastigia, humilitatis sectetur ima. Et qui vult fratrem prævenire regnando, prius illum præveniat obsequendo. Dicit itaque :

A *Scitis quia principes gentium*, etc. Quasi dicat : Vos more sæcularium per prælationem vultis prævenire ad regni possessionem, sed non ita erit, quia potius pervenitur ad sublimitatem per humilitatem. Et hoc est quod sequitur :

Non ita erit inter vos, sed quicunque, etc. *Sicut Filius hominis*, etc. Proponit exemplum, ut si dicta parvipenderent, ad opera saltem erubescerent, dicens : *Sicut Filius hominis non venit ministrari*, id est temporaliter dominari, *sed ministrare*, non tantum prædicando, vel miraculis admonendo, sed animam quam pro nobis accepit impendendo, non pro omnibus, sed pro multis, id est pro his qui credere voluerunt. *Et egredientibus illis.* Lucas refert Dominum, cum appropinquasset Jericho, unum cæ-
B cum illuminasse. Matthæus vero perhibet Christum, cum de Jericho egrederetur, duos cæcos illuminasse. Marcus vero unum, qua in re nemo existimet evangelistas contraria sibi scribere, sed Lucam supplesse illuminationem unius cæci in ingressu Jericho, quod Matthæus prætermiserat. Quod autem Marcus narrat, unum illuminatum esse in ingressione Jericho, et Matthæus duos, sic intelligendum est, quod unus eorum famosus erat, de quo Marcus facit mentionem, alter vero nullius nominis erat. Unde et Marcus illius nomen ponit, et nomen patris dicens ita : *Filius Thimei, Barthimeus, cæcus sedebat secus viam mendicans* (*Marc.* X). Sed quæritur si nobilis, quare mendicus? Sed ex aliqua magna felicitate dejectus, notissimæ et famosissimæ miseriæ erat, propterea ipsum solum voluit memo-
C rare Marcus, cujus illuminatio tam claram famam huic miraculo comparavit, quam illius nota calamitas fuit. Mystice autem Jericho *luna* interpretatur, et per eam nostræ mortalitatis defectus significatur. Appropinquans ergo Jericho, cæco lumen reddidit, quia ante passionem cum morti appropinquaret, Judaicum populum convertit. Bene Dominus prope mortem Judaicum populum convertisse dicitur, quia paucis annis ante passionem asserunt Evangelium eum prædicasse. De Jericho exiens duos illuminavit, quia post mortem et resurrectionem Evangelium Judæis et gentibus prædicari fecit. Quod vero Marcus unum illuminatum scribit, ad gentium salutem respicit, quarum cæcitas notissima erat. Præterea Marcus qui gentibus scribebat, me-
D rito unum commemorat, ut figura congrueret salutationi eorum quos ad fidem instituebat. Matthæus vero qui Hebræis scribebat Evangelium, quod in gentium quoque notitiam perventurum erat, recte dicit duos illuminatos, ut ad utrumque populum gratiam fidei pertinere doceret. *Duo cæci sedebant secus viam*, quia uterque populus qui cæcus erat, non in via, sed secus viam sedebat, dum jam fidei Christianæ per desiderium adhærebat, et a Deo illuminari cupiebat.

Audierunt quia Jesus transiret. Transitus ille mysterium Incarnationis significat. Dum enim natus est, passus est, resurrexit, ascendit, tunc quasi

transitum fecit. Hoc mysterium uterque populus audivit prædicatione apostolorum,et cum audisset, volens illuminari, per fidem clamavit :

Domine, fili David. Deum et hominem recognoscunt : cum dicunt, Domine, Deum ; cum dicunt, fili David, hominem confitentur.

Turba autem, etc. Turba ista sunt carnalia desideria, quæ bonum solent impedire affectum ; vel etiam persecutores,qui ad fidem venire volentibus, minis vel blanditiis solent obsistere. At illi pulsando, orando, magis instant, donec strepitum turbæ vincerent, dicentes :

Domine, miserere Et stetit Jesus, etc. Transiens audit, stans illuminat, quia per humilitatem misertus est quando transiit, et per verbi æternitatem quod nunquam movetur, lumen reddit :

Et ait illis : Quid vultis ut faciam vobis? Quid vellet cæcus non ignorabat ; sed peti vult hoc quid nos petere et se concedere prænoscit. Importune namque ad orationem nos admonet,et tamen dicit : *Scit namque Pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum* (*Matth.* VI) : ad hoc ergo requirit ut petatur. *Dicunt illi : Domine, ut aperiantur,* etc. Cæci a Domino non aurum, sed lucem quærunt. Parvipendentes extra lucem aliquid quærere, quia, etsi habere cæci quidlibet possent, sine luce non possent videre quidquam. Imitemur ergo eos, non falsas divitias, non terrena dona,non fugitivos honores a Domino, sed lucem quæramus : *Misertus autem eorum Jesus, tetigit oculos eorum.* Quia suo lumine corda eorum illuminavit,*et confestim viderunt,* quia crediderunt et illuminati sunt, *et secuti sunt eum,* quia ad imitandum sese paraverunt. Videt et sequitur, qui bonum quod intelligit operatur.

CAPUT XXI.

Et cum appropinquasset Jerosolymis, etc. In hac figura totius Ecclesiæ vocatio figuratur, quod in expositione hujus evangelii intelligitur. Ad litteram vero, qui toties Jerusalem venerat sine laudibus, modo cum ramis palmarum, et frondibus, et voce puerorum recipi voluit, quia in aliis temporibus nondum venerat hora ejus, et ideo cum vellent eum capere, abscondit se ab eis.

JOANNES CHRYSOSTOMUS. Modo vero appropinquante tempore passionis,passioni sponte accessit, sponte seipsum obtulit,et ad majorem invidiam per honorificam susceptionem invitavit. Hoc enim nequitia eorum exigebat ut qui corrigi nolebant, deteriores efficerentur. Miraculum vero auditum de Lazaro,ad hanc honorificam obviationem commovit. Unde ait Joannes:*Propterea quia suscitavit Lazarum a mortuis, obviam venit ei turba* (*Joan.* XII). Nec sine ratione in hac die venit Jerusalem. Decima enim erat dies mensis, quod habemus ex Evangelio Joannis.Ait enim ante sex dies paschæ venit Bethaniam, ubi facta est cœna, et Martha ministravit. Lazarus vero unus ex discumbentibus erat, et tunc Maria unxit pedes Jesu.In crastinum vero venit Jerosolymam,etacceperunteumcumramis psalmarum(*ibid.*). Unde habemus quia quinto die ante pascha venit Jerusalem, qui est decimus dies mensis. Pascha enim celebrabatur in quarta decima die. Decimo autem die ideo voluit ingredi, quia ita præfiguratum erat in lege, ubi præcipitur : *Decima die mensis hujus tollat unusquisque agnum per familias, et domos suas* (*Exod.* XII). Et paulo post ait : *Et servabitis eum usque ad quartam decimam diem mensis hujus, immolabitque eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam* (*ibid.*). Decima ergo die mensis primi, agnus, quem in pascha immolarent,domum introduci jussus est,quia Dominus decima die ejusdem mensis,hoc est,ante quinque dies paschæ in civitatem, in qua pateretur, erat ingressurus. Modo ad mysterium redeamus.Betphage est vinculus sacerdotum in monte Oliveti, et *domus Buccæ* interpretatur. Significat ergo primos prædicatores, qui fuerunt domus Buccæ, ad quas primum venit Christus,quia primum apostolos et alios condiscipulos eorum convertit. Mons vero Oliveti,eamdem etiam Ecclesiam primitivam significat.Oliva enim fomentum gignit luminis,scilicet oleum,quod etiam carnem fovet et lætificat, et in sacramento baptismatis ponitur.Præterea est etiam arbor pacis,quæ omnia Ecclesiæ conveniunt. Ecclesia enim pacifica, et aliis pacem nuntiat, et eam Christus unctione spiritualium charismatum sanctificat,et luce scientiæ illuminat, et oleo exsultationis, id est gratia spirituali impinguat. Vel aliter : Mons Oliveti celsitudinem significat Dominicæ dilectionis,et misericordiæ,quæ oleo merito comparatur.Quia, sicut oleum supernatat omnibus aliis liquoribus,sic misericordia et dilectio excellunt omnes alias virtutes.

Tunc misit duos discipulos, etc. Cum ergo primitivam Ecclesiam Dominus convertisset, voluit et alios per eos convertere, quos ad cœlestem Jerusalem posset perducere. Misit ergo duos discipulos, id est duo genera prædicatorum : alios ad gentes, alios ad Judæos.Quidam dicunt hoc fuisse Petrum et Philippum,quia Petrus Cornelium primum gentilem conversum baptizavit. Philippus vero Samariæ prædicavit, quæ asina interpretatur. Adduxit itaque Philippus asinam, Petrus vero Cornelium, quasi asinæ pullum.Vel duos misit, ut eos de doctrina et operatione perfectos esse moneret. Seu duos, propter sacramenta dilectionis.

Et dixit eis : Ite in castellum, etc. Id est, ite contra mundum, qui multis sententiis philosophorum munitus est. Castellum mundum significat, qui semper nobis contrarius est. Duo discipuli, doctores Ecclesiæ sunt, qui semper debent solvere et prædicare populo per orationes et confessiones, et pœnitentiam et jejunium. Asina Ecclesiam significat, vel Synagogam, quæ alligata in veteri lege, et nunc soluta in nova lege.Populus humilis et mansuetus per pullum significatur, in quo sedet et requiescit; et ille populus prosternens ramos in via, significat omnes fideles,qui ponunt fidem in Christo, et portant fructum boni operis.

Et statim invenietis asinam alligatam et pullum cum ea, etc. JOANNES. Asina, quæ subjugalis fuit et domita, Synagogam, quæ jugo legis pressa fuerat, designat. Pullus asinæ lascivus et liber populum significabat nationum, qui pullus ab alio evangelista alligatus fuisse dicitur. Uterque enim populus funibus peccatorum erat constrictus, et solutione indigebat. Ille enim legem quam acceperat, utendo male; iste vero peccaverat, nunquam accipiendo. *Omnes* igitur *peccaverunt, et egent* gratia *Dei* (*Rom.* III). Alii evangelistæ, qui gentibus scripserunt, pullum solummodo adductum Domino memorant. Mattheus vero, qui hebræus ex Hebræis, Hebræo sermone scripsit Evangelium, etiam asinæ facit mentionem, provida utique dispensatione, ut quorum salutem scribendo quæsierunt, hos salvandos a Domino mystice docerent esse præfiguratos. Et nota quod dicit Marcus pullum asinæ ante januam in bivio inventum. Janua Christus est extra quod gentium populus stabat ligatus, non in una fidei via, sed in diversis erroribus.

Et si quis vobis aliquid dixerit, etc. Id est si quis obedientiam eorum negare voluerit, *dicite quia Dominus his opus habet*. Dicite, id est, prædicare non desistite quia Dominus simpliciter omnium rerum Dominus, cui debet omnis creatura servire, his opus habet, ut serviant ei.

Præcipitur apostolis et doctoribus aliis, ut si quid adversitatis obstiterit, si quis peccatores a laqueo diaboli solvi prohibuerit, et per confessionem adduci Domino, non tantum prædicare desistant, sed constanter insinuent quia Dominus ad ædificandam Ecclesiam suam talibus opus habet.

Quamvis enim sævus sit persecutor, non tamen potest obsistere salvationi eorum quos novit Dominus qui sunt ejus.

Dominus his opus habet, etc. Justum est enim, ut qui serviunt creaturæ, serviant Creatori. Quandoque enim gentes Deus in potestate diaboli pro tempore reliquit, ut tentaret, non in æternum contempsit ut perderet.

Et confestim dimittet eos. In Domini scilicet servitio mancipandos. Vel, ut legitur, animal quidem quod, postquam ingressum est Jerusalem, ad dominum suum remissum est. Animal autem prophetia in Ecclesia remansit. De animali etiam illo non quod videbatur, erat necessarium Christo, sed illud quod intelligebatur, id est non caro, sed ratio. Ideoque caro remissa est ratio autem retenta est. Quod ait: *et confestim dimittet eos*, nota quod non dixit ad diabolum, quia prius tenebat eos, sed in arbitrio suo adjuto dono gratiæ.

Hoc autem totum factum est ut adimpleretur quod dictum est per prophetam (*Isa.* LXVII), etc. Adhibetur huic facto testimonium prophetiæ, ut appareat Dominum omnia, quæ de ipso scripta erant, complesse; sed invidia cæcatos Scribas et Pharisæos, ea quæ ipsi legebant, intelligere noluisse.

A *Dicite filiæ Sion.* Filia Sion Ecclesia est fidelium, pertinens ad supernam Jerusalem, quæ est mater omnium nostrum, cujus portio tunc minima erat in populo Israel. Præcepit itaque Dominus prædicatoribus suis : *Dicite filiæ Sion.* Ad litteram, Judaico populo; mystice autem, Ecclesiæ.

Ecce rex tuus, etc. JOANNES *Ecce* est adverbium ostendentis, quasi dicat : videte non carnali aspectu, sed spirituali intellectu, opera virtutum ejus aspicite. Nec dicatis : *Non habemus regem nisi Cæsarem* (*Joan.* XIX), quia revera iste est *rex tuus*, et *venit tibi*, si credis; contra te, si non credis.

Mansuetus, etc. Quia primus adventus fuit humilis, secundus erit terribilis ; quia *sedens super asinam et pullum*, non in curru aureo, sed super be-
B stiam pacis amicam. Mystice autem super utrumque populum, sub Domino ejus humiliatum. Quod autem dicit, *super pullum et asinam*, non est ad litteram intelligendum quod super utrumque sedisset, sed in præcordiis utriusque populi per illa duo significati.

Euntes autem discipuli, etc. Magna erat virtus Christi, qui sic cor Domini ad donandum animal præparavit. *Et adduxerunt ad Jesum, et posuerunt*, etc. Quia doctores virtute Christi utrumque populum ad fidem vocaverunt.

Et imposuerunt super eum vestimenta sua. Id est bonis sanctorum patrum exemplis et dictis ornaverunt eos. Non enim Dominus asinam nudam, non nudum debuit ascendere pullum, quia sive gentilis, sive Judæus sit, nisi fuerit nuper dictis sanctorum ornatus
C et factis, Dominum habere sessorem suum non potest. Vestes apostolorum sunt divina præcepta et gratia spiritualis, quibus turpitudo carnis nostræ tegitur. His prius erant populi nudi, sed modo per apostolos ornati, Christum habent sessorem. Minor vero turba non potuit vestes super asinam ponere, sed in via, quia sancti martyres carnem exuentes, quæ quasi animæ tegumentum est, simplicioribus per exemplum, viam sanguine suo parant, ne dubitent ibi ponere, ubi viderint eos in bello martyrii præcessisse. Aliter : Vestimenta sunt legis mandata carnalia, quæ Christianis fuerant in via, id est in Christo conculcanda; et etiam vide, quia super jumentum apostoli ponunt vestimenta, sed sub pedibus jumenti cætera turba Judaica ponit vesti-
D menta quia mandatis quidem apostolorum Christiani instruuntur et ornantur. Legis autem mandata, conculcantur quod est dum carnales consuetudines omnes et circumcisionem reprobamus.

MORALITAS. Salvator noster super jumentum sedet, et Jerusalem tendit, cum unusquisque fidelis animam suam, scilicet jumentum suum regens, ad pacis intimæ visionem ducit. Qui vero vestes straverunt in via significant eos qui corpora sua per abstinentiam domant, ut ei iter ad montem præparent, vel exempla bona sequentibus præbeant.

Alii autem cædebant ramos de arboribus. Ramos vel frondes cædunt, qui verba et sententias bonas

de libris patrum excerpunt, per quas simplicium corda Christianorum ædificantur, ne errent in via veritatis. *Turbæ autem*, etc. Illi *quæ precedebant* significant eos qui fuerunt ante adventum Christi, et *quæ sequebantur:*, significant eos qui fuerunt post adventum ejus. Utique autem in eadem voce confessionis conveniunt, qui omnes *clamabant dicentes :*

Hosanna filio David, etc. GREGORIUS. Hosanna verbum hebraicum est compositum ex corrupto et integro. Dicitur enim Hosanna, quasi osi anna. Osi interpretetur *salva*, vel *salvifica*, vel *salvum fac*. Anna est interjectio deprecantis, sicut, apud nos, obsecro. Unde Hieronymus ita interpretatur : Hosanna, id est *salva, obsecro*. Et versus iste sumptus est ex psalmo centesimo decimo septimo, ubi dicitur : *O Domine salvum me fac, o Domine, bene prosperare, benedictus qui venit in nomine Domini* ; et hoc dicitur in translatione septuaginta Interpretum. In hebraica autem veritate tantum dicitur : *Obsecro, Domine salva obsecro*. Sequitur : *Benedictus*, id est gloriosus, qui incarnatus est in nomine, non suo, sicut antichristus, sed *in nomine Domini*, id est Patris sui glorificando. Iterum repetunt *hosanna*, id est salva, obsecro, et annuntiant ubi velint salvari, scilicet *in altissimis*, id est in cœlestibus, non in terrenis.

Et cum intrasset Jerusalem, commota est civitas, etc. Mirans frequentiam, nesciens veritatem. Et quærunt : *Quis est hic*, cui ita occurrunt obviam cum laudibus? *Populi autem dicebant* : *Hic est Jesus a Nazareth, Galilææ propheta*. Plebecula Jesum confitetur, ut confessio sui nominis a minoribus incipiens, ad majores perveniat. *Et intravit*, etc. Quia urbem ingressus, primo templum adiit, formam religionis quam sequamur, nobis demonstravit, ut quocunque venerimus domum orationis, si ibi est, primum adeamus, et per orationem Deo commendati, sic ad agenda negotia securius accedamus. Intravit etiam propter aliam causam, quia refert Lucas quod Jesus, cum appropinquasset, videns civitatem flevit, et destructionem civitatis prænuntiavit (*Luc.* XIX); deinde templum ingressus, cœpit ejicere vendentes, ut causam destructionis, civitatis ex iniquitate sacerdotum maxime pendere ostenderet.

Et ejiciebat, etc. Excogitaverant sacerdotes quomodo prædam de populo facerent, ut animalia et cætera, quæ offerenda erant, venderent quam carius possent, et oblata rursus haberent, et quod consumere non possent, iterum venderent. Et quia fortasse aliqui essent, qui paratos non haberent nummos inde emerent, constituerunt etiam nummularios suos qui nummos accommodarent. Et quia lex vetat accipere usuram, pro illa accomodatione levia munuscula, poma scilicet et uvas, et legumina accipiebant, quasi hoc peccatum non præcavisset Ezechiel, dicens : *Usuram et superabundantiam non accipietis* (*Ezech.* XVIII). Hanc igitur negatiotiationem Dominus in templo cernens, dolore latrocinii, seu ardore spiritus concitatur. Unde Psalmista : *Zelus domus tuæ comedit me* (*Psal.* LXVIII), et ejicit eos. Ejecerat jam alia vice, quod solus Joannes dicit, sed de ultima ejectione dicunt alii, quando facto flagello de funiculis, omnes ejecit. Notandum quod ea tantum vendi, vel emi, reperit in templo quæ ad ministerium templi necessaria erant. Si ergo nec ea voluit in templo venundari, quæ in templo volebat offerri, propter studium videlicet avaritiæ vel fraudis, quantum puniret, si invenisset ibi aliquos risui vel vaniloquio vacantes, aut alio vitio mancipatos. Aliud tamen spiritualiter intelligendum est. Damnatur enim in hac figura Simoniaca hæresis. Simon enim magus voluit emere a Beato Petro dona Spiritus sancti, cui talis sententia data est damnationis ab apostolo : *Pecunia tecum sit in perditionem* (*Act.* VIII). Nec solum ementes, sed etiam vendentes damnabiles sunt. Unde Dominus ejecit *omnes vendentes et ementes de templo*. Omnes enim Simoniaci a templo Dei vel sententia hominum, vel ante oculos Dei privantur.

Et mensas nummulariorum evertit, etc. Mensæ istæ altaria significant. Nummularii, sacerdotes, qui nummis plus quam divino servitio sunt intenti. Altaria evertit, dum ea multoties occulto judicio everti permittit.

Et cathedras vendentium columbas, etc. Quia Spiritus sanctus in columba super Dominum apparuit, recte per columbam Spiritus sancti charismata significantur. Qui autem sunt in templo Dei hodie, qui columbas vendunt, nisi qui in Ecclesia pretium de impositione manus accipiunt, per quam videlice impositionem spiritus cœlitus datur? Columba igitur venditur, cum manus impositio, per quam Spiritus sanctus accipitur, ad pretium præbetur.

GREGORIUS. Sed Redemptor noster cathedras vendentium columbas evertit, quia talium negotiatorum sacerdotium destruit. Notandum est etiam quod pretium aliud a manu, aliud a lingua, aliud ab officio. Munus a manu, pecunia; munus a lingua, favor; munus ab officio, servitium. Qui aut Spiritus sancti dona alicui, propter aliquid horum tribuit, pretium de columbis accipit. Propterea ait Propheta : *Beatus qui excutit manus suas ab omni munere* (*Isa.* XXXIII). Cum dicit *omni*, diversitatem munerum voluit significare.

Et dixit : Scriptum est (*Isa.* LVI) : *Domus mea domus orationis vocabitur*. Quasi dicat : Domus mea oratorium dicitur : nemo in oratorio aliquid agat, nisi ad quod factum est, unde et nomen habet.

Vos autem fecistis eam speluncam latronum. Qui enim ad accipienda munera in templo residebant, profecto quin quibusdam non dantibus læsiones exquirerent, dubium non erat. Domus ergo orationis spelunca latronum facta fuerat, quia ad hoc in templo assistere noverant, ut aut non dantes munera, studerent corporaliter persequi, aut dantes spiritualiter necare. Templum quoque et domus Dei, est ipsa mens et conscientia fidelium, quæ si quando e læsione proximi perversas cogitationes profert, quasi in spelunca latrones resident.

Et accesserunt cæci et claudi ad eum, etc. Et ingressus in templum infirmos sanabat, ut quod pueri verbis testificabantur, ipse confirmaret miraculis. Mystice autem : Cum ejecisset indignos secerdotes de templo, simplices peccatores ad se per pœnitentiam accedentes, prius cæcos in cognitione, et claudos in operatione illuminando, et in viam rectitudinis dirigendo, quotidie sanat.

Videntes autem principes sacerdotum, etc. Scribæ dolentes et indignantes de tam manifesta ejus potentia, et ejus laude, per pueros celebrata, laborant quærendo si eum possent principes capere in aliquo verbo, dicentes : *Audis, quid pueri isti dicunt* ? Quasi dicerent : Ascribis tibi hanc laudem ? Jesus autem moderate sententiam temperat et responsionem. Non enim ait : Benefaciunt pueri, quia mihi testimonium perhibent, quod Scribæ audire nollent. Nec rursum ait, errant pueri : parcite eorum ætati. Sed quasi se tacente, verba illorum puerorum confirmat, testimonio David dicentis (*Psal.* VIII) : *Nunquam legistis : Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem*, etc. Testes miraculorum, Christi infantes dicuntur, non ætate, sed simplicitate cordis lactentes, quasi lacte, id est suavitate miraculorum, quæ dicuntur lac ; panis vero perfecta doctrina.

Et *relictis illis*, quasi incredulis et contradictoribus, *abiit, foras extra civitatem Bethaniam*, in domum scilicet obedientiæ, præfigurans jam tunc gentium vocationem. Unde dicitur : *Populus, quem non cognovi servivit mihi* (*Psal.* XVII), etc. Et nota quia Christus pauper verus, nulli inquam adulatus, nullum invenit hospitem in urbe, sed apud Lazarum sororesque ejus receptus est hospitio in quodam oppidulo. *Mane autem revertens in civitatem esuriit.* Nota morem studiosi operatoris, dum dicitur mane reversum fuisse in civitatem, ut prædicaret, et ut aliquos Deo Patri acquireret. Per hoc vero, quod dicit esuriit, notatur veritas carnis ; vel dicitur quia esuriit salutem credentium. Possumus etiam notare peristam matutinam reversoniem factam in Jerusalem ipsius resurrectionem, quando scilicet discussis noctis tenebris, damnatoque diabolo, matutina resurrectione radiante, illustravit universum orbem. *Esuriit*, vel veritatem humanæ carnis ostendens, vel essuriens salutem credentium, æstuans ad credulitatem Israelis.

Et videns fici arborem, etc. Deus prædicat aliquando verbis, aliquando factis. Quid enim erat causæ ut esuriens fructum in ficulnea quæreret, cujus non erat tempus (qui erat prope Pascha Judæorum) arboremque maledictione damnaret, nisi quia plebem, quod verbo docebat, facto terrere volebat ? Ficus enim est Synagoga, quæ non in via, sed *secus viam* erat, id est non in spiritu qui ducit ad Christum, qui est vera via, sed in littera legis, quæ extra veram viam ducit. *Et venit ad eam, nihilque invenit in ea nisi folia tantum*, etc. Venit per Incarnationem. Folia, sunt verba legis et prophetarum. Verba invenit in eis, non fructum bonæ operationis. Damnatur ergo, quia Judæa quæ verba Scripturæ sine operibus sonabat, digna est ultione punita. Hæc autem dixerim, non quod tota Synagoga fuerit abjecta, ex qua, ut constat, quod fuerit primitiva Ecclesia constructa, sed illa nimirum portio Synagogæ damnari meruit, quæ esurientem Christum pascere bene operando recusavit, quæ foliis verborum spiritualium magis obumbrari, quam fructibus spiritus voluit onustari.

Et videntis discipuli mirati sunt dicentes : Quomodo continuo aruit ? etc. Dominus scandalum crucis portaturus, discipulorum animos voluit aliquo signo anticipari, ut viderent, quod ea virtute, qua ficus aruit, eadem virtute inimicos siccaret, nisi eorum salutem per patientiam exspectaret.

Respondens autem Jesus, dixit, etc. Solent gentiles quidam contra Ecclesiam maledicta scribere, et improperare nostris, quia non habuerunt plenam fidem Dei, quia nunquam montes transferre potuerunt, quibus est respondendum : Non omnia esse scripta, quæ in Ecclesia sunt gesta, sicut etiam de factis ipsius Christi Dei et Domini nostri Scriptura testatur (*Joan.* XXI.) Unde et hoc quoque fieri potuisset, ut mons ablatus de terra mitteretur in mare, si necessitas id fieri poposcisset, quomodo factum legimus precibus beati Patris nostri Gregorii, Neocæsareæ Ponti antistitis, viri meritis et virtutibus eximii, ut mons in terra tantum loco cederet, quantum incolæ civitatis opus habebant. Cum enim volens ædificare Ecclesiam in loco apto, videret eum angustiorem esse quam res exigebat, eo quod ex una parte rupe maris, ex alia monte proximo coarctaretur ; venit nocte ad locum, et flexis genibus admonuit Dominum promissionis suæ ut montem longius petentis juxta fidem ageret, et mane facto reversus, invenit montem tantum spatii reliquisse structoribus Ecclesiæ quantum opus habuerant.

Mystice autem complentur hæc miracula in sanctis. Diabolus enim vere est mons superbiæ, qui per prædicationem sanctorum de cordibus infidelium repellitur, et in mare projicitur, id est majorem vesaniam in prædestinatis ad mortem exercere permittitur. Ambrosius vero dicit aliter. Quia per apostolos prædicatum est Evangelium, ipse Dominus, qui mons est appellatus, a Judæis est ablatus, ut inter gentes per apostolorum prædicationem, tanquam in mare jactaretur. *Et omnia quæcunque*, etc. Notanda est distinctio deprecantium, qui perfectam fidem habet, quæ per dilectionem operatur, ille orando vel etiam jubendo potest impetrare quæ petierit.

Et cum venisset in templum, accesserunt, etc. Non tam fide quam corpore, quod apparet ex verbis eorum, quibus eum tentabant, dicentes : *In qua potetate hæc facis ? Et quis tibi dedit hanc potestatem* ? Diversis modis eamdem quam supra calumniam struunt, quando dixerunt : *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit hic dæmonia* (*Luc.* II). Quando enim di-

cunt, *in qua potestate hæc facis* ?de Dei dubitant potestate, et subintelligi volunt diaboli esse, quæ faciat : addentes quoque : *Quis dedit tibi hanc potestatem* ?manifestissime Dei Filium negant, quem putant non suis, sed alienis viribus, signa facere.

Respondens Jesus dixit, etc. Poterat Dominus aperta responsione tentatorum calumniam confutare, sed prudenter interrogat,ut ipsi vel suo silentio in sententia damnentur, secundum illud : *Dominus confregit dentes eorum in ore ipsorum* (*Psal.* LVII). Si enim respondissent baptismum Joannis fuisse de cœlo, consequens erat responsio, quare ergo non estis baptizati a Joanne ? Si vero dixissent humana deceptione esse compositum, et nihil habuisse divinum, seditionem populi formidabant. Omnes enim congregatæ multitudines Joannis receperant baptismum, et habebant eum ut prophetam. Respondit itaque impiisima conflictio humilitatis.

Nescimus. Verbo quo nescire dixit, usa est ad ipsas insidias captandas.

Ait ergo illis Jesus : Nec ego dico vobis, in qua potestate hæc facio, etc. Illi in eo quod se nescire responderunt, mentiti sunt, Consequens ergo secundum responsionem illorum, Dominum quoque dicere, nec ego scio : sed mentiri Veritas non potest, quare ait : *Nec ego dico vobis*. Unde ostendit et illos scire, sed nolle respondere, et se bene nosse ; et ideo non dicere, quia illi quod sciebant, non dicebant. Juste ergo confusi, turpiter abscesserunt. Et nota quod de duabus causis occultatur veritas : Vel quia non sunt capaces auditores.Unde dicitur : *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo* (*Joan.* XVI).Vel quia sunt contemptores. Unde dicitur : *Nolite sanctum dare canibus* (*Matth.* VII).

Quid autem vobis videtur ? Homo quidam, etc. Confutatis sacerdotibus cauta responsione, statim infert parabolam qua et illos impietatis arguat, et ad gentes regnum Dei transferendum doceat ; vel simpliciter hæc parabola non de gentibus et Judæis est, sed de peccatoribus et justis, ut postea Dominus dixit.

Amen,dico vobis, quia publicani et meretrices, etc. Videndum est,quis fuit homo iste. Homo iste Deus est, qui omnes,quos creavit paterno affectu diligit; qui, cum sit natura Dominus, tamen mavult diligi ut pater, quam timeri ut Dominus.Unde in principio mandatorum legis non dixit : Time Dominum Deum tuum, sed dixit : *Diliges Dominum Deum tuum* (*Exod.* XX), etc.

Iste talis pater *duos habuit filios*, gentilem et Judæum. *Et accedens ad primum*, id est ad gentilem populum, dixit : *Fili,vade hodie*, id est in præsenti hoc tempore, *operare in vinea mea*, id est fac voluntatem meam. Hoc est, quo tibi fieri non vis, non facias alii. Sed videndum est quomodo Deus hanc naturalem legem locutus est filiis. Non enim in facie, ut homo, sed in corde locutus est, ut Deus.Non in auribus verbum sonans, sed in cordibus intellectum. Sequitur :

Ille autem respondens dixit : *Nolo*, etc. In cogitatione quidem dixit,*nolo*. Qui enim habens notitiam boni et mali, relinquit bonum et sequitur malum, videtur Deo persuadenti respondere, *nolo*.

Postea autem pœnitentia ductus, etc., *abiit* et sermonis contumaciam labore correxit, et hoc fuit in adventu Salvatoris. Deinde *accedens ad alterum, dixit similiter*. *At ille* respondit se ire, et tamen *non ivit*. Judaicus enim populus in Moyse Domino respondit. *Omnia quæcumque dixerit, faciemus* (*Exod.* XXIV)et tamen non fecit, scilicet vineam non excoluit.Potius Dominum vineæ extra vineam interfecit.

Quis ex duobus fecit voluntatem patris ?Dicunt ei : Primus. Ecce videndum est quomodo proprio judicio damnantur. Volens ergo Dominus, ne lateret eos sensus parabolæ, qui maxime ad eos pertinere videbatur.

Ait illis Jesus :Amen dico vobis quia publicani,etc., uti Matthæus, et *meretrices*,ut Maria, *præcedent vos in regno* Dei, in Ecclesia scilicet in præsenti, vel in futura, scilicet cœlesti Jerusalem, et reddit causam quare : *Venit enim Joannes*, etc. Littera plana est. Aliam parabolam audite :

Homo erat pater familias, etc. Principes sacerdotum,qui Dominum interrogaverant inqua postestate hæc faceret, et voluerunt eum in verbo capere qui erat fons totius sapientiæ,superantur ipsi modo sua arte, et audiunt in parabolis quod aperte non merebantur audire. Paterfamilias Deus intelligitur, qui plantavit vineam, de qua Isaias *Vinea Domini Sabaoth* (*Isa.* V) ; et David : *Vineam de Ægypto transtulisti* (*Psal.* LXXIX).

Et sepem circumdedit ei, id est angelorum custodiam deputavit illi. *Et fodit in ea torcular*, id est imposuit ei legalia tormenta, per quæ cogerentur ad bene vivendum. Aut torcularia illa, id est martyres, titulo quorum tres psalmi (VIII, LXX, LXXXIII) intitulantur,cum dicitur:*Psalmus pro torcularibus*,scilicet posuit in ea tales viros, qui parati essent torqueri pro nomine Christi, ut per eos efflueret quædam ubertas Spiritus sancti.

Et dæificavit turrim, id est templum de quo dicitur per Michæam : *Et tu turris nebulosa, filia Sion* (*Mich.* IV).

Et locavit eam agricolis. Quos alibi operarios vineæ appellavit. *Et peregre profectus est*. Non mutatione loci, sed relinquens arbitrium liberum bene operandi. Deus enim, quo complentur omnia, unde abesse potest ?

Cum autem tempus fructuum advenit, etc. Bene tempus fructuum, non proventuum, posuit.Nullus enim fructus fuit populi contumacis, propter quem tamen fructum accipiendum misit servos, quos illi apprehensos, vel ceciderunt, ut Jeremiam : vel occiderunt, ut Isaiam ; vel lapidaverunt, ut Naboth, et Zachariam quem mactaverunt inter templum et altare.

Itreum misit alios servos, etc. Scilicet misit prophetarum choros,per singulas generationes,præci-

pue tempore captivitatis factæ per Babylonios. Per A singulos tamen gradus divinæ misericordiæ eis exhibitæ. Crescebat cumulus Judaicæ malitiæ, et contra Dei clementiam certabat humana malignitas.

Novissime autem misit ad eos filium suum. Filium suum dico, non quasi ad noxios et promeritos pœnæ sententiam bajulantem, sed patienti venia post tot sæcula adhuc eis locum misericordiæ reservantem. Quod autem ait : *Verebuntur filium meum*, non de ignorantia venit, sed semper quasi ambigere dicitur, ut libera voluntas homini reservetur. Et nota quia misit confundere illos, non punire, quia bono domino et benigno pro tantis injuriis sufficiebat sola vindicta pudoris.

Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se : Hic est hæres, venite, occidamus eum, et habebimus B *hæreditatem ejus.* Manifeste probat Dominus principes Judæorum, non per ignorantiam, sed per invidiam crucifixisse. Filium Dei. Intellexerunt enim hunc esse, cui dictum est : *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam* (*Psal.* II), et propterea quasi sibi consulentes apud se dicebant : *Ecce mundus totus post eum abiit* (*Joan.* XII), *si dimittimus eum sic, omnes credent eum* (*Joan.* XI). Hæreditas ergo Christi est, quam resurgens ipse possedit Ecclesia, quam moliebantur rumpere primitiva, dum fide ejus exstincta, justitiam, quæ ex lege est, gentibus persuadere conabantur.

Et apprehensum eum ejecerunt extra vineam, et occiderunt. Marcus mutat hunc ordinem, dicens : *Occiderunt et ejecerunt extra vineam* (*Marc.* XII), C quasi vile cadaver. In quo notat eorum pertinaciam, quia, occiso Domino et resuscitato a suis finibus, eum excluserunt, et quantum in se erat, gentibus ad suscipiendum dederunt. Nota iterum quod extra vineam ejectus est, quia extra portam passus, vel prius a cordibus incredulorum expulsus, deinde crucifigitur.

Cum ergo veniet dominus vineæ, id est cum ad judicandum venerit, *quid faciet agricolis illis?* Interrogat Dominus, non quod ignoret quid responsuri sint, sed ut propria responsione sua damnentur.

Aiunt illi : Male malos perdet, etc. Quidam alii videntes hoc contra se dictum, dixerunt : secundum Lucam (*Luc.* XX.), *absit!* cum etiam secundum Matthæum Dominus dixisset : *Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddent ei* D *fructum temporibus suis.* Mystice vinea cuique locatur colenda, cum mysterium baptizandi datur, quia operando exerceat. Mittitur servus unus et alter, cum lex, psalmus, et prophetia legitur, quorum monitu bene operetur. Sed missus cæditur vel ejicitur, cum sermo contemnitur, vel quod pejus est, blasphematur. Hæredem, quantum ad se, occidit, qui Filium Dei conculcaverit, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit. Perdito malo, alii vinea datur, cum donum gratiæ, quod superbus perdidit, humilis accipit. Quod autem vinea aliis locabitur, prophetico confirmat exemplo, dicens eis :

Nunquam legistis in Scripturis (*Psal.* CXVII): *Lapidem quem reprobaverunt*, etc. Lapis iste Christum significabat, quem Judæi ædificantes suas traditiones, et quasi domum propriam de subdita sibi plebe statuere volentes reprobaverunt, et, sicut ante inventores mali, sic etiam facti cementarii pessimi, auditoribus suis conabantur eripere fidem Christi, quæ quasi lapis electus debuit poni in ædificio Dei, jungens in se duos parietes, id est populos. Hic est enim lapis ille de quo Isaias : *Immittam in fundamentis Sion lapidem electum, pretiosum, angularem, et qui crediderit in eum, non confundetur* (*Isa.* XXVIII).

Ideo dico vobis quia auferetur, etc. Quasi dicat : Ecce ex vestra concessione et prophetica etiam auctoritate concludo vobis, quia auferetur *a vobis* Judæis *regnum Dei*, id est ut jam non sitis, quod esse præsumebatis. *Et dabitur genti*, scilicet populo gentili, *facienti fructus ejus.* Diximus aliquoties regnum Dei Scripturas sanctas intelligi, quas abstulit Dominus a Judæis, et tradidit nobis ut faciamus fructus eorum, et ista est vinea quam tradidit agricolis et vineæ cultoribus. In qua, qui operati non fuerint, nomen tantum habentes Scripturarum, vineæ fructum sunt perdituri.

Et qui ceciderit super lapidem istum, etc. Aliud est offendere Christum per opera mala, aliud negare. Qui peccat, et tamen in Christum credit, cadit super lapidem, et confringitur, sed non omnino conteritur. Reservatur enim ad salutem per patientiam, vel pœnitentiam.

Super quem vero ceciderit, etc. Hoc est, quem lapis ille obruerit, id est qui Christum penitus negaverit, veniet illi desuper in judicio cum pœna perditionis, et interim conteret omnia bona, quia nullum bonum sine fide.

Et cum audissent principes sacerdotum et Pharisæi parabolas ejus, cognoverunt quod de ipsis diceret. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas, etc. Quamvis duro corde essent et infideles, intelligebant tamen omnes sententias Domini contra se dirigi. Intelligebant enim eum esse hæredem, se vero pravos colonos, et solo humano terrebatur timore, quod non audebant eum interficere, donec veniret hora ejus. Mystice quidem hoc quotidie geritur in Ecclesia, cum quilibet solo nomine frater, fidei et pacis unitatem quam non diligit, propter bonos cohabitantes, vel erubescit vel timet impugnare, qui tamen sicut destultissima avium struthione Dominus ait : *Cum tempus fuerit, in altum alas erigit* (*Job.* XXXIX), quia persequendo Ecclesiam quasi Dominum cruci addicere, et ostentui gaudebit habere.

CAPUT XXII.

Et respondens Jesus, dixit eis iterum in parabolis : Simile factum est, etc. Domino de vinea parabolam proponente, et dicente : Quoniam justitia Dei a Judæis auferenda erat, non sunt territi, sed magis exasperati. Et volebant in eum manus mittere, quod intelligens Dominus non tacuit. Sed pravæ cogitationi eorum quam habebant de morte sua occur-

rens, Dei graviorem iram per aliam parabolam prænuntiat illis venturam. Nam si illi qui timere deberent, non timuerunt, sed potius exasperati sunt, quanto magis Christus tacere non debuit, quem timere non oportuit. Illos facit audaces sua malitia, istum propria potestas. Regnum cœlorum, quod homini regi assimilatum est, in hoc loco præsens Ecclesia est sanctorum justorum, scilicet quos regit Deus, quæ ideo regnum cœlorum dicitur, quia, dum sanctorum corda nihil ambiunt in terra, per hoc quod jam suspirant ad superna, jam in eis regnat Dominus, quasi in cœlestibus. Homo vero iste, cui regnum cœlorum assimilatur, Deus est Pater, qui licet homo dicatur, humanam tamen naturam non suscepit, sed propter causam parabolice homo dicitur.

Qui fecit nuptias filio suo. Tunc enim Deus Pater Deo Filio nuptias fecit, quando hunc in utero Virginis humanæ naturæ conjunxit, quem Deum ante sæcula genuit.

Gregorius. Sed quia ex duabus personis solet fieri ista conjunctio, absit hoc ab intellectibus nostris, ut personam Dei et hominis ex duabus personis credamus esse unitam! Ex duabus enim atque in duabus hunc naturis existere dicimus, sed ex duabus personis compositum credi, ut nefas vitamus. Apertius igitur atque securius dici potest, quia in hoc Pater regi Filio nuptias fecit, quo ei per Incarnationis mysterium sanctam Ecclesiam copulavit. Uterus autem Virginis hujus sponsi thalamus fuit nuptiarum, unde David : *Tanquam sponsus* Dominus *procedens de thalamo suo* (*Psal.* xviii).

Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, et nolebant venire. Quando misit servos, jam invitati erant. Populus enim Israel in gloriam æternitatis per legem invitatus fuit, vel per patriarcharum admonitiones, quod melius est. Qui ergo mittuntur postea invitatos vocare, procul dubio Moyses, David, Nathan, Salomon, cæterique prophetæ fuerunt, quibus invitati credere noluerunt. Iterum misit alios servos, apostolos scilicet. Bis itaque ad invitandum servos misit, qui incarnationem Filii per prophetas futuram prædixit, et per apostolos nuntiavit factam, per quos in invitatione jam dicitur :

Ecce prandium meum paravi, etc. Prandium est doctrina justitiæ, et verba cœlestium mysteriorum de Filio Dei, quasi dicat : Ecce mensam ex omni lege et ex omnibus prophetis et Scripturis ordinavi.

Tauri mei, et altilia occisa, et omnia parata, id est exempla patrum Veteris et Novi Testamenti sunt apposita. Tauri sunt patres Veteris Testamenti, qui dum ex permissione legis acceperant, ut suos adversarios odio retributionis percuterent, quid aliud quam tauri erant, qui inimicos suos corporeæ virtutis cornu feriebant? Altilia vero sunt patres Novi Testamenti, qui, dum gratiam internæ pinguedinis percipiunt, sublevantur ad sublimia, contemplationis suæ penna. Et non sufficit eos amicos tantum diligere, sed etiam fervent inimicorum suorum dilectione. Quod autem dicuntur occisa tauri et altilia, intelligendum est vel ab eo quod fuerant occisa, vel jam per mortem carnis in requie posita. Et notandum quod in priori invitatione nihil de tauris et altilibus dicitur. In secunda autem tauri et altilia jam mactata memorantur, quia omnipotens Deus, cum verba ejus audire nolumus, sicut nec illi in priori invitatione, adjungit exempla, ut quod impossibile credimus, per exempla ad credendum fiat facilius. Sequitur :

Venite ad nuptias. Quasi conclusio est, quia videtis totet tales viros præcessisse participes nuptiarum et mensæ, qui habuerunt fidem Incarnationis Dominicæ : ergo venite, et in hanc fidem cum cæteris concordate.

Illi autem neglexerunt. Talem, ut diximus, admonitionem habuerunt, sed illi admoniti, venire noluerunt, imo neglexerunt suæ salutis præconium.

Et abierunt, alius in villam suam, alius vero in negotiationem suam. In villam ire, est terreno labore immoderate incumbere. Negotiari vero est terrenis inhiare.

Reliqui vero tenuerunt servos ejus, et contumelia affectos occiderunt. Non solum vocantis gratiam respuerunt, sed et illum in servis suis persecuti sunt. Et hoc est : Reliqui vero tenuerunt servos ejus, et contumelia affectos ceciderunt, ac postea occiderunt. Et nota quod hic siletur occisio sponsi, sed per mortem servorum ostenditur contemptus nuptiarum. Notandum etiam quod de morte sua tacet, de qua jam in alia parabola dixerat, sed mortem discipulorum ostendit, quos post ascensum ejus occiderunt Judæi, maxime sacerdotes, quapropter Jerusalem postea a Romanis destructa est, quod exsequitur littera : *Rex autem cum audisset iratus est.* Quando ad nuptias invitabat, et opera misericordiæ agebat, homo tantum vocabatur. Nunc vero quando ad ultionem venit, homo siletur, et rex tantummodo dicitur. Sequitur : *Et missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, et civitates illorum succendit.* Romanus exercitus Dei dicitur esse, quia *Domini est terra et plenitudo ejus* (*Psal.* xxiii). Non enim venissent Romani Jerusalem, nisi eos Dominus excitasset sub duce Vespasiano et Tito, qui occisis Judæis prævaricatricem succenderunt civitatem. Mystice missis angelis, homicidas perdidit, quia persequentes interemit; civitatem igne succendit, quia illorum non solum animæ, sed etiam caro in qua habitaverant, gehennali igne cruciatur. Tunc ait servis suis :

Nuptiæ quidem paratæ sunt, etc. Quia rex in quibusdam se invitantem contemni se conspicit, filii sui nuptias nolens esse vacuas, ad alios mittit, quia, etsi apud aliquos laboratur, quandoque tamen ubi sermo Dei requiescat, invenitur. Dicit itaque :

Nuptiæ paratæ sunt, etc. Quasi dicat : Omne sacramentum humanæ dispensationis, nativitatis, passionis, resurrectionis, ascensionis peractum est.

Sed qui invitati fuerunt, id est Judæi, *non fuerunt digni*, qui *justitiam suam statuere volentes, justitiæ Dei noluerunt esse subjecti* (*Rom.* x).

Ite igitur ad exitus viarum, id est ad diversas nationes gentium, *et quoscunque inveneritis*, id est cujuscunque conditionis homines, *vocate*, ad Christianitatem, id est fidem christianam, per nuptias significatam. Viæ quidem intelliguntur errores, et varia gentium dogmata sed ex omnibus aliqui ad nuptias veniunt, id est Christo credunt.

Et quoscunque inveneritis, etc. Sicut non est distinctio in natura creationis hominum, sic non fit differentia in vocatione salutis eorum. *Et egressi servi illius in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt bonos et malos*, etc. Gentilis populus ad quem de Judæa egressi sunt sevi ejus, non erant quidem in viis, sed in exitibus viarum, non erant in doctrinis quæ essent viæ ad Christum, sed erant tantum in exitibus viarum, quia per naturalem legem, quidam erant prope veram legem divinarum Scripturarum : qui enim in exitibus viarum est, neque ex toto remotus a via, neque est in via. Et nota quod præcipiuntur congregare bonos et malos, id est et eos qui per naturalem legem, et morum honestatem quodammodo boni erant, et eos qui postposita naturali lege male vivebant, et absque discretione boni et mali antea exstiterant. Vel bonos et malos, id est prædestinatos ad vitam, et prædestinatos ad mortem, qui indiscrete utuntur præsentis Ecclesiæ conversatione. Aliter etiam viæ significant actiones. Exitus viarum defectus significant actionum, quia plerumque facile convertuntur, quos in terrenis actibus prospera nulla sequuntur vel comitantur.

Et impletæ sunt nuptiæ discumbentium. Ecce jam ipsa qualitate convivantium aperte ostenditur quia per has regis nuptias præsens Ecclesia designatur in qua mali cum bonis conversantur. Sic enim Deus omnes ad fidem generat, ut tamen omnes per innovationem vitæ ad libertatem spiritualis gratiæ, culpis exigentibus, non perducat. Hæc autem vita quæ inter cœlum et infernum sita est, sicut in medio subsistit, ita utrarumque partium cives communiter recipit, quos tamen sancta Ecclesia nunc indiscrete suscipit, postmodum in egressione discernit, unde protinus horrenda sententia subditur :

Intravit autem rex ut videret discumbentes. Rex ipse est Christus, qui intravit videre discumbentes, non quod est aliquid ubi ipse non sit, sed quia ubi vult aspicere, fit præsens ; ubi non vult, absens videtur. Intravit ergo ut videat discumbentes, id est fidelium turmas, quasi in fide Domini quiescentes. Et recte discumbentes dicuntur, quasi quiescentes, id est per ipsam fidem quam tenent, requiem æternam expectantes. *Et vidit ibi hominem non vestitum*, etc. Id est nun ornatum charitate, quæ maxime vestis Dei dicitur. Intrat quidem ad nuptias, non cum veste nuptiali, qui in sancta Ecclesia assistens, fidem habet, sed charitate caret, quæ recte nuptialis vestis dicitur. Sola enim dilectione Dei

A actum est, ut Conditor noster ad sociandam sibi Ecclesiam carnem sumeret, et mentes electorum inhabitaret, unde ipse ait : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret pro mundo* (*Joan.* III). Quia ergo hominem charitate ornatum non invenit, protinus ei quasi iratus ait : *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem ?* etc. Mirandum quia hunc et amicum vocat, et tamen reprobat. Ac si diceret : Amice et non amice. Amice per fidem, et non amice per operationem, vel per charitatem. Vel amicum ideo vocat, quia ad nuptias invitatus fuerat. Et nota quia impudentiæ eum arguit, quod veste illa carendo, nuptiales munditias polluerit. *At ille obmutuit*. Quia argumentum excusationis male sibi conscius non habuit. Sed tamen

B sciendum est quia quisquis hanc vestem nuptialem perfecte non habet, non ideo tamen de venia et ingressu nuptiarum desperare debet, quia ipse quoque spem nobis per Psalmistam dedit, dicens : *Imperfectum meum viderunt oculi tui* (*Psal.* CXXXVIII). Sed quia hoc in consolatione habentis et infirmantis diximus, nunc ad eum qui modo hanc non habet vertamur, de quo sequitur :

Tunc dixit rex ministris, ligatis pedibus et manibus, etc. Ligantur tunc pedes et manus, per districtionem sententiæ, illis qui modo a pravis operibus ligari noluerunt, per meliorationem vitæ. Vel certe tunc ligat pœna, quos modo a bonis operibus ligavit culpa. Pedes enim qui visitare egenum negligunt, manus quæ indigentibus nihil tribuunt, a

C bono opere jam ex voluntate ligatæ sunt. Qui enim nunc sponte ligantur in vitio, tunc inviti ligantur in supplicio. Bene autem dicitur quod in *exteriores tenebras* projiciatur. Interiores quidem tenebras cæcitatem cordis dicimus ; exteriores vero æternam noctem damnationis.

Ibi erit fletus et stridor dentium, etc. Ut scilicet illic dentes strideant, qui hic de edacitate gaudebant, et oculi defleant et doleant, qui hic per illicitas concupiscentias versabantur, quatenus singula membra supplicio subjaceant, qui hic singulis quibusque vitiis subjecta serviebant. Sequitur :

Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. Repulso igitur uno, in quo scilicet omne malorum corpus exprimitur, generalis protinus sententia subinfertur, cum dicitur : *Multi vocati*, etc. Quasi dicat : Quod

D de uno dixi, de multis intelligatis. Et notandum quia sententiola brevis parabolas omnes comprehendit, quod scilicet in operatione vineæ, et in ædificatione domus, et in convivio nuptiali non initium quæritur, sed finis.

Tunc abeuntes Pharisæi consilium inierunt, ut caperent eum in sermone, et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, etc. Scribæ quærentes Jesum comprehendere, timuerunt populum. Atque ideo quod per se non poterant, præsidium manibus attentabant, ut vel ipsi a morte ejus viderentur immunes, unde quidem mittunt eis discipulos suos, sed cum Herodianis. Discipulos dico, quasi minus notos, et

minus suspectos, ut vel abscondite, facile eum deciperent, aut reprehensi minus apud eum erubescerent. Malo enim consilio deprehenso, tanto minor nascitur confusio, quanto fuerit persona deterior. Sed discipuli talium magistrorum, ætate quidem minores, sed malitia erant pares. Cum Herodianis dicit, id est cum militibus Herodis. Sub Augusto Cæsare, quando descriptio facta est, Judæa tributaria facta est. His tributis præpositus Antipatris filius Herodis alienigena et proselytus, Judæis sub Augusto rex est constitutus. Erat ergo seditio in populo : Aliis dicentibus, tributa debere dari pro securitate et quiete, cum Romani pro omnibus militent ; Pharisæis contra nitentibus, non debere populum dare tributum, qui decimas solvit, et cætera quæ lex præcipit, nec humanis legibus subjacere. Mittunt ergo Pharisæi si possent decipere illum. Et notandum Judæos humiliatos pro peccatis tributum reddere, sicut illis prædictum erat in lege. Sequitur :

Magister, scimus quia verax es, et viam, etc. Hæc sunt verba discipulorum ad Jesum, quia discipuli eum magistrum vocant, et veracem, ut quasi honoratus et laudatus, mysterium sui cordis simpliciter aperiat illis, tanquam volens habere discipulos. Et nota fraudulentam interrogationem, qua illuc provocat respondentem ut magis Deum quam Cæsarem timeat, et dicat tributa non debere persolvi, ut statim audientes Herodiani seditionis contra Romanos auctorem teneant. Et nota quod dicunt, *non est tibi cura de aliquo*, quasi dicant : Non times prælatam personam, nec *respicis personam hominum*, id est indiscrete dicis veritatem, et majoribus et minoribus. *Cognita autem nequitia* et dolositate *eorum*, *Jesus ait : Quid me tentatis, hypocritæ?* etc. Non sunt verba eorum blanda, sed secundum conscientiam ipsorum asperam respondet aspere, loquens ad animam, non ad corpus, non verbis, sed voluntatibus. Prima quidem et maxima virtus est respondentis, interrogantium mentes cognoscere, et non discipulos, sed tentationes vocare. Aliud enim erant, et aliud simulabant.

Dixit ergo eis : Ostendite mihi numisma census. Denarium scilicet, qui pro decem nummis computabatur, et habebat imaginem Cæsaris et illis ostendentibus denarium, *Ait Jesus : Cujus est imago hæc et superscriptio?* Patet quia non de ignorantia interrogat, sed ut competenter ad verba eorum respondeat. *Dicunt ei, Cæsaris*. Cæsaris quidem Tiberii privigni Augusti, sub quo et Dominus passus est. *Tunc ait illis : Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari ; et quæ sunt Dei, Deo*. Reddite Cæsari tributum, pecuniam ; Deo, decimas et victimas. Vel aliter : Reddite Cæsari sua, et quæ sunt Dei, Deo. Sicut enim Cæsar exigit impressionem suæ imaginis, sic et Deus animam vultus lumine sui signatam. Unde Psalmista : *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine* (*Psal.* IV). — *Et audientes mirati sunt*. Qui ad tantam sapientiam credere debuerunt, mirati sunt, quia tentandi locum non habuerunt.

Et relicto illo abierunt, et infidelitatem reportaverunt. *In illo die*, in quo scilicet Pharisæi discesserunt, *accesserunt Sadducæi*, qui interpretantur *justi*, quod non erant : unus dies fuit, sed multa certamina. Frequentabant enim forte tali consilio, ut eum quem ratione superare non poterant, frequentia et tædio superarent, vel subverterent omnibus respondentem. Et nota quia duæ hæreses erant in Judæis, una Pharisæorum, et altera Sadducæorum. Pharisæi justitiam traditionum et observationum, quas illi Deuteronomium vocant, id est secundam legem præferebant, unde et divisi vocantur a populo. Sadducæi autem resurrectionem corporum non credebant, et animam interire cum corpore putabant. Turpitudinem fabulæ fingentes, quæ deliramenti arguat eos qui resurrectionem corporum asserunt.

Et interrogaverunt eum dicentes : Magister, Moyses dixit : Si quis mortuus fuerit, etc., usque *Respondens Jesus*. Nota quod hi septem fratres quos proponunt Sadducæi, reprobi sunt in hac vita, quæ septem diebus agitur, qui steriles sunt ab omni bono, quibus misere mortuis, ad ultimum mundana conversatio, ut uxor infecunda quæ sine fructu est, transibit. Sequitur : *Respondens autem Jesus, ait illis : Erratis, nescientes*, etc. Scilicet quæ resurrectionem asserunt, *neque virtutem Dei*, quæ corpora suscitare poterit. *In resurrectione* ergo *neque nubent* viri, *neque nubentur* feminæ, *sed sicut angeli Dei erunt in cœlo*, fruentes visione Dei sine corruptionis labe. Hæc quidem de resurrectionis conditionibus propositæ reddit quæstioni. De ipsa vero resurrectione contra infidelitatem eorum ita ait :

De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est a Deo, dicente vobis, etc. Nota quia ponit testimonium, quod videtur satis ambiguum, vel non satis pertinens ad resurrectionis veritatem, sed hoc ideo facit quia prophetas, ubi sunt aperta testimonia resurrectionis hominum non recipiunt, sed tantum quinque libros Moysi. Et notandum quod hic de resurrectione, et alibi de divinitate, quædam coram tentatoribus Dominus invenitur dixisse, non ut daret sanctum canibus, et margaritas porcis, sed quia inter eos qui tentabant, erant aliqui qui utiliter audiebant, quos pro aliorum immunditia negligi non oportebat. Et notandum etiam est quia, ubi dicit Deus Abraham, probat bene æternitatem animarum, et statim infert : *Non est Deus mortuorum, sed viventium*, ut, cum probaverit animas manere post mortem, consequenter etiam introducatur et corporum resurrectio, quæ cum animabus bona vel mala gesserunt.

Et audientes turbæ, mirabantur in doctrina ejus, etc. Quasi dicat : Simpliciter gradientes vel miracula venerantes, doctrinam ejus sequuntur, Pharisæi vero non. Et hoc est, quod sequitur :

Pharisæi autem audientes quod silentium impo-

suisset Jesus Sadducæis, convenerunt in unum, et interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum, etc. Qui jam fuerant in ostensione denarii confutati, debuerunt exemplo moveri, ne ultro molirentur insidias, sed malevolentia et livor nutrit imprudentiam. Conveniunt ergo, ut vincant saltem multitudine quem non possunt vincere ratione. Et dicunt apud se : Loquatur unus pro omnibus, et omnes loquamur per unum. Ut siquidem vincit, omnes videamur vicisse. Si autem victus fuerit, vel solus videatur confusus. Et nota quia sicut legimus Herodem et Pilatum in nece Domini fecisse concordiam, ita et nunc de Pharisæis et Sadducæis factum esse cernimus, qui inter se ante contrarii, pari mente ad Dominum tentandum convenerunt. Dicunt omnes ergo ore unius : *Magister, quod est mandatum magnum in lege?* etc. Magistrum vocat, cujus non vult esse discipulus, et non scire desiderans, sed tentans.

Ait illi Jesus : Diliges Dominum Deum tuum, etc. Nota quod primo respondens, percutit fictam conscientiam interrogantis, dicens : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, id est intellectu perfecto, ut in confessione divinitatis nullum relinquas errori locum. *Et in tota anima tua.* Id est tota voluntate tua, ut scilicet nihil velis illi contrarium. *Et in tota mente tua.* Id est tota memoria tua, nihil reminiscens, quo minus de eo sentias, hoc est, *maximum* dignitate, *et primum* in ordine. Primum et maximum mandatum dicimus, quantum ad dignitatem mandatorum, non quantum ad utilitatem. Utilitas mandatorum una est, et omnia mandata sibi ita cohærent, ut alterum sine altero esse non possit. Primum vero et maximum mandatum dicitur, qui ante omnia debemus illud, quasi unicum pietatis fundamentum, in intimo corde collocare. Sequitur : *Secundum autem simile huic, Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Vide quia diliges Dominum, et primum et maximum mandatum est. Diliges autem proximum, magnum quidem est, sed primum non est; et ideo dixit simile est, non minimum est. Simile quidem est, quia de dilectione, sed tamen non par in dignitate. *In his duobus mandatis tota lex*, etc. Id est ad hæc duo mandata refertur decalogus totus, et monita prophetarum ibi habent finem. Notandum quia duæ tabulæ legis datæ sunt, in quibus erant decem præcepta, quæ sunt decachordum psalterium. In una tabula tria, quæ sunt ad Deum. In altera septem, quæ sunt ad proximum. In prima primum est : *Ego suum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti. Non habebis Deo alienos* (*Exod.* XX), quia Christus cum Patre et Spiritu sancto unus est Deus. Secundum : *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*(*ibid.*). Nomen Christi non debet in vanum accipi, ut putemus eum factum, per quem omnia facta sunt, quia unus est Pater Deus, et Filius et Spiritus sanctus. Sed in Spiritu sancto, id est in dono Dei requies nobis promittitur. Unde tertium sequitur : *Memento* diei Sabbati *ut sanctifices, non facies* in eo

A servile *opus* (*ibid.*). In altera vero tabula : *Honora patrem et matrem. Non occides. Non mœchaberis, Non* furaberis, *Non falsum testimonium* dices. Non concupisces uxorem proximi tui, Non concupisces rem proximi tui (*ibid.*). Nec moveat vos quod Matthæus ait tentantem finxisse illum a quo Dominus interrogatus est. Lucas autem hoc tacet, et in fine Marcus ita concludit quod ei Dominus sapienter respondenti dixerit : *Non longe es a regno Dei* (*Marc.* XII). Fieri enim potest ut, quamvis tentantis animo accesserit, Domini tamen responsione correctus sit, aut certe ipsam tentationem non accipiamus malam, tanquam decipere volentis inimicum, sed cautam potius, tanquam experiri volentis amplius ignotum. Non enim frustra legitur : *Qui facile credit, levis corde minorabitur* (*Eccli.* XIX).

B *Congregatis autem Pharisæis interrogavit eos Jesus*, etc. Qui ad tentandum venerant, occasione suæ confutationis, dant Christo occasionem interrogandi. Et nota quia hæc interrogatio Jesu multum proficit nobis usque hodie contra Judæos confutandos qui Christum secundum eos venturum simplicem hominem confitentur, et sanctum virum. Interrogat igitur Christus, eos dicens :

Quid vobis videtur de Christo, cujus filius est? secundum carnem etiam dico. *Dicunt illi : David.* Quasi dicant : Purus homo est iste filius David, non etiam Deus, Dei filius. Ait illis : Si Purus homo est, ut vos dicitis, *quomodo vocat eum Dominum* suum, non in incerto, nec in propria voluntate, sed in Spiritu sancto vocat eum Dominum C suum qui, secundum vos non est ante eum. Vocat, dico, Dominum dicens : *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis;* Pater dixit Filio suo ; *Sede a dextris, donec ponam inimicos tuos* (*Psal.* CIX), etc. Si utique homo purus esset, David Dominum suum non vocaret. Et notandum quod non reprehenduntur, quod dicunt filium David, sed quia Filium Dei esse non credunt, quia ipse Dominus David est, Deus scilicet ante tempora manendo, et Filius David apparuit natus. Quod autem a Patre, Filio subjiciuntur inimici, non infirmitatem Filii, sed unitatem naturæ significat. Nam et Filius subjicit inimicos Patri, quia Patrem clarificat super terram.

Si ergo David vocat eum Dominum, quod revera D est, secundum deitatem, *quomodo Filius ejus est* secundum carnem? *Et nemo poterat ei respondere verbum*, quia plane confutati erant in verbis. Nec *fuit ausus quisquam amplius interrogare* illum. Sed jam aperte cogitant illum tradere potestati Romanorum. Et notandum venena invidiæ quidem superare posse, sed difficile conquiescere.

CAPUT XXIII.

Tunc locutus est Jesus ad turbas, etc. Id est illis confutatis, qui sunt dolosi, instruit istos, qui idonei sunt, nihilominus hortans eos subjici illis, propter sacerdotium et nominis dignitatem, non opera eorum, sed doctrinam considerantes. Et

nota quod ad hoc confutati sunt mali, ut corrigantur boni. *Locutus est Dominus ad turbas,* etc. Id est ad simpliciores,et ad discipulos, id est ad perfectiores.

Super cathedram Moysi. Id est in magisterio doctrinæ quam docuit Moyses, *sederunt Scribæ et Pharisæi,* qui scilicet recte mores instruunt, sed secundum quod docent non agunt. *Omnia ergo quæcunque dixerint vobis servate et facite,* quæ scilicet ad cathedram pertinent, non ad vitam.

Servate, credendo in corde, *et facite* ipso opere sed *secundum opera eorum nolite facere,* quasi dicat : Doctrinam tenete, non vitam. *Dicunt enim et non faciunt,* id est non concordat doctrina eorum cum vita.

Alligant enim onera gravia et importabilia, quia et undecunque traditiones colligunt, quæ conscientiam non levant, sed gravant quia : eas suis viribus nullus implere potest. Legis mandata vocat onera importabilia, quæ maxime dederat Deus per peccatum, quæ Scribæ et Pharisæi docebant mistis traditionibus suis,suadentes secundum eas vivere, et non ad facilem et delectabilem gratiam Christi pervenire. Unde supra : *Venite ad me, qui laboratis et onerati estis* (*Matth.* XI). Et Petrus in Actibus apostolorum : *Et vos quid vultis imponere jugum super cervicem discipulorum, quod neque vos, neque patres vestri portare potuistis, sed per gratiam Christi credimus salvi fieri* (*Act.* XV). Talia quidem imponebant onera in humeros hominum, quasi ad hoc fortes sint. Qui ergo non sunt justi faciendo, volunt saltem apperere justi dicendo. Sequitur :

Digito autem suo nolunt ea movere. Id est : nec in minimis volunt eos implendo, quos docent, juvare. Tales sunt etiam indiscreti sacerdotes qui omnem justitiam populo mandant,et ipsi nec modicam servant, et grave pondus venientibus ad pœnitentiam imponunt : quæ tamen præcipiunt eis, non faciunt. Deinde si errant,modicam imponentes pœnitentiam, nonne melius est propter misericordiam dare rationem, quam credulitatem ?

Omnia ergo opera, etc. Dixit tales doctores audiendos esse,non imitandos.Nunc ostendit causam quare non possunt credere Christo, qui scilicet *opera* sua *faciunt, ut videantur ab hominibus.* Non enim potest credere Christo prædicanti cœlestia, qui terrenam cupit gloriam. *Dilatant enim phylacteria sua.* Cum Deus dedisset mandata legis per Moysen, ad extremum intulit : Ligabis ea in manu tua, et erunt immota ante oculos tuos (*Deut.*VI), quasi dicat : Sint tibi in opere, sint in meditatione. Sed Pharisæi male interpretantes scribebant decalogum in membranulis et ligabant in fronte per quod religiosi viderentur populo. Jussit etiam Moyses, ut in quatuor angulis palliorum facerent fimbrias (*Num* XV), et per hoc essent discretio Israelitici populi. Illi vero faciebant grandes fimbrias, et eis ligabant spinas acutas, ut eundo vel sedendo

A interdum pungeremur, id est quasi sic commoti retraherentur ad officia Dei. Sed intellige hæc non esse portanda in corpore, sed in corde. Ut igitur armaria libros, sic et ipsi habent notitiam Dei. *Amant autem primos recubitus in cœnis,* etc. Quasi dicat : In cœnis gulam sequuntur, mercedem scilicet suæ religionis, et in publico gloriam et magistralem dignitatem. Notandum etiam quod non vetat eos salutari in foro, nec primos sedere vel discumbere, quibus revera competit hoc officii ordine sed eos arguit qui hæc habita vel non habita appetant. Non enim reprehendit de dignitate, sed dignitatis cupiditate. *Vos autem nolite vocari,* etc. Quasi dicat : Pharisæi et Scribæ sunt amatores hujus sæcularis gloriæ, sed vos discipuli mei, qui moribus et vita dignores esse debetis, nolite vocari

B Rabbi, id est quod Deo debetis, vobis non præsumatis. *Unus est enim magister vester,* qui illuminat hominem intellectum dando. Homo autem non docet intellectum conferendo. *Omnes enim vos fratres estis.* Causa est, quare non debet se alter alteri præferre.

Et patrem nolite vocare vobis, etc. Nec pater, nec magister vocandus est alius, nisi Dominus Pater et Dominus noster Jesus Christus. Pater,quia ex ipso sunt omnia. Magister, quia per ipsum omnia, vel quia per dispensationem carnis, omnes sumus Deo reconciliati. Paulus tamen se magistrum gentium contestatur in fide et veritate. Ad quod taliter respondetur : Aliud est esse patrem vel magistrum natura, aliud indulgentia. Deus dicitur pater et

C magister natura, homo indulgentia pater, ut honor ætati deferatur, non ut auctor vitæ habeatur ; magister vero, ex consortio veri Magistri, tanquam ejus minister pro ratione vel meritis vitæ ejus, a quo mittitur.

Qui major est vestrum, etc. Hic docet non esse contendendum de primatu. Quicunque enim vult fratrem suum prævenire regnando, prius præveniat illum obsequendo. Secundum Apostolum ; *Honore invicem prævenientes* (*Rom.* XII). Littera patet.

Væ autem vobis, Scribæ, etc. Postquam discipulos suos de humilitate admonuit, et spiritualem doctrinam eis benigne recipientibus exhibuit; Pharisaicæ infidelitatis tumorem frequenti impreca-

D tione confutat et reprimit dicens : *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi,* qui scilicet notitiam legis et prophetarum habetis, et inde etiam superbitis, quasi divisi ab aliis estis; hypocritæ, qui simulatis quod non estis.

Qui etiam clauditis regnum cælorum ante homines, etc. Id est, qui Christi adventum simulatione vestræ doctrinæ absconditis. Vel clauditis, dum malum exemplum hominibus præbetis. Unde omnis doctor qui auditores quos verbo ædificat exemplo scandalizat, regnum Dei claudit, ut nec ipse intret, nec alios intrare permittat. Unde sequitur :

Vos enim non intratis ad fidem, *nec introeuntes*, A id est credere volentes, *intrare sinitis. Væ iterum vobis, Scribæ et Pharisæi, qui comeditis domos viduarum.* Id est qui vestra superstitione nihil intenditis, nisi ut prædam de subdita plebe faciatis. Vos, dico, *longa oratione orantes*, ut magis decipiatis. *Propter hoc amplius Judicium accipietis. Væ vobis iterum, Scribæ et Pharisæi, qui circuitis mare et aridam*, totum scilicet mundum, *ut faciatis unum proselytum*, convertendo saltem unum ex gentibus ad vestros Judaicos ritus. *Et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos*, quia videns vitia vestra revertitur gentilis factus, et pro prævaricatione majori pœna est dignus, ut filius gehennæ merito dicatur. Unusquisque enim, cujus opera facit, filius illius appellatur. Et nota quod B proselyti de gentibus in Synagoga sunt recepti. Quod per unum notatur, quia vix aliquis post Christum acquievit doctrinæ eorum. Quod vero dicit illos totum orbem circuire, ut aliquem proselytum possint facere, significat illos toto orbe Evangelio detrahere. *Væ vobis* iterum, *duces cæci*, — *duces cæcorum* (*Matth.* xv), — *qui dicitis : Quicunque juraverit per templum, nihil est.* Id est non est reus, si fuerit convictus mendacii. *Qui autem juraverit in auro templi, debet*, scilicet illud exsolvere in quo juraverat, si poterit. Convincuntur hic Pharisæi, qui omnia faciebant propter lucra. Dicebant enim sanctiora esse oblata quam templum vel altare, ut homines paratiores essent ad dona offerenda, quam ad preces fundendas, vel justitias faciendas, in quo non Dei C timorem, sed suam intendebant cupiditatem. Ideo arguit eos Dominus stultitiæ et fraudulentiæ, dicens : quod multo majus est templum, quam aurum quod sanctificatur a templo, et altare quam hostiæ quæ sanctificantur ab altari. Templum, ut dicit Joannes, vel altare ad gloriam Dei pertinent, et ad hominum spiritualium salutem. Aurum autem, quod est in templo, vel donum quod est super altare, ad gloriam Dei etiam ipsa pertinent, sed tamen magis ad hominum delectionem, vel sacerdotum utilitatem. Mystice autem templum et altare, aurum et donum, laudes et sacrificia precum, quæ Deo offeruntur. Non enim ille per hoc, sed ista per illum sanctificantur. Littera non indiget expositione. *Væ autem vobis* iterum, *Scribæ et Pharisæi, qui decimatis mentham et anethum.* Id est ad commodum D vestrum exigitis decimas quarumlibet vilium rerum, *et ea quæ graviora sunt*, si negligantur, *reliquistis* incorrecta, scilicet justum *judicium* in discussione causarum, *et misericordiam* pauperibus et viduis exhibendam, *et fidem* apud omnes tenendam ; sed quidem majora *oportuit vos* et alios *facere, et illa* tamen minora, id est decimas *non omittere*, sed potius exigere et dare, ne eleemosynas fructuum terræ viderentur contemnere : per eas tamen non emitur impunitas manentibus in impietate. *Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes*, etc. Quasi diceret. AUGUSTINUS : in nummis, quæ lucrum habent diligentes estis, sed magna præcepta, de judicio scilicet et misericordia et fide, illa devoratis et negligitis. Mystice culicis nomine seditiosus homo Barabbas designatur, quia hoc animal strependo inquietat, et sanguine delectatur. Cameli nomine propter humilitatem quam habet ad subeunda onera Dominus intelligitur. Colunt ergo Judæi culicem, id est minima observant, quia Barabbam qui non solverat Sabbatum, dimiserunt ; et camelum, id est majora contemnunt, quia Christum spiritualiter Sabbatum insinuantem, per judicium et misericordiam et fidem, quæ illi contemnunt, occiderunt. *Væ vobis, Scribæ et Pharisæi, qui mundatis*, etc. Diversis verbis eodem sensu quo supra Pharisæos arguit, simulationis scilicet et mendacii, quod aliud ostendatur hominibus foris, aliud agatur intus : non quod in paropside, id est calice eorum superstitio nominaretur, sed quia foris hominibus ostendunt sanctitatem, in habitu, in sermone, in phylacteriis, in fimbriis, in orationibus longis, et in talibus ; intrinsecus autem sunt vel essent pleni sordibus vitiorum. Calicis quidem nitor justis interior est. Qui si obsorduerit, quid proficiet lotus exterius ? Ita igitur nitor interioris conscientiæ est obtinendus, ut ea quæ corporis sunt, laventur forinsecus. Lucas ita ait (*Luc.* xi) : *Stulti, qui fecit quod deforis est, etiam quod intus est fecit?* id est qui utramque naturam hominis fecit, utramque mundari voluit. Nemo ergo putet fornicationem, et hujusmodi corporalia vitia, solummodo esse gravia, et avaritiam, superbiam, iram, et cætera spiritualia putet esse levia. Præmissa sententia patet littera.

Væ vobis iterum, qui similes estis sepulcris dealbatis, etc. Per aliam similitudinem replicat idem. *Væ vobis iterum, qui ædificatis sepulchra prophetarum.* Id est propter favorem vulgi exstruitis memoriam occisorum, et ornatis monumenta occisorum justorum, ut videamini justi, et arguentes facinora patrum vestrorum, dicitis, si non voce, saltem opere : *Si fuissemus in diebus patrum nostrorum*, etc. *Itaque testimonium estis vobismetipsis quia filii estis eorum qui prophetas occiderunt*, quia scilicet, dum actus patrum vestrorum detestamini, pro specie quidem vestræ sanctitatis, filios homicidarum vos esse comprobatis ; dum etiam Christum et apostolos persequendo idem facitis, vos esse filios eorum non solum carne, sed etiam imitatione certissime comprobatis. In quo etiam patet vos peccare scienter.

AUGUSTINUS. Judæi quidem prophetarum monumenta ædificando patrum suorum facta, qui eos occiderunt, arguebant, sed paterna facinora æmulando, dum Christum suosque insequuntur, in seipsos sententiam retorquebant, eadem, quæ ipse in parentibus damnabant agentes : *Et vos implete mensuram patrum*, etc. Probato, quod filii sunt homicidarum, ponit quasi concludendo, ad quod tendebat dicens :

Et vos implete mensuram patrum vestrorum, etc. Id est quod illis defuit, vos implete. Illi prophetas, vos Dominum prophetarum occidite. Nota quod non jubet ut faciant, sed ostendit, quid facturi erant. *Serpentes, genimina viperarum*, etc. Quasi dicat : Vos homicidæ de homicidis nati, *quomodo fugietis a judicio gehennæ?* fugietis sepulcra sanctorum ædificando, an potius corda a malitia mundando? Nunquid liberabunt sancti vos, quorum monumenta ornatis? Non equidem, quia sancti non sunt amici Dei inimicis. *Ideo ecce mitto*, etc. Quasi dicat : Ideo, non solum impleatis de me, sed etiam de meis, quod deerat patribus, *mitto ego ad vos prophetas*. qui futura prædicant, *et sapientes*, qui Scripturas exponunt, vel qui corde eruditi sunt. Unde et David : Et eruditos corde in sapientia, *et scribas*, morum doctores, qui proferunt de thesauris suis nova et vetera. *Et ex illis occidetis*, ut Paulum: *crucifigetis*, ut Petrum : *et ex eis flagellabitis in synagogis vestris*, ut apostolos in Actibus apostolorum : *Et persequimini de civitate in civitatem*, ut de Judæa ad gentes : *Ut veniat super vos omnis sanguis justus*, etc. Non hos tantum præsentes dicit, sed omnem generationem malorum, præcedentem et futuram, quia omnes sunt una civitas diaboli, et unum corpus diaboli. *Omnis sanguis justus qui effusus est super terram*, etc. Id est omnis debita ultio pro effuso sanguine justorum. *A sanguine Abel justi*, cujus justitia approbata est per muneris acceptionem, a sanguine Abel dico, *usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare*, vestra scilicet generatio, *intra templum et altare*, quod altare positum erat sub divo. Quasi dicat, quem interfecistis in atrio templi.

Hieronymus. Quæritur quis sit iste Zacharias. Alii dicunt Zachariæ filium Barachiæ, illum qui in duodecim prophetis undecimus est, patrisque nomen in eo consentit, sed ubi ille occisus sit, Scriptura non dicit. Maxime cum temporibus ejus vix ruina templi fuerit. Alii dicunt Zachariam patrem Joannis, per apocryphas scripturas comprobantes quod propterea occisus sit, quia nomen Salvatoris et adventum prædicaverat, sed quia inde auctoritatem non habemus, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Alii volunt esse Zachariam, qui occisus est a Joas rege Judæ inter templum et altare, sicut Regum narrat historia, quod melius credendum est. Sed videndum quia ille Zacharias non fuit filius Barachiæ, sed Joiadæ sacerdotis. Unde Scriptura refert : *Non fuit recordatus Joas patris ejus Joiadæ, quæ sibi fecisset bona* (*II Par.* XXIV). Cum ergo Zachariam teneamus, et occisioni conveniat locus, quæramus quare dicatur filius Barachiæ, et non Joiadæ. Barachias, lingua nostra *benedictus Domini* dicitur, et sacerdotis Joiadæ nomine, *justitia Hebræorum* designatur. In Evangelio etiam quo utuntur Nazaræi, pro filio Barachiæ reperimus scriptum filium Joiadæ, quem ob meritorum gratiam, Dominus in hoc loco filium Barachiæ, id est *benedictus Domini* cognominavit. Sed adhuc quæritur quare sanguis Abel justi, usque ad sanguinem Zachariæ hujus, quæratur ab illorum generatione, cum neutrum illorum occiderit? Ad quod Joannes respondet : Non ita intelligendum esse ut omnium generationum præcedentium et sequentium merita persolvat generatio una.

Nec enim justum est ut alter pro peccatis alterius puniatur, sicut in die vindictæ, unaquæque generatio pro peccatis suis punietur.

De ipsa hac generatione vindicatum videbitur esse. Omnium enim iniquorum a Cain usque ad finem sæculi una, ut jam diximus, generatio est : etsi non sint omnes in uno tempore, omnes tamen unum sunt corpus diaboli.

Et adhuc quæritur quare usque ad hunc tantum, cum multi post hunc occisi, ante natalem Christi, et Christo nato mox pueri ab hac generatione sunt perempti. Sed quoniam Abel pastor ovium fuit, necatusque in agro ; Zacharias vero sacerdos, necatus in atrio templi, utriusque gradus martyres, et laicos scilicet, et altaris officio mancipatos, sub eorum voluit intimare vocabulis.

Amen dico vobis : Hæc omnia, etc. Subdit : Mala ultio sanguinis servorum Dei, qui effusus est super terram, veniet *super generationem*, quæ a primo scilicet parricida usque ad ultimum perditionis filium computatur, et similes erunt in pœna, qui fuerunt similes in culpa. *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas*, scilicet annuntiatores Domini prophetarum, *et lapidas eos*, id est duritia cordis a te repellis, vel corporaliter, *lapidas eos qui ad te missi sunt*, ad tuam scilicet salutem. Et nota quia patris affectu, non saxa, sed homines plangit, condolendoque talia verba protulit, sicut et illa quæ mox subjungit dicens : *Quoties volui filios tuos*, patriarcharum scilicet hæredes, *congregare*, ut in fidei unitate essent, *quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas*? Quasi dicat : Cum quanto affectu gallina pullos suos convocat et nutrit, cum tanto affectu volui ego filios tuos congregare in fidei unitatem, et enutrire catholico dogmate, et tu tamen noluisti gratiæ vocanti scilicet, cooperari.

Augustinus. Hoc genus animantis magnum habet in filios affectum, ut eorum infirmitate affecta, infirmetur et ipsa ; et quod difficile in cæteris animantibus invenies, alis suos filios protegens, contra milvum pugnat. Sic et nostra mater Dei sapientia per carnis susceptionem infirmata est quodammodo. Unde Apostolus dicit : *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus* (*I Cor.* I). Protegit infirmitatem nostram, et resistit diabolo, ne nos rapiat. Nota quod dixit volui congregare, et tu noluisti, quasi Dei voluntas humana voluntate superetur ; et ita non sit verum *omnia quæcunque voluit Dominus, fecit* (*Psal.* CXIII). Sed ita intelligendum est : Ego volui, et tu noluisti. Quasi dicat : Quotquot congregavi mea voluntate semper efficaci, te nolente feci, quia semper ingrata fuisti.

Ecce, id est, in proximo, quia es promerita, *domus vestra*, templum scilicet, vel tota civitas, *relinquetur*, id est Dei auxilio nudabitur, et suæ ditioni relinquetur. Itaque erit *deserta* Romanis tollentibus locum et gentem. Hoc ipsum ex persona Jeremiæ jam prædictum poterant cognoscere. Dixit enim : *Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam, facta est mihi hæreditas mea, quasi leo in silva* (*Jer.* XII). Sequitur :

Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis : Benedictus qui venit in nomine Domini. Vult intelligi, nisi pœnitentiam egeritis ; et me de quo prophetæ cecinerunt, Filium Dei confessi fueritis, et benedictum qui venit, id est ab omni peccato immunem, ad glorificandum Patris mei nomen intellexeritis, non me salutis vestræ auctorem videbitis amodo, id est post passionem non me videbitis, donec in die judicii certissime dicatis et credatis, conscientiis hoc testantibus, quia *benedictus qui venit*, etc., tunc enim tam boni quam mali confitebuntur. Et nota quod secundum priorem sententiam Judæi sibi concessum esse putant adhuc locum pœnitentiæ. In secunda vero sententia notandum est, quia quando turbæ venienti Domino Jerusalem, dixerunt : *Benedictus qui venit*, jam tunc præfigurabatur de primo adventu, quod futurum est secundo adventu claritatis ejus, quia conscientia omnium hoc clamabit.

CAPUT XXIV.

Egressus Jesus de templo, etc. Littera patet. Mystice vero recedente Domino de templo, legis ædificia, et compositio mandatorum ita destructa sunt, ut nihil a Judæis possit impleri, sed potius sublato capite, universa inter se compugnent membra. Divinitus etiam provisum est, ut crescente Evangelii gratia, templum illud cum suis cæremoniis tolleretur, ne quis infirmus in fide, stantibus illis, adeundi haberet occasionem. Realiter quidem templum a Romanis fuit destructum quadragesimo secundo anno post passionem Domini.

Sedente autem eo super montem Oliveti, accesserunt ad eum discipuli, etc. Cum hæc dixisset, contigit Dominum ad montem Oliveti redisse, et ibi sedisse cum quatuor discipulis, ut Marcus refert, cum Petro videlicet et Jacobo, Joanne atque Andrea, qui separatim interrogaverunt eum, quando scilicet illa erunt quæ de destructione Jerusalem prædixerat? Et præterea quæsierunt quod signum esset secundi adventus, et quo tempore esset futura consummatio sæculi? Sciendum est, quod hæc sessio facta est contra templum Jerusalem. Ait enim Marcus : *Cum sederet in monte Olivarum contra templum* (*Marc.* XIII). Sessio hæc contra templum, et discipulorum de civitatis vel mundi consummatione quæstio, an eodem, an sequenti die fuerit, evangelistæ non determinant, nec nostrum est diffinire quod ipsi indiscussum reliquerunt. Mystice designat mons Oliveti fructiferam sanctæ Ecclesiæ celsitudinem. Oliveta enim valent ad repellendas noctium tenebras, per olei fomen-

A tum, et ad solvendas infirmitates, et ad dandam lassis quietem, et ad significandam pacem, quæ omnia spiritualiter Ecclesiæ conveniunt, de qua dicitur : Ego autem sicut o. f. in d. d. *Ecce sicut oliva fructifera in domo Dei* (*Psal.* LI). Ipsa enim aufert tenebras errorum per prædicationem, et infirmitates peccatorum per pœnitentiæ injunctionem : defatigatis in tribulationibus quietem per consolationem, et omnibus nuntiat pacem. Super istam Ecclesiam Deus sedet, regnando, judicando, et hoc contra templum Jerusalem, id est contra arrogantiam superborum. Templum enim ideo superbiam significat, quia causa erat superbiæ Judæorum. *Et respondens eis Jesus dixit*, etc. Duo quæsierant signa, destructionis Jerusalem, et secundi adventus. Ponit itaque signa utrique rei communia, ponit et quædam specia-

B lia. Imminente enim Jerusalem excidio, vel consummatione sæculi, multi dicent se esse Christum, quorum fuit primus Simon magus, qui sicut in Actibus apostolorum legimus, auscultabant omnes qui in Samaria erant, dicentes : *Hæc est virtus Dei quæ vocatur magna* (*Act.* VIII), eo quod multo tempore magicis artibus dementasset eos. Multi etiam alii hæresiarchæ temporibus apostolorum prodierunt, qui multos errores seminaverunt, et diem Domini quidam eorum instare dubitaverunt, propter quæ omnia hortatur, non solum apostolos, sed et omnes fideles, dicens :

Videte ne quis vos seducat, et cum audieritis, etc. Dico ne seducamini, quia audituri estis prælia quan-

C tum ad hostes, opiniones præliorum quantum ad exspectationem et famam illorum futurorum bellorum. *Sed vos videte ne turbemini*, id est ne territi Judæam deseratis, *quia nondum erit finis.* Vel finis sæculi, vel destructio civitatis. A tempore enim Dominicæ passionis, in populo Judaico bella abundaverunt usque ad quadragesimum secundum annum, in quo civitas a Tito et Vespanio destructa est. Similiter multa bella erunt ante finem sæculi.

Consurget gens, etc. Ita erit historialiter ante finem sæculi, quia, ut ait Gregorius, multa mala debent præcurrere, ut nuntient malum sine fine. Quorum alia erunt e cœlo, alia de terra, alia ab elementis, alia ab hominibus. *Surget gens contra gentem.* Ecce turbatio hominum. *Et erunt pestilentiæ et fames.* Ecce inæqualitas elementorum, et sterilitas terræ.

D *Et terræmotus.* Ecce malum a terra. Cum Lucas ait : *Erunt signa in sole et luna* (*Luc.* XXI). Ecce malum a cœlo. A mari etiam notat Lucas malum, cum dicit : *Præ confusione sonitus maris et fluctuum* (*ibid.*). Quia in omnibus deliquimus, in omnibus ferimur, sicut scriptum est : *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos* (*Sap.* V). Potest et hoc mystice intelligi : Surget enim gens contra gentem, id est hæretici contra fideles, et regnum diaboli contra regnum Christi, et pestilentiæ errorum occupabunt multos, et erit fames Verbi Dei, et motus terræ, id est, separatio terrenorum a vera fide.

Hæc omnia erunt initia dolorum, pertinentium ad

excidium civitatis, vel in consummatione sæculi, *Tunc tradent vos in tribulationem.* Hæc erit etiam magna causa excidii civitatis, quod post occisionem Domini, apostolos Judæi persequentur. Si autem de temporibus Antichristi intelligatur, in apostolis persona omnium fidelium designatur.

Et tunc scandalizabuntur multi, etc. Hæc omnia evenient ante excidium civitatis, sed plenius temporibus Antichristi. *Et prædicabitur hic Evangelium regni.* Quia noverat corda discipulorum Dominus, de excidio suæ gentis contristanda, hoc solatio relevat, ut scirent multo plures socios æterni gaudii de toto orbe colligendos, et hoc antequam destructio civitatis eveniat. Quod innuit Marcus, quia ponit primum, dicens ita : *Et in omnes gentes primum oportet prædicare Evangelium* (*Marc.* XIII). Refert etiam Historia ecclesiastica quod omnes apostoli ante vastationem Judææ ad prædicandum Evangelium toto orbe fuerunt dispersi, exceptis duobus Jacobis, quorum unus, scilicet Zebedæi, gladio Herodis succubuit, et alter in Jerusalem episcopus factus remansit, et tandem a Judæis de pinnaculo templi prostratus, vitam finivit.

In universo orbe dicit, id est in quatuor partibus mundi, quia in omnem terram exivit sonus eorum. *In testimonium omnibus gentibus.* Prædicatio enim Evangelii, testimonium est gentibus, adventus Filii Dei, et redemptionis hominum, ut inexcusabiles reddantur. *Et tunc veniet consummatio.* Non dicit statim, sed non prius veniet consummatio civitatis vel mundi.

Cum ergo videritis abominationem. Idolum dicit, et ideo addidit *desolationis*, quod in templo desolato atque deserto idolum positum sit. Potest autem accipi de imagine Cæsaris, quam Pilatus posuit in templo Domini, aut de Adriani equestri statua, quæ in Sancto sanctorum loco multo tempore stetit. Vel si de fine sæculi intelligatur abominatio, Antichristus accipitur, qui sedebit in templo Domini. De hac abominatione in prophetia Danielis legitur, et ideo dicit : *Cum videritis abominationem desolationis*, quæ prophetata est a Daniele (*c.* IX), *stantem in loco sancto*, hoc est, templo Domini, id est idolum seu Antichristum, *tunc qui legit* prophetiam Danielis, *intelligat* destructionem civitatis adesse, sive consummationem sæculi.

Tunc qui in Judæa sunt, etc. Si exterminatio civitatis accipiatur, ad litteram intelligendum est. Christiani enim, appropinquante Romano bello, qui erant in Judæa cœlitus admoniti, discesserunt, ut ecclesiastica narrat Historia, et fugerunt trans Jordanem in regnum Agrippæ regis Judæorum, cujus in Actibus apostolorum mentio fit, qui cum ea quæ sibi obtemperare volebat parte Judæorum, semper Romanorum regno subditus erat, et ad tempus ibi belli, in civitate mansuerunt. De illa fuga facit mentionem cum ait :

Tunc qui in Judæa sunt Christiani, *fugiant ad* A *montana*, ubi erat regnum Agrippæ. Nimiam tribulationem et terrorem significat. Cum persuadet a Deo properare fugam, ut nemo fugientium descendat aliquid tollere de domo vel pro tunica revertatur. *Væ autem prægnantibus et nutrientibus*, etc. Quia has puer in utero, has puer in manibus ad fugam impediet.

Orate autem ne fiat fuga vestra hieme vel Sabbato. Quia in hieme duritia frigoris, fugam vestram impediet, in Sabbato vero præceptum legis vos retinebit. Non enim licet secundum legem in Sabbato ultra mille passus proficisci. Si autem hæc omnia de consummatione sæculi intelligantur, mystice accipienda sunt, ut ita dicamus : *Tunc qui sunt in Judæa*, hoc est in confessione veræ fidei sunt, *fugiant ad montes*, hoc est culmen virtutum ascendant, B *et qui super tectum est*, id est qui carnem, qua anima tegitur, superavit, *non descendat* ad infimos actus pristinæ conversationis, neque desideria carnis repetat. *Et qui in agro est*, id est qui operatur in Ecclesia sicut Paulus plantando, et Apollo rigando, *non revertatur tollere tunicam suam*, id est non repetat sæcularia, quibus se nudaverat. Prægnantes vero sunt illi qui laborant pro divitiis acquirendis, quorum animæ graves sunt peccatis. Nutrientes vero sunt illi, qui divitias adepti fovent eas et augmentant. In hieme fugit, cujus fide vel charitate refrigescente, a Deo est elongatus. In Sabbato fugit, qui otiosus in divino opere torpescit.

Erit enim tunc tribulatio magna, etc. Hæc temporibus Antichristi proprie convenient, quando non C solum tormenta crebriora et acerbiora, quam prius ingerenda sunt fidelibus sed quod gravius est signorum quoque operatio eos, qui tormenta ingerunt comitabitur, teste Apostolo qui ait : *Cujus adventus est secundum operationem Satanæ in omni seductione et prodigiis mendacibus*? (*II Thess.* II.) Cujus enim fides non concutietur, cum persecutor veritatis sit etiam operator virtutis ? Unde provida pietate subjungit :

Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro. Dies dicit abbreviatos, non secundum quosdam, qui putant momenta temporum mutari, cum legatur : *Ordinatione tua perseverat dies* (*Psal.* CXVIII), sed abbreviati dicuntur, quantum ad opinionem illorum, qui diu se putabant regnaturos. D Vel dicuntur abbreviati, id est breves, quasi brevissimi, quia nisi breves et pauci fuissent dies illi, perirent omnes electi illius temporis propter magnitudinem miraculorum et oppressionum. Namque tribus annis et dimidio illa persecutio duratura est.

Tunc si quis dixerit, Ecce hic Christus, etc. Ante enim consummationem sæculi, multæ hæreses surgent, sicut Donatistæ, qui dicunt se solos habere Christum, aut Ariani aut alii hæretici, et *surgent* multi, qui dicent se esse Christum, *et* facient *signa*, id est minora, *et prodigia*, id est majora, *ita ut in errorem ducantur, si fieri potest, etiam electi.* Non ideo dicit, quod electio divina frustretur, sed qui

humano judicio electi videbantur, illi in errorem mittentur. *Si ergo dixerint vobis, Ecce est in deserto* hoc est in dogmate philosophorum gentilium, qui omnino deserti sunt a Deo, *nolite exire*, a fide vestra. *Vel si dixerint, Ecce in penetralibus* id est in arcanis sectis hæreticorum est Christus, *nolite credere*. Si enim diabolus transfiguraverit se in angelum lucis, dicens se Christum esse, et apparens aliquibus, sicut in tempore beati Martini de monacho legitur, non credant fideles.

Quia sicut fulgur exit ab oriente et, apparet usque ad occidentem, ita, erit manifestus adventus Filii hominis. Ab omnibus enim totius orbis hominibus, videbitur juxta Apocalypsin, *Et videbit eum omnis oculus* (*Apoc.* I). Et alibi : *Et videbit omnis caro salutare Dei*(*Luc.* III), nec in secreto apparebit. quia Deus manifeste veniet, et non silebit. Unde sequitur :

Ubicunque fuerit corpus illuc congregabuntur et aquilæ id est electi Dei, sicut Apostolus ait. *Occurremus obviam Christo, in nubibus in aera* (*I Thess* IV). Aquilæ dicuntur sancti, quia sicut aquilæ intuentur solem irreverberatis oculis, ita sancti in splendore veri solis intuitus suos defigunt. Corpus Christi quasi cadaver appellatum est per passionem.

Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, etc. Quamvis nihil prohibeat intelligi veraciter, tunc solem et lunam cum sideribus cæteris ad tempus suo lumine privari, quomodo de sole constat esse factum, tempore Dominicæ passionis. Luna enim tunc temporis cum esset plena, sub abdito terræ latebat. Unde imperfecte restat usque hodie prophetia illa Johel, qui, cum dixisset, *sol convertitur in tenebras*, addidit, *et luna in sanguinem antequam dies veniat Domini magnus et horribilis* (*Joel.* II). Et quod de die judicii loquens Isaias: *Et erubescet*, inquit, *luna, et confundetur sol, cnm regnaverit Dominus exercituum in monte Sion, et in Jerusalem, et in conspectu senum suorum fuerit glorificatus* (*Isa*, XXIX). Cœterum peracto die judicii, et clarescente gloria futuræ vitæ, cum fuerit cœlum novum et terra nova, tunc fiet quod dicit idem propheta alibi : *Et erit lux lunæ sicut lux solis, lux et solis erit septempliciter sicut lux septem dierum* (*ibid.*). Quamvis historaliter hoc modo potest intelligi, tamen et mystice valet accipi, ut sic dicatur :

Post tribulationem illorum dierum, id est postquam incœpta erit, non finita, *sol obscurabitur et luna* id est quidam majores et minores prælati in Ecclesia, qui alios illuminabant, et qui videbantur *stellæ*, id est dono divinæ gratiæ fulgere in domo Dei, *de cœlo* id est de Ecclesia cadent, privati a lumine suo. *Et virtutes cœlorum*, id est angeli, *movebuntur* judicio hominum futuro, quorum custodiæ deputati sunt, beato Job attestante qui ait : *Columnæ cœli contremiscunt, et pavent adventum ejus* (*Job* XXXI).

Et tunc apparebit signum Filii hominis in cœlo. Signum crucis hic intelligamus, ut videant in quem pupugerunt, aut vexillum fidei victoriæ triumphantis. *Et tunc plangent omnes tribus terræ*, id est terrenorum, non cœlestium, quos prava conscienta torquebit. *Et videbunt Filium hominis*, id est humanitatem, non divinitatem, *venientem in nubibus, cœli*, id est in sanctis suis. Sicut enim nubes fuit bajula ascendentis, ita erit bajula descendentis, juxta hoc quod angeli dixerunt : *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum* (*Act.* I), vel existentem in nubibus cœli, id est in sanctis suis.

Cum virtute magna, id est cum magna potentia, *et majestate*, id est cum magna claritate et gloria. Primus enim adventus fuit in humilitate. Secundus in potentia, Primus in utilitate, secundus in gloria. *Et mittet angelos suos cum tuba et voce magna*. Quæ omnes mortuos ad resurrectionem invitabit. Vox illa, tubæ comparatur, quia sicut tuba terret inimicos, et animat suos ; sic vox illa terrebit impios, et lætificabit pios. *Et* per illam vocem *congregabit electos ejus a quatuor ventis terræ*. Id est a quatuor partibus mundi. Et ne aliquis intelligeret, non esse homines congregandos de medio orbe, determinatius ponit, scilicet *a summis cœlorum*, id est a medio orbe, *usque ab terminos eorum*, id est usque ad fines orbis terræ. Per summum cœli, medium orbis intelligitur, quia medio orbis, summum cœli insidet. *Ab arbore autem fici*, etc. Exemplo fici ostendit præcedentia esse signa consummationis sæculi Nota quia cum dicit, *prope est in januis*, non est putandum, tum mox esse consummationem mundi, sed præcursiones quasdam, quæ ostendant quod jam sit prope quasi in januis, ved dicamus ita : *Cum videritis hæc fieri*, non aliqua horum, sed omnia jam facta, *tunc scitote quia prope est in januis*. Quasi dicat : Præsens est. Mystice quidem ficus populum Israel designat, qui fuit ficus damnata, et pro sterilitate maledicta et arefacta ; sed cum de arido ligno ramus quidem fidei charitatis in eo apparuerit, et folia, id est verba prædicationis exorta fuerunt, prope est æstas, quæ exspectatur, id est æterna serenitas, et renascentium desiderata novitas. Cum enim tandem ablata perfidia mentis, Israel salvus fiet, prope esse diem judicii dubium non est.

Amen dico vobis, quia non præteribit, etc. Quasi dicat : Credite his quæ dixi, quia hoc certo sciatis, quia non præteribit de mortalitate ad immortalitatem *hæc generatio*, id est omne genus humanum. Vel specialiter gens Judæorum non deficiet, *donec hæc omnia fiunt*, id est donec veniat dies Domini, vel judicii ; et secure hæc mihi potestis credere, verba mea non sunt transitoria, cum transeant cætera, et ideo dicit :

Cœlum et terra transibunt, etc. Quomodo? Quia innovabuntur deposita priori forma, permanente autem substantia, ut in Ecclesiaste legitur : *Terra in æternum stat* (*Eccle.* I). sed *verba mea non præteribunt*, potius sicut dicuntur, sine ulla mutatione complebuntur, quam commutationem suam cœlum et terra ipsis nobis nuntiant alternis vicissitudinibus suis. Nam cœlum modo caligine obducitur, modo claritate renovatur. Terra vero modo a sua specie

hiemali ariditate deficit, modo vero vernali honore virescit.

De die autem illa. Ne forte auditis signis quærerent illum certum terminum, ait de die novissima post quot annos vel dies ventura sit. *Nolite esse solliciti, quia nemo scit*, id est nullus homo scit, *neque angeli cœlorum, nisi, solus Pater*, in quo Filius et Spiritus sanctus intelligitur. In quibusdam codicibus additur; nec ipse scit Filius, qui omnia æque scit ut Pater, sed non facit homines scire, sicut ait Apostolus, in eo esse absconditos omnes thesauros sapientiæ et scientiæ (*Colos.* II). Non facit dico hoc scire, quod inutiliter scriretur. Vult enim ut semper simus incerti de adventu judicis, ut sic quotidie vivamus, quasi in alia die judicandi simus. Satis in divina pagina invenitur talis scripturæ modus. Sic enim dicitur: *Spritus sanctus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (*Rom.* VIII), id est postulare, facit, sicut dicitur; Filius nescit, hoc est, nescire facit. Vel ita legitur; Si neque Filius in codicibus inveniatur, nemo scit de die illa, et postea subdividit: Nemo scilicet, neque angeli, neque Filius, neque aliquis homo justus, nisi Pater solus, et ubi Pater cognovit, ibi et Filius et Spiritus sanctus intelligitur. Per quodlibet enim nomen personarum, tota essentia divinitatis intelligitur cum eadem essentia sit trium personarum.

Sicut autem in diebus Noe, etc, Probat quia nulli est dies illa cognita, quia omnibus venit improvisa et repentina, et hoc ostendit per simile dicens: *Sicut fuit in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis.* Quasi dicat: Sicut dies dilulvii omnibus erat ignota et improvisa, ita veniet improvisus adventus Filii hominis. Et nota quia pluribus exemplis affirmat, subito evenire diem adventus sui. Primus enim adventus fuit in humilitate, secundus in majestate. Nam quem fulguri transvolanti paulo ante comparaverat, eumdem diebus Noe comparat, quando mortalibus supervenit repentinus interitus. Et hoc est: *Sicut erant in diebus. Noe ante diluvium, comedentes et bibentes.* Scilicet gulæ dediti, *nubentes et nuptui tradentes*, id est persistentes, et hoc *usque ad eum diem quo intravit Noe in arcam*, et contemnentes Dei judicium, *non cognoverunt*, id est cognoscere noluerunt, Noe etiam prædicante, *donec venit diluvium, et tulit omnes, ita erit et adventus Filii hominis* Sed nota, quia ubi dicit: Comedentes et bibentes, et nubentes, et nuptui tradentes, non alimenta et nuptias, sed immoderatum illorum arguit usum. Mystice arcam Noe ædificat, cum Dominus Ecclesiam de veris fidelibus, quasi lignis levigatis adunando construit, quam perfecte consummatam ingreditur, cum hanc in die judicii præsentia suæ visionis æternus habitator illustrat, sed cum arca ædificatur, iniqui luxuriantur. Cui modo non creditur, quia qui sanctis hic certantibus insultant, eis illic coronatis æterna damnatione plectentur.

Tunc, scilicet in illa die consummationis, *erunt duo in agro*, id est invenientur duo in semente pares, sed non æque fructus metentes. Duæ sunt differentiæ prædicatorum in Ecclesia, quasi in agro laborantium, eorum scilicet qui sincere Christum annuntiant et eorum qui verbum Dei adulterant, quorum mentio est in Canticis, ubi dicitur: *Sexaginta reginæ et actoginta sunt concubinæ* (*Cant.* VI,) etc. Illorum duorum *unus assumetur* ad remunerationem in gloriam, *alter* ad condemnationem perpetuam.

Duo in lecto, unus assumetur, et alter relinquetur. Duo isti sunt qui otium diligunt et quietem, quæ lecti nomine significantur; nec sæcularibus nec ecclesiasticis negotiis occupati, unus assumitur, qui scilicet apud Deum studet, quærens tantum quæ Dei sunt. Qui autem humana laude, vel aliqua vitiorum occupatione, monasticam vitam gesserit, relinquetur a Deo. *Duæ molentes*, id est duæ sunt iterum differentiæ hominum, sequentium orbem volubilium rerum, quorum assumentur qui habentes sunt tanquam non habentes ut, Job, et ei similes; et alii relinquentur, illi scilicet qui speraverunt in incerto divitiarum suarum. Et bene utriqne nomine femineo designantur, quia indigent regimine aliorum, ut feminæ virorum. Videntur etiam designari hic tria hominum genera, per illa tria nomina quæ ponit Ezechiel propheta, scilicet Noe, Daniel, Job (*Ezech.* XIV), quibus significantur rectores continentes et conjugati. *Vigilate ergo.* Quando quidem Christi adventus erit repentinus, ergo vigilate, id est solliciti estote. Hæc enim causa est cur Dominus adventum suum nesciri voluerit, ut scilicet vigilaretis. *Vigilate* dico, *quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit*, etc., ad judicium, vel in morte cujusque. Et nota, non dixit, nos nescimus, sed vos nescitis.

Illud autem scitote, etc. Quod probat per simile. quia debent vigilare. Nesciente patrefamilias fur domum perfodit, quia, dum a sui custodia spiritus dormit, improvisa mors veniens, carnis nostræ habitaculum irrumpit, et dominum quem invenerit dormientem, ad supplicium trahit. Furi ergo resisteret si vigilaret, quia adventum judicis occulte venientis, præcavens pœnitendo occurreret, ex qua præmissa similitudine etiam exhortatio subinfertur, cum dicitur: *Ideo et vos estote*, etc. *Quis putas.* Quis difficultatem non impossibitatem perficiendæ virtutis insinuat, quomodo Psalmista: *Quis sapiens et custodiet hæc* (*Pscal.* CVI), non neminem, sed rarum significat. *Quis putas*, est, dico, *fidelis*, bene erogando pecuniam domini sui, *et prudens* discernendo capacitatem singulorum, *quem constituit Dominus super familiam suam*, scilicet Ecclesiam, *ut det illis* pro capacitate singulorum, *cibum in tempore*, cibum divini sermonis, vel exempli sui; ad superiora vero sic respicit, quasi dicat: Admonendi utique estis, ut parati sitis, quia quam rarus est qui Domino serviens, oves Christi non ad lucrum, sed àmore Christi pascit prudens, id est in futurum sibi providens. *Quem* iterum *constituit*, etc. Quasi dicat: Quam rarus est qui sit a Deo vocatus, tanquam Aaron, et

non magis se ingesserit, et qui se non magis pascat quam oves.

Beatus ille servus, etc. Raro quidem invenitur, ut dixi, fidelis servus et prudens, sed qui tamen talis invenitur, a Domino beatificatur. Et hoc est : *Beatus ille servus*, æterna beatitudine est glorificandus, *quem, cum venerit*, etc. Id est qui, veniente Domino, ad judicium repertus fuerit, ministrans annonam verbi, et vigilans in subditis, in cura gregis.

Amen dico vobis, quod super omnia bona sua constituet eum, etc. Non ut solus, sed ut præ cæteris habeat æterna præmia, cum pro sua vita, tum pro gregis custodia.

Si autem dixerit malus servus ille in corde suo : Moram facit dominus, etc. Sicut in uno fideli dispensatore totus bonorum rectorum ordo docetur, sic et in nequissimo servo cunctorum præsulum malorum opus damnandum narratur, et æterna damnatio, qui neglecto Domini timore, non modo ipsi luxuriæ vacant, sed etiam subditos injuriis stimulant.

Typice tamen potest intelligi, *pueros percutere* conscientias infirmorum, non adhuc spe, fide, et charitate solidatorum, pravo exemplo vitiare. *Bibere vero cum ebriosis*, inebriari facinoribus, et illecebris mundi, quæ faciunt hominem dementari. Nota inter vitia mali servi ascriptum, quod tardum Domini sui putaverit adventum vel reditum. Non autem inter boni virtutes annuntiatum, quod hunc putavit citum et festinum, sed tamen quod ad jussionem Domini quandoque venturi, cum servis cibum in tempore erogaverit. Unde optimum esse probatur, quanquam magnopere, si liceat, cupiamus scire, quando veniet Dominus, æquanimiter nos nescire, quæ non licet scire, sed sive prope, sive procul sit, patienter ferre, et quandocunque venerit, adventum ejus diligere. Sequitur :

Veniet dominus servi illius, etc., in quo omnes illi mali intelliguntur. Veniet dico, cum non speratur, *et dividet eum* a consortio fidelium, *et ponet partem illius cum hypocritis*, cum his scilicet, qui erant in agro, et qui molebant, et nihilominus derelicti sunt, qui ideo dicuntur hypocritæ, quia aliud agebant, et aliud intendebant.

CAPUT XXV.

Tunc simile erit regnum cœlorum, etc. Interrogatus Dominus noster a discipulis de consummatione sæculi, inter multa quæ locutus est, hoc quoque exemplum apposuit decem virginum, quarum quinque dicuntur admitti, et quinque excludi. Quæ admissio et exclusio significat futuram bonorum malorumque discretionem. Sed quærendum est, si virginitatis nomen honorabile est, cur receptis exclusisque commune est, quia simul illæ et istæ student continentia, licet differant intentione. Virgines enim sunt omnes qui a luxu sæculi se continent. Quinque vero dicuntur, quia quinque partita est continentia a carnis illecebris, sed alia bona intentione et zelo justitiæ Dei se continent, et *prudentes* vocantur.
A Aliæ vero quinque non zelo Dei, sed potius humanæ gloriæ. Unde merito *fatuæ* dicuntur, *quæ*, cum aliis quinque *accipientes lampades suas*, bona scilicet opera secundum continentiam facta, *exierunt obviam sponso et sponsæ*, id est bona operando visæ sunt concordasse voluntati sponsi, scilicet Dei et matris Ecclesiæ. *Quinque autem ex eis*, sicut prædiximus, *erant fatuæ*, quia bene agebant, non bona intentione, *et quinque* erant *prudentes*, Domino pro Deo, non pro mundo servientes. *Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus*, etc. Lampades acceperunt, id est bona opera quibusdam ostentationibus, *non sumpserunt oleum secum*, id est non habuerunt ipsius boni operis gloriam intra conscientiam suam. De hoc oleo arbitror dixisse David : *Unxit te Deus,*
B *Deus tuus præ participibus tuis* (*Psal.* XLIV). Oleum quippe mentis est lætitia, quam intus habet, qui Deo placet. Sequitur : *Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis*, etc. Id est lætitiam bonorum operum in corde et conscientia posuerunt. Unde Apostolus : *Probet se homo* (*I Cor.* II), et tunc in semetipso gloriam habebit, et non in altero. Acceperunt dico oleum, scilicet suum, in vasis suis *cum lampadibus*, id est cum boni operis ostensionibus. *Moram autem faciente sponso*, id est differente extremum judicium Christo, parum enim non est temporis inter priorem et secundum adventum Christi, *dormitaverunt*, etc. Quia, dum judex judicium differt, electi et reprobi æque sopiuntur somno mortis. Dormire etenim mori est. Ante somnum vero dormitare, est ante mortem a salute languescere, quia
C per pondus ægritudinis pervenitur ad somnum mortis, sed cum dormitare dicantur omnes, et prudentes et fatuæ, mirum est qua ratione dormitarint, quod est ante mortem a salute languescere, nisi dicamus forte prudentes quodammodo languescere pro dilatione præmii, si dixisse fas est in bono opere torpere. Vel dicamus potius languescere, id est pro desiderio divini sponsi, et ex consideratione salutis conferendæ, in seipsis deficere. *Media autem nocte.* Id est securis omnibus nulloque sperante hoc. Unde dicitur : *Dies Domini tanquam fur in nocte veniet* (*I Thess.* V). *Clamor factus est.* Scilicet in voce archangeli, et in tuba Dei, et facto clamore illo, *Ecce*, in momento, *sponsus*, Christus, *venit*, ad sociandam sibi perpetuo sponsam. Clamor, dico,
D factus est, et ecce ejusmodi clamor :

Exite obviam ei. Occurrite ei obviam in aera. *Tunc*, audito clamore, *surrexerunt* omnes de somno mortis. *Omnes virgines illæ*, tam bonæ quam malæ, *et ornaverunt lampades suas*, id est diligenter apud se cogitaverunt, et numeraverunt, et opera sua, pro quibus remunerationem exspectabant.

Fatuæ autem, etc. Id est illæ quæ in sua fiducia deceptæ intus erant vacuæ, *dixerunt sapientibus : Date nobis de oleo vestro*, etc. Id est juvate nos per merita vestra, *quia lampades nostræ*, hoc est opera nostra, *exstinguuntur*, id est obscurantur, cum quasi lumine veri testimonii vacuantur. Hoc dicere nihil

aliud est quam desiderare juvari meritis sanctorum. *Date nobis*, etc. Quorum facta aliena laude fulciuntur, eadem subtracta deficiunt, et de consuetudine id semper inquirit, unde animus solet gaudere. Itaque hominum qui corda non vident, testimonium volunt habere apud Deum, qui cordis inspector est.

Responderunt prudentes : Ne forte non sufficiat nobis et vobis, etc. Non dabimus vobis de oleo nostro. Quasi dicant : Unusquisque reddet pro semetipso rationem. Vix quisque sufficit sibi, nedum alios meritis juvet. Postea deridendo eos subjungunt : *Ne forte non*, quia quisque pro se rationem reddet, nec alieno testimonio juvatur quis apud Dominum, cui secreta patent, et vix quisque sibi sufficit, ut ei testimonium perhibeat conscientia sua.

Ite potius ad vendentes, et emite vobis. Quasi dicat : Ite potius ad adulatores, qui vobis laudes vendere consueverant. Quasi sub hac irrisione dicerent, modo apparet, quid vobis prosunt adulatores vestri ? *Cum autem irent emere*, etc. Id est dum ad vendentes suos per recordationem irent, et quantum mali cum eis egissent, cogitarent.

Venit sponsus : et quæ paratæ erant, quibus scilicet bonum testimonium coram Deo testis conscientia perhibebat, *intraverunt cum eo ad nuptias*, ubi munda anima sempiterno divino consortio copulatur. *Et clausa est janua.* Id est aditus regni cœlestis, quia illis receptis, qui sunt vita in vita angelica imitandi, post factum judicium, nullis postea precibus patebit aditus. Post judicium enim magna est severitas, cujus ante est ineffabilis misericordiæ benignitas.

Novissime vero veniunt, etc. Novissime quidem veniunt, quia per seram pœnitentiam, et per infructuosas lacrymas pulsant foras relictæ. Nec est dictum, quod emerunt oleum, ideoque intelligendæ sunt, nullo jam remanente de alienis laudibus gaudio, in angustiis et doloribus redire ad implorationem Dei. Sed qualis Dei ? Sævissimi post judicium. Sequitur :

Domine, Domine, aperi nobis, etc. Dolore repulsionis compulsæ, appellationem ingeminant dominationis, non vocando patrem, cujus in vita sua contempserunt misericordiam.

At ille respondens ait : Amen dico vobis, nescio vos. Quasi dicat : Ideo vos desero, quia per vitæ meritum non agnosco.

Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam, etc. Nescitis non solum diem judicii, quo venturus est sponsus, sed etiam dormitationis vestræ horam nescitis. Et nota, quia brevi conclusione manifestavit, ad quod præmissa parabola tendat.

Sicut enim homo peregre, etc. Ut testimonium bonæ conscientiæ nobis præparemus, et ne cum fatuis virginibus foris remaneamus; et quia paratos nos Christus invenire desiderat, aliam subdit de eadem re parabolam.

GREGORIUS. Quis iste homo est, qui peregre proficiscitur, nisi Redemptor noster, qui in ea carne, quam assumpserat, abiit in cœlum. Carnis enim locus proprie terra est, quæ quasi ad peregrina ducitur, dum per Christum in cœlo collocatur. Homo vero iste *peregre profiscens, servis bona sua tradidit*, quia fidelibus suis spiritualia dona concessit.

Et uni dedit quinque talenta, etc. Id est exteriorum scientiam quinque sensibus acquisitam vel expressam. *Alii autem duo*, etc. Scilicet intellectum et operationem. *Alii vero unum*, etc. Id est solum intellectum.

Unicuique secundum propriam virtutem. Quasi dicat. Non pro parcitate vel pro largitate, alii plus, alii minus, sed pro viribus accipientium ita divisit. *Et profectus est statim*, etc. Non locum mutans, sed liberam ei operandi potestatem permittens, et suo arbitrio relinquens.

Abiit autem qui quinque talenta acceperat. Quasi dicat : Promovit sese in scientia exteriori, et si mystica penetrare non potuit, *et operatus est in eis* sese a visibilium voluptate cohibendo, *et lucratus est alia quinque.* Alios admonendo et exemplo bonorum, et morum informando, et ab eisdem exterioribus conpescendo. Sunt nonnulli, qui quasi duobus talentis ditati, intellectum atque operationem percipiunt, et dum subtilia intelligunt, mira de exterioribus operantur. Cumque intelligendo et operando aliis prædicant, quasi duplicatum de negotio lucrum reportant. Bene autem alia quinque, vel alia duo in lucrum venisse referentur, qui, dum utrique sexui prædicatio impenditur, quasi accepta talenta geminantur. *Qui autem unum*, id est intellectum, *acceperat*, et gratis habuerat, *abiens*, non monens eo, sed secreto abscondit, quod notatur, cum dicitur, *fodit in terra.* Vel abiens per se, et non rediens per se, fodit in terram, id est in terrenis laboravit, *et pecuniam domini sui*, id est intellectum sibi a Domino commissum, *abscondit*, scilicet terrenis actibus applicavit, non lucrum spirituale quæsivit. Sunt namque nonnulli qui intelligentiæ talentum perceperunt, sed tamen quæ carnis sunt sola sapiunt. De quibus per Jeremiam prophetam dicitur : *Sapientes sunt, ut faciant mala, bene autem facere nescierunt* (*Jer.* IV).

Post multum vero temporis. Quod est ab ascensione usque ad secundum adventum Christi.

Venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis. Id est cœpit discutere actus singulorum, conscientia accusante vel excusante unumquemque.

Et accedens, quasi ad reddendam rationem se præparans, *qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta*, illos scilicet, quos bonæ operationis suæ exemplo et verbo bene operari docuerat. Quot enim ab errore convertit, tot Domino obtulit, testimonium sibi dante conscientia, quod per gratiam sibi datam, non tantum sibi profuit, sed et quos potuit Domino lucrifecit. Unde sequitur :

Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia

quinque, etc. *Ait illi dominus ejus : Euge, sere bone* A *et fidelis, quia super*, etc. Gaudens de servi sui profectu, in gaudium intrare jubet, ubi super multa constituitur, quia super pauca fidelis fuerat comprobatus. Pauca enim sunt omnia bona præsentis vitæ, quamvis multa videantur, quæ non sunt sine molestia. Multa vero bona æterna sunt, quia sine omnis corruptionis molestia sunt. Unde merito illa bona Dominus vocat gaudium, quia bona illa adeptus, sic intro lætatur de munere, ut non sit jam, quod exterius doleat de corruptione.

Accessit autem et qui duo, etc. Utrique servo, et illi scilicet, qui de quinque decem talenta fecerat, et qui de duobus quatuor, paterfamilias blanditur. Servus autem qui de talento operari noluit infelicissimum a sua conscientia habens testimonium, B cum verbis excusationis redit ad dominum, dicens :

Domine, scio quia homo durus es, etc. Per doctrinam ejus duram. Ardua enim est via, quæ ducit ad vitam, quia quanto gradus altior est, tanto casus gravior. Et notandum adhuc, quod inutilis servus durum vocat dominum, cui tamen servire dissimulat ad lucrum et timuisse se dicit in lucrum talentum expendere, qui hoc solum timere debuerat, ne hoc sine lucro ad dominum reportaret. Sunt enim plerique in Ecclesia, quorum servus iste imaginem tenet, qui meliorem vitam aggredi metuunt, et tamen jacere in sui temporis [torporis ?] ignavia non pertimescunt Cumque se peccatores considerant, sanctitatis viam arripere trepidant, et tamen remanere in C suis iniquitatibus non formidant.

Dicit ergo servus nequam : Domine, scio quia homo durus es, etc. Id est, dura et arcta præcepta habes, et in hoc noto duritiam tuam, quod tu *metis ubi non seminasti.* Gentiles sunt, in quibus tu non seminasti legem scriptam, imo sine lege fuerunt, et tamen metis eos, id est falce judicii præcidis eos, et damnas, quia male operantur, quamvis semine scriptæ legis careant.

Et congregas, ubi non sparsisti. Quia quosdam gentilium, ubi non sparsisti scriptam legem, congregas; scilicet de illis, in quibus nihil prædicationis seminasti, vis tibi congregare fructum in horreo cœlesti. Quosdam enim salvas per legem naturalem, sicut Job, quibus lex scripta non fuit nuntiata, et eorum comparatione, qui naturalem legem D servant damnas eos, qui negligunt scriptam ; et ideo ego *timens* aggredi gradum altioris vitæ, ne scilicet alterius salutem quærens, periclitarer. *Et ipse abii*, per liberum arbitrium, *et abscondi talentum tuum*, id est, non prædicavi quod te donante intellexi, sed abscondi in terra, id est, in carnali vita degens, et sicut habui, sic tenui talentum tuum, non augens vel minuens. *Ecce habes quod tuum est.*

Respondens autem dominus ejus, dixit illi : Serve male, etc. Quia per superbiam tuum dominum calumniaris, *et piger*, qui lucrum facere neglexisti. *Sciebas quod meto ubi non semino, et congrego*, etc. Sicut expositum est superius. Quasi dicat : Ista cogitatio tua, quare non incussit tibi, cum scires me mea diligentius inquisiturum? Ecce quod adduxisti ad excusationem tuam, te potius incusat, quia quanto me novisti severum, tanto *opportuit te committere pecuniam mea nummulariis.* Et hoc est : *Oportuit ergo*, etc. Quasi dicat : Quando quidem ab illis, quibus non commisi, exigo, et juxta sententiam tuam illud, quod ad erogandum non dedi, exquiro, quanto magis est ex te exquirendum, quod tibi dedi ad erogandum? Nummulari sunt, qui prædicationem divinam auditam valent verbis et operibus exercere et multiplicare. Pecuniam igitur nummulariis dare, est scentiam aliquam illis impendere, qui hanc valeant verbis et operibus complere. *Tollit itaque ab eo talentum*, etc. Geminam pœnam ostendit, quam sæpe Dominus negligentibus commissum talentum intellectum tribuit ; alteram in præsenti, alteram in futuro. In præsenti enim Ecclesia sæpe fit, quod modo dicitur :

Tollite ab eo talentum, et date ei, qui habet decem talenta, etc. Illi enim, qui habet scientiam Scripturarum, et ea neglecta, negotiis sæcularibus intentus est, aufertur scientia Scripturarum, et datur oblivioni. Ille vero, qui habet in præsenti Ecclesia quinque talenta, id est, non scientiam Scripturarum, sed scientiam exteriorum, ea multiplicando et bene ministrando, alia quinque promeruit per adjunctam gratiam, scilicet scientiam Scripturarum recipit, et ad intellectum mysticum pervenit, et ita talentum, quod servo nequam aufertur, fideli ministro tribuitur.

Omni enim habenti dabitur et abundabit. Quasi dicat : Omni habenti, scilicet charitatem, dabitur major profectus in virtutibus, et major intellectus in Dominicis præceptis : et hoc est, *et abundabit.*

Ei aute qui non habet, scilicet charitatem, quod videtur habere naturali bono, sicut est naturale ingenium et littera, scientia aufertur ab eo, quia aut tradit oblivioni, aut, si retinet, naturale bonum, quasi ab eo ablatum est, dum infructuosum manet. Vel aliter : *Omni habenti*, scilicet amorem verbi Dei, datur ei sensus intelligendi. *Qui vero non habet*, etiamsi naturalem scientiam habeat, dum eam non amat, ab ea deficit. Qui enim desides sunt, quamvis naturaliter sint acui, tamen perdunt naturale bonum et præmium quod eis erat promissum. Sed quia solliciti sunt, et alios instruunt, quod minus habent per naturam acquirunt, per industriam.

Vel aliter : Qui habent fidem et bonam voluntatem, etiamsi minus habent in opere, dabitur eis quod deest a bono judice. Sed qui fidem non habet, etiam cæteras virtutes, quas habet naturaliter, perdit : sine qua etiam virtutes non sunt.

Et inutilem servum ejicite in tenebras, etc. Ostendit pœnam, quam recipiet piger servus in futuro. Quasi dicat : Inutilem servum et infructuosum, qui

sponte et negligentia sua corruit in interiores tenebras, ejicite in exteriores.

Exteriores tenebræ possunt intelligi corporales pœnæ. Corpus quippe exterius animæ. Interiores ergo tenebræ mala sunt animæ, quibus a charitatis lumine aversa, in peccatis oblectatur. Exteriores vero tenebræ sunt mala corporis, quibus æternaliter torquebimur in igne. Item pecuniæ distributio inæqualis est, sed non ad dividentem referenda est diversitas.

Ait enim unumquemque secundum virtutem suam accepisse, et paterfamilias, ut diximus, Christus est. Tempus peregrinationis spatium est pœnitentiæ. Ille, cui dedit quinque talenta, populus Judaicus est, qui quinque libros Moysi habuit, et secundum quosdam dico, illos per evangelicam gratiam multiplicavit et explevit, et fructum Decalogi in lucrum reportavit. Eæ vero, cui duo talenta sunt commissa, gentilis est populus, cui data sunt duo, fides cordis, et confessio oris quæ duo iterum multiplicavit. Ille vero, qui unum talentum accepit, illos de Judaico populo designat, qui in lege persistentes carnali, carnaliter sapuerunt, et spiritualem legis intellectum in littera, quasi talentum in terra absconderunt, neque ipsi utentes, neque propter invidiam aliis scilicet gentibus utendum, dispensantes, et illum carnalem legis intellectum sibi ad salutem sufficere putantes. Lector cætera subtilius inquirat, secundum hanc sententiam.

Cum autem venerit Filius hominis, etc. Post parabolas, de fine mundi jam exsequitur Dominus modum futuri judicii. Et nota, quia crucifigendus præmisit gloriam triumphantis, ut de hac tanta promissione, scandalum crucis posset removere. Dicit itaque : *Cum venerit Filius hominis*, in secundo scilicet adventu suo venerit, dico ; *in majestate*, id est, in divinitatis potentia judicaturus, quoniam venit in humilitate servi judicandus. *Et omnes angeli ejus cum eo*, quia angeli sunt testes humanorum actuum, sub quorum custodia bene vel male egerunt.

Tunc sedebit rex super sedem majestatis suæ. Super Ecclesiam scilicet, in qua tunc apparebit omnipotentia ejus.

Nota, quod dixit *Filius hominis*. Valet enim adversus hæreticos, qui Christum in assumpta forma servi negant venire pro eo quod ait Apostolus : *Etsi noveramus Christum secundum carnem, sed nunc jam non novimus* (*II Cor.* v). Veniet ergo Filius hominis et Filius Dei. Filius hominis alius secundum humanitatem, non tamen aliud, sed unus idemque in utraque natura, verus et proprius Filius Dei.

Et congregabuntur ante eum omnes gentes, etc. Omnis temporis, omnis conditionis, omnis sexus, *et separabit eos ab invicem*, qui modo misti sunt, *sicut pastor, segregat oves ab hædis*, bonos scilicet a malis.

Nota, quod duo ordines erunt in judicio electorum et reproborum. Sed electorum alii judicabunt, de quibus dicitur : *Sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes tribus Israel* (*Matth.* XIX). Alii judicabuntur, quibus hic dicitur : *Esurivi, et non dedistis mihi manducare.* Item reproborum alii, qui extra Ecclesiam sunt, et non judicabuntur, alii judicabuntur, quibus dicitur : *Esurivi, et non dedistis mihi manducare.* Sequitur : *Et statuet oves quidem a dextris.* Id est, bonos in æterna beatitudine collocabit. *Hædos autem*, etc. Scilicet malos in æterna miseria confirmabit. Et bene dicit hædos, non capras, quæ fetus habere possunt. Hædus enim petulcum animal est et stolidum, quod pro peccato offerebatur in lege, et significat peccatores.

Tunc dicet rex his qui a dexteris ejus erunt, etc. Istud dicere, erat in conscientiis eorum.

Venite, benedicti Patris mei, etc. Id est beneficio Patris mei promoti ad obtinendam gloriam promissam.

Possidete, paratum vobis regnum et prædestinatum *a constitutione mundi*, ut in eo sine fine et sine corruptione regnetis, sicut promeruistis.

Esurivi enim, et dedistis mihi manducare, etc. Ad litteram nota misericordiæ et charitatis opera. Mystice vero, qui esurientem et sitientem justitiam, pane verbi reficit, vel potu sapientiæ refrigerat, charitatis quoque facit opera. Et qui errantem in domo matris Ecclesiæ revocat, infirmum in fide assumit; et qui tribulatione aliqua seu carcere justitiæ oppresso subvenit conpatiendo, vel consolando, veram dilectionem adimplet. Nota, quia justi respondent. *Domine, quando te vidimus esurientem* ? etc. Non diffidunt de verbis Domini, sed stupent de tanta sublimatione, vel de majestatis ejus magnitudine, vel quia videtur parvum esse quod egerant bonum. Unde dicitur : *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam* (*Rom.* VIII).

Et respondens rex, dicet illis : Amen dico vobis, quandiu fecistis uni de his, etc. Per hæc verba innuit se non generaliter dixisse de omnibus pauperibus, sed de his tantum qui sunt pauperes spiritu, qui scilicet voluntate propria postposita, voluntatem superni Patris faciunt. *Tunc dicet et his qui a sinistris erunt : discedite a me, maledicti*, etc. Visi sunt mali cum Deo esse, dum sunt permisti bonis in præsenti tempore, sed tandem tollentur impii, ne videant gloriam Dei, et mittentur in ignem æternum, qui præparatus est diabolo et angelis ejus, non hominibus a constitutione mundi, ut bonis regnum. *Esurivi, et non dedistis mihi manducare*, etc. Non dicit, qui fecistis homicidia, sed quia ea eleemosynis redimere noluistis. Cogita quid meretur qui aliena rapit, si æternaliter damnatur, qui sua non dedit. *Tunc respondebunt ei et ipsi : Domine, quando te*, etc. Excusare satagunt, quasi Deum fallere possint, qui homines fallebant, sed excusationem non habent, qui averti a malis et bona agere noluerunt. Unde subdit : *Quandiu non fecistis uni de minimis*, etc. *Et ibunt hi in supplicium æternum*, etc, Frustra ergo spondet Origenes libe-

rationem a malis hominibus post multos annos, et ipsis etiam dæmonibus.

CAPUT XXVI.

Et factum est, cum consummasset Jesus omnes hos sermones, dixit discipulis, etc. De consummatione sæculi, et de die judicii, vel ab initio Evangelii usque ad passionem omnia faciendo et prædicando compleverat. Nunc vero post sermonem, quo se venturum in claritate prædixit, passurum se esse ostendit, ut admoneat sacramentum crucis, admistum esse gloriæ æternitatis. Dicit itaque :

Scitis quia post biduum pascha fiet, etc.

Videndum est, qua die hæc verba Dominus cum apostolis locutus fuerit in monte Oliveti, ut manifestius intelligamus quid est quod dicit post biduum. Ex Joannis narratione colligitur quod ante sex dies Paschæ venit Jesus in Bethaniam, ibique factum est convivium, in quo interfuit Jesus. In crastino venit in Jerusalem, sedens super asinam. Eodem die,ut refert Matthæus, rediit in Bethaniam, ibique mansit. Mane autem, ut idem ipse refert, reversus est in civitatem, quando esuriens invenit ficum, et quæsivit fructum in ea, quod factum est die lunæ. De quarto vero die facit mentionem Marcus. Cum enim retulisset qualiter invenit, et qualiter maledixit ei, et quid fecisset in templo, postea subjunxit : *Et cum vespere factum esset, egrediebatur de civitate ;* postea addidit: *Et cum mane transirent, viderunt ficum aridam factam. Et recordatus est Petrus et dixit ei : Rabbi, Ecce ficus, cui maledixisti, aruit (Marc.* XI). Deinde multis aliis relatis, ostendit Dominum in monte Oliveti sedisse, et hæc omnia,quæ jam dicta sunt de consummatione sæculi, locutum apostolis ibi fuisse, in qua locutione Matthæus ait : *Et factum est, cum consummasset Jesus sermones hos, dixit discipulis suis* :

Scitis quia post biduum Pascha fiet, etc. Unde intelligi potest hæc in die Martis dixisse,ut post biduum,id est in die Jovis Pascha celebrandum esset. Pascha vocatur dies,in quo immolabatur agnus, et dicitur Pascha non a passione,ut plerique arbitrantur,sed a transitu.Pascha enim græce *transitus* interpretatur, quod Hebraice *phase* appellatur.Transitus autem ideo dicitur dies ille,quia ea nocte, qua immolatus est agnus in Ægypto, transierunt filii Israel de Ægypto. Vel ideo dicitur transitus, quia tunc transibat domos Judæorum exterminator angelus, cum videret sanguinem agni in postibus ; vel quia ipse Dominus præbens auxilium transibat super populum suum. Mystice autem pascha dies ille vocatur, quia de hoc mundo Christus ad Patrem transiit. Unde ait Joannes : *Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus, ut transiret de hoc mundo ad Patrem* (*Joan.* XIII). Septem dies qui post diem Paschæ sequebantur vocabantur azyma, quia in his azymis panibus Judæi utebantur, agentes in eis maximam solemnitatem. Sed evangelistæ indifferenter et diem azymorum pro Pascha ponere solent. Dicit enim Marcus : *Erat autem Pascha et azyma post biduum.* Dicit Lucas : *Dies festus azymorum, qui dicitur Pascha.* Item Joannes cum loqueretur de die in qua crucifixus est Christus,ait : *Ipsi non introierunt in prætorium, ne contaminarentur, sed manducarent Pascha* (*Joan.* XVIII). Quod ideo faciunt, quia et Paschæ dies in azymis panibus est celebrari præceptus, et nos] quasi pascha perpetuum facientes, semper ex hoc mundo exire præcipimur. Uno quippe agno immolato ad vesperam, septem ex ordine dies sequuntur azymorum : quia Christus Jesus semel pro nobis in plenitudine temporum passus in carne, per totum nobis hujus sæculi tempus, quod septem diebus agitur, in azymis sinceritatis et veritatis præcipit esse vivendum.

Et Filius hominis tradetur, etc. Appropinquante passione sua, non solum eam, sed et diem ejus voluit prænuntiare, ut sibi omnia patere, et sponte se mortem velle subire ostenderet,cum eam nullatenus devitaret ; et ideo prædicere volebat, ut apostolos confortaret.

Tunc congregati sunt principes, etc. Ostendit apparatum, et machinationem passionis Dominicæ. Et hoc est : Tunc congregati sunt principes, scilicet qui debuerant se præparare ad Pascha, contra Agnum verum se potius armant : et hoc faciunt ex dolo, et consilio timentes, ne plebs eum eis auferret. Unde dicunt :

Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo, etc. Et sic evaderet manus eorum. *Cum autem esset Jesus in Bethania*, etc. Ostenso consilio, vult exsequi expletionem ejus, qualiter videlicet Judas habuerit cum Judæis conventionem, ut Christum traderet, sed prius causam proditionis præmittit cum dicit : *Cum esset Jesus in Bethania.*Judas enim loculos habebat, et quoniam fur erat, quæ mittebantur a Jesu, retinebat. Cum ergo vidisset Mariam in unctionem Jesu libram unguenti expendisse, doluit, quia non erat venundatum, ut sibi pretium traderetur, et sibi inde aliquid corraderet. Pilatus itaque voluit damnum perditionis unguenti recompensare in pretio proditionis Magistri. Cum ergo dicturus esset :

Tunc abiit Judas ad principes sacerdotum,etc., ut causam ostendat,redit ad relationem effusionis unguenti, quæ facta est in domo Simonis leprosi. Et nota quia interruptus est tractatus. Hæc enim effusio facta est ante sex dies Paschæ, ut refert Joannes in die quo reciperetur cum ramis palmarum. Sed hic interserta est, quia fuit causa proditionis, quasi ita diceret : *Cum ita congregati essent principes sacerdotum,* et consilium facerent, *tunc abiit unus de duodecim ad principes sacerdotum*, etc. Et hoc non sine causa, sed ideo quia *cum esset in Bethania, in domo Simonis leprosi*, etc. Simon iste leprosus fuerat, sed curatus a Domino, antiquum adhuc tamen retinebat nomen. Mulier ista Maria erat Magdalene, soror Lazari, quem suscitavit Jesus a mortuis,ut Joannes aperte commemorat. Ipsa

est autem, non alia, quæ quondam, ut Lucas scribit, peccatrix ad Jesum veniens, pedes Domini lacrymis pœnitentiæ rigavit,et unguento piæ confessionis linivit, et quia multum dilexit, multorum veniam peccatorum a pio judice promeruit. Nunc vero justificata et familiaris facta Domino, non tantum pedes ejus, ut idem Joannes narrat, verum etiam caput, ut Matthæus Marcusque perhibent, oleo sancto perfudit. Est enim alabastrum genus marmoris candidi,variis coloribus interstincti, quod ad vasa unguentaria cavare solent, eo quod optime servare ea incorrupta dicatur.Nardus vero arbor est aromatica, de cujus foliis et spicis erat confectum hoc unguentum quod attulit Maria,quod pretiosius erat cæteris.Unde Matthæus vocat illud unguentum pretiosum, dicens ita : *Habens alabastrum unguenti spicati pretiosi.* Joannes vero ait : *Accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi* (*Joan.* XII).

Pistis Græce, Latine dicitur *fides*, et pisticum *fidele.* Erat enim unguentum illud fidele, id est verum et purum, non adulteratum. Augustinus vero ait : Quod ait pistici, locum aliquem credere debemus,unde erat hoc unguentum pretiosum. Mystice Christus est in Bethania, hoc est, *in domo obedientiæ*, et in domo Simonis, id est *obedientis.* Simon enim *obediens* interpretatur, quia Dominus in mentibus obedientium habitat. Devotio Mariæ fidem et pietatem significat Ecclesiæ, quæ loquitur in Canticis : *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum* (*Cant.* I). Quæ dum prædicat Deitatem,caput ungit; dum carnis humilitatem, pedes.

Videntes autem discipuli,indignati sunt, etc. Joannes dicit, hoc Judam locutum fuisse causa cupiditatis, eo quod fur erat ; quod autem Matthæus et Marcus discipulos ponunt pluraliter, synecdoche est,plurale pro singulari. Potest etiam intelligi, quod et alii discipuli aut senserunt hoc, aut dixerunt,aut eis Juda dicente persuasum sit,atque aut omnium voluntatem Matthæus et Marcus etiam verbis expresserunt; sed Judas propterea dixit quia fur erat, cæteri vero propter pauperum curam.

Sciens autem Jesus, ait illis, etc. *Mittens enim hæc unguentum*, etc. Quasi velit intelligi : Officium est sepulturæ et pietatis,quod vos perditionem putatis. Nec mirum si mihi dat fidei odorem, pro qua mox fusurus sum meum sanguinem. Permittamus ergo repræsentare eam meum sepulturam,ut effundat super me oleum,pro qua effundam sanguinem meum. Sequitur : *Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium*, etc. Id est in quocunque loco dilatabitur Ecclesia, per totum mundum *dicetur, et quod hæc fecit in memoriam ejus.* Istud et appositum, notant quod sicut Judas contradicens, adeptus est perfidiæ infamiam, sic et ista piæ devotionis gloriam. Sed bona Dominus tantum collaudans, hoc tacendo præteriit.

Tunc abiit unus, tunc scilicet quando congregati sunt principes sacerdotum, *abiit unus de duodecim*, abiit,non invitatus,non coactus, sed, sponte scele- A ratum iniit consilium, volens damnum de unguenti effusione Magistri sui pretio recompensare. Nec certe postulat summam, ut salutem faceret proditionem lucrosam, sed quasi ville vendens mancipium, ponit in potestate ementium, quantum vellent dare pretium. *At illi constituerunt ei dare triginta argenteos.* Idem scilicet pretium, quo Joseph a fratribus suis venditus est. Sequitur :

Et exinde quærebat opportunitatem, ut eum sine turbis traderet, etc. Multi hodie qui factum Judæ exsecrantur, idem faciunt, quia cum pro munere falsum testimonium dicunt,quia veritatem negant, Deum qui veritas est, vendunt. Dum charitatem violant,Deum qui charitas est, produnt, præsertim cum non faciunt hoc ex ignorantia, sed potius op- B portunitate faciendi quæsita.

Prima autem die azymorum, etc. Primam diem azymorum vocat quartumdecimum diem primi mensis, quando fermento abjecto immolare, id est agnum occidere ad vesperum solebant,qui licet,die sequenti, hoc est, quinta decima luna sit crucifixus, hac tamen nocte qua agnus immolabatur, et carnis, sanguinisque sui mysteria celebranda tradidit discipulis, et a Judæis tentus et ligatus est ipsius immolationis, hoc est, suæ passionis sacravit exordium. Sequitur :

Ubi vis paremus tibi Pascha, etc. Nota quia non erat eis domus certa. Unde probatur ædificatio domorum superflua.

At Jesus dixit : Ite in civitatem ad quemdam, etc. Marcus vero dicit : *Ite in civitatem, et occurret vo-* C *bis homo lagenam aquæ bajulans, sequimini eum, et quocunque introierit, dicite domino domus : Ubi est refectio mea, ubi Pascha cum discipulis meis manducem ?* (*Marc.* XIV).

Es ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande stratum, et ibi parate,etc. Sic non notificavit hominem nomine, sed signis, ut præscientiam Divinitatis ostenderet,qua ita discipulis quæ futura erant alibi prænotaret vel manifestaret;et ideo rursum maluit signis quam nomine denotare, quia in signis aliquid mysticum voluit significare. Quicunque enim voluerit Pascha Domini celebrare,debet sequi bajulum aquæ. Aqua significat gratiam Spiritus sancti. Unde alibi dictum est : *De ventre ejus fluent aquæ vivæ* (*Joan.* VII). Hoc autem dicebat de Spiritu san- D cto. Bajulus aquæ designat prædicatorem, qui debet omnibus gratiam spiritualem propinare. Lagena autem significat fragilitatem prædicatoris, de qua ait Apostolus : *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus* (*II Cor.* IV). Qui ergo vult celebrare pascha Domini, sequetur prædicatorem,qui ducet eum ad domum Ecclesiæ,in qua sibi ostendetur a domino domus, hoc est a prælato Ecclesiæ ubi debeat celebrari Pascha Domini.Demonstrabit enim ei cœnaculum magnum. Cœnaculum quod in alto est, altitudinem mysterii sacramentorum Dei significat. Qui ergo vult celebrare Pascha Domini, oportet ut illud in alto celebret,non in imo.In alto illud celebrat, qui aliud

in signo, id est in agno, quam pecus intelligit. Nec solas figuras veteris legis observat. In imo Pascha facit, qui solas figuras legis recipit, et nihil spirituale sub eis intelligit. Ideo et bajuli, et domini domus, sunt prætermissa vocabula, quia sine nominibus adhuc eorum erant significata. Nullus enim honos erat Christiani nominis, nec prælatorum nec prædicatorum.

Vespere autem facto, etc. Et ideo vespere discubuit cum discipulis, quia in passione Christi, quando verus sol ad occasum properavit, refectio æterna omnibus fidelibus præparata fuit.

Et edentibus illis dixit : Amen dico vobis, quia, etc. Ex magnitudine misericordiæ suæ voluit Dominus proditorem discipulum ad pœnitentiam multis modis revocare, occultis videlicet notationibus, minis, sacramento unitatis, exemplo humilitatis. Occultis notationibus hoc modo : Cum Judas putaret conscientiam suam Deum latere, ostendit Christus eam manifestam esse, tamen non nominando discipulum, ne impudentiorem faceret manifeste redargutum ; dum tangit crimen, ad pœnitentiam invitat. Silet nomen, ne impudentior fiat. Minis revocat, cum ait : *Væ illi per quem Filius hominis tradetur*, etc. Sacramento unitatis, cum corpus suum ei tradit ; exemplo humilitatis, cum ei pedes abluit.

Et constristati sunt, etc. Certum est quia undecim discipuli non erant sibi conscii, sed tamen plus credunt magistro quam sibi. Timentes ergo fragilitatem suam, ne in eis esset voluntas futura proditionis, interrogant illum cui omnia patent futura, dicentes : *Nunquid ego sum, Domine?* etc. *Qui intingit mecum*, etc. Dum perseverat proditor in malo, manifestius arguit, et tamen nomen proprie non designat. Judas cæteris constristatis, et retrahentibus manum, temeritate et impudentia qua proditurus erat, illam manum cum Magistro misit in paropside, ut audacia bonam conscientiam mentiretur. Matthæus dicit *in paropside*. Marcus *in catino*. Paropsis est vas escarum quadrangulatum a paribus assibus, id est æquis lateribus dictum. Catinum vero vas fictile apertum, ad immitendum liquorem, et potuit fieri ut in mensa vas fictile a quadrangulis contineretur. Sequitur :

Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo. Væ autem homini illi per quem, etc. Nec primo nec secundo correctus a proditione pedem retrahit, sed patientia Domini impudentiam suam nutrit et iram Dei thesaurizat sibi. Pœna igitur prædicitur sibi, ut quem pudor non vinceret, corrigant denuntiata supplicia. Sed et hodie et in sempiternum, væ homini illi, qui ad mensam Domini malignus accedit, qui præcordiis aliquo scelere imbutus, pollutis sacrosanctis mysteriis participari non metuit.

Bonum enim erat illi, etc. Hoc simpliciter intelligendum est et usitate. Quasi dicat : Multo melius erat omnino non esse, quam male esse. Nec tamen ideo dicitur, quod bene potest esse illi qui non est, sed usualis locutio est. Quod autem dicitur, *si natus non fuisset homo ille*, duobus modis intelligi potest. Si natus, quasi dicat, non fuisset homo ille, id est Judas. Vel si natus non fuisset homo ille, id est Christus. Potest etiam hic versus alio modo exponi. Bonum esset illi, id est minus malum esset Judæ, ut mitius malum bonum dicatur comparatione majoris mali. Si homo ille, id est Judas, non natus esset in fide, et in apostolorum electione per Christi vocationem : nisi enim natus esset per vocationem, non esset apostata per proditionem. Vel bonum erat ei, id est minus malum, si natus non fuisset in mundo, sed tanquam abortivum in ventre matris mortuus.

Respondens autem Judas, qui tradidit eum, dixit : Nunquid ego sum, Rabbi? Quia cæteri discipuli eum tristes interrogaverunt, interrogat eum et iste, ne tacendo videretur reus se prodere. Et alii dicunt, *Domine*, iste vero *Rabbi*, quasi levius reputans prodere Magistrum quam Dominum, vel blandientis affectum ostendit, dum prodit. Sequitur :

Ait illi : Tu dixisti. Quasi dicat : Tu te prodidisti, non ego. *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, fregit, deditque discipulis suis*, etc. Finitis veteris phase solemniis, quæ in commemoratione antiquæ de Ægypto liberationis populi Dei agebantur, transit ad novum, quod in suæ redemptionis memoria, Ecclesiam frequentare volebat, ut scilicet pro carne agni ac sanguine, sui corporis sanguinisque sacramentum institueret, ipsumque se esse monstraret, cui juravit Dominus : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech* (*Psal.* CIX). Frangit itaque ipse panem, quem discipulis suis porrigit, ut ostendat sui corporis fractionem, non absque sua sponte ac procuratione futura, sicut ipse dixit : *Potestatem habeo ponendi animam meam* (*Joan.* X) : quem scilicet panem, gratia certi sacramenti priusquam frangeret, benedixit, quia naturam humanam quam passurus assumpit, ipse una cum Patre et Spiritu sancto gratia divinæ virtutis implevit. Post cœnam igitur corpus sum tradidit, quia necesse erat prius Pascha typicum consummari, et sic veri et novi Paschæ sacramenta substitui. Nos vero pro reverentia tanti sacramenti prius reficimur Dominicis sacramentis, quam corporalibus escis. Sequitur : *Accipite*, id est intelligite, *et comedite*, id est spiritualiter vobis incorporate. *Hoc est corpus meum*, quod sub specie panis videtis. Tale dedit, quale per naturam est, videlicet immortale et impassibile, quia immune erat a peccato. Non esset ei necessarium mori vel pati, nisi quia sic fuit sibi voluntarium. *Et accipiens calicem*, passionem suam præsignantem, *gratias egit*, in adversis, et pro adversis, quæ non pro se, sed pro nobis tulit. *Et dedit illis dicens : Bibite ex hoc omnes.* Estote meæ passionis repræsentatores et participes. Ostendit quid quisque facere debeat, in flagello propriæ culpæ cum ipse tam æquanimiter sustulit flagella culpæ alienæ. Quia panis confirmat corpus, et vinum inebriat, et mentem e mundo alienat, trahens ad cœ-

lum : ideo Christus hæc duo elegit, quæ in corpus et sanguinem suum converterentur, ut ex suis speciebus hoc intelligerent fideles. Vinum vero sanguinem operatur in carne. Mystice hoc ad corpus Christi, illud refertur ad sanguinem. Unde quia et nos in Christo, et in nobis Christum manere oportet, vinum Dominici calicis aqua miscetur. Attestante enim Joanne, aquæ populi sunt, et neque aquam solam, neque vinum solum, sicut nec granum frumenti solum sine aquæ commistione et confessione in pane cuiquam licet offerre, ne talis oblatio quasi caput a membris secernendum esse significet, et ibi Christum sine nostræ redemptionis admistione mortem pati potuisse, vel nos sine illius passione salvari, ac Patri offerri posse confingat. Oportet ergo ut nos ei vivamus, et ipse in nobis maneat, et nos in eo. Quod autem dicit :

Hic est sanguis novi testamenti. Ad distinctionem veteris testamenti dicitur, quod dedicatum est vitulorum et hircorum sanguine, qui licet effunderetur, peccata tamen non remittebat.

Dico autem vobis : Non bibam, id est, non delectabor *amodo* cæremoniis hujus populi, in quibus sacramenta agni paschalis præcipua sunt. Erit enim dies meæ resurrectionis, cum ipse in regno Dei positus, id est in gloria vitæ immortalis sublimatus, de salute ejusdem populi spirituali gratia renati, novo vobiscum gaudio perfruar. Item Augustinus vult hoc vetus intelligi esse cum illud novum dicit. Quia ergo de propagine Adæ, qui vetus homo appellatur, corpus susceperat, quod in passione morti traditus erat. Qui aliud novum vinum promittit, nisi immortalitatem quam daturus erat renovatorum corporum intelligere debemus. Quod dicit *vobiscum bibam,* etiam ipsis resurrectionem corporum ad induendam immortalitatem promittit. *Vobiscum* enim, non idem tempus, sed ad innovationem eamdem dictum accipiendum est : quod autem dicit *de genimine hoc,* significat eadem corpora utique resurrectura, secundum innovationem cœlestem, quæ nunc sunt moritura secundum vetustatem. Si autem vitem, de cujus vetustate nunc passionis calicem bibit, ipsos Judæos intellexeris, significat etiam ipsam gentem ad corpus Christi per vitæ novitatem accessuram, cum ingressa plenitudine gentium, omnis Israel salvus fiet.

Et hymno dicto, exierunt in montem olivarum, etc. Hoc est quod in Psalmo legimus : *Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum,* etc. (*Psal.* XXI.) Potest etiam intelligi ille hymnus, quem Dominus secundum Joannem Patri gratias agens decantabat, in quo pro se et discipulis suis precabatur et credituris ; et bene discipulos sacramento sui corporis et sanguinis refectos, et hymno piæ intercessionis Deo Patri commendatos in montem ducet Olivarum, ut typice designet nos per acceptionem sacramentorum suorum, perque opem intercessionis suæ ad altiora virtutum charismata sancti Spiritus, quibus in corde purgamur, debere conscendere.

A *Tunc dicit illis : Omnes vos scandalum patiemini,* etc. Prædicit quod passuri sunt, ut cum passi fuerint, non desperent salutem, sed agentes pœnitentiam liberentur. Et bene dicit *in nocte.* Qui enim dormiunt, nocte dormiunt, sic qui scandalizantur, nocte scandalizantur.

Scriptum est enim : *Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis,* etc. Hoc aliis verbis in Zacharia propheta scriptum est, et ex persona prophetæ ad Deum dicitur : *Percute pastorem, et dispergentur oves gregis* (*Zach.* XIII).

Postquam autem resurrexero, etc. Sicut locum prædixit passionis, sic prædicit locum resurrectionis, et ut etiam infirmitatem eorum consolaretur sponsione sui reditus. *Respondens autem Petrus ait:*
B *Et si omnes scandalizati,* etc. Non est mendacium quod dicit Petrus, nec temeritas, sed fides et ardens dilectio. In tantum enim Christi charitate efferebatur, ut et imbecillitatem carnis suæ et fidem verborum Christi non contueretur. *Ait illi Jesus : Amen dico tibi,* etc. Petrus ex ardore promittit ; Christus ut Deus ventura prædicit. Nota quod dicit, *antequam gallus cantet, ter* simpliciter. Solus Marcus dicit, *antequam gallus bis cantet.* Trina negatio Petri, si tota post primum galli cantum inciperet, mentiri viderentur tres qui dicunt : *Antequam gallus cantet.* Item si tota ante, superflue diceret Marcus, *antequam bis cantet.* Sed quia ante primum cœpit, attenderunt, illi tres, non quando completurus esset eam, sed quanta futura esset quandocun-
C que incepta, vel tota in animo Petri perfecta est ante primum cantum, quæ verbis ante primum cœpta, ante secundum peracta est. Tantus enim timor mentem illius invaserat, qui ter negare faceret. Nota etiam quod Matthæus et Marcus, negationem Petri subnectunt, postquam Jesus egressus est de domo ubi manducavit Pascha ; Joannes et Lucas antequam inde egressus est. Sed facile intelligimus, vel illos recapitulasse, vel istos præoccupasse, ni magis moneret quod tam diversa non modo verba, sed etiam sententias Domini præmittunt, quibus permotus Petrus, illam præsumptionem proferret moriendi, ut magis cogant intelligi eum expressisse præsumptionem suam diversis locis ad sermonem Christi, et ter illi a Domino esse responsum, quod eum ante galli cantum esset negaturus ; sic post resur-
D rectionem suam an se amaret interrogavit, et ter de pascendis ovibus præcipit. *Tunc venit Jesus cum illis in villam quæ dicitur Gethsemani.* Lucas dicit [*in montem Oliveti,* Joannes *trans torrentem Cedron,* quod idem est, quia Gethsemani locus, in quo oravit, est radicem montis Oliveti, ubi est hortus, et ubi etiam ecclesia ædificata est. Gethsemani interpretatur *vallis pinguium,* et nota loca et tempora plena esse figuris. Cum enim dicit in monte orat, nos sursum in oratione cor habere docet. Cum in valle, et in hac valle pinguium, docet in oratione humilitatem, et æternæ dilectionis pinguedinem esse sudandam. Quantum vero ad ipsam Dominicæ pas-

sionis pertinet dispensationem, apte appropinquans Dominus morti in valle pinguedinis oravit, quia per vallem humilitatis, et pinguedinem charitatis mortem subiit pro nobis. *Et dixit discipulis : Sedete*, etc. Fidem discipulorum et constantiam devotæ voluntatis acceperat, sed turbandos illos et dispergendos prasciebat, quare figuraliter eos in loco jubet sedere, dum progrederetur orare. Sequitur : *Et assumpto Petro et duobus filiis Zebedæi, cœpit constristari*, etc. Cœpit constritari, ut probaret veritatem assumptionis, id est assumpti hominis, non timore passionis, quia ad hoc venerat, sed pro scandalo apostolorum, et rejectione Judæorum, et eversione Jerusalem. Et nota quod dicit, *cœpit :* aliud est enim incipere contristari, aliud tristari. Augustinus. Timet Christus, cum non timeat Petrus. Petrus ut homo vim mortis ignorat Deus in corpore constitutus, fragilitatem carnis exponit, ut eorum qui sacramentum incarnationis objurgant, impietatem excludere possit; qui etiam corpus suscepit, omnia quæ sunt corporis debuit subire. Unde sequitur : *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Nota quia non mors, sed tempus mortis in metu est, donec apostolos sua liberet passione. Per virtutem enim resurrectionis, postea firmanda erat fides credentium. *Sustinete hic*, etc, Hilarius. Non prohibet eos a somno, cum tempus non erat imminente tanto discrimine, sed potius a somno infidelitatis et torpore mentis secum manere pervigiles admonet. *Et progressus pusillum, procidit in faciem suam*, etc. Dato eis præcepto ut sustinerent et vigilarent secum pusillum progressus ruit in faciem, ut humilitatem mentis ostenderet habitu corporis, et parem humiliationem eos doceret, quibus eadem passio immineret.

Orat ergo cum dicit : *Mi Pater, si possibile est*, ut scilicet me non moriente mors moriatur, vel ut sine interitu Judæorum credant gentes. *Tunc transeat a me calix iste*, etc. Quasi dicat, tunc passionem recuso; alioquin *fiat voluntas tua.* Nostræ utitur voce naturæ, et causam agit fragilitatis et trepidationis humanæ, ut in his quæ toleranda sunt et patientia roboretur, et formido tollatur. Non enim pro timore propriæ passionis credendum est prolata esse hæc verba, ab eo, qui ad hoc venerat ut pateretur. Unde cessans hoc ipsum excusato quodammodo nostræ infirmitatis metu, in quo remanere non expedit, in alium affectum transit, et dicit :

Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Augustinus. Suam voluntatem dicit, quam temporaliter ex virgine sumpsit; voluntatem vero ejus qui misit eum dicit, quam æternus æternalitater communem cum Patre habet.

Transeat a me calix iste. Hoc non pro timore, sed pro misericordia dicit, ne Judæi, qui excusationem non habent ignorantiæ, me occidant. Unde ait, *iste*, id est populus Judæorum, non simpliciter calix. Vel, transeat calix a me simpliciter, id est ut me non moriente, mors moriatur. *Verumtamen*, etc. Quasi

A in se reversus hoc dicit : *Non sicut ego volo*, secundum quod homo, *sed sicut tu* Hic docet humanæ voluntati voluntatem Dei præponi. Hominem, quoniam veritatem corporis monstrabat, æquabat affectu, ut diceret : *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Suscepit voluntatem meam, suscepit tristitiam meam, qui suscepit carnem meam. Confidenter tristitiam nomino, qui crucem Christi prædico. Sine peccato fuit, et pœnam peccati voluntate sustinuit. Transfiguravit ergo in suos, qui nihil aliud vult, quam Pater, cum dicit : *Non sicut ego volo*, etc. Sicut et alibi dicit : *Saule, Saule, quid me persequeris ?* (*Act.* IX).

Et venit ad discipulos, et invenit eos dormientes, etc. Præ nimia tristitia enim sommum vincere non poterant. *Et dicit Petro : Sic non potuistis una hora vigilare mecum ?* etc. Hilarius. Petrum ideo singulariter inter cæteros increpat, quia præ cæteris nunquam se scandalizaturum promissus fuerat. *Vigilate, et orate, ut non intretis in tentationem*, etc. Nota, quia non dicit, ne tentemini, sed ne intretis in tentationem, ne scilicet a tentatione vincamini et superemini.

B

Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, etc. Hilarius. Non utique hoc de se dicit, ad eos enim hic sermo pertinet qui se spoponderant nunquam negaturos. Illorum enim spiritus promptus erat, sed caro infirma erat, quia nondum induti erant virtute ex alto. Spiritus ergo promptus erat ad confitendum, sed caro infirma ad tolerandum.

C

Iterum secundo abiit, etc. Quod est dicere : Si non potest Ninive, id est gentilitas salvari, nisi cucurbita aruerit, id est populus Judæorum, quia prius ejus fuit tabernaculum, *fiat voluntas tua*, ut me occidat. *Et venit iterum*, jam vicina negatione, *et invenit eos dormientes. Erant enim oculi eorum gravati.* Languescebant apostolorum oculi vicina negatione. *Et relictis illis, iterum abiit*, etc. Notandum quia Dominus tribus vicibus oravit, ut et nos a præteritis peccatis veniam, et præsentibus malis tutelam, et a futuris periculis cautelam oremus, et ut omnem orationem ad Patrem, et ad Filium, et ad Spiritum sanctum dirigamus. Item sicut trina tentatio est cupidatis, ita et timoris ; concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, ambitio sæcularis, D timor mortis, timor vilitatis, timor dolorum : contra quæ omnia docet nos debere in oratione muniri. Unde et propter trinam tentationem passionis, potest intelligi Dominus orasse ter. *Tunc venit ad discipulos suos, et dixit : Dormite jam, et requiescite*, etc. Augustinus. Mirum est, quomodo jubeat eos dormire et quiescere, cum subjungat : *Ecce appropinquat hora*, etc. Et ideo dicat : *Surgite, eamus.* Qua repugnantia commoti, qui legunt conantur ita pronuntiare, quod dictum est : *Dormite jam et requiescite*, tanquam ab exprobrante, non a jubente dictum sit. Sed sciendum post illa verba Dominum siluisse, ut fieret quod promiserat, et post, secun-

dum Marcum, intulit : Sufficit, quod jam requievistis, addiditque.

Ecce appropinquavit qui me tradet. Surgite, eamus. Ultro scilicet nos offeramus, non inveniat nos quasi timentes et retrahentes, sed ultro nos ingerentes, ut confidentiam passuri videant. Timentes quidem invenerat; nunc ut confidentiam et gaudium passuri videant, invitat. HILARIUS : Quod primum revertens objurgat, secundo silet, tertio quiescere jubet, ista ratio est, quod primum post resurrectionem dispersos eos et diffidentes et trepidos reprehendit. Secundo misso Spiritu paracleto, gravatos ad contuendam Evangelii libertatem oculos visitavit. Nam aliquandiu legis amore detenti, quodam fidei somno sunt occupati. Tertio vero id est in claritatis suæ reditu securitati eos et quieti restituit. *Adhuc eo loquente, ecce Judas*, etc. Joannes evangelista, postquam dicit eum ingressum in hortum cum discipulis, non commemorat quid illic egerit, donec traditor ad eum camprehendendum venit *cum gladiis et fustibus.* Stultum est cum gladiis quærere eum qui ultro se tradidit, et in nocte, per proditorem investigare, quasi latentem, quem quotidie videbant in templo docentem. Dicit ergo : *Qui autem tradidit eum*, etc. *Quemcunque osculatus fuero, ipse est.* Habet adhuc de verecundia discipuli, qui non eum palam tradidit persecutoribus, sed per signum osculi. Et nota, quia signa quæ viderat ab eo facta, non divinitus, sed magice facta putabat, et quem in monte transformatum audierat, timebat ne tali modo nunc de manibus eorum liberaretur, et ideo signum dedit. *Et confestim accedens ad Jesum, ait : Ave, Rabbi*, etc. O quam impudens et scelerata confidentia magistrum vocare, et osculum ei, quem tradebat jungere! Suscepit autem osculum Dominus, non quo simulare nos doceat, sed ne proditionem fugere videretur, secundum David : *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus* (*Psal.* CXIX).

Dixit illi Jesus: *Amice, ad quid venisti?* Verbum amici per ironiam dictum, contrarium habet intellectum, sicut et *amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem* (*Matth.* XII). Hoc autem modo callide, aut per accusationem, aut per insultationem aliquid dicitur. Et nota, quia qui tradidit, traditus est Jesus ab illo, adversus illum, pro nobis, præter illum. Exsulta, Christiane, in commercio inimicorum tuorum vicisti. Quod Judas vendidit, et Judæus emit, tu acquisisti. *Et ecce unus ex his, qui erant cum Jesu*, etc. Petrus, ut Joannes declarat, eodem nimirum ardore, quo cætera fecerat, servo principis amputavit auriculam, sciens quomodo Phinees mercedem justitiæ et sacerdotii acceperit perennis, puniendo sacrilegos, qui etiam Judæum cum Madianita commistum, per genitalia transforavit (*Num.* XXV). Lucas etiam addit, quod Dominus auriculam servi sanaverit (*Luc.* XXII). Nunquam ergo pietatis suæ Dominus obliviscitur, qui hostem suum vulnerari non patitur. Illi justo mortem inferunt, iste persecutorum vulnera sanat. Mystice etiam docens eos, qui in suæ mortis consensione vulnus animæ contraxerant, salutem posse mereri, si dignum pœnitentiæ fructum facerent. Servus principis mystice populus est Judæorum, indebite mancipatus principibus sacerdotum, qui in Domini passione aurem dexteram, id est intelligentiam spiritualem perdidit; sinistra, id est nuditate litteræ contentus, non Petro tollente, sed divino judicio pandente ablatam, quæ in his qui credere maluerunt, pietate Domini restituitur. Vel auris amputata significat auditum, ablata vetustate innovatum, ut sit in novitate spiritus, et non in vetustate litteræ, quæ qui datur, a Christo datur, et cum eo regnare dicitur. Unde Malchus bene, id est *rex* vel *regnaturus* dicitur. Quod servus inventus est, pertinet ad vestutatem, quæ in servitute generat, sed cum accessisset sanitas, figurata est libertas.

Nota duos gladios esse in Ecclesia, alter materialis, alter spiritualis, sed spiritualis non nisi volentes, materialis vero etiam cogit nolentes. Plures enim gladio, quam stola coguntur in Ecclesia. Sunt et ministri sæculares, a quibus temporalia; et spirituales, quibus debent tractari spiritualia. Datur ergo materialis gladius carnalibus, spiritualis autem ministris spiritualibus. Sed sicut non convenit regibus, quod ad stolam pertinet, sic nec episcopus, quæ regis sunt, exercere debet. Quod quia Petrus, qui figuram spiritualim gerit materiam gladium quodammodo exercuit, dum auriculam servi amputavit, a Domino increpari meruit. Unde subdidit :

Converte gladium tuum in locum suum, etc. Quasi diceret : Cesset vindicta, et exhibeatur patientia, ut patientiam nostros doceamus, non vindictam.

Omnis enim qui accipit gladium, gladio peribit, etc. Turba adversus Dominum gladiis armata processerat, et ipse recondi gladium præcipit : significans, quia eos non humano sed oris sui gladio esset perempturus. Cæterum si secundum sententiam ejus omnes gladio utentes, gladio perimentur, recte ad necem eorum gladius exercebatur, qui eodum utebantur ad facinus. Vel gladio peribunt, illo scilicet, qui igneus vertitur ante paradisium, id est gladio divinæ vindictæ, et gladio spiritus, id est verbi Dei. *An putas, quia non possum*, etc. Vult dicere, quia non indiget auxilio duodecim apostolorum, qui potest habere, si vult, duodecim legiones angelorum, in quibus septuaginta duo millia sunt quibus omnium gentium lingua expremitur. Una enim legio apud veteres sex millibus hominum computabatur. Sexies duodecim, vel duodecies sex, septuaginta duo fiunt. Septuaginta vero duo millia angelorum, quia in tot linguas genus hominum est divisum, designat omne genus hominum cum Romano imperio adversus sceleratam gentem Judæorum certaturum. Hi sunt angeli Dei, qui post resurrectionem anno quadragesimo secundo cum Tito et Vespasiano perdiderunt homicidas illos et civitates eorum succenderunt. *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri.* Promptum ad patiendum ostendit

animum, qui in sua passione asserit dicta prophetarum.

Tanquam ad latronem, etc. Ac si dicat : Stultum est quærere illum cum gladiis, qui ultro se tradit, et in nocte per proditorem investigare, quasi latentem, qui quotidie in templo docet. Sed ideo in tenebris congregamini, quia potestas vestra est in tenebris. *Hoc autem totum factum est, ut adimplerentur Scripturæ prophetarum : Tanquam ovis ad occisionem ductus est* (*Isa.* LIII), etc. Quod sequitur planum est. *Tunc discipuli relicto eo fugerunt.* Sicut Petrus, qui negationem abluit lacrymis, et confessionem Dei funditus extirpavit, recuperationem eorum significat, qui in martyrio labuntur, ita cæteri qui fugerunt, cautelam fugiendi docent eos, qui minus idonei sunt in ferendis adversis, quibus tutius est latere, quam se discrimini committere. Ita etiam adolescens, qui secundum Marcum, relicta sindone, nudus profugit, illorum opus et animam designat qui, ut securiores sint, omnia quæ in mundo habent, abjiciunt; et Deo potius nudi famulari, quam habendo res mundi, materiam tentandi, et ab eo revocandi, dare didicerunt, juxta exemplum Joseph, qui relicto adulteræ pallio, maluit Deo servire nudus, quam indutus meretricis cupiditatibus. *At illi tenentes Jesum, duxerunt ad Caipham*, etc. Primum ductus est ad Annam socerum Caiphæ, secundum Joannem. Marcus autem et Lucas nomen non dicunt pontificis. De hoc autem Caipha testatur Josephus, quod pontificatum sibi absque merito dignitatis a principe Romano emisset. Non est ergo mirum, si iniqua, inquit, judex iniquus judicat. Convenit etiam nomen actioni Caiphas, id est *investigator* vel sagax ad implendam suam nequitiam, vel *vomes ore*, quia impudens fuit ad proferendum mendacium, et ad patrandum homicidium. *Petrus autem sequebatur eum a longe*, etc. Merito longe, qui in proximo erat eum negaturus. Non enim negare posset, si Christo proximus esset, sed in hoc maxime est admirandus, quod Dominum non reliquit, etiam cum timeret. Quod enim timet, naturæ est ; quod sequitur, devotionis ; quod negat, abreptionis ; quod pœnitet, fidei. Augustinus : Significabat vero Ecclesiam secuturam quidem, hoc est, imitaturam passiones Christi, sed longe differenter. Ecclesia enim pro se patitur, at ille pro Ecclesia. *Et ingressus*, etc. Hoc quidem faciebat vel amore justitiæ, quia erat discipulus, vel humana curiositate cupiens scire, quid de eo judicaret pontifex, utrum neci addiceret, an flagellatum dimitteret. Et in hoc nota diversitatem inter eum et alios discipulos. Illi enim fugerunt : iste vero, licet procul, tamen sequitur Jesum.

Principes autem sacerdotum, etc. *Novissime autem venerunt duo falsi testes*, etc. Falsus testis est, qui non eodem sensu dicta intelligit, quo dicuntur. Dominus enim dixerat de templo corporis sui, sed in ipsis verbis calumniantur, et paucis additur vel mutatis, quasi justam inferunt calumniam. Christus quidem dixerat : *Solvite templum hoc*, hoc isti com- A mutant et aiunt : Ego dissolvam hoc templum manufactum. Vos, inquit, solvite, non ego, quia illicitum est, ut nobis ipsis mortem inferamus. Item Dominus dixerat, et ego resuscitabo, quod de animali templo dixerat, illi venerunt, dicentes illum dixisse, aliud manufactum ædificabo, ut proprie de templo Judaico videretur dictum. Aliud enim est ædificare, aliud resuscitare. *Et surgens princeps sacerdotum ait illi : Nihil respondes?* etc. Ira præceps et impatiens, non inveniebat locum calumniæ. Motu ergo corporis indicat insaniam mentis, et provocat ad respondendum, ut qualibet occasione accusandi inveniat locum. Jesus autem non respondebat, sciens, ut Deus, quæcunque respondisset, torquendum in calumniam : tandem tamen adjuratus, si esset Filius Dei, B ipsi principi respondit, qua responsione omnia tam dicta, quam facta ejus præcedentia confirmantur, ideoque admodum necessaria. *Dicit illi Jesus : Tu dixisti.* Marcus vero dicit : *Ego sum*, quod idem est. Sciendum est Jesum utrumque, scilicet et *ego sum*, et *tu dixisti*, dixisse : sed huic unum, illi aliud referre sufficit. Et nota similem responsionem contra Pilatum et Caipham, ut propria sententia condemnentur.

Verumtamen dico vobis, amodo videbitis, etc. Quasi dicat : Vos me, ut hominem contemnitis, sed tamen per hoc me exaltatum super omnes cœlos videbitis. Littera patet : venientem in nubibus cœli ad judicium, vel mirabiliter operantem in sanctis.

Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, etc. C Quem de solio sacerdotali furor excusserat, eumdem rabies ad vestes scindendas provocat, et magno factum est hoc mysterio, cum vestis Domini nec a militibus eum crucifigentibus scindi potuerit. Significatur enim sacerdotium eorum, pro sceleribus pontificum penitus esse solvendum. Soliditatem vero Ecclesiæ, quæ vestis est sui Redemptoris, usque in finem sæculi indisruptam permanere. Et nota, quia mos erat Judæorum vestimenta scindere, cum audiebant aliquid blasphemiæ. *Tunc*, quia scilicet illum blasphemum putaverunt, *expuerunt in faciem ejus, et colaphis eum ceciderunt, alii palma in faciem ei dederunt.* Impleta est hoc loco prophetia, quæ dicit : *Dedi maxillas meas alapis, et faciem meam non averti a conspuentibus in me* (*Isa.* L). Sed qui tunc est cæsus colaphis Judæorum, cæditur etiam nunc D blasphemiis falsorum christianorum. Qui tunc est consputus salivis infidelium, nunc etiam exhonoratur atque irritatur vesanis opprobriis, nomine tenus fidelium.

AUGUSTINUS. Qui ei in faciem spuerunt, significant eos qui præsentiam gratiæ ejus respuunt. Qui colaphis eum cædunt, significant illos qui honores suos ei præferunt. Palmas ei in faciem dant, qui cæcati perfidia eum non venisse affirmant, tanquam præsentiam ejus exterminantes et respuentes.

Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit? etc. In contumeliam hoc ei dicitur, qui se prophetam haberi voluit a populo. Et secundum Mar-

cum, velaverunt faciem ejus, non ut ille scelera eorum non videat, sed ut a seipsis gratiam cognitionis ejus abscondant, sicut fuit velamen super faciem Moysi, quod usque hodie manet. Nobis autem credentibus ablatum est. *Nos enim revelata facie* (*II Cor.* III), etc.

Petrus vero sedebat foris, etc. Non appropinquabat Jesu, ne ministris aliqua suspicio nasceretur.

Et accessit ad eum una ancilla dicens : Et tu cum Jesu Galilæo eras? At ille negavit, etc. Quia nolens adhuc mori, manifestari se expavit. Quid est, quod primo prodit eum ancilla, cum viri magis poterant eum cognoscere, nisi ut et iste sexus peccasse in mortem Domini videretur, et per passionem Domini redemptus? et ideo mulier prima resurrectionis mysteria aperit, vel accepit, et mandata custodit : ut veterem prævaricationis aboleret errorem.

Exeunte autem illo, etc. Hic Marcus adimplet quod iste brevitatis causa emisit. *Exiit*, inquit, *foras ante atrium, et gallus cantavit* (*Marc.* XIV), quo reverso in atrium fit negatio. In hac secunda negatione a duobus compellitur. Ab ancilla, ut ait Marcus et Matthæus ; et ab alio, ut ait Lucas dicens. Et post pusillum alius ait : *Et tu ex illis es?* In hoc pusillo exiit, et reversus stans ad focum, ut Joannes ait, iterum negat.

Exeunte autem illo, id est cum exiret, vel exsurgeret, ut exiret, animadvertit eum ancilla, et dixit his qui ad ignem erant, quibus Petrus rediens jurat, *Non novi hominem*, id est non sum ejus discipulus, in quo etiam ipsum Christum negavit.

Nota etiam, quia primum ait, *nescio quid dicis*. Secundo, *cum juramento negavit*. Tertio *cœpit detestari et juvare, quia non novisset hominem*. Perseverare quippe in peccato, dat incrementum scelerum; et qui minima spernit, cadit in majora.

Et nota etiam, quia sunt noxia pravorum hominum colloquia, quæ coegerunt apostolum Petrum inter infideles negare Dominum, vel hominem se nosse, quem inter condiscipulos Dei Filium fuerat confessus.

Et continuo gallus cantavit, etc. Beda. Post tertiam negationem sequitur galli cantus. Et nota sacramenta rerum per status temporum. Media nocte negat; galli cantu pœnitet : post resurrectionem sub luce, quem ter negaverat, ter se amare professus est : Quia quod in tenebris oblivionis erravit, speratæ jam lucis rememoratione correxit, et ejusdem veræ lucis præsentia, plane totum se erexit, et quidquid nutaverat, correxit.

Leo. Ob hoc hæsitare permissus est, ut in Ecclesiæ principe remedium consideretur pœnitentiæ, et nemo auderet de sua virtute confidere, cum mutabilitatis periculum, nec beatus Petrus potuisset evadere. Mystice gallus aliquis doctor est, qui somnolentos increpans ait : Evigilate justi, et nolite peccare. Quod Petrus ante primum galli cantum negat, eos significat, qui Christum ante resurrectionem Deum esse non putaverunt, morte ejus turbati : quod bis ante secundum galli cantum negat, illos significat, qui nunc in illo secundum Deum, vel secundum hominem in utraque substantia errant, et ideo veritatem negant. Primus galli cantus est Domini resurrectio in seipso. Secundus autem ejusdem in corpore Ecclesiæ.

Et recordatus est Petrus verbi Jesu, etc. In alio evangelista est : *Respexit Dominus Petrum* (*Luc.* XXII), Jesus vero, qui inter pontificale concilium solo tenebatur corpore, animum trepidantis discipuli foris positi, ut respexit erexit, et ad fletus pœnitentiæ incitavit. Unde sequitur :

Et egressus foras, ut scilicet et liberum flendi haberet locum, *flevit amare*. Retentus in atrio Caiphæ, non poterat pœnitentiam agere. Foras ergo egreditur, quatenus ab impiorum consilio segregatus, sordes pavidæ negationis liberius ablueret fletibus.

CAPUT XXVII.

Mane autem facto, etc. Marcus et Matthæus contexunt narrationem de eis, quæ circa Dominum acta sunt usque mane. Sed post redeunt ad narrandam Petri negationem, qua terminata, redeunt iterum ad mane, ut inde cætera contexant. Attende sollicitudinem sacerdotum in malo. Tota nocte vigilaverunt, ut homicidium facerent.

Et vinctum adduxerunt eum, et tradiderunt eum, etc. Habebant enim hanc consuetudinem, ut quem adjudicassent morti, ligatum traderent judici. Attamen notandum, quod non tunc primum ligaverunt, sed mox comprehensum eum in horto, ut Joannes declarat, ligaverunt; et sic adduxerunt illum ad Annam primum (*Joan.* XVIII).

Tunc videns Judas, qui tradidit eum, etc. Hilarius. Judas sacerdotibus pretium retulit, quasi esset in sua potestate persecutorum sententiam mutare. Itaque licet voluntatem suam mutaverit, tamen voluntatis suæ primum exitum non mutavit. Magnitudine enim avaritiæ pondus impietatis exclusit.

Hieronymus. Nil profuit pœnitentiam egisse, per quam scelus non potuit corrigere, sed quando sic peccat frater in fratrem, ut emendare valeat, quod peccatum potest ei dimitti : sin autem permanent opera, frustra voce assumitur pœnitentia. Hoc est, quod de eodem Juda dicitur : *Et oratio ejus fiat in peccatum* (*Psal.* CLIII), ut non solum emendare nequiverit nefas proditionis, sed proprii homicidii scelus addiderit ad prius scelus.

Peccavi, tradens sanguinem justum, etc. Quanto magis ergo peccaverunt, qui eum emerunt, sed nequissimi se emisse audiunt, et tamen extra reatum se esse credunt, et in vendente scelus constituunt, dicentes : *Quid ad nos*, subaudi, pertinet? *Tu*, etc. Quasi dicant : Scis quid fecisti. Vel, quid ad nos pertinet pretium acceptum? tu illud probaveras, et volueras : tu fac inde quod vis. *Et projectis in templo argenteis, recessit*, etc. Sicut pœnitentia ejus infructuosa, sic et oblatio ejus in templo est reprobabilis. Finxerat enim quasi illud offerret, et tali

oblatione mundus ab illo peccato foret. *Et abiens, laqueo se suspendit.* Non statim, sed in die resurrectionis, vulgata jam et prædicata ubique resurrectione. Hoc autem genus mortis elegit, ut probaret talis mortis genere se perosum cœli et terræ. Et nota, quia qui ad mortem peccant, tantam ignorantiam sui et animi cæcitatem incurrunt, ut nec in sceleribus suis turbentur, nec pœnitentiæ dolore crucientur.

Principes autem sacerdotum acceptis argenteis dixerunt : Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est, etc. Væ illis colantibus culicem, et camelum glutientibus. Si enim ideo non mittunt pecuniam in corbonam, id est in gazophylacium, inter dona Dei, quia pretium sanguinis est, cur ipse sanguis effunditur? Et quid emolumenti habere poterunt apud Deum, si agrum ex ipso pretio emerunt ad peregrinos sepeliendos? Magnum sacramentum est in factis iniquitatis. Figulus est Deus, in manu cujus est ex eodem luto vas facere in honorem, vel in contumeliam. Ager ejus est sæculum, quod universum pretio Christi emitur, ut omnes ei commortui sepeliantur peregrini, non utique Israelitæ, sed alieni, qui in pretio sanguinis Christi sepulti, æternam requiem sortientur. *Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem : Et acceperunt triginta argenteos*, etc. Hoc testimonium in Jeremia non invenitur, sed in Zacharia fere secundum sensum, non secundum verba (*Zach.* XI). Unde quidam codices non habent per Jeremiam, sed tantum per prophetam. Tamen secreto Dei consilio factum est, ut animo Matthæi pro Zacharia occurreret Jeremias, quia omnes prophetæ eodem spiritu sunt locuti, ita ut singula sint omnium, et omnia sint singulorum. Quare ergo Matthæus hoc emendaret, quod fecerat spiritu regente? ut per hoc admoneremur, tantam inter prophetas esse concordiam, ut uni deputetur congruere, quod ab alio dicitur. Vel apud Jeremiam invenitur de empto agro, sed non sub hoc nomine pretii ; apud Zachariam de tringinta argenteis, et nihil de emptione agri. Utrumque ergo in tempore evangelista ad hoc, quod de Domino completum est, confert in unum : tringinta argenteos, quod a Zacharia ; et agrum emptum, quod est a Jeremia. Quod subdit, *quem appretiaverunt*, etc., apud neutrum invenitur, sed ex persona evangelistæ accipiendum est, quia ex Domini hoc revelatione cognovit. Hilarius. Ad hanc rem, quæ de pretio facta est, hujusmodi pertinere prophetiam.

Jesus autem stetit ante præsidem, et interrogavit eum præses dicens : Tu es rex Judæorum ? Dicit Jesus : Tu dicis, etc. Pilato nihil aliud criminis interrogante, nisi utrum rex Judæorum sit, arguuntur Judæi impietatis, quod nec falso quidem invenire potuerunt, quod objicerent Salvatori. Jesus vero responsionem sic temperat, ut et verum diceret, et tamen ejus sermo calumniæ non pateret; sed attende, quod Pilato, qui invitus ferebat sententiam, aliqua ex parte responderet; sacerdotibus autem et principibus sacerdotum respondere noluerit, indignosque suo sermone judicaverit. Et quando respondit, diverso modo quam respondisset Pilato, respondit. Sacerdoti enim quærenti an ipse Christus esset, dixerat : *Tu dixisti* (*Matth.* XXVI), quasi de præteritis respondens. Hoc ideo, quia lex omnis venturum Christum prædicaverat, et ipse sacerdos Christum ex lege dixisset. Huic vero Pilato legis ignaro interroganti, an ipse esset rex Judæorum, dicitur : *Tu dicis*, quia per fidem præsentis confessionis, salus gentium est. *Et cum accusaretur a principibus sacerdotum et a senioribus, nihil respondit.*

Hilarius. Et inimicus quidem est qui condemnat Jesum, sed causam refert in populum Judæorum. Huic enim nihil respondere voluit, ne crimen diluens dimitteretur, et ita crucis utilitas differretur. Secundum Lucam duo objecerant, quod prohiberet dari tributa Cæsari, et quod diceret se regem. De regno ergo Pilatus, quia nescit, interrogat. De tributis non quærit, ideo quia audierat eum respondisse: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo* (*Matth.* XXII). Jesus vero, quasi apertum mendacium eorum negligit. Unde Marcus dicit : *Et non erant convenientia eorum testimonia* (*Marc.* XIV).

Tunc dicit illi Pilatus : Non audis quanta adversus te dicunt testimonia ? etc. Ecce quomodo confert causam in populum Judæorum.

Per diem autem solemnem, etc. Non faciebat hoc præses imperialis legis sanctione, sed annua gentis consuetudine, cui per talia gaudebat placere. *Habebat autem tunc vinctum quemdam insignem*, id est, in malitia nominatum, *qui* dicitur *Barrabas*. Iste in Evangelio quod scribitur juxta Hebræos *filius magistri* vel *patris eorum* interpretatur, ipse est Antichristus, quem illi præferunt Christo, quibus dicitur : *Vos ex patre diabolo estis* (*Joan.* VIII). Pilatus vero qui *os malleatoris* dicitur, diabolum significat, qui est malleus universæ miseriæ, per quem Dominus vasa probari permittit, et ad ultimum conterit, quando in extrema damnatione confringit. Nota quod dicit *Jesum qui dicitur Christus*, quod Marcus dicit *regem Judæorum* (*Marc.* XV), quorum reges christi vocabantur.

Sciebat enim quod per invidiam eum tradidissent, etc. Quæ esset ipsa invidia Joannes declarat, dicens : *Ecce totus mundus post eum abiit, si dimittimus eum sic, omnes credent in eum* (*Joan.* XII).

Sedente autem illo pro tribunali, etc. Nota quod tribunal est judicum sedes, solium regum, cathedra magistrorum.

Multa enim passa sum, etc. Nota quod gentilibus sæpe a Domino somnia revelantur, quod in Pilato et uxore ejus justum Dominum confitentibus, gentilis populi testimonium sit. Hoc enim uxor gentilis viri in visionibus intelligit, quod Judæi vigilantes credere noluerunt. Et nota quia nunc demum diabolus intelligens per Christum se spolia sua amissurum, sicut primum per mulierem mortem intulerat, ita

modo per mulierem vult Christum de manu Judæorum liberare, ne per mortem ejus, mortis amittat imperium. *Principes sacerdotum*, etc. Egressa est iniquitas de senibus et judicibus populi. Data enim optione de Jesu et latrone, pro Jesu latronem, pro Salvatore interfectorem, pro Filio Dei petunt filium diaboli, ut iste liberetur, ille, scilicet Dei Filius, damnetur. Quæ sua petitio usque hodie hæret eis, amissa gente et loco et libertate : quia datorem libertatis maluerunt perdere, quam gentem et locum amittere. *Dicit illis Pilatus : Quid ergo faciam de Jesu? Dicunt omnes : Crucifigatur. Dicit eis præses : Quid enim mali fecit?* HILARIUS, Multas liberandi Jesum dedit occasiones Pilatus, primum latronem justo conferens, deinde inferens : *Quid ergo faciam de Jesu?* et cum respondissent, *Crucifige*, non statim acquievit, sed juxta suggestionem uxoris, quæ mandaverat, *nihil tibi, et justo illi*, ipse quoque respondens ait : *Quid enim mali fecit?* Quo dicto, Pilatus absolvit Jesum. At illi, quanto magis videbant quia Pilatus vellet eum liberare, tanto *magis clamabant : Crucifigatur*, et invalescebant voces eorum, ut adimpleretur quod dictum est, etc. *Exspectavi ut facerent judicium, et fecerunt iniquitatem, et non justitiam, sed clamorem* (*Isa.* v.)

Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua, lavit manus suas coram populo, etc. Manus quidem lavit, ut in ablutione manuum mystice gentilium operam præfigurarentur, et ab impietate Judæorum qui clamaverunt : *Crucifige*, nos gentiles alienos faceret, quodammodo contestans et dicens : Ego quidem volui innocentem liberare, sed quoniam seditio oritur, et per rebelliones mihi crimen contra Cæsarem impingitur.

Innocens ego sum a sanguine justi hujus, etc. Judex qui cogitur contra Christum ferre sententiam, non damnat oblatum, sed arguit offerentes, justum esse pronuntians, qui crucifigendus est, sed numquid judicem Deum fallebat? Quod fecit Pilatus in eo ipso, quod aliquantulum particeps fuit, quia si vellet, bene eum eripere posset, sed in comparatione eorum multo ipse innocentior fuit.

Tunc respondens universus populus dixit : Sanguis ejus super nos et super filios nostros, etc. Perseverat usque hodie hæc imprecatio super Judæos, et sanguis Christi non aufertur ab eis. Unde Isaias : *Si levaveritis manus vestras ad me, non exaudiam; manus enim vestræ sanguine plenæ sunt* (*Isa.* I). Optimam hæreditatem reliquerunt Judæi filiis, dicentes : *Sanguis ejus super nos et super filios nostros*, etc.

Tunc dimisit eis Barrabam, Jesum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur. Latro seditiosus, et homicidiorum plenus, et auctor, dimissus est populo Judæorum, id est diabolus, qui jam olim ob superbiam a patria lucis expulsus, et in tenebrarum carcerem fuit missus ; et ideo pacem Judæi habere non possunt, quia seditionum principem eligere maluerunt. Vel, Barrabbas typum gerit Antichristi.

Jesum vero flagellatum tradidit eis. Jesus flagellatus, non ab alio quam ab ipso Pilato intelligendum est, quod quidem ideo fecisse credendus est, ut Judæi satiati pœnis ejus et opprobriis, mortem ejus ultra non sentirent, et ut etiam Romanis legibus servirent, quæ crucifigendum prius jubent flagellari. Mystice autem hoc factum est. quia scriptum erat: *Multa flagella peccatoris* (*Psal.* XXXI), ut illo flagellato, nos a verberibus liberaremur, dicente Scriptura : *Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo* (*Psal.* XC).

Tunc milites præsidis, etc. Milites quidem, quia rex Judæorum fuerat appellatus ; et hoc ei sacerdotes crimen objecerant, quod sibi in populo Israelitico usurparet imperium : illudentes hoc faciunt, ut nudatum pristinis vestibus induant purpura, qua reges veteres utebantur, et pro diademate, ponunt ei spineam coronam, pro sceptro regali dant calamum, et adorant quasi regem. Nos autem et hæc omnia intelligamus mystice. Quomodo enim Caiphas dixit. Oportet *unum hominem mori* (*Joan.* XVIII), etc., nesciens quid diceret: sic isti quæcunque fecerunt, ignorant, licet alia mente, tamen nobis qui credidimus, sacramenta tribuebant. Per chlamydem enim quam Marcus dicit esse purpuream, Christi caro passionibus objecta insinuatur. Unde Propheta : *Quare ergo rubrum est indumentum tuum?* etc. (*Isa.* LXIII.) In spinea corona nostrorum susceptio peccatorum, quæ per spinas notantur. Unde Dominus protoplasto dixit in peccato lapso : *Terra tua germinabit tibi spinas et tribulos* (*Gen.* III), hoc est, conscientia tua punctiones aculeosque vitiorum procreabit. Juxta Lucam ab Herode veste alba induitur, in quo innocentia et castitas assumptæ humanitatis, et gloria regni immortalis quam per passionem accepit designantur ; vel induitur purpura, id est, sanctis martyribus, alba veste in aliis sanctis. Quia vero solet fieri scriptura calamo, calamo caput Christi percutiunt, qui divinitati ejus contradicentes errorem suum auctoritate sacræ Scripturæ confirmare conantur. Aliter : In arundine earumdem gentium infirmitas atque inanitas compressa signatur, quia etiam capiti ejus induitur. Capiti enim de ictu arundinis non est grandis injuria, sed typica inest illic significatio, ut scilicet infirmitas gentilium corporum Christi ante manu comprehensa, etiam in Deum Patrem, qui caput ejus est, acquiescat. Spuunt in faciem ejus, qui præsentiam gratiæ illius verbis exsecrandis respuunt, et Jesum in carne venisse denegant. Et sicut illi falso et malo animo adorabant, ita sunt hodie qui eum credunt, sed perversis actibus verba ejus quasi fabulosa despiciunt, et promissa regni vilipendunt. In suis vestibus non illuditur, sed in his quæ propter peccata nostra portavit. HILARIUS. Cum crucifigitur, suum recipit ornamentum, statimque elementa turbantur, et Creatori testimonium dat creatura.

Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenæum, etc. Cavendum est, ne videatur contrarium quod Joannes scribit, ipsum Dominum crucem bajulasse. Cæteri vero evangelistæ hunc Simonem Cyrenæum eam referunt portasse. Sed intelligitur quod ipse primum sibi portavit crucem, cum exiret in locum memoratum ; Simon in via angariatus est, ut portaret, ita utrumque factum invenitur : primo id quod Joannes dicit, demum quod reliqui tres. Et hoc satis congruo ordine mysterii, quia Christus passus est pro nobis, relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Et quia Simon iste non Israelita, sed Cyrenæus esse perhibetur, a Cyrene, quæ est civitas Libyæ, recte designantur per eum populi gentium, qui quondam peregrini et hospites testamentorum, nunc obediendo cives sunt et domestici Dei. Unde et apte Simon *obediens* interpretatur. Cyrene vero *hæres*, qui Simon de villa venit, id est de gentilitate. Villa enim Latine, pagos dicitur Græce. Unde pagani qui a civitate Dei prius alieni, relictis paganis retibus, passionis vestigia imitantur : vel in Domino figurantur illi, qui sponte portant crucem Domini : In Simone qui inviti. *Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha*, quod Syrum interpretatur *Calvariæ*. Extra urbem quædam loca sunt, in quibus truncantur capita damnatorum et Calvariæ, id est decalvatorum nomen sumpserunt. Ideo etiam ibi crucifixus est Dominus, ut ubi prius erat area damnatorum, ibi erigerentur vexilla martyrii, et quomodo pro nobis maledictum crucis factus est, flagellatus et crucifixus, sic pro mundi salute, quasi noxius inter noxios crucifigeretur. Si quis autem dicere voluerit, ibi ideo Dominum crucifixum, ut sanguis ipsius super Adæ tumulum stillaret, interrogemus eum, quare et alii latrones in eodem loco crucifixi sunt ? Ex quo apparet Calvariam non sepulcrum primi hominis, sed locum significare decollatorum, ut ubi abundavit peccatum, superabundaret gratia Dei (*Rom.* v). Adam vero sepultum juxta Hebron legimus in libro Jesu Nave.

Et dederunt ei vinum cum felle mistum, et cum gustasset, etc. Populus enim Judaicus erat vitis aliena in amaritudinem conversa, sed quod ait Marcus, *vinum myrrhatum* (*Marc.* xv), intelligendum est Matthæum dixisse cum felle mistum, fel pro amaritudine ponendo. Myrrha enim amarissima res est, quanquam fieri possit ut fel et myrrha vinum facerent amarissimum. Quod autem ait, *et cum gustasset, noluit bibere*, hoc indicat quod gustaverit quidem mortem amaram pro nobis, sed tertia die resurrexit.

AUGUSTINUS. Quod Marcus ait, *non accepit* (*ibid.*), intelligitur, non accepit ut biberet, gustavit autem, sicut Matthæus est testis. *Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt testimenta ejus, sortem mittentes.* Hoc Joannes plenius dicit, quia scilicet milites in quatuor partes juxta suum numerum dividentes, de tunica quæ inconsutilis erat, miserunt mortem (*Joan.* xix). Et quadripartita vestis, quadripartitam ejus significavit Ecclesiam, in quatuor mundi partibus diffusam. Tunica vero non scissa, sed sortita, omnium Ecclesiæ partium significat unitatem, quæ charitatis vinculo continetur. Illi etiam sententiæ, qua diximus quadripartita veste, significari Ecclesiam in quatuor mundi partibus diffusam, lignum crucis quadrifidæ videtur convenire : qua cruce quadrifida videtur amplecti quatuor mundi climata. Sed sic etiam diligenter attendamus, huic cruci quadrifidæ videtur apostolica convenire sententia, quæ dicit : *Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas et profundum* (*Ephes.* III). Latitudo enim crucis, ubi in transverso scilicet ligno manus infiguntur, hilaritatem significat operantis. Per manus enim opera, per latitudinem operantis, habemus hilaritatem. Tristitia enim facit angustias. Per altitudinem vero cui caput adjungitur, exspectatio retributionis de sublimi justitia Dei intelligitur, qui reddet unicuique secundum opera sua. Longitudo, qua totum corpus extenditur, ipsam significat tolerantiam, unde longanimes dicuntur qui tolerant. Profundum vero quod terræ infixum est, secretum sacramenti præfigurat.

Et sedentes servabant eum. Diligentia sacerdotum et militum nobis proficit. Per eam enim major et apertior virtus resurgentis apparuit.

Et posuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam : Hic est Jesus Nazarenus, rex Judæorum. Titulus superpositus plane ostendit quia nec occidendo efficere potuerunt, ut eum regem non haberent, qui potestate manifestissima redditurus est eis secundum opera sua. Unde in psalmo : *Ego autem constitutus sum rex ab eo* (*Psal.* II), et bene quidem rex, quia rex simul et pontifex est, cum Patri eximiam carnis sui hostiam in altari crucis obtulerit, per quod nos salvavit. Unde bene Jesus apponitur, et hic quod ibi apponitur, adverbium potest intelligi, quasi diceret : Dicatur hic rex, id est in hoc loco ita crucifixus, ita mortuus est ipse rex, ipse Jesus, ipse salvator et Redemptor. Potest tamen et pronominaliter legi.

Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, etc. Latrones qui cum Domino sunt crucifixi, hinc inde, significant eos qui vel agonem martyrii Christi ve quælibet continentiæ acrioris præcepta subeunt, sed quicunque hoc pro æterna solum cœlestique gloria quærunt vel gerunt, hi profecto dextri latronis merito et fide signantur, sed qui sive humanæ laudis intuitu, sive qualibet minus digna intentione mundo abrenuntiant, jure blasphematoris ac sinistri latronis mentem imitantur et actus, de talibus dicit Apostolus : *Si tradidero corpus meum* (*I Cor.* XIII), etc.

Prætereuntes autem blasphemabant, etc. Blasphemant qui prætergrediuntur viam, et in vero itinere Scripturarum nolunt gressus figere et movent capita, ut significent illos tota mente, tota affectione ad malum mobiles esse, et dicunt :

Vah qui destruis templum Dei, et in triduo reædificas illud! etc. Idipsum insultando clamat fatuus

populus, quod falsi testes qui crucifixerant, in quo magis comprobatur mobilitas mentis, significata motione capitis. *Si Filius Dei es, descende de cruce.* Si tunc insultantibus cedens de cruce descenderet, patientiæ virtutem nobis non demonstraret, sed paululum exspectavit, opprobria toleravit, derisiones sustinuit, et qui de cruce descendere noluit, de sepulcro surrexit. Plus enim fuit de sepulcro resurgere, quam de cruce descendere. Plus fuit mortem resurgendo destruere, quam vitam descendendo conservare. *Similiter et principes sacerdotum dicebant : Alios salvos fecit*, etc. HILARIUS. Etiam nolentes confitentur quod verum est, propriaque damnantur sententia. Qui enim alios salvavit, se utique si vellet salvare posset, sed minus nolebat ut faceret majus. Sequitur : *Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credemus ei*, etc. Quam fraudulenta promissio. Majus fecit resurgendo de sepulcro, et tamen non crediderunt. Sed dæmones hoc eis immiserunt, qui vellent ut descenderet ; statim enim crucis virtutem senserunt, et vires suas confractas. Permanet ergo Dominus ut diabolum prorsus destruat, et spolia sua ei auferat.

Idipsum et latrones qui cum eo, etc. AUGUSTINUS. Quomodo qui cum eo crucifixi erant, conviciabantur ei, cum unus eorum tantum conviciatus sit, secundum Lucæ testimonium ; alter vero conviciantem compescuerit? sed pro brevitate numerus pluralis pro singulari ponitur, sicut in epistola ad Hebræos : *Obturaverunt ora leonum*, cum de solo Daniele intelligatur ; *secti sunt* (*Heb.* II), de solo Isaia : quod vero Luca testante, alter ait : *Si tu es Christus, salvum fac te et nos;* alter vero redarguens illud, Dominum fideli supplicatione precatur, dicens : *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum* (*Luc.* XXIII). Usque hodie geri in Ecclesia videmus, cum veri simul et falsi Christiani, mundanis afflictionibus tacti, illi quidem qui ficta mente Dominicæ passionis sacramenta gustarint, ad præsentis vitæ gaudia liberari cupiunt a Domino. At qui simplici intentione cum Apostolo gloriantur in Dominica cruce, ita potius a præsentibus ærumnis optant erui, ut etiam spiritum suum commendent in manu sui Creatoris unaque cum ipso desiderent esse participes regni cœlestis. Unde bene ille qui dubia fide Dominum deprecabatur, prorsus est a Domino contemptus nec ulla responsione dignus habitus. At vero preces illius, qui ab eo salutem quærebat æternam, pia exauditione Dominus dignatus est suscipere. HILARIUS. Potest et in duobus latronibus uterque populus Judæorum et gentilium designari. Primum enim uterque populus Dominum blasphemavit, quando pariter Judæi et gentes in mortem Domini consenserunt. Postea vero signorum magnitudine alter exterritus egit pœnitentiam, et usque hodie Judæos increpat blasphemantes. *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt*, etc. Qui scripserunt contra Evangelium, suspicantur discipulum Christi ob imperitiam dixisse hoc pro eclipsi solis, quæ certis statutisque tem-

A poribus solet accidere ; defectus enim solis nunquam nisi ortu lunæ solet fieri. Nulli autem dubium est Paschæ tempore lunam fuisse plenissimam. Et ne forte videretur lunæ vel orbis umbra soli opposita breves et quasi ferrugineas fecisse tenebras, trium horarum ponitur spatium, ut omnis causantium occasio tolleretur. Et hoc factum est ut compleretur prophetia dicens : *Occumbet sol in meridie et tenebrabitur in die lux* (*Amos* VIII). Et alio loco : *Occubuit sol cum adhuc esset meridies.* Videtur etiam mihi sol radios suos retraxisse, ne videret suum Dominum pendentem in cruce, aut ne impii blasphemantes fruerentur sua luce.

Et notandum quod dicit sexta hora, hoc est recessuro sole a centro mundi, crucifixus est. Diluculo B autem, id est oriente jam sole, celebrabantur mysteria resurrectionis suæ. Statu enim temporis designavit, quod effectu operis exhibuit, quia mortuus est propter peccata nostra, et resurrexit propter justificationem nostram. Ideo quidem sexta hora passus est, nam circa horam illam Adam peccator factus est. Unde scriptum est, quod audierit *vocem Dei* ambulantis *in paradiso ad auram post meridiem* (*Gen.* III). Post meridiem namque, inclinata jam fidei luce. Ad auram vero, refrigescente charitatis fervore, deambulans autem audiebatur, quia ab homine jam peccante recesserat. Ratio igitur, imo divinæ pietatis ordo exigebat, ut eodem temporis articulo, quo tunc Adæ prævaricanti januam paradisi occluserat, nunc latroni pœnitenti reseraret, et qua C hora primus Adam peccando mortem invexit mundo, eadem secundus Adam mortem destrueret moriendo. Quod vero Marcus dicit, hora tertia crucifixum esse Dominum, cum tamen Joannes dicat Pilatum sedisse pro tribunali quasi hora sexta, in loco qui dicitur *Lithostrotos*, ideo actum est, ut Judæos qui se excusant, magis ostendat linguis crucifixisse Dominum, quam milites quorum manibus factum est, quod Judæi clamaverunt ut hora tertia crucifigeretur. Quando enim crucifixus est, erat hora quasi sexta.

Et circa horam nonam clamavit Jesus voce magna dicens : Eli, etc. Humana natura propter peccatum adeo fuerat derelicta, sed quia Filius Dei factus est noster advocatus et causidicus, ideo quorum suscepit naturam, eorum deplorat et miseriam, in quo D ostendit, quantum flere debeant qui peccant, quando sic flevit qui nunquam peccavit. Et nota quia cum inclinata est dies ad vesperam, et tepefactus est sol a fervore, passionem consumat, ostendens se propter peccata nostra mori, quibus a divina luce et dilectione in hanc incidimus noctem. Mane resurrexit, docens resuscitatos in anima, se esse perducturum in lucem æternæ felicitatis.

Quidam autem illic stantes, etc. HILARIUS. Non omnes, sed quidam quos reor milites fuisse Romanos, non intelligentes proprietatem Hebraici sermonis. Si autem aliquos Judæos intelligis, bonum est et hoc : solito enim more agunt, ut Dominum imbecilli-

tate infament, qui Eliæ auxilium deprecetur, reputantes eum minorem Elia.

Et continuo unus ex eis, etc. Quare acetum sit ei datum, Joannes ostendit dicens : *Sciens Jesus quia jam omnia consummata sunt,ut* hoc impleretur : *In siti mea potaverunt me aceto* (*Psal.* LXVIII), *dixit : Sitio* (*Joan.* XIX). Judæi erant acetum degenerantes a vino prophetarum et patriarcharum, tanquam de pleno vase de iniquitate hujus mundi impleti, cor habentes velut spongiam quodammodo cavernosum, atque tortuosis latibulis fraudulentum. Spongia herba dicitur esse vacua et cavernosa. Hyssopus quam circumposuerunt humilis herba, sed pectus purgans, humilitatem Christi significat. Spongiam vero hyssopo circumponunt, quia humilitatem Christi circumdederunt, et se circumvenisse putaverunt. Arundo significat Scripturam quæ hoc facto implebatur. Imponunt ergo spongiam arundini, id est eventum rei præmissæ adjungunt prophetiæ.

Jesus autem, clamans voce magna, emisit spiritum. Lucas aperte designat dicens : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, et hoc,* inquit, *dicens exspiravit* (*Luc.* XXIII). Quod vero Joannes ait, quia *cum accepisset acetum, dixit* : *Consummatum est, et inclinato capite* emisit *spiritum* (*Joan.* XIX). Inter illud quod dixit:*Consummatum est:* et illud : *inclinato capite emisit spiritum,* vox magna illa emissa est, quod tacuit Joannes, cæteri vero tres commemoraverunt.

HILARIUS. Divinæ potestatis est indicium emittere spiritum, sicut ipse ait : *Nemo potest tollere a me animam meam, sed ego pono eam, et iterum accipiam* (*Joan.* X).

Et ecce velum templi scissum est in duas partes, a summo usque deorsum. Josephus refert angelicas virtutes quondam templo præsidentes conclamasse : *Transeamus ab his sedibus.* Juxta vero anagogem, velum templi scinditur, ut arca testamenti et omnia legis sacramenta quæ tegebantur appareant, atque ad populum nationum transeant. Velum quod dicebatur exterius scissum est, quia nunc ex parte videmus; cum autem venerit quod perfectum est, tunc velum interius disrumpetur, ut omnia quæ sunt nobis abscondita videamus. Et vide quod dicitur scissum in duas partes, ante enim dictum fuerat : *Notus in Judæa Deus; in Israel magnum nomen ejus* (*Psal.* LXXV). Et in Evangelio : *In viam gentium ne abieritis* (*Matth.* X). Post passionem suam inquit : *Euntes docete omnes gentes* (*Matth.* XXVIII), tam Judæos quam gentiles. In duas etiam partes, id est in Novum et Vetus Testamentum. Sequitur:

A summo usque deorsum. Quod potest dici ab initio mundi, quando est conditus homo, usque ad consummationem sæculi; *et terra mota est, et petræ scissæ sunt,* omnia suum Creatorem crucifixum demonstrant. Terra movetur, Dominum pendentem ferre non sustinens. Mystice corda terrenorum per passionem Christi in melius mutantur ; petræ scissæ, quia duritia Judaica ex parte erat emollienda. Vel ideo scissæ sunt petræ, ut indicarent duritiam Judæorum, qui patiente Christo compuncti non sunt, nec emolliti, cum etiam lapides quodammodo viderentur compuncti. Vel petræ, id est, corda gentilium vel vaticinia prophetarum, qui petræ dicuntur, a petra Christo, ut quidquid eis in duro legis velamine clausum erat, scissum gentibus pateret. Sequitur : *Monumenta aperta sunt,* in signum scilicet futuræ resurrectionis. *Et multa sanctorum corpora qui dormierunt, surrexerunt,* non tamen antequam Dominus resurgeret, ut ipse Dominus esset primogenitus ex mortuis. *Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem Jerusalem.* Scilicet terrenam, quæ sancta dicebatur propter cultum unius Dei, vel in Jerusalem cœlestem. Qui enim resurgente Domino resurrexerunt, Beda testante, etiam cum illo ascendente simul ascendisse credendi sunt. Nec ulla ratione illorum temeritati fides accommodanda est, qui postea illos reversos in cinerem dicunt. Quod vero dicitur : *Et apparuerunt multis,* ostenditur non fuisse illa resurrectio generalis, quæ omnibus appareret, si generalis esset ; sed specialis fuit ad plurimos, ut hi videant qui digni erant.

Centurio autem et qui cum eo erant, etc. Quam cæci Judæi, qui nec tot miraculis credunt, dum centurionem credere conspiciunt! In centurione fides Ecclesiæ designatur, quæ velo cœlestium mysteriorum per Domini mortem reserato, Jesum Dei Filium tacente Synagoga confirmat. Et notandum quod centurio ante crucem in ipso scandalo passionis vere Filium Dei confitetur; Arius vero prædicabat in Ecclesia creaturam.

Erant autem ibi multæ mulieres a longe, quæ secutæ erant Dominum a Galilæa, etc. Consuetudinis erat Judaicæ, nec reputabatur in culpam, ut mulieres de sua substantia victum atque vestitum præceptoribus suis ministrarent. Hoc tamen quia scandalum facere poterat in nationibus, se non fecisse commemorat Apostolus, dicens : *Nunquid non habemus potestatem circumducendi mulieres, sorores* (*I Cor.* IX) Sed videamus quales mulieres, comites habuerit Christus. Mariam scilicet Magdalenam, a qua septem dæmonia ejecerat, et Mariam sororem matris suæ, matrem scilicet Jacobi et Joseph, materteram suam, et alias quas in aliis legimus evangelistis. Sed quomodo eadem Maria Magdalene a longe stetisse dicitur, secundum Matthæum et Lucam, et juxta crucem fuisse secundum Joannem? nisi quia in tanto intervallo erant, ut et juxta dici possent : quia in conspectu ejus præsto aderant, et a longe in comparatione turbæ prope stantis. Possumus etiam dicere, quod illæ, quæ erant cum Maria matre Domini postquam commendaverat eam discipulo, abire jam cœperant, ut a densitate turbæ se eriperent, et quæ fiebant, a longe viderent.

Cum sero autem factum esset, venit quidam dives ab Arimathia, etc. HIERONYMUS. Arimathia ipsa est civitas Ramatha Helcanæ et Samuelis in regione Taurica, juxta Ospolim. Et nota, quia iste Joseph

magnæ quidem dignitatis fuit ad sæculum, sed majoris apud Deum. Talem namque esse decebat eum qui corpus Domini sepeliret, qui et per justitiam meritorum tali ministerio dignus esset, et per nobilitatem potentiæ sæcularis, facultatem ministrandi haberet. Si enim quilibet pauper aut ignotus esset, ad præsidem pro petendo corpore non auderet accedere.

Et nota in hoc extremo servitio corpori Jesu exhibendo, minus curasse de Judæis, quamvis prius occultus Christi discipulus soleret in Domino audiendo eorum inimicitias devitare.

Tuuc jussit Pilatus illi reddi corpus, etc. Ecce hic notatur, quantæ dignitatis erat Joseph ad sæculum.

Et accepto corpore Joseph, etc. Ecce quanti meriti apud Dominum. Et nota in simplici sepultura Domini, ambitionem divitum damnari,qui nec in tumulis carere possunt divitiis. Non enim fuit ibi aurum, nec gemma, nec sericum, sed lintamen purum et mundum.Hinc etiam Ecclesia consuevit, ut sacrificium altaris non in serico panno nec tincto, sed in lino terreno celebretur. Juxta quod in gestis pontificalibus a beato papa Sylvestro legimus esse statutum. Mystice tamen Jesum sindone munda involvit, qui eum pura mente suscipit. Sequitur : *Et posuit illud in monumento suo novo*, etc. Novo ideo, quia si in monumento, ubi alius esset positus, poneretur, alius fortassis surrexisse fingeretur. Ideo in petra, ne si ex multis lapidibus esset ædificatum, suffossis tumuli fundamentis, ablatus furto diceretur.

Beda. Fuerunt qui monumentum ipsum corporis viderunt oculis,quod domus fuerit rotunda,de subjecta rupe excisa,tantæ altitudinis,ut intro consistens homo, vix manu extensa culmen possit attingere,quæ habet introitum ab oriente, cui lapis ille magnus advolutus est, in cujus monumenti parte aquilonari sepulcrum ipsum,id est locus Dominici corporis de eadem petra factus est, septem habens pedes longitudinis,trium vero palmarum mensura, cætero pavimento altius eminens,qui scilicet locus non desuper, sed a latere meridiano per totum patulus est, unde corpus inferebant. Color autem ejusdem monumenti ac loculi rubicundo et albo dicitur esse permistus.

Et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, etc. Saxum magnum ideo advolverunt,ut non absque auxilio plurimorum posset reserari sepulcri ostium. *Erat autem ibi Maria Magdalene, et altera Maria, sedentes contra sepulcrum.*

Beda. Notis Jesu post depositum corpus ad sua remeantibus, solæ mulieres, quem arctius amabant, obsequium funeris inspiciebant,exspectantes quod promiserat Jesus ; et ideo primæ viderunt resurrectionem.

Mystice quidem sanctæ mulieres die parasceve, id est præparationis, idem faciunt,cum animæ humiles, quo majoris sunt consciæ fragilitatis, eo majori Christi amore ferventes,passionis ejus vestigiis inhærentes in hoc sæculo,quo futura requies præparanda est,diligenter obsequuntur ; et si forte valeant imitari pia curiositate,quo ordine sit eadem passio completa perpendunt. *Altera autem die, quæ est post parasceve.* Parasceve dicitur præparatio. Hoc nomine vocatur sexta Sabbati,in qua præparabant necessaria Sabbato,ut et de manna dictum est: *sexta die colligetis duplum* (*Exod.*v), quia sexta die homo factus est, et in septima die requievit Deus ab omni opere suo.Ideo sexta die Jesus pro homine moritur.Unde et dixit : *Consummatum est.* Et sexta die pro redemptione mundi opus expletum est, et in Sabbato quievit in sepulcro, ita et nos in hac sexta ætate pro Domino pati debemus : in septima, quæ est mortuorum, in secreto paschæ quiescere, donec veniat octava resurrectionis.

In Genesi etiam septima dies habere vesperam non legitur,quia in illo sæculo [*f.*secreto]requies animarum nullo mœrore consumitur,sed gaudium futuræ resurrectionis augetur.Dicunt etiam de illa die,quam dies Sabbati sequebatur fuisse parasceve paschæ Judæorum, quod ab eodem jam inciperent azyma, sed tamen verum pascha,quod in passione Domini gerebatur,parasceve non Judæorum, sed Christianorum præparari cœpisset, et parasceve dicunt haberi ab hora noctis nona,in qua Dominus a Judæis occidendus præparabatur.Parasceve enim,ut diximus, dicitur præparatio. Ab illa ergo hora nactis, qua in domo Annæ et Caiphæ fuit, usque ad ejus crucifixionem,hora parasceve sexta, secundum Joannem, et hora diei tertia,secundum Marcum convenienter intelligimus, cœpisse parasceve nostri paschæ, id est præparationem mortis Christi. Nos vero diligenter computatis annis ab illo mundi usque ad passionem Domini, invenimus in ipso anno, quo Dominus crucifixus est,juxta lunares annos,octavo Idus Martii fuisse Neomeniam, id est novæ lunæ principium, et juxta Hebræos ipsius anni principium,et duo decimo Kalendas Aprilis in ipso vernali equinoctio,sexta feria,luna decima quarta, serius pascha Hebræorum fuisse,ut eo die Agnus Dei pro salute hominum in cruce penderet, qua die agnus in liberatione populi occidi jussus est,et ipsa sua morte dividere videretur inter lucem et tenebras, id est inter fideles et infideles, ut impleretur quod dictum est : *Positus est hic in ruinam,et in resurrectionem multorum* (*Luc.* II). Et illud eripuit nos de potestate tenebrarum,et transtulit in regnum dilecti Filii sui. Consentit etiam evangelista huic sententiæ, qui dicit, quod Judæi non intraverunt in prætorium cum Pilato,ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha. Et si aliquis dicit, quare ergo Dominus tunc non celebravit pascha ? sciat quod ille non fuit sub lege, et voluit ante discipulis suis tradere sacramentum corporis et sanguinis sui, et postea ipsum corpus immolari in ara crucis, et ipsa est vera parasceve non Judæorum,sed Christianorum, quia *pascha nostrum immolatus est Christus*

(*I Cor.* v). Nam Judæorum parasceve ante alia die fuit. Juxta hanc computationem invenimus etiam eo tempore, id est decimo Kalendas Aprilis, Dei Filium resurrexisse a mortuis, quo tempore, id est decimo Kalendas Aprilis, protoplastum Adam invenimus esse formatum ex limo terræ. Sequitur.

Convenerunt principes sacerdotum dicentes Pilato : Domine, recordati sumus, etc. Non sufficit scelus mortis, nisi post mortem famam ipsius dilacerent. Nota, quod dicit *post tres dies,* a parte totum. Pars sextæ diei, qua crucifixus cum sua nocte pro una die accipitur Sabbatum integrum. Tertius dies a parte prima, id est nocte totus cum suo die, et sic triduum est. Notandum, quia seductorem eum vocant; quod enim erant, Domino imponebant. Sequitur : *Et erit novissimus error pejor priore.* Ignoranter verum dicunt, pejor est enim contemptus pœnitentiæ, quam error ignorantiæ.

Ait illis Pilatus : Habetis custodiam, etc. Quasi dicat : Sufficiat vobis, quod consensi in nece innocentis, vobiscum permaneat error.

Illi autem abeuntes, munierunt sepulcrum. Hilarius. Non suffecerat principibus sacerdotum crucifixisse Dominum, nisi sepulcrum custodirent, cohortem acciperent, lapidem signarent, et quantum in illis erat resurgenti manum opponerent, sed hoc factum est, ut diligentia eorum fidei nostræ proficeret. Quanto enim diligentius servant, tanto magis virtus resurgentis ostenditur. Sequitur :

CAPUT XXVIII.

Vespere autem Sabbati, etc. Hieronymus. Quod diversa tempora istarum mulierum in Evangelis describuntur, non mandacii signum est, sed sedulæ visitationis officium, dum crebro abeunt, recurrunt, et non patiuntur se a sepulcro Domini vel longius abesse sepulto Domino quandiu licuit operari, id est usque ad occasum solis, unguenta paraverunt, et quia præ angustia temporis opus explere non potuerunt, transacto Sabbato, id est occidente sole, ubi licentia operandi rediit, emerunt aromata. Et quia nocte præoccupante, sepulcrum adire non potuerunt mane adeunt. Valde mane una Sabbatorum, in quo non dissentit a Luca et Joanne. Matthæus vero a parte prima hora noctis, id est a vespere noctem significat, cujus fine venerunt ad monumentum. Ideo autem sic nominat, quia ab eo tempore licebat facere quod vellent transacto Sabbato. Vespere ergo Sabbati, id est nocte diei Sabbati, vespere quidem cœperunt venire, id est aromata præparare, sed lucente mane pervenerunt, quod Matthæus causa brevitatis ponit obscurius, alii apertius. Sequitur :

Quæ lucescit in prima Sabbati, etc. Ordo temporum habet vesperam magis tenebrescere in noctem quam lucescere in diem, sed mystice dicit lucescere, pro gloria resurrectionis imminentis. Huc usque dies noctem dicebatur præcedere. Nunc ordo mutatur, et nox qua surrexerit diei, qua se ostendit, adjuncta est. Et congrue prius diem nox sequebatur, quia a luce homo in tenebras ceciderat. Nunc vero dies sequitur noctem, quia per resurrectionem a peccatis ad vitam reducimur.

Venit Maria Magdelene et altera Maria videre sepulcrum, etc. Duæ unius nominis ejusdemque devotionis et amoris feminæ, duas designant plebes pari devotione Christi passionem et resurrectionem amplectentes.

Et ecce terræmotus factus est magnus, etc. Quod in resurrectione sicut in passione fit terræ motus, significat corda prius terrena, et cœlesti spe dejecta, per fidem passionis et resurrectionis ad pœnitentiam esse commovenda.

Angelus enim Domini, etc. Obsequium suæ servitutis, quod Domino debuit, angelus exolvit : quia *accedens revolvit lapidem,* non ut egressuro Domino januam panderet, sed ut egressus ejus jam facti hominibus indicium præstaret.

Hæc quidem lapidis revolutio mystice nobis insinuat reserationem sacramentorum Christi, quæ velamine litteræ legalis tegebantur. Lex enim scripta est in lapide, cujus ablato tegmine, ostensa est gloria resurrectionis Dominicæ.

Et sedebat super eum. Notandum quia testis Dominicæ resurrectionis sedens angelus apparuit cum his, qui nativitatis ejus gaudium mundo nuntiabant juxta pastores stetisse legatur. Stare quippe pugnantis est, sedere regnantis. Recte ergo angelus. qui adventum Christi mundo prædicavit stare apparuit, ut stando designaret, quia is quem venire nuntiabat ad debellandum mundi principem veniret. Præco autem resurectionis ejus sedisse memoratur, ut etiam sedendo significaret eumdem separato mortis auctore, sedem regni perpetui conscendisse, Unde ipse paulo post discipulis apparens dixit : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra.* Nota etiam, quia super lapidem sedebat, quo ostium monumenti claudebatur, ut claustra infernorum Christum sua virtute et superasse et dejecisse doceret.

Erat autem aspectus ejus sicut fulgur, vestimenta ejus candida sicut nix, etc. In habitu et vultu significabat, quia is, cujus gloriam resurrectionis nuntiabat, et terribilis ad damnandum reprobos, et blandus esset ad consolandos electos. In fulgure enim terror timoris, in nive blandimentum candoris. Et notandum, quod Marcus dicit : *Mulieres introeuntes in monumentum, viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida* (*Marc.* xvi), quod potest movere, nisi intelligamus vel Matthæum tacuisse de illo angelo, quem intrantes viderunt, vel Marcum de illo, quem foris super lapidem viderunt, ita ut duos angelos viderunt, et a duobus eadem sigillatim audierint, aut certe intrantes in monumentum, in aliqua septa macerie debemus intelligere, qua tunc locum fuisse munitum credibile est in aliquo scilicet spatio ante petram, qua excisa locus factus est sepulturæ, ut ipsum viderint in eodem spatio a dextris, quem dicit Matthæus sedere super lapidem.

Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, et A *facti sunt velut mortui*, etc. Cum judicio divinæ districtionis ipse quoque angelus apparuit,ut scilicet custodes sepulcri ejus impios terrore concuteret, et mortuorum instar terræ prosterneret; visitatrices vero ejusdem sepulcri piissimas, benigna consolatione refoveret, et ne paverent confortavit dicens :

Nolite timere, etc. Quasi diceret : Paveant illi, qui adventum supernorum civium non amant, qui pressi carnalibus desideriis ad eorum societatem pertingere contemnunt et desperant. Vos autem cur pertimescitis, qui vestros concives videtis angelos ?

Scio enim, quod Jesum crucifixum quæritis : non est hic, etc. Multi hoc nomine tunc dici poterant, B non tamen substantialiter, sed nuncupative.Ideo et de quo Jesu dictum sit, manifestatur, cum dicit *crucifixum*, et postea addit : *Non est hic*, etc. Quasi dicat per præsentiam carnis, qui per præsentiam majestatis nusquam deest.

Surrexit, sicut dixit. Quasi dicat : quia dixit se resurrecturum, surrexit. Impossibile est enim non fieri quod dixit. Sequitur :

Venite et videte locum. Quasi dicat : Si verbis non creditis, vacuo sepulcro credatis.

Et cito euntes dicite discipulis, quia surrexit : ecce præcedet vos in Galilæa, etc. Quod se videndum in Galilæa per angelum discipulis prædixit, mystice veritatem suæ resurrectionis et profectum insinuat nostræ vitæ spiritualis. Galilæa quippe interpretatur C *transmigratio*. Transmigrantibus ergo de corruptione ad incorruptionem, de morte ad vitam, resurrectionis suæ gloriam promittit videndam. Et notandum, quod angelus persuadet cito ire, et dicere discipulis. Non enim tantæ victoriæ gaudium erat occultandum, sed potius similiter amantibus indilate pandendum, quod et nos mystice admonet facere.

Et exierunt mulieres cito de monumento cum timore et gaudio,etc. Quæritur, quomodo dicat Marcus : *At illæ exeuntes fugerunt de monumento. Invaserat enim eas timor et pavor,et nemini quidquam dixerunt* (*Marc.* XVI). Sed possumus eas intelligere non fuisse ausas angelis aliquid dicere, id est respondere ad ea quæ ab ipsis audierant, aut certe custodibus ibi jacentibus.Illud vero gaudium,quod D Matthæus commemorat, timori non repugnat. De quo timore Marcus narrat. Debemus enim utrumque in animo illarum fuisse intelligere. Duplex ergo affectus timoris simul et gaudii mentes mulierum tenuit. Alter de miraculi magnitudine ; alter desiderio resurgentis.

Ecce Jesus occurrit eis dicens : Avete BEDA. Illis sic mente currentibus, discipulis nuntiare, Jesus occurrit et eas salutat. Mystice omnibus ostendens iter virtutum inchoantibus, se adjuvando occurrere, ut ad salutem perpetuam queant pervenire. Et notandum illis mulieribus Christum primum occurrisse, et salutasse, ut primum maledictum mulieris inteligamus solutum esse.

Illæ autem accesserunt et tenuerunt pedes ejus,etc. Superius dictum est, quia clauso monumento surrexit et exiit. Nunc autem legitur, quia mulieres tenuerunt pedes ejus. Surrexit enim clauso ostio monumenti, et exiit, ut doceret corpus suum jam immortale esse factum. Hic vero tenentur pedes, ut veram carnem esse comprobent. Et quia tanta visione timebant, primum pellitur timor, dum illis dicitur : *Nolite timere*, ut mente placida possint, quæ postea dicuntur, audire. Sed quod superius dictum est, tenuerunt pedes ejus, notandum est. Illæ enim tenent pedes ejus, quæ adorant resuscitatum. Sed illa quæ nesciebat adhuc resurrexisse Dei Filium, audit merito :

Noli me tangere, quia nondum ascendi ad Patrem meum. Ite, muntiate fratribus meis etc. O mira Dei benignitas ! ante passionem suam consueverat vocare servos, nunc post resurrectionem vocat fratres suos, ut scilicet habitum ejusdem humanitatis quam ante habuerat, resurgendo resumpsisse probaret,vel monstraret, et illos ad promerandam ejusdem immortalitatis coronam, quia jam præeminebat, erigeret, quod apparet, dum dicit ; *ut eant in Galilæam.* Dum dicit : *Ite, nuntiate fratribus meis.* Nota, quia humani generis culpa abscinditur, unde processit.

GREGORIUS. Quia enim mulier in paradiso mortem viro propinavit, a sepulcro mulier annuntiat vitam viris, et dicta vivificatoris narrat, quæ mortifera serpentis verba narraverat.

Ac si humano generi diceret, non verbis, sed rebus ipsis : De qua manu vobis illatum est poculum mortis, de ipsa suscipite modo poculum vitæ et salutis. Et notandum est quod dicit, ut eant in Galilæam, et eum ibi videbunt. Non ibi quidem solum, nec ibi primum visus est a discipulis. Lucas enim et Joannes satis aperte dicunt, ipsa die resurrectionis Dominum suum visum fuisse in Jerusalem. Primo Mariæ Magdelenæ, quando dictum est ei : *Noli me tangere.* Deinde eidem et alteri Mariæ, currentibus nuntiare discipulis, quando et pedes ejus tenuerunt. Visus est etiam ipso die duobus discipulis in via. Visus est et Petro, quod quando factum est evangelista non declarat. Visus est etiam discipulis, cum loqueretur, reversis illis qui eum cognoverant in fractione panis, quando stans in medio eorum dixit : *Pax vobis !* Tamen specialiter Marcus et Matthæus dicunt dixisse angelum, vel ipsum Dominum, quod in Galilæa videndus esset.

Mystice quidem Galilæa dicitur *transmigratio.* Præcedet ergo eos in Galilæam, id est, gratia Dei transmigratura est ad gentes de Judæis. Præcedet vos, dico, viam in cordibus eorum præparando, et ibi videbitis eum, id est membra ejus, et vivum corpus invenietis. Vel Galilæa dicitur *revelatio;* non in forma servi, sed in ea, qua est æqualis

Patri, illuc nos præcessit, ubi consimiles erimus A ei, et ibi videbimus eum sicuti est. Et hæc est beata revelatio, vel transmigratio de hoc sæculo ad æternitatem.

Quæ cum abiissent, ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, et nuntiaverunt principibus sacerdotum quæ facta sunt, etc. Miracula talia facta sunt circa sepulcrum, ut ea ipsi milites viderent, qui custodes advenerant, ut testes fierent, si vera nuntiare vellent, sed avaritia illa, quæ captivavit comitem Christi, scilicet Judam, captivavit et custodes sepulcri. *Et congregati cum senioribus, accepto consilio, pecuniam copiosam* de templo acceptam, sicut prius triginta argenteos, *dederunt militibus,* etc. Omnes ergo illi, qui stipendia templi, et his quæ conferuntur ad usus Ecclesiæ, abutuntur B in aliis rebus, quibus suam expleant voluntatem, similes sunt Scribarum et sacerdotum redimentium mendacium de sanguine.

Augustinus. O stulta insania! dormientes testes adhibes. Vere tu ipse obdormivisti, non jam sacerdos, sed parricida, qui scrutando talia defecisti. Si vero dormiebant, quomodo videre poterant? Si nihil viderunt, quomodo testes sunt? Defecistis in ipso effectu consiliorum vestrorum.

At illi, accepta pecunia, et securi redditi, ne quid detrimenti vel periculi incurrerent, *fecerunt sicut docti erant. Et verbum illud,* scilicet error empti mendacii, *adhuc perseverat apud Judæos usque ad hodiernam diem,* quia nec adhuc credunt in Salvatorem.

Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam, C *in montem, ubi constituit illis Jesus : et videntes eum adoraverunt,* etc. Non vacat a mysterio, quod Dominus in Galilæa post resurrectionem apparuit discipulis. Vel quod in monte apparuit, ut significaret quod corpus de communi humani generis terra nascendo susceperat, resurgendo jam super terrena omnia sublevaverat, et ut admoneret fideles, qui illic celsitudinem resurrectionis ejus cupiunt videre, hic ab infimis voluptatibus ad superna studeant desideria transire. Sed quid est, quod Jesus præcedet illos in Galilæam, ut videretur ab eis; et illi sequuntur, et videntes adorant? nisi quia Christus surrexit a mortuis primitiæ dormientium.

Sequuntur autem hi, qui sunt Christi, et in suo D ordine ad vitam de morte transmigrant, ibique eum videntes adorant, in spem divinitatis contemplantes, cui visioni congruit, quod Galilæa *revelatio* interpretatur. Tunc enim revelata facie Domini, gloriam speculabimur. Sequitur :

Quidam autem dubitaverunt, etc. Primo, qui hunc esse didicerunt, demissis in terra vultibus adorant, sed inerat tamen mentibus eorum quædam dubietas : quia se non corpus, in quo passus est, resuscitatum, sed spiritum, quem finita passione tradidit, solum putabant videre. Unde statimpius Magister eos in fide confortat, et ad fidei gratiam convocat intimans, ad quantam pervenerit gloriæ magnitudinem humanitas pro homine assumpta, et pro homine morti data. Unde subdit :

Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra, etc. Constat, quia hoc non de coæterna Patri divinitate, sed de assumpta humanitate loquitur, in qua minor angelis primum, resurgendo a mortuis superpositus est omnibus creaturis. Et nota quia angelicæ virtutes, priusquam etiam a morte resurgeret Christus, homini quem a suo conditore specialiter assumptum esse videbant, se jure subditas cognoverant. Sed in terra cæci cæteri homines, ejus virtutem etiam in miraculis intelligere contemnebant. Volens ergo sicut in cœlo, et in terra, notam fieri potentiam suam, ait :

Data est mihi omnis potestas, etc. Misit etiam doctores qui per totum orbem Evangelium suæ potentiæ prædicarent, dicens : *Euntes ergo docete omnes gentes,* etc. Quasi dicat : Quia jam in luce venit, quod hactenus quibusdam de causis dubium hominibus fuit, ergo ite et docete. Et nota congruum ordinem. Primo enim docendus est auditor, deinde fidei sacramentis imbuendus, tunc ad servanda mandata instituendus quod secundum Hilarium non potest fieri, ut corpus baptismi recipiat sacramentum, nisi antea anima accipiat fidei veritatem, nec valet adhuc baptismo mundari, ut Beda dicit, si non postea insistat bonis operibus. Dicit itaque sic : Docete, id est, primo in fide auditores vestros instruite, et in scientia veritatis catechizate et confirmate, et postea baptizate, quia *nisi quis renatus fuerit,* etc.

Baptizate, dico, *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti,* id est, in confessione Trinitatis. Et quia fides seu baptismus, parum aut nihil valet sine operibus, subdit : *Docete eos servare quæcunque præcepi vobis :* ne putemus levia esse vel pauca quæ præcepit, id est, dixit *omnia*. Et quanta merces piæ conversationis, quale pignus beatitudinis futuræ etiam in præsenti fidelibus maneat, consequenter insinuat, dicens :

Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. Ex quo intelligitur, quod usque in finem sæculi non sunt defuturi in mundo, qui divina mansione et inhabitatione sint digni. Nec dubitandum est eos post hujus sæculi certamina manere cum Christo in regno, qui certantes in sæculo meruerunt Christum, habere mansorem in sui cordis hospitio.

Prima Sabbati. Diluculo sicut omnes consentiunt, ventum est ad monumentum et jam factum erat quod solus Matthæus ait de terræmotu, et revoluto lapide, et territis custodibus.

Venit autem Maria Magdalena. Cæteris ferventior. Unde Joannes de ea commemorat tacitis aliis quæcunque de ea fuerunt. Vidensque lapidem sublatum antequam diligentius inspiceret, credens sublatum corpus, cucurrit, nuntians Petro

et Joanni, qui etiam cucurrerunt ad monumentum, et non invento corpore, crediderunt quod Maria dixerat, *sublatum corpus*, abieruntque.

Maria autem stetit foris plorans. In horto quo jam egressæ fuerant. Tunc viderunt angelum sedentem super lapidem revolutum, de quo Matthæus et Marcus dicunt.

Qui dixit eis : Nolite timere, scio enim quod Jesum quæritis, etc. Quibus similia Marcus [Joan.] non tacuit. Ad hæc verba : *Maria dum fleret, inclinavit sese, et prospexit in monumentum, et vidit duos angelos, unum ad caput, et unum ad pedes, sedentes in albis, et dicunt ei : Mulier, quid ploras ! Quæ dixit : Quia tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum* (*Joan.* xx). Hic intelligendi sunt angeli surrexisse, ut et stantes viderentur, sicut Lucas ait, qui et eos dixisse refert :

Quid quæritis viventem cum mortuis? etc. Post hæc conversa est Maria retro, et vidit Jesum stantem, ut Joannes ait, et nesciebat quod Jesus esset (*ibid.*), putans eum esse hortulanum, ubi et nominando eum agnovit, cui dictum est : *Noli me tangere.* Tunc egressa est de monumento, id est, de loco ante lapidem effossum, et cum ea aliæ, quas ut Marcus ait timor invaserat, et nemini quidquam dicebant. Tunc jam secundum Matthæum : *Ecce Jesus occurrit eis dicens.*

A *Avete. Et illæ accesserunt et tenuerunt pedes ejus.* Sic colligimus et angelorum collocutionem bis eas habuisse, viventes ad monumentum. Et ipsius Dei semel, quando Maria hortulanum putavit, et nunc iterum cum eis occurrit, ut eas ipsa repetitio confirmaret. Venit ergo Maria Magdalena, nuntians discipulis, et aliæ quæ cum ea fuerant, quas Lucas commemorat. Plures quidem fuerunt apparitiones, quod innuit Paulus dicens : *Visus est Jacobo, deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul* (*I Cor.*xv),Sed decem legimus in Evangeliis,quinque in ipso die resurrectionis.Primo apparuit Mariæ Magdalenæ flenti ad monumentum. Postea eidem Mariæ et alii Mariæ, regredientibus nuntiare apostolis. Tertio Simoni. Quarto Cleophæ
B et socio ejus. Quinto illis reversis et narrantibus quomodo cognoverunt eum in fractione panis, apparuit januis clausis, ubi Thomas aberat. Sexto post dies octo, quando cum eis erat Thomas. Septimo piscantibus ad mare Tyberiadis. Octavo in monte Galilææ qui longe erat ab Jerusalem. Nono recumbentibus undecim quo die ascendit. Decimo viderunt eum jam non in terra positum, sed elevatum in aera, cœlosque petentem, dicentibus angelis : *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum* (*Act.* I).

ENARRATIONES IN APOCALYPSIN.

Deus et Dominus Pater prævidens tribulationes quas passura erat sancta Ecclesia, postquam ab apostolis fuit fundata, disposuit cum Filio et Spiritu sancto eas tribulationes earumque præmia revelare. Jacula enim quæ prævidentur minus lædunt. Itaque Christo secundum humanitatem, Christus Joanni, Joannes autem Ecclesiæ revelavit. Et merito Christus Joanni revelavit, qui præcellebat omnibus privilegio castitatis, et qui *gratia Dei* interpretatur : quia bona omnia quæ agebat divinæ gratiæ ascribebat, et qui omnia tormentorum immania mentis æquanimitate sustinebat. Sed quia constat hanc revelationem visione factam esse, videndum est quo genere visionis. Visio autem alia corporalis, alia spiritualis, alia intellectualis. Visio corporalis, qua videmus cœlum et terram et cætera corpora. Visio spiritualis est, quando in eo quod videtur aliud prætenditur. Sicut fuit de Moyse qui vidit rubum non ardentem ardere (*Exod.* III), quod aliud significabat. Intellectualis vero quanto Spiritu sancto intimante, aliquis concipit aliquid mysticum, sicut sanctus Joannes in hoc libro fecit. Nam non realiter ista vidit.sed divino sufflamine intimante, convenientia signa passionum designativa in intellectu suo configuravit. Nunc quæ sit materia illius videamus. Materia illius

C sunt septem signa tribulationum designativa. Intentio, invitare nos ad patientiam, ut per patientiam veniamus ad contemplationem, per contemplationem ad revelationem, inde ad beatitudinem. In quo habeamus finalem causam hujus operis. Quia in divinitate non quæritur de philosophia, sed de vita, videamus cui vitæ supponatur. Vita alia theorica, id est contemplativa ; alia practica, id est activa, sed constat ad contemplationem referri. Et notandum quare magis ad patientiam quam ad alias invitet virtutes.Ad quod dicitur,quia sicut fides est fundamentum omnium virtutum, sic patientia quodammodo est sustentaculum. Notandum vero quamdam partem hujus libri pro proœmio accipi, scilicet usque, *Ego Joannes frater*, in
D qua parte invitat nos ad audiendum,ad legendum, ad servandum : quia si hoc fecerimus, beatitudinem consequemur : et sic in primis commendat suum opus. Legendus est liber iste quia est Apocalypsis, id est revelatio et non cujuslibet, sed Jesu Christi ; vel sic : Legendus est liber iste, quia *beatus qui legit et qui audit verba prophetiæ hujus* apocalypsis, id est revelationis Jesu Christi.

Causa est quæ beatum Joannem scribere monuit, quia interim dum ipse exsul teneretur a Domitiano, in Ecclesiis quibus ipse præerat,nequitiæ multæ inoleverunt. Ad quarum correctionem ipse commone-

tur per angelum in visione, sive dormiens sive spiritualiter raptus. Per hoc autem quod Joannes destitutus omni humano eloquio et auxilio divinitus visitatur, innuitur nobis ut quanto magis ab hoc terreno tumultu recedimus, tanto potius idonei divina visitatione judicamur. Est autem materia in hoc libro Ecclesia, de qua omnes fiunt visiones. Quod autem inducitur de Antichristo et dæmonibus, id ad comprobationem Ecclesiæ fit. Nunc autem modo tractat de materia, scilicet ostendendo conditionem ipsius Ecclesiæ secundum præsentem et futurum statum. Secundum præsentem, quod multas persecutiones oporteat hic pati Ecclesiam, et contra in præsenti vel in futuro multas dignitates, ut remissionem peccatorum, illuminationem animarum, et cætera talia; in futuro autem obtinere vitam, et interminabilem lætitiam. Finalis causa est, ut sibi subditos, quibus principaliter scribit, et deinde cæteros animet ad sustinendas tribulationes cum patientia, non diffidentes de remuneratione. Accessus ad litteram.

CAPUT PRIMUM.

Apocalypsis Jesu Christi quam dedit illi Deus palam facere servis suis, quæ oportet fieri cito : et significavit mittens per angelum suam servo sua Joanni, qui testimonium perhibuit verbo Dei, et testimonium Jesu Christi quæcunque vidit. Beatus qui legit, et qui audit verba prophetiæ hujus, et servat ea quæ in ea scripta sunt. Tempus enim prope est.

Apocalypsis Jesu Christi. Ac si ita commoneret : Attendite hanc visionem, quia hæc visio revelata Jesu Christo, et hæc est apocalypsis *Jesu Christi quam dedit illi Deus*, scilicet Pater *palam facere servis suis*, id est ut palam faciat humilibus suis, non Judæis superbis, vel philosophis : ea scilicet *quæ oportet fieri*, ut tribulationes in Ecclesia et remunerationes. *Cito* et ne quis diceret quis poterit tandiu pati? dicit *cito* scilicet, labores transibunt, et præmia dabuntur : et quod dicit necesse esse hoc fieri, animat eos quasi inevitabile ostendens *et significavit.* Ordo talis est, Deus ostendit Christo, Christus autem Joanni. Joannes septem Ecclesiis, et bene dicit significavit, quia per quasdam figuras et quasi sigilla ei demonstravit. Vult autem Deus Scripturas suas clausas esse, ne inimicis sit locus accedendi, et ut sui exerceantur, et ab eis inventum gratius habeatur, et hoc est. *Et significavit mittens per angelum suum*, in persona Christi aliquando loquentem ut cum dicit. In hoc primo cap. : Ego sum α *et* ω; aliquando in persona sui, ut cum prohibet se adorari, ut dicitur inferius cap. XIX : *Servo suo Joanni.* Licet Joannes nondum fecisse evangelium, in prædicationibus tamen multa testimonia Filio Dei dederat *Verbo Dei*, id est divinitati cum dixit (*Joan.* I), *In principio erat Verbum.* Filius Verbum dicitur, quia sicut per verbum patet intellectus, ita ex operibus factis per suam sapientiam Deus nobis innotescit *et testimonium Jesu Christi* secundum humanam naturam cujus sunt hæc vocabula, *quæcunque vidit*, sive carnali sive spirituali oculo. *Beatus qui legit.* Cum deberet dicere Joannes septem Ecclesiis, postquam ostendit visionem a Christo sibi ostensam, præmittit hoc ut eos ad visionem faciat attentos, quasi dicat : Quia hæc visio talis est, ideo *beatus qui legit* ut clerici *et qui audit verba* ut laici *prophetiæ*, id est visionis hujus, *et servat ea quæ in ea sunt*, fidem operibus implendo, vitando minata, optando promissa. *Tempus enim*, et potestis servare, quia cito finientur hi labores, et hoc est : *Tempus enim prope est.*

Joannes septem Ecclesiis quæ sunt in Asia, gratia vobis et pax ab eo qui est et qui erat et qui venturus est, et a septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt, a Jesu Christo qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum et princeps regum terræ; qui dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, et fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri; ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

Joannes. Christus Joanni, ipse autem Joannes ait *septem Ecclesiis*, ad litteram, vel per septem accipiamus universas, quia in septem diebus omnia sunt facta. *Quæ sunt in Asia* quæ omnes Ecclesiæ sunt in elatione. Asia enim *elatio* interpretatur. Quod præmisit ante salutationem, fuit quasi prologus. In hac autem salutatione nil dicit de persona Patris, quia de ea nullus error erat; de persona vero Filii et Spiritus sancti dicit contra quorumdam hæreses. *Gratia vobis* detur scilicet qua peccata vobis remittantur et virtutes infundantur : vel gratia, favor Dei sit vobiscum in omnibus agendis *et pax*, id est quies ab omni vitio, vel pax qua Deo et sanctis angelis semper concordetis per bonam voluntatem et sanctam actionem *ab eo*, id est a Filio *qui est*, id est qui vere existit : contra eos qui dicebant eum cœpisse ex tempore *et qui venturus est* in judicio. Hic reprobatur error Ebionis, Arii et multorum aliorum hæreticorum qui dixerunt Christum purum hominem ex Maria sumpsisse initium, *et a spiritibus septem*, id est a Spiritu sancto : vel septem spiritibus ideo dicit, ut intelligamus septem dona Spiritus sancti; vel per septem accipiamus omnia dona Spiritus sancti *qui in conspectu throni ejus sunt*, ut illuminentur justi in quibus sedet judicans Deus. Thronus est judiciaria sedes, *et a Jesu Christo.* Repetit de Filio, quia de eo plurima dicturus erat. *Qui est testis*, non negans se Filium Dei etiam ingruente morte, et cujusmodi testis sit dicit *fidelis, primogenitus mortuorum*, ante genitus ad vitam non iterum moriturus, vel omnium mortuorum dignior, vel mortuorum mundo, quia ipse immunis fuit a peccato, ut dicitur (*I Petr.* II), *et princeps regum terræ* ad litteram : quia sive velint terreni reges, sive non, non possunt nisi quantum ipse permittit; vel caput et princeps omnium bene regentium terram suam. *Qui dilexit nos* quem audire et venerari debetis, quia ipse maxima dilectione dilexit nos. *Majorem hac dilectione nemo habet ut animam suam ponat quis* (*Joan.* XV), etc., *et lavit nos a peccatis nostris* originalibus, et etiam actualibus *in san-*

guine suo non in sanguine animali, sicut in veteri lege, ut ample deducit divus Paulus (*Hebr.* IX) per totum cap., et divus Petrus : *Et fecit nos regnum fidem dando nobis regni cœlestis et sacerdotes Deo et Patri* ut perpulchre deducit divus Petrus (*I Petr.* II). Deus dicitur secundum creationem : idem et Pater, quia omnibus consulit. Rex dicitur ille qui regit et refrenat illicitos motus : sacerdos qui digne offert preces suas et se Deo sacrificat per bonam voluntatem et rectam actionem, sic totaliter se Deo dedicando. Et hic non loquitur divus Joan. de sacerdotio ordine. *Ipsi gloria* et quia ipse talis est, ideo apud nos gloriosus habeatur *et imperium in sæcula sæculorum* et nos ejus regimini subjiciamur in sæcula consecutiva horum sæculorum, non ad horam tantum. *Amen.* Amen est adverbium affirmativum apud Hebræos, ac si inclamaret : Verum est quod ei debetur gloria.

Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt : et plangent se super eum omnes tribus terræ. Etiam amen. Ego sum α et ω, principium et finis, dicit Dominus Deus qui est et qui erat et qui venturus est omnipotens.

Ecce venit cum nubibus et bene debemus eum glorificare, quia jam venit remunerator bonorum, et punitor impiorum. Nubes accipiamus ad litteram. Venit enim judex cum nube ut ascendit, ut dicitur (*Act.* I), quæ nubes bonis refrigerium et confortatio erit, malis excæcatio : quod significatum est in nube qua educti sunt filii Israel de Ægypto (*Exod.* XIII). Vel per nubes accipiantur justi: quia ipsi et coruscant miraculis, et intonant minis, et irrigant corda fidelium verbi Dei doctrina. *Et videbit eum omnis oculus.* Ad litteram, et etiam oculi eorum *qui eum pupugerunt et plangent se*, super se ex propria miseria *et super eum*, id est ut ex infinita gloria ejus ac beatorum maxime augeatur calamitas damnatorum. *Omnes tribus terræ*, id est terrenitati deditæ. *Etiam amen.* Confirmatio laudis et honoris. *Ego sum α et ω*, præmissa salutatione antequam narrationem incipiat visionis, ut eos attentos faciat, ad ea quæ sequuntur intelligenda, dicit hæc non esse sua verba, sed Dominus Deus dicit hæc, ut sit probatio ita. Vere venturus est Dominus, quia ipse Dominus Deus dicit : Ego sum quidem ille qui erat et qui est et qui venturus, et hoc dicit : *Ego sum α et ω*, et horum subditur expositio cum dicitur, *Principium et finis.* Deus dicitur principium, quia ipse et ante omnia fuit, et ab ipso omnia processerunt. *Omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I). Dicitur finis, quia post ipsum nil erit, et quia eo obtento nil expetibile relinquitur, et hoc est : *Ego sum α et ω, principium et finis* dicit Dominus Deus, qui erat, et qui est, et qui venturus est.

Ego Joannes frater vester et particeps in tribulatione et regno et patientia in Jesu, fui in insula quæ appellatur Pathmos propter verbum Dei et testimonium Jesu Christi. Fui in spiritu in Dominica die, et audivi post me vocem magnam tanquam tubæ dicentis : Quod vides scribe in libro, et mitte septem Ecclesiis, Epheso, et Smyrnæ, et Pergamo, et Thyatiræ, et Sardis, et Philadelphiæ et Laodiciæ.

Ego Joannes : finita salutatione antequam narret, exponit quomodo vel quando vidisset, et ibi commendat visionem ex quatuor rebus, scilicet ex persona videntis, ex loco, ex causa, ex tempore ; et sic dicit : *Ego Joannes*, Commendatio ex persona. Quasi dicat : Attendite quæ vidi ego apostolus tanti nominis, *frater* in unitate fidei *et particeps in tribulatione ;* et quia tribulatio sine patientia inutilis est, ideo apponit, *et patientia* et tandem *regno.* Hæc ample deducuntur (*Rom.* V, et *Jacob.* I), præmonstratis omnibus his *in Jesu*, tribulatus enim Dominus patienter habet regnum. *Fui in insula* ad litteram, et est commendatio ex loco. Locus enim solitarius aptus est in quo secreta cœlestia fidelibus revelentur. *Quæ appellatur Pathmos.* Pathmos *fretum* interpretatur. *Propter verbum Dei.* Commendatio per causam *et testimonium Jesu Christi* scilicet quia testimonium perhibui divinitati et humanitati Salvatoris. *Fui in spiritu*, id est spiritualiter vidi *in Dominica die.* Commendatio ex tempore. Solet enim rerum qualitas tempore notari : ut Abraham vidit angelos in meridie (*Gen.* XVIII), id est in fervore fidei. Adam vidit angelum in persona quidem Dei post meridiem (*Gen.* III), scilicet post lapsum. Loth vidit perditionem Sodomæ in vespere (*Gen.* XIX), quia cito futura erat. Salomon sapientiam recepit nocte (*III Reg.* III), quia non bene conservavit eam. Significat enim Dominica dies requiem illam veram quam jam obtinet et sanctis promittit ille qui Dominica die resurrexit, ideoque cessamus in eodem die ab opere. Significabatur eadem requies in veteri lege per Sabbatum (*Exod.* XX), sed re impleta cessavit figura. In hac requie jam saltem spe totus erat apostolus: unde attendenda est revelatio, quæ fit eo tempore *et audivi*, id est cognovi, *vocem magnam*, id est admonitionem de rebus magnis factam. *Post me.* Post se dicit, quia cum ipse jam eductus de præsentibus sola anteriora intenderet per contemplationem, aliorum respicere correctionem admonetur. Vel post se audit, quia idem lege et prophetis admonitum intellexit. *Tanquam tubæ* quia incitatur ad bellum. *Quod vides, scribe in libro*, id est reconde in memoria, vel ad litteram et mitte septem ecclesiis. Possumus per septem universas accipere ecclesias ; vel ad litteram has septem tantum.

Et conversus sum ut viderem vocem quæ loquebatur mecum. Et conversus vidi septem candelubra aurea, et in medio septem candelabrorum aureorum similem Filio hominis vestitum podere, et præcinctum ad mamillas zona aurea. Caput autem ejus, et capilli erant candidi tanquam lana alba, et tanquam nix, et oculi ejus tanquam flamma ignis ; et pedes ejus similes aurichalco, sicut in camino ardenti, et vox illius tanquam vox aquarum multarum : et habebat in dextera sua stellas septem, et de ore ejus gladius utraque

parte acutus exibat, et facies ejus sicut sol lucet in virtute sua.

Et conversus sum ut viderem vocem quæ loquebatur mecum, id est recordationem habui de subditis, ut intelligerem admonitionem. Attendendum, quia iste totus liber in septem visiones distinguitur, quare hæc prima de correctione Ecclesiæ agit. *Et conversus sum,* et quia sic conversus *vidi septem candelabra aurea,* id est septem prænominatas Ecclesias vel etiam universas. Per candalebra ideo significamus Ecclesias, quia sicut candalebra comportant lumen et aliis præbent, ita Ecclesia verum lumen quod est Christus et aliis portat, et aliis ipsius claritatem prædicando demonstrat. *Aurea,* quia Ecclesia claritate et sapientia est fundata. *Et in medio,* id est paratus omnibus subvenire, id est ab omnibus participari *septem candelabrorum aureorum,* id est ecclesiarum *similem Filio hominis,* Christum, quem ideo non Filium, sed similem dicit quia et ipse immunis est a peccato, et jam erat immortalis et impassibilis. *Vestitutum podere.* Poderis fuit vestis sacerdotalis et talaris in veteri lege per quam significatur caro Christi quæ vestis fuit, quia in ea divinitas latuit; sacerdotalis, quia in illa seipsum Deo obtulit; talaris, quia permanet in finem sæculi; *præcinctum ad mamillas zona aurea,* cingulo charitatis et veræ dilectionis. Vidit Daniel eumdem angelum, scilicet in persona Christi, præcinctum renes in Veteri Testamento (*Daniel.* X), quia ibi carnalia opera constringuntur. Hic mamillas præstringit, quia Evangelio etiam cogitationes judicantur, ex quo significatur nobis ut nos cogitationes præstringamus. *Caput ejus et capili.* Describit secundum quod viderat in figura. Per caput accipitur propria persona Christi, per capillos proxime adhærentes ei, qui sunt candidi et bene purgati a peccatis. *Candidi tanquam lana alba,* id est vestimentum pellens frigus, id est vitia *et tanquam nix.* Nix est candidissima inter omnes creaturas, cui comparatur candor immortalitatis. *Et oculi ejus velut flamma ignis.* Oculi ejus sunt dona sancti spiritus vel spirituales in Ecclesia, vel divina præcepta quæ omnia illuminant recipientes, et faciunt ardere igne dilectionis, *et pedes ejus similes aurichalco, sicut in camino ardenti,* pedes, id est fideles venturos in novissimis temporibus. Vidit Similes aurichalco excocto : quia sicut aurichalcum per excoctionem mutatur in colorem auri; ita et fideles illi per immoderatam tribulationem in tempore Antichristi inveterabuntur in melius. Habet alia translatio, *aurichalco Libani.* Unde notatur, quod Antichristus in eadem regione sit venturus in qua Dominus habitavit. *Et vox illius tanquam vox aquarum multarum,* id est admonitio illius continet vim doctrinarum multarum, quæ doctrinæ lavant sicut aqua, vel tanquam vox quam recipiunt populi multi qui comparantur aquæ propter fluctuationem; vel vox datrix multarum gratiarum. *Et habebat in dextera sua stellas septem.* Per stellas accipit episcopos qui debent alios illuminare verbo et exemplo; horum licet aliqui modo non lucerent, tamen vocat eos secundum quod erant instituti a Joanne, secundum etiam quod erant in dextera, id est in potiore parte, *et de ore ejus,* in est sanctis Patribus per quos Deus loquitur, *exibat, gladius,* id est verbum Dei ex utraque parte acutus *exibat,* id est utrobique secans, in Veteri Vestamento opera carnalia, in Novo etiam concupiscentias. *Et facies ejus sicut sol lucet in virtute sua,* id est illi qui ei similes esse nitebantur, lucebant et cæteros illuminabant, sicut sol in meridie nulla nube obscuratur, vel sicut ipse Christus.

Et cum vidissem eum, cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus; et posuit dexteram suam super me dicens : Noli timere. Ego suum primus et novissimus, et vivus, et fui mortuus, et ecce sum vivens in sæcula sæculorum, et habeo claves mor iis, et inferni. Scribe ergo quæ vidisti, et quæ sunt, et quæ oportet fieri post hæc. Sacramentum septem stellarum quas vidisti in dextera mea, et septem candelabra aurea septem stellæ, angeli sunt septem Ecclesiarum, et candelabra septem Ecclesiæ sunt.

Et cum vidissem eum id est quia talem eum cognovi et in propria persona et in membris, *cecidi,* id est humiliavi me ipsum *ante pedes ejus* ut jam paratus essem pati quantum passuri sunt pedes ejus, *tanquam mortuus,* quia licet mortuus mundo, tamen vere vivens; *et ideo posuit dexteram suam,* id est auxilium suum vel spem confortantem *super me,* id est ultra vires humanitatis, *dicens,* id est commonens me per Scripturas : *Noli timere* pro me pati tribulationem, quia ego fui mortuus pro vobis qui non indigebam. Quod notatur ubi dicit: *Ego primus et novissimus*; et quia ipse non indigens pro nobis pati voluit, modo sine fine vivit, valde animari debemus, ut indigentes pro eo patiamur, ut cum eo tandem æternaliter vivamus, et hoc est : *Ego sum primus et novissimus et vivus,* ver avita secundum divinitatem; *et fuit mortuus et ecce sum vivens,* secundum corpus *in sæcula sæculorum*; *et habeo claves mortis,* et quia posset aliquis dicere, quis poterit tandiu pati? dicit : Non patiar vos tentari supra id quod potestis (*I Cor.* X), et hoc est, *et habeo claves mortis et inferni,* id est diaboli et membrorum ejus. Ipse dicitur mors, quia est causa totius mortis : ministri ejus infernus, quia locus est in quo ipse habitat. Sed neque diabolus, neque ministri ejus possunt nocere, nisi quantum eis a Deo permittitur. *Scribe ergo quæ vidisti* sive spirituali, sive carnali oculo, ut Paulus, *et quæ sunt* ut præsentes tribulationes et præsens auxilium *et quæ oportet fieri post hæc,* universas tribulationes quas patientur sancti et ultimis temporibus, per quorum exemplum præsens Ecclesia ad implenda hæc levoria maxime animari debet. *Sacramentum septem stellarum,* supple *scribe.* Sacramentum est, ubi aliud dicitur et aliud intelligitur. Quod angelus mysteria quarumdam figurarum aperit notat in omnibus allegoriam inquirendam; tamen non omnes aperit, ne sit aditus furibus in sanctam Scripturam.

CAPUT II.

Et angelo Ephesi Ecclesiæ scribe : Hæc dicit qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum. Scio opera tua et laborem et patientiam tuam, et quia non potes sustinere malos, et tentasti eos qui se dicunt apostolos esse, et non sunt ; et invenisti eos mendaces, et patientiam habes, et sustinuisti propter nomen meum, et non defecisti. Sed habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque unde excideris, et age pœnitentiam : et prima opera fac. Sin autem veniam tibi cito, et movebo candelabrum tuum de loco suo nisi pœnitentiam egeris. Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum quæ et ego odi. Qui habet aures, audiat quid spiritus dicat Ecclesiis. Vincenti dabo edere de ligno vitæ quod est in paradiso Dei mei.

Et angelo Ephesi Ecclesiæ scribe. Episcopo scribit de manu cujus subditorum peccata requirit, nec sine ejus commonitu subditos esse judicandos præsumit. In hac Ecclesia Ephesi erant aliqui qui bene Deo placebant, secundum quam partem Ephesus *voluntas* interpretatur : erant in eadem Ecclesia alii qui multum indigebant divino consilio, secundum quam partem Ephesus *consilium* interpretatur. Antequam scribat de operibus Ecclesiæ præmittit de mandante, per quæ ostendit ipsum idoneum qui talia mandet, ut cum dicat eum tenere septem stellas, etc., significat his qui peccaverunt non esse desperandum, sed per pœnitentiam posse reconciliari, quia nondum projecit eos Deus de manu sua; bonis vero monstrat ut patienter laborent confisi de corona. *Hæc dicit qui tenet septem stellas in dextera sua*, quasi dicat : Licet peccassetis, nondum projeci vos. *Qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum*, quasi dividens sancti Spiritus dona, vel ambulat, scilicet cui non placet quiescere in aliquibus horum. *Scio*, id est approbo, *opera tua*. Bonæ partis prius loquitur, ut horum exemplo cæteri corrigantur, *et laborem et patientiam et quia non potes sustinere malos*, id est secundum tuam humanitatem sine larga ope misericordiæ non potes jam pati malitiam eorum, vel non potes sustinere malos, quin corrigas vel expellas ab Ecclesia, *et tentasti eos*, id est probasti eorum doctrinam *qui dicunt se apostolos esse et non sunt*, id est a Deo missos ut sic facilius decipiant, et aut tales pseudoapostoli. *Et invenisti eos mendaces*, id est falsa prædicantes et male viventes *et patientiam habes* contra mala quæ isti inferunt per tyrannos. Quod enim isti non potuerunt persuasoria deceptione, quærebant per vim efficere. *Et non defecisti.* Hic nota eos tanta esse passos, quæ possint aliquem compellere ad defectum. *Sed habeo adversum te*, ad aliam partem, *quod charitatem tuam primam reliquisti*, quæ principalis virtus est. *Memor esto itaque*, et quoniam hoc habeo contra te, ideo memorare *unde excideris*, id est de excellenti gradu fidelium; *et age pœnitentiam*, id est redde dignos fructus pœnitentiæ (*Luc.* III). *Et prima opera tua fac*, scilicet opera charitatis, *Sin autem* hoc non feceris, *veniam tibi* ad tuum damnum, *et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris*, scilicet ab omnibus institutis ecclesiasticis ejiciam eos. *Sed hoc habes* bonum. Quamvis hoc prædictum habeam adversum te, tamen non desperes quia hæc placent mihi in te, *quia odisti facta Nicolaitarum quæ et ego odi*, et ideo tu juste odisti. Nicolaus fuit unus de septem diaconibus, qui quia redibat ad uxorem suam repudiatus, prædicavit communicandas omnes mulieres; prædicavit comestionem idolothytorum. Hujus hæresis reprobatur ab Ecclesia in cap. *Quidam autem hæret.* 24, cap. 3. Nicolaus *stultus populus* interpretatur : quales hoc tempore hæretici vel gentiles, qui et comunem judicant usum mulierum et idolothyta comedunt. *Qui habet*, id est quod uni dico, omnibus dico. *Aures*, divinum intellectum. *Audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.* Quasi dicat : Non sunt verba Joannis vel angeli, sed ipsius divinæ substantiæ. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ*, Et quare audiat ? Quia *vincenti*. Non dicit facienti aliquando, sed perseveranti (*Matth.* X *et* XXIV). Qui perseveraverit usque ad finem hic salvus erit. *Quod est in paradiso Dei mei*, id est in horto deliciarum, scilicet Ecclesia. Christus *lignum vitæ* dicitur, quia idem facit in Ecclesia quod lignum vitæ in paradiso. Erat officium ligni illius, ut conservaret fruentes fructu suo a morte et a senio; hoc idem explet Christus in ecclesia sua. Custodi enim fideles suos et a vera morte, et ab omni defectu. Adam enim comedens de ligno vetito, perdidit quod sibi conferebat lignum vitæ, et obtinuit in experientia sapientiam boni et mali (*Gen.* III). Prius quidem positus in deliciis nesciebat quod esset bonum vel malum : tandem cognovit utrumque, utpote expertus utrumque.

Et angelo Smyrnæ Ecclesiæ scribe : Hoc dicit primus et novissimus, qui fuit mortuus et vivit. Scio tribulationem tuam et paupertatem tuam, sed dives es : et blasphemaris ab his qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, sed sunt synagoga Satanæ. Nihil horum timeas quæ passurus es. Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem, ut tentemini, et habebitis tribulationem diebus decem. Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. Qui habet aures, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. Qui vicerit non lædetur a morte secunda.

Et angelo Smyrnæ ecclesiæ scribe. Episcopus significatur per angelum, quia et ipse nuntius debet esse verbi Dei. Smyrna interpretatur *canticum*, quia hæc tota Deo placebat, et sicut in cæteris prius ostendit mandantem idoneum qui talia mandet, et talem describit Christum qui valeat eos consolari qui in nomine ejus tribulantur : *Hoc dicit primus et novissimus, qui fuit mortuus et vivit.* Ideo et vos ne deficiatis, quia et vos in æternum mecum vivetis. *Scio tribulationem et paupertatem*, ad litteram. *Sed dives es* in spe remunerationis, et est quædam confortatio ; *et blasphemaris ab his.* Cumulus tribulationis, si ab

hoste familiari vexatur. *Qui dicunt se Judæos esse*, id est confitentes esse, *et non sunt.* Si enim filii Abrahæ essent, opera Abrahæ facerent, ut eis improperat Christus (*Joan.* VIII). *Sed sunt synagoga*, id est congregatio *Satanæ*, id est adversarii. Synagoga dicitur *congregatio*, quod videtur pertinere ad irrationabilia, quasi pecorum sit. Sed Ecclesia dicitur *convocatio*, quod manifeste de rationabilibus dicitur. Sed tamen *nihil horum timeas quæ passurus es*, etiam si sint graviora præteritis. *Ecce missurus est*, et vere patieris, quia ecce missurus est *ex vobis diabolus aliquos in carcerem.* Pro omni tribulatione ponit carcerem, *ut tentemini*, id est ut probemini; *et habebitis tribulationem*, et quandiu? Omni tempore vitæ vestræ et hoc est : *Diebus decem vel septem*, id est omnibus diebus quibus observabuntur præcepta legis, id est omni tempore præsentis vitæ. Vita justi, ideo denario significatur, quia ipsa subjacet decem præceptis legis. Vita sæcularis bene septenario significatur, quia septem diebus transigitur. *Esto fidelis usque ad mortem*, scilicet quidquid illi inferant, tu semper esto fidelis ; *et dabo tibi coronam vitæ*, scilicet excellentiam beatitudinis. *Qui habet aures*, id est quod uni promittit vel minatur Deus, idem et consimilibus. *Qui vicerit, non lædetur a morte secunda.* Duæ sunt vitæ animæ, et duæ mortes, et corporis similiter. Prima vita animæ, constantia in virtutibus. Secunda vita, donari in vitam æternam. Prima mors animæ jacere in peccatis. Secunda puniri in æternum. Prima vita corporis, conjungi animæ. Secunda resuscitari ad vitam. Prima mors corporis, dissolvi ab anima. Secunda, damnari in judicio.

Et angelo Pergami Ecclesiæ scribe : Hæc dicit qui habet rhomphæam utraque parte acutam : Scio ubi habitas; ubi sedes est Satanæ : et tenes nomen meum, et non negasti fidem meam. Et in diebus illis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud eos, ubi Satanas habitat. Sed habeo adversus te pauca : quia habes illic tenentes doctrinam Balaam qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere et fornicari ; ita et habes et tu tenentes doctrinam Nicolaitarum. Similiter pœnitentiam age : si quo minus, veniam tibi cito, et pugnabo cum illis in gladio oris mei. Qui habet aures, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis. Vincenti dabo manna absconditum, et dabo illi calculum candidum, et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit nisi qui accipit.

Et angelo Pergami Ecclesiæ scribe. Pergamus *divisio cornuum* interpretatur. Proponuntur quippe cornua ubi significatur pugna : ut in hac Ecclesia quædam mala pars bonam impugnabat. *Hoc dicit qui habet rhomphæam.* Cum dicit mandantem habere rhomphæam, id est gladium secantem Novo ac Veteri Testamento, ostendit ipsum idoneum qui secernat a bonis malos, a malis bonos ; et innuit illis similiter bonum a malo secernendum, ut sequantur bonum et fugiant malum. *Scio.* Bonis loquitur. *Ubi habitas*, scilicet in medio pravæ nationis. *Ubi sedes* A *est Satanæ*, in quibus jam sedet et quiescit adversarius ; *et tenes nomem meum* contra impugnantes, *et non negasti fidem meam* etiam in tali tribulatione quæ compelleret aliquem ad negandum. *Et in diebus illis*, in quo tempore inter cæteros maxime in conspectu meo vir iste *Antipas* claruit. Vel *in diebus illis*, id est in illo tempore tribulationis quæ fideles illuminat. *Ubi Satanas habitat* et ideo illum occiderunt. *Sed habeo.* Quamvis prædicta in te mihi placeant, *habes illic*, scilicet non expellis de Ecclesia *tenentes doctrinam Balaam qui docebat Balac.* Tangit de veteri historia quomodo Balaam doceret Balac regem Madian perdere filios Israel, ut peccarent in conspectu Dei, scilicet ut alliceret eos ad fornicationem et idololatriam per pulchras mulieres (*Num.* B XXVIII). Hæc autem peccata reprehenduntur in aliquibus de Ecclesia hac. Pertinet hoc quoque per allegoriam ad præsentem Ecclesiam. Balaam interpretatur *unus populus*, Balac *elidens.* Vanus enim populus hæretici dicuntur, qui docent principes terrenos qui sunt elidentes, quomodo decipiant Israelem, id est viros Deum videntes: vel vanus populus dicuntur dæmones qui docent corpus humanum elidere et confundere in se quasdam virtutes. *Ita habes tu tenentes doctrinam Nicolaitarum*, sicut doctrinam Balaam. *Similiter pœnitentiam age*, et ideo ut de illis, similiter et de istis. *Si quo minus*, id est si in aliquo horum minus feceris, *veniam tibi cito*, scilicet ut te interficiam in anima et corpore, *et pugnabo cum illis in gladio oris mei*, scilicet verbo Dei dicendo : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum* (*Matth.* XXV). C *Vincenti dabo manna absconditum*, id est Christum qui significatus fuit in priori manna, qui verus est cibus reficiens et non deficiens, ut dicitur (*Joan.* VI). Dicitur etiam, manna a manhu, id est *quid est hoc :* quia cum promisisset Dominus filiis Israel cibos, et mane tale aliquid invenissent, mirantes dicebant, manhu, id est quid est hoc? (*Exod.* XVI). *Et dabo ei calculum candidum.* Calculus est lapis solidus et lucidus, per quem significatur sermo divinus, qui dicitur lucidus quantum ad veritatem ; solidus, quia infringi non potest. Vel per calculum corpus humanum, solidum contra vitia, lucidum multiplicitate virtutum. Habent aliæ translationes *carbunculum*, vel *carbonem*, sed idem semper significatur, *et in calculo nomen novum scriptum*, id est Filius D Dei. *Quod nemo scit nisi qui accipit*, quod nomen nemo cognovit plene secundum suam proprietatem, nisi qui accipit calculum, id est nisi in quo habitat sermo divinus.

Et angelo Thyatiræ Ecclesiæ scribe : Hæc dicit Filius Dei qui habet oculos tanquam flammam ignis, et pedes ejus similes aurichalco : Novi opera tua, et charitatem et fidem, et ministerium, et patientiam tuam, et opera tua novissima plura prioribus. Sed habeo adversum te quia permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit propheten, docere et seducere servos meos, fornicari et manducari de idolothytis. Et dedi illi tempus ut pœnitentiam agerat, et non vult pœ-

nitere a fornicatione sua. Ecce mitto eam in lectum, et qui mœchantur cum ea in tribulatione maxima erunt, nisi pœnitentiam egerint ab operibus suis, et filios ejus interficiam in morte : et scient omnes Ecclesiæ quia ego sum scrutans renes et corda, et dabo unicuique vestrum secundum opera vestra. Vobis autem dico cæteris, qui Thyatiræ estis : Quicunque non habent doctrinam hanc, qui non cognoverunt altitudinem Satanæ, quemadmodum dicunt, non mittam super vos aliud pondus, tamen id quod habetis tenete donec veniam. Et qui vicerit, et qui custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, et reget illas in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringentur, sicuti et ego accepi a Patre meo, et dabo illi stellam matutinam. Qui habet aures, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

Et angelo Thyatiræ Ecclesiæ scribe. Scribit episcopo hujus Ecclesiæ sicut et cæteris, sive omnia dicendo de subditis, sive etiam aliqua in personis propriis eorum. Thyatira interpretatur *inflammata*, quia in hac quidam inflammati sunt, scilicet mali : *hæc dicit Filius Dei.* Præmittit hoc ut ostendat idoneum mandantem *qui habet oculos ut flammam*, qui oculi sunt ut flamma. *Novi opera tua*, approbo castitatem tuam, et cætera bona opera quantum ad teipsum, et fundamentum operum, scilicet, *charitatem* et fundamentum charitatis, id est *fidem*. Præcedit enim fides, scilicet, ut credat, deinde ut amet credita, post hæc bona opera, et hæc dicit charitatem et fidem, *et ministerium* quantum ad veros proximos. Quasi, veris christianis quæ poteras non negasti, *et patientiam tuam* quia etiam hostes patienter sustinuisti, *et opera tua novissima*, tam charitatem quam cætera bona novi semper in te ampliari. *Sed habeo* : prædicta placent, sed istud displicet *quia permittis mulierem Jezabel* non ejiciendo, non excommunicando. Jezabel interpretatur *fluens*, vel *fluxus sanguinis*, sive *sterquilinium*, propter nimiam immunditiam, et fuit uxor Achab (*III Reg.* XVI), vel etiam hujus episcopi, vel si hoc non esset suum nomen, sic tamen vocanda est propter immunditiam. Possunt enim nostro tempore omnes illi Jezabel vocari qui dediti immunditiis fornicationem prædicant, et comestionem idolothytorum. *Propheten*, secreta divina videntem, quid permittis eam *docere et seducere servos meos fornicari* sive cum mulieribus, sive quoquo modo cum dæmone. *Ecce*, et quia non vult, *ecce mitto eam in lectum*, id est in securitatem peccandi. Habet alia translatio *mitto eam in luctum*, id est in perpetuum dolorem. Idem nobis significatur per luctum. *Et qui mœchantur cum ea*, id est qui implent quod docet illa. Hoc dicit de contemporaneis. *Et filios ejus*, id est sequaces ipsius ut qui etiam modo imitantur illam. *Interficiam in mortem* perpetua damnatione, *et scient omnes Ecclesiæ*, et de quo quidam adhuc minus sentiunt, quia non statim punio impios, tandem manifeste scient, cum donabo singulos secundum propria merita. *Scrutans*, cognoscens et diligenter perspiciens, *renes*, carnalia opera, *et corda*, cogitationes et concupiscentias. Malis sic minor. *Vobis autem dico cæteris*, id est longe diversis a prædictis *qui Thyatiræ estis*, id est vere inflammati estis, vobis quidem hoc dico : *Non mittam super vos aliud pondus*, id est aliquid de institutis veteris legis, quemadmodum dicunt. Dicebant enim quidam non posse hominem salvari per solam novam legem sine circumcisione et cæteris talibus. Modo fit mutatio personæ. Ac si diceret : Thyatiræ sunt omnes illi *quicunque non habent doctrinam hanc*, id est *qui non cognoverunt* approbando eam *altitudinem Satanæ*, id est superbiam. Quamvis illi dicant aliud vobis esse utendum, *tamen id quod habetis tenete donec veniam* retribuere, *et qui vicerit* ut non cedat eis *et* insuper *qui custodierit usque in finem* vitæ *opera mea*, dabo ei potestatem, et in hoc sæculo quia possunt eos gentiliter viventes excommunicare, et æternaliter damnare ; *et reget illos in virga ferrea*, id est justitia inflexibili, *et tanquam vas figuli confringentur*, quidam ut pereant, quidem ut melius vas fiant. *Sicut et ego accepi a Patre meo* secundum humanitatem ; *et dabo illi stellam matutinam*, et tandem dabo me ipsum. Stella matutina Christum significat, quia stella illa et noctem illuminat et diem præcedit : ita Christus et mundum illuminat et diem communis resurrectionis præcessit. Vel prima resurrectio stella matutina vocatur.

CAPUT III.

Et angelo Sardis Ecclesiæ scribe : Hoc dicit qui habet septem spiritus Dei, et septem stellas. Scio opera tua, quia nomen habes quod vivas, et mortuus es : Esto vigilans, et confirma cætera quæ moritura erant. Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe qualiter acceperis et audieris, et serva, et pœnitentiam age. Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, et nescies qua hora veniam ad te. Sed habes pauca nomina in Sardis qui non inquinaverunt vestimenta sua, et ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis et non delebo nomen ejus de libro vitæ, et confitebor nomen ejus coram Patre meo et coram angelis. Qui habet aures, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

Et angelo Sardis Ecclesiæ scribe. Sardis interpretatur *pulchritudinis principium.* Erant tamen in hac Ecclesia quidam qui volebant boni videri, sed non erant. Hoc dicit *qui habet septem spiritus Dei et stellas.* Ostendit idoneum mandantem, quasi dicat bonis : Laborate, quia possum vobis retribuere ; malis ; convertimini, quia aliter peribitis. *Scio opera tua*, id est, non possunt ante me abscondi. *Scio quia nomen habes*, id est quod in operibus tuis amas humanam laudem *et mortuus es* in peccatis : quia qui in uno offendit, omnium reus est. *Esto vigilans*, et ideo esto diligens et sollicitus de salute, *et confirma cætera.* Hic innuitur quod qui in aliquo criminali

invenitur, perdit omnia benefacta quantum ad salvationem, cum dicit *moritura erant*, illo autem correcto, omnia simul valent ad vitam. Vigila, dico : *Non enim invenio opera tua plena.* Non sunt plena opera : quia sunt sine charitate, vel quoniam fiunt pro laude, vel quoniam sunt associata alicui criminali *coram Deo;* licet in facie hominum plena sunt, Deo tamen non sunt : et quia non sunt plena, enitere ut sint plena. Et hoc est : *In mente ergo habe qualiter acceperis*, id est, per rationem qualiter incœpisti operari, et audieris a sanctis Patribus. Dicunt enim : Qui in uno offendit, omnium reus est (*Jac.* II), Si charitatem non habuero, nihil sum (*I Cor.* XIII), et similia*;* et solus qui vigilat, placet mihi. *Si ergo non vigilaveris, veniam tanquam fur*, scilicet ut te occidam et spoliem. Spoliatur quidem damnatus, quando virtutibus non juvatur*; et nescies qua hora veniam ad te. Sed habes pauca nomina.* Nomina ideo dicit, quia sicut per nomina scimus proprietates rerum, ita Dominus novit omnia facta et proprietates quasi per nomina. *In Sardis.* Qui vere sunt Sardis, quia jam incipiunt esse pulchri. *Qui non inquinaverunt*, criminali macula ; vel facta lacrymis deleverunt *Vestimenta sua*, immortalitatem et innocentiam quibus vestiuntur in baptismo. *Et ambulabunt mecum in albis* de virtute in virtutem *mecum*, id est sicut et ego feci. *In albis* vestibus vestiti, id est innocentia immortalitate. *Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis;* et non solum illi qui boni permanserunt, sed similiter qui aliquando malus fuit, si vicerit. *Et non delebo nomen ejus de libro vitæ.* Liber vitæ præscientia dicitur divina, in qua secundum suam divinitatem nil ascribitur vel inde deletur, sed dicitur hoc secundum præsentem statum cujusque : ut si quis se habeat in bono, dicitur ascriptus in libro vitæ, si ad malum se habeat, dicitur deletus de libro vitæ. *Et comfitebor*, etc., dicendo : *Venite, benedicti*, vel remunerando secundum placitum Dei. *Et coram angelis Dei*, ut gaudeant angeli de consortio eorum.

Et angelo Phidadelphiæ Eeclesiæ scribe : *Hæc dicit sanctus et verus, qui habet clavem David, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit : Scio opera tua. Ecce dedi coram te ostium apertum quod nemo potest claudere, quia modicam habes virtutem, et servasti verbum meum, et non negasti nomen meum. Ecce dabo tibi de synagoga Satanæ, qui se dicunt Judæos esse, et non sunt, sed mentiuntur. Ecce faciam illos ut veniant et adorent ante pedes tuos : et scient quia ego dilexi te, quoniam servasti verbum patientiæ meæ, et ego te servabo ab hora tentationis quæ ventura est in orbem universum, tentare omnes habitantes in terra. Veniam cito. Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius, et scribam super illum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei, novæ Hierusalem, quæ descendit de cœlo a Deo meo, et nomen meum novum. Qui habet aures, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.*

Et angelo Phidadelphiæ Ecclesiæ scribe : Philadelphia *amor fratris* interpretatur. Erat quippe amor fraternus in Ecclesia hac. Sicut et in aliis ostendit idoneum mandantem, qui talia mandet. Cum enim commoneat eos laborare ad conversionem fratrum, et promittit se eis inde donaturum, præmium optimum præmittit, quia verus est, unde scire possunt quia confitendis dabit sicut promittit ; et quod dare possit, præsignificat ubi dicit : *Qui habet clavem David,* etc. *Hæc dicit sanctus.* Præmissa probatione quod verus sit, quia factus est sanctus et verus in promissis. *Qui habet clavem David.* Ostendit quod possit implere promissa qui habet potestatem, quam habemus per clavem, scilicet secundum carnem sumptam a David, vel potestatem aperiendi David et cæteros prophetas. *Qui si aperit* vel corda, vel Scripturas, *nemo claudit*; si *claudit*, nullus aperire potest. *Scio*, approbo *opera tua*, et ideo *ecce dedi coram te ostium*, vel corda prius clausa, vel clausulas Scripturarum. *Quia modicam*, id est humilem *virtutem habes, et servasti verbum meum,* id est prædicationem meam. *Et non negasti* etiam in angustiis *nomen meum*, quia talis es, *ecce dabo tibi de synagoga Satanæ, qui dicunt se Judæos esse.* Hoc nomen perdiderunt negantes Christum Filium Dei, dum dixerunt : Nos nescimus te; *sed mentiuntur*. Convincuntur hic probare quibusdam similitudinibus, et *faciam illos ut veniant* ad fidem *et adorent*, venerentur doctores, ut Joseph fratres sui. *Ante pedes tuos,* id est parati imitari opera tua vel ultimos fideles. *Et scient quia ego dilexi te.* Dum sunt extra Ecclesiam, nesciunt Deum diligere nec fideles suos, quoniam patitur eos tribulari, reducti ad fidem etiam idem prædicant. *Quoniam servati verbum patientiæ meæ,* id est ea quæ narrantur de patientia mea ut etiam diligant inimicos exemplo mei. Sicut in sequentibus visionibus, sæpe in sexto, aliquid notat de tribulatione futura novissimis temporibus : ita hic in sexto angelo, in qua tribulatione Judæi quidam per prædicationem Heliæ legem spiritualer intelligent et salvabuntur, quia servati *et ego servabo te ab hora tentationis* ne noceat tibi, et *veniam*; quasi dicat : sed quis poterit tandiu pati? ne diffidas succumbens, ego *cito* succurram tibi, et hoc dicit : Veniam tibi cito. *Tene quod habes.* Tu interim *tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam*, id est nullus inducatur in locum tibi deputatum, sicut gentes in locum Judæis promissum. *Qui vicerit, faciam illum columnam*, id est sustentamentum aliorum. *Et foras non egredietur amplius*, id est non recedet amplius a Domino. Filius junior qui devoravit subtantiam suam cum meretricibus, postquam receptus est a patre, noluit regredi ad priorem vitam (*Luc.* XV), significat gentilem populum qui, prius separatus a Deo morte vituli saginati, id est passione Christi, Deo reconciliatus non exibit amplius ; *et scribam super*

illum ut in ipso patens sit et exemplum cæteris. *Nomen Dei mei*, quia Deus vocabitur, et *nomen civitatis Dei mei*, id est visio pacis dicetur, et hæc civitas erit bene munita virtutibus *novæ Hierusalem*, in qua nil remanet vetustatis, sed vera visio pacis. *Quæ descendit de cœlo*, de consortio cœlestium. *A Deo meo*, Deo mittente virtutes, *et nomen meum*, id est Filius Dei. Christianus enim gratia unctus. *Novum* quod non habet ab Adam. Qui habet *aures*, quod uni dico, omnibus dico.

Et angelo Laodicæ Ecclesiæ scribe : Hæc dicit amen, testis fidelis et verus, qui est principium creaturæ Dei : Scio opera tua, quod neque frigidus es, neque calidus. Utinam frigidus esses aut calidus! Sed quia tepidus es, et nec frigidus, nec calidus, incipiam te emovere ex ore meo. Quia dicis quod dives sum et locupletatus, et nullius egeo, et nescis quia tu es miser et miserabilis, et pauper, et cæcus, et nudus : suadeo tibi emere a me aurum ignitum probatum, ut locuples fias, et vestimentis albis induaris, et non appareat confusio nuditatis tuæ, et collyrio inunge oculos tuos, ut videas. Ego quos amo, arguo et castigo. Æmulare ergo, et pœnitentiam age. Ecce sto ad ostium et pulso. Si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, introibo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipse mecum. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus. Qui habet aures, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

Et angelo Laodiciæ Ecclesiæ scribe. Laodicia *vomitus* interpretatur. Erant enim quidam in Ecclesia hac tepidi. Tepidi sunt illi qui tenent aliqua instituta cessantes a malo, et hæc judicant sufficere : ideo fiunt torpentes, noluntque in aliquo bono opere laborare. *Hæc dicit*, quia dicturus erat rem mirabilem, quod tepidi excommunicandi, et de ore suo projiciendi essent, qui ab hominibus boni credebantur, præmittit se veracem ecce ut et in his sibi credendum videatur. *Amen*, id est veritas : per ipsum enim omnia Patris promissa impletur. *Testis fidelis*, quia quæ audivit a Patre nota fecit nobis, vel testis operum nostrorum apud Deum, *et verus* in omnibus verbis suis. *Quod est principium creaturæ Dei*, sive primæ creationis, sive creationis ad justitiam, ex quo si velint resipiscere, potest eos justificare. *Scio opera tua.* Non me latent, *quia neque frigidus es neque calidus.* Frigidus est qui aperte turpiter agit, vel quidem non recipit. *Neque calidus.* Calidus est, qui fervet dilectione. *Utinam frigidus esses aut calidus*, Non ideo quod sit bonum esse frigidum, sed quia citius veniunt ad bonum, quia nihil de se confidunt. *Sed quia tepidus es*, id est fide recepta torpes et pigritaris operari, *incipiam* per excommunicationem *te evomere ex ore meo*, id est a consortio fidelium removere per prædicatores meos qui dicuntur *os*, quia per ipsos loquitur Deus. *Quia dicis quod dives sum*, purgatus in baptismo, vel dives in scientia, *et locupletatus* per opera aliqua, et ideo sufficiens videtur, *et nullius egeo* et ideo sibi jam nullam necessariam virtutem, *et nescis quia tu es miser*, id est non sufficiens ad salutem per ea quæ habes, *et miserabilis*, quia tu ipse ignoras miseriam tuam; *et pauper* a bonis operibus, *et cæcus*, quia non vides te insufficientem; *et nudus* a veste imo pudoris et innocentiæ. Sed misericordiam non nego, hoc est : *Suadeo tibi emere a me* fructum pœnitentiæ, *aurum ignitum probatum*, id est charitatem quæ te accendat vel meipsum. *Ut locuples fias* operibus virtutum, *et vestimentis albis*, id est innocentiæ induaris. *Et non appareat confusio nuditatis tuæ.* Melius et coram paucis erubescere, quam tandem coram omnibus. *E collyrio inunge oculos tuos*, divino præcepto vel donis Spiritus sancti, vel quibuscunque ratio illuminatur, et ut hoc possis : *Æmulare* fratres tuos cæteros qui tribulantur, et ne dicerent quod Deus non diligit eos quos pati permittit, præmittit causam cum dicit : *Ego quos amo, arguo*, id est facio cognoscere peccata, *et castigo*, sic castos reddo, et quia tales amo : *æmulare ergo et pœnitentiam age*, et debes agere, quia non prorsus despexit te quia, ecce adhuc exspecto ut aperiam cor tuum ; et hoc est : *Ecce sto ad ostium, et pulso*, id est increpo. *Si quis andierit vocem meam* intelligendo; *et aperuerit mihi januam* bene operando : *intrabo ad illum* in secreto cordis, *et cœnabo cum illo*, id est delectabor fide et operibus ipsius, *et ipse mecum* gaudebit de consolatione mea. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum*, id est ut mecum judicet. *In throno meo, sicut et ego vici*, quia et victoria ipsius, et sessio ejus causa est victoriæ aliorum. *Et sedi cum Patre meo in throno ejus.* Thronus judiciaria sedes est. *Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.*

CAPUT IV.

VISIO SECUNDA.

Post hæc vidi, et ecce ostium apertum in cœlo. Et vox prima quam audivi, tanquam tubæ loquentis mecum dicens : Ascende huc, et ostendam tibi quæ oportet fieri post hæc. Statim fui in spiritu, et ecce sedes posita erat in cœlo, et supra sedem sedens. Et qui sedebat, similis erat aspectui lapidis iaspidis et sardini, Et iris erat in circuitu sedis, similis visioni smaragdinæ, et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor, et super thronos viginti quatuor seniores sedentes circumamicti vestimentis albis, et in capitibus eorum coronas aureas, et de thono procedunt fulgura, et voces, et tonitrua, et septem lampades ardentes ante thronum, quæ sunt septem spiritus Dei. Et in conspectu sedes tanquam mare vitreum simile crystallo. Et in medio sedis, et in circuitu sedis quatuor animalia plena oculis ante et retro.

Post hæc. In hac secunda visione agitur de reparatione humani generis, ostendendo agnum accipientem librum de manu sedentis in throno, et aperientem signacula ejus libri quæ facta ipsius agni bene possunt nos commonere, ut pro ipso pati non dubitemus. Cum vellet suos animare ad tribulationem, bene præmisit de correctione Ecclesiæ, quia tum maxime prodest pœna, cum non punit delicta. *Post*

hæc vidi. Quantum ad ordinem visionum non alio tempore, sed eadem Dominica. *Et ecce ostium apertum in cœlo,* scilicet clausura Scripturarum quæ est via ad vitam, vel obscuritas cœlestium mysteriorum, vel in his qui cœlum sunt. *Et ecce vox prima;* prima admonitio vel Vetus Testamentum. *Quoniam audiv- tanquam tubæ,* scilicet hortantis ab bellum *Loqueni tis mecum,* non dissentientis a ratione mea. *Dicens, Ascende huc,* amplifica animam ut hoc possit videre, *et ostendam tibi quæ oportet fieri post hæc* in ultimis temporibus. *Statim fui in spiritu,* abjecta intentione terrenorum, fui videns spiritualiter. *Et ecce sedes posita erat in cœlo.* Sedes dicuntur et angeli, et cæteri majores sancti, qui et sedent in sub ditis suis, *et* ut celsior *supra sedem sedens. Et qui sedebat,* id est Deus Pater prius nobis incognitus, modo per incarnationem Filii cognoscitur et quasi lapis aspicitur. *Similis erat aspectui lapidis iaspidis et sardini.* Iaspis viridis coloris est, et aquosi; sardinus est rubei. Per aquaticum colorem significatur nobis judicium illud quod jam per aquam diluvii factum est, ut habetur (*Gen.* VII); per rubeum illud, quod per ignem futurum est: vel per aquaticum colorem significatur aqua baptismi; per rubeum dona Spiritus sancti, quæ in baptismo recipiuntur, quibus et peccata cremantur et ad dilectionem accendimur. Sed licet talis, non tamen erat horribilis, quia *iris,* id est pax vel propitiatio Dei *erat in circuitu sedis,* quasi muniens et protegens eos. *Similis smaragdo.* Smaragdus est lapis habens viridem colorem et rubeum, iris similiter, per quæ notantur ea quæ diximus *et in circuitu sedis,* quasi appendentia et conscientia judicio; *sedilia viginti quatuor,* doctores in Ecclesia tam in Novo, quam in Veteri Testamento. Per viginti quatuor ideo doctores comprehendimus, quia numerus hic constat ex duodecim et duodecim, qui item numerus constat ex tribus et quatuor. Sancti vero prædicatores nomen sanctæ trinitatis per quatuor mundi partes ennuntiant. *Et super thronos,* id est supra prædicta sedilia *viginti quatuor seniores.* Non accipitur hic numerus secundum personas, sed secundum officium; quia per viginti quatuor hic accipiuntur omnes prædicatores tam veteris quam novæ legis. *Sedentes circumanicti vestimentis albis* quæ in baptismo receperunt, *et in capitibus eorum,* secundum mentes, *coronas,* victorias *aureas* per charitatem vel sapientiam, *et de throno,* scilicet de sede Dei, ut de apostolis et similibus, *procedent fulgura,* id est miracula, *et voces.* admonitiones, *et tonitrua,* comminationes. *Et septem lampades ante thronum, quæ sunt septem spiritus Dei. Quæ* dona, *sunt ante thronum,* id est accendunt et illuminant omnes justos ad dilectionem, in quibus sedet judicans Deus, *et in conspectu sedis* ad figuram *tanquam mare vitreum simile crystallo* significat baptismum sinceritate fidei lucidum, qui ideo dicitur similis crystallo, quia sicut crystallum ex aqua durescit in lapidem, ita facit ex mollibus et liquidis baptismus solidos et invincibiles, *et in medio sedis* ve-

A luti sustinentes, *et in circuitu* quasi excubiæ, *quatuor animalia.* Animalia dicuntur evangelistæ, et cæteri sancti prædicatores, qui mansueti et bene animati cæteros animant, qui non dicuntur quatuor secundum personas, sed secundum officium quadrifariæ prædicationis, quia annuntiant horum naturas quatuor animalium quæ, licet in uno quoque homine esse debeant, de Christo tamen dicuntur proprie. Dicitur enim Christus *leo,* quia fortis est et sine timore; et quia sicut leco præmortuus nascitur, et tertia die ad vitam Patris voce excitatur, ita Christus die tertia ad vitam surrexit. Dicitur *vitulus,* quia sacrificatus. Dicitur *homo,* propter veram naturam humanam. Dicitur *aquila,* secundum divinitatem et ascensionem. *Plena oculis ante et retro.*
B Plena oculis ante et retro dicit, vel quia memores erant præteritorum peccatorum, et sibi providebant in futuro; vel habentes cognitionem et de præteritis et de futuris.

Et animal primum simile leoni, et secundum animal simile vitulo, et tertium animal habens faciem quasi hominis, et quartum animal simile aquilæ volanti. Et quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas, et in circuitu et intus plena sunt oculis. Et requiem non habebant, die ac nocte dicentia: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est. Et cum darent illa animalia gloriam et honorem et benedictionem sedenti super thronum, viventi in sæcula sæeulorum, procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem
C *in throno, et adorabant viventem in sæcula sæculorum, amen, mittentes coronas suas ante thronum, dicentes: Dignus es Dominus Deus noster accipere gloriam et honorem et virtutem, quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant et crata sunt.*

Et animal primum simile leoni, etc., *et animal quartum simile aquilæ volanti.* Comparatur Joannes aquilæ, quia in principio tractat de divinitate, et item cæteri nomina sumunt ex hoc quod proponunt suis evangeliis: et tamen unusquisque naturas supradictas exsequitur. Alio ordine posuit Ezechiel hanc visionem (*Ezech.* I), quia prius posuit hominem, deinde vitulum, post leonem, inde aquilam; sed quia vidit quæ futura erant, eo ordine posuit quo ventura erant. Prius enim homo, deinde cætera. Joannes impleta videns, leonem præposuit, quasi
D fundamentum totius nostræ fidei. Unitur enim fides nostra maxime in resurrectione Dominica, *et quatuor animalia* ad hoc prædicandum bene erant instructa, secundum quatuor prædictas naturas Christi, *singula eorum* non secundum personas, sed unusquisque ordo *habebant alas senas.* Sex alæ sunt sex opera misericordiæ, satiare esurientem, potare sitientem, vestire nudum, colligere hospitem, et visitare infirmum, et carceratum: quæ alæ dicuntur, quia istis in altum sublevamur. Vel sex alæ cognitio universorum sex diebus factorum; ex his enim visibilibus ad invisibilia cognoscenda perducimur. Vel sit prima ala lex naturalis, quæ fuit in Abraham

et cæteris primis Patribus ; secunda ala, lex Moysi; tertia ala prophetiæ ; quarta, Evangelium ; quinta institutiones apostolorum ; sexta, Ut Augustini et aliorum qui ordinaverunt vestimenta, etc., in Ecclesia. ***In circuitu*** ut aliis bono exemplo lucerent, *et intus* quantum ad seipsos, *plena sunt oculis*, divinis præceptis. *Et requiem non habebant*, non cessabant, *die ac nocte*, in prosperis, vel in adversis, vel continue, dicentia : Sanctus, sanctus, sanctus, ter, quia Trinitas in personis. ***Dominus***, semel, quia unitas in deitate. *Dominus Deus omnipotens, qui erat*, sine principio, *et est*, sine mutabilitate, *et qui venturus est*, ad judicium, *et cum darent illa animalia gloriam*, id est cum sancti prædicatores prædicarent Deum gloriosum, ut ex resurrectione, *et honorem*, venerandum propter opera, vel ex ascensione ; *et benedictionem* supernæ remunerationis, vel super omnes angelos. *Sedenti super thronum viventi in sæcula sæculorum procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno*, id est humiliabant se in omnes judices, tam novæ quam veteris legis ; et non nocet, si idem dicantur modo judices, modo animalia, *et adorabant viventem in sæcula sæculorum*, exspectantes ab ipso voce et opere quæ a se non habebant, *mittentes coronas suas ante thronum*, attribuentes ei victorias vitiorum vel tribulationum , *dicentes : Dignus es, Domine Deus noster, accipere*, cui referimus *gloriam et honorem et virtutem, quia tu creasti omnia et propter*, id est juxta *voluntatem tuam erant et creata sunt*, non de subito, sed in æterna dispositione omnia habuisti.

CAPUT V.

Et vidi in dextera sedentis super thronum librum scriptum intus et foris, signatum sigillis septem, et vidi angelum fortem prædicantem voce magna : Quis est dignus accipere librum, et solvere signacula ejus? et nemo poterat in cœlo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum, neque respicere illum. Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inventus est aperire librum, nec videre illum. Et unus de senioribus dixit mihi : Ne fleveris. Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, et solvere septem signacula ejus. Et vidi et ecce in medio throni et quatuor animalium, et in medio seniorum, agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem et oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram. Et venit, et accepit de dextera sedentis in throno librum. Et cum aperuisset librum, quatuor animalia et viginti quatuor seniores ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas, et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum : et cantabant canticum novum, dicentes : Dignus es, Domine Deus, accipere librum, et aperire signacula ejus, quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione : et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram.

Et vidi in dextera sedentis super thronum librum scriptum intus et foris, librum accipit divinam di- A spositionem de raparatione humani generis, quem videt *in dextra*, id est in Filio Dei. Personæ Filii attribuitur tota reparatio humani generis, per quem et impleta est ; qui liber est scriptus, id est manifestatus *intus* per Novum testamentum, *et foris* per Vetus quod Novi clausura est. Vel per foris intelligitur *Novum*, quod est foris in manifesto ; per intus *Vetus*, quod est obscurum ; *signatum*, id est clausum, *septem sigillis*, id est universis obscuritatibus, vel septiformi Spiritu per quem fides operatur. *Et vidi angelum* quemlibet de primis Patribus, qui dicitur angelus, quia a Deo missus, *fortem, prædicantem voce magna*, inquirentem et cæteris annuntiantem, et præ nimio desiderio jam tantum differri conquerentem. *Quis est dignus accipere*, implere *librum*, B etc. Ubi ostendit illos Patres primos Christum tam ferventer desiderasse, qui minima consideratione eum perceperant, innuit quod nos qui jam ipsam rem tenemus, multo ferventius diligere debeamus, et pro eo pati non subterfugiamus. Dicit Joannes, *et nemo poterat in cœlo* ut angelus, *neque in terra*, ut *neque subtus terram*, ut animæ exutæ corpore, *aperire*, implere *librum, neque respicere illum*, id est perfecte intelligere. Unde illud Isaiæ LIII : Generationem ejus quis enarrabit ? Hic assumit personam aliorum priorum Patrum. *Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inventus est aperire* id est adimplere *librum, nec videre illum* plene intelligere. *Et unus de senioribus dixit mei : Ne fleveris.* Quilibet propheta, qui Christi adventum annuntiando consolatur C cæteros. *Ecce vicit* diabolum *leo de tribu Juda, radix David*, procedens a David, vel firmamentum David *aperire*, ut impleat *librum*, et *solvere septem signacula ejus.* Ostendit quomodo vidit desideratam, modo exsequitur, modo vidit completam, *et* sicut ille prædixerat *vidi, et ecce in medio throni* quasi sustentamentum omnium *et quatuor animalium agnum* Christum, qui vera fuit victima, *stantem*, quasi laborantem, et sanctis certantibus subvenientem *tanquam occisum ;* quia etsi mortuus, tamen ex virtute Dei vivit, *habentem cornua septem et oculos septem.* Cornua et oculi Spiritus sanctus qui dat regnum et exaltationem, quod per cornua notatur ; qui dat illuminationem, quod per oculos notatur. Vel cornua sunt sancti eminentiores ipsi capiti proxime adhærentes, et carmen excedentes, D *et venit* ad cognitionem nostram per carnis assumptionem ; *et accepit* homo factus *de dextera sedentis in throno librum* a verbo sibi unito, *et cum aperuiset librum, quatuor animalia*, scilicet sancti omnes prædicatores, *et viginti quatuor seniores*, omnes judices *ceciderunt coram agno*, nihil de se præsumendo, sed humilia sentiendo coram agno, id est ipsum imitando. Unde sequitur : *habentes singuli citharas* Cithara significat mortificationem carnis, et sunt in cithara lignum et chorda. Per lignum crux Christi chordæ caro sanctorum, *et phialas*. Phialæ sunt vasa lata, per quas significantur corda lata usque ad dilectionem inimicorum; *aureas* dicit propter chari-

tatem et sapientiam, *plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.* Sicut enim aliquis in bono odore delectatur, ita Deus in orationibus sanctorum; *et cantabant canticum novum* cum exultatione. Novum Testamentum, quod Ecclesia opere profitetur, dum in morte ipsius baptizatur; *dicentes: Dignus es, Domine Deus,* tu solus immunis a peccato : quoniam nisi esset immunis, non redemisset nos. *In sanguine tuo:* non ex uno solo ordine, sed *ex omni tribu,* et dicitur tribus a tribus ordinibus, scilicet laborantium, militum et sacrificantium, qui ordines continent septuaginta duas linguas: quorum singulæ continent populos multos, populi, nationes. Dicitur natio, quando aliqui de populo nationes. Dicitur natio, quando aliqui de populo moventur et incolunt novum locum. Per hoc notat redemptos ab omni diversitate, et hoc dicit, *et lingua,* etc. *Et fecisti nos Deo nostro regnum,* spiritualiter regnantes *et sacerdotes,* nos ipsos offerentes, et pro illis orantes, *et regnabimus super terram,* vel bene cultam, vel super terrenos excommunicando.

Et vidi et audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni et animalium, et seniorum : et erat numerus eorum millia millium dicentium voce magna : Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem et gloriam, et benedictionem. Et omnem creaturam quæ in cœlis est, et super terram, et subtus terram, et mare, et quæ in eo sunt, omnes audivi dicentes sedenti in throno et agno : Benedictio, et honor, et gloria, et potestas in sæcula sæculorum. Et quatuor animalia dicebant amen. Et viginti quatuor seniores ceciderunt in facies suas, et adoraverunt.

Et vidi in spirituali visione perstiti *et audivi* non solum animalia et seniores qui testimonium dabant Christo sed etiam angelos qui omni studio et affectione juvant et custodiunt Ecclesiam, qui gaudentes de consortio reparato testimonium proferunt de incarnatione Domini, de nativitate, de passione, de resurrectione et ascensione, utpote illi qui in omnibus istis famulati sunt ei, ipsumque testantur judicem venturum. Vel angeli dicantur subditi animalibus et senioribus, scilicet angelicam vitam ducentes, qui circumdant et ornant suos prædicatores et judices, testimonio eorum consentientes et illud confirmantes. Numerum finitum ponit, quia Deo finitus est numerus eorum, licet nobis sit infinitus. *In circuitu throni* quasi munitores, *et erat numerus eorum.* Multos ponit, quia quanto major multitudido, tanto major attestatio, major exultatio. *Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem,* immunitatem a peccato *et divinitatem,* quia Deus fuit, etsi visus mortuus, *et sapientiam,* omnium cognitionem, et discretionem, *et fortitudinem,* quia vicit diabolum, persistendo in obedientia, *et honorem* in resurrectione, *et gloriam,* impassibilitatem et immortalitatem, *et benedictionem,* exaltationem; et hoc exponit, *et omnem creaturam,* ac si diceret : *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur* (*Philip.* II); *quæ in cœlo est, cœlestium, et supter terram,* terrenorum, *et subtus terram,* infernorum, *et mare,* ad litteram, vel mundum, *et quæ sunt in eo.* Per hæc omnia, quæ Christo attribuit, contundit multorum hæreses, quorum singuli aliqua ex his Christo subtrahebant. Deinde *omnes* insimul tam animalia, quam seniores et angelos *audivi dicentes* audivi testimonium confirmantes *sedenti in throno* Deo Patri et *agno* secundum carnem, *Benedictio,* exaltatio, *et honor* impassibilitatis, *et gloria* in resurrectione, *et potestas,* quia omnipotens, *in sæcula sæculorum,* id est, non ad horam, sed in æternum. *Quatuor animalia dicebant, amen.* De istis iterum dicit, quia officium prædicatorum est testimonia confirmare. *Et viginti quatuor seniores* non superbientes de judicio sibi commisso *ceciderunt in facies suas,* humiliaverunt se ei in conscentia sua, scilicet videntes quo caderent. Qui enim in aliam partem cadit, non bene cadit, quia non videt quo cadit, *et adoraverunt,* venerantes Deum tota intentatione mentis.

CAPUT VI.

Et vidi quod aperuisset agnus unum de septem sigillis. Et audivi unum de quatuor animalibus, dicens tanquam vocem tonitrui : Veni et vide. Et ecce equus albus, et qui sedebat super illum habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens, ut vinceret.

Postquam oscendit per agnum completam esse reparationem humani generis, vult etiam annuntiare Ecclesiæ futuras tribulationes, et contra auxilium, et tandem coronas pro victoria : ut Ecclesia tanto confisa suffragio, et gaudens de promisso, omnino patienter et jucunde sustineat tribulari. *Et vidi quod aperuisset agnus unum de septem sigillis,* universis obscuritatibus, ut fideles Scripturas sanctas intelligant. *Et audivi unum de quatuor animalibus, dicens,* non personaliter, sed quia omnes sancti prædicatores unum sunt : *Veni* fide et opere procede ; *et vide,* intellige impletam esse veritatem : et sic Joannes admonetur, ita ipse cæteros, alii similiter quos possunt ad idem debent invitare. *Et ecce albus equus,* id est Ecclesia in baptismo dealbata, quæ Christum assidue portat, *et qui sedebat* Christus, *super illum habebat arcum.* Arcus significat divinas Scripturas, quibus Deus et protegit suos, et lædit inimicos. In arcu duo sunt, lignum et chorda. Per lignum, quod per se est inutile, significatur Vetus Testamentum ; per nervum qui temperat et facit valere lignum, significatur Novum Testamentum, per quod valet vetus lex; *et data ei corona.* Christus quippe in suis de multis victoriis coronatur, vel ipse secundum humanitatem. *Et exivi* portatus sanctis prædicatoribus *vincens* id Judæa, *ut vinceret* in gentibus, videns quidem diabolus Ecclesiam institui ad locum implendum unde ipse exciderat, nititur omnibus viribus ut eam impediat et pervertat.

Et cum aperuisset sigillum secundum, audivi secundum animal dicens : Veni vide. Et exivit alius equus rufus, et qui sedebat super illum, datum est ei

ut sumeret pacem de terra, et ut invicem se interficiant : et datus est illi gladius magnus.

Et cum aperuisset sigillum secundum ordine videndi, vel etiam tempore, *audivi secundum animal* quantum ad ordinem, *dicens* : *Veni et vide,* de virtute ad virtutem, ut intelligas. *Et exivit* implens quæ gerit in mente *alius equus,* longe diversus a primo, quia pessimus; *rufus,* sanguinolentus, scilicet manifestus persecutor. *Et qui sedebat,* id est diabolus, *super ilium,* adhuc excelsior ipso equo; *datum est ei,* permissum a Deo *ut sumeret pacem de terra,* ut auferret omnem quietem ab his qui dediti sunt terrenis : *Et ut invicem se interficiant* gladio materiali, vel persuasionis. *Et datus est ei gladius magnus,* scilicet potestas nocendi non tantum in minores, sed etiam in majores, ut in Petrum et in consimiles, vel *magnus,* quia per totam terram. Hic notatur persecutio per hæreticos facta : quia postquam diabolus per apertos persecutores non proficit, immittit hæreticos, qui ut facilius falsitates suas persuadeant, permiscent etiam vera; et, quia hæc persecutio citius decipit quam etiam aperta tribulatio, ponit statim contra hanc quoddam auxilium.

Et cum aperuisset sigillum tertium, audivi tertium animal dicens : *Veni et vide. Et ecce equus niger, et qui sedebat super eum, habebat stateram in manu sua. Et audivi tanquam vocem in medio quatuor animaliam dicentium* : *Bilibris tritici uno denario, et tres bilibres hordei denario, et vinum et oleum ne læseris.*

Et cum aperuisset sigillum tertium, sicut cætera, *Ecce equus niger,* offuscans sua vitia aliquibus operibus. *Et qui sedebat super eum,* id est, quia quod sui per eum operantur, ei attribuitur, *habehat stateram,* quia dicunt se habere veram discretionem in Scripturis, et ideo suas sententias præponderare *in manu sua,* quia opere implent quod prædicant. Ecce auxilium, scilicet prohibetur eis ne lædant suos, et hoc est, *et audivi tanquam vocem in medio* angeli existentis in medio *quatuor animalium dicentium,* ne lædatis fideles meos quia *bilibris,* id est Ecclesia facta de duobus populis, constat mihi *denario uno,* hoc est uno pretio scilicet sanguine meo. Bilibris dicitur mensura quæ tenet duos sextarios; triticum sunt perfectiores, qui tribulatione attriti, igne excocti sunt, Deo suavis cibus, id est, sine ulla palea. Hordeum sunt non adeo perfecti, in quibus licet valde, sint triti, est tamen aliqua palea. *Et tres bilibres hordei denario,* id est, unico pretio sanguinis, *et vinum,* qui alios inebriant. Vinum sunt illi, qui in se ferventes, inebriant alios ad amorem spiritualem. *Oleum* sunt illi, qui, uniti Spiritu sancto, et pleni orationibus, persistunt in contemplationem.

Et cum aperuisset sigillum quartum, audivi vocem quarti animalis dicentis : Veni et vide. Et ecce equus pallidus, et qui sedebat desuper, nomen illi mors, et infernus sequebatur eum. Et data est illi potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, et morte, et bestiis terræ.

Et ecce. Hic notatur persecutio ex falsis fratribus : quia non proficiens diabolus per apertas tribulationes, vel per manifestas hæreses, immittit falsos fratres, qui sub specie religionis proferant, venenum nocendi, sed hi non habent effectum nisi per prædictos. *Equus pallidus,* quasi ex religione affligens se, *et qui sedebat super illum* diabolus, *nomen illi mors.* Quia ipse est causa totius nostræ mortis, vel quia ipse occidit quosdam in corpore, quosdam in anima; *infernus,* id est, instabiles terrenis, vel qui sunt in inferno deputati. *Et data est potestas super quatuor partes mundi,* id est, super omnes malos in omni parte terræ. *Interficere gladio,* apertis occisoribus, *fame* divini verbi, scilicet per hæreticos; *et morte,* mala persuasione. *Et bestiis terræ,* tribulationibus et occisoribus, vel ad litteram.

Et cum aperuisset sigillum quintum, vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei et propter testimonium quod habebant, et clamabant voce magna dicentes : *Usquequo Domine, sanctus et verus, non judicas et vindicas sanguinem nostrum de his qui habitant in terra ? Et datæ sunt eis singulæ stolæ albæ, et dictum est illis ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleantur conservi eorum et fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut et illi.*

Ostensis tribulationibus, ne isti deficiant, ostendit eis consolationem egregiam, scilicet coronam et gloriam quam recipient hi qui in patentia tribulari non recusant. *Et cum aperuisset sigillum quintum, vidi subtus altare* sub Christo. Altare Christus accipitur, super quem Deo offerimus. Per ipsum enim mediatorem Deo placere possumus, sub quo sunt omnes fidelium animæ, quia et indigniores et magis digni omnes sub eis protectione; vel *sub,* id est, in absconso, quia nemo percipit in hac vita quomodo ibi sint. *Animas interfectorum,* vel aperto martyrio, vel aliqua anxietate, *propter verbum Dei,* quia præcepta Dei in se adimpleverunt, *et propter testimonium,* quia aliis testati sunt. *Et clamabant voce magna* in remisso desiderio. *Usquequo Domine, sanctus,* habens omnem sanctitatem, *et verus* in promissis, *non vindicas sanguinem nostrum,* faciendo discretionem malorum et bonorum, ut impleatur consortium nostrum, *et vindicas* pœnas inferendo *de his qui habitant* amore *in terra,* in terrenis. Desiderant quidem sanctæ animæ ut numerus fratrum impleatur, et placet eis justa sententia, scilicet ut mali puniantur. *Et datæ sunt illis singulæ albæ stolæ,* id est, beatitudo solius animæ, nondum corporis, *et dictum,* inspiratum *est illis* a Deo ut patienter exspectarent; et hoc est, *ut resquiescerent adhuc modicum tempus, donec impleantur conservi eorum,* ad quam exspectationem hortatur eos duobus modis, scilicet gratia Dei, et hoc est cum dicit, *conservi eorum,* et item propter fraternam dilectionem ipsorum quos desiderant, et hoc est ubi dicit, *et fratres eorum.*

Et vidi cum aperuisset sigillum sextum, et terræmotus factus est magnus, et sol factus est niger, tanquam saccus cilicinus, et luna tota facta est sicut sanguis, et stellæ cœli ceciderunt super terram, sicut ficus mittit grossos suos, cum a vento movetur. Et cœlum recessit sicut liber involutus, et omnis mons et insulæ de locis suis motæ sunt, et omnes reges terræ, et principes, et tribuni, et divites, et fortes, et omnis servus et liber absconderunt se in speluncis, et in petris montium. Et dicunt montibus et petris : Cadite super nos, et abscondite nos a facie sedentis super thronum, et ab ira agni : quoniam veniet dies magnus iræ ipsorum, et quis poterit stare?

Et vidi cum aperuisset sigillum sextum, sicut in cæteris sextis, ita in hoc sexto sigillo notat persecutionem, quæ tempore Antichristi futura est, et B quem habeat finem, scilicet judicium futurum, et possunt hæc legi ad litteram, vel ad allegoriam. *Et terræmotus factus est magnus*, terreni sunt multum turbati persecutione Antichristi *et sol factus est niger*, Christus sol verus et modo clarus, tempore Antichristi erit obscurus, scilicet non coruscans ullis miraculis; vel sol dicantur illi potiores in sancta Ecclesia, qui cæteros illuminant, qui erunt nigri, id est vincti in prædicatione sua, et nihil proficientes; *tanquam saccus*, id est, licet extra nigri, intus tamen suam claritatem retinentes; *cilicinus*, id est, rei et peccatores reputatione eorum, *et luna*, id est, Ecclesia *tota* quæ crescit et decrescit, *facta est sicut sanguinis*, scilicet sanguinolenta et contrita, *et stellæ cœli*, scilicet minores, et tamen bene clari et illuminantes Ecclesiam, *ceciderunt super terram*, devocati sunt ad terrena, *sicut ficus mittit grossos suos, cum a vento movetur*. Grossus est fructus inanis, qui cito cadit; in qua comparatione intelligitur quod hi quos permittit Deus cadere ab Ecclesia, non sunt firmiter alligati vera dilectione. Qui enim Deum diligunt, nulla tentatione possunt divelli ab ejus dilectione; *et cœlum recessit sicut liber involutus*, id est, sancti prædicatores cessabunt a prædicatione impiorum, *et omnis mons*, d est omnis eminens in virtutibus, vel si accipiatur mons in malo, dicemus, omnis mons, id est, elati in superbia, *et insulæ*, id est, agitati negotiis sæcularibus, recedunt a fide et bonis operibus. Vel insulæ, id est, tum si persecutionibus movebuntur a statu priori, vel separabuntur ab impiis fide et opere. *Et reges terræ*. Ecce ponit finem, scilicet, quid fiat in judicio, scilicet de omni conditione hominum volent se abscondere realiter in adventu judicis. Vel reges, id est, carni obsistentes, *et principes et tribuni* majores et minores, *et divites* in bonis operibus, *et fortes* contra tentationes, *et omnis servus*, id est conjugatus, *et liber* a conjugio *absconderunt se*, petent suffragia *in speluncis*, id est, obumbratione et defensione, *et petris*, soliditate *montium*, id est angelorum, qui sunt montes, eminentia virtutum. Aut etiam si de prorsus perditis dicamus, *absconderunt se*, id est, confugient ad auxilium dæmonum, quibus servierunt. *Et dicent* A *montibus et petris : Cadite super nos*, vel ad litteram, vel secundum prædictas allegorias *a facie sedentis*, a cognitione, *et ab ira agni*, et jam necesse est, *quoniam venit dies magnus iræ ipsorum*, et quis poterit stare, nisi vestris auxiliis adjutus?

CAPUT VII.

Post hæc vidi quatuor angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flaret ventus super terram, neque super mare, neque in ullam arborem. Et vidi alterum angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viri. Et clamavit voce magna quatuor angelis, quibus datum est nocere terræ et mari, dicens : Nolite nocere terræ, et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum. Et audivi nume- B *rum signatorum centum quadraginta quatuor millia signati, ex omni tribu filiorum Israel. Ex tribu Juda, duodecim millia signati. Ex tribu Ruben, duodecim millia signati. Ex tribu Gad, duodecim millia signati. Ex tribu Aser, duodecim millia signati. Ex tribu Nephtalim, duodecim millia signati. Ex tribu Manasse, duodecim millia signati. Ex tribu Simeon duodecim millia signati. Ex tribu Levi, duodecim millia signati. Ex tribu Isachar, duodecim millia signati. Ex tribu Zabulon, duodecim millia signati. Ex tribu Benjamin, duodecim millia signati.*

Descripto tanto bello Ecclesiæ, ne sui deficerent, confortat eos per quoddam suum auxilium, scilicet cum diabolus sit paratus ubique fidelibus nocere, prohibetur a Domino, ut nunquam suos possit im- C pedire. *Post hæc* secundum ordinem visionum *vidi quatuor angelos stantes supra quatuor angulos terræ*, id est diabolos, qui tantum dicuntur angeli secundum dignitatem creationis; vel quia mittuntur ad puniendos malos, et probandos bonos. Quatuor dicit eos, quia nocere habent in quatuor partibus mundi, *tenentes quatuor ventos terræ*. Per ventos accipit prædicatores : quia sicut ventus excutiens nubes irrigat terram, et facit fructificare, et faciem terræ hilarem facit; sic prædicatio mentes hominum. Quatuor dicuntur isti sicut prædicti, *ne flaret ventus super terram*. Per terram accipit habitantes in terra, vel terrenis deditos; per *mare* habitantes in insulis, vel variis fluctuantes vitiis. Per *arborem*, quæ jam aliquantulum de terra excrevit, scilicet qui fidem recepit, vel qui jam paratus est fuctum facere. Ecce D auxilium contra prædictos angelos : quia Christus prohibet eos nocere suis. *Et vidi angelum*, id est Christum, *alterum*, id est, diversum a prædictis, *ascendentem* mundum, *ab ortu solis*, id est illuminantem sicut sol; *habentem signum Dei vivi*, id est crucem, qua suos signaret, vel immunitatem a peccato, ex quo Deus apparet, *et clamavit voce magna quatuor angelis*, quando dæmones in passione a potestate dejecit cum magno imperio. Clamare Dei facere est, *quibus datum est nocere terræ et mari, dicens*. De arbore tacet, quia ipsa excrevit de terra. *Quousque signemus servos Dei nostri* donec ego interius eos et exterius signo crucis discernam *in fron-*

tibus eorum. Signum in fronte, quod quidem in aperto est, significat confessionem oris, quæ nec in tribulatione debet taceri ; signum in pectore confessionem cordis significat. *Et audivi* intellexi *numerum signatorum* omnes eos signandos,qui per istos significantur *centum quadraginta quinque millia.*Finitum numerum ponit signatorum, quia Deo finitus, licet nobis sit infinitus.Hunc autem numerum ideo ponit,quia per suas parter significat prædicatores sanctæ Trinitatis.Constat enim ex duodenario in seipso multiplicato. Per duodecim, qui tribus et quatuor constat, habemus eos qui sunt signati fide sanctæ Trinitatis in quatuor partibus mundi;per mille significamus perfectionem,*ex omni tribu*; id est ex omnibus gentibus *filiorum Israel*,qui sunt viri *Deum videntes.Ex tribu Juda*,id est,*confitens.*Hoc sufficit his, qui non habent tempus operandi.Judas qui quartus fuit inter filios Jacob, hic primus ponitur : unde nobis datur intelligi quod hæc generatio non sit historialiter, sed spiritualiter. Dan sextum filium præterit,quia ex progenie ipsius nascetur Antichristus, ex quo innuitur ex omni numero sanctorum Antichristus ejiciendus. *Ex tribu Ruben*, id est,*videns filios*,ut sunt illi qui aliquantulum operantur. *Ex tribu Gad*, id est *accinctus*,scilicet contra quamlibet tentationem. *Fx tribu Aser*, id est, *beatus*,scilicet mundanis non intentus. *Ex tribu Nephtalim*, id est, *latitudo*, scilicet hi sunt qui ex charitate aliis sua largiuntur. *Ex tribu Manasse*, id est, *oblitus*,per quem significatur gentilis populus, qui oblitus idolorum Deo servivit, qui bene sexto loco inducitur, quia Christus sexta ætate natus est. *Ex tribu Simeon*, *tristitia*, seu recordatio de præteritis peccatis, quæ summa custodia est ad conservationem virtutum. *Ex tribu Levi*, id est, *additus*, per quem significantur illi,qui non sunt contenti institutis, sed ex se multa bona assumunt.*Ex tribu Isachar*, id est, *merces*, scilicet,qui jam fastidiunt terrenam habitationem,et omnino intendunt ad remunerationem, ut ille : *Cupio dissolvi et esse cum Christo* (*Philipp.*I). *Ex tribu Zabulon*, id est,*habitaculum fortitudinis*, scilicet laborem non recusantes, sed aliquando de contemplatione ad actionem pro necessitate fratrum descendentes. *Ex tribu Joseph*, id est, *augmentum*, scilicet Ecclesiam in numero sanctorum multiplicantes. *Ex tribu Benjamin*, id est *filius dexteræ ;* hi sunt qui a propitiatione Dei omnia reputant, nihil a se.

Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, et tribubus, et populis, et linguis, stantes ante thronum, et in conspectu agni, amicti stotis albis, et palmæ in manibus eorum. Et clamabant voce magna dicentes : Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et agno. Et omnes angeli stabant in circuitu throni, et seniorum, et quatuor animalium, et ceciderunt in conspectu throni in facies suas, et adoraverunt Deum dicentes, amen. Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarnm actio, et honor, et virtus, et fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum, amen.

Post hæc. Istud quod modo dicit, est quasi expositio supradictorum,scilicet quod superius dixit sub finito numero signatorum,hic dicit turbam innumerabilem : quod ibi per duodecim tribus, hic per universitatem gentium,quasi dicat : Sicut erat prædictum, ita vidi completum. *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*, licet numerus Deo sit cognitus, hominibus tamen est incertus ; *ex omnibus gentibus*,etiam barbarissimis,*et tribubus* in unaquaque gente, *et populis, et linguis*, in eodem populo sunt diversæ linguæ, scilicet ex omni diversitate linguarum, *stantes ante thronum*, id est parati obedire Deo judici,vel etiam suis prælatis, *et in conspectu*, ut et conspiciant et conspiciantur *agni* Christi, et hi erant *amicti solis albis*, innocentia et immortalitate, *et palmæ in manibus eorum*, id est victoriæ,quæ ex operibus procedunt. *Et clamabant*, et modo, et in futuro maxime clamabunt, et per hæc omnia debet Ecclesia maxime animari, *voce*, affectione *magna*, *dicentes* : *Salus Deo nostro*, scilicet quæcunque bona habemus, sive remissionem peccatorum, sive operationem bonam, vel æternam gloriam,nihil a nobis, sed omnia radicaliter a Deo et consummative ut dicitur (*I Cor.*XII; *Galat.* III *et Phil.* II), nihilominus Dei adjutores sumus, ut deducit D. Paulus (*I Cor.* III), *et agno* Filio Dei Christo, *et omnes angeli stabant*. Angelos inducit de consortio sanctorum gaudentes,et eorum testimonium confirmantes,*et ceciderunt*,humiliaverunt se ei, *in conspectu throni*, ut conspiciant et conspiciantur *in facies suas*,in conscientias suas rationaliter videntes quod faciunt, *et adoraverunt Deum dicentes,amen. Amen*, scilicet quidquid ei attribuitis verum est. Vel amen ad sequentis legamus, amen, id est, verus in omnibus promissis.*Fidelis Dominus in omnibus verbis suis* (*Psal.* CXLIV), *et benedictio* exaltatio, quoniam habet ultra omnem creaturam, vel nostra exaltatio in virtutibus ; *et claritas*, impassibilitas, vel nostra claritas in operibus bonis ; *et sapientia*, quia omnia scit, vel quia nos scientes facit, *et gratiarum actio*, id est gratias de omnibus bonis, quæ habemus, referre debemus sibi ; *honor* id est, veneratio,quæ sibi ab omni bono exhibetur; *et virtus*,potentia impediendi inimicos,quam etiam dat suis ; *et fortitudo*, affectus virtutis,quam habet a seipso, non indigens petere aliunde, et per hæc data Deo variæ hæreses contunduntur ; *in sæcula sæculorum*, neque hoc ad tempus, sed æternaliter.

Et respondit unus de senioribus, dicens mihi : Hi qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, et unde veniunt ? Et dixi illi : Domine mi, tu scis, et dixit mihi : Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine agni, Ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte in templo ejus. Et qui sedet in throno, habitat super illos. Non esurient, neque sitient amplius. neqne cadet super illos sol, neque ullus æstus : quoniam agnus, qui im medio throni est, reget illos, et

deducet eos ad vitæ fontes aquarum. Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.

Postquam cognovit beatus Joannes turbam illam in tanta dignitate, curat cognoscere qua via ipsa ad hæc pervenire potuit, ut doceat cæteros idem attendere. *Et respondit,* scilicet satisfecit desiderio meo, ac si quæsivissem. *Unus de senioribus.* Omnes sunt unus, qui idem docent. *Qui sunt?* quam digni; *Domine me, tu scis,*scilicet, doce me nescium. *Hi sunt, qui venerunt,* et etiam venturi sunt,*et laverunt* bona operatione *stolas suas,* innocentiam, vel corpora sua. *Ideo sunt ante thronum Dei,* scilicet, placent Deo judici, *in templo ejus,* vel in præsenti Ecclesia, vel, exuti corpore, sunt templum et habitatio ejus, et ideo fruentes vero pane, et hoc dicit: *Et qui sedet in throno,* qui dedit cognitionem angelis. *Habitat super illos,* dabit eamdem cognitionem etiam illis.*Non esurient neque sitient amplius,* potati scilicet fonte vitæ, *neque cadet super illos sol, neque ullus æstus,* major neque minor tribulatio, *quoniam agnus, qui in medio throni est, reget illos,* deducendo de virtute in virtutem. *Et deducet eos ad vitæ fontes aquarum,* et per hoc tandem ducet ad fontes aquarum vitæ,id est ad indeficientem refectionem,*et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum,* jam nullus dolor prorsus in eis esse poterit.

CAPUT VIII.

Et cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cœlo, quasi dimidia hora.

VISIO TERTIA

Et vidi septem angelos stantes in conspectu Dei, et datæ sunt illis septem tubæ. Et alius angelus venit, et stetit ante altare habens thuribulum aureum. Et data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus sanctorum super altare aureum, quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli coram Deo. Et accepit angelus thuribulum aureum, et implevit illud de igne altaris, et misit in terram. Et facta sunt tonitrua, et voces, et fulgura, et terræmotus magnus. Et septem angeli, qui habebant septem tubas, præparaverunt se ut tuba canerent.

Et cum aperuisset sigillum septimum, factum est silentium in cœlo, pax, quia per totum mundum post mortem Antichristi erit pax quasi media hora, scilicet non diu durabit quies illa, quoniam cito veniet judicium.

Et vidi. In hac tertia visione agit de officio prædicationis injuncto septem angelis, quæ prædicatione ostendet fieri septem persecutiones et plagas mortales reproborum; neque hic deviat ab intentione,sed multum hortatur et invitat eos qui sunt in Ecclesia, ut patienter tribulationes sustineant; aliter enim fient extra Ecclesiam,et percutientur. Ponit hanc visionem ad similitudinem figuræ illius ubi filii Israel tubis canentes prostraverunt muros Hiericho (*Josue* VI). *Et vidi septem angelos* universos, vel septiformi spiritu imbutos,*stantes,* paratos Deo obedire; vel, non cessantes piis subvenire *in conspectu Dei,* quia non displicet Deo damnatio impiorum.*Et datæ sunt illis tubæ septem,* id est,officium prædicationis. *Et alius angelus* longe dignior,scilicet, Christus, *venit* per humanitatem sibi unitam. *Et stetit,* id est paratus Deo nostras orationes offerre ad similitudinem sacerdotis,*ante altare.* Dicitur ipse Christus altare,super quem Deo offerimus: nihil enim prodesset quidquid faceremus, nisi ipso mediante, id est nisi in virtute passionis ejus; et significatur hic altare a nostra cognitione tam remotum per altare aureum,quod est in Sancta sanctorum, *habens thuribulum aureum,*id est vas ignis, per quod significatur corpus Christi, vel apostolorum, qui sunt vasa Spiritus sancti. *Et data sunt illi incensa,* id est orationes a multis sanctis Deo oblatæ,*ut daret de orationibus sanctorum omnium,* id est ut repræsentaret Deo Patri orationes sanctorum. *Supra altare aureum,* id est supra seipsum: quia ipse est totius boni fundamentum; vel divinitati, quæ est supra humanitatem, *quod est ante thronum Dei,*id est in beneplacito sedentis in thronum, et hic notat ut quod placeat altari, placeat et sedenti. *Et ascendit fumus,* id est compunctio procreata ex oratione *de manu angeli* operatione Christi; *et accepit angelus* Christus *thuribulum* quos prius habebat paratos, ut per eos aliquid faciat. *Et impletur illud de igne altaris,* id est Spiritu sancto, quo ipse plenus erat,*et misit in terram* facere fructum.*Et facta sunt* ab illis *tonitrua,* id est minæ, *et voces,* admonitiones, *et fulgura,* miracula, *et terræmotus,* terreni inde moti sunt, scilicet quidam ad bonum, quidam ad malum. *Et septem angeli* universi prædicatores *paraverunt se ut tuba canerent,* id est in se paraverunt opere,quod aliis volebant prædicare, vel providerunt quid conveniret cuique personæ, ut Salomoni profundiora.

Et primus angelus tuba cecinit. Et facta est grando et ignis mista in sanguine, et missum est in terram. Et tertia pars terræ combusta est, et tertia pars arborum concremata est. Et omne fenum viride combustum est.

Et primus angelus ordine narrationis: vel quia hic fuit prima excæcatio, scilicet in Judæa prædicantibus apostolis,*tuba cecinit,*magna prædicatione intonuit, *et facta est grando* aliis gravis, aliis suavis, *et ignis,* irascibiles irati sunt contra prædicationem; *commista in sanguinem,* quæ duo fuere causa perditionis ipsorum,*et missum est in terram,* et hoc totum missum est in Judæam,quæ est terra bene culta lege et prophetis. *Et tertia pars terræ.* Duæ quidem partes, scilicet perfectiores et minus perfecti, salvæ sunt; tertia, id est omnes reprobi perierunt; *combusta est,*id est a Deo excæcata, et a ministris ejus damnata. *Et tertia pars arborum concremata est.* Arbores sunt illi, qui de terra excreverunt, scilicet altiores in lege,quorum pars reproba damnata est, *et omne fenum viride,* id est omnes prorsus dediti gaudiis sæculi.

Et secundus angelus tuba cecinit, et tanquam mons

magnus igne ardens missus est in mare. Et facta est tertia pars maris sanguis, et mortua est tertia pars creaturæ, quæ habebant animas in mari, et tertia pars navium interiit.

Et secundus angelus tuba cecinit ordine narrationis, vel etiam reipsa. Judæis enim reprobatis, conversi sunt apostoli ad gentes, de quibus ita tertia pars damnata est, *tanquam mons magnus*, id est diabolus, pro elatione; *igne ardens*, id est invidia insaniens ad nocendum. *Et missus est in mare*, in gentes. Dicitur diabolus missus ad gentes, licet in eis esset, quia cum prius secure omnes gentes obtineret, dormiebat et quiescebat in eis, jam non compellens eas ad peccandum. Postquam vero duas partes perdidit de his, insaniit in reliquis cupiens retinere. *Et facta est tertia pars maris sanguis*, peccatores, *et mortua est tertia pars creaturæ*, id est philosophorum, qui habent majorem discretionem inter gentes. Gentiles dicuntur mare, quia sunt fluctuantes maximis vitiis. *Et tertia pars navium interiit*, id est rectorum inter gentes.

Et tertius angelus tuba cecinit, et cecidit de cœlo stella magna ardens tanquam facula, et cecidit in tertiam partem fluminum, et in fontes aquarum, et nomen stellæ dicitur absinthium. Et facta est tertia pars aquarum in absinthium, et multi hominum mortui sunt de aquis, quia amaræ factæ sunt.

Et tertius angelus tuba cecinit, ordine narrationis, vel quia postquam diabolus Judæos et gentiles excæcare non potuit, seminavit hæreses, et sic aliquos pervertit; *et cecidit*, apparuit quod ceciderat *de cœlo* ad litteram, vel de Ecclesia *stella*, id est diabolus qui dicitur stella secundum creationem, *ardens* invidia, *tanquam facula*. Facula ardet et consumitur, ita diabolus, qui semper ardet invidia, tandem consumetur, scilicet cum potestatem non habebit, sed torquebitur cum aliis. *Et cecidit in tertiam partem fluminum*, scilicet tertium sensum videlicet seminavit in Scripturas, *et in fontes aquarum*. Fontes dicuntur, unde procedunt flumina, et per hoc signatur nobis Evangelium, quod est fons et summa totius nostræ fidei, ex quo procedunt flumina, id est expositiones, in quibus omnibus duo sunt sensus fidelium, historialis et allegoricus. Tertius est, cum hæreses inducuntur, *et nomen stellæ* erat *absinthium*, amaricatio.

Et quartus angelus tuba cecinit, et percussa est tertia pars solis, et tertia pars lunæ, et tertia pars stellarum : ita ut obscuraretur tertia pars eorum, et diei non luceret tertia pars, et noctis similiter. Et vidi et audivi vocem unius volantis aquilæ per medium cœlum, dicentis voce magna : Væ, væ, væ habitantibus in terra! de cæteris vocibus trium angelorum, qui erant tuba canituri.

Et quartus angelus tuba cecinit, quartus ordine narrationis, vel etiam reipsa, quoniam cum diabolus non posset excæcare omnes Judæos, vel gentiles, et etiam hæreses seminasset, tandem filios Ecclesiæ aggressus est expugnare, et quosdam inde

A subtraxit, tam de majoribus quam de minoribus, *et percussa est* subtractione gratiæ, *tertia pars* omnes reprobi, *solis* majorum doctorum, *et tertia pars lunæ* minores, sed tamen bene lucentes; *et tertia pars stellarum*, id est simpliciores, sed tamen illuminantes, *ita ut obscuraretur tertia pars eorum*, id est amittent bonam cognitionem, et bonam operationem, *et tertia pars diei non luceret*, id est qui illuminati fuerant a majoribus, *et noctis similiter* illuminati a luna et stellis, scilicet a minoribus. Has quatuor damnationes sine aliqua prænuntiatione narravit, utpote præteritas, et quæ quotidie eveniunt; ad cæteras quæ sequuntur ponit prænuntiationem, quia illæ tres futuræ sunt in novissimis temporibus. *Et vidi*, in visione perstiti. *Et audivi*
B *vocem unius aquilæ*. Omnes sancti prædicatores aquila dicuntur, quia et alte volant pennati virtutibus, et perspicaciter rem intuentur. *Volantis per medium cœlum*, id est Ecclesiæ, quæ celat in se divina secreta, *dicentis voce magna*, quia in toto mundo prædicanda, vel quia magnam quid annuntiat, *væ, væ, ter, de cæteris vocibus trium angelorum, qui erant tuba canituri*, accipiens hoc.

CAPUT IX.

Et quintus angelus tuba cecinit. Et vidi stellam de cœlo descendisse in terram. Et data est ei clavis putei abyssi. Et aperuit puteum abyssi, et ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ, et obscuratus est sol, et aer de fumo putei. Et de fumo exierunt locustæ in terram. Et data est illis potestas, sicut
C *habent potestatem scorpiones terræ. Et præceptum est illis ne læderent fenum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem, nisi tantum homines qui non habent signum Dei vivi in frontibus. Et dictum est illis ne occiderent eos, sed ut cruciarent mensibus quinque, et cruciatus eorum cruciatus scorpii, cum percutit hominem, Et in diebus illis quærent homines mortem, et non invenient; et desiderabunt mori, et fugiet mors ab ipsis. Et similitudines locustarum similes equis paratis in prælium, et super capita earum tanquam coronæ similes auro, et facies earum sicut facies hominum. Et habebant capillos sicut capillos mulierum, et dentes earum sicut leonum erant, et habebant loricas ferreas. Et vox alarum earum sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum, et habebant caudas similes scorpionum, et acu-*
D *lei in caudis earum. Potestas earum nocere hominibus mensibus quinque. Et habebant super se regem angelum abyssi, cui nomen Hebraice Abaddon, Græce autem Apollyon, et Latine habet nomen Exterminans.*

Et quintus, et ordine et narratione. Hæc est damnatio eorum quos diabolus immittit parare vias ante faciem Antichristi, *et vidi stellam de cœlo cecidisse in terram*. Ad litteram, et laborantem ne quis locum suum impleret, *et data est eis clavis*, id est potestas a Deo concessa est ei, *putei abyssi*. Abyssi dicuntur tenebrosi et profundi peccatores; putei profundiores inter eos, *et aperuit puteum abyssi*, hæreses quæ latebant in cordibus eorum proferre

fecit, *et ascendit fumus putei*, id est mala doctrina A eorum excæcans, *sicut fumus fornacis magnæ*, id est similis doctrinæ Antichristi, quæ est fornax probans bonos, et redigens in cinerem ligna, scilicet malos; vel ad litteram, *et obscuratus est sol* quidam alios illuminantes, *et aer de fumo putei*, id est quidam illuminati, *et de fumo exierunt locustæ in terram*, id est præambuli Antichristi. Natura locustæ est ut de fumo oriatur. Discipuli tales bene locustis comparantur, quia sicut locustæ nec volare possunt, et tamen nituntur et saliunt, sed statim deficiunt et ad terram decidunt, nec super terram incidere possunt, et viridia corrodunt, ita hæresiarchæ illi nec per profundam cognitionem in altum volare possunt, nec per bonam operationem firmiter incedunt, sed superbia saliunt, et in pejus recidunt, et sunt B corrosores bonorum; *et data est illis potestas* concessa a Deo, *sicut habent potestatem scorpiones terræ*. Scorpioni bene comparantur, quia sicut ille blandus facie cauda pungit occulte, ita hæretici decipiunt per hæc temporalia, persuadendo hæc esse optima, et ad vitam sufficientia, quæ sunt ultima et viliora; vel ideo scorpioni comparantur, quia sicut scorpius pungit et non sentit, sed paulatim diffunditur venenum et urit, sic decepti ab hæreticis prius non sentiunt, sed tandem perimuntur, *et præceptum est illis*, ecce auxilium quod dat sanctis Deus contra istos, scilicet prohibet eis ne noceant alicui suorum, *ne læderent* in anima *fenum terræ*, id est adhuc carnales et in fide rudes, et ideo faciles decipi; neque omne viride, id est jam provectos, *neque omnem arborem*, paratos ut jam faciant fru- C ctum, *nisi tantum hi qui non habent signum Dei vivi* in veritate *in frontibus suis*, id est in aperta confessione, *et datum est eis*, permissum est eis a Deo cruciare corpora, animas non lædere; sic quidem faciunt hæretici, postquam deficiunt in persuasione, per vim quærunt nocere, et hic de bonis dicitur, *ne occiderent eos* morte spirituali, *sed ut cruciarentur mensibus quinque*, id est secundum corpora, quæ quinque sensibus utuntur. Habet alia littera *mensibus sex* propter sex ætates, quibus hæc vita distinguitur, *et cruciatus eorum ut cruciatus scorpii*, scilicet cum non possent per se nocere, accusant eos apud principes; scilicet *et in diebus illis quærent homines mortem*, timentes lapsum, *et non invenient eam*, ut probatiores reddantur, *et fugiet mors ab ipsis*, quia cura gregis astringet eos labori. Dixit superius istos nocere ut scorpiones; modo describendo eos vult tales ostendere qui sic possint nocere, *et similitudines locustarum*, imaginariæ locustæ. *Similes equis paratis ad prælium*, quia veloces ad discurrendum, feroces ad impugnandum, nec providi in quos incurrant, sive in cives, sive non. *Et super capita eorum*, super doctores eorum. Vel in mentibus, ubi in se et coram aliis superbiunt *tanquam coronæ*, victoriæ de præcipitatis *similes auro*, non per veram sapientiam, sed per mundanam sapientiam, *et facies eorum, tanquam facies hominum*. Ad litteram: quia extra ostendent se humanos et pios, sed intus occultabitur eorum iniquitas, *et habebunt capillos sicut capillos mulierum*, capillos mores effeminatos, et fluxu dependentes, paratos quidem ad aliorum deceptionem; vel capillos minores, qui per deceptiones istis adhærent. *Dentes eorum*, id est ipsi laniantes. *Sicut leonum erant*, quia et lacerant, et fetorem, scilicet verba fetida, et sententias proferunt depravatas. *Et habebant loricas sicut loricas ferreas*, id est obstinationem cordis, quam non penetret sagitta veritatis; vel loricas, sententias falsitatis, quæ non admittant aliquam doctrinam veritatis, *et vox alarum*, id est tumultus sententiarum quem faciunt, postquam ratione deficiunt, *sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum*, ad litteram, vel sicut diversi equi variis viis ad idem bellum currunt, ita isti diversis hæresibus ad impugnandam Ecclesiam, *et habebant caudas similes scorpionum*. Per caudas accipit principes terrenos, ad quos recurrunt hæretici, postquam nec ratione, nec tumultu proficiunt. Principes ideo dicuntur cauda, quia sicut per caudam ferit scorpio, ita principibus hæretici, postquam non proficiunt persuasione. Vel caudæ dicuntur dolosæ sententiæ, quibus coram blandiuntur, latenter pungunt, *et aculei*, id est peccatum, quo stimulant alios ad peccandum, *erant in caudis earum. Potestas eorum nocere hominibus*, et etiam bonis secundum corpus *mensibus quinque*. Ostenso quales inter se sint, monstrat etiam per quem hæc possint; *et habebant super se regem angelum abyssi*, id est diabolum, qui dominatur omnibus, qui sunt in profundo vitiorum, cujus nomen Hebraice Abaddon, quasi dicat, *a quo cavete vobis* omnis Ecclesia, et ideo nominat eum omni lingua, scilicet Græco, Hebraice et Latine, quibus scilicet linguis scriptum est Evangelium. *Græce autem Apollyon, Latine exterminans*, a patria vice idem significatur in cæteris linguis.

Væ unum abiit. Ecce veniunt adhuc duo væ. Post hæc et sextus angelus tuba cecinit, et audivi vocem unam ex quatuor cornibus altaris aurei, quod est ante oculos Domini, dicentem sexto angelo qui habebat tubam: Solve quatuor angelos qui alligati sunt in flumine magno Euphrate. Et soluti sunt quatuor angeli qui parati erant in horam, et diem, et mensem, et annum, ut occiderent tertiam partem hominum: D *et numerus equestris exercitus vicies millies, dena millia audivi numerum eorum. Et ita vidi equos in visione, et qui sedebant super eos habentes loricas igneas, et hyacinthinas, et sulphureas; et capita equorum erant tanquam capita leonum, et ex ore ipsorum procedit ignis, et sulphur, et fumus. Ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum, de igne, et fumo, et sulphure, quæ procedunt de ore ipsorum. Potestas enim equorum in ore ipsorum est, et in caudis eorum. Nam et caudæ eorum similes serpentibus habentes capita, et in his nocent. Et cæteri homines, qui non sunt occisi in his plagis, neque pænitentiam egerunt de operibus manuum suarum, ut non*

adorent dæmonia et simulacra aurea, et argentea, et A *ærea, et lapidea, et lignea, quæ neque possunt videre, neque audire, neque ambulare, et non egerunt pœnitentiam ab homicidiis, neque a veneficiis suis, neque a fornicatione sua, neque a furtis suis.*

Væ unum abiit; narrata est una damnatio. *Post hæc et sextns angelus tuba cecinit,* ordine narrationis,et ordine temporis.Hic est enim damnatio malorum in tempore Antichristi,*et audivi vocem unam ex quatuor cornibus altaris aurei.* Altare Christus dicitur, cornua prædicatores Christum sublevantes, et parati pro eo mori, sicut sanguis ponebatur in cornibus altaris.Vel altare ecclesia se immolans,in qua sunt cornua defensores aliorum.Quatuor dicuntur sancti illi prædicatores, propter quatuor quæ de Christo annuntiant,vel quatuor cornua quatuor B evangelia,quæ docent detegere fraudes Antichristi, *quod est ante oculos Domini,* supra quod quidquid offertur,Deus acceptum habet, *dicentes sexto angelo qui habebat tubam.* Præcones scilicet præteriti temporis præmonent futuros quid sit futurum. *Solve quatuor angelos,* prædica esse solutos, ut caveant sibi electi; vel solve excommunicando malos,et sic absolventur et regnabunt in eis,*qui alligati sunt in flumine magno Euphrate.* Duæ ducuntur contrariæ civitates, Hierusalem et Babylon. Babylon quæ est confusio et diaboli mansio dicitur, et altera Dei. Apud Babylonem est fluvius Euphrates realiter,per quem significantur mundani principes, inundantes et fluctuantes, in quibus dicitur diabolus ligatus, dam per eos latenter operatur; solvitur in eis dum C manifeste operatur. Vel dicantur soluti, quia a passione Christi refrenati, non tantum potuerunt, quantum tunc poterunt,*et soluti sunt quatuor angeli,* et impletum est sicut præceptum erat *qui parati erant in horam, et diem, et mensem, et annum.* Per horam accipimus dimidium annum,per diem annum per mensem annum,per annum idem,et sic habemus tres annos et dimidium,scilicet tempus persecutionis Antichristi. Vel per horam notemus quod continue nocere quærebant, quia nec horam intermittebant per cætera, quod diu hoc faciebant *ut occiderent tertiam partem hominum,*id est reprobos, *et numerus equestris exercitus,*soluto diabolo multi præcipitantur,*vicies millies dena millia.*Dena millia sunt sancti, decem præceptis legis perfecti,contra quos ponitur duplex numerus, quia mali sunt plures. D *Audivi numerum eorum.* Quasi dicat : Bene pono numerum, quia ego audivi numerum, scilicet multo ampliores intellexi, quam boni essent. *Et ita vidi equos in visione,* sicut intellexeram quod ad destructionem aliorum equitarent, sic intellexi quod per diabolum hoc facient, quem ipsi portant velut equi dominos : vel diabolus accipiatur equus : mali,sessores, qui super ipsum fundantur, *Et qui sedebant super eos habebant loricas igneas, et hyacinthinas, et sulphureas,* id est muniebant eos sententiis, de quibus sequitur æterna pœna, ubi est fumus, et ignis, et fetor; et ponitur hic pro causa effectus. Hujusmodi enim lorica, æterna pœna efficitur. Vel lorica, æterna pœna, quæ nunquam dimittit quos accipit. *Et capita eorum.* Describit ipsos equos, et idoneos ostendat qui nocere possint. Capita appellat ipsos majores inter ministros diaboli; *erant tanquam capita leonum,* quia laniant et fetent, ut superius in plaga locustarum dictum est. Hic bene ponit faciem leonis,postquam dixit eos habere faciem hominis, quia hæretici aliquid humilitatis ostendunt, sed ministri Antichristi, quod docent, hoc etiam cogunt quibuscunque tormentis confiteri, *et de ore eorum* prædicatione, quia ipsa est causa pœnæ, *procedit ignis, et fumus, et sulphur.* Idem significavit superius per hyacinthum, qui est lapis fumidi coloris.Istæ quidem tres diversæ pœnæ redduntur etiam in inferno secundum diversa commissa in hoc mundo. Ignis ibi datur his qui hic habuerunt nimium æstum cupiditatum.Fumo ibi afficiuntur illi qui in hoc mundo obcæcantur ignorantia superbiæ; fetor ex sorditate pravorum operum. *Ai his plagis occisa est tertia pars hominum de igne, et fumo, et sulphure, quæ procedunt de ore ipsorum. Potestas equorum in ore ipsorum est.* Bene dixit quod hæ pœnæ de ore equorum prodeant, quia potestas eorum nociva est in mala prædicatione; *et in caudis eorum,* id est in occultis deceptionibus. *Nam et caudæ eorum.* Bene dixi quod in caudis sit potestas, nam et *consimiles* sunt *serpentibus,* et blandiuntur facie, et occulte fundunt venenum.*Habentes capita, et in his nocent;* quæ caudæ habent capita, scilicet aliquos majores, per quos mordeant. *Et cæteri homines qui non sunt occisi in his plagis.* De his qui fuerunt in Ecclesia, omnes reprobi mortui sunt, et cæteri,scilicet qui nunquam fuerunt de Ecclesia similiter mortui sunt in peccatis suis, sive pagani, sive Judæi. *Neque pœnitentiam egerunt de operibus manuum suarum.* Ostendit quoniam et isti mortui sunt, *ut non adorarent dæmonia et simulacra aurea et argentea, et ærea, et lapidea.* Ostendit diversa genera simulacrorum, ut et in singulis eorum stultitia denotetur, et hoc proprie de gentibus, *quæ neque videre possunt, neque audire.* Per hoc plane ostendit non esse adoranda,et contundit eorum inertiam,qui talia adorant.*Et non egerunt pœnitentiam ab homicidiis suis.* Hæc pariter possumus accipere et de Judæis. *Neque a veneficiis suis neque a fornicatione sua,*et per has partes intelligamus de reliquis vitiis.

CAPUT X.

Et vidi alium angelum fortem descendentem de cœlo, amictum nube, et iris in capite ejus, et facies ejus erat ut sol, et pedes ejus tanquam columna ignis, et habebat in manu sua libellum apertum, et posuit pedem suum dextrum supra mare, sinistrum autem super terram. Et clamavit voce magna, quemadmodum leo cum rugit. Et cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas. Et cum locuta fuissent septem tonitrua, scripturus eram, et audivi vocem de cœlo dicentem : signa quæ locuta sunt septem tonitrua, et noli ea scribere.

Descripta persecutione quæ erit tempore Antichristi in Ecclesia, ponit econtra auxilium quod imminet eis, scilicet Christum. Fideles enim, considerantes talia, de Christi consolatione reficientur. *Et vidi alium* a prædictis contrarium, *fortem* cui hostis resistere non potest, *descendentem* humiliantem se usque ad cognitionem nostram. *De cœlo*, de cognitione angelorum *Amictum nube* latentem in carne quæ est quibusdam refrigerium, quibusdam obcæcatio, *et iris in capite ejus*, id est pax secundum propriam personam, secundum quod dicitur (*II Cor.* v). *Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians. Et facies ejus erat ut sol*, id est qui veram de eo habet cognitionem, lucet et illuminat *Et pedes ejus* ipsum portantes erant *tanquam columna*, id est firmi in fide, et alios sustentantes; *ignis*, quia Spiritu sancto accensi, *et habebat in manu sua librum apertum*, id est habebat omnes Scripturas operatione sua completas, vel reparationem humani generis manifeste omnibus jam per ipsum adimpletam; *et posuit pedem suum*, prædicatores, *dextrum*, firmiores, *supra mare*, id est super fluxiores in peccatis; *sinistrum autem*, id est minus firmos, *super terram*, super eos qui aliquantulum desidebant, etsi non perfecte, *et clamavit voce magna*. Per hos pedes locutus est magna, *quemadmodum cum leo rugit*. Vox quidem leonis ostendit ejus virtutem, et infert terrorem: vel sicut nulla fera circuitum leonis audet transgredi, sed remanet in sylva audito rugitu, ita quisque fidelis conclusus fide et donis Spiritus sancti, remanet in Ecclesia, audiens quid Deus minetur exeuntibus. *Et cum clamasset*, et ideo quia isti ab eo missi prædicaverunt *locuta sunt septem tonitrua*, id est prædicaverunt, universi successores terrorem cæteris inferentes. *Voces suas* tempore suo congruentes. *Et cum locuta fuissent septem tonitrua, scripturus eram, et audivi* quia intelligerent sancti *vocem* divinam admonitionem *dicentem de cœlo*, exponentes ne spargerent margaritas ante porcos, ut dicitur (*Matth.* vii). *Signa*, sigilla scilicet; ut amicis pateat, inimicos lateat; et hic innuit quod non sit tacendum fidelibus, *quæ locuta sunt septem tonitrua, et noli ea scribere*, id est noli ea manifestare infidelibus, in quibus nihil utile gererent. Hic per suam personam ubi scribere prohibetur, significat nobis quod tempore Antichristi prædicatio cessabit. Volentes enim sancti ex præcedentium imitatione publice prædicare, intelligent infructuosum, et potius tempore illo conculcandum verbum Dei. Erit enim tempore illo destructio contraria ædificationi Christi, quia, sicut Christus est caput prædicationis et totius bonitatis, ita Antichristus caput erit totius malitiæ et exstinctionis verbi Dei.

Et angelus quem vidi stantem supra mare et super terram, levavit manum suam ad cœlum, et juravit per viventem in sæcula sæculorum, qui creavit cœlum et ea quæ in illo sunt, et terram et ea quæ in illa sunt, et mare et ea quæ in eo sunt, quia tempus amplius non erit. Sed in diebus vocis septimi angeli cum cœ- A *pit tuba canere, consummabitur mysterium Dei, sicut evangelizavit per servos suos prophetas.*

Contra immensam illam tribulationem quæ futura est tempore Antichristi, et contra defectum prædicationis quæ summa refectio est, tempore persecutionis, ponit eis consolationem, scilicet quam Christus promittit suis, quia eis amplius non erit tempus, id est quia carebunt mutabilitate; et, ut securos faciat, præmittit quasi argumenta exemplum sui, quia assumptus est in cœlum, jam est immortalis, et quia jurat eis hanc stabilitatem per viventem in sæcula sæculorum. *Et Angelus*, hoc est Christus, *quem vidi stantem super mare et super terram, levavit*, id est exaltavit *manum suam*, id est humanam naturam, qua ipse operatus est *ad cœlum* et
B juravit, firmiter statuit, quia, sicut Christus resurrexit, ita et nos resurgemus *per viventem in sæcula sæculorum*, scilicet per seipsum. Jurare Dei per viventem in sæcula sæculorum, nihil aliud est, nisi quia sicut ipse vere vivit, ita certum est quod promittit. *Qui creavit cœlum et ea quæ in eo sunt.* Modo ostendit eum potentem nos resuscitare, quoniam ipse ex nihilo fecit omnia; *et terram et ea quæ in ea sunt, et mare et ea quæ in eo sunt.* Ubi hæc omnia a Deo dicit creata, destruit hæreses quorumdam, qui astruebant res quasdam a dæmone creatas. *Quia tempus non erit amplius.* Bonis quidem non erit mutabilitas; quia impassibiles erunt et immortales; malis æterna mutabilitas secundum diversas pœnas. *Sed in diebus septimi angeli, cum cœperit tuba canere, consummabitur mysterium Dei*, scilicet re-
C muneratio sanctorum, quod est secretum quod nec oculus vidit, etc., *sicut evangelizavit per servos suos prophetas.* Prædixerunt enim prophetæ primum et secundum adventum Domini.

Et vocem audivi de cœlo iterum loquentem mecum et dicentem: Vade et accipe librum apertum de manu angeli stantis super mare, et super terram. Et abii ad angelum, dicens ei ut daret mihi librum, et dixit mihi: Accipe et devora illum, et faciet amaricare ventrem tuum: sed in ore tuo erit dulce tanquam mel. Et accepi librum de manu angeli, et devoravi eum, et erat in ore meo tanquam mel duce. Et cum devorassem eum, amaricatus est venter meus. Et dixit mihi: Oportet te iterum prophetare populis, et gentibus, et linguis, et regibus multis.

D *Et audivi vocem de cœlo* divinam admonitionem. *iterum*, id est de eisdem agentem; *loquentem mecum et dicentem*: *Vade*, profice in virtutem Dei, et gratia Dei te dignum exhibe. *Accipe librum de manu angeli*, et sic intellige Scripturam a Deo completam, per carnem assumptam, *stantis supra mare et supra terram*, parati adjuvare accedentes, *et abii ad angelum*, quasi obediens ampliavi mentem. Et hic aperte docet quid debeat facere. *Dicens ei* opere et oratione, *ut daret mihi librum*, id est ut aperiret mihi sensum Scripturarum, *et dixit mihi* quia, si quem paratum videt, quod bonum est sponte offert. *Accipe et devora illum*, id est tracta diligenter operando et

inquirendo, *et faciet amaricare ventrem tuum*, quia grave est carni implere divina præcepta. Per ventrem, qui est mollis et fragilis, accipit carnem. *Sed in ore tuo erit dulce tanquam mel*, id est prædicando et cogitando, *et accepi librum de manu angeli* operatione et gratia Christi, *et devoravi eum : et erat in ore meo tanquam mel duce. Et cum devorassem eum, amaricatus est venter meus*, grave est enim nostræ carni jejunare, et cætera quæ præcipiuntur. *Et dixit mihi*, scilicet commonuit me ad prædicationem, manifestans mihi quia de captione illa exirem. *Oportet te iterum prophetare populis, gentibus, et linguis, et regibus multis*, injuncta prædicatione dedit mihi Scripturas auxilio.

CAPUT XI.

Et datus est mihi calamus similis virgæ, dicens : Surge et metire templum Dei et altare ejus et adorantes in eo. Atrium autem quod est foris templum ejice foras, et ne metiaris illud, quoniam datum est gentibus. Et civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus. Et dabo duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis. Hi sunt duæ olivæ, et duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes, et si quis eis voluerit nocere, ignis exiet de ore ipsorum, et devorabit inimicos eorum. Et si quis voluerit eos lædere, sic opoitebit eum occidi. Hi habent potestatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum : et potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem, et percutere terram omni plaga, quotiescunque voluerint. Et cum finierint testimonium suum, bestia quæ [ascendet de abysso, faciet adversus illos bellum. Et vincet illos, et occidet illos. Et corpora illorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma et *Ægyptus, ubi et Dominus eorum crucifixus est : et videbunt de populis, et tribubus, et linguis, et gentibus, corpora eorum per tres dies et dimidium, et corpora eorum non sinet poni in monumentis : et habitantes terram gaudebunt et jucundabuntur, et munera mittent invicem : quoniam hi duo prophetæ cruciaverunt eos, qui habitabant super terram.*

Et datus est mihi calamus, id est Scriptura. Per calamum enim antiqui scribebant. *Similis virgæ*, sceptro, quia reges constituit *dicens* admonens : *Surge*, egredere, ne pigriteris prædicare. *metire*, prædica cuique secundum suam capacitatem, ut sic facias eos templum Dei, sicut ille qui vult templum fundare, metitur jaciens fundamentum et longitudinem et latitudinem, etc. *Templum Dei et altare ejus*, id est Christum. Minoribus namque et prædicanda incarnatio et similia ; majoribus unitas Trinitatis et talia, et *adorantes in eo* scilicet constituas qualiter in eo debeant adorare. *Atrium autem quod est foris templum*, id est, falsos Christianos qui se simulant Ecclesiam, sed tamen factis negant. *Ejice foras*, et est ratio præmissa quod sint ejiciendi, quoniam sunt foris, scilicet, non operantur ut Ecclesia, et hoc est quod dicit, quod est foris templum ejice foras excommunicando, ostende extra esse, *et ne metiaris illud, quoniam datum est gentibus*, id est, omnino subtrahe prædicationem, quoniam conformes sunt gentibus ; *civitatem sanctam conculcabunt*, et isti Ecclesiam ad jure vivendum congregatam persequentur, *mensibus quadraginta duobus*, scilicet toto tempore prædicationis Antichristi, et per hoc videtur innuere quod omnis persecutio sanctæ Ecclesiæ in quocunque tempore sit ab Antichristo, sicut illa quæ erit in tempore suo. Et ut præsentes confortet, ne propter persecutionem, quæ quidem adhuc levis est, desistant a prædicatione, dicit quia in tempore sævissimæ illius persecutionis prædicabunt Helias et Enoch ; et hoc dicit : *Et dabo verbum Dei duobus testibus meis, et prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta*, prædicabunt tribus annis et dimidio, et tunc incipiens regnare Antichristus, interficiet eos aperte, *amicti saccis*, id est, veste pœnitentiali, non quod his opus esset pœnitentia, sed quia in se opere impleant quæ alios docent. *Hi sunt duæ olivæ.* Oliva est arbor plena succo, et isti pleni sunt Spiritu sancto, *et duo candelabra lucentia*, quia aliis præbent lumen *in conspectu Domini terræ stantes* in beneplacito Dei. Modo ostendit quomodo invincibilem potentiam dat suis Deus damnandi impios, et hoc est, *et si quis eis voluerit nocere*, a veritate devocando, *ignis exiet de ore eorum*, id est, spiritualis sententia, *et devorabit* damnabit *inimicos eorum. Et si quis eos voluerit lædere* corporaliter, *sic oportet eum occidi*, sic spirituali sententia *et hi habent potestatem claudendi cœlum*, id est Scripturas, quæ celant arcana Dei, *ne pluat diebus prophetiæ ipsorum*, quia non prædicabunt nisi congruo tempore. Hæc figura talis fuit dum Helias per annos et dimidium pluviam realiter cessare] fecit (*III Reg.* XVII), *et potestatem habent supra aquas*, id est, doctrinas suas, quæ mentes fidelium irrigant *convertendi eas* quantum ad perverse intelligentes *in sanguinem* in peccatum, sicut legitur Moyses fecisse in Ægypto (*Exod.* VII), *et percutere terram*, terrenos, omni plaga sicut fuerunt Ægyptii, ut patet in libro Exodi, *quotiescunque voluerint. Et cum finierint*, id est, consummaverint *testimonium*, scilicet prædicationem, *bestia* Antichristus, *quæ ascendet* ad regnum *de abysso* pertenebroso, *faciet adversus eos bellum* ad litteram, vel disputationibus, *et vincet illos et occidet illos* corporaliter, *et corpora eorum jacebunt in plateis*, ut sic terreantur alii ab imitatione eorum *civitatis* Hierusalem *magnæ* olim in virtutibus, nunc in malitia, *quæ vocatur spiritualiter Sodoma*, id est muta, quia tunc non prædicabitur in ea, *et Ægyptus*, id est tenebrosa, quia tunc erit sine cognitione Dei. *Ubi Dominus eorum crucifixus est, et videbunt de tribubus, et linguis, et gentibus, corpora eorum per tres dies et dimidium.* Quidam videbunt oculis, quidam sola fama, quia toto tempore illius nequissimi impostoris et hæresiarchæ Antichristi prædicabitur : Videte ne sitis consimiles illis qui sic jacent inhumati, *et corpora eorum non sinent poni in*

monumentis; et inhabitantes terram, mali scilicet, *gaudebunt super illos et jucundabuntur et munera mittent ad invicem*, hoc est signum jucunditatis; *quoniam hi duo prophetæ cruciaverunt*, id est, nequitias illorum contundendo, *qui inhabitant super terram.*

Et post tres dies et dimidium spiritus vitæ a Deo intravit in eos, et steterunt super pedes suos, et timor magnus cecidit super eos qui viderunt eos : et audierunt vocem magnam de cœlo dicentem illis : Ascendite huc. Et ascenderunt in cœlum in nube, et viderunt illos inimici eorum : et in illa hora factus est terræmotus magnus, et decima pars civitatis cecidit, et occisi sunt in terræmotu nomina hominum septem millia, et reliqui in timore sunt missi, et dederunt gloriam Deo cœli.

Ostensa tribulatione eorum per quorum exemplum istum invitabat ad prædicandum, et etiam si opus esset ad patiendum, ostendit et ipsorum coronas, ut similiter istum de præmio securum faciat, et hoc est, *Et post tres dies et dimidium spiritus vitæ* anima æternaliter vivificans, non anima jam tantum servitura his sensibus, *a Deo intravit in illos*, scilicet intraturum vidi, *et steterunt*, scilicet jam impassibiles et immortales *super pedes suos*, scilicet firmi, non indigentes quo innitantur, sicut prius viventes in senio, *et timor magnus cecidit super eos*, quasi pondus opprimens, *qui viderunt eos*, scilicet glorificatos, *et audierunt vocem magnam*, magnæ operationis, *de cœlo* a Christo vel archangelo *dicentem* in ipso actu adimplentem, *illis, ascendite huc*, ad consortium sanctorum. *Et ascenderunt in cœlum in nube*, quæ ipsis sit refrigerio, inimicis sit timori. *Et viderunt illos inimici eorum, et in illa hora*, tempore glorificationis eorum, *factus est terræmotus magnus*, movebuntur terreni, vel in occisione eorum movebitur Ecclesia, *et decima pars civitatis*, id est mali, licet ad hoc sint constituti, ut decimus ordo ex hominibus restitueretur; *cecidit* in pœnas, vel de Ecclesia, *et occisi sunt in terræmotu* æterna morte, vel quia postea non resipuerunt; *nomina hominum*, scilicet quos Deus præscivit malos per proprias distinctiones, quasi per nomina, *septem millia*, universi perfecti in malitia, *et reliqui*, scilicet boni, qui non ceciderunt in pœnas, *sunt missi in timore*, scilicet timent casum, vel in reverentia Dei, *et dederunt gloriam Deo cœli* sibi nihil attribuendo.

Væ secundum abiit : et ecce tertium væ veniet cito. Et septimus angelus tuba cecinit, et factæ sunt voces magnæ in cœlo, dicentes : Factum est regnum hujus mundi Dei nostri et Christi ejus, et regnabit in sæcula sæculorum, amen. Et viginti quatuor seniores qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, et adoraverunt Deum dicentes : Gratias agimus tibi, Domine Deus omnipotens, qui es et qui eras, qui accepisti virtutem tuam magnam, et regnasti : et iratæ sunt gentes, et advenit ira tua, et tempus mortuorum judicari, et reddere mercedem servis tuis prophetis, et sanctis, et timentibus nomen A *tuum, pusillis et magnis, et exterminandi eos qui corruperunt terram.*

Væ secundum abiit. Secunda damnatio dicta est, *et ecce tertium væ veniet cito*, narratione vel etiam tempore, *et septimus angelus tuba cecinit*, ordine narrationis et temporis. Cum angelus iste annuntiet judicium, non dicitur væ, nisi quantum ad partem malorum, *et factæ sunt voces magnæ in cœlo dicentes*, id est laudes Deo, de justorum salvatione, et malorum damnatione. *Factum est regnum hujus mundi Dei nostri*, scilicet qui prius erat vilis et abjectus mundo, jam obtinet sibi regnum coronans bonos et puniens malos, *et Christi Filii ejus, et regnabit*, scilicet regnum illud tenebit *in sæcula sæculorum*, in æternum non redibunt sancti vel damB nati, ut mundum rursus incolant, sicut volunt quidam hæretici, *et viginti quatuor seniores* scilicet non soli minores, sed etiam majores, glorificabunt Deum, *qui in conspectu Dei*, id est, considerantes quid Deo placet, *sedent*, scilicet judicant etiam in præsenti *in sedibus suis* in sibi subditis. *Ceciderunt in facies suas*, scilicet humiliaverunt in conscientia vera, *et adoraverunt Deum dicentes : Gratias agimus tibi*, Domine Deus omnipotens, quia nos salvasti et impios damnasti. *Qui es et qui eras, qui accepisti virtutem tuam magnam*, resurgendo, Spiritum sanctum tuis dando. Ecclesiam colligendo. *et regnasti*, tuos a diabolo defendendo, insuper illius potestatem confringendo, *et iratæ sunt gentes* pro regno tuo, *et advenit ira tua*, et tandem modo apparet ira tua in eis. *Et tempus* C *mortuorum* advenit opportunitas tam bonorum quam malorum. *Judicari* ut secernantur boni a malis *et reddere* advenit *mercedem servis tuis prophetis*, et sibi et aliis prævidentibus. *Et sanctis* in fide saltem fundatis. *Et timentibus nomen tuum*, hic comprehendi quoscunque fideles. *Pusillis et magnis*, *et exterminandi eos*, et advenit tempus ut extra terminos veræ patriæ ponantur *qui corruperunt terram*, scilicet seipsos mala operatione, alios doctrina vel exemplo.

VISIO QUARTA.

Et apertum est templum Dei in cœlo, et visa est arca testamenti ejus in templo ejus. Et facta sunt fulgura et voces et terræmotus, et grando magna.

In hac quarta visione agitur de pugna Ecclesiæ et diaboli, et ostenditur quibus auxiliis Ecclesiæ vinD catur diabolus. Unde fideles maxime debent animari, ne ab Ecclesia recedant antequam tractet istam quartam visionem, præmittit aliquid de secunda scilicet de revelatione mysteriorum, et de tertia, id est de officio prædicationis impleto per septem angelos, quia hæc visio pendet ex illis, quoniam ex reparatione hominum, et de damnatione malorum elicitur Ecclesia quæ hic pugnat. *Et apertum est templum Dei in cœlo*, id est, patuerunt mysteria Ecclesiæ quæ figurabantur per tabernaculum, *et visa est arca testamenti*, id est Christus, in quo sunt absconditi thesauri sapientiæ (*Col.* II), in quo est Vetus et Novum Testamentum, sicut in arca erant tabulæ et

manna, et cætera. Vel impletum, *in templo ejus* in A Ecclesia quæ est in cœlo per bonam vitam, *et facta sunt*. Ecce de tertia visione *fulgura*, miracula, ut prædictum est per angelos, *et voces*, admonitiones, *et terræmotus* quidam sunt moti ad bonum, quidam non, *et grando magna*, quia prædicatio puniens et contundens visa est intolerabilis.

CAPUT XII.

Et signum magnum apparuit in cælo, Mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim. Et in utero habens, et clamat parturiens, et cruciatur ut pariat.

Et signum magnum apparuit: ex his vidi quamdam figuram procedentem magnum quiddam significantem *in cœlo*, quia res cœlestis fuit quæ apparuit. *Mulier* ecce signum, quia significat Ecclesiam *amicta* B *sole*, Christo, qui eam obumbrat et illuminat *et luna* mundus, quia deficit et crescit *sub pedibus ejus*, quia a mundo sustentatur in necessariis. Mulier significat Ecclesiam : quia sicut mulier parit et nutrit, ita Ecclesia parit homines in lucem et fidem, et nutrit eos omni verbo divino, *et in capite ejus corona stellarum duodecim*, id est Christo victoria mundi acquisita per duodecim apostolos. Vel in capite, in principio Ecclesiæ eadem corona *et in utero*, id est in memoria latet aliquid sicut in utero *habens* verbum Dei, *et clamabat* prædicando *parturiens*, laborans ut aliquos in lucem imittat, *et cruciatur* ab inimicis vel a seipsa, quia non potest parere Christo quos vellet: vel quia affligit seipsam ut quod aliis prædicat ipsa opere impleat ut pariat. C

Et visum est aliud signum in cælo. Et ecce draco magnus, rufus, habens capita septem, et cornua decem, et in capitibus suis septem diademata erant, et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cæli, et misit eas in terram. Et draco stetit ante mulierem quæ erat paritura, ut, cum peperisset, filium ejus devoraret. Et peperit filium masculum qui recturus erit omnes gentes in virga ferrea, et raptus est filius ejus ad Deum et ad thronum ejus et fugit mulier in solitudinem, ubi habet locum paratum a Deo, ut ibi pascant illam diebus mille ducentis sexaginta.

Et contra hanc mulierem, *visum est aliud signum in cœlo. Et ecce draco*, id est diabolus, qui dicitur draco secundum fortitudinem, *magnus* quia magnæ potestatis. Ideo dicit draconem visum in cœlo, ut ostendat ipsum propinquum ad impugnandam Ecclesiam : quia si diceret eum in inferno, non videretur D ratio quod posset cum Ecclesia pugnare, quam in cœlo viderat, *rufus* secundum occisionem ; *habens capita septem* principes universos per quos operatur, *et cornua decem*, id est decem regna. Historialiter quidem erit quod Antichristo adhærebunt decem reges, quibus cœteri respondebunt. Per hos decem intelliguntur omnes mali diabolo adhærentes. Vel decem cornua dicantur divitiæ quibus potentes decalogum impugnant. *Et in capitibus suis septem diademata erant*, universæ victoriæ de perversis. *Et cauda ejus* deceptiones quibus vitia celantur ut cauda turpia; *trahebat* ad infidelitatem omnes reprobos, et hoc dicit, *tertiam partem stellarum cœli*, scilicet eorum qui aliquando illuminaverunt Ecclesiam, *et misit eas in terram* in delectationem ex terrenis. Descripta muliere per se et dracone per se, ostendit pugnam ipsorum, *et draco* diabolus tali potestate confisus *stetit* paratus *ante mulierem* nocere et impugnare Ecclesiam, *quæ erat paritura*, quæ laborabat ad partum, et ideo putabat draco eam sibi citius cessuram, *ut, cum peperisset, filium ejus devoraret*. Ideo stabat, ut, cum mulier aliquem in lucem fidei emisisset, draco iste eum ad peccatum devoraret. *Et peperit filium*, scilicet Christum, *masculum* propter fortitudinem. Ecclesia parit Christum, quia immittit ipsum in singulis mentibus fidelium, vel quia Christus carnaliter fuit de his qui fuerunt Ecclesia. *Qui recturus erit omnes gentes in virga ferrea*, in justitia inflexibili, *et ecce*. Hic ponit unde Ecclesia habeat spem incipiendi pugnam. Ex hoc quod filius suus raptus est ad dexteram Dei, confisa tanto auxilio pugnare incipit, secura de sua resurrectione convincit, et hoc est. *Raptus est*, caro contra naturam carnis, *filius ejus ad Deum*, ad æqualitatem Dei, *et ad thronum ejus*, ut cum Patre judicet, *et mulier*, Ecclesia per auxilium Filii *fugit* a gloria *in solitudinem* ut mente deserat superbiam hujus mundi. Quare illuc? Quia ibi *habet locum paratum a Deo*, et hoc est quod dicit. Ubi habet locum paratum a Deo, id est quia Deus paravit ei talem locum. Quædam confortatio est, *ut ibi pascat eam* prædicationis doctrina *diebus mille ducentis sexaginta*, tribus annis et dimidio, id est prædicatione, quam Dominus tanto tempore fecit assidue, pascitur Ecclesia.

Et factum est prælium in cælo magnum. Michael et angeli ejus præliabantur cum dracone : et draco pugnabat et angeli ejus, et non valuerunt, neque locus eorum inventus est amplius in cælo. Et projectus est ille draco, magnus serpens antiquus qui vocatur diabolus et Satanas, qui seducit universum orbem, projectus est in terram, et angeli ejus cum illo missi sunt, et audivi vocem magnam in cælo dicentem : Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Deo nostro, et potestas Christi ejus, quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum. Dei nostri die ac nocte : et ipsi vicerunt illum propter sanguinem agni, et propter verbum testimonii sui, et non dilexerunt animas suas usque ad mortem. Propterea lætamini, cæli, et qui habitatis in eis.

Et factum est, ecce aliud auxilium *prælium magnum in cœlo. Michael et angeli ejus præliabantur cum dracone*. Præliatur quidem Michael inspirando fidelibus per quæ crebras diaboli tentationes exsuperent, vel inferendo corporale auxilium, vel per seipsum, vel per quemcunque minorem angelum, quia omnes ei sunt subditi. *Et draco pugnabat et angeli ejus, et non valuerunt* dejicere Ecclesiam in peccatum, *neque locus inventus est eorum amplius in cælo*, scilicet non potuerunt amplius illam mulierem per tentationes superare; et agitur hic de occulto bello, scilicet per

suggestiones. *Et projectus est draco ille magnus* auxilio Filii et angelorum, a bonis. *Serpens* propter calliditatem, *antiquus* propter primam seductionem, *qui vocatur diabolus*; quasi, diceret : A quo cavete vobis omnes, quia iste diabolus vocatur, id est *fluens a bonis*, scilicet ad malos, *et Sathanas*, adversarius *qui seducit universum orbem* secundum reprobos, *projectus est in terram*, cadens a fidelibus atrocius impugnat cæteros, *et angeli ejus cum illo missi sunt*. Ecce ponit quamdam exsultationem in cœlo de hac victoria Ecclesiæ, et hoc est : *Audivi vocem magnam in cœlo dicentem* vel ab angelis, vel ab animabus sanctis : *Nunc*, ex tempore Christi, *facta est salus*, remissio peccatorum in baptismo, *et virtus*, confortatio ad operandum in conformatione; *et regnum*, qui regit suos de virtute in virtutem, *Deo nostro et potestas Christi ejus*, quoniam hæc omnia per Christum operatus est *quia projectus est accusator fratrum nostrorum*, id est diabolus, qui perducendo ad peccatum reddit accusabiles, *qui accusabat illos*, scilicet officium suum est accusare, a quo officio nunquam ipse cessabit, *ante conspectum* : quia nihil latet eum; per quod multum monet cavere : *ante conspectum Dei nostri die ac nocte*, assidue : *et ipsi vicerunt eum*, non cedendo suggestionibus ejus, *propter sanguinem Agni*, scilicet imitando passionem Christi, *et propter verbum testimonii sui*, quia non tacent verbum divinum ubi locus est, et fidem quam testatus est Christus, *et non dilexerunt animas suas usque ad mortem*, scilicet animalitates suas, scilicet non satisfaciendo carni, ut inde perirent animæ. *Propterea lætamini, cæli*, angeli vel sancti apostoli, *et qui habitatis in eis*, inter eos, scilicet minores.

Væ terræ et mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet. Et postquam vidit draco quod projectus esset in terram persecutus est mulierem quæ peperit masculum. Et datæ sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ ut volaret in desertum in locum suum, ubi alitur per tempus et tempora, et dimidium temporis a facie serpentis. Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi a flumine. Et adjuvit terra mulierem, aperuit terra os suum, et absorbuit flumen, quod misit draco de ore suo. Et iratus est draco in mulierem, et abiit facere prælium cum reliquis de semine ejus qui custodiunt mandata Dei, et habent testimonium Jesu. Et stetit super arenam maris.

Væ terræ et mari quia descendit diabolus ad vos et quia projectus est diabolus a bonis; væ vobis in quibus ipse modo habitat, quia sic jam adhærebit, ut nequeat separari : *habens iram magnam*, quia videt sibi multos subtrahi et in locum suum restitui. *Sciens quia modicum tempus habet*, inde magis insanit. *Et postquam vidit draco quod projectus esset in terram*, cum videt diabolus se per occultam fraudem non posse proficere, *persecutus est mulierem*, aggreditur aperte impugnare, *quæ peperit masculum*, a quo habet auxilium in aperta pugna, *et datæ sunt mulieri*, Deus dedit, *duæ alæ*, duo testamenta vel gemina dilectio, vel duæ vitæ, activa et contemplativa, *aquilæ magnæ*, quia in altum volant, scilicet usque ad ipsum Deum, et sunt perspicacis intuitus in Scripturis, *ut volaret in desertum in locum suum*, scilicet a Deo sibi datum, *ubi alitur*, alimonia doctrinæ veritatis prædicatæ a Deo, *per tempus et tempora et dimidium temporis*, per hoc tempus, scilicet per tres annos et dimidium, *a facie*, a præsentia, *serpentis*, callidæ deceptionis. *Et misit serpens ex ore suo*, ex prædicationis inspiratione, *post mulierem*, ut eam assequeretur, sed nec attingere potuit, *aquam*, tribulationem, *tanquam flumen*, maxime inundantem et fluctuantem, *ut eam faceret trahi a flumine*, in peccatum, *et adjuvit terra mulierem*, scilicet Christus dedit vires Ecclesiæ patiendi adversa, vel sancti orando. Terra Christum significat propter stabilitatem, qui absorbuit omnem tribulationem, quia idoneum se fecit ut reciperet quidquid sibi inferretur, quia recipiens injustam mortem damnavit mortem, et item cæteras tribulationes quas omnes injuste sustinuit, et hoc est quod sequitur : *Et aperuit terra os suum, et absorbuit flumen quod misit draco ex ore suo, et iratus est draco in mulierem*, quia licet non possit devincere, non tamen desistit invidere et locum invasionis quærere, *et abiit facere prælium*, jam deserens firmiores, *cum reliquis*, scilicet cum minoribus, *de semine ejus qui custodiunt mandata Dei*, quales sunt qui opere implent, *et habent testimonium Jesu*, scilicet quod credunt coram testantur, *et stetit super arenam maris* : super reliquias non stetit, quia non omnes eos sibi adjungit, sed supra arenam scilicet infructuosos nec vinculo fidei alligatos; *stetit*, id est secure immoratus est, in quibus sua vestigia apparent.

CAPUT XIII.

Et vidi de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem et cornua decem, et super cornua ejus decem diademata, et super capita ejus nomen blasphemiæ.

Et vidi de mari, de mundo, *bestiam*, collectionem omnium bestialiter viventium, *ascendentem*, per alios se exaltantem, *habentem capita*, principes, *septem*, universos, *et cornua decem*, scilicet regna et potentias per quæ impugnant decem præcepta legis, et per illa decem regna quæ Antichristo realiter adhærebunt, significantur omnia illa in quibus est impugnatio legis. *Et super cornua ejus decem diademata*, quia non est aliquod præceptum quod per principes non infringatur, et de quo ipsi non coronentur; *et super capita ejus*, in principibus, *nomen blasphemiæ*, quia dicunt Christum non fuisse Deum et similia; vel quia dicunt istum Deum hanc suam familiam, ideo repræsentat nobis ut eam videamus aptam quæ et arenam retineat in sua infidelitate, et alios sciat attrahere.

Et bestia quam vidi similis erat pardo, et pedes ejus sicut ursi, et os ejus sicut os leonis; et dedit illi draco virtutem suam, et potestatem magnam. Et vidi unum de capitibus suis quasi occisum in morte, et plaga

mortis ejus curata est, et admirata est universa terra post bestiam : et adoraverunt bestiam dicentes : Quis similis bestiæ, et quis poterit pugnare cum ea ? et datum est ei os loquens magna et blasphemiam, et data est illi potestas facere menses quadraginta duos. Et aperuit os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen ejus, et tabernaculum ejus eos qui in cœlis habitant. Et datum est illi bellum facere cum sanctis, et vincere illos, et data est illi potestas in omnem tribum, et populum, et linguam, et gentem : et adoraverunt eam omnes qui habitant terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni, qui occisus est ab origine mundi. Si quis habet aurem, audiat. Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem vadit. Qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Hic est patientia et fides sanctorum.

Et bestia quam vidi similis erat pardo, quia sicut pardus est animal maculosum, ita isti maculosi diversis hæresibus, vel etiam quia collecti ex diversis populis, *et pedes ejus sicut ursi,* discursores, qui annuntiando bestiam portant eam, et sunt feroces, et temere conculcantes sicut ursus, *et eos,* majores, in sermone, *sicut os leonis,* quia laniant sanctas Scripturas et fetentes sententias mittunt, *et dedit illi draco virtutem suam,* ut faciat miracula, *et potestatem magnam,* seducendi multos. *Et vidi unum de capitibus suis,* Antichristum scilicet, principale caput, *quasi occisum in morte :* finget quidem se blasphemus nebulo ille mori, et die tertia resurgere, *et plaga mortis ejus curata est,* ficta resurrectione, *et admirata est universa terra post bestiam,* imitando bestiam, *et adoraverunt bestiam* per principale caput, scilicet per Antichristum, *dicentes : Quis similis bestiæ? et quis poterit pugnare cum illa?* scilicet voluntati ejus resistere, *et datum est,* permissum est a Deo, *ei os loquens magna,* in sui magnificatione, *et blasphemiam,* dicendo filium Dei se esse, *et data est illi potestas facere,* talia, *menses quadraginta duos, et aperuit os suum blasphemias :* in tantam fiduciam prorupit ut quod prius occulte, modo publice audeat blasphemare, *ad Deum,* negando Christum esse Deum, *blasphemare nomen ejus,* id est omnem institutionem ipsius per quam laudabilis apparet, *et tabernaculum ejus,* id est illos in quibus ipse militavit, vocans eos degeneres et pannosos, ostentans reges suos, *et eos qui in cœlo habitant,* etiam supernos spiritus, *et datum est illi,* permissione Dei, *bellum facere cum sanctis, et vincere illos,* corporaliter, *et data est illi potestas in omnem tribum et populum, et lingam, et gentem, et adoraverunt eam,* bestiam, *qui inhabitant terram,* scilicet reprobi, *quorum non sunt nomina scripta in libro vitæ Agni, qui occisus est ab origine mundi,* in suis, ut in Abel, vel quia ita dispositum fuit ab initio mundi. *Si quis habet aurem, audiat.* Quædam admonitio est, ne hanc bestiam imitemur, licet sic habere potestatem videamus, quia tandem damnabitur bestia, et omnes sequaces sui. *Qui in captivitatem duxerit,* scilicet a fide nos seducendo ut Antichristus, *in captivitatem,* in damna-

A tionem, *vadit. Qui in gladio,* materiali vel persuasionis, *occiderit,* ut Antechristus et sui, *oportet eum gladio occidi,* verbo Dei. *Hic est,* et quia isti peribunt, ideo contra ipsos est nobis habenda fides et patientia, ne nos cum ipsis pereamus : *patientia,* contra tribulationes, *et fides,* contra malos persuasores, *sanctorum.*

Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra, et habebat cornua duo similia Agni, et loquebatur sicut draco. Et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu ejus. Et fecit terram et habitantes in ea adorare bestiam primam, cujus curata est plaga mortis; et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de cœlo descendere in terram in conspectu hominum, et seduxit habitantes terram propter signa, quæ data B *sunt illi facere in conspectu bestiæ, dicens habitantibus in terra, ut faciant imaginem bestiæ quæ habet plagam gladii. Et vixit, et datum est illi ut daret spiritum imagini bestiæ, et ut loquatur imago. Et faciet ut quicunque non adoraverint imaginem bestiæ, occidantur. Et faciet omnes pusillos, et magnos, et divites, et pauperes, et liberos et servos, habere characterem ejus in dextra manu, aut in frontibus suis, et ne quis possit emere aut vendere nisi qui habet characterem bestiæ, aut nomen aut numerum nominis ejus. Hic est sapientia. Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ. Numerus hominis est, et numerus ejus est sexcenti sexaginta sex.*

Descripta tribulatione quæ fiet per Antichristum et suos majores, subjungit aliam quæ fiet per suos C apostolos quos per totum mundum seminabit, et hoc dicit : *Et vidi aliam bestiam,* priore minorem, *ascendentem,* in cumulum superbiæ, *de terra,* per deditos terrenis, *et habebat duo cornua similia Agni,* quia simulabunt se habere innocentiam et veram doctrinam, et miracula sicut Christus habuit vel duo Testamenta sibi usurpabunt; *et loquebatur sicut draco,* scilicet seductorie loquentur, sicut diabolus in Antichristo; *et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat,* id est omnes modos dicipiendi et nocendi quos Antichristus habuit, *in conspectu ejus,* ut placeant Antechristo, *et fecit terram et habitantes in ea,* id est terrenos et in amore terræ perseverantes, vel terram secundum corpus habitantes in ea secundum animas, *adorare bestiam primam,* Antichristum, *cujus curata est plaga mortis.* Hoc enim habe- D bunt fundamentum suæ prædicationis, sicut apostoli resurrectionem Christi. *Et fecit signa magna,* ad confirmationem prædicationis suæ, *ut etiam ignem faceret de cœlo descendere in terram in conspectu hominum,* quia sicut apostoli acceperunt Spiritum sanctum in specie ignis ita malignum suum spiritum facient isti descendere in specie ignis, et in hoc quasi superabunt apostolos, quia hoc etiam manifeste facient, *et seduxit habitantes in terram propter signa quæ data sunt illi facere in conspectu bestiæ,* ad laudem Antichristi, quia per vocationem nominis ejus fiebant signa eorum, *dicens habitantibus in terram ut faciant imaginem bestiæ,* scilicet ut con-

formes se faciant Antichristo, opera ipsius imitando. *Qui habet plagam gladii et vixit.* Ecce item ponit fundamentum suæ prædicationis; *et datum est illi*, permissum a Deo ad probationem suorum, erunt enim perfecti qui ei non cedent, *ut daret spiritum*, malignum, *imagini bestiæ, et ut loquatur imago bestiæ*, id est habeat in ipsis effectum Spiritus sancti, id est loquatur variis linguis, *et faciet*, minor bestia per principes mundanos, *ut quicunque non adoraverint imaginem bestiæ*, imitatores Antichristi, *occidantur*, secundum corpus, *et faciet*, prædicando bonitatem fidei, *omnes pusillos, et magnos, et divites, et pauperes, et liberos, et servos habere characterem ejus in dextra manu*, scilicet signum, quia opere ostendebant se ei servire; quod est dicere : Isti pseudoapostoli dicent quia iste dominus suus nullius conditionis hominem abjicit; alii : Iste qui præcessit qui dictus fuit Christus solos pauperes secum habebat, *aut in frontibus suis*, scilicet aperte confitebuntur eum Deum esse; *et ne quis possit emere aut vendere;* ad litteram, vel verbum Dei. Qui enim prædicat dat pretium, scilicet verbum Dei, et accipit mercedem, scilicet recipientes verbum homines aut seipsos vendunt; *nisi qui habet characterem bestiæ*, id est qui se ei conformes dicebant, *aut nomen*, id est Antichristi vocantur, scilicet Deum eum esse confitentes, *aut numerum nominis ejus.* Numerum nominis ejus accipiunt hi qui remunerationem ab eo exspectant; quod faciendum esse in numero litterarum nominis notat. *Hic est sapientia.* Quædam admonitio est, quia in hoc erit multa deceptio. *Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ*, computando intelliget etiam per numerum nominis eum non esse remuneratorem. *Numerus enim hominis est, et numerus ejus est sexcenti sexaginta sex;* licet sui per hunc numerum Deum esse prædicent, sapiens tamen percipiet hunc numerum non esse Dei, sed puri hominis. Quia hic liber Græce factus fuit, secundum Græcos numeros de quo hic dicit est inquirendus. Significant enim numerum omnes litteræ apud Græcos. *Nomen ejus* ANTEMON, quod ei convenit secundum hoc quod Christo contrarius dicitur, ex litteris illius nominis. A unum numeratur, N quinquaginta, T trecenti, E quinque, M quadraginta, O septuaginta, S ducenti. Sunt alia multa nomina, sed ex singulis colligitur eadem summa, scilicet sexcenti sexaginta sex. Sex qui primus perfectus est, significat illos minus perfectos qui conjugati sunt, et pro modo suo custodiunt mandata Domini. Sexaginta qui fit ex sex et decem, significat mediocriter perfectos. Centum significat perfectissimos, qui mentis et corporis integritatem conservant. Hi reddunt fructum alii senarium, alii sexagesimum, alii centesimum : et disciplui Antichristi prædicabunt neminem posse salvari, nisi Antichristo proferat aliquem de fructibus istis.

CAPUT XIV.

Et vidi, et ecce Agnus stabat supra montem Sion, et cum eo centum quadraginta quatuor millia habentes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis. Et audivi vocem de cœlo tanquam vocem aquarum multarum, et tanquam vocem tonitrui magni : et vocem quam audivi sicut citharædorum citharizantium in citharis suis. Et cantabant quasi canticum novum ante sedem et ante quatuor animalia et seniores; et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati : virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocunque ierit. Hi empti sunt ex omnibus primitiæ Deo et Agno, et in ore ipsorum non est inventum mendacium; sine macula sunt ante thronum Dei.

Ostensa sævissima persecutione quam patietur Ecclesia ab Antichristo et apostolis ejus, ad consolationem ipsius ponit Christum adjutorem et ejus familiam, et hoc est: *Et vidi*, perstiti in visione, et *ecce*, evidenter, *Agnus*, Christus qui pro nobis immolatus apparuit, *stabat*, ut adjuvaret, *supra montem Sion*, id est supra Ecclesiam, *celsam*, in eminentia virtutum, et Deum contemplantem; *et cum eo centum quadraginta quatuor millia*, scilicet fide sanctæ Trinitatis ex quatuor mundi partibus collectos, *habentes nomen ejus*, quia Christiani dicentur, *et nomen Patris ejus*, vel quia Dei dicentur, vel quia Deum esse non tacebunt, *scriptum in frontibus suis*, aperta confessione oris et operis. *Et audivi vocem*, desiderium vel admonitionem, *de cœlo*, scilicet ab his qui erant cum eo, *tanquam vocem aquarum multarum*, id est multorum populorum, quia de multis populis fuerant congregati; *et tanquam vocem tonitrui magni*, quia terror est omnibus inimicis. *Et vocem quam audivi sicut citharædorum*, carnis mortificatorum, *citharizantium in citharis suis*, scilicet proprias carnes suas affligentes, ut quod aliis prædicarent, in se operando adimplerent, *et cantabant quasi canticum novum*, scilicet cum magna exsultatione annuntiabant reparationem per Agnum adimpletam; vel *cantabant canticum novum*, de integritate animæ et corporis exsultabant, quæ exsultatio in eis nunquam veterascit, sed semper floret et nova est : *ante sedem*, ut Deo sedenti placeat, vel ut ipsis in quibus Deus judicat; *et ante quatuor animalia*, id est in præsentia sanctorum prædicatorum, ut ipsis quoque placeret cantus eorum ; *et seniores*, judices. *Et nemo poterat dicere canticum*, perfectam exsultationem Deo reddere, *nisi illa centum quadraginta quatuor millia*, nisi integri anima et corpore, *qui empti* sanguine Agni, *sunt de terra :* ideo vos qui de terra estis, ne desperetis. Hic sumitur auctoritas a beato Joanne de gloria innocentum. *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati*, ad litteram, vel aliqua mollitie sæculari. *Virgines enim sunt. Hi sequuntur agnum*, id est imitantur Christum *quocunque ierit*, id est secundum corpus et secundum animam. *Hi empti sunt ex omnibus primitiæ*, potior pars Deo et Agno; *et in ore eorum non est inventum mendacium*, etsi aliquando fuit. *Sine macula*, scilicet sine operationis sorde et verbi, etsi aliquando aliqua fuit. *Ante thronum Dei judicis*, ut placeant ipsi Deo.

Et vidi alterum angelum volantem per medium cœlum habentem Evangelium æternum, ut evangelizaret sedentibus super terram, et super omnem gentem, et tribum, et linguam, et populum, dicentem magna voce : Timete Dominum, et date illi honorem, quia venit hora judicii ejus. Et adorate eum, qui fecit cœlum, et terram, et mare, et omnia quæ in eis sunt, et fontes aquarum.

Descripta impugnatione facta per duas bestias, et supposito auxilio Agni, et ostensa dignitate familiæ, subjungitur admonitio ut ad hanc familiam accedamus; et hoc est : *Et vidi alterum angelum*, id est prædicatores, qui alteri sunt a Christo, *volantem*, a terrenis se removentem, *per medium cœlum*, per Ecclesiam et etiam per medium Ecclesiæ, ut ab omnibus possint intelligi æqualiter; vel *per medium*, per communia, scilicet per catholica, non facientem proprias sectas : *habentem Evangelium æternum*, bonum nuntium, scilicet prædicationem æterna promittentem et complentes sic remunerantem, *ut evangelizaret*, ad hoc habentem ut annuntiet, *sedentibus super terram*, id est immorantibus in contemptu mundi : *et super omnem gentem, et tribum, et linguam, et populum*, quasi dicat : ut evangelizaret super omnem diversitatem hominum : *dicentem voce magna*, persuasione magna annuntiante : *Timete Dominum*, casto timore, scilicet propter suam propriam bonitatem; *et date ei honorem;* præbete ei omnimodam venerationem opere et ore, ipsum glorificantes, *quia venit hora judicii ejus*, ne deficiatis, quia non longo tempore patiemini, *et adorate eum*, et quod per vos non potestis ab ipso petite : *qui fecit cœlum et terram*, et ipse potest vos tales facere, quia fecit ex nihilo omnia, *et mare, et omnia quæ in eis sunt, et fontes aquarum.*

Et alius angelus secutus est dicens : Cecidit, cecidit, Babylon illa magna civitas, quæ a vino iræ fornicationis suæ potavit omnes gentes.

Et alius angelus, quia alia denuntiat, *secutus est dicens : Cecidit, cecidit :* bis ponit *cecidit*, quia duplicem casum corporis et animæ annuntiant; vel per duplicatam intelligimus omnimodam ruinam, sed non potuit toties repetere, *Babylon* confusi vitiis civitas pravis munita, *illa magna*, pro superbia, *quæ a vino iræ fornicationis suæ potavit omnes gentes :* gentiliter viventes potat quidem Babylon a vera semita deviando aliquos de omni gente, *de vino fornicationis*, multis nequitiis quæ sunt eis vinum, scilicet dulcis potus et inebrians, *quæ* fornicatio est *iræ Dei*, quia ipsam sequitur divina vindicta. Vel *iræ Dei*, quia Deus permisit illos sic fornicari.

Et angelus tertius secutus est illos, dicens voce magna : Si quis adoraverit bestiam et imaginem ejus, et acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, et hic bibet de vino iræ Dei, quod mistum est mero in calice iræ ipsius : et cruciabitur igne et sulphure in conspectu angelorum sanctorum, et ante conspectum Agni : et fumus tormentorum eorum in sæcula sæculorum ascendet. Nec habent requiem die ac nocte qui adoraverunt bestiam et imaginem ejus, A *et si quis acceperit characterem nominis ejus. Hic patientia sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei et fidem Jesu.*

Et tertius angelus, alia denuntiatio, quia iste angelus minatur et deterret ne nos bestiam sequamur, *secutus est illos dicens : Si quis adoraverit bestiam*, Antichristum, *et imaginem ejus*, ut se conformem faciat sequacibus ejus; *et acceperit characterem*, signum fidei ipsius, *in fronte sua*, ut manifeste eum confiteatur; *aut in manu sua*, ut opere eum imitetur, *et hic bibet*, sicut Babylon, *de vino iræ Dei*, de pœna quam propinat iratus Deus. Per vinum significamus pœnam, quia inebriat; vel vinum dicitur, quia e contrario pro delectatione, quæ in vino intelligitur, redditur; *quod mistum est mero in calice* B *iræ ipsius*. Bibit quis de vino, sed non correptionis, potius damnationis, et hoc est quod dicit, *mistum mero*, scilicet de fece, id est æterna damnatione. Per calicem Domini intelligimus vindictam, quia ipsa datur ad mensuram, in quo calice est merum et fex. Merum est vindicta corrigens : fex est vindicta damnans. *Et cruciabitur igne et sulphure*, fetore, *in conspectu angelorum sanctorum*, ut tanto potius confundantur. *Et ante conspectum Agni : et fumus tormentorum eorum in sæcula sæculorum ascendet*, id est tenebrositas : damnatione malorum numerat, non dicit pro describenda damnatione, sed ut per hoc nos deterreat ab eorum conformitate : et ideo si aliquid alicubi de istis dixerit, non debet dici superfluum, quia ad aliud dicitur. *Nec habent requiem die ac nocte*, nec mirum si Anti- C christus, et hi qui præsentialiter eum viderunt, sic puniantur, quia et præcessores, et ministri ejus eodem pœna afficientur, *qui adorant bestiam et imaginem ejus; et si quis acceperit characterem nominis ejus*, hic scilicet in contuitu æternæ pœnæ, *patientia sanctorum est, qui custodiunt mandata Dei*, opere implendo geminam dilectionem, *et fidem Jesu*, et qui etiam, si non habeant spatium operandi, saltem Deum confitentur.

Et audivi vocem de cœlo dicentem mihi : Scribe : Beati mortui qui in Domino moriuntur. A modo jam, dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis. Opera enim illorum sequuntur illos. Et vidi, et ecce nubem candidam, et super nubem sedentem similem Filio hominis, habentem in capite suo coronam auream, et D *in manu sua falcem acutam.*

Et audivi vocem de cœlo. Item egregia consolatio; ac si dicerent fideles : Mali sic damnabuntur; sed nobis, qui Christum sequimur, quid erit? Omnis beatitudo; et hoc est : *dicente mihi* : *Scribe*, in firma memoria conde, et aliis intima : *Beati mortui*, sæculo, *qui in Domino moriuntur*, qui in confessione Domini vera dissolvuntur, illi sunt beati. *A modo jam, dicit Spiritus.* Et hoc, quasi dicat : Non sunt mea verba, sed Spiritus hoc dicit, *ut a modo*, a tempore resurrectionis, *requiescant a laboribus suis*, quos hucusque passi sunt. *Opera enim illorum sequuntur illos*, id est merces operum sequitur illos, quasi dum in mundo erant videbantur sua opera perdita, quia

semper tribulabantur, sed modo invenient ea florida. Post promissionem beatitatis et completionem ad majorem suorum confortationem, videt etiam impiorum damnationem ad maximam dehortationem. *Et vidi, et ecce nubem candidam*, vel carnem in qua latuit Dominus, vel sanctos qui eum obumbrant, vel realem nubem, *et supra nubem sedentem*, scilicet Christum, *similem Filio hominis*, quia jam impassibilis et immortalis, *habentem*, ad modum triumphantis, *in capite suo*, secundum propriam personam, vel secundum divinitatem, *coronam*, victoriam de diabolo, *auream*, propter sapientiam, *et in manu sua*, in potestate, *falcem acutam*, judicium quo separantur boni a malis.

Et alter angelus exivit de templo, clamans voce magna ad sedentem super nubem : Mitte falcem tuam et mete, quia venit hora ut metatur, quoniam aruit messis terræ. Et misit ille qui sedebat supra nubem falcem suam in terram, et messuit terram.

Et alius angelus exivit, manifeste apparuit, *de templo*, qui prius inter malos latuerat, *clamans voce magna*, ostendens magna affectione quod desideret separationem malorum a bonis, ut consortium eorum impleatur, *ad sedentem super nubem*, Christum : *Mitte falcem tuam*, exerce judicium, *et mete*, collige tuos, *quia venit hora ut metatur*, opportunum est, quia jam completur numerus tuorum, *quoniam aruit messis terræ*, quia consummata est nequitia malorum. *Et misit ille qui sedebat super nubem falcem suam in terram*, id est exercuit judicium sicut suum erat, *et messuit terram*, divisit bonos a malis.

Et alius angelus exivit de templo, quod est in cœlo, habens et ipse falcem acutam.

Oostensa potestate Dei ad judicandum, ostendit item sanctos judicaturos per præceptum Domini, per quod magnum solatium datur sanctis, ut ipsi in fide persistant et bonis. *Et alius angelus*, sancti aliud officium habentes, *exivit*, qualis esset apparuit, *de templo*, de secreto loco, *quod est in cœlo*, *habens et ipse*, sicut et Christus, *falcem acutam*.

Et alius angelus de altari exivit, qui habebat potestatem super ignem, et clamavit voce magna ad eum qui habebat falcem acutam, dicens : Mitte falcem tuam, et vindemia botros vineæ terræ : quia maturæ sunt uvæ ejus. Et misit angelus falcem suam in terram, et vindemiavit vineam terræ. Et misit in lacum iræ Dei magnum, et calcatus est lacus extra civitatem, et exivit sanguis de lacu usque ad frenos equorum per stadia mille sexcenta.

Et alius angelus, scilicet Christus, *exivit de altari*, clarus apparuit, veniens, *de altari*, id est de loco secretiori, scilicet tunc cognitus ab omnibus Deo consubstantialis, *qui habebat potestatem*, quasi bene potens prædicare, et dare, *super ignem*, super pœnam æternalem ; *et clamavit voce magna*, magno imperio, *ad eum qui habebat acutam falcem, dicens : Mitte falcem tuam, et vindemia botros*, separa maturos in nequitia, *vineæ terræ*. Uva dicitur grapa, uvæ botri grana : *quia maturæ sunt uvæ ejus*, quia nequitia eorum completa. Per messem terræ, id est per uvas vineæ terræ, damnatio malorum : sed secundum diversos modos significatur, quia per vineam illos accipimus, qui majori studio mala operantur, sicut vineæ, ut fructum faciat, major cura adhibetur. *Et*, tali imperio, *misit angelus falcem suam, et vindemiavit vineam terræ, et misit in lacum iræ Dei magnum*, id est in infernum, ubi multi iram Dei patientur. *Et calcatus est*, puniti sunt, *lacus*, in inferno positi, *extra civitatem*, quia pœna illa non erit purgatoria. *Et exivit sanguis de lacu*, scilicet æterna pœna pro peccato, non vinum, quod in cellario Dei poneretur, *usque ad frenos equorum*, id est usque ad rectores eorum puniendos, scilicet diabolos, *per stadia mille sexcenta*. Stadium dicitur quantum currebat Hercules uno anhelitu, et per stadium mensurabant Græci plateas, in quibus luderent, et per hoc significat damnandos omnes deditos ludis, et divitiis hujus sæculi, vel minus perfectos in hoc quod per sex habemus, vel perfectiores quod per centum, vel perfectissimos per mille.

CAPUT XV.

VISIO QUINTA.

Et vidi aliud signum in cœlo magnum et mirabile : Angelos septem habentes plagas septem novissimas, quoniam in illis consummata est ira Dei. Et vidi tanquam mare vitreum mistum igne, et eos qui vicerunt bestiam et imaginem illius, et numerum nominis ejus, stantes supra mare vitreum, habentes citharas Dei, et cantantes canticum Moysi servi Dei, et canticum Agni, dicentes : Magna et mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens : justæ sunt et veræ viæ tuæ, Rex sæculorum. Quis non timebit te, Domine, et magnificabit nomen tuum ? quia tu solus pius es, quoniam omnes gentes venient et adorabunt in conspectu tuo, quoniam judicia tua manifesta sunt.

In suprapositis visionibus exsecutus est statum Ecclesiæ a reparationis ordine usque ad judicium : in tribus quæ sequuntur immoratur circa novissima tempora, quia de istis parum et occulte in aliis scripturis dictum erat : et est materia in hac quinta visione, septem angeli habentes septem phialas, ex quarum effusione septem plagæ, id est destructiones iniquorum qui erunt tempore Antichristi, quæ destructio maxime hortatur præsentes ad patiendum. *Et vidi aliud signum*, scilicet quamdam figuram aliud significantem, *in cœlo*, quia cœlestes erant qui significabantur, *magnum*, quia magna inde contingunt, *et mirabile*, quia mirum est hominem alios posse damnare : *angelos septem*, prædicatores omnes, *habentes*, injunctas a Deo ad effundendum in malos, *plagas septem novissimas*, id est omnimodam excæcationem malorum in tempore Antichristi, *quoniam in illis consummata est ira Dei :* vere plagas habebunt, quoniam iram Dei super iniquos exercebit, et vere novissimas, quoniam non faciet alias Deus in malos. *Et vidi tanquam mare vitreum*, id est baptismum, quia ibi puritas fidei exigitur, *mistum igne*, quia ibi dona Spiritus sancti habentur, *et eos*

qui vicerunt bestiam, Antichristum, *et imaginem ejus*, vitantes illi conformari, *et numerum nominis ejus*, non sunt per numerum decepti, *stantes supra mare vitreum*, innitentes baptismo quod accepere, *habentes citharas Dei*, mortificantes carnem : Dei dicit, quia Deus prior fecit, vel quia sic faciendum instituit, *et cantantes*, cum lætitia implentes, *canticum Moysi servi Dei*, Vetus Testamentum quod intelligitur idem esse cum Novo, *et canticum Agni*. Novum Testamentum, *dicentes*, alios admonentes : *Magna*, ex prima creatione, *et mirabilia*, in recreatione, *sunt opera tua, Domine Deus omnipotens : justæ et veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum*. Viæ sunt institutiones Dei per quas ipse ad nos, et nos ad ipsum vadimus. Veræ sunt, merito justæ, quia reddunt unicuique pro merito. Veræ sunt, quia eo ducunt quo promittunt. *Quis non timebit te, Domine, et* ex hoc, *quis*, non serviet tibi ex amore, etiam *magnificabit nomen tuum*, opere et prædicatione, *quia solus pius es*, et vere timendus es, quia gratis justificas. *Quoniam omnes gentes venient*, et vere magnificabunt, quia aliqui de omni gente venient ad te fidem recipiendo, *et adorabunt*, in spiritu et veritate, *in conspectu tuo*, in beneplacito tuo, *quoniam judicia tua manifesta sunt*, et vere adorabunt, scilicet cognoscent esse ex justitia, quod bonos recipis, malos rejicis. Ostensa dignitate et potentia eorum qui plagas inferre debent, vult ostendere causam qua digni videantur mali ut plagas sustineant, et prius ostendit quod cum revelentur eis mysteria Ecclesiæ, excæcati malis meritis suis non possunt intrare.

Et post hæc vidi, et ecce apertum est templum tabernaculi testimonii in cœlo. Et exierunt septem angeli, habentes septem plagas de templo, vestiti lapide mundo, candido ; et præcincti circa sua pectora zonis aureis. Et unum ex quatuor animalibus dedit septem angelis septem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viventis in sæcula sæculorum. Et impletum est templum fumo a majestate Dei et de virtute ejus. Et nemo poterat introire in templum, donec consummarentur septem plagæ septem angelorum.

Et post hæc vidi, et ecce apertum est templum tabernaculi testimonii, id est, aperte revelata sunt mysteria Ecclesiæ quæ est tabernaculum, quia in ea Deus habitat, et in ea ad tempus militat ; testimonium *in cœlo*, quæ continet in se Novum et Vetus Testamentum. *Et exierunt*, et quia ita aperta erant, exierunt, *angeli*, prædicatores, id est manifeste reprehendunt, male operantes, *habentes septem plagas de templo*, confirmatis illis qui sunt Ecclesia, *vestiti lapide*, firmitate, *mundo*, a vitiis, *candido*, propter virtutes, *et præcincti circa pectora sua*, id est refrenantes etiam cogitationes, *zonis aureis*, cingulo charitatis. *Et unum* omnes ; unum, quia omnes idem prædicant, *de quatuor animalibus dedit septem angelis septem phialas aureas, plenas iracundiæ Dei viventis in sæcula sæculorum*, id est, fecit ipsos ampla vasa Deo per sapientiam et charitatem ; *plena iracundiæ Dei*, ad disperdendum improbos. *Et impletum est templum*, licet aperta essent mysteria Ecclesiæ bonis, tamen malis obscura erant, *fumo*, obscuritate, *a majestate Dei*, a præsentia, *et de virtute ejus*, quia *cui claudit nemo aperit* (*Apoc.* 3), *et nemo*, de reprobis, *poterat in templum introire*, id est in Ecclesia, scilicet fieri de Ecclesia, *donec consummarentur septem plagæ septem angelorum*, donec completa sit omnimoda damnatio. Non ideo sic determinat, ut tunc recipiantur, sed constat postea non intraturos.

CAPUT XVI.

Et audivi vocem magnam de templo, dicentem septem angelis : Ite, et effundite septem phialas iræ Dei in terram. Et abiit primus angelus, et effudit phialam suam in terram. Et factum est vulnus sævum ac pessimum in homines qui habebant characterem bestiæ, et eos qui adoraverunt imaginem ejus.

Et audivi, intellexi, *vocem*, divinam inspirationem, vel aliquam admonitionem, *de cœlo, dicentem septem angelis : Ite*, procedite in obedientia, jam tempus est damnationis malorum, *effundite septem phialas iræ Dei in terram*, in deditos terrenis. Cum isti angeli jam prædicent, et aperta sint mysteria quæ prædicant, et tamen quidam intrare recusent, habent angeli convenientem causam percutiendi, ad quod divina voce commonentur. *Et abiit primus angelus, et effudit phialam suam in terram ; et factum est vulnus sævum*, damnatio nociva, *et pessimum*, insanabilis, *in omnes qui habebant characterem bestiæ, et eos qui adoraverunt imaginem ejus*. In sexto angelo videtur idem dixisse, sed tamen aliud est. Ibi namque est ostensum quæ mala sancti patientur in tempore Antichristi, et quid inductum est de damnatione malorum, ad consolationem justorum fuit. Hic autem specialiter ostenditur damnatio impiorum, et ideo si eadem verba ponuntur hic quæ ibi posita sunt, non superfluunt, quia ad diversa inducuntur. Item videtur in sexto angelo idem dixisse qui tuba cecinit, sed tamen ibi maxime ostendit persecutionem quam mali facient sanctis. Si quid dictum fuit præter hæc de damnatione impiorum, accidens erat ; quare si eadem aliqua hic dicantur, ubi damnatio malorum sola consideratur, non est superfluum. Item aliud, quia ibi nulla damnatorum distinctio fuit, hic singuli angeli diversis generibus malorum plagas inferunt.

Et secundus angelus effudit phialam suam in mare, et factus est sanguis tanquam mortui ; et omnis anima vivens mortua est in mari.

Et secundus angelus, in officio, *effudit phialam suam in mare*, in eos qui sanctos contendunt ; *et sanguis factus est*, scilicet damnatio pro sanguine quem fuderunt, *tanquam mortui*, quia non evadent illam damnationem : cum vivus fundat sanguinem, ipse non potest evadere ; *et omnis anima viva mortua est in mari*, id est, omnis consentiens illis damnabitur, qui vivere videntur, quia non aperte persequuntur.

Et tertius angelus effudit phialam suam super flumina, et super fontes aquarum, et factus est sanguis.

Et audivi angelum aquarum dicentem : Justus es, Domine, qui es et qui eras sanctus, qui hæc judicasti, quia sanguinem sanctorum et prophetarum effuderunt, et sanguinem dedisti eis bibere : digni enim sunt. Et audivi alterum angelum, dicentem : Etiam, Domine Deus omnipotens, vera et justa judicia tua.

Et tertius angelus effudit phialam suam super flumina, super perversos doctores, tam majores quam minores, et hoc dicit, *et super fontes aquarum, et factus est sanguis*, quia et isti sanguinem fuderunt, vel spiritualiter, vel corporaliter. *Et audivi angelum aquarum dicentem*, scilicet intellexi ipsos prædicatores non sibi, sed Domino hanc vindictam attribuentes, et juste fieri confirmantes; per aquas accepimus bonas doctrinas : *Justus es, Domine qui es et qui eras.* Venturum non ponit, quia ex proximo adventu quasi jam venientem videt. *Qui hæc judicasti*, scilicet qui hujusmodi damnationem malis solvisti. *Quia sanguninem sanctorum*, minorum, *et prophetarum*, majorum, *effuderunt, et sanguinem*, æternam scilicet pœnam, *dedisti eis bibere.* Bibere dicit, quia pro delectatiene, quam habuerunt in tormentis sanctorum, hæc recipient. *Digni enim sunt.* Justus es qui judicasti, quoniam isti digni erant. Et quia testimonium illud recipiendum est, quod plures confirmant, inducit alios testimonium priorum confirmantes. *Et audivi alterum angelum*, discipulos priorum, *dicentem : Etiam, Domine Deus omnipotens*, id est, verum est quidquid de eo dixisti ; ex se enim profert testimonium, *vera et justa judicia tua*, quia complent quod promittunt, scilicet merita cuique tribuunt, ut si quis sanguinem fudit, pro eo bibat pœnam sanguinis.

Et quartus angelus effudit phialam suam in solem: et datum est illi æstu affligere homines et igni ; et æstuaverunt homines æstu magno, et blasphemaverunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas, neque pœnitentiam egerunt, ut darent illi gloriam.

Et quartus angelus effudit phialam suam in solem, in Antichristum qui se dicit lumen mundi. *Et datum est*, permissum est a Deo, *illi*, Antichristo, *æstu affligere homines*, minori tribulatione, *et igni*, majori tribulatione ; *et æstuaverunt homines æstu magno*, deficientes propter tribulationes, *et blasphemaverunt nomen Dei*, ut illi qui Antichristum fatentur Deum esse blasphemant, et cæteris modis, *habentis potestatem super has plagas.* Licet blasphemarent, ipse tamen habet potestatem, quoniam cui vult dat, cui vult amovet. *Neque egerunt pœnitentiam*, non resipuerunt, *ut darent illi gloriam*, ut si corde dolebant ut coacti, non tamen Deum palam prædicant ore vel opere.

Et quintus angelus effudit phialam suam super sedem bestiæ. Et factum est regnum ejus tenebrosum, et commanducaverunt linguas suas præ dolore, et blasphemaverunt Deum cœli præ doloribus et vulneribus suis, et non egerunt pœnitentiam ex operibus suis.

Et quintus angelus effudit phialam suam super A *sedem bestiæ*, id est super familiares Antichristi. *Et factum est regnum ejus*, id est illi qui de familiaritate ejus maxime gloriabantur, *tenebrosum*, potius excæcatum, *et commanducaverunt linguas suas*, id est, reficient se malis operibus suis, vel alii sermonibus aliorum ; et est dictum ex similitudine morientis, qui præ nimio dolore et infirmitate interiori linguam suam comedit ; *præ dolore*, propter invidiam et cætera vitia quæ intus nutrierunt. *Et blasphemaverunt Deum*, dicentes magnum fuisse, *præ doloribus*, propter illatas plagas, vel propter interiora vitia, *et vulneribus suis*, quæ ipsi sibi fecere manducatione linguarum. *Et non egerunt pœnitentiam ex operibus suis.*

Et sextus angelus effudit phialam suam in flumen B *illud magnum Euphraten, et siccavit aquam ejus, ut præpararetur via regibus ab ortu solis. Et vidi de ore draconis, et de ore bestiæ, et de ore pseudoprophetæ spiritus tres immundos exire in modum ranarum. Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa ; et prodeunt ad reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnum Dei omnipotentis. Ecce venio sicut fur. Beatus qui vigilat et custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, et videant turpitudinem ejus, et congregabit illos in locum qui vocatur Hebraice Hermagedon.*

Et sextus angelus effudit phialam suam in flumen, in mundum, *illud magnum Euphraten, et siccavit aquam ejus*, quia prædicabit et mundum cremandum et omnem affluentiam ejus, vel substantiam, C *ut præpararetur via regibus ab ortu solis*, quia finito mundo erit resurrectio mortuorum fidelium, qui venient ab ortu solis, id est a Christo, qui tunc incipiet lucere, id est omnibus se manifestare. Habet alia translatio, *regi Christo*. *Et vidi de ore draconis*, de inspiratione diaboli, *et de ore bestiæ*, de verbis Antichristi, *et de ore pseudoprophetæ*, de verbo apostolorum Antichristi. Tres posuit ad generationem immundorum spirituum, ut notet cuique illorum persuasionem sufficere ad præcipitium miserorum, *spiritus tres immundos exire*, scilicet dæmones, quos hi prædicti generant, qui dicuntur immundi, quia immunda persuadent. *In modum ranarum.* Sicut enim ranæ in luto habitant, et garrulæ aliis quietem auferunt ; sic et isti vere immundi sunt. *Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa*, mi- D racula, *et prodeunt ad reges totius terræ congregare illos*, conducere in unam voluntatem, *in prælium*, contra fideles, *ad diem magnum Dei omnipotentis*, sed malo suo, quia cito ducentur ad diem judicii. *Dei* dico, dicentis : *Ecce venio.* Vel ita : Vere veniet, quia ipse testatur, *sicut fur* : ideo dicit fur, quia negligentes et dormientes occidet, et spoliabit omnibus bonis ; et ideo : *Beatus qui vigilat*, qui diligenter sollicitatur de salute animæ suæ, *et custodit vestimenta sua*, innocentiam et immortalitatem, quas in baptismo recepit, *ne nudus*, a virtutibus, *ambulet*, resurgat, *et videant*, sancti, *turpitudinem ejus*, peccata. Patebunt enim uniuscujusque peccata, ac si

ipsi coram eis in ipsis actibus essent. *Et congregabit.* Superius dixit, *prodeunt congregare*, et ecce ponit effectum,quia perficient quod quærunt,et hoc est.*Congregabit illos in locum*, secundum suam voluntatem, *qui vocatur Hebraice Hermagedon.* Hermagedon interpretatur *mons furum*,per quem significatur Antichristus,qui est caput omnium qui sanctis fidem furari volunt,et ad quem confugiunt nequissimi, et ita in ipso congregantur omnes qui ei adhærent.

Et septimus angelus effudit phialam suam in aerem,et exivit vox magna de templo a throno,dicens : factum est.Et facta sunt fulgura,et voces, et tonitrua, et terræmotus factus est magnus, qualis nunquam fuit, ex quo homines fuerunt super terram : talis terræ motus, sic magnus. Et facta est civitas magna in tres partes,et civitates gentium ceciderunt. Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum dare ei calicem vini indignationis iræ ejus. Et omnis insula fugit, et montes non sunt inventi. Et grando magna sicut talentum descendit de cœlo in homines; *et blasphemarunt Deum propter plagam grandinis, quoniam magna facta est vehementer.*

Et septimus angelus effudit phialam suam in aerem, id est in aereas potestates, scilicet diabolum, cui locus ille deputatus est : quia,si haberent locum terram,non possemus pati eorum corruptiones. *Et exivit vox magna*, id est aperte magna annuntians, *de templo*, de Ecclesia,*a throno, dicens :* hæc autem accipit Ecclesia a Deo : *Factum est*, id est, consummata sunt omnia, et finis adest. *Et facta sunt*, ab eisdem septem angelis,*fulgura*, miracula, *et voces*, admonitiones, *et tonitrua*, minæ, *et terræmotus factus est magnus*,quia commovebuntur terreni adversus bonos, *qualis nunquam fuit, ex quo homines fuerunt super terram : talis terræmotus, sic magnus*, a tempore Abel. Ostenso super quos angelus phialas suas effundat, secundum distinctionem damnatorum, supponit quid tandem contingat ex effusione illa,scilicet quod licet damnati repugnent, quasi ab ipsa effusione acceperint incrementum, tamen demerguntur in infernum. *Et facta est civitas magna in tres partes*,scilicet,propter tres prædictas damnationes damnata est Babylon. In tres partes dicit,quia secundum Judæos,et secundum gentiles, et secundum falsos Christianos.Per Babylonem accipiuntur hic majores ; *et* cæteræ, *civitates gentium ceciderunt*,cæteræ collectiones gentiliter viventium. In hac damnatione intellexi puniendos pro singulis peccatis ; et hoc est. *Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum*, scilicet recordatus est Deus singula peccata, quæ prius ignorare videbatur, cum non puniret,*dare illi calicem vini indignationis iræ ejus*, Dei ; ad hoc venit ut daret illis Deus calicem, id est pœnam mensuratam, *vini*,contra delectationes quas habuerant.Pœnam dico procedentem ab irato, indignante Deo. Tunc dicitur indignatio, quando et gravior pœna et perdurans infertur. *Et omnis insula fugit, et montes non sunt inventi*, etc. Non inventus est aliquis sanctorum inter eos. Per montes, eminentiores virtutibus, ut apostolos ; per insulas, illos accipimus, qui contusiones mundi passi sunt ; vel ad litteram dicamus, quia tunc neque mons, neque insula erit : crematus enim erit mundus.*Et grando magna*, scilicet æterna pœna quæ contundet, id est ponderosa, et ad mensuram. *Sicut talentum.* Talentum magnum est centum viginti librarum : medium, septuaginta duarum ; minus, quinquaginta. De medio hic dicit : quia peccatores de septuaginta duabus linguis non effugient hanc vindictam. *Descendit de cœlo in homines, et blasphemaverunt Deum propter plagam grandinis.* In inferno namque positi, et scientes se juste puniri, dolebunt tamen de potentia Domini, et eum summo habebunt odio, *quoniam magna facta est vehementer.*

CAPUT XVII.

Et venit unus de septem angelis, qui habebant septem phialas, et locutus est mecum dicens : Veni, ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas, cum qua fornicati sunt reges terræ, et inebriati sunt qui inhabitant terram de vino prostitutionis ejus. Et abstulit me in desertum in spiritu.

Et venit unus de septem angelis, qui habebant septem phialas, et locutus est mecum, dicens. Sicut Joannes hic habet personam dicentis quantum ad angelum, et ita nos debemus habere ad Joannem. Postquam ostendit plagas quas inferent angeli tempore Antichristi,et damnationem quam inde patientur impii,monetur ostendere causas ipsius damnationis ; et sic monet nos quid modo nobis cavendum sit,quoniam idem diabolus qui tunc aperte capiet, quotidie decipit occulte, et ad idem præcipitat homines. *Veni*, profice intelligendo ; *ostendam tibi damnationem meretricis magnæ*, causam damnationis meretricis, qui Deo relicto fornicati sunt cum dæmone. Meretrix ista dicitur Babylon, quia et allicit et seducit ut Antichristus,et alii suo tempore. *Quæ sedet super aquas multas*, id est regnat super multos populos, quos attrahit ad se per luxuriam. Unde Dominus ad Job : *Virtus ejus*, in est diaboli, *in lumbis ejus, et fortitudo illius in umbilico ventris ejus* (*Job* XL). Quoniam viros, quorum seminarium in lumbis est, decipit ; et in umbilico mulieres, quarum semen est in umbilico, decipit ; unde propheta ad Hierusalem quasi ad meretricem: *In tempore ortus tui*, id est hoc tempore scilicet, *non est præcisus umbilicus tuus* (*Ezech.* XVI), id est non refrenasti luxuriam. *Cum qua fornicati sunt reges terræ*, potentes scilicet, *et inebriati sunt*, quia sicut ebrius interim excæcabuntur, ut Deum nec diligant, nec timeant, *qui inhabitant terram*, id est gloriæ terræ intenti sunt, *de vino prostitutionis ejus*, scilicet de delectatione apertæ fornicationis. *Abstulit me in spiritu in desertum*, scilicet ut viderem reprobos, qui deserti sunt a Deo.

Et vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita se-

ptem, et cornua decem. Et mulier erat circumdata purpura et coccino, et inaurata auro, lapide pretioso et margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominationum, et immunditiæ fornicationis ejus, et in fronte ejus scriptum : Mysterium : Babylon magna, mater fornicationum et abominationum terræ.

Et vidi mulierem, scilicet Babylonem, quia hi et molles sunt, et seducti velut Eva. *Sedentem super bestiam*, et hi habent fundamentum diabolum, per quem operantur, *coccineam*, id est sanguineam, quia sanguinem sanctorum fudit, vel eloquia Dei male intelligere facit. *Plenam nominibus blasphemiæ*, quia dicunt mala, quæ faciunt, Deo non displicere. *Habentem capita septem*, quinque sensus, quibus consentiendo seducimur, et quibus solis vita B pucrilis regitur. Sextum caput error, ut in his qui possunt ratione uti ; septimum caput Antichristus, per quæ septem diabolus ducit homines ad peccatum. *Et cornua decem*, decem regna, quæ erunt tempore Antichristi, per quæ alia intelliguntur. Bestia talis erat. *Et mulier erat circumdata purpura*, scilicet regali veste, per quod notatur potentia ejus ; *et coccino*, quia occidunt nolentes sibi consentire ; *et inaurata auro*, quia videbuntur illuminati divina sapientia, vel etiam mundana, quæ pretiosior res est inter mundana ; *et lapide pretioso* lapidem pretiosum accipit charitatem quam fingunt se habere, sicut carbunculus pretiosior est inter lapides ; *et margaritis*, per margaritas accipit alias virtutes, quas fingunt se habere. *Habens poculum aureum in manu sua*, id est divinas Scripturas, quibus C potantur fideles ad salutem, quas habent in manu sua in pravis expositionibus, vel quia fingunt bene operari. *Plenum abominationum et immunditiæ fornicationis ejus*, quia docent secundum suas expositiones immunditias multas, et fornicari cum dæmone, per quod separantur a bono, quia finis eorum malus est. *Et in fronte ejus scriptum : Mysterium*, scilicet in aperto habent signum, quod rudibus est mysterium, sed sapientibus aperta cognitio : et est quædam confortatio fidelibus, ne ab ipsa seducantur, in qua talia manifeste vident. *Babylon magna*, confusio, *mater fornicationum*, proponentes se exemplum peccandi, pro quibus terreni a salute fidelium repelluntur, *et abominationum terræ.*

Et vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum, et de sanguine martyrum Jesu. Et miratus sum cum vidissem illam admiratione magna. Et dixit mihi angelus : Quare miraris? Ego tibi dicam sacramentum mulieris, et bestiæ quæ portat eam, quæ habet capita septem, et cornua decem. Bestia, quam vidisti, fuit, et non est, et ascensura est de abysso, et in interitum ibit, et mirabuntur inhabitantes terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ a constitutione mundi, videntes bestiam quæ erat et non est.

Et vidi. Posita causa damnationis, ponit et ipsam damnationem, ac si diceret : Vidi peccantem, vidi et pro peccato damnatam ; et hoc est : *Vidi mulierem* A *ebriam de sanguine sanctorum*, ebriam dicit quia sumitur vindicta de effusione sanguinis, ut præ nimiis doloribus nesciat jam ubi sit, *et de sanguine*, etc., majorum, scilicet qui non timent Christum testari esse Deum. *Et miratus sum cum vidissem illam*, etc. Hic habet personam illorum qui cum vident malos in mundo exaltatos mirantur, cum audiunt quæ pœnæ eis promittuntur, et cum ita sint puniendi, quare Deus permittit eos exaltari. Sed docentur intelligere illam exaltationem datam ad majorem excæcationem. *Et dixit mihi angelus : Quid miraris?* Noli mirari, sed intellige quod sit. *Ego tibi dicam sacramentum*, etc., id est cur puniuntur mali, et diabolus, qui eos peccare facit : quod non patet nisi doctis. *Quæ habet capita septem, et cornua decem. Bestia*, etc., id est diabolus qui facit homines bestiales, *fuit*, regnavit ante adventum Christi, *et non est*, nato Christo, vis sua periit ; *et accensura est*, etc., quia tempore Antichristi potestatem recipiet et habebit locum in malos ; *de abysso*, de profundis in vitiis, *et in interitum ibit*, quoniam mortuo Antichristo, jam non habebit locum. *Et mirabuntur inhabitantes terram;* dolebunt namque mali cum suam potestatem, quæ tanta fuit, sic annihilatam videbunt ; *quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ a constitutione mundi*, qui non sunt præsciti ad salutem in æterna præscientia Dei. *Videntes bestiam quæ erat et non est*, quæ potentiam habuit ante tempus Christi, cujus potentiam mors Christi destruxit.

Et hic est sensus, qui habet sapientiam. Septem capita, septem montes sunt, super quos mulier sedet, et reges septem sunt. Quinque ceciderunt, unus est, et alius nondum venit. Et cum venerit, oportet eum manere breve tempus. Et bestia quæ erat et non est, et ipsa est octava, et de septem est, et in interitum vadit. Et decem cornua quæ vidisti, decem reges sunt qui regnum nondum acceperunt : sed potestatem tanquam reges una hora accipient, post bestiam. Hi unum consilium habent, et virtutem et potestatem suam bestiæ tradent. Hi cum agno pugnabunt, et Agnus vincet illos, quoniam Dominus dominorum est, et Rex regnum, et qui cum illo sunt, vocati, electi, et fideles.

Et hic est sensus, scilicet in consideratione æternæ pœnæ est exercendus sensus sapientis, ut ostendat D potentiam negligendam, ex qua provenit pœna et damnatio æterna. *Qui habet sapientiam. Septem capita, septem montes sunt*, etc., quia per hæc septem elevat diabolus homines in superbiam, *et reges septem sunt*. Hi idem sunt qui montes, et reges dicuntur propter potentiam sæcularem. *Quinque ceciderunt*, assentio quinque sensuum abiit cum infantia ; *et unus*, error qui manet nobiscum etiam in matura ætate, *et alius nondum venit*, Antichristus, qui maxime coget ad peccandum. Adam si in obedientia perstitisset, sensibus corporis ad nullam delectationem uteretur magis in aliquo quam in omnibus. Sed ex suo peccato ita corrupti sunt sensus, ut jam

naturale sit levia tactu, sapora, canora, visu pulchra quærere. Hi sunt quinque reges per quos diabolus homines in pueritia regit : quia ipse fuit causa cur corrumperentur. Hi sunt quinque viri Samaritanæ, de quibus dicit Joannes. In juventa seducit, vel succedit error. Nam postquam discretionem habet, si peccat, jam non sensibus, sed errori deputatur ; de quo Dominus : *Et nunc quem habes non est tuus vir* (*Joan.* IV). Habemus etiam hos quinque reges in quinque regibus quos vicit Abraham, de quibus Genesis (XIV). *Et cum venerit oportet*, etc., quædam confortatio est, ac si diceret, ne cædatis. *Et bestia quæ erat et non est, et ipsa*, etc., *de septem est*, quia diabolus, et similiter peccat, et similiter punietur. *Octava est*, quia omnes transcendet in nequitia et in pœna. *Et in interitum vadit. Et decem cornua quæ vidisti, decem sunt reges*, tempore Antichristi, ut Daniel dicit (c. VII) : Erunt decem regna principaliter Antichristo adhærentia, quorum reges notantur in cornibus propter elationem, et impugnationem, *qui regnum nondum acceperunt*, licet autem illi nondum regnum acceperint, indicia tamen eorum præcedunt in multis, *sed potestatem tanquam reges*, quia non vere reges, sed tyranni. *Una hora*, et quia tempus breve est resistite, nunquam cedatis ei. *Accipient post bestiam*, non prius tempore, sed ut sequaces et inferiores eo. *Hi unum*, etc., negandi Christum, in quolibet malo consentiendi, *et virtutem*, quam ex propriis viribus habent, *et potestatem suam*, quia ex subditis, *bestiæ tradent*, quia Antichristo omnia attribuunt. *Hi cum Agno pugnabunt*, verbo et opere, ut seducant ei fideles suos, *et Agnus vincet illos*, dando suis constantiam, et alios tandem excæcando. *Quoniam Dominus dominorum est*, utens etiam malis ad utilitatem et purgationem suorum. *Et Rex Regum*, et ideo etiam vincet reges terræ, quoniam pretiosam habet familiam ; et hoc est, *et qui cum illo sunt, vocati*, per prædicatores, *electi*, ab æterno, *et fideles*, in custodia fidei et operum exsecutione.

Et dixit mihi : Aquas quas vidisti ubi meretrix sedet, populi sunt, et gentes, et linguæ. Et decem cornua, quæ vidisti in bestiam, hi odient fornicariam, et desolatam facient illam, et nudam, et carnes ejus manducabunt, et ipsam igni concremabunt. Deus enim dedit in corda eorum, ut faciant quod illi placitum est, ut dent regnum suum bestiæ, donec consummentur verba Dei. Et mulier quam vidisti, est civitas magna, quæ habet regnum super reges terræ.

Et dixit mihi : Aquas, etc., scilicet Babylon, vel Antichristus, qui jam regnat per mysterium, *populi sunt*, id est fluitantes in vitiis, *et gentes*, ex omni hominum gente collecti, *et linguæ. Et decem cornua*, etc., et ideo vos nolite conformari ei, quia hi qui modo adhærent, tandem dolebunt, et odient bestiam, dolentes et scientes se fuisse seductos per eam. *Et desolatam facient illam*, quia solatium quod modo faciunt ei, tandem cessabit ; *et nudam*, quia imperium ejus quod per ipsos excreverat, jam non habebit locum. *Et carnes ejus*, etc., id est tormenta pro delectationibus ejus quas consecuti sunt. *Et ipsam igni cremabunt*, quia ipsi erunt causa quare diabolus puniatur, quoniam per ipsum decepti sunt. *Deus enim*, quasi dicat, et cum talem sciant finem, quare sequuntur eum ? excæcavit enim eos Deus malis meritis eorum, et hoc est, *Deus enim dedit in corda eorum*, etc., id est illi, scilicet diabolo, *ut det regnum suum bestiæ*, ita faciunt quod placitum est bestiæ illi, quoniam permittunt se regnum diaboli, *donec consummentur*, etc., scilicet donec compleantur quæ promissa sunt de præmio malorum et bonorum, scilicet donec separentur boni a malis. *Et mulier quam vidisti*, etc., id est multitudo magna potentium munita omni prava obstinatione, *quæ habet regnum*, etc., quia dominatur et compellit in elatione magna.

CAPUT XVIII.

VISIO SEXTA.

Et post hæc vidi alium angelum descendentem de cælo, habentem potestatem magnam, et terra illuminata est a gloria ejus, et exclamavit in forti voce, dicens : Cecidit, cecidit Babylon magna, et facta est habitatio dæmoniorum, et custodia omnis spiritus immundi, et custodia omnis volucris immundæ : quia de ira fornicationis ejus biberunt omnes gentes, et reges terræ cum illa fornicati sunt, et mercatores terræ de virtute deliciarum ejus divites facti sunt.

In hac sexta visione agitur de pœnis ultimis quas patientur impii in inferno pro singulis peccatis, et primum ostendit de Babylone, et in ea ostendit diversos ordines : postea de Antichristo et pseudoprophetis, deinde de ipso diabolo. Et est visio aperte divisa ab his in quibus damnatio malorum ostenditur, cum hic non damnatio, sed pœnæ quæ damnationem sequuntur, ostenduntur. Et ideo si quid de damnatione malorum ostendatur, non est superfluum, quia ad aliud inducetur. Cum autem has pœnas exsecuturus sit, ostendit Christum potentem hoc facere, et etiam hoc ipsum Christum annuntiantem, ut sit major fides. *Et post hæc vidi alium angelum*, Christum, *descendentem de cælo*, humiliantem se ad cognitionem hominum ex cognitione angelorum, vel ad assumptionem carnis de æqualitate Patris, *habentem potestatem magnam*, et secundum divinitatem et humanitatem ; unde dicitur (*Matth.* XXVIII): *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra;* quod tam potens dicit, potest efficere. *Et terra illuminata est*, id est Ecclesia, pulsis tenebris ignorantiæ, *a gloria ejus*, a gloriosa prædicatione; *et clamavit*, annuntiavit, *in forti voce*, quia quod dixit, ad effectum perduxit, *dicens : Cecidit, cecidit Babylon*, repetitio notat duplicem casum, scilicet corporis et animæ, vel infinitum casum ; *magna*, quia multos amplectitur. Præmittit causam ruinæ, *et facta est*, etc., dæmonium est collectio dæmonum. *Et custodia omnis*, etc., quia custodit in se diabolum obediendo ei in pravis actibus ; *volucris immundæ*, etc., tunc

comparatur volucri diabolus, quoniam facit aliquem efferre se superbire de immunditia sua; *quia de ira fornicationis ejus*, id est fornicatione pro qua irascitur Deus, *biberunt omnes gentes, et reges terræ*, scilicet potentes sæculi; *mercatores terræ*, etc., ad litteram vel dicuntur mercatores omnes, qui vendunt animas suas, pro his sæcularibus; *de virtute deliciarum ejus*, de effectu deliciarum de peccato : unde dicitur : Omnis dives vel iniquus, vel hæres iniqui, *divites facti sunt*.

Et audivi aliam vocem de cœlo dicentem : Exite de illa populus meus, et ne participes sitis delictorum ejus, et de plagis ejus non accipiatis : quoniam pervenerunt usque ad cœlum peccata ejus, et recordatus est Dominus iniquitatum ejus : reddite illi sicut ipsa reddidit vobis, et duplicate duplicia, secundum opera ejus : in poculo, quo miscuit, miscete ei duplum. Quantum glorificavit se, et in diliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum, quia corde suo dicit : Sedeo regina, et vidua non sum, et luctum non videbo. Ideo in una die venient plagæ ejus mors, et luctus, et fames, et igni comburetur : quia fortis est Deus qui judicavit illam : et flebunt, et plangent se super illam reges terræ, qui cum illa fornicati sunt, et in deliciis vixerunt, cum viderint fumum incendii ejus; longe stantes propter timorem tormentorum ejus, dicentes : Væ, væ, civitas illa Babylon magna, civitas illa fortis, quoniam una hora venit judicium tuum.

Et audivi. Ponit admonitionem, quia si nunc eximus de illis, nec tandem damnabimur cum illis. *Aliam vocem*, Christi inspirationem, vel prædicationem, *de cœlo dicentem, Exite*, etc., opera eorum ne faciatis, *et participes sitis*, etc., nec consensum adhibeatis : consensum quidem præbent qui laudant, et adulantur, et qui corrigere debet, et non facit; *et de plagis ejus non accipiatis*, et tunc non eritis participes pœnarum; quas plagas ideo recipiet, *quoniam pervenerunt peccata*, etc., id est ad contemptum Dei per impœnitentiam. Tunc dicuntur peccata venire usque ad cœlum, quando perveniunt ad illud peccatum peccandi, quod nunquam transirent peccando, scilicet ad contemptum Dei, unde æque redditur æterna pœna, et illi qui peccavit tribus annis, et illi qui centum annis : quoniam uterque venit ad illud punctum, quod nunquam transiret peccando : *et recordatus est Dominus*, etc., et minorum quorum videbatur oblitus, tum pertinebat eos prosperari. *Reddite illi*, admonet etiam sanctos, ut divinam vindictam exerceant in illos; *sicut et ipsa reddidit vobis*, scilicet sicut ipsi pœnas intulerunt vobis, quamvis purgatorias, ita vos reddite illis pœnas, sed æternas, *et duplicate*, id est animæ et corpori, *duplicia*, duplo graviores reddite, quam ipsi vobis, *secundum opera ejus*, non omnibus æquales, sed inicuique pro meritis. *In poculo quo*, etc., scilicet sicut illi tormenta vobis intulerunt ita vos illis. Redditur et aliquando eodem genere : *Quantum glorificavit se et in*, etc.; non de his tantum, quæ in alios fecerunt, punientur, sed etiam de gloria et delectatioue, quam inter seipsos habuerunt : vel ut ostendat descriptionem quantum unicuique sit reddendum, scilicet quantum peccavit, scilicet alii plus, alii minus : tormentum ad corpus, luctum ad animam. *Quia in corde suo dicit.* Ostendit quo modo glorificavit. *Sedeo*, quasi stabilis, *regina*, dignitate et potentia, *et vidua non sum*, non desunt mihi servitores, vel quia habet consolationem in temporalibus, *et luctum non videbo*, non timet defectum suæ potentiæ. *Ideo in una die*, in hora judicii, *venient plagæ ejus*. Præmisit causas damnationis, modo ponit ipsas causas et pœnas. *Mors*, separatio a vera vita, *et luctus*, contra gaudia quæ hic habuit, *et fames*, a vera refectione, *quia fortis est Dominus*, cui nullus potest resistere, vel tandem inflexibilis omni prece. Communem dixit de damnatione Babylonis, modo distinguit per diversos ordines damnatorum : *Et flebunt*, dolebunt in animo, *et plangent se*, etc., dolorem cordis ostendent, quia dolebunt patientes, et de propria miseria, et damnatione subditorum. *Reges terræ*, vel etiam boni reges, vel *qui* aliquando *cum ea fornicati sunt*, dolebunt, quod eis unquam similes fuerunt, *cum viderint fumum incendii ejus* cum viderint signa suæ pœnæ. *Longe stantes*, voluntate. Istud quod sequitur planum est.

Et negotiatores terræ flebunt, et lugebunt super illam, quoniam merces eorum nemo emet amplius ; merces auri et argenti, et lapidis prætiosi, et margaritæ, et byssi, et purpuræ, et serici, et coccini, et omne lignum thyinum, et omnia vasa eboris, et omnia vasa de lapide pretioso, et æramento, et ferro, et marmore, et cinnamonum, et amomum, et odoramentorum, et unguenti, et thuris, et vini, et olei, et similæ, et tritici, et jumentorum, et ovium, et equorum, et rhedarum, et mancipiorum, et animarum hominum. Et poma desiderii animæ discesserunt a te : et omnia pinguia, et clara perierunt a te, et amplius illa jam non invenient. Mercatores horum qui divites facti sunt ab ea, longe stabunt propter timorem tormentorum ejus flentes ac lugentes, et dicentes : Væ, væ, civitas illa magna, quæ amicta erat byssino, et purpura, et cocco, et deaurata erat auro, et lapide pretioso, et margaritis, quoniam una hora destitutæ sunt tantæ divitiæ. Et Omnis gubernator, et omnes qui in lacum navigant, et nautæ, et qui in mari operantur, longe steterunt, et clamaverunt videntes locum incendii ejus dicentes : Quæ similis civitati huic magnæ? Et miserunt pulverem super capita sua, et clamaverunt plongentes et lugentes, et dicentes : Væ, væ, civitas magna in qua divites facti sunt omnes, qui habebant naves in mari, de pretiis ejus qui una hora desolata est.

Alius ordo damnatorum de his qui sunt in Babylone. *Et negotiatores terræ*, ad litteram, vel omnes qui vendunt animas pro terrenis, *flebunt super illam et lugebunt*, scilicet continuum habebunt dolorem, quia dolebunt ea perire, in quibus sperabant obtinere felicitatem, *quoniam merces eorum nemo emet*

amplius. Has scilicet, *merces auri*, etc., *et serici*, apud Seres facti, *et omne lignum thyinum*, nemo emet, *et æramenta*, ut baccilia, *et odoramentorum*, scilicet merces, *et animarum hominum*, venditur solum corpus, ut si Christianus Christiano vendatur: tum quasi anima, ut si apud paganos, animam suam salvare non possit. *Et poma desiderii animæ discesserunt a te*. Babylon, hic nota quia etiam pro minimis damnentur homines, si in his minimis dedelectentur, etc. *Et omnis gubernator*, ut patres familiarum, *et omnis qui in* lacu navigat, sicut illi qui proponunt sibi aliquid determinatum, ut marcas auri, vel aliquid hujus generis, *et nautæ*, ut servientes gubernatorum, *et qui in mari operantur*, ut omnes Babylonios comprehendat, dicit, *et qui in mare operantur*, id est qui in mundo sperant, et delectantur, *longe steterunt*, voluntate, ne incendentur, *et clamaverunt dicentes: Quæ similis huic civitati*, in miseria, *et miserunt pulverem super capita sua*, quod est signum pœnitentiæ, quamvis tarde: vel pulverem, id est concupiscentiam terrenorum præposuerunt capiti suo, id est animæ. *De pretiis ejus*, ad litteram, vel de peccatis.

Exsultate super eam, cœli et sancti apostoli et prophetæ, quoniam judivicavit Deus judicium vestrum de illa. Et sustulit unus angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, et misit in mare dicens: Hoc impetu mittetur Babylon illa magna civitas, et ultra jam non invenietur. Et vox citharædorum et musicorum, et tibia canentium, et tuba non audietur in te amplius. Et omnis artifex omnis artis non invenietur in te amplius, et vox molæ non audietur in te amplius, et lux lucernæ non lucebit in te amplius. Et vox sponsi et sponsæ non audietur adhuc in te quia mercatores tui erant principes terræ: quia in veneficiis tuis perierunt omnes gentes, et in ea sanguis prophetarum et sanctorum inventus est, et omnium qui interfecti sunt in terra.

Posita damnatione impiorum, ponit exsultationem, et commonet sanctos, ut congratulentur divino judicio, et hoc est: *Exsulta super eam, cœlum*, ut angeli, *Deus judicavit judicium vestrum de illa*, scilicet judicans ea quæ peccavit in nos. Postquam ostendit singulorum ordinum damnationem, ostenditur sibi modus, scilicet quod sibi præmonstratum fuerat, videt completum. *Et sustulit*, elevat Deus mundum in potentiis, ut gravius demergat, *unus angelus fortis*, Christus, *lapidem*, lapidea corda habentes, *quasi molarem magnum*, semper per hæc mundana volventes: quia alios terit, *et misit*, in infernum. *Hoc impetu mittetur Babylon*, sicut in hac figura vides, vel quanto plus exaltantur tanto gravius cadent. *Et ultra jam non invenietur*, sicut quidam hæretici putant. *Et vox citharædorum*, enumerat et illa perire, de quibus non dixerat. *Et vox sponsi et sponsæ*, lætitia nuptiarum, *quia mercatores tui erant principes terræ*, scilicet, dantes animas suas pro terrenis, nimiam potestatem exercuerant, quod jam pati non volo. Nunc quasi ad ipsam Babylonem loquitur de casu suo, A condolens miseriæ ejus, nunc ad auditores convertitur, ut fideles exhortetur: *quia in veneficiis tuis*, ad litteram, vel venenosis persuasionibus, *perierunt omnes gentes*, aliqui de gente. *Et omnium qui interfecti sunt*, quia si malus malum occidit, non excusat occisorem nequitia occisi.

CAPUT XIX.

Post hæc audivi quasi vocem magnam tubarum multarum dicentium: Alleluia, Laus et gloria, et virtus Deo nostro est, quia vera et justa judicia ejus sunt, qui judicavit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione sua, vindicavit sanguinem servorum suorum de manibus ejus. Et iterum dixerunt: Alleluia. Et fumus ejus ascendit in sæcula sæculorum. Et ceciderunt seniores viginti quatuor, et qua- B *tuor animalia. Et adoraverunt Deum sedentem super thronum, dicentes: Amen, Alleluia. Et vox de throno exivit dicens: Laudem dicite Deo nostro, omnes servi ejus, et qui timetis eum, pusilli et magni.*

Vidit completam damnationem Babylonis, modo audit exultationem sanctorum de hac damnatione sicut commoniti fuerant ubi dixit: *Exsulta, cœlum. Post hæc audivi quasi vocem*, exultationem, *magnam tubarum in cœlo*, sanctorum, qui tubæ sunt, scilicet intonantes prædicatione, *dicentium*: *Alleluia*, alleluia non est vox alicujus linguæ, sed est vox angelica non habet propriam interpretationem in aliqua lingua, et significat Trinitatem: per *alle*, Patrem, per *lu*, Filium, per *ia*, Spiritum sanctum; nec simpliciter illam divinam substantiam, sed cum laude, et illa inexplicabili. *Laus*, laudandus, propter resur- C rectionem, *et gloria*, propter ascensionem et immortalitatem. *Et virtus Deo nostro est*, quia vicit diabolum, et ideo hæc sunt ei, perficit enim quod promittit, et ideo *vera et justa*, secundum merita cujusque, *judicia ejus sunt, quia judicavit de meretrice quæ corrupit terram*, alius, alium, *in prostitutione sua, et vindicavit sanguinem servorum suorum*, requirens eum, *de manibus suis, et iterum dixerunt, Alleluia*; per hanc iterationem intelligimus infinitam laudem. *Et fumus ejus*, etc., *in sæcula sæculorum*. Vindicavit sanguinem non temporaliter, sed æternaliter. Ponit exultationem majorum de damnatione prædicta, et isti confirmant testimonium præcedentium, et ex se testimonium dant. *Et ceciderunt seniores*, judices, *viginti quatuor, et quatuor animalia*, doctores. *Et ad-* D *oraverunt Deum sedentem super thronum, dicentes*, confirmatio superiorum, scilicet verum, est quod Deus ita gloriosus est, *Alleluia*. Ubi dicunt alleluia, ponit ex se laudem. *Et vox* admonitio, *de throno*, de secreto loco, vel de his in quibus sedet judex, *exivit, dicens*, ad audientiam omnium. Posita damnatione et pro ea sanctorum exultatione, ponit admonitionem ut subterfugiamus talium conformitatem. *Laudem dicite Deo nostro*, bene operemini *omnes sancti ejus, et qui timetis eum*, casto timore, *pusilli et magni*, secundum ætatem, vel qui nequeunt altiora perficere, ut *Vende omnia* (*Matth*. XIX), et secundum Christum magni sunt qui hæc possunt.

Et audivi quasi vocem tubæ multæ, et sicut vocem aquarum multarum, et sicut vocem tonitruum magnorum, dicentium : Alleluia, quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus et exsultemus et demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni, uxor ejus præparavit se, et datum est illi ut cooperiat se byssinum splendens candidum. Byssinum enim justificationes sunt sanctorum. Et dixit mihi : Scribe : Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt. Et dixit mihi : Hæc verba Dei vera sunt. Et cecidi ante pedes ejus ut adorarem eum. Et dixit mihi : Vide ne feceris; conservus tuus sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu. Deum adora. Testimonium enim Jesu est spiritus prophetiæ.

Ostensa lætitia quam habent sancti de damnatione malorum, supponit aliam, quam habent de impletione consortii, et adventu regni Dei. *Et audivi quasi vocem*, exsultationem sanctorum prædictorum, *tubæ multæ*, qui per prædicationem quasi tuba intonuerunt, *et sicut vocem aquarum multarum*, quia de multis populis collecti sunt ; *et sicut vocem tonitruorum magnorum:* terrebit enim impios sanctorum exsultatio : *dicentium : Alleluia, quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens*, quasi antea regnum fuit impiorum. *Gaudeamus*, secundum beatitudinem animæ, *et exsultemus*, ex corporis glorificatione, *et demus gloriam ei*, scilicet nos ab eo omnia habere reputemus, *quoniam venerunt nuptiæ Agni*, quoniam juncta est Ecclesia Christo. *Et uxor ejus præparavit se*, conveniens erat ut jungeretur, quia ipsa Ecclesia idoneam se præbuit ut reciperetur. *Et datum est illi*, interim, *ut cooperiat se byssinum* : secundum præsentem statum dedit Dominus Ecclesiæ suæ justificationes, quibus se vestiret, et Deo paratam se ostenderet ; *splendens. Byssinum enim justificationes sunt sanctorum. Et dixit mihi : Beati*, invitat præsentes ad prædictas nuptias, *qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt*, perfecte ita ut perveniant. *Hæc verba Dei ;* et ut majorem exhortationem faciat, dicit hæc verba esse Dei, et quia Dei, ideo *vera. Et cecidi ante pedes ejus*, quia eum majorem me intellexi ; paratus ad obediendum humiliavi me ei, et debetis vos humiliari doctoribus vestris ; *ut adorarem eum*, id est venerarer ut majorem. *Et dixit; Vide ne feceris*, ante incarnationem Christi non prohibuit se angelus adorari, quia videbat omnem hominem se inferiorem Sed post ascensionem Christi, quia vidit hominem supra omnes angelos exaltatum, timuit ab homine adorari. *Conservus tuum sum, et fratrum tuorum habentium testimonium Jesu*, ego et tu, cæterique fratres tui unum Deum habemus. *Deum adora. Testimonium Jesu est spiritus prophetiæ*, quia omnes prophetæ testimonium perhibent Jesu, et non ex se, sed Spiritus sanctus per ipsos.

Et vidi cælum apertum. Et ecce equus albus, et qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis, et Verax, et in justitia judicat et pugnat. Oculi autem ejus sicut flamma ignis, et in capite ejus diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi ipse. Et vestitus erat veste aspersa sanguine, et vocatur nomen ejus, Verbum Dei. Et exercitus qui sunt in cælo, sequebantur eum in equis albis, vestiti byssino albo et mundo, et de ore ipsius processit gladius acutus, ut in ipso percutiat gentes, et ipse reget eas in virga ferrea, et ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis, et habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum et Dominus dominantium.

Ostensa damnatione Babylonis, et sanctorum exaltatione, supponit damnationem Antichristi et pseudoprophetarum, ubi dicit, *et apprehensa est bestia* (*infr.*), quorum damnationis causam præmittit, cum dicit, contra Christum pugnabunt: et quia incredibile videretur, quod Antichristus et sui qui tam potentes erunt sic possent damnari, præmittit potentiam damnantis et secundum Divinitatem, et secundum humanitatem, cujus potentiæ nullus possit resistere. Ex qua etiam ipsius dignitate invitat nos ad ejus imitationem. *Et vidi cœlum apertum*, sed revelata sunt mihi mysteria Ecclesiæ, et quod homo possit cœlum ascendere, et Deum agnoscere; quasi dicat : Vidi vocatos ad nuptias, vidi quod possent venire, quia et bonum habemus adjutorem, et bonos monitores. *Et ecce equus*, et hoc est, apparuit equus, id est caro Christi portans Verbum Dei, *albus*, quia sine peccato. *Et qui sedebat super eum*, Divinitas, *vocabatur Fidelis*, quia promissa implet ; *et Verax*, quia in nullo mentitur, ut dicitur ad *Titum* (I) et *Hebræos* (VI). Et alios veraces facit, et cum justitia judicat, quia unicuique reddit secundum opera, ut dicitur (*Rom.* II) ; et pugnat in suis contra diabolum. *Oculi autem ejus sicut flamma ignis*, dona Spiritus sancti, vel divina præcepta, vel charitas, quæ comburit vitia, illuminat habentem, et accendit ad amorem Dei. *Et in capite ejus*, secundum divinitatem, *diademata multa*, quia per eam et ipse, et sui coronantur. *Habens nomen scriptum quod nemo novit*, plene intellexit, *nisi ipse*, et cui ipse revelavit. *Et vestitus erat veste*, carne, *aspersa*, in passione, *sanguine*, vel Ecclesia, quæ in martyribus occiditur. *Et vocatur nomen ejus Verbum Dei*, per quem Pater se mundo nuntiavit, et per quem omnia fecit (*Joan.* I). *Et exercitus qui sunt in cœlo*, fideles contra diabolum dimicantes, qui sunt in Ecclesia, *sequebantur eum*, id est imitabantur, *in albis equis*, id est in corporibus dealbatis multis virtutibus ; *vestiti byssino*, id est justitia, *albo*, secundum virtutes, *mundo*, a criminali macula. *Et de ore ipsius*, id est prædicatione, *procedit gladius*, id est divina sententia ; *utraque parte acutus*, quia percutit secundum corpus et secundum animam, vel Novo et Veteri Testamento, vel utroque populo gentili et Judæo. *Ut in ipso percutiat omnes gentes*, quosdam ad vitam, quosdam ad mortem. *Et ipse reget eas*, bonos de virtute in virtutem, malos de vitio in pejus, *in virga ferrea*, inflexibili justitia. *Et ipse calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis*, id est, mortem, quæ ab irato Deo primo homini peccanti illata est, resurgens destruxit, vel torcular tribulatio est, quam Deus iratus et furiosus

A infert, de qua tribulatione exit *vinum*, id est quidam sancti eliciuntur, et dicitur furor iræ continuatio, et *habet in vestimento*, id est in carne *et in femore;* per hoc notat Christum de vera progenie hominis fuisse. *Scriptum*, quod non posset inde deleri, vel in cordibus fidelium, qui sunt vestimentum, id est *scriptum, Rex regum*, sanctorum, *et Dominus dominantium*, omnium qui subditis dominantur.

Et vidi unum angelum stantem in sole, et clamavit voce magna dicens omnibus avibus, quæ volant per medium cœli: Venite, congregamini ad cœnam magni Dei, ut manducetis carnes regum, et carnes tribunorum, et carnes fortium, et carnes equorum et sedentium in ipsis, et carnes omnium liberorum ac servorum, et pusillorum et magnorum.

B Ostensa dignitate Christi, per quam diabolum expugnare poterit, subdit admonitionem præsentium, ut huic tali adhæreant, *Et vidi angelum*, prædicatores, *stantem in sole*, in aperto, ut ab omnibus audiretur, *et clamavit voce magna*, id est, admonitione audienda, *dicens omnibus avibus*, id est fidelibus, qui et agiles sunt, et pennati virtutibus, *quæ volant per medium cœli*, id est, per catholicam fidem, nullam sibi facientes propriam sectam : *Venite*, bene operando, *congregamini*, a diversis partibus cœli, vel in eadem fide nihil proprii apponentes. Deo enim placet unitas. *Ad cœnam magni Dei*, cœnam accipit ipsum Christum, qui est vera cœna reficiens, et nunquam deficiens, vel consortium sanctorum. Et bene cœnam, non prandium, quia talem refectionem nullus labor, sed perpetua quies sequitur ; C *ut manducetis carnes regum*, id est, delectemini in cruciatu majorum et minorum impiorum ; *et carnes fortium*, in viribus corporis *equorum*, subditorum, *et sedentium in ipsis*, prælatorum, etc.

Et vidi bestiam et reges terræ, et exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo qui sedebat in equo, et cum exercitu ejus. Et apprehensa est bestia, et cum illa pseudopropheta qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, qui adoraverunt imaginem ejus. Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure, et cæteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius, et omnes aves saturatæ sunt carnibus eorum.

D *Et vidi bestiam*, Antichristum, qui est principale caput bestiæ, *et reges terræ*, pseudoapostolos, *et exercitus ipsorum congregatos*, id est omnes ei servientes *ad faciendum prælium cum illo*, contra Christum et suos blasphemiis, tribulationibus et miraculis, *qui sedebat in equo*, etc. ; quasi diceret : multum debetis esse solliciti, ut ad hanc cœnam veniatis, quia diabolus paratus est nocere vobis, quem tamen Dei auxilio vincere poteritis. *Et apprehensa est bestia*, et ideo bestia punita est æternaliter, *et cum illa pseudopropheta qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ*, qui credunt in eum, *et qui adoraverunt imaginem ejus. Vivi missi sunt hi duo :* scilicet, Antichristi et sui majores pœnas sentient quam alii, sicut illi qui vivi comburuntur, si mortuus comburatur, nihil sentit ; *in stagnum*, propter tenebras, *ignis ardentis sulphure, et cæteri*, ut sequaces istorum, *occisi sunt*, minori quidem pœna punientur. *In gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius, et omnes aves saturatæ sunt*, sancti delectabuntur in pœna istorum.

CAPUT XX.

Et vidi angelum descendentem de cœlo, habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua, et apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus et Satanas, et ligavit eum per annos mille, et misit in abyssum, et clausit et signavit super eum, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni. Post hæc oportet illum solvi modico tempore.

Dicta damnatione Babylonis et Antichristi, et pseudoapostolorum ejus, supponit damnationem ipsius diaboli, et determinat tempus damnationis, scilicet paulo post seductionem, et item ponit causam damnationis, scilicet quia solutus insaniet immoderate, et præmonstrat potentiam damnatoris, scilicet ut qui in humili adventu, et etiam mortuus eum ligare potuit, glorificatur jam impassibilitate et immortalitate, et possit eumdem prorsus destruere. *Et vidi angelum descendentem de cœlo*, Christum humiliantem se in carne, *habentem clavem abyssi*, id est, potestatem omnium profundorum in nequitia, quia non possunt facere nisi quantum Deus permittit, *et catenam magnam*, inevitabilem potentiam, qua alligabitur Satanas ; *in manu sua*, in operatione scilicet per passionem et resurrectionem. *Et apprehendit draconem serpentem*, nescientem tenuit, scilicet quia ipsum peccasse ostendit, ubi hominem omni peccato immunem, quasi peccatorem judicavit, *antiquum*, quia a principio mundi nocuit. *Qui est diabolus et Satanas*, ponit quasi interpretationem ipsius. *Et ligavit eum*, priori potestate privavit, *per annos mille* a tempore Christi, usque ad tempus Antichristi, mille dicit, quia numerus ille perfectus: et hic ponit Apostolus numerum determinatum pro indeterminato, quia ut dixit Christus discipulis suis. (*Act.* I) : *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Et misit eum in abyssum*, quia ejectus a fidelibus, omnibus malis dominatur. Sciendum quod similiter in Abraham et aliis fidelibus diabolus fuit ligatus, sicut in istis præsentibus, sed in illis ligavit spes futuri Christi, in istis ipse Christus. *Et clausit*, quia nescit an quos modo habet possit retinere, et quos non habet possit acquirere. *Et signavit super illum*, id est, signo crucis eum superavit, et a fidelium mentibus repulit, *ut non amplius gentes decipiat*, tam libere sicut prius, usque ad tempus Antichristi, *donec consummentur mille anni*. Dixi *donec consummentur*, quia postea solvetur modo prædicto ; hoc est : *Post hæc oportet eum solvi modico tempore*, quia Deus ita constituit, ut tunc iterum

libere decipiat, sed ne timeatis, quia brevi tempore.

Et vidi sedes, et sederunt super eas, et judicium datum est illis, et animas decollatorum propter testimonium Jesu, et propter Verbum Dei, et qui non adoraverunt neque bestiam, neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem in frontibus aut in manibus suis, et vixerunt et regnaverunt cum Christo mille annis. Cæteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Hæc est resurrectio prima. Beatus et sanctus qui habet partem in resurrectione prima. In his secunda mors non habet partem, sed erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis. Sed cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, et exibit et seducet gentes quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog et Magog, et congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris. Et ascenderunt super latitudinem terræ, et circuierunt castra sanctorum, et civitatem dilectam : et descendit ignis de cœlo et devoravit eos, et diabolus qui seducebat eos missus est in stagnum ignis et sulphuris, ubi et bestia et pseudoprophetæ cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum.

Et vidi sedes, ligato diabolo vidi fideles solutos, et minores prælatis obedire paratos, et prælatos judicare in subditis : quod dicitur de statu præsentis vitæ. *Judicium datum est illis*, a Deo ; et vidi in tempore hujus ligationis, *animas decollatorum*, fidelium in gloriam, nunquam ad inferos descendere, sicut Abraham et prophetæ descenderunt, quamvis justi, *propter testimonium Jesu*, secundum humanitatem ; *et propter Verbum Dei*, secundum divinitatem, *et qui non adoraverunt*, et aliorum fidelium non decollatorum, *neque bestiam*, Antichristum, *neque imaginem ejus*, pseudoapostolos ejus, *nec acceperunt characterem*, signum ejus, *in frontibus*, in manifesta confessione, *aut in manibus suis*, in operatione, *et vixerunt, et regnaverunt cum Christo*, potentes erunt etiam facere miracula. *Mille annis*, et non dico hoc futurum tantum post communem resurrectionem, sed etiam tempore ligationis. *Et cæteri mortuorum non vixerunt*, id est, mortui in anima statim punientur post dissolutionem ; quod ideo inducit, quia vellent aliqui nullum puniri toto tempore ligationis Satanæ, *donec consummentur mille anni*. Tunc autem manifestum est quod non vivent.

Hæc est resurrectio, scilicet quod fideles in vita sua liberabuntur a peccatis, et animæ statim post dissolutionem fruentur æterna gloria ; *prima*, quia sequitur resurrectio animæ et corporis. *Beatus*, quia beatitudinem consequetur, *et sanctus*, confirmatus, quia non deficiet illa beatitudo ; *qui habet partem in resurrectione prima*, quia non omnes possunt esse ejusdem beatitudinis, et perfectionis. *In his secunda mors non habet potestatem*, et vere beatus, quia damnatio animæ et corporis simul non erit in eo. *Sed erunt sacerdotes Dei et Christi*, se ipsos et laudes continuas offerentes Deo in Trinitate, et secundum humanitatem Christo, *et regnabunt cum illo mille annis*, non solum post communem resurrectionem, sed interim *solvetur Satanas*, recipiet potestatem, *de carcere suo*, de cordibus reproborum, in quibus modo ligatus est ; *et exibit*, aperte, *quatuor angulos terræ*, in quatuor partibus mundi. *Gog et Magog*, ad litteram sunt populi in montanis conclusi versus aquilonem, et hi soluti, et primi decepti, seducent alios ; vel ad allegoriam, ut per istos intelligantur omnes mali. Gog interpretatur *tectum*, per quod intelliguntur omnes occulte nocentes. Magog interpretatur *detectum*, per quod intelliguntur omnes aperte nocentes. *Et congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris*, sterilis et innumerabilis. *Et ascenderunt*, superbientes, *super latitudinem terræ*, per totum orbem, *et circuierunt castra sanctorum*, invadentes sanctos non poterunt intrare, in quibus militat Deus, *civitatem*, munitam virtutibus, et ideo a Deo *dilectam*. Posita causa ponit damnationem, quia post illam seductionem, et ministri damnabuntur a Deo, et hoc est, *et descendit ignis de cœlo*, etc., *ubi et bestia et pseudoprophetæ cruciabuntur*, quia eumdem locum pœnarum dat diabolo et suis, maxime nos deterret ne sui efficiamur. *Die ac nocte*, continue, vel *die*, de gloria sanctorum, *nocte*, de propria miseria. *In sæcula sæculorum*, et hoc in æternum.

Et vidi thronum magnum candidum, et sedentem super eum, a cujus conspectu fugit terra et cœlum, et locus non est inventus ab eis. Et vidi mortuos magnos et pusillos stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt. Et alius liber apertus est, qui est vitæ, et judicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris, secundum opera eorum. Et dedit mare mortuos qui in eo erant, et mors et infernus dederunt mortuos, qui in ipsis erant. Et judicatum est de singulis secundum opera eorum, et infernus et mors missi sunt in stagnum ignis : hæc mors secunda est, et qui non est inventus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.

Posita distinctione diaboli et suorum, addit mundi destructionem. Destruetur enim mundus, quia a malis corrumpitur, scilicet terra, et aer, et aqua : nec tamen eorum substantia peribit, sed forma mutabitur usque ad globum lunæ. Æther manebit ; fixa tamen erunt omnia, quæ nunc ibi moventur ad servitium hominum. *Et vidi thronum*, Ecclesiam, *magnum*, multitudine ; *candidum*, ex virtutibus, vel propter impassibilitatem et immortalitatem, *et sedentem super eum*, Christum, *a cujus conspectu*, præsentia, *fugit terra*, ab hac specie, *et cœlum*, aer, *et locus non est inventus ab eis*, secundum priorem statum. *Et vidi mortuos*, malos, *magnos et pusillos*, tam majores quam minores, *stantes*, corporaliter. Sæpe locutus de glorificatione sanctorum et pœnis impiorum, non fecerat apertam mentionem de corporibus, an simul reciperentur cum corporibus, quod hic aperte facit. *In conspectu throni*, quia sancti aperte conspicient merita singulorum ; *et li-*

bri, id est, conscientiæ singulorum, *aperti sunt*, *et alius liber apertus est,qui est vitæ,*quem qui imitati sunt vitam habebunt,alii damnabuntur, *et judicati sunt mortui*, id est mali, *ex his quæ scripta erant in libris*, scilicet opera ipsorum, quia alii major, alii minor dabitur pœna.*Et dedit mare mortuos suos qui erant in eo,* corpora quantumcunque fuissent disjecta ; aliqui volebant ea corpora tantum vivificari, quæ viva vel integra invenirentur : ostendit contra,omnia corpora quantumcunque fuissent disjecta in illo æque vivificari ; *et mors*, id est diabolus, *et infernus*, locus ille, *dederunt mortuos qui in ipsis erant*,animas mortuorum. Et hæc contra illos qui dicebant tunc creari novas animas. *Et infernus*, omnes insatiabiles, vel profundi in vitiis, *et mors*, diabolus, *missi sunt in stagnum ignis : hæc mors secunda est*. Quædam admonitio est : Cavete vobis a morte prima, ex qua secunda est, *et qui non est in libro vitæ inventus*, prædestinatus ad vitam.

CAPUT XXI.

VISIO SEPTIMA.

Et vidi cœlum novum et terram novam. Primum enim cœlum, et prima terra abiit, et mare jam non est. Et civitatem sanctam Hierusalem novam vidi descendentem de cælo a Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Et audivi vocem magnam de throno dicentem : Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis ; et ipsi et populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus. Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum. Et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.

In hac septima visione agit de innovatione elementorum,et glorificatione sanctorum,demonstrans merita per quæ ita sint sancti glorificandi. *Et vidi cælum*,id est, aerem innovatum. *Primum enim cælum, et prima terra abiit*, primus status eorum immutatur. *Et mare jam non est*, neque in motu, neque in prioribus qualitatibus, et tamen non est certum an aqua purgetur igne, quo purgabuntur aer et terra, an aliqua sua materiali purgatione. *Et civitatem*, Ecclesiam, *sanctam,* in omni quiete firmatam, *Hierusalem*, jam plene Christum videntem, qui est pax vera,*novam*,propter resurrectionem corporum, *descendentem*, id est humiliantem, quia quidquid boni habet, intelligit ex meritis et Dei gratia se accepisse ; *a Deo paratam*, *sicut sponsam ornatam viro suo.*Sicut enim sponsus præmittit munera ante nuptias, ut inde se ornet, ut tandem in nuptiis placeat : sic Christus Ecclesiæ fidem et virtutes theologas infunditin baptismate.Cum dixisset se vidisse innovationem elementorum, et glorificationem sanctorum,quia incognitum erat,incredibile videretur, et ideo apponit auctoritatem sanctorum, qui hæc sibi dixerunt, et etiam Dei. *Et audivi vocem*, admonitionem, *magnam*, quia de magnis Dei secretis agit, *de throno dicentem*, ab illis in quibus sedet Deus : *Ecce*, in evidenti est, *tabernaculum Dei cum hominibus*,id est, humanitas, in qua Deus militavit,est in eadem gloria cum hominibus qui eum sunt imitati ; *et habitabit cum eis*, id est, sicut Christo gloria illa erit æterna ita et suis. *Et ipsi populus ejus erunt*, in nullo offedentes, quod non potest esse dum in hac carne sunt ; *et ipse Deus*, et secundum deitatem, *cum eis erit eorum Deus*, quasi singulariter, quia nunquam ab eorum præsentia separabitur. Posita gloria removet omnem tristitiam, *et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum*, quantamcunque tristitiam tam ab oculis mentis, quam carnis, *et mors ultra non erit*. Ostendit non esse lacrymas, quia nulla erit causa lacrymarum ; *neque mors*, dissolutio animæ et corporis, neque separatio a Christo, *neque luctus*, continuus dolor, *neque clamor*, aliqua magna commotio auferens quietem, *neque dolor erit*, parva quælibet motio, scilicet jam non est locus istorum, cum non sit peccatum, ex quo hæc omnia procedunt. Posita auctoritate sanctorum, ponit ipsius Dei.

Et dixit qui sedebat in throno : Ecce nova facio omnia ; et dixit : Scribe, quia hæc verba fidelissima sunt, et vera. Et dixit mihi : Factum est. Ego sum α et ω, initium et finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vivæ gratis. Qui vicerit possidebit hæc, et ero illi Deus, et ille erit mihi filius Timidis autem et incredulis et exsecratis, et homicidis, et fornicatoribus,et veneficis,et idololatris, et omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure, quod est mors secunda.

Et dixit qui sedebat in throno : Ecce nova facio omnia, tam elementa, quam sanctorum gloriam,*et dixit : Scribe*, quædam admonitio, ac si diceret : Quidquid mihi ostensum est de hac innovatione,ad præsentium utilitatem est,ut et ipsi festinent obtinere illam glorificationem;*quia hæc verba fidelissima sunt*, habilia, ut eis fides adhibeatur, *et vera,* quia complebuntur. *Et dixit mihi : Factum est*, ne ipse quæreret quid post illam innovationem futurum esset, dicitur sibi, nihil restare faciendum, sed tunc omnia consummata. *Ego sum α et ω*,ostendit quod hanc innovationem facere possit, quia ipse omnia creavit, et in ipso omnia consummabuntur. *Et sitienti,* desideranti me, *dabo de fonte*, scilicet me ipsum qui sum principium omnis beatitatis, *aquæ vivæ*,quia vivere facit,*gratis*,per solam gratiam. *Qui vicerit*, id est, permanserit sitiendo, vel qui tentationes superaverit, *possidebit*, firmiter obtinebit, *hæc*,Deum et beatam innovationem ; *et ero illi Deus*, æterna satietas, *et illi erit mihi filius,*ut supra, populus sanctus, in quo bene camplacuit Domino. *Timidis autem*, id est, qui fide accepta timent eam profiteri,vel qui timent eam accipere,*et incredulis*, qui dubitant de resurrectione, ut infideles, *et exsecratis*, excommunicatis, *et homicidis*, *et fornicatoribus*, *et veneficis*, *et idololatris*, *et omnibus mendacibus*, quibus mentiri est in usu,*pars illorum*, id est, unusquisque particeps erit harum pœnarum, pro meritis suis.Descripta gloria,quam sunt sancti ha-

bituri, dicit quo merito, et quo auxilio sint hæc adepturi.

Et venit unus de septem angelis habentibus phialas plenas septem plagis novissimis. Et locutus est mecum, dicens : Veni, ostendam tibi sponsam uxorem Agni. Et sustulit me in spiritu in montem magnum et altum, et ostendit mihi civitatem sanctam Hierusalem descendentem de cœlo, habentem claritatem Dei. Lumen ejus simile lapidi pretioso, tanquam lapidi jaspidi, sicut crystallum. Et habebat murum magnum et altum, habens portas duodecim, et in portis angulos duodecim. Et nomina scripta quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel. Ab oriente portæ tres, et ab aquilone portæ tres, et ab austro portæ tres, et ab occasu portæ tres. Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina apostolorum et Agni.

Et venit unus e septem angelis, aliquis de sanctis prædicatoribus, etc. *Veni*, amplifica intellectum; *ostendam tibi sponsam*, modo factam, *uxorem Agni. Et sustulit me in spiritu*, id est elevavit me spiritualiter ut cognoscerem Christum, et super ipsum fundatam Ecclesiam, *in montem*, quia munimentum suorum, *magnum*, quia totum orbem replet, *et altum*, quia insuperabilis est, etc. *Habentem claritatem Dei*, id est, apertam cognitionem de Deo. Ostendit cur Ecclesia habeat claritatem. *Non lumen ejus*, id est ipsa lucens pro modo suo se exhibuit similem Christo, qui fuit lapis pretiosus, quia firmus in proposito, et lucens splendore omnium virtutum, et hoc dicit, lumen ejus *simile lapidi pretioso, tanquam lapidi jaspidi.* Jaspis est durus et viridis ; ita Ecclesia viret fide, et in ea firma est ; *sicut crystallum*, nihil celans, quia ibi pura confessio, *et habebat murum magnum et altum*, id est Christum defensorem, qui est magnus secundum resurrectionem, altus secundum ascensionem, vel defensores aliorum qui sunt magni vincendo hæreticos, alti et insuperabiles. *Habens portas duodecim*, prophetas, per quorum exemplum, alii ad fidem introducuntur, *et in portis duodecim angulos*, per angulos accipimus apostolos, qui perstiterunt in fide et vestigiis prophetarum, *et nomina scripta*, quia omnes fideles sunt fundati, et quasi inscripti in prophetis ; vel quia omnes fideles exstant in dilectione priorum patrum, *quæ sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israel*, id est, omnium fidelium, secundum prædictas interpretationes. *Ab oriente portæ tres, ab aquilone portæ tres*, Judæi oriens dicuntur, a quibus ortus est Sol justitiæ, et in his portæ tres ; quia his primum fides civitatis nuntiata est ; aquilo, frigidæ gentes, quæ post Judæos crediderunt ; austrum, ardentes, ut sancti martyres ; occasus significat illos, in quibus fides et charitas frigescunt, vel illos qui in novissimis temporibus credituri sunt in prædicatione Heliæ et Enoch ; numerus duodecim portarum, quæ per quatuor mundi partes sub ternario ponuntur, pertinet ad ministerium apostolorum, per quos fides Trinitatis per orbem quadripartitum

A diffunditur. *Et murus*, id est, quicunque defensores Ecclesiæ fundantur in prophetis, in quibus fides præcessit, *habens fundamenta duodecim*, id est, prophetas, in quorum fide fundati sunt apostoli : ex ipsis enim successit fides in apostolos, et etiam credulitatem habuerunt ex prophetis, qui etiam idem dixerant ; vel fundamenta accipiamus apostolos, in quibus fundatur tota munitio Ecclesiæ ; quod supponit, *et in ipsis nomina duodecim apostolorum*, expositio est quæ fundamenta accipiat, et in ipsis est nomen *Agni*, quia ipsum semper prædicaverunt ; quasi ita diceret : Vide in civitatem munitam et ornatam, non tamen omnes æquales, sed pro modo suo quemque perfectum.

Et qui loquebatur mecum habebat mensuram, B *arundinem auream, ut metiretur civitatem, et portas ejus et murum, et civitas in quadro posita est. Longitudo ejus tanta est, quanta et latitudo. Et mensus est civitatem de arundine aurea per stadia duodecim millia. Longitudo et latitudo et altitudo ejus æqualia sunt. Et mensus est muros ejus centum quadraginta quatuor cubitorum, mensura hominis, quæ est angeli.*

Et qui loquebatur mecum, Angelus in persona Christi, *habebat mensuram*, scilicet divisionem gratiarum mensuratam, *arundinem*, hanc quidem mensuram, id est, divinam Scripturam ; *auream*, Dei sapientia compositam : *ut metiretur civitatem*, id est, ut secundum mensuram daret omnibus intelligentiam Scripturarum, *et portas ejus*, qui alios introducunt ad fidem, *et murum*, defensores aliorum. *Et civitas in quadro posita est*, civitas dicitur in qua- C dro posita, quia quatuor habet æqualia latera fidem, spem, charitatem, operationem, quæ dicuntur æqualia, quia quantum credit, tantum sperat ; quantum sperat, tantum diligit ; quantum diligit, tantum operatur ; vel quadrum dicamus quatuor principales virtutes, quarum alia non debet aliam excedere in homine : prudentiam, id est, discretionem boni a malo quam sequitur temperantia, scilicet ut malum cognitum vitet ; post hæc fortitudo, ut adversa patiatur, facienda viriliter operetur ; dehinc justitia, ut omnibus secundum merita retribuat. Exponit quadraturam *longitudo*, id est longanimitas quæ in fide est, tanta est, quanta et latitudo, scilicet charitas : quia quantum credit, tantum amat. *Et mensus est civitatem per studia duo-* D *decim millia*, id est, perfectos de quatuor mundi partibus, in fide Trinitatis adunatos. Per stadia solent mensurari plateæ, in quibus currunt ludentes, per quod notat cives istos oportere currere et tendere ad bravium (*I Cor.* IX). *Longitudo*, longanimitas, et *latitudo*, dilatatio secundum charitatem, et *altitudo ejus æqualia sunt*, in his quæ sperat ; quantum enim credit et amat, tantum sperat. Et *mensus est muros* defensores, *centum quadraginta quatuor cubitorum*. Cubitus in quo est manus, et significat operationem. *Mensura hominis, quæ est angeli*, ostendit angelum habuisse formam hominis, ut aperte notet qui significabatur, verum Angelum, Dei Filium et verum

minem fuisse. Dixerat in hac civitate esse muros, portas, fundamenta, ipsos inter se esse inæquales : hic exsequitur, murus ipse qualiter sit in materia, et ita dicit :

Et erat structura muri ejus ex lapide jaspide : ipsa vero civitas aurum mundum simile vitro mundo. Fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata : Fundamentum primum, jaspis. Secundum, sapphirus. Tertium, chalcedonius. Quartum, smaragdus. Quintum, sardonix. Sextum, sardius. Septimum, chrysolithus. Octavum, berillus, Nonum, topasius. Decimum, chrysoprasus. Undecimum, hyacinthus. Duodecimum, amethystus.

Et erat structura muri ejus, scilicet majores in defensione, *ex lapide*, id est, quasi lapides, propter firmitatem, jaspide, quia virentes in fide. *Ipsa vero* B *civitas*, id est tota illa Ecclesia, scilicet tam muri quam ipsi defensi, *aurum* propter sapientiam, *mundum* ab omni coinquinatione, *simile vitro mundo*, per hoc notat puritatem fidei, scilicet quidquid ore dicit, corde credit. *Fundamenta muri civitatis*, ipsi prophetæ vel apostoli *omni lapide pretioso ornata*, sunt ornati se ipsis omni genere virtutum.

Fundamentum primum jaspis, quia primum fundamentum omnium virtutum est in fide.

Jaspis viridis virorem fidei immarcescibilem significat. *Sapphirus* similis sereno cœlo, qui percussus radiis solis ardentem emittit fulgorem, significat altitudinem spei sanctorum, quorum conversatio est in cœlis, qui et a puro sole innovati ardentius æterna quærunt, et alios quærere docent. *Chalcedonius*, quasi pallens ignis lucernæ nitet, et fulget sub divo, non in domo, significat flammam charitatis internæ, quæ in abscondito bona agit, sed cum aliis prodesse jubetur, mox apparet quid fulgoris habeat intus : sculpentibus resistit ; ictu solis, vel digitorum attritu excandens, ad paleas trahit, id est sancti a nullo queunt vinci, et ad se fragiliores trahunt. *Smaragdus* nimiæ viriditatis, super herbas et frondes Scythiæ invenitur, id est, fortis ejusdem fidei inter adversa quæ frigore significantur, confessio quæ, quia tanta per Evangelium mundo innotuit, quarta dicitur, propter quatuor Evangelia. *Sardonix* inter virtutes humilitas, inferius niger, in medio candidus, superius rubeus, id est, sancti in passione rubei, interius candidi, sed sibi per humilitatem despecti, quæ quia infirmitate cor- D poris descendit, quod quinque sensibus agitur, quinta est. *Sardius*, sanguinei coloris, martyrii gloriam significat : sextus, quia Christum sexta forma crucifixus. *Chrysolithus* ut aurum fulget, scintillas que emittit ardentes, id est, spiritualis inter miracula prædicatio ; auro superna sapientia, scintillis exhortatio, vel etiam miracula significantur : quod quia per Spiritum sanctum fit, septimo loco ponitur. *Berillus* est prædicantium perfecta operatio. Ut enim aqua sole percussa refulget : qui non aliter nisi septangula politur forma, quia ex angulorum percussione splendor acuitur. Aqua sensum hominis

A significat ; splendor solis, divinam sapientiam, qua amplius fulget ; sed non perfecte divina vel humana sapientia, nisi operibus consummetur ; perfectio operum per septem intelligitur, cum hoc numero opus mundi factum sit : urit manum tenentis, quia qui sancto jungitur, ejus conversatione accenditur.

Topazius, quantum rarior, tantum pretiosior, bicolor, ex auro et ætherea claritate maxime lucens, cum salis splendore tangitur ; superans omnium gemmarum claritates ; in aspectum suum singulariter provocans aspicientes ; quem si polis, obscuras ; si naturæ relinquis, clarior est ; et nihil charius regibus inter divitias : contemplativam vitam significat, quam sancti reges omnibus operum divitiis et gemmis virtutum præferunt, et in eam maxime mentes dirigunt : et tanto amplius, quanto frequentius divina gratia illustrantur : ex interna claritate aureus color, ex dulcedine contemplationis æthereus, quæ attritu scilicet sæpe vilescit. Vix enim poterit aliquis simul doloribus angi, et tranquilla mente gaudia cœli intueri. Et sicut in octo activa vita, sic in novem contemplativa, quæ est angelorum, quorum sunt novem ordines ; vel quia uno gradu abest a denario, mortis scilicet. *Chrysoprasus* viridis aureæque mixturæ, quidam etiam purpureus cum guttis aureis, et nascitur in India, significat eos qui virorum æternæ patriæ charitate merentur, et aliis purpuram martyrii ostendunt ; et quia exemplum Domini sequuntur, in India, id est, prope ortum solis sunt, et quia cum Christo regnare C exspectant, in denario numero sunt, et decalogus implebitur per dilectionem Dei quæ nona fuit : igitur in chrysopraso opus martyrii indicatur et præmium. *Hyacinthus* cum aere mutatur, in sereno perspicuus, nubilo marcessit, indicat doctores ad alta levatos, sed propter infirmos condescendentes. *Amethystus* est purpureus misto colore violæ et rosæ, leniter quasdam flammas fundens : purpureus decor, cœlestis regni habitum ; viola, sanctorum verecundiam ; rosa, pretiosam significat mortem ; qui inter adversa mente sunt in summo, qui non modo inter se, sed ad persecutores flammam charitatis fundunt. Significat igitur amethystus cœlestis semper regni memoriam in animo humilium.

CANTICUM.

Cives cœlestis patriæ,
Regi regum concinite,
Qui supernus est artifex
Civitatis uranicæ,
In cujus ædificio
Talis exstat fundatio.
Jaspis coloris viridis,
Profert virorem fidei,
Quæ in perfectis omnibus,
Nusquam marcescit penitus,
Cujus forti præsidio,
Resistitur diabolo.
Sapphirus habet speciem,

Cœlesti throno similem,
Designat cor simplicium,
Spem certam postulantium :
Quorum vita et moribus,
Delectatur Altissimus.
Chalcedonius pallidam,
Ignis habet effigiem,
Subrutilat in publico,
Fulgorem dat in nubilo,
Virtutem fiert fidelium,
Occulte famulantium.
Smaragdus virens nimium,
Dat lumen oleaginum :
Est fides integerrima,
Ad omne bonum patula,
Quæ nusquam scit deficere
A pietatis opere.
Sardonix constans tricolor,
Homo fertur interior,
Quem denigrat humilitas,
In quo albescit castitas,
Ad honestatis cumulum,
Rubet quoque martyrium.
Sardius est puniceus,
Cujus color sanguineus
Ostendit et martyrium,
Rite agonizantium,
Sextus est in catalogo,
Crucis hæret mysterio.
Auricolor chrysolithus,
Scintillat velut clibanus,
Prætendit mores hominum,
Perfecte sapientium,
Qui septiformis gratiæ,
Sacro splendescunt jubare.
Borillus est lymphaticus,
Ut sol in aqua limpidus,
Figurat vota hominum,
Ingenio sagacium,
Quibus plus libet sumere
Pulchræ quietis otium.
Topazius quo rarior,
Eo est pretiosior.
Nitore rubet chryseo,
Et aspectu æthereo,
Contemplativæ solitum,
Vitæ monstrat officium.
Chrysoprasus purpureus,
Auricolor ac flammeus,
Cujus splendor in tenebris,
Flammas evibrat oculis,
Hæc est perfecta charitas,
Quam nulla sternit feritas.
Hyacinthus purpureus,
Virore me dioximus,
Cujus decora facies
Mutatur ut temperies,
Vitam signat angelicam,
Discrettone præditam.
A Amethystus præcipuus
Colore violaceus,
Et notulis purpureus,
Prætendit cor humilium
Christo commorientium

Et duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt per singulas : et singulæ portæ erant ex singulis margaritis. Et plateæ civitatis aurum mundum tanquam vitrum perlucidum, et templum non vidi in ea. Dominus enim Deus omnipotens, templum illius est et Agnus. Et civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea. Jam claritas Dei illuminabit eam, et lucerna ejus est Agnus, et ambulabunt gentes in lumine ejus, et reges terræ afferent gloriam suam et honorem in illam, et portæ ejus non claudentur per B *diem. Nox enim non erit illic. Et afferent gloriam et honorem gentium in illam, nec intrabit in ea aliquid coinquinatum et faciens abominationem et mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni.*

Et duodecim portæ duodecim margaritæ sunt per singulas, id est, omnes introductores in quatuor mundi partibus fundati fide sanctæ Trinitatis, introducunt duodecim, id est, omnes ex quatuor partibus mundi ad fidem Trinitatis, qui sunt margaritæ, id est lucidi et solidi. *Et singulæ portæ erant ex singulis margaritis*, id est, unusquisque de introductoribus sunt splendentes et firmi virtutibus. *Et plateæ civitatis*, id est, quibus licet uti latioribus præceptis, ut sunt conjugati, *aurum*, sapientia, et charitate pleni, *mundum*, a criminali macula, *tanquam* C *vitrum perlucidum*, nullas sordes in se celantes; vel quia possunt mali in operibus eorum velut in speculo nequitiam suam cognoscere. *Et templum non vidi in ea*, hic tantum locus orationis et oblationis, quæ ibi locum non habent. *Dominus enim Deus omnipotens, templum illius est*, omnimoda requies. *Et civitas non eget sole neque luna, ut luceant in ea*, ad litteram, vel prædicatoribus majoribus et minoribus quibus hic terreni indigent ad illuminationem. *Nam claritas Dei Patris, et lucerna ejus est Agnus*, lucerna est testa continens lumen; ita humanitas Christi continet deitatem, qua illuminantur omnes volentes. *Et ambulabunt gentes in lumine ejus.* Ostendit magnum et mirabile esse lumen illius venturæ civitatis, quæ etiam præsenti statu illuminat homines, et perducit ad illam æternam civitatem D per speciem, et quosdam radios cognitionis illius æternæ beatitatis. *Et reges terræ*, qui bene regent se et alios, *afferent gloriam suam*, ad similitudinem victorum, qui spolia in suas urbes ferunt, ita isti, gloriam suam in adquisitos Deo ferent, *illam*, id est, ad laudem illius civitatis facient, non ad suam, *et honorem*, puritatem conscientiæ, *in illam*, pro illa habenda, *et portæ ejus non claudentur per diem*, de venturo dicit, hic enim clauduntur portæ prædicatione, ne mali furentur, et conculcent verbum Dei. *Nox enim non erit illic*, ostendit quare ibi non sit claudenda, quia nulla ignorantia, nulla obscuritas, et ideo nec locus furibus, sed ibi omnimoda sere-

nitas erit. *Et afferent*, ipsi reges repræsentabunt Deo, *gloriam*, id est, glorificats gentes, *et honorem*, honorabiles secundum puritatem propriarum conscientiarum, *nec aliquid intrabit in eam*, licet ibi non sit nox, nec porta clausa, non tamen intrabit quilibet, *coinquinatum*, consensor immunditiæ. *Et faciens abominationem*, aliquod criminale, *et mendacium*, qui delectatur in mendaciis inveniendis, *nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni*. Quid plura? Nullus intrabit nisi præscitus in æterna dispensatione Dei, vel nisi imitatores vitæ Christi, qui est nobis propositus liber ad imitandum.

CAPUT XXII.

Et ostendit mihi fluvium aquæ vivæ, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei et Agni in medio plateæ ejus, et ex utraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum. Et folia ligni ad sanitatem gentium, et omne maledictum non erit amplius. Et sedes Dei et Agni in illa erunt, et servi ejus servient illi et videbunt faciem ejus, et nomen ejus in frontibus eorum, et nox ultra non erit. Et non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis : quoniam Dominus Deus illuminat illos, et regnabunt in sæcula sæculorum.

Postquam situm civitatis, dignitatem, muros et fundamenta ostendit, describit refectionem quam Deus civitati tribuit, et in præsenti, et maxime in futuro; hic enim dat refectionem quodammodo per baptismum, et sui corporis et sanguinis sacramentum, et tamen parum est hoc respectu, illius futuræ beatitatis, ubi Christus erit omnia in omnibus. Quæritur de baptismo, quare potius fiat aqua, quam alio quolibet elemento : ad quod respondetur, quod aquæ natura est ut exstinguat, et in baptismo exstinguitur ardor peccatorum. *Ostendit mihi fluvium*, abundantiam, *aquæ vivæ*, refectionis, quæ vivificat omnes habitantes, *splendidum*, scilicet Christum, qui erit omnimoda refectio, *tanquam crystallum*, quia ibi sola puritas, et nihil absonum, *procedente de sede Dei et Agni*, de majoribus in quibus sedet Deus, per ipsorum enim instructionem recipiunt minores illam beatitudinem : *in medio plateæ ejus*, in communitates eorum qui latiori vita incedunt. Ex utraque parte fluminis, et in hoc præsenti et in futuro, *lignum vitæ afferens fructus duodecim*, Christus, qui dat refectionem, et dat illos qui præparant alios ad eamdem refectionem : qui dicuntur duodecim, quia Deo fructificant quatuor partibus mundi ad eamdem fidem Trinitatis, *per menses singulos*, per omnes ætates vel assidue *reddens fructum suum*. Citra flumen, id est, in hac vita habemus lignum vitæ, scilicet corpus et sanguinem Christi quibus reficimur; ultra flumen habebimus Jesum Christum præsentem et indeficientem refectionem. Vel per citra flumen accipiamus tempus, quod fuit ante baptismum; habebant enim illi priores sancti, ut Moyses et alii, Christum, refectionem suam, licet per alia instrumenta quam modo sint.

A Per ultra flumen accipiamus tempus post baptismum per quod significamus justos in Novo Testamento : quod præsignavit Moyses, qui duxit filios Israel usque ad flumen Jordanis, et Jesu Nave qui de flumine duxit eos in terram promissionis; *et folia ligni ad sanitatem gentium*, præcepta Christi quæ tegunt et ornant fructum, si impleantur, conferunt sanitates, quæ sparguntur per duodecim fructus, scilicet prophetas et apostolos, et eorum successores; *et omne maledictum non erit amplius*, substractio gratiæ. *Et sedes Dei et Agni in illa erunt*, id est, quiescent Deus et Agnus in illis sine ulla offensione. *Et servi ejus servient illi*, laudabunt in æternum, *et videbunt faciem ejus*, non in ænigmate sicut nunc, sed Deum et Christum prout sunt, ut dicitur (*I Cor.* XIII). *Et nomen ejus in frontibus eorum*, quia Dei et Agni B vocabuntur in aperto, sicut hic aperte eum confessi sunt. *Et nox ultra non erit*, nulla ignorantia, *et non egebunt lumine lucernæ*, id est, doctrina veteris legis, vel minorum prædicatorum, qui illuminant noctem; *neque lumine solis*, doctrina novæ legis, vel majorum prædicatorum. Sicut in principio commendavit visionem, sic in ultimis facit.

Et dixit mihi : Hæc verba fidelissima, et vera sunt, et Dominus Deus spirituum prophetarum misit angelum ostendere servis suis quæ oportet fieri cito. Et ecce venio velociter. Beatus qui custodit verba libri hujus.

Et dixit mihi, id est, angelus qui cætera, hæc *verba*, quidquid verbis et figuris ostensum est, *vera sunt*, quia sic implebuntur, *fidelissima*, habi- C lia quibus fides adhibeatur, *et Dominus Deus spirituum prophetarum*, et bene credere debes, quia ille qui in potestate dona Spiritus sancti habet, per quem locuti sunt prophetæ, *misit*, et cætera. Cum Deus in Trinitate faciat dona misericordiæ, ideo tamen attribuuntur personæ Spiritus sancti, quia Spiritus sanctus significat benignitatem. et ex benignitate Dei procedunt hæc omnia dona, *misit angelum suum ostendere*, et sicut angelus mihi, ita ego vobis servis suis, non philosophis, vel superbis sæculi, *quæ oportet fieri cito*, quia non possunt non expleri, sicut præscita sunt; et *ecce venio velociter*, et vere cito, quia ipse dicit. Et hoc etiam dicit : *Beatus qui custodit*, opere implet, verba libri hujus.

D *Et ego Joannes, qui audivi et vidi hæc. Et postquam audissem et vidissem, cecidi ut adorarem ante pedes angeli, qui mihi hæc ostendebat. Et dicit mihi : Vide ne feceris : conservus tuus sum et fratrum tuorum prophetarum, et eorum qui servant verba libri hujus. Deum adora. Et dixit mihi : Ne signaveris verba prophetiæ libri hujus. Tempus enim prope est. Qui nocet noceat adhuc, et qui in sordibus est sordescat adhuc, et justus justitiam faciat adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc : Ecce venio cito et merces mea mecum est reddere unicuique secundum opera sua. Ego α et ω, primus et novissimus, principium et finis. Beati qui lavant stolas suas, ut sit potestas eorum in*

ligno vitæ, et per portas intrent in civitatem sanctam; foris canes, et venefici, et impudici, homicidæ, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium.

Et ego Joannes. Item commendatio libri ex propria persona, quasi dicit : Ego qui nihil falsi soleo vobis adnuntiare, *qui audivi* voces, *et vidi hæc,* figuras. *Et postquam audissem et vidissem, cecidi ut adorarem,* quasi oblitus prioris prohibitionis, vult angelum iterum venerari ut majorem, ex quo nobis innuit, quod sicut ipse angelum, ita nos debemus habere eum in veneratione, non tamen eum sicut Deum adorare, et debemus intelligere per observantiam libri angelis pacificari. *Ante pedes angeli,* quasi ut omnino me contemptibilem quantum ad ipsum ostenderem, scilicet pro hac causa qui hæc ostendebat mihi. *Vide,* etc., prophetarum majorum, et eorum minorum. ***Ne signaveris** verba prophetiæ libri hujus* nec clauseris dicta libri hujus, sicut præceptum est de verbis septem tonitruum, sed omnibus præcepta, et vere non sunt claudenda hæc verba, ut per hoc acquirantur aliqui fratres, quia tempus prope est, et quia posset sibi objici hæc non esse prædicanda, quia mali pejores erunt, respondet quasi objectis, hoc justitiam esse, ut malus pejor fiat, hoc est, *qui nocet aliis noceat,* magis, *et qui in sordibus est, sordescat adhuc,* quantum ad seipsum sordescat magis. *Et justus justitiam faciat adhuc,* justus in alium justior fiat, *et sanctus sanctificetur adhuc,* in seipso sanctior sit. Et vere tempus prope est quia *ecce venio cito et secundum opera sua,* uni plus, alii minus. Et bene hoc possum, quia ego « et », primus ante omnes creaturas, *et novissimus,* quia nulla creatura post eum ; *principium,* quia ex ipso omnia processerunt, *et finis,* quia in ipso omnia consummabuntur. Et quia dixerat, nocens noceat, sordidus sordescat, ne dicat malus ideo sibi nihil prodesse si pœniteat, dicit quia etiam hi tales beati erunt, si pœnitentia peccata deleant, et hoc est : *Beati qui lavant stolas suas,* ita dico lavant, ut possint refici ligno vitæ, et hoc est, *ut sit potestas eorum in ligno vitæ, et per portas intrent,* per introductionem sanctorum, *in civitatem sanctam; foris canes,* contradicentes, et oblatrantes veritati, et immundi in seipsis erunt extra civitatem, et hoc dicit *qui amat mendacium,* audiendo, *et facit,* inveniendo.

Ego Jesus misi angelum meum testificari vobis hæc in Ecclesia. Ego sum radix et genus David, stella splendida et matutina. Et sponsus et sponsa dicunt : Veni. Et qui audit, dicat : Veni. Qui sitit veniat, qui vult accipiat aquam vitæ gratis.

Commendavit librum per angeli dignitatem, et per suam propriam personam, modo ex Christi auctoritate, ac si dicat : Sciatis omnes hæc verba ex me procedere, *ego Jesus misi,* et cætera ; et mihi est bene credendum, quia *ego sum,* sustentaculum David, et ab ipso genitus, hoc est, *radix,* sustentamentum, *et genus David,* ab ipso secundum carnem generatus, *stella splendida,* id est lumen afferens mundo, et annuntians diem sicu lucifer, id est communem resurrectionem, per meam resurrectionem ; *et matutina,* in mane facta. Post alias commendationes et commendationes ponit ex sponso, vel spiritu, id est Trinitate et fidelibus. *Et sponsus et sponsa,* fideles, *dicunt* : *Veni,* ad notitiam libri, *et qui audit,* id est intelligit, *dicat* : *Veni,* scilicet majores dicant aliis ut veniant, *et qui sitit veniat,* non tamen intrabit quilibet, sed solus qui desiderat et opere implet id quod desiderat, *et qui vult accipiat aquam vitæ gratis,* et sufficit voluntas efficax.

Contestor ego omni audienti verba prophetiæ libri hujus. Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto ; et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de ligno vitæ et de civitate sancta, et de his quæ scripta sunt in libro isto. Dicit qui testimonium perhibet istorum etiam, amen. Venio cito, amen. Veni, Domine Jesu. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.

Contestor, postquam commendavit librum per multas auctoritates, quia scivit quosdam hæreticos in Asia, quorum mos erat auferre de libris sanctorum quæ suis hæresibus contra irent, et interserere suas hæreses, ut ex sanctis suos errores confirmarent, excommunicat omnes qui vel apponunt huic libro vel inde subtrahunt, et hoc est, *contestor,* et cætera. *Dicit,* quasi dicat : Ego excommunico, et Jesus excommunicat, *qui testimonium perhibet istorum,* scilicet Jesus, *etiam Amen,* id est vera sunt omnia quæ dicta sunt, et ideo si quis mutaverit, excommunicetur. *Venio cito, Amen,* et servate ne mutetis verba, quia ego cito venio, ut vindicem mutatores, *dicit* Dominus. Verba apostoli, et confirmat Christum cito venturum. Veni, Domine Jesu, dicit apostolus Domino ex nimia affectione desiderantis, ut veniat ad remunerandum.

Gratia, et cætera. *Amen,* id est sine defectione : enim *sine,* amen *defectio* dicitur. Ego, id est pater in prælatione, tamen frater in regeneratione unius matris Ecclesiæ. Benedictus per omnia Deus. Amen, id est veritas. Omnes concedite. Amen.

ANSELMI LAUDUNENSIS

EPISTOLA

AD H. ABBATEM S. LAURENTII LEODIENSIS.

(Opp. Guilberti de Novigento, edit. d'Achery, p. 642.)

Venerabili abbati H.(64) de Sancto Laurentio Anselmus humilis filius Laudunensis Ecclesiæ salutem.

Videndum est, Domine, ne illa quæstio, quæ apud vos sic agitur, non in scientia, sed in pugnis verborum sit. Rectos sensus discutere virorum est, in verbis litigare puerorum est, qui non nisi tenuiter intelligunt quæ dicunt, vel audiunt; quos arguit Apostolus : *Nolite parvuli effici sensibus* (*I Cor.* xiv, 20). Præcipit autem : *Malitia parvuli estote.* (*ibid.*). Hæc non attendentes, quidam maxime inflati nomine scientiæ, sensus Patrum ignorantes, languent, ut ait Apostolus, circa quæstiones et pugnas verborum. Sententiæ quidem omnium catholicorum diversæ, sed non adversæ, in unam concurrunt convenientiam, in verbis vero sonant quædam quasi contrarietates et pugnæ, in quibus scandalizantur pusilli, exercentur strenui, contendunt superbi, excluduntur probati, qui aliis languentibus expedite dissonantia consonare ostendunt.

In hoc genere pugnantium verborum, hæc in Scripturis proponuntur : *Non vult Dominus malum.* Item *vult omnia quæ fiunt*, inter quæ etiam sunt mala, nec aliquid fit eo invito, nolente et coacto. Non vult quidem malum, id est non amat, non gratum habet, non approbat, sed odit, prohibet et damnat.

Porro constat Deum fecisse rationabilem creaturam liberæ voluntatis, ut possit mereri: ipsa autem libera voluntas per se non potest, vel ad majus dirigi, vel in bonum, in quo facta est, persistere; per se vero potest, si sibi ipsi relinquatur, corruere. Præsto est igitur ei divina gratia, parata adjuvare; sed non cogere, quod esset libertatem, quam dederat, tollere. Si ergo libera voluntas præmonita audit, et consentit, a gratia dirigitur; si renuit, relinquitur, et sibi relicta corruit. Quis autem neget Deum velle et sibi consentientem dirigere, et renuntiantem relinquere? Cum enim *universæ viæ Domini misericordia et veritas* (*Psal.* xxiv), 11), sicut vult, quod est misericordiæ, nihilominus vult, quod est justitiæ. Vult ergo per misericordiam consentientem adjuvare, vult etiam per justitiam renuentem relinquere. Quod relinquere, dicitur in Scripturis in reprobum sensum tradere, indurare præcipitare, non enim Deus auctor, et incentor est mali, sed dum juste, ut diximus, relinquit, rationalis creatura in reprobum sensum traditur, induratur, præcipitatur : Nemo ergo neget misericordem et justum Deum, et velle misereri, et velle indurare, ut ait Apostolus : *Cui vult miseretur; et quem vult* A *indurat* (*Rom.* ix, 18) : et Augustinus (65) super illum versiculum : *Tradidit illos Deus in passionem ignominiæ* (*Rom.* i, 26) : Manifestum est Deum operari in animis hominum, inclinando voluntates eorum quocunque voluerit, sive ad bonum pro sua misericordia, sive ad malum judicio suo, aliquando aperto, aliquando occulto, semper autem justo. Plena est divina pagina hujusmodi locutionibus, quas nullus subitaneus debet sinistre accipere, sed cum diligentia prudenter intendere.

Avaritia proprie vocatur, *idolorum servitus*; avarus enim pecuniæ tribuit quod Deo debetur et convenit, quod fit tribus modis: desiderat quippe avarus ut pecuniam habeat, et ut habitam augeat, et ne amittat. Sic cultor Dei desiderat ut charitatem, B quæ Deus est, habeat, et tam in se quam in proximis augeat, et ne eam amittat; et idcirco spiritualiter vitium illud cultus idolorum dicitur, quia prædicto modo quod Deo debetur, pecuniæ exhibet, quam sic colendo Deum suum facit. Illud enim quod præ cæteris unusquisque diligit, ubi cor et desiderium suum apponit, summum bonum sibi constituit, et tanquam Deum colit.

Amor terrenorum est venenum, amor superiorum est oleum: ad terrena ex se inclinatur anima, et descendit; ad superiora non per se, sed per Deum erigitur et ascendit: quando autem oleo superiori perfunditur, a terrenis avulsa, appetit et diligit æterna. Inter sterilitatem veneni, et pinguedinem olei, est quoddam medium, et quidam gradus, scilicet ut anima velit nolle inferiora, et velit velle superiora : et in C his duobus est gratia cum libero arbitrio, et sunt illi duo gradus pares, et in merito æquales, tamen distincti et ordinati. Amor superiorum ex Deo est tantum, amor inferiorum ex homine.

Si Deus hominem a fovea peccati eripit, et extrahit, mirabilis misericordia est; si autem deserit eum, summa æquitas est et justitia; prius enim foveam præmonstrat et periculum docet, et ne accedat prohibet. Homo autem hæc omnia contemnens sponte cadit, ei ideo Deus juste ibi eum deserit. Deum peccator flagellatur, Deus eum visitat, ut eripiatur, quod est ex misericordia. Si autem prosperatur, amplius sordescit, et illaqueatur, quod est justitia.

Si homini peccatum aliquod incipit displicere, et vult deserere illud, si propter Deum hoc facit, bo- D num est, et ex dono gratiæ procedit, si aliter fit, bonum non est, sicut aliquando refrænatur luxuria, ne expendatur pecunia, et aliquod simile, hoc non

(64) Heribrandum. Vide notitiam in Anselmum, supra, col. 1185.

(65) Lib. *De liber arb. et grat.*, c. 21.

A propter Deum, nec ex dono gratiæ. Similiter si aliquis sua dat, si jejunat, si orat, etc. Propter Deum bonum est, et gratiæ donum; si aliter non est bonum. Illud autem pro quo facit, diligit, et secundum illam dilectionem nonum seu malum debet dici.

Homo in sensualitate similis est brutis animalibus, quæ propter sensualitatem, cui obediunt et consentiunt, non damnantur, homo autem inde damnatur, ideo quia rationem habet; et tamen similis fit jumentis insipientibus. Sic et malus angelus propter excellentiam naturæ gravius et irrecuperabiliter est damnatus, homo quia infirmior fuit, est reparatus.

Humana anima similitudinem Trinitatis servans, triplici consistit natura, habet enim esse, vivere, corpus regere; habet etiam rationem, concupiscentiam, iram. Hæc est Trinitas naturalis. Super ra- B tionem enim fides fundatur, quæ est lumen ejus; et sicut ratio naturaliter præcedit (prius enim discernimus quam concupiscamus), sic fides, quæ est prima lux animæ, præcedit alias virtutes. Super cupiditatem est spes, quæ est lumen ejus: super iram charitas, regens et illuminans eam. Sicut ira naturaliter ardet, sic charitas spiritualiter fervet. His tribus coherent, intelligentia, voluntas, memoria, et tria prius posita, esse, vivere, corpus regere. Tria sunt quæ spiritalem Trinitatem subvertunt et expellunt; concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, superbia vitæ. Hæc tria opposita sunt fidei, spei et charitati; et dum homo istis consentit, a virtutibus cadit, et opponuntur singula singulis. Sed tria sunt quæ revocant, et redire faciunt ad C memoriam spiritalem Trinitatem, scilicet timor mortis, timor judicii, spes æternorum. Tria sunt quæ consummant [*f. confirmant*], scilicet justitia, pax, gaudium in Spiritu sancto.

Amor Dei lux est cordium, medicina vulnerum, solvit vincula peccatorum; hic operator in angelis, operatur in hominibus; non enim amor iste otiosus est; hic est quasi lucerna in media domo, ad cujus radios singula discernuntur quæ sunt in domo, scilicet lapides, ligna, etc. Sic *spiritualis judicat omnia.* Operatur iste amor in hominibus diversis, et pluribus modis. In his qui adhuc in sæculo sunt, facit ut vestiant nudos, pascant egentes, visitent infirmos: illi qui sunt in claustro hoc non operantur, habent enim manus confixas, et pedes constrictos sub obedientiæ jugo; in quibus amor Dei operatur jeju- D nium, orationem, voluntariam subjectionem, virtutum sollicitudinem, et promotionem. In angelis operatur ut Deo cohæreant indesinenter, in eo delectentur, cum diligant. Hoc idem in justis operabitur post hanc vitam, charitas enim non excidit. Est autem tanquam scala, duo habens latera, dilectionem Dei et proximi; et gradus medios, quibus ad summum ascenditur, donec addatur cumulus et perfectio, quod erit in futuro. Gradus enumerat Apostolus dicens: *Charitas benigna est*, etc., et sunt, ut credo, quindecim gradus illi. Qui scalam conscendit uno pede innititur terræ, alterum in alto ponit. Per terram significantur terrena subsidia quæ etiam ascendentibus sunt necessaria ad usum et sustentationem, non ad delectationem. Alter pes virtutum est promotio, tendens ad summum. Charitas etiam civitas est in quadro posita; diligit enim Deum, diligit se, diligit amicum, diligit inimicum. Habet etiam quatuor primas virtutes sibi adjunctas, et cohærentes, quæ sunt quadrum civitatis, humilitas, prudentia, fortitudo, temperantia. Humilitas fecunda mater est virtutum et nutrix. Hæc duplex est, prima ut homo se abjiciat, et quod ex se est contemnat, aliis subjaceat. Hæc est principium et mater virtutum. Postquam etiam promotus est, et opulentiam virtutum habet, necessaria est humilitas, ne de habitis superbiat, sed humilietur ne cadat: hoc ostenditur in cantico graduum. Fortitudo similiter duplex, per eam in præsenti vitiis resistimus: in futuro, Deo fortiter cohærebimus; secundum hunc effectum durabit, secundum alium excidet. Hoc de aliis duobus dici potest.

Corona clericorum, quæ rotunda est, perfectionem designat: in rotundo nec principium, nec finis, quia æterna quæ sunt sua hæreditas, principio carent et fine: portionem non habent in terra, sicut Levi, sed de fratribus decimas accipiunt, quæ iterum ad perfectionem respiciunt. Dum autem in terra quærunt habere portionem, agunt contra suam professionem, et perdunt hæreditatem, et neque in sorte fratrum, neque in sorte Levi perseverant, cum inter Deum et homines medii esse deberent.

Clerici electi sunt ad prædicandum, et ad docendos subditos, monachi vero ad orandum; quia clerici propter distractiones officii et negotiorum jugiter, orationi vacare non poterant. Tamen causa necessitatis, ex præcepto episcopi, sæpe monachi assumunt officium prædicandi, et docendi.

Virtutes vocantur arma lucis; arma, quia præcidunt contraria; lucis, quia pulsis tenebris faciunt lumen menti. Continentia præcedit luxuriam, humilitas superbiam, sic et in cæteris. Clavis virtutum pelluntur clavi vitiorum; clavis justitiæ configitur justus cruci pœnitentiæ. Clavi justitiæ sunt peccatorum recordationes, et singulæ cordis contritiones. Primus et maximus clavus, qui parat viam aliis, est timor Domini: hoc præcedente, et viam præparante, alii possunt infigi, et nunquam aliter.

De tribus reddituri sumus rationem, de eo quod homines sumus, rationales scilicet, ne in vanum acceperimus animam nostram. De eo quod Christiani sumus, ne nomen Domini in vanum assumpserimus: de eo quod in aliquam partem sortis sanctorum vocati sumus, qua dicimur clerici vel monachi, scilicet ne in vacuum gratiam Dei recipiamus.

Illi qui divinam paginam legunt, intelligunt, et tamen secundum eam non vivunt. sciunt domum Dei ædificare, et alios de ea docere, sed ipsi nolunt intrare. Dum vero studio, et magna aviditate illam scientiam in memoriam recondunt, quasi manna colligunt, sed computrescit, quia tenerum et infirmum habent stomachum, nec diffunditur per mem-

bra animæ succus illius cibi, neque potest digeri. A Manna computrescebat quasi ex quadam infidelitate eorum qui reservabant ultra quam esset necessarium : similiter et isti congregant supra quam necesse sit eis, qui nolunt spiritualiter vivere, et informari ; neque in vitam, et in mores diffundunt, sed ad gloriam et lucrum congregant ; et quamvis computrescat, tamen non sentiunt putredinem, et aculeos vermium, quia occupati sunt circa vana et inutilia, quæ sunt flores sæculi detinentes animos eorum. Sed istis transeuntibus, sentient punctiones et aculeos vermium de prædicta corruptione procedentium.

Ebrietas tota imbecillis primum abolet memoriam, dissipat sensum, negligit mentem, confundit intellectum, concitat libidinem, involvit linguam, B implicat sermonem, corrumpit sanguinem, obtundit visum, perturbat venas, infirmat nervos, obturat aures, turbat viscera, subvertit sensum, humectat cerebrum, debilitat membra, frangit somnum, impedit menstruis. Ebrietas autem mater flagitiorum est, culparum materia, radix criminum, origo vitiorum, turbo captus, subversio sensus, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis, ignominiosus languor, male suadibilis, turpitudo morum, dedecus vitæ, honestatis infamia, animæ corruptela. Vinum quippe non refutatur usu, sed damnatur excessu.

Sobrietas tota formosa est, utilis tota, primum salvat memoriam ; acuit sensum, sincerat mentem, dirigit vultum, integrat pudorem, mitigat vitium, curat faciem, limat aures, exonerat cerebrum, expedit C linguam, explicat sermonem, confirmat sanguinem, curat venas, stringit nervos, contemnit libidinem, fruitur somno, recreat corpus, propagat senectutem, sine his omnis homo contemptibilis fit.

Stadium centum viginti quinque passus habet, stadia octo faciunt milliarium unum ; ex uno milliario et altero medio efficitur leuga una ; tres milliarii duas leugas faciunt.

Augustinus (66). « Isaias propheta apertius Mariam sanctam designat dicens : *Exiet Virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet* (*Isa.* II, 1). Quod hæc virga nuces produxit, imago Dominici corporis fuit ; nux enim trinam habet in suo corpore substantiæ unionem, corium, testam et nucleum. In corio, caro ; in testa, ossa ; in nucleo, interior anima comparatur. In corio nucis carnem significat Salvatoris, quæ habuit in se asperitatem, vel amaritudinem passionis. In nucleo interiori declarat dulcedinem divinitatis, quæ tribuit pastum, et luminis subministrat officium. In testa lignum inserens crucis qui non discrevit, id quod foris et intus, sed quæ terrena, et cœlestia fuerant Mediatoris, ligni interpositione sociavit, dicente Apostolo : *Quoniam ipse per sanguinem crucis suæ pacificavit quæ in cœlis sunt, et quæ in terris* (*Colos.* I, 20. »

Jugum enim meum suave est, et onus meum leve (*Matth.* XI, 20). Est onus quod portantem portat, et levigat, id est onus leve Evangelium, et jugum Christi suave conversis ad Christum. Qui prius non poterat portare præcepta legis, postea levia habet præcepta Evangelii per cooperantem gratiam. Qui primum non poterat implere non occides, postea leve habet pro fratribus animam ponere ; et sic de reliquis. Sic cum jumento imponitur onus grave, et refugit quasi importabile, adducitur quadriga volubilis, id est Evangelium discurrens per totum mundum, et onus quod quasi grave refugiebat primum, postea sine labore trahit duplicatum. Sic avicula quæ implumis, et sine alis seipsam non potest portare, pondere plumarum et alarum addito, avolat sine labore. Sic et panis durus, qui per se non potest transire, adjectione lactis, vel alterius liquoris, colabilis sit, in gutture.

(66) Serm. 3 de temp. sub fin.

ANNO DOMINI MCXVIII

LEO MARSICANUS

CARDINALIS EPISCOPUS OSTIENSIS

LEONIS CHRONICON CASINENSE ET OPUSCULA

(Vide infra, ad annum 1138, Patrologiæ tom. CLXXIII, in Petro Diacono, Chronici Casinensis continuatore.)

ANNO DOMINI MCXVIII

RICHARDUS CARDINALIS

NARBONENSIS ARCHIEPISCOPUS

NOTITIA HISTORICA.

(*Gallia Christiana*, nov. edit., tom. VI, col. 44).

Patre cognomine vicecomite Amiliani in Ruthenis A et Gabalitano, defuncto ante mensem Januarium anni 1051, et matre Rixende, filia Berengarii I, vicecomitis Narbonensis genitus, Richardus fratres habuit Berengarium, Hugonem, Raimundum, Rogerium et Bernardum. Primum in S. Victoris cœnobio Massiliensi monachum professus, et inde cardinalis ab Alexandro papa II, juvenis admodum, creatus, postmodum abbas ejusdem monasterii in locum Bernardi fratris defuncti, electione monachorum absens suffectus est, anno 1070, approbante Gregorio papa VII, cui ob egregias dotes charus erat ex pluribus. Videsis ea de re hujus pontificis epistolam 21, lib. V, et epistolas 16 et 17, lib. VII, tom. X Concil. Legatus ab eodem papa jam antea in Hispaniam missus, anno 1076, Burgi concilium episcoporum congregavit, in B quo Constantiæ Alfonsi regis Castellæ uxoris voluntati morem gerens, prisca Gothorum in rebus divinis procurandis antiquata consuetudine, sacras ceremonias in precandi ritu Romano more sancivit, auctore Joanne Mariana, lib. IX Hist. cap. 11. In Richardi locum altero legato substituto, commissus ipse est anno 1080 ad reformandas abbatias Montis Majoris et Crassæ. Postea Victoris papæ III, successoris Gregorii, animum offendit, quod Hugonis archiepiscopi Lugdunensis huic pontifici præ invidia et ambitione infensi partibus faveret, vel etiam Guiberti Ravennatis, qui se papam Clementem III dicebat, schisma sectaretur, ut scribit Ciaconius : quapropter a Victore papa excommunicatione in synodo Beneventana mulctatus est. Verum hoc pontifice intra paucos menses sublato, in gratiam sanctæ sedis C rediit, legitimisque pontificibus Romanis postea constanter adhæsit, quanquam ab Urbano II precibus Bernardi archiepiscopi Toletani ablatam ipsi legationem legimus quæ tamen fortasse eidem restituta fuit, nam, ut habetur tom. II novæ Hist. Occitaniæ, pag. 344. legatus erat in Hispania, quando post Bertrandi depositionem Richardus communi totius cleri et populi consilio ac petitione in archiepiscopum assumptus est die 5 Novembris anni 1106. Paschalis papa hanc confirmavit electionem paulo ante quam in Franciam exeunte hoc anno adventaret (1). Insequenti pontifex bulla data Brivate, in tractu Vivariensi, 13 Julii an. 1107, pontificatus VIII, in ejusdem Richardi gratiam Narbonensis Ecclesiæ privilegia roboravit.

Erit fortasse qui dicat Richardum citius cathedram Narbonensem conscendisse, quippe qui subscripsit actis dedicationis ecclesiæ B. Mariæ villæ Bertrandi in territorio Petralatensi (2), quæ facta est III, Idus Novembris anno 1100, a Bernardo Gerundensi episcopo, in cujus diœcesi sita erat, et aliis episcopis. Sed hæc Richardi subscriptio longe post dedicationem facta est in signum confirmationis, ut plerumque id contigisse non semel observavimus. Idem dicendum de charta donationis factæ cœnobio B. Mariæ de Quadraginta a Guillelmo Bernardo de S. Nazario, Idibus Aprilis anno 1098, cui legimus in tabulario de Crusy Richardum Narbonensem archiepiscopum et sedis apostolicæ legatum subscripsisse cum Arnaldo de Levedo episcopo Biterrensi.

Richardus sub ipsum sui regiminis exordium gravissimam passus est contradictionem ab Aimerico, vicecomite Narbonensi, et Mathilde ipsius matre, qui destituto ejus decessore in bona ecclesiæ Narbonensis invaserant. Quapropter in illos excommunicationem vibravit, uti colligere par est ex querela quam detulit anno 1107 ad Paschalem II papam contra Petrum abbatem S. Pontii, et Raimundum abbatem Electensem, qui cum excommunicatis societatem habebant (3). Verumtamen aliquanto post inita est concordia Aimericum inter et archiepiscopum, cui hominium præstitit vicecomes. Eidem Bernardus et Remigius de Caneto fratres in placito die Martii ultima an., 1110 habito, villam de Caneto, quam injuste hactenus possidebant, ex sententia Amelii episcopi Tolos. et Raimundi Carcass. dimiserunt. Circa id tempus Richardus concordiam iniit cum

(1) Tom. X Conc., col. 669.
(2) Append. Marc. Hisp., col. 1223.
(3) Tom. X Conc., col. 670.

Olivario de Terminis pro castro villæ Rubeæ contra fas ab ecclesia sua distracto; et cum Bernardo vicecomite Biterrensi de certis juribus composuit, ab eodem sacramento fidelitatis excepto. Vide in appendice nostra has duas chartas notis chronicis destitutas. Acre dissidium jamque in bellum erumpens inter Bernardum Atonem vicecomitem Biterrensem et Raimundum Berengarium comitem Barcinonensem Richardus utriusque affinis, ac plures utrinque domini amice compescuerunt, eosque ad mutuam pactionem adduxerunt : qua de re duo legimus instrumenta, alterum mense Julio an 1112 datum, sive 8 Julii, ut habetur lib. II, cap. 89, comitum Barcinonensium ex Sammarthanis, et quod idem est, VI. Idus Julii (4), ex regio chartarum thesauro apud Carcassonam ; alterum vero, si tamen diversum, v. Idus Junii in prædicto regio chartarum thesauro, et VI. Idus Junii in probationibus tomi II novæ Hist. Occitan., pag. 382, ac in tabulario castri Fuxensis ex bibliotheca Colbertina et apud Catellum Hist. comitum Tolos., pag. 115. Eodem anno Richardus archiepiscopus et vicecomes Aimericus die 25 Octobris, feria VI, tristem naufragorum Christianorum miserati sortem, communi baronum consilio et assensus statuerunt, ut nemo deinceps quidquam sibi ex eorum bonis arrogaret, sed omnia ipsis, aut eorum hæredibus, si naufragi periissent, restituerentur; tandemque 26 Novembris ejusdem anni, præsentibus clericis atque laicis pacem inter se definierunt (5), quæ diu non constitit ob recusatam ab Aimerico bonorum, quæ ab Ecclesia Narbonensi tenebat, recensionem. An. 1113 Bernardus, cognomento *Geraldi*, cum uxore Guillelma Domino Deo, sanctisque martyribus Justo et Pastori, per manus domini Richardi, Narbonensis archiepiscopi, offert filium suum Geraldum *ad canonicum regularem faciendum, cum omnibus*, ait, *nostris decimis et ecclesiasticis in canonica ad possidendum jure perenni. Facta est hæc charta* x *Kal. Martii, anno Dominicæ Incarnationis* 1113 *regnante Ludovico rege* (6). Interfuit Richardus an. 1115, pridie nonas Octobris dedicationi ecclesiæ S. Mariæ de Cassiano in diœcesi Biterrensi, una cum Atone archiepiscopo Arelatensi, et Arnaldo Biterrensi, Gualterio Magalonensi, Bernardo Agathensi, Arnaldo Carcassonensi, Johanne Nemausensi, et Raimundo Barbastrensi præsulibus. Eodem anno ecclesias S. Mariæ de Petra pertusa, S. Michaelis de Dulancho et S. Stephani dedit canonicis Narbonensibus, e tabulario capituli, ubi quoque memoratur annis 1113, 1114 et 1117. Psalmodiensi cœnobio contulit hoc anno ecclesiam S. Saturnini de Aniciano, *de Nisse*. Eodem habuisse concilium videtur apud Narbonam, in quo arbitri Ato Arelatensis, Arnaldus Biterrensis, et Arnaldus Carcassonensis antistites querelam Richardum inter archiepiscopum et Hugonem S. Pauli abbatem finierunt. Sub idem tempus recruduit controversia inter Richardum et Aimericum vicecomitem, qui quidem Richardo hominium præstiterat de his quæ ab Ecclesia Narbonensi possidebat, sed cum eidem nonnulla disputaret, eaque nollet arbitrorum judicio committere, hunc Richardus excommunicavit. Quapropter a vicecomite captus et carceri mancipatus, vicecomiti acquiescere coactus fuit archiepiscopus, et cum eo in gratiam reverti; quæ quidem reconciliatio brevis admodum fuit, ut colligitur ex querela Richardi qui nova sibi a vicecomite illata posteris adploravit mala. Anno seq. Gelasium, Paschalis successorem, Alesiam assecutus est cum aliis episcopis, cujus in præsentia eodem anno indictione XI, pontificatus anno primo suscripsit chartæ Guidonis episcopi Lascurrensis ecclesiam S. Fidis de Morlano dantis Pontio Cluniacensi abbati. Adfuit anno 1119, VIII Idus Junias, concilio Tolosano (7), præside Calixto II papa, cujus decreto pro Raimundo Electensi abbate contra Berengarium Crassensem super abbatia S. Polycarpi, et alteri pro Anianensibus contra Casadenses monachos subscripsit. Eodem anno IV Nonas Augusti, cessit ei Raimundus Berengarius ecclesiam de Oviliano, quam injuste possidebat. Mense Januario ejusdem anni testis est cujusdam confirmationis ab Atone Arelatensi archiepiscopo factæ, ex tabulis S. Victoris Massil. Reperitur et anno 1120 in charta Bernardi de Monte-Sereno, et in Guillelmi Raimundi quasdam ei decimas dimittentis. Eodem anno cum Atone Arelatensi, Arnaldo Biterrensi, Bernardo Agathensi, et Arnaldo Carcassonensi præsulibus, etc., apud S. Tiberium constitutus Richardus querelam Arnaldum inter abbatem S. Tiberii et Eleazarum de Castries ac Engelradam conjuges motam diremit. [Denique anno 1121 Bernardi Atonis hominium excepit pro castro d'Auriac; cumque sedisset annos XIV, menses tres et decem dies, e vivis excessit hoc anno XIV, XV, vel XVI Kalendas Martii, variant etenim Necrologia, forte amanuensium errore. Ac primo quidem alterum Montis. Olivi Necrologium habet XIV Kal. Martii, et ibi dicitur monachus ejusdem loci, fortasse quia hic locus ad congregationem S. Victoris Massiliensis pertinebat: alterum vero ejusdem loci necrologium habet XVI Kalendas, cui concinit Chronicon Narbonense : tertio denique ejus obitus dies notatur in necrologio Canonicæ et in excerpto Necrologii S. Justi XV Kal. Martii. Quod ad annum obitus attinet, liquido consignatur 1121 in Necrologio Narbonensi et in excerpto Chronici Massiliencis Sancti Victoris, tom. I novæ Bibliothecæ Labb., pag. 340. Attamen anno 1123, testante Martenio nostro, Bernardus Ato vicecomes et Rogerius filius ejus hominium Richardo dimiserunt, quod exigere solebant in Capite stagno (8);

(4) Tom. I Anecdot. Marten., col. 334.
(5) Prob. t. II Hist. Occit., col. 384 et 504.
(6) Tom. III Analect. Mabill., pag. 472.
(7) Tom. X Conc., col. 860.
(8) Prob. tom. II Hist. Occit., col. 369.

sed hoc ad annum circiter 1107 melius refert nuperus rerum Occitanarum auctor. Baluzius quoque docet exstare in tabulario Narbonensis ecclesiæ vetus instrumentum datum xv Kalend. Septembris anno 1125, tempore hujus archiepiscopi et Udalguerii Helenensis præsulis. Constat nihilominus, ait idem Balurius, Udalguerium nondum tunc Helenensem cathedram occupasse, et Richardum eo tempore non fuisse superstitem. Alia laudatur charta anni 1127 (non 1117, ut irrepsit in appendice) nempe xi Kal. Novembris luna xiv, feria vii, epacta xvii, in qua A Elysiarus et uxor Engeliarda factum a se ab Arnaldo S. Tiberii abbate memorant compromissum in Richardum Narbonensem archiepiscopum, Atonem Arelatensem archipræsulem, Arnaldum Biterrensem, Bernardum Agathensem et Arnaldum Carcassonensem episcopos : sed hæc compromissum et placitum diu antea, scilicet an. 1120, uti supra retulimus, habita fuerant. Præterea Bernardus jam desierat esse Agathensis epispiscopus, et Arnaldus Biterrensis ad ecclesiam Narbonensem transmigraverat, ut dicendum modo.

NARRATIO VEXATIONUM

Quas ab Aimerico vicecomite Narbonensi passus est Richardus archiepiscoqus.

(*Gal. Christ.* nov. t. VI, instrum., col. 28.)

Manifestum sit omnibus hominibus præsentibus et futuris Catholicæ Ecclesiæ fidelibus, quod obeunte beatæ recordationis domno Dalmatio Narbonense archiepiscopo ecclesia pastore viduata et honores ipsius in manus Aimerici prioris, qui tunc Narbonensem vicecomitatum tenebat, et uxoris ejus Mahaldis devenerunt, prout ipsi subjicere potuerunt, licet secundum malam consuetudinem terræ ad eos non pertineret, sed ad comitem. Transacto vero aliquanti temporis intervallo, a Romano papa, cleroque ac populo, comprovincialibus quoque episcopis, Nemausensis episcopus B. ad episcopatum Narbonensem translatus est, sed repugnante prædicto Aimerico, nec sedem, nec honorem unquam quiete habere potuit, eunte autem eo Jerosolymam prænominatus archiepiscopus Romanæ sedis judicio depositus est : interim præfata uxor ejus et filius honores ecclesiæ tenuerunt, et mala possessione in proprios usus dominiumque quoscumque potuerunt omnino redegerunt. Post non multum vero temporis destituta et rebus et honoribus ecclesia, tandem ego R. Romanæ E. P. C. et abbas Massiliensis, homo bonorum ecclesiæ illius, fraudumque et malignitatum terræ ignarus, in ejusdem ecclesiæ regimen a domno apostolico illius temporis Paschali secundo, communi totius cleri et populi consilio ac petitione, promotus sum ; quo facto Aimericus filius alterius Aimerici jam dicti, qui patri Jerosolymis mortuo in vice-comitatu successerat, juxta consuetudinem antecessorum suorum veniens cum quibusdam ex baronibus terræ, præsente universali Narbonensis provinciæ synodo, fecit mihi hominium propriis manibus, sicut facere debebat, et accepit fevodia quæ habebat de ecclesia per manum meam, et dedi ei, sicut Gui- B fredus, qui ante domnum Dalmatium præfuerat ecclesiæ, antecessor meus dederat atavo ejus Berengario : post hæc antequam faceret mihi juramentum, quod facere debebat, deprecatus sum eum ut fidelem amicum et hominem meum, quatenus diceret in fevodia, quæ tenebat de ecclesia, et alios ecclesiæ honores, quos tenuerant pater materque, quæ præsens erat, et ipse atque bajuli eorum, quia ego eos omnino nesciebam, sed confidebam in eo, qui fidelis esse debebat ecclesiæ dominæ suæ, ut veritatem mihi diceret, sicut qui diu omnia fere tenendo et possidendo cognoscere poterat. Propter quorum relationem mendaciis intervenientibus ad disceptationem venimus, dicente illo quædam usatica civitatis inter me et se aliter esse C quam non erant, quæ antecessores ejus et mei accreverant, quædam vero, quæ mater ejus noviter adjunxerat, integriter sui juris esse ; ad ultimum non valente parte illius refellere chartas et testimonia mea, quibus in omnibus usaticis, præteritis, præsentibus et futuris medietatem consequebatur ecclesia, quia in ecelesiis medietate decimarum, quæ laxaverat, imminuta erant ei fevodia sua, communes amici locuti sunt concordiam inter me et eum precantes, ut ego augerem ei fevum suum, et ipse alia omnia, de quibus eo tempore inter nos contentio erat, sicut juris erant, ecclesiæ solide et quiete dimitteret ; quorum ego consilio resistere non valens, accevi ei ad fevum tertiam partem medietatis botatici, alia omnia de quibus, sicut supradictum est, alterutrum contendebamus retinendo per medietatem, sicut erant, jus ecclesiæ illo D dimittente, sicut in chartario scriptum habetur ; deinde ex parte ejus quidam maligni veneruntdicentes se nullatenus ulterius velle quæstionem nasci

inter eos,qua ad iram provocaremur, et simulantes eum velle esse semper pacificum et fidelem ecclesiæ ac mihi, adjecerunt unum inter alia esse usatica, quod nunquam habuerant nec quæsierant antecessores mei, cum illi antecessores apposuissent et meis præsentibus tenuissent per multum tempus sine querela, videlicet medietatem lesdarum,quas vulgo dicunt comparas,quas vellet diffiniri nominatim,ne forte postmodum possemus inde alterutrum irasci ; quibus ego respondi, sicut verum erat, me omnino nescire,sed si ipse multum vellet,super animam et credentiam illius ponerem,qui homo erat ecclesiæ et meus,et fidelitatem portare mihi debebat,et veritatem dicere, ita tamen ut si aliquando vel chartis vel testibus invenire valerem antecessores meos eas quæsisse vel habuisse, sine dubio requirerem et habere vellem ; hac malignitate et dolo retinendo eas sibi, juravit mihi vitam et membra et fidelitatem omnesque honores ecclesiæ quos habebat vel habere debebat, sicut antecessores mei habuerant.

His ita peractis,ego postmodum revolvendo chartas ecclesiæ, inveni Guiffredum, antecessorem meum, prædictas lesdas quæsisse,et placita inde habuisse, et recuperasse ; quod cum ego reperiissem, conveni prædictum Aimericum non semel nec bis, sed multoties per meipsum et per amicos meos et illius, admonendo eum per fidelitatem quam mihi juraverat, per hominium quod fecerat, ne tantum faceret malum ecclesiæ,honorem ejus mihi auferens,si aliquam justitiam se habere putaret in eisdem lesdis, veniret mecum ante præsentiam bonorum virorum terræ et communium,qui pacem et concordiam vellent inter me et ipsum, et faceret mihi quod ipsi laudarent. Quod prædictus Aimericus non solum audire et facere recusavit,verum etiam indignatus ad alia usatica et honores ecclesiæ manus suas extendit, et quæcunque in proprios usus redigere potuit,auferre mihi sine verecundia cœpit,et multa mala facere et pejora minari,addens nullum esse in Narbonensi territorio, qui partem meam et ecclesiæ nec verbis nec factis defendere auderet ; prætendens etiam quod lesdas ipsas, quas ego requirebam,hoc est comparas [*f.* comparatas], sibi fevum donaveram,quæ donatio tali deceptione,sicut superius audistis, fuerat facta, et tali conditione retenta. Hæc ego audiens,iterum cœpi eum monere per privatos amicos suos, per vicinos barones terræ,per episcopos, per abbates, per vicecomites, per milites,tandem per quoscunque potui, attestando eum per sacramentum, quod fecerat, per beneficia ecclesiæ, quæ non modica tenebat, ut tanta malitia infamia atque infidelitate cessaret,et honorem suum ecclesiæ quiete dimitteret, aut ad justitiam veniret.Postquam autem vidi me nil posse proficere,importunitatem malorum, quæ mihi inferebantur, ferre non valens, excommunicationique subjiciens eumdem Aimericum et omnem terram illius, metu mortis compulsus secessi ad partes alias, quocunque modo victurus, nec tamen tam longe secedere potui,quo captus et incarceratus et variis modis dehonestatus ab amicis ejus non essem,antequam ad emendationem justitiæ unquam venire vellet. Tandem non mihi profuit cognitio et attestatio justitiæ per omnes barones terræ,quod ad finem possem venire cum eo de aliis causis, quousque invitus,dolens, et coactus prædictas lesdas diffinivi injuste, cum leges dicant irritam esse definitionem factam ab exspoliato,nisi prius potestative revestiatur,et ecclesia hoc honore exspoliata fraudulenter et violenter fuerat,nec unquam fuerat revestita ; adjurando itaque eum per fidelitatem, quam mihi juraverat,ne honores ecclesiæ mihi invito, sibi faceret dari et Ecclesiæ auferri, non potui obtinere quod debui. Hoc ergo facto promisit se iterum mihi fidelem esse futurum et omnia, placita quæ mecum fecerat firmiter servaturum , sed promissio tædiosa illi fuit diutius teneri, nam parvo exacto tempore lesdam vermiculi,quam mihi in primo placito dimiserat,in quo de aliis,sicut superius scriptum est, me deceperat, et ego tenueram postea et justitias eorum hominum, quos per auctoritates antiquarum chartarum et testium in placito recuperaveram,et ipse mihi dimiserat nisi illa conditione duarum solummodo culparum quæ in chartario ecclesiæ et illius scripta continetur, pactum, quod feceramus, frangendo,abstulit hominem ecclesiæ,et quod male fecerat pro honore et in honore ecclesiæ facientem ad redemptionem, me contradicente, compellens et quia ad clamorem meum ausus fuit venire, jurejurando fecit eum excusare, quod majorem ei contumeliam non contulerit imposito sextari hordei in emendationem.Denique tunc proclamavi ei Jesdas quas fraudulenter et violenter, sicut audistis, mihi abstulerat et portam et medietatem mensis Oetobris de tertio salis, quæ duo nunquam aliquo modo diffinivi, sed sub clamore in placito retinui, sicut superius scriptum est, sic tractavit me qui fidelitatem juraverat ecclesiæ et mihi et hominium fecerat et totum honorem ecclesiæ et integriter et fideliter se servaturum jurando spoponderat.

Hæc ita scribo vobis,qui post ad servitium Dei et ecclesiæ loco meo venturi estis, ut cognoscatis quam male et quam injuste,quamque violenter Aimericus prædictus ecclesiam et me dominum suum oppresserit, et quomodo illo auferente ecclesia justitiam suam perdiderit, et precor atque obsecro ut quod mea negligentia vel mollitie de honore perditum est ecclesiæ, quia mala quæ mihi inferebantur sustinere non poteram, vestra probitate et rigore recuperetur ; istam enim justitiam habet ecclesia contra Aimericum vel successores ejus, quam auditis, et si quis vobis contradixerit, pro certis et veris rationibus ista quæ hic scriptura [*f.* scripta] sunt firmare et defendere, sicut juste vobis judicatum fuerit, sine dubio potestis ; Deus namque scit quod ex veritate et pura cordis intentione ista proferimus et vobis ut in veritate credatis,remota omni ambiguitate mendacii,fide firma mandamus·

De his autem omnibus multos vobis testes enumerare possumus, sicut Arelatensem archiep., Atonem, et Nemausensem episcopum Joannem, et Bernardum Rainardi et Ademarum Narbonenses archidiacones, et abbatem S. Pauli Hugonem, et Gerundensem sacristam Petrum de Saltu, et Mironem de Caput stagno, et Gaucerannum fratrem ejus, et Berengarium Guillelmi, et Raimundum Guifredi, multosque alios tam clericos quam laicos, qui hæc omnia videntes et audientes plenissime ac certissime noverunt. Petrus scripsit, Raimundo dictante, qui hæc vidit et audivit.

RICARDI CARDINALIS

NARBONENSIS ARCHIEPISCOPI

EPISTOLÆ ET DIPLOMATA.

I.

Epistola R. (9) *cardinalis ad S. regem. — Confirmat latam in Pampelonenses excommunicationis sententiam, vetatque ne ullam cam illis habeat communionem.*

D. Martene, *ampl. Collect.*, I, 497, *ex archivis S. Victoris*).

R. cardinalis, apostolicæ sedis legatus, S. regi venerabili, salutem.....

A domino nostro papa in Ecclesiis regni vestri honorem et gloriam ejusdem sanctæ et universalis Ecclesiæ, postposita alia nobis. . . . multo sudore fideliter quærebamus, sed nec per vestros circumlocutionum anfractus decepti, a parte cognoscimus, quoniam plus hominum favorem, quam Dei timorem animarumque salutem in vestris operibus cupitis invenire. Nam salutem vestro consilio in populo commisso vos efflagitare credebamus: unde quia non ita apud vos est, corrigentes si qua vobis pro vestra charitate, de qualibet specialiter persona promisimus, facturos nos deinceps procul dubio abnegamus; sed consulere aliter, si potuerimus, satagemus. Excommunicationis sententiam, quam in Pampilonensi episcopatu et hominibus ejusdem episcopi, quocunque loco fuerint, sive in expeditione contra hostes pugnaverint, sicuti in concilio episcoporum et abbatum apostolica auctoritate posuimus, iterum iterumque eadem auctoritate firmamus: vosque communionem cum Pampilonensibus excommunicatis usque ad festivitatem sancti Joannis, et hoc non in ecclesiastico officio, sanctorum apostolorum Petri et Pauli et nostra auctoritate, nullam deinceps habere præcipimus, donec habeant electum in eadem ecclesia apostolica auctoritate firmatum. Interdicimus hoc modo, ut a festivitate S. Joannis et deinceps mortui nullo modo sepeliantur, cum vivis scienter nullus Christianam communionem habeat, nullumque divinum officium in ecclesiis fiat, præter puerorum baptismum, si mortis vel languoris illos agitaverit periculum. Hæc ideo facimus, quia conspirasse illos ad destructionem Ecclesiæ cum alteris regni vestri principibus videmus, quos adhuc nominatim non exprimimus, qui gladium sancti Petri et virtutem sancti Spiritus ad perpetuam infamiam et confusionem suam experientur. Ne confidatis in victoria qui justitiam reliquistis, cum scriptum sit: *Primum quærite regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.* De quo confidere possetis, si plus crescere regnum Dei, quam vestram gloriam quæreretis. Quæritis enim quæ vestra sunt, non quæ Jesu Christi. Et quia irritum fecistis mandatum Dei et apostolicum præceptum propter seductionis et.... hominum animarum pereuntium, sanguinem Deus a manu vestra requirat. Nos ergo exeuntes de civitate excutimus pulverum pedum nostrorum in testimonium super vos.

II.

Compositio inter Richardum archiepiscopum, et Bernardum vicecomitem Biterrensem ejus consanguineum.

(*Circa* an. 1110)

[*Gall. Christ.* VI, instr. col. 31].

Notum sit omnibus hominibus, quod discordia fuit inter Richardum, Narbonensem archiepiscopum, et Bernardum, Biterrensem vicecomitem. Nolebat enim vicecomes accipere fevum suum per archiepiscopum, nisi donaret ei Caput stagnum. Archiepiscopus autem dicebat quod non debebat ei illud donare. Post multa vero placita venerunt ad concordiam, et archiepiscopus donavit ei fevum sine dono Caput stagni; et convenit vicecomes ut non perderet servitium nec fidelitatem ejus, quia non dabat ei Caput stagnum, et fecit ei hominium et juravit fidelitatem et sacramenta. Et archiepiscopus, quia consanguineus et antiquus amicus erat, donavit ei plusquam alii archiepiscopi non dederant avo et aliis antecessoribus ejus de pecunia sua. Amelio autem Tolosano et Raimundo Carcassensi episcopis, et Ademaro archidiacono Narbonense et Willelmo Poncii et Poncii Deusde, et Raimundi Udalardi audientibus conventum est inter eos, ut ecclesiæ suæ et

(9) Hæc epistola est Richardi cardinalis, qui postea fuit abbas Massiliensis S. Victoris, ab Alexandro II creatus cardinalis, et a Gregorio VII et Urbano II missus legatus in Hispaniam. Scripta est autem ad Sancium V, Navarræ regem, quem quidam de crudelitate et injustitia insimulant.

successoribus archiepiscopi per consuetudinem non quereretur hoc quod archiepiscopus propter amicitiam fecerat; sed semper vicecomes aut successores ejus facerent hominium et omnes convenientias urchiepiscopo propter fevum et propter talem pecuniam, quam dedit Gaufredus Petro Raimundi avo suo.

III.

Charta concordiæ initæ inter Richardum archiep. Narbon. et Olivarium de Termino.

In nomine Domini. Hæc est notitia concordiæ, quæ facta est inter Richardum Narbonensem archiepiscopum et Olivarium de Termino. Factum est autem post Guifredi Narbonensis archiepiscopi mortem, cum Petrus Berengarius Rutenensis episcopus violenter Narbonensem invasisset ecclesiam, et contra Domini et jura canonum eam Simoniacus per multos dies occupasset, ut inter cætera castrum Villæ rubeæ cum honore sibi pertinente Berengario Petri de Petra pertusa in pignore mitteret, et ab ecclesia alienaret, pro quo pignore facta est dissensio inter prædictum Berengarium et Petrum Olivarii de Termino, quæ non cessavit, quousque idem Berengarius sociando filiam suam prænominato Petro in conjugium honoris præscripti, quem, a tanto ecclesiæ destructore injuste susceperat, partem ei in dotem donavit: quod cum audisset beatæ memoriæ Dalmatius archiepiscopus, super utrumque excommunicationis sententiam dictavit, et eos tandiu sub ea tenuit, donec Berengarius Petri culpam suam cognoscens, partem quam sibi de eodem honore retinuerat, omnino laxavit, Petro Olivarii in malitia usque ad mortem perseverante. Subtractis autem ab hac luce Dalmatio episcopo et Petro Olivarii, in Narbonensem archiepiscopum Richardus promotus est, qui cum audisset quantam injuriam a filio prædicti Petri Olivario Narbonensis ecclesia pateretur, post diuturnam admonitionem, postquam vidit se nihil proficere, excommunicationis jaculum super eum intorsit: compellente autem excommunicatione, et omnibus probis hominibus terræ dicentibus honorem injuste ablatum ecclesiæ Narbonensi, post multas altercationes Olivarius tandem venit ad recognitionem, et acceptis a prædicto archiepiscopo 1100 solidis Melguriensibus, laxavit et guirpivit quidquid in prædicto honore pro hac injustitia requirebat ipse et mater ejus et fratres in Narbonensi ecclesia, et prædictus archiepiscopus ac successores ejus deinceps plenarie possiderent et tenerent, sicut unquam Guifredus archiepiscopus melius et liberius habuerat et tenuerat, etc.

IV.

Donatio Richardi archiepiscopi Narbonensis facta Bertrando abbati Psalmod.

Hæc est charta donationis, quam fecit dominus Richardus Narbonensis archiepiscopus cum consilio clericorum suorum de ecclesia de Anitiano. Donum Deo et B. Petro apostolorum principi, cujus memoria venerabilis habetur in monasterio Psalmodiensi, A et reverendissimo ejusdem loci abbati Bertrando cum monachis suis unanimiter petenti, et petitioni vehementer diutiusque instanti. Dei itaque omnipotentis nomine, ego Richardus Narbonensis archiepiscopus cum consilio clericorum scilicet sedis ecclesiæ SS. Justi et Pastoris, cujus juris est, dono ecclesiam S. Saturnini de Anitiano, et concedo cum decimis et primitiis et oblationibus, et terris, et vineis, cultis atque incultis, et cum omnibus suis pertinentiis Domino Deo et S. Petro monasterio Psalmodiensi, et venerabili abbati Bertrando et monachis ejusdem loci præsentibus et futuris jure possidendam perpetuo sine cujusquam contradictione, salva justitia, quam ego et clerici supradictæ sedis nobis et successoribus nostris inibi retinemus: B videlicet quartam decimarum partem, quæ est de archiepiscopo, et synodum, et ordinationes, et albergam, et tertiam partem illius partis, quam parrochiani nostri morientes juxta canonum decreta pro animabus suis dividere debent, et ut capellanus qui curam tenuerit animarum nostro consilio intret et exeat in ecclesiam, et ut idem capellanus et ecclesia ordinatione et obedientia et justitia nobis subjiciatur. Alia autem omnia exceptis supradictis causis, sicut superius dicta sunt, ego jam dictus archiepiscopus et clerici SS. Justi et Pastoris plenarie donavimus et concessimus cum prænominata ecclesia sine enganno ullo, etc.

Facta charta donationis hujus anno ab Incarnatione Domini 1117, feria v, VIII Kal. Martii, regnante Ludovico rege, laudantibus et firmantibus C Richardo Narbon. episcopo, et clericis ejusdem sedis, et abbate Bertrando et monachis Psalmodiensibus.

V.

Charta Richardi, Narbonensis archiepiscopi, et Aimerici, ejusdem urbis comitis, de jure Naufragiorum. [CATEL, *Hist. du Languedoc*, II, 383].

Manifestum est omnibus hominibus quantas calamitates, quantaque pericula sustinent qui procellosi maris fluctibus [se] committunt. Contingit enim eis aliquando ire in captivitatem subitaneam, incurrere mortem, perdere substantiam, doloribus et ærumnis plenam miserabiliter traducere vitam, latum mare pervagando, et tamen quiescere non possunt, quia unde vivant aliud operari nesciunt. Cumque post D multa hujusmodi discrimina, gaudent, venientes ad littus, se quoquomodo evasisse, et scilicet se existimant multoties vi ventorum impulsi, diruptis navibus cum his quæ eripere valent tempestates fugiunt; de quibus videlicet naufragis nequissima nostris in partibus consuetudo inolevit, ut cum eis tale malum evenerit, potestates et incolæ terræ bona eorum diripiant, et si quid eripiant, tollant, et substantiam quam tot doloribus isti acquisierant, illi suis utilitatibus applicent, et sævitiam elementi sua iniquitate superent. Hanc autem malitiam videntes, Richardus Narbonensis archiepiscopus, et ejusdem civitatis vicecomes Aimericus, et cæteri barones terræ, atque

consilio omnipotentis Dei et ejus gratia inspirati, considerantes quantum malum quantaque avaritia esset, clementissimo Deo et omnibus fidelibus ejus donaverunt, lascaverunt et guirpierunt sine fraude, ut nunquam ulterius de hujusmodi naufragiis aliquid apprehendant aliquomodo per se nec per suos, nec aliquis eorum consensu, sed naves fractæ et pecunia qualiscunque sit, in potestatem redigatur eorum quorum juris esse cognoscetur. Etsi ipsi qui laboraverint, in naufragio perierint, reddantur omnia quæ inventa fuerint hæredibus eorum et propinquis cum venerint, undecunque sint, sine cujusquam contradictione, et habeant inde faciendi quod voluerint facultatem.

Sicut superius scriptum est, sic laudaverunt et promiserunt Domino Deo prædicti viri, et præ cæteris Richardus prædictus archiepiscopus sub excommunicatione firmavit, et anathematis vinculo auctoritate omnipotentis Dei alligavit, cum qui hujusmodi decreti violator maligna ductus cupiditate esse voluerit, cujuscunque dignitatis aut ordinis fuerit, donec digna satisfactione resipiscat. Si vero quod contingeret ut archiepiscopus vel vicecomes per se vel per suos hoc nostrum stabilimentum destruere præsumpserit, ego Richardus suprascriptus excommunico et anathematizo eum seu ille qui per contrarii transgressoris partem suam, hoc est medietatem, acceperit, non teneatur excommunicationem, donec prævaricator emendet; post emendationem si tenuerit, excommunicationi subjiciatur. Sed si de Saracenis fuerit, naufragium dividatur per medium inter archiepiscopum et vicecomitem qualecunque fuerit. Ita laudamus et firmamus nos supradicti, et successoribus nostris tenendum perpetuo mandamus in remissionem peccatorum. Et si mercatores volentes furari, lesdas transierint, et eis evenerit naufragium, emendent lesdas per furtum, et alia omnia recuperent.

Facta est laxatio ista VIII Kal. Novembris, feria VI, luna I, anno ab Incarnatione Domini 1112, regnante Ludovico rege, sub testibus Atone et Guillelmo monachis, et Guillelmo Raymundi de Redorta, et Berengarii Stephani, et Petro Bernardi de Narbona., et multis aliis.

Richardus archiepiscopus firmat.

Aimerius vicecomes firmat.

INDEX

IN EPISTOLAS, SERMONES, ET CHRONICON IVONIS

Revocatur Lector ad numeros crassiori charactere textui insertos.

A

D

E

F

N

O

P

Q

R

S

T

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

DIVUS IVO CARNOTENSIS EPISCOPUS.

OPERUM PARS ALTERA. — EPISTOLÆ.


ADDENDA.

DUBIA

LAMBERTUS ATREBATENSIS EPISCOPUS.

FINIS TOMI CENTESIMI SEXAGESIMI SECUNDI.

Sancti Amandi (Cher). — Ex typis DESTENAY.



BOSTON COLLEGE
3 9031 01363816 8

